UANL
DAD AUTÓNOMA DE NUE
CIÓN GENERAL DE BIBLIOTE

JOSEPHI MANSI

FRARIUM

EVANGELICUM

TOMO II

BV30
M3
v.2
1888

MEXI

007866

TALLERES DE ENCUADERNACION
RAYADOS
Y LIBROS EN BLANCO
RAMON DE S. KARALUCE
MÉXICO

1080015166

EX LIBRIS
HEMETHERII VALVERDE TELLEZ
Episcopi Leoniensis

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

R. P. JOSEPHI MANSI

Congregationis oratorii

ÆRARIUM EVANGELICUM

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

V
2126
M6

R. P. JOSEPHI MANSI

CONGREGATIONIS ORATORII

ROMANI PRESBYTERI

ÆRARIUM EVANGELICUM

HOC EST EVANGELIORUM TOTIUS ANNI

IN OMNES DOMINICAS ET FERIAS QUADRAGESIMÆ PER SINGULOS VERSUS IN SENSU LITTERALI, MORALI, ET ANAGOGICO

ELUCIDATIONES

VARIORUM LOCORUM S. SCRIPTURÆ DIFFICILLIMORUM DILUCIDA EXPOSITIONE TANQUAM AURO, SENTENTIARUM SS. PATRUM PONDERATIS AUCTORITATIBUS VELUT GEMMIS PRETIOSIS ALIISQUE VARIORUM CURIOSISSIMORUM EX IPSOMET CONTEXTU EVANGELICO DEPRUMPTORUM CONCEPTUUM MORALIUM DIVITIIS GAZÆ INSTAR COPIOSISSIME LOCUPLETATÆ.

OPUS OMNIBUS DIVINI VERBI PRÆDICATORIBUS

ANIMARUM PASTORIBUS, SACRÆ SCRIPTURÆ INTERPRETIBUS PERUTILE AC NECESSARIUM, ET EX ITALICA LINGUA IN LATINAM CONVERSUM.

EDITIO NOVA

Innumerabilibus aucta divitiis ex aliis ipsius Mansi operibus desumptis, accurante

Z.-C. JOURDAIN

PRESBYTERO

TOMUS SECUNDUS

Capilla Alfonsina
Biblioteca Universitaria

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEON
Biblioteca Universitaria y Tozzer

PARISIIS

APUD HIPPOLYTUM WALZER, BIBLIOPOLAM EDITOREM

7, VIA VULGO DICTA DE MÉZIÈRES, 7

MDCCCLXXXVIII

14576

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

BV30
H3
V.2
1888

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
CAPILLA ALFONSINA
FONDO EMETERIO VALVERDE Y TELLEZ

ÆRARIUM EVANGELICUM

FESTUM GAUDIOSISSIMÆ RESURRECTIONIS DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI

EVANGELIUM MARCI, CAP. XVI, VERS. 1

1. Maria Magdalene, et Maria Jacobi, et Salome emerunt aromata ut venientes ungerent Jesum.
2. Et valde mane una sabbatorum, veniunt ad monumentum, orto jam sole.
3. Et dicebant ad invicem : Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti ?
4. Et respicientes viderunt revolutum lapidem. Erat quippe magnus valde.
5. Et introeuntes in monumentum viderunt juvenem sedentem in dextris, coopertum stola candida, et obstupuerunt.
6. Qui dicit illis : Nolite expavescere ; Jesum quæritis Nazarenum, crucifixum ; surrexit, non est hic ; ecce locus ubi posuerunt eum.
7. Sed ite, dicite discipulis ejus et Petro quia præcedet vos in Galilæam : ibi eum videbitis sicut dixit vobis.

Explanatio hujus Evangelii desideratur.

VERSUS 1.

Maria Magdalene, et Maria Jacobi, et Salome emerunt aromata ut venientes ungerent Jesum.

Additiones.

a. — Mirum est hic, quod non Apostoli, sed mulieres primo accurrunt ad sepulchrum. Sed respondet primo eleganter S. Chrysologus, *Ser.* LXXII : « Non postponuntur Apostoli fœminis, sed ad « majora reservantur. Fœminæ obsequium Christi « suscipiunt, Apostoli Christi suscipiunt passiones ; « illæ portant aromata, isti flagella ; illæ intrant « sepulchrum, isti carcerem ; illæ obsequium præ- « tare festinant, isti pervolant ad catenas ; infun- « dunt istæ oleum, isti sanguinem fundunt. Quid « multa ? Resident illæ domi, isti ad acies ten- « dunt. » Quanta hæc sollicitudo fœminarum pro Jesu ? Illæ vigilant, ut aromata deferant pro Jesu defuncto : minime id præstant Apostoli, sed domi sedent, cum illæ pergunt ad monumentum. Sed quia hæc non præstant Apostoli, minoris idcirco virtutis esse æstimandi erunt ? Absit. Hæc est divinissima Dei sapientia, quæ electorum viribus accommodat munera commissa, ne fortiores implicentur in minimis, sed ad præstantissima prosiliant, et ne infirmiores impar onus suscipiant, cui succumbant ; ad aromata conficienda molliaque obsequia præstanda mulieres assumuntur, utpote fragilioris conditionis ; ast ad peragenda negotia sanguinis, ad carceres et flagella reservantur Apostoli.

b. — Aliam adhuc rationem assignat idem Petrus Chrysologus, cur mulieres primæ currant ad sepulchrum, sermone in paragrapho præcedenti citato : « Non est ergo mirum, » inquit, « si ad la- « crymas, ad funus, ad sepulchrum, ad obsequium « Dominici corporis fœminæ ardentiores Apostolis « sic videntur, ubi mulier prima currit ad lacry- « mas, quæ prima cucurrit ad lapsum. » Sepulchrum, luctum et lacrymas requirit ; merito ergo mulier quæ prima cucurrit ad culpam nunc currit ad luctum, ad lacrymas, quia peccatum semper involvit secum annexas lacrymas et optimæ sane est dispositio ad veniam, ut qui primus fuit in lapsu, primus sit quoque in lacrymis. Lacrymæ enim ignem infernalem extinguunt, terrorem dæmonibus incutiunt, iram Dei ob peccata nostra offensi placant. S. Chrysostomus ad illa Psalmistæ verba se reflectens : *Lavabo per singulas noctes lectum meum*, longe expedientius esse dicit in hac lacrymarum valle continuo flere ; quia « si noluerimus hic flere, « in inferno omnino necesse est flere et ejulare :

007066

« illic quidem inutiliter, hic autem cum emolu-
« mento; et illic quidem cum ignominia et dede-
« core, hic vero decore admodum et honeste. Quod
« autem necesse sit hoc fieri, audi quid dicat Chris-
« tus : *Illic erit fletus et stridor dentium*. At non ita
« qui hic flent, sed magnam consequentur consola-
« tionem : *Beati* enim *qui lugent, quoniam hi conso-*
« *lationem accipient*. Hæ lacrymæ possunt extin-
« guere ignem inextinguibilem, fluvium illum qui
« trahitur ante tribunal. »

Quod lacrymæ dæmoni bellum inferant, multi sacri attestantur Doctores, alios inter S. Antonio de Padua, hanc imprimis adducente similitudinem : « Sicut fumus expellit apes, sic amara et « lacrymosa compunctio expellit dæmones, qui cir- « cumdant animam, sicut apes favum. » S. Petrus Damianus comparationem nimbi seu turbinis adducit inquiens : « Lacrymantes oculi diabolum ter- « rent et sic lacrymarum erumpentium expavet « impetum, ac si procellosi nimbi grandinem, vel « furentium undique ventorum effugiat tempesta- « tem. Nam sicut spumosi torrentis cumulus su- « perveniens, cunctis alveum sordibus purgat, sic « lacrymarum profluentium cursus, ex mente flen- « tis et diabolicæ versutiæ semina, et omnes sor- « dentium vitiorum pestes eliminat. »

Postquam Joel in progressu Prophetiæ suæ severissima divinæ Justitiæ flagella intimasset, rebelli Judæorum populo desolationes prædicendo et ruinas, deinceps ostendit Deum iratum nullo alio meliori modo mitigari posse quam per lacrymas et planctum ; unde dicit, *cap.* II, 13 : Nunc ergo dicit Dominus : *Convertimini ad me in fletu et in planctu, scindite corda vestra, convertimini ad Dominum Deum vestrum, quia benignus et misericors est, patiens et multæ misericordiæ*. Ac proinde S. Gregorius Nazianzenus, *Orat.* XV, optimum his verbis nobis tradit consilium : « In lacrymis animas vestras possi- « dete, divinam iram reprimite, vestra vitæ studia « et instituta in melius commutantes. » Tametsi contra nos promulgata sit funesta mortis sententia, attamen si apud Deum, quantumvis juste iratum, lacrymæ nostræ interveniant, hæ ad illam revocandam et obliterandam abunde sufficiunt. Unde Divus Chrysologus ait : « Delent in omne facinus latam « divina promulgatione sententiam. »

c. — Non vacat hic mysterio quod mulieres non dicuntur emere unguenta sed aromata, ex quibus conficienda erant unguenta, ut recte ponderavit D. Bernardus, *Serm.* XII *in Cant.*, ubi ait : « Emunt « non unguentum, sed aromata, et unctio in obse- « quium Domini non facta assumitur, sed nova « conficitur. » Sane potuissent unguenta docte jam condita emere, ne operam et laborem impenderent ipsæ conficiendis illis. At piæ et devotæ fœminæ determinant non labori parcere, sed omnem suam operam et studium offerre Christo et ideo simplicia aromata emunt, ut habeant quod amplius laborando efficiant, scientes quod Deus in obsequio et servitio suo diligentiam et fervorem requirit. S. Paulus, in Ecclesia primitiva quæ in futuris sæculis futura erat fidelium aliorum speculum et norma, dissolvere volens rigidam pigritiæ et negligentiæ in divino servitio glaciem maxime in hac urbe Romana, ubi Princeps Apostolorum sedem suam fixerat, in hæc verba Romanis, XII, 11 scribit : *Sollicitudine non pigri, spiritu ferventes*. Hæc autem sollicitudo non eo fine ab ipso requirebatur ut per eamdem divitiæ, honores, provinciæ, ac regna acquirerentur, sed ut bona compararentur spiritualia, in cultu religionis Christianæ, quam recenter amplexati fuerant. Dicit autem *spiritu ferventes*, quia volebat illos in cultu Dei ardentes, non vero flaccidos, languidos et otiosos. Vix hæc pronuntiaverat Apostolus, quando immediate subdit : *Domino servientes*. O quanto cum studio, sollicitudine et fervore, obsequia terrenis præstantur principibus, nutus eorum quodammodo conjectantur et intentiones? Nullæ in illorum servitio molestæ censentur vigiliæ et curæ. Quanto igitur rationabilius est ut non dissimilem in Dei servitio ardorem, sollicitudinemque exhibeamus? Michæas propheta acceptam aliquando divinæ Majestati oblationem facturus, apud seipsum consultabat, dicens, *cap.* VI, 6 : *Quid dignum offeram Domino? Curvabo genu? Numquid offeram holocaustomata et vitulos anniculos? Numquid dabo Primogenitum meum?* Postquam igitur diu multumque secum ipse disceptasset, nihil horum sacrificiorum Deo summe placere resolvit, inquiens : *Utique indicabo tibi, o homo, quid sit bonum et quid Dominus requirat a te. Utique sollicitum ambulare cum Deo tuo*. Inter omnes alios antiqui Testamenti heroes, duo fuerunt illustrissimi, atque ideo a Deo in cœlo et in terra, præ aliis sublimati. Ambo enim primi sunt in genealogia Unigeniti Filii sui : *Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham*. Ambo quoque fuerunt præ cunctis aliis generis humani accepti et privilegiati, eo quod maximopere in ejus obsequio ferventes se probarint. Vix enim Abraham a Deo vocatus fuerat dicente : *Egredere de terra tua et veni in terram quam monstrabo tibi* ; cum ecce sine ulla dilatione *egressus est, sicut præceperat ei Dominus*. David autem ardentissimum se Dei amatorem ostendendo, Dei sibi cor lucratus fuit juxta illud : *Inveni hominem secundum cor meum*, quia in operibus honorem et cultum illius spectantibus ferventissimus erat, ideoque dicebat : *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum*.

d. — Hæ mulieres sanctæ quemcumque fidelem populum, contra profanas hæreticorum irrisiones, subsannationes, quibus devotionem populi Christiani, circa cultum et devotionem sanctarum reliquiarum sanctorum Christi Martyrum et Confessorum, exhiberi solitam, excipiunt, erudiunt. Etenim nullum aliud ab illis excogitabatur lucrum, quod adeo maturæ solutatrices accederent ad sepulchrum, nisi ut ungerent Jesum, debitamque venerando maxime corpori, emptis aromatibus, veneratione adhiberent. Et licet in hoc ipso errarent, ut viventem quærerent cum mortuis, attamen adeo hoc devotionis et voluntarii cultus factum, hanc sacratissimi corporis intentam venerationem, gratam et ratam habuit Dominus, ut Angelorum visione et consolatione dignæ fuerint ; ut miraculose in eamdem divitiæ, gratiam gravissimus lapis remotus fuerit, et ipse Christus eis in via redeuntibus apparuerit, atque, quod Magdalenæ soli negatum, tres pariter cum essent, eum tangere et osculari pedes permissæ fuerint. Sic enim Matthæus, XXVIII, 8, scribit : *Et exierunt cito de monumento cum timore et gaudio magno, currentes nuntiare discipulis ejus. Et ecce Jesus occurrit eis dicens : Avete. Illæ autem accesserunt et tenuerunt pedes ejus*. Denique, ut S. Ambrosius, *in cap.* XXIV *Luc.*, ait : Illis præ omnibus injunctum fuit, ut mysterium legis Evangelicæ maxime profundum et creditu difficillimum prædicarent, primasque resurrectionis suæ nuntias et testes, et quasi Apostolorum Magistras, Christus constituit. Sic nempe ex reliquiarum cultu in proprium commodum varia bona et beneficia redondant, ut et ipse Deus insolita miracula faciat, gravissimum sepulchri lapidem removeat et ut minus reverentes sepulchri custodes terræ motu exterreat, ut doceat quantam erga sacras reliquias æstimationem conservet. Inter alios divinæ assistentiæ effectus, quibus Deus assistit Sanctis, recensuit Propheta regius etiam curam illam qua invigilat ossibus et cineribus eorum post mortem, *Psal.* XXXIII, 21 : *Custodit Dominus omnia ossa eorum* : « Quod potest exponi « de ossibus corporis, » ait Dionysius Carthusianus, « quæ licet in passione, vel post mortem conteran- « tur et corrumpantur, custodiantur tamen a Do- « mino. » In omnibus sæculis, experientia docuit quanta cum veneratione, æstimatione et honorificentia sint custodita non ossa duntaxat, sed etiam atomi minuti et imperceptibiles sacrorum illorum cinerum. Veteris etiam legis zelatores appretiebantur, reverebantur, ac custodiebant Sanctorum reliquias cadaverum. Ecclesiasticus, XLIV, 1, 14, ait : *Laudemus viros gloriosos et parentes nostros, in generatione sua... Corpora ipsorum in pace sepulta sunt et nomen eorum vivit in generationem et generationem*. « *In pace*, id est, in honore, decore et splen- « dore, » ait Cornelius a Lapide, « sive opulenter, « splendide et magnifice. Pax enim Hebræis opes « omneque bonum significat. » Salianus referens historiam Absalonis, ejusque simulatum animum, quo patri suo discerat et fingendo persuaserat, se iturum in Hebron, ut ibidem vota sua persolveret : *Vadam et reddam vota mea quæ vovi Domino in Hebron*, ita scribit præfatus Historicus : « Quod « aperte ostendit etiam Davidis tempore religiose « coli solita monumenta Sanctorum, votaque Deo « sub eorum patrocinio facta fuisse persoluta. Re « enim dubia vel insolenti non bene texisset men- « dacium suum Absalon, nec habuisset ejus præ- « textus ullam apud Davidem probabilitatem. » Peregrinabantur Hebræi in Hebron, ut ibidem venerarentur ossa sacra Patriarcharum. Unde Lyranus scripsit : « Locus enim ille sanctus reputaba- « tur, eo quod quatuor Patriarchæ principales sunt « ibi sepulti cum suis conjugibus ; scilicet Adam « et Eva, Abraham et Sara, Isaac et Rebecca, Jacob « et Lia, sicut dictum est, *Genes.*, XXXIII, et ideo « Absalon fingebat illuc ire ex devotione. » Antiquus usus et veneratio sacrarum reliquiarum ex novo pariter Testamento probatur a primo præsertim Ecclesiæ sæculo. Hæmorrhoissa devota tetigit fimbriam vestimenti Domini ; *dicebat enim intra se : Si tetigero tantum vestimentum ejus, salva ero, Matth.*, IX, 21. In Actis Apostolorum, XIX, 11, legimus : *Virtutesque non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli ; ita ut etiam super languidos deferrentur a corpore ejus sudaria et semicinctia ; et recedebant ab eis languores et spiritus nequam egrediebantur*. » Objicinat hæretici, « inquit Salmeron : « Quorsum ista mortuorum ossa et cineres? Quibus « respondendum est. Quorsum sudaria et semi- « cinctia Pauli? Et quare umbra Petri sanabat in- « firmos? »

e. — Mortuo dulcissimo Redemptore, nec non in novo monumento recondito, summo mane venerunt mulieres ad monumentum, habentes aromata ut ungerent Jesum. Vera habebant aromata meras redolentia virtutes, dulcissimum spirantes amoris odorem, cujus evidentissima exhibebant signa ; amor enim debet esse operationis, sicuti vere erat in devotis hisce mulieribus. Amorem quo Deum prosequimur, in dubium merito revocare possemus an verus sit atque sincerus, cum sit actus quidam mere internus, qui sub oculorum aciem minime cadit ; nisi S. Joannes opera nostra exteriora infallibilia interioris amoris signa esse diceret. Vulgatum est illud sancti cujusdam Patris edictum : « Probatio dilectionis exhibitio est operis ; » atque ideo superest ut nonnulla specialiora charitatis indicia examinemus. S. Paulus, I *Cor.*, XIII, 2, ait : *Charitas patiens est, benigna est ; charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati ; omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet*. Sed penitus charitatis signa charitatis quæ filios Dei a filiis diaboli discernit examinemus. S. Bernardus, *Serm.* LI *de modo bene vivendi*, scribit : « Tunc vere Deum diligis, si « pro amore illius bona quæ potes, operaris. » Ita quoque ait S. Gregorius : « Numquam est amor Dei

UNIVERSIDAD DE NAVARRA

« otiosus, operatur enim magna, si est; si vero « operari renuit, amor non est. » S. Thomas de Aquino pulchram quamdam S. Augustini adducens auctoritatem ita scribit : « Fortitudo est amor facile « tolerans omnia, propter id quod amatur. Qui « omnia dixit, nihil excipit; diligas fortiter ut pro « ipso sustineas inopiam rerum si oportuerit. »

Infallibile vero signum animæ Deum amantis est, si anima aliud præter Deum non cogitat, aut vero si aliud quoque desideret, id tamen alio modo non faciat, nisi in ordine ad ipsum Deum. « Tunc « demum perfecta erit charitas, » inquit S. Bernardus, « cum sic amor Christi totum absorbuerit « affectum hominis, ut negligens et immemor sui, « non nisi Christum Jesum et ea quæ sunt Jesu « Christi, sentiat. »

Hæc est charitas, inquit S. Joannes, II *Epis.*, I, 6, *ut ambulemus secundum mandata ejus.* Etenim nequaquam dubitandum est, quin anima illa vera charitate ardeat quæ in divinorum præceptorum adimplelione exactam se exhibet. Dixit enim ipse Dominus noster : *Manete in dilectione mea.* Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, sicut et ego præcepta Patris mei servavi et maneo in ejus dilectione.

Richardus de S. Victore de gradibus charitatis scribens, alium quendam divini amoris effectum nobis insinuat, dum ait : « Fortis ut mors dilectio, « dura sicut infernus æmulatio, quia pati cogit « omnia, sed volentes, libentesque. » Celebre est illud Origenis de S. Maria Magdalena corpus Christi rapere satagente elogium : *Si tu sustulisti eum*, inquit præfata ardentissime amans peccatrix, *dicito mihi ubi posuisti et ego eum tollam.* Quæril igitur Origenes : Quid si corpus dilecti tui in atrium Pontificis, in quo Petrus timore consternatus Magistrum suum negavit, depositum esset, tunc illud ingredi velles? Aut vero si ab armata militum custodia servaretur, tunc per medios illorum enses et lanceas penetrare auderes? O ineffabilis hujus mulieris amor! Nullum locum excipit, nullum anteponit, quia qui vere amat, neutiquam timet, nam *perfecta charitas foras mittit timorem*; aliud quam pro objecto amato pati et affligi non desiderat. Est et aliud amoris perfecti evidens signum, nimirum dum quis Deum sine ullo interesse, aut spe remunerationis diligit, solum ideo quia ex semelipso amari meretur. Optime in hanc rem S. Chrysostomus hisce verbis scribit : « Amator enim vel millies « pro amica moreretur, quamvis post mortem « nihil ab ea expectaret; ita et nos oportet, non « propter regnum, nec propter aliud, sed propter « Deum omnia pati. »

Verum enim vero præ cunctis manifestissimum amoris indicium est amor proximi. « In dilectione « Dei includitur dilectio proximi, » ait S. Thomas, addoritque auctoritatem illam S. Joannis, I *Epis.*, IV, 21, dicentis : *Hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat et fratrem suum.* Simili quoque modo Hugo Cardinalis scribit, dum ait : « Dilectio Dei in dilectione proximi continetur, quia « non diligimus proximum, nisi propter Deum. » Quod etiam confirmat per illam S. Gregorii Magni sententiam dicentis : « Amor Dei generat dilectio- « nem proximi, et in dilectione proximi, amor Dei « calefacit. »

f. — Sanctæ mulieres observaverunt locum sepulturæ, ut ad sepulchrum redirent, Jesumque unguento perfunderent pretioso; unguentique composito redierunt, sed non eadem die qua Dominus est sepultus, id est feria sexta sub vesperum, quia non suppetebat tempus illa die faciendi quod optabant. *Sabbato quidem*, ut ait S. Lucas, *siluerunt secundum mandatum*; id est, quieverunt, cessaverunt ab opere, ac negotiatione, quia diei festivitas id poscebat; Jerosolymis enim dabatur signum e templo incipientis et finientis sabbati, ut omnia rite, ac suo tempore tractarentur. Sabbato vero transacto, sequenti die in sepulchrum aromata portantes pergunt. O præclarum documentum! Pro illo tempore, observatio sabbati erat ex præcepto, ungere vero corpus opus devotionis; et sanctæ mulieres præceptum ab devotionis opus non violant. Ex quo colligere licet quantum peccatum dies festos profanando committatur. S. Bernardinus tam enormis peccati malitiam exaggeraturus, hunc in modum loquitur : « Quam execrabile sit talibus diebus va- « care lascivis cantibus et choreis, ubi visu, auditu, « gustu, tactu, mentes astantium illaqueantur et « contaminantur, quis exprimere potest? Non enim « deliciis et epulis carnalibus diem Dominicam de- « putavit Deus, sed magis ipsum sacris exercitatio- « nibus et sancto otio consecravit. Benedixit enim « Deus diei septimo et sanctificavit illum. » Enimvero ad luculentius exprimendam injuriam, quam Deo irrogatis, qui illum in die divino suo cultui destinato, qualis est dies festivus, offendit, sequens similitudo apte deservire poterit. Si enim amicus aliquis, septem duntaxat scuta habens, sex illorum tibi donaret, uno solum sibi in usum proprium reservato, numquid ingratissimus, imo abominabilis latro esses, si unicum illud scutum ei furtive eriperes? Nonne donator, juxta leges justissime faceret, si donationem sex scutorum antea factam revocaret? Deus nobis sex septimanæ dies in servitium et commodum nostrum donavit, unico tantum sibi reservato, ut illum in ejus honorem impenderemus; qua igitur ratione tam ingrati esse poterimus, ut et hunc profanare et in satisfactionem nostram, idque, quod crimen plus aggravat, in ejus injuriam et offensam consumere non verecundemur?

A supremo Legislatore Deo, multæ promulgatæ sunt leges, tum in commune reipublicæ beneficium, tum in privatam particularium et proximorum nostrorum utilitatem; at vero præceptum sanctificandi dies festos, in ejus cultum et honorem immediate tendit; ideoque de iis qui illud prævaricantur, vere dici potest : *Dissipaverunt legem tuam*; tales enim Deum ipsum directe et immediate vilipendunt et contumelia afficiunt. Unde S. Mater Ecclesia hanc observantiam magna cum sollicitudine urget. Quare et S. Carolus Borromæus ait : « Sacrosancta Tridentina synodus, cum statuit « fideles religioso festorum cultu abuti non debere « ad commessationes, ad luxum et lasciviam; tum « Pastores omnes vehementer in Domino obtestata, « debitam sanctamque eorumdem observantiam « pastorali diligentia magnopere commendavit. » Et post citatum decretum XXV *de invocatione Sanctorum*, subjungit sequentia : Fideles nefariis istis Satanæ blandiliis illectos, a divinis officiis, religiosis supplicationibus, lectionibusque sacris abduci, avertique rudes a percipiendis fidei rudimentis, aliosque ab aliis christianæ pietatis officiis, in quæ eo tempore religiose incumbendum est, abstrahi et amoveri. Hoc certe gravissimum est in conspectu Dei et Ecclesia.

g. — *Maria Magdalene, Maria Jacobi et Salome emerunt aromata ut ungerent Jesum.* « Non ad un- « gendum tantum aliquam corporis partem, verbi « gratia, pedes aut caput, » ait S. Bernardus, *Serm.* XII *in Cant.*, « sed *ut venientes ungerent Je-* « *sum*, quod est totius complexio. Tu quoque si te « induas viscera misericordiæ, liberalem, be- « nignumque exhibeas ad omnes. » Non solum pedes et caput Christi sed etiam totum corpus ungere parat Magdalena, ut in corpore ejus mystico similiter tu te habeas. Eleemosyna enim eroganda est sine termino ac discrimine in omnes, sive hos, sive illos, sive amicos, sivo extraneos. Deus enim in persona pauperis accipit eleemosynam, ac proinde non est examinandus pauper an mereatur; quin potius prævenienda et prævidenda est ejus necessitas, ut ejus in postulando verecundiæ consulatur. S. Petrus Chrysologus, *Serm.* XL, super *Psal.* XL, 2 : *Beatus qui intelligit super egenum et pauperem*, interrogat dicens : « Et quo est intelligentia ubi est « professa paupertas? Vis est intelligentiæ, si rime- « tur viscera, si reprehendat occulta, si tecta nu- « det; verum subjecta oculis et exposita in publico, « ingesta rebus non est intelligere sed videre : « nuditate algidus, tabidus fame, siti aridus, lassi- « tudine tremens, defectu turidus, quod egenus sit « intelligere, quis labor? Et si labor intelligentiæ « nullius est, unde est intelligentiæ fructus? » Tandem vero discursum suum in Christum convertens qui teste Evangelio, in pluribus locis se in paupere agnitum esse velle declarat, hunc illum esse dicit, qui seriam a nobis considerationem meretur et exposcit : « Oremus, » inquit, « fratres, « ut ipse nobis intelligere intelligenda concedat, « qui se intelligi in paupere, sic demonstrat; ut « ipse qui cœlum tegit, sit nudus in paupere, quod « in esuriente esuriat saturitas rerum, quod sitiat « in sitiente fons fontium; intelligere quomodo « non magnum est, quomodo non beatum, quod « ei sit ampla paupertas cui angustum est cœlum; « qui ditat mundum, quod egeat in egente; quod « frustum panis, aquæ calicem, dator omnium « quærat; quod se Deus amore pauperis sic de- « ponat, ut non adsit pauperi, sed ipse sit pau- « per. » Atque hinc est, quod nequaquam examinandum est meritum vel demeritum mendicantis, quia Christus est qui recipit pro illo, ipseque datum in rationes suas reponit.

Versus 2.

Et valde mane una sabbatorum, veniunt ad monumentum, orto jam sole.

Additiones.

a. — *Et valde mane*, etc. Quæstio hic oritur cur hæ tres mulieres præ cæteris tam cito veniunt ad monumentum? Et ratio est : Ex omnibus quæ Jesum sequebantur, hæ tres solæ veniunt ad sepulchrum, utpote maxime gratæ, beneficiis acceptis a Jesu. Nam Maria Magdalena a septem dæmoniis liberata, magnisque gratiis donata fuit. Maria Jacobi maxime erat propinqua Jesu sicuti et Maria Salome, quarum quoque filios ad apostolatum assumpserat. Cum ergo hæ tres fœminæ maxima recepissent beneficia, hinc etiam præ cæteris majorem habent gratitudinis obligationem. Gratiarum enim actio acceptissimum Deo est sacrificium. Sanctissimus David se a divina magnificentia innumeris videns accumulatum beneficiis, quia scilicet ab ovium custodia ad populorum regimen sublimatus fuerat, atque a crudelissima Saulis persecutione præservatus, multisque fortunatus victoriis, inter omnes quibus abundabat, thesauros, nullam penitus victimam tantis beneficiis pro gratitudine dignam reperire poterat, unde die quodam dicebat : *Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi?* Præmissa vero circa pretiosam et acceptabilem oblationem faciendam deliberatione, tandem conclusit dicens : *Tibi sacrificabo hostiam laudis et nomen Domini invocabo.* « Hoc « est, » ut D. Chrysostomus declarat, « gratias « agam, laudabo et nomen Domini invocabo. Vides « quomodo est sacrificium laudis? *Vota mea Domino* « *reddam in conspectu omnis populi ejus, in atriis* « *domus Domini, in medio tui Jerusalem.* » Et quidem ut idem D. Chrysostomus ponderat : « Hoc « faciebat, non ut se ostentaret, nec ut gloriam « captaret, sed omnes ad suam invitans imitatio- « nem et volens eos habere socios gratiarum « actionis. » S. Paulus, I *Cor.*, XIII, 3, scribit : *Si*

distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil sum. Eodem quoque modo, in casu nostro dicere possumus : Si obtuleris Deo omne id quod habes et tamen eum per hoc gratiarum sacrificium honorare neglexeris, nihil illi dederis, quod in comparatione hujus æstimari possit, quia nullum gratiarum actioni par bonum. S. Bernardus, in quodam sermone de pessimo ingratitudinis vitio, circa finem, ita scribit : « Nec verbo tantum, vel lingua, sed opere « et veritate exhibeamus nos gratos ei qui gratia- « rum actionem magis quam dilectionem, a nobis « exigit dator gratiarum Dominus noster. » Verum quidem est, amoris actibus præ cunctis aliis primatum deberi, et tamen hic sanctus adeo excellens et famosus, hoc gratiarum sacrificium Deo longe acceptius esse dicit, quia sine dubio holocaustum quoddam est perfectissimum, in Dei honorem per ignem charitatis concrematum.

b. — *Et valde mane venient ad monumentum.* Quid? annon periculosus nimium erat hic exitus? Annon multis suspicionibus et injuriis subjectus? Exierunt tamen et mane exierunt, scientes sequacium Christi et virtutis proprium esse, scopos esse injuriarum et irrisionum hominum improborum. Filii Israel Ægyptiorum mancipia, laboribus et sudoribus suis magnum regno illi afferebant emolumentum; a seditionibus et armis penitus abstinebant, ita ut nulli formidabiles essent; nihilominus Chronologista sacer attestatur : *Oderant filios Israel Ægyptii et affligebant, illudentes eis.* Ubi Abulensis ait : « Gravior ac cæteris intolerabilior labor erat, « magna illusio, ac insultatio Ægyptiorum. » Israelitæ virtutum figurabant sequaces, qui ex industria servitio se dedunt divino. Tales itaque non modo Ægyptiorum, id est, mundanorum malevolentiam, sed et ludibria et derisiones eorumdem contra se provocant : *Affligunt illudentes.* Ideoque S. Prosper ait : « Omnes qui in Christo volunt pie vivere, « necesse est, ut ab impiis et dissimilibus patiantur « opprobria, et despiciantur tanquam stulti et in- « sani, qui præsentia bona perdant et invisibilia « sibi ac futura promittant. Sed hæc despectio et « hæc irrisio, in ipsos retorquebitur, cum et abun- « dantia eorum in egestatem, et superbia transierit « in confusionem. » Apostoli tanquam primi Christi discipuli et sequaces, indigitandi, ludibriisque exponendi erant, *tanquam purgamenta hujus mundi, facti omnium perispemei*, sed benignissimus Salvator suos animare volens ad pugnam, prælium iis prædixit, inquiens : *Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret, quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea vos odit mundus.* Ecce vobis rationem cur boni ab impiis irrideantur. « Vide quales elegerit Deus, » inquit Oleaster, « quos scilicet omnes fastidiunt et a qui- « bus omnes abhorrent, quos mundus rejicit; » ita ut quis se fornicariis, histrionibus et similibus associans non irrideatur; ubi vero vitam aggredi meditatur spiritualem, mox omnes a se aversos mirantur socios et ab iisdem illudi et declinari. *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem*, ait Apostolus. At quia difficultatem penetrabat quam ex gentilitate ad Christum conversi experiebantur in fortiter sufferendis illusionibus, injuriis et contumeliis inimicorum fidei, ideo illos ad contemplandum pendentem in patibulo, tamque gravibus oneratum improperiis Dei Filium invitat dicens, *Heb.*, XII, 2 : *Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta; recogitate enim eum qui talem sustinuit a peccatoribus adversum semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini animis vestris deficientes, nondum enim usque ad sanguinem restitistis.*

Cum igitur Christiani character proprius sit improperiorum esse metam, nec non injuriis contumeliisque subjici, consequens est, propriam quoque ejusdem virtutem esse, non indignari ad illas, sed potius cum mansuetudine et benignitate eas supportare. Quemadmodum S. Bonaventura, S. Augustini actoritate usus, cæci illuminati a Domino et e synagoga ejecti, exemplo probat, dicens : « Illi « pellunt, exigit Dominus, magis enim quia pulsus « est, Christianus factus est. » Quanto majoribus namque appetiti injuriis amore Dei solidi persistimus, tanto magis veros nos perhibemus Christianos, quemadmodum Apostoli qui omnibus fidelibus tanquam norma actionum servire debeant ad improperia et insultus nequaquam indignabantur, quin potius jubilabant, dicente S. Luca : *Illi quidem ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumelium pati.*

c. — S. Bernardus miratur, in Allegoriis Novi Testamenti, quod sancti Evangelistæ ita enucleate Christi Domini Passionem et resurrectionem enarrent. « Quid est, » ait, « quod omnes Evangelistæ, « licet eis et quædam non omnibus sint communia, « passionem Domini et resurrectionem diligentius « persequantur, ut non sit aliud legisse quæ scrip- « serant quam quæ facta vidisse? Ni fallor hoc ideo « fuit, quia hæc erant, quæ nunus oportuit igno- « rari, quod sine passione Domini nemo habeat « unde speret. » Gravem in via sanctæ mulieres patiuntur difficultatem et tentationem, quæ morum itineris facere potuisset, scilicet grandis ille lapis super sepulchrum, quam tamen vincunt, cum oculos ad passi Domini sepulchrum conjiciunt : *Et respicientes viderunt revolutum lapidem*; digitoque ostendunt hoc modo et erudiunt passionem Domini efficax esse remedium adversus diabolicas tentationes. S. Antoninus revocans nobis in memoriam figuram illius passionis, nempe serpentem æneum deserti ait : « Figura, quando ad aspectum serpentis

« æenei in palo erecti homines aspicientes sanaban- « tur a morsibus serpentum, id est, dæmonum; « præservantur ne occidantur homines, aspiciendo « ad Crucifixum mente figuratum in serpente æneo. « *Num.*, XXI. » In probationem hujus consideranda sunt verba illa Apostoli ad Colossenses, II, 15, scripta : *Delens quod adversum nos erat chirographum, affigens illud cruci*; quo fructu? *Expolians principatus et potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso.* Quamvis serpens infernalis, post ejectionem e codo, venenum suum in bonos evomere semper conatus fuerit, in primo tamen sæculo nascentis Ecclesiæ longe majorem impendit industriam ac laborem, ut Christianos toxico suo inficeret. Quapropter S. Petrus suis exhortationibus et epistolis aliquod antidotum nos docere voluit, cum ait, I *Epis.*, IV, 1 : *Christo passo in carne, et vos eadem cogitatione armamini.* Ubi observandum Apostolum non dicere : *eadem cruce*; sed *cogitatione*, quia notat Hugo Cardinalis : « Sola « memoria et cogitatio passionis et crucis Christi, « maxima est fortitudo et arma contra dæmonis « potentiam. »

d. — Nullo prorsus modo mirandum, quod piissimus Salvator summo mane his mulieribus apparuerit, Apostolis vero apparere distulerit usque in vesperam. Cum enim ferventissimæ fuerint in charitate, voluit Christus Dominus ostendere quantam de amore nostro erga se æstimationem haberet, et hæc æstimatio nos ad illum sine limite amandem obligat, maxime cum totum amoris lucrum nostrum sit et per illum omni debito nostro satisfaciamus. S. Thomas de Villanova eximium illum et specialissimum considerat honorem quem creatura vilis et indignus ille terræ vermiculus ex eo accipit, quod Deus infinitæ majestatis eamdem ad se amandum invitare dignatus fuerit : « Multum dignificas me « dum sic amari vis a me. » Quod si summus Pontifex Prælatum aliquem ad suam invitaret amicitiam et familiaritatem, quantum is se honoratum esse censeret, maxime si Pontifex insuper in affectus, quo ipsum prosecuturus esset remunerationem eidem sublimissimas promitteret dignitates? At vero longe major honor est quem homo a Deo illo recipit : *Quem adorant dominationes*, in cujus quoque semore scriptum legitur : *Rex Regum et Dominus dominantium.* Dum enim hic nos ad se amandum exstimulat, gratiæ et gloriæ suæ nos intendit facere participes. Neque ex eo quod hunc sui amorem nobis per formale præceptum imposuit, amoris illius æstimatio vel pretium vel minimum diminuitur. Per hoc enim quod Deus homini ut ipsum amaret præceptive imposuerit, eumdemque ad amorem hunc per æternæ beatitudinis remunerationem, pœnamque infernalem amorem hunc negligenti statutam, obligarit, manifeste indicat, quod hunc hominis erga se conceptum amorem permagni æstimet, eumque ipsum præcepto ad amandum exstimulet, obligatus quoque sit ut omnia illi ad hujus præcepti adimpletionem necessaria auxilia subministret.

e. — S. Chrysologus more suo subtilem dat rationem, cur mulieres primæ sint quæ vadant ad monumentum, dum ait ut supra dictum est, *Serm.* XCIX : « Non est ergo mirum si ad lacrymas, ad « funus, ad sepulchrum, ad obsequium dominici « corporis fœminæ ardentiores Apostolis sic videan- « tur, ubi mulier prima currit ad lacrymas, quæ « prima cucurrit ad lapsum. » Vult hic S. Petrus docere quod quanto quis pronior fuit ad lapsum, tanto quoque magis accelerare debet pœnitentiam, quia raritas confessionis peccatum inveterat in anima. Rationem cur Deus Salomoni divisionem regni minabundus intentavit, tertius in hæc verba exprimit liber Regum, XI, 11 : *Dixit itaque Dominus Salomoni, quia habuisti hoc apud te et non custodisti pactum meum, dirumpens scindam regnum tuum et dabo illud servo tuo.* Quem Davidis latet adulterium, homicidium et superba populi numeratio? Cur itaque non eidem, cui filius subjacuit pœnæ et ille? Rupertus Abbas hanc Salomoni factam discutiens reprehensionem, ita discurrit : « *Quia « habuisti hoc apud te* : Cui sic dicitur, palam est, « quod peccatum suum necdum confiteatur; nam « apud se habet, cui quod fecit non displicet; « cæterum cui displicet, non apud se sed contra se « habere dicendus est; non enim abscondit sed « annuntiat; non defendit sed accusat. »

Divina justitia impius quibusdam per Jeremiam graves aliquas intentavit pœnas, quas et executioni demandavit ob eorum contumaciam : *Idcirco percussit eos leo de sylva, lupus ad vesperam vastavit eos, quia multiplicatæ sunt prævaricationes eorum, confortatæ sunt aversiones eorum.* Multi equidem a confessione abhorrent in vita, plurima interim peccatis accumulantes peccata, qui in vitæ tandem epilogo, lupis et leonibus infernalibus in prædam cedunt ; *Lupus ad vesperam vastavit eos.* Si enim contingat hujusmodi quandoque confessarium petere, justo Dei judicio, aut prompte deficiunt Sacerdotes, aut serius accedunt, aut certe confessio instituitur invalida. « *Inveteraverunt ossa mea*; id « est, » inquit Dionysius Carthusianus, « vetustate « pravæ consuetudinis et diuturnitate peccati con- « sumptæ sunt virtutes animæ meæ; peccata enim « non confessa, neque contrita, charitatem et gra- « tiam, omnesque virtutes mortificant et expel- « lunt. » Peccatum non modo gratia atque amicitia Dei exuit animam, ast dum admittitur, neque per confessionem expiatur, inveterascit et cancris instar viscera corrodit conscientiæ, ita ut de die in diem magis magisque aversio crescat ac pœnitentiæ horror. Difficilem reputabant fratris Lazari resuscitationem Maria et Martha, non nescientes miracu-

lum circa filium viduæ, et filiam archisynagogi a Christo faciliter perpetratum; ast ecce adductam ab eis rationem : *Quatriduanus est, jam fœtet.* Lazarus iste animam denotabat peccato inveteratam.

f. — *Et valde mane veniunt ad monumentum.* Quid? An non periculosus nimium erat hic exitus? An non multis suspicionibus subjectus? An non securior fuisset sexui vestro conveniens solitudo? Exierunt tamen et mane exierunt, et quidem absque periculo, quia verecundia armatæ erant, humilitas quoque necnon sensuum comitabatur custodia. Muliebri enim sexui, maxime virginitati et continentiæ conservandæ conveniunt dictæ virtutes.

g. — Miranda sane harum mulierum fortitudo; has enim nec terrent tenebræ, nec militum vigilantium statio repellit, nec mortui cadaveris contactus; omnes enim molestias et labores amor facilitat, sicut dicit Augustinus : « Ama et fac quod vis. » Sic quoque præceptorum observantia amore, qui omnia quantumvis aspera facilitat, suavis efficitur. S. Augustinus sæpius citata illa S. Joannis verba : *Mandata ejus gravia non sunt*, declarans, rationem quamdam assignat, cur jugum hoc facili negotio sustineatur. « Quomodo est grave, » inquit, « cum « sit dilectionis mandatum? » Idiota in capite primo libri quem de amore Dei composuit, ita scribit : « Inclinat amor amantem, neque in hoc laborat, « amor difficultatem non novit. » Amor lascivus, quantumvis duram ei qui illum sectatur, legem præscribat, hæc tamen ei semper suavis esse videtur; quanto igitur majorem vim in pectore Christiani obtinebit amor divinus? Chrysologus ait : « Fortem faciat vis amoris, quia nil durum, nil « amarum, nil grave, nil lethale computat amor « verus. Quid ferrum? Quæ vulnera? Quæ pœna? « Quæ mortes amorem prævalent superare perfec- « tum? » S. Augustinus veritatem hanc per pulchram quamdam a venatore deductam similitudinem deducit : hic enim magnam in corporis sui laboribus, sudoribus et defatigationibus recreationem positam habet, tum ob spem, qua præda inhiat, tum ob nimium, quo in venationem fertur affectum : « Nullo modo sunt onerosi labores aman- « tium, sed et ipsi delectant, sicut aucupantium, « venantium, piscantium. » Unde hanc deducit consequentiam : « Interest ergo quid ametur, nam in « eo quod amatur, aut non laboratur, aut et labor « amatur... Vide quam pudendum sit, si delectat « labor, ut fera capiatur et non delectet ut Deus « acquiratur. »

Versus 3.

Et dicebant ad invicem : Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti?

Additiones.

a. — Hic S. Matthæus addit : *Et ecce terræ motus factus est magnus. Angelus enim Domini descendit de cœlo, et accedens revolvit lapidem, et sedebat super eum. Erat autem aspectus ejus sicut fulgur et vestimenta ejus sicut nix. Præ timore autem ejus exterriti sunt custodes et facti sunt velut mortui.* Eleganter S. Chrysostomus, *in Psal.* II, ait : « Sepul- « chrum, accepto corpore, territum quod Patris « thesaurum accepisset, depositum cum tremore « reddit. » Cum terra susceptura sit corpus Christi, cum tremore reddit, suo namque tremore magnam reverentiam exhibet corpori Christi, cum ipsum accipit; ex quo discendum est homini Christiano, cum quanta reverentia sit suscipiendum hoc corpus in sacratissimo Eucharistiæ sacramento, cum sacramenti fructus nostræ quoque correspondeat dispositioni. Celebris est classicorum Auctorum opinio, quod licet manna haud secus, ac alii cibi, specialem quemdam saporem in se habuerit, attamen eumdem saporem, juxta beneplacitum et voluntatem eorum qui inde cibabantur, variarit, dummodo iidem in gratia Dei constituti et Filii Dei essent. Et hinc est, quod Moyses de hoc angelico pane loquens, quisnam ejus specialis sapor ex natura fuerit, his verbis expresserit, *Exod.*, XVI, 31 : *Gustus ejus, quasi similæ cum melle*; Sapiens autem de ejusdem manna arbitrario sapore aperte dicat, *Sap.*, XVI, 21 : *Substantia tua dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebat et deserviens uniuscujusque voluntati, ad quod quisque volebat, convertebatur.* Unde Seraphicus Doctor ait : « Habebat unum saporem determina- « tum per naturam, sed varias per divinam gra- « tiam. » Dionysius Carthusianus hunc sapientiæ textum commentans, pariter inquit : « Quod dicitur « hic habuisse omne delectamentum et omnis sapo- « ris suavitatem, non erat naturale, neque et natura « et vi mannæ, sed divina virtute, quemadmodum « etiam ipsum manna in se dulce, videbatur iniquis « insipidum, qui dixerunt : *Anima nostra nauseat « super cibo isto levissimo.* Justis vero et Deo gratis « sapiebat, quasi omnium habens saporum suavita- « tem. Hæc autem omnia in figura contingebant. » Cum enim hæc annona de cœlo delapsa Eucharistiæ symbolum fuerit, Deus nobis per illam insinuare voluit omnes sapores, fructus et bona infinita, quæ ex hac in nos redundant, radicem et augmentum suum, magna ex parte habere repositum, in pietate, devotione et bonitate illorum, qui inde reficiuntur, siquidem illi qui Dei amicitia et filiatione minime gaudent, non solum nihil inde proficiunt, verum etiam magnam illius habent nauseam. S. Bonaventura, super eumdem Sapientiæ textum, inquit : « Per manna significabatur congrue Chris- « tus sub Sacramento altaris. Comedentes ex eo « pro suo desiderio, id est, devotione, reficiuntur, « secundum illud : *Desiderium animæ ejus tribuisti « ei.* Item : *Desiderium eorum attulit eis; non sunt « fraudati a desiderio suo.* » Ad hanc quoque veritatem antiphona illa alludit quæ in primis vesperis solemnitatis sacratissimi corporis Christi ad *Magnificat* canitur, in qua S. Mater Ecclesia non sine mysterio ita canit : « Ut dulcedinem tuam in filios « demonstrares, pane suavissimo de cœlo præstito, « esurientes reples bonis, fastidiosos divites dimit- « tens inanes. »

b. — *Angelus enim Domini descendit de cœlo.* Angelum hunc fuisse Gabrielem, qui fortitudinis Dei est administer, communis Doctorum est sententia. Varia enim variorum Angelorum sunt officia et munia. S. Laurentius Justinianus, postquam novem Angelorum choros singillatim enumeravisset, varia quoque distinguit eorumdem officia, quæ supremæ Divinitati jugiter exhibent. « In primis, « Deus amat ut charitas; in secundis noscit ut « veritas; in tertiis sedet ut æquitas; in domina- « tionibus dominatur ut majestas; in sequentibus « regit ut Princeps; in potestatibus tuetur ut salus; « in virtutibus operatur ut virtus; in archangelis « revelat ut lux; et in angelis mittit ut spirans. » Nec desunt qui aliter in omnibus novem choris subsidia et auxilia particularia notant, quæ nobis ab unoquoque illorum in magnam utilitatem nostram subministrantur. Angelorum enim officium est ut nos custodiant; archangelorum, ut in divina lege mysteriisque cœlestibus nos erudiant; principatum, ut vitam nostram gubernent et recte ordinent; potestatum, ut rebellium spirituum insultus a nobis propellant; virtutum, ut ad virtuose operandum nos exstimulent; dominationum, ut ad inordinatas passiones nostras superandas vires sufficientes nobis subministrent; thronorum, ut nos in bono cœpto stabiliant, nobisque in eo perseverantiam ad finem usque concedant; cherubinorum, ut mentem et intellectum in divina sapientia illuminent; seraphinorum, ut corda nostra divino amore accendant, adeo ut merito, non solum de duabus, sed de omnibus tribus hierarchiis et novem choris dicere liceat, cum S. Cypriano, quod vere sint « salutis nostræ ministrales. »

c. — Angelus descendit absque dubio jussu Dei, et velociter descendit ad ministerium Dei et hominis Jesu Christi. Non aliter veloces sunt in exequendis jussis Dei ad nostram utilitatem cedentibus.

d. — Sedebat Angelus super lapidem, ad hoc ut qui veluti sustinuit lapidis pondus in eo amovendo, habeat et in eo requiem sedendo. Juxta enim tribulationum pro Deo toleratarum mensuram consolationum spiritualium crescit abundantia. Legitur *Psal.* XCIII, 19 : *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* Magnam utique nulli non animæ, quascumque in divino servitio occursantes molestias, difficultates et labores avidissime devoranti, consolationem necessario affert hæc præsens Psalmistæ attestatio.

Item *sedebat super eum*, ut mulieres cum aromatibus advenientes benigne exciperet et contra custodes tueretur. Angeli enim ut in prosperitate innocenter vivamus nos adjuvant, nosque a multis periculis spiritualibus et corporalibus eripiunt. Dicit Psalmista, *Psal.* XC, 11 : *Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.*

Item, sedebat super eum, ut resurrectionis glorias fixas et permanentes indicaret, gaudia enim quæ post resurrectionem nobis elargietur Deus præmii loco, stabilia sunt, quippe quæ nunquam deficient.

Versus 4.

Et respicientes viderunt revolutum lapidem. Erat quippe magnus valde.

Additio.

a. — Quis hunc lapidem removerit et quomodo id factum sit, exponit Evangelista Matthæus, *cap.* XXVIII : *Ecce terræ motus factus est magnus*, etc. Hic terræ motus non fuit ex solito more factus, sed magnus et ingens, ut dicat D. Hieronymus, *Epis. ad Hedib.*, quod fuerit tam magnus, ut cuncta conculcaret et eversionem terræ fundibus minaretur. O si tunc vel levis turbo arborem mortiferam dejecisset! O si nebulæ fumus mulieris illius tenebrasset aspectum! O si tetra nubes lethalis pomi speciem caligasset! O si peccati diem tenebrasset nos injusta et lamenta mundi, et incrementa mortis et Creatoris injuriam tunc tulisset! Sed vitiis semper serviunt blandimenta, lenocinantur dulcia delictis; virtutibus vero austera et fortia sunt amica. Ut homo enim caderet a felici statu, serpens invitat, Paradisus allicit, pomum lenocinatur. Ut vero homo redivivus resurgat a sepulcro, magnus fit terræ motus, multæque difficultates insurgunt. Ita mala consuetudo ad resurgendum difficultates parit. S. Thomas de Villanova, de resurrectione Lazari loquens in hæc verba procumpit : « Miracula Christi « non solum miracula sunt, sed mysteria. Latet in « hac Lazari suscitatione spiritualis suscitatio peccatoris. Lazarus namque quatriduanus, fœtidus « et sepultus, peccatoris typum gerit, non cujus- « cumque sed obstinati, indurati, corrupti; in quo « ratio, mens, sensus, synderesis, vitio sepulta « sunt. » In hac igitur resuscitatione incarnata Sapientia, quæ in omnibus actionibus suis doctrinæ magisterium nobis præbere dignata est, manifestare voluit difficultates insuperabiles, quæ in peccatore habituato in statum salutis reducendo, occurrere solent, simulque insinuare voluit media quæ ad hunc finem consequendum apta esse noscuntur. *Vide Feria* VI *post Dom.* IV *Quadr. Evangelium de Lazari resuscitatione.*

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEÓN

Observatisne qualiter cadaver mortui Lazari in sepulcro pluribus institis et ligaculis vinctum fuerit, ut proinde Christus discipulis dixerit : *Solvite eum?* Cur autem id fecerunt? Num forte timebant ne mortuus ex obscuri carceris illius spelunca egrederetur? *Omnia in figura contingebant illis.* « Heu « miseram peccati servitutem! » exclamat ad hoc propositum Villanovanus, « quam qui semel incur- « rit, catenis durissimis et infrangibilibus irretitur. « Residet iniquitas super talentum plumbi, ut ait « Propheta, et deprimentem peccatorum molem « nulla potest virtus humana repellere. » S. Bernardus ait : « Voluptas habita libenter repetitur; « repetita blanditur; consuetudo ligat; ratio con- « sopitur. » Seraphicus Doctor de hac materia disserens inquit : « Sagenæ diaboli consuetudo « peccandi; sicut enim sagena ex multis nexibus, « sic consuetudo ex multis malis actibus perfi- « citur. » Audietis velim quibus nonnullis S. Bernardinus reliis hujus nodos, seu potius hujus catenæ annulos nuncupet; ita enim scribit : « Per septem « tyrannides præcipitat peccatum habitatum ani- « mam in infernum. Consuetudo enim mala, *primo*, « peccata graviora facit; *secundo*, minuit naturalia « bona; *tertio*, reddit promptum ad mala; *quarto*, « præcipitat in peccata; *quinto*, peccare cogit; *sexto*, « in ultimam desperationem inducit; *septimo*, in « æternum damnat. »

VERSUS 5.

Et introeuntes in monumentum, viderunt juvenem sedentem in dextris, coopertum stola candida, et obstupuerunt.

Additiones.

a. — *Et introeuntes*, etc. Resurgente Domino, terreni illius Adami genus e mundo eliminatur, et cœlestium hominum regenerantur examina. Qui ab utero matris pulverulenti nascebamur et mortales, veteris patriæ referentes imaginem, a sepulchro redivivi, cœlestem et immarcescibilem juventutem auspicamur. Cur non obstupuissent fœminæ? Vident sepulchrum parturire juvenem splendidum, prima nivali stola decoratum; et, merito stupent, et verecundantur, quod fœminæ juxta veteris seminis senescentis Adami prolem pariant. Pulchre D. Augustinus, *Serm.* CXXXIII *de Temp.*, nativitatem a sepulchro cum nativitate ab utero matris comparans, sic inquit : « Gloriosior est ista, quam illa « nativitas. Illa enim corpus mortale genuit, hæc « edidit immortale. Post illam nativitatem ad infe- « ros descenditur, post hanc remeatur ad cœlos. » Mors et sepulchrum absumit pulverem miseræ humanæ, parit requiem dum homines finitis hisce calamitatibus, in vitam emittit immortalem; ac propteres mortem minime timere deberemus. « Mors nihil aliud est, » ait eruditissimus Idiota *in lib. de contemplatione mortis*, « quam carceris finis, « et laboris consummatio, ad portum applicatio, « peregrinationis adimpletio, oneris gravissimi « depositio, de equo furioso descensio, de domo « ruinosa liberatio, omnium ægritudinum termina- « tio, omnium periculorum evasio, omnium malo- « rum consumptio et diruptio. » Ac proinde merito S. Hieronymus morti vicinus, ad eos qui eum deplorabant se convertens, ait : « Me tum tanquam mo- « rientem lugeatis, sed mecum tanquam portum « salutis attingente gaudeatis. Quid imbecillius « miseria hujus vitæ, quo tot dolorum et passio- « num agminibus circumdamur? » S. Bernardus, *Serm.* LXX *de modo bene vivendi*, nos ut mortem potius desideremus, quam exhorrescamus, admonet, quando S. Isidori auctoritatem in hoc adducit verba : « O mors, quam dulcis es miseris, quam « jucunda es tristibus atque lugentibus. Mors ponit « finem omnibus malis in hac vita, adimit omnem « calamitatem. » Unde et S. Augustinus sequentem ad idem propositum tradit doctrinam, inquiens : « Mors etiam piorum pœna peccati est, sed ideo « bona ipsis dicitur quia illa bene utuntur, quibus « finis est ad mala temporalia et transitus ad vitam « æternam. »

b. — Ad præsentiam Angeli, terra insolito motu concutitur et prægrandem sepulchri lapidem Angelus revolvit et super eumdem sedit, ut ait Matthæus. Forte Angelus e longo itinere, a cœlo in terram usque fatigatus, requiescit? Seu in gravi terræ mole concutiendu, nimis laboravit? Sive in ponderoso sepulchrali saxo removendo virium robore validius impenso valde æstuavit? Et ideo fatigatus sedet et sessione tantisper requiescit? Pulchre hoc pertractat S. Chrysologus, *Serm.* LXXIV et LXXV : « Et An- « gelo, » ait, « quæ causa sedendi erat cui nulla « inerat lassitudo? Sedebat ad docendam resurrec- « tionem, non ad lassitudinem subievandam. Cœ- « lestis natura ignorat lassitudinem, nescit laborem. « Sed fidelis est lapis, vas angelicæ sessionis, doc- « trinæ cœlestis cathedra. » Ex qua homines doceat, gloriosam Christi resurrectionem, passionis labores secutam; hasce amarissimas passiones, hanc gloriosam resurrectionem veluti produxisse. Tribulatio enim pignus est et arrha electionis ad gloriam. Innumerabilem electarum animarum catervam, *Apoc.*, cap. VII, descriptam reperimus, quæ cum Agnum cœlestem sequeretur in empyreo, audita est vox unius de senioribus interrogati : *Hi qui amicti sunt stolis albis, qui sunt et unde venerunt? Et dixit mihi : Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, et laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine Agni. Ideo sunt ante thronum Dei et serviunt ei die ac nocte in templo ejus.* Tribulatio sumit suam denominationem ab instrumento quodam, quod adhibetur frumento et dicitur *tribula*; hac concuti-

tur, et perentitur granum frumenti, ut separetur a paleis; eumdem tribulatio sortitur effectum, ut nimirum electos discernat a reprobis : « Frumen- « tum es, quod times tribulum? » Quærit S. Augustinus : « Non apparebis qualis antea eras in spica, « nisi tribula conterendo a te separaverit paleas. » Tribulatio ergo distinguit frumentum a paleis, illud selegit pro cœlesti granario : *Triticum autem congregate in horreum meum.* Fideles autem nascentis Ecclesiæ monuit S. Petrus, I *Epis.*, IV, 15, dicens : *Nemo autem vestrum patiatur ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor.* Tribulationes, ut sint nobis subsidio ad obtinendam cœlestem gloriam, haud delictorum supplicia et pœnæ sint opertet, quia illæ vere sunt arrha secura gloriæ, de quibus Salvator ait : *Beati estis, cum maledixerint vobis et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos mentientes propter me; gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.* Citat quoque S. Bernardinus hunc textum Sapientiæ, III, 4 : *Si coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est*, et addit : « Merito « nempe, spem de regno cœlorum habet, qui mo- « netam habet qua emi potest, quæ est patientia « in tribulationibus; sine hac moneta non potuit « Christus ingredi æternum regnum, unde *oportuit « pati Christum.* » Psalmista ait : *Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent. Euntes ibant et flebant mittentes semina sua, venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos. Psal.* CXXIV, 5, 6.

c. — Tametsi Angelica natura ignoret humanum laborem et tribulationem, nesciatque lassitudinem, tamen post validum adnisum ad saxeam revolvendam molem, quasi nimis laborasset, tanquam lassus sedet, ut hoc pacto doceat quam magni in cœlo humani labores et tribulationes æstimentur; siquidem dum ipse e cœlo laboris exsorte, peregrinatur in terra laborum et ærumnarum feracissima, etiam dum venit ad lætam Dominicæ resurrectionis gloriam prædicandam et cum in revoluto sepulchri lapide, velut lassus sedet, saltem speciem prævii laboris humanitus repræsentat. Et quia humanum corpus apparenter assumit, speciem quoque laboris exambit, quasi gloriosum missionis ad terræ stipendium. Ingens ergo lucrum, meritum, perfectio, virtus laboris et tribulationis esse debet, cum tantopere ipsos labores et afflictiones Angelica natura exambiat, ut pro munere missionis habeat.

d. — Valde advertendum est quod Angelus hic amictu niveo vestitus describitur, tanquam puritatis ac castitatis symbolum et cur Angelus hic in externa specie exhibet suæ puritatis signum? Nisi quia ideo sedebat super lapidem ut mulieres dulci de resurrectione Domini colloquio benigne excipere et quamvis Angelus naturam suam scuti loco habeat, tamen ne aliquis mysterii et naturæ ipsius ignarus, sinistri quidquam suspicari posset, inde ipse, ut eximie cautus, omnium oculis aperta signa suæ puritatis ac castitatis objicit, ut omne sinistræ suspicionis amoveat periculum. Tam periculosum est cum muliere agere, tantaque cautela requiritur! S. Bonaventura de prævaricatione Adam tractans, ex auctoritate S. Hieronymi dicit : « Si mulier po- « tuit vincere eum qui jam erat in Paradiso, non « est mirum si eos impediat qui nondum ad Para- « disum pervenerunt. » S. Anastasius Nicenus de muliere ita scribit : « Quid est mulier? Cordis « lancea, sanctorum calumnia, quies serpentis, « fornax succensa, os effœnatum, dux tenebrarum, « magistra delictorum, vestita vipera, domus tem- « pestas, viri naufragium, immitis fera. » Origenes pariter in ejusdem sexus detestationem ita scribit : « Et ecce mulier, caput peccati, arma diaboli, « expulsio Paradisi, delicti mater, corruptio legis « antiquæ. » S. Macarius hæc omnia monachis suis, per similitudinem ignis in medio straminis positi, demonstrat, qui illud succendendo consumit : « Ut « enim si paleis immoretur ignis, excitat flammam, « sic memoria mulieris permanens succendit con- « cupiscentiam. »

e. — Veneral Angelus ad celebrandum Dominicæ Resurrectionis sacramentum, inde in veste candida ut nive apparet ad id indicandum quod Paschale festum cum omni puritate, sinceritate, ac virtute et candore sit peragendum. Paschale autem festum erat olim esus Agni Paschalis, apud nos commestio Eucharistica. Ex ritibus igitur esus Agni Paschalis discere licet dignum hujus sacramenti usum. *Exod.*, XII, 5.

VERSUS 6.

Qui dicit illis : Nolite expavescere : Jesum quæritis Nazarenum, crucifixum; surrexit, non est hic; ecce locus ubi posuerunt eum.

Additiones.

a. — *Qui dicit illis : Nolite expavescere*, etc. Optime nec sine mysterio, ex verbis Angeli S. Gregorius Nyssenus educit præproperam Christi Domini resurrectionem; non enim dicit accedentibus fœminis : Modo resurgit, sed, jam antea surrexit. Et cur, qui pias fœminas jam antea in aromatum obsequium impulit, earum officium devotionis non expectavit in sepulchro? An fugit exhibendam sibi tantam olei impensam, ut servaretur in usus pauperum? Pulcher S. Bernardus, *Serm.* XII *in Cant.*, inquit : « Proinde ob hoc Domi- « nus Jesus paratam sibi confectionem expendi « noluit in suo corpore mortuo, ut servaret vivo, « cum anticipans horam et accelerans gloriam, « mulierum devotionem non clausit, sed instruxit, « non recusans obsequium, sed reservans profi- « cuum. In isto ergo pepercit Magister pietatis

« unguentis optimis, quæ membris suis indigen-
« tibus cuperet exhiberi. » Instruebat, inquam, Dominus quibus impendendum erat obsequium a fidelibus, nimirum membris vivis, egenis, paupertate pressis. In horum usus quidquid impendatur gratissimum accidet Redemptori Christo. Hoc Jesu bono cordi erat, ut pauperum curam haberet : ob hoc gloriam resurrectionis anticipat, ut doceat pauperibus servari substantiam et illis impendi servitia.

b. — *Nolite expavescere*, etc. Hæc festina Angeli adhortatio immodicum harum mulierum, in cordibus earum latentem timorem revelat. Heu debilis semper timor qui strenui nil unquam vel meditatur vel concipit, aut exequitur! Inde timoris plenæ voces : *Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti?* Et ideo omnem explosionem, quam consolationem promerentur. Quæ igitur sic timore rigent, nihilominus visione Angelica dignæ censentur ut nuntiis cœlestibus recreantur. O dignatio divinæ bonitatis singularis! Quem mihi strenuum belli ducem dabis qui timidum militem dulci alloquio solabitur? Excitat cœlestis genius timidas has mulieres, verum non vano timore, sed divino gravidas, quo stimulante, nec militum verentur insolentias, nec itineris quærulantur molestias, et hinc divina solatia, angelicas visiones et resurrectionis gaudia merentur. Dei enim timor animabus timentibus similes consolationes et gaudia confert. *Timor Domini delectabit cor, et dabit lætitiam, et gaudium et longitudinem dierum*, dicit Ecclesiasticus, I, 12. S. Chrysostomus, *Hom.* XXVI *ad Heb.*, ait : « Adsit « timor Dei et nihil erit molestum, sive dixerit « paupertatem, sive morbum, sive captivitatem, « sive servitutem, sive quidvis aliud molestum; « sed et ipsa nobis opem afferent ad contraria. » Probat deinde quod Dei timore fuleiti in ipsis etiam tribulationibus quietem et gaudium experturi simus : « Scilicet paupertas divitiis honestior, mor- « bus sanitati firmior, captivitas denique et servitus « libertate gloriosior, ac potior erit. »

c. — *Jesum quæritis Nazarenum crucifixum*, etc. Veniebant hæ sanctæ mulieres eo fine ad sepulchrum, ut ungerent Jesum, quas ipse Angelus prævenit et jam resurrexisse Dominum propalat, in ipso sepulchro residens. Quid quæso Angelis cum mortuorum sepulchris? Et quid tam sollicite Angelus satagit, ut mulierum unctionem antevertat? Nonne putetur Christi corpus unguentorum beneficio, a vermibus et putredine exemptum, sicque aliqua suspicio enasci posset quasi aliquo peccato subditum fuisset sacratissimum Christi corpus. Unde alte profecto dixit Titus Bostrensis de natura humana : Quanquam illa in prævaricationis peccato foeteret, quanquam in idololatriæ peccato putruisset, quanquam ei dæmones instar vermium dominarentur, etc. Scilicet peccator Deo mortuus est et vivum cadaver; sicut enim cadaver mortuum foetet, ita et peccatum. Cum ergo Domini sepulchrum dicatur fore gloriosum, Angelorum munus erat, incorruptionem Dominici cadaveris a vermium putredine, asserere et publicare. Ergo Angelus antevertat muliebre ungendi studium, sedeat super monumentum, descendat ut a Domini corpore corruptionis suspicionem, aut opinionem peccati excutiat.

d. — Ad quid Angelus in hac triumphi gloria, nomen prædicat, crucem dicit, passionem loquitur? « Numquid, » inquit D. Cyrillus Hierosolymitanus, « non potuisti dicere, o Angele : Scio quem quæritis « meum Dominum? » Poterat sane id dicere; ad quid addere *crucifixum*? Ratio est ut sumptuosius cumulet resurrectionis gaudia et nos discamus, quod quisquis ad Paradisum vult ingredi, prius per ærumnarum ensem transire debet. S. Bernardinus ait : « Nullus potest intrare in regnum, nisi transeat « per flammeum gladium, atque versatilem, qui « positus est ad custodiam ligni vitæ; sed hoc « nullus potest facere nisi per patientiam in tribu- « latione. » Gladius enim flammeus, atque versatilis tribulatio est affligens animam et corpus; et ideo dicit Apostolus, *Act.*, XIV, 21 : *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Primus qui Paradisum hactenus a die suæ creationis clausum ingressus fuit, est Verbum Dei incarnatum, Jesus Christus Filius Dei. Quis autem primus fuit qui in ejus societate illuc pariter penetravit? Latro aliquis et infamis sicarius cui dictum est : *Hodie mecum eris in Paradiso.* At vero quibus meritis ad summam hanc felicitatem ei pertingere licuit? Non ob alia merita quam quia passus est simul cum Redemptore, eique intime compassus fuit. De aliis vero electis, quos æterna beatitudine indubitanter frui, fides ipsa nos docet, quot eorum cruciatus, aut adversitates ab ipsis patienter toleratas in vitis et actis eorum non legimus? *Omnes sancti quanto passi sunt tormenta?*

e. — *Ecce locus ubi posuerunt eum.* Festinus Angelus inter resurrectionis gaudia, inter splendidas glorias, invitat fœminas ad sepulchrum videndum : nulla enim infirmitas mortem expavescet, ubi inde resurrectionis splendore meditetur. Cur enim timeat mori, qui a morte vivit? Cur expaveat sepulchrum, qui ex illo pulchrior renascitur? Sane sol ubi nocturnis tenebris appropinquat, repigrescerat, cursum tardaret nisi in tenebris sciret se habere quod vivat. At dum futuram vitam e tenebris auspicatur, intrepidus nulla facta mora, noctis sepulchrum amat intrare. Sic de sole altero et præstantiori et diviniori loquitur S. Paulus ad Hebræos, XII, 2 : *Proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta.* Etenim ubi mortem resurrectionis gloria solvendam novit, non distulit diem mortis, non repiguit mori, sed intrepidus ad mortem evolavit. Sic quia mors electis ad æternam,

beatamque vitam patefacit introitum, ideo cum gaudio moriuntur, quorum licet corpus putrescat, postea nihilominus revestietur in resurrectione.

f. — Non utique valde mirandum est, quod inter resurrectionis glorias, horrorem sepulchri Angelus indicat : *Ecce locus ubi posuerunt eum.* Sapienter id quidem Angelus, volebat enim spem beatæ resurrectionis mentibus ingerere mulierum, ad quam concipiendum multum valet cogitatio mortis, quæ etiam summe fructuosum reddit paschale Sacramentum, sacram scilicet Eucharistiam quam sumere quotidie interest quasi foret ultima.

g. — Nota Angeli prudentiam; inter resurrectionis glorias ad sepulchrum mulieres adducit, ut recordentur et intelligant suam terrenam originem et humilitatem ediscant. Qui vult enim vere esse humilis, memor sit vilitatis suæ originis. S. Chrysostomus, *Hom.* XII *in Gen.*, ait : « Formavit Deus « hominem, pulverem accipiens de terra. Hinc si « attendere volumus, non parva nobis humilitatis « offertur doctrina; nam cum cogitaverimus unde « constitutionis suæ initium natura nostra susce- « perit, etiamsi sexcentics supercilia surrigamus, ea « reprimemus et humiliabimur. » S. Laurentius ait : « Recogita, o homo, ut humilieris, originem « tuam. Intellige unde venis et erubesce; adverte « ex quo conciperis et humiliare; nam in putredine « conciperis, in sordibus generaris, in lateribus « confoveris et in doloribus parturiris. Formatus « es nempe, o homo, de pulvere, de luto, de cinere « quodque vilius est, de spurcissimo et fœdissimo « sanguine, in pruritu carnis, in fervore libidinis, « in fœtore luxuriæ et quod deterius est, in labe « peccati, in obligatione delicti. »

VERSUS 7.

Sed ite, dicite discipulis ejus et Petro quia præcedit vos in Galilæam; ibi eum videbitis, sicut dixit vobis.

Additio.

a. — *Sed ite, dicite discipulis ejus*, etc. Mira prorsus divinæ misericordiæ significatio, dum illi prius resurrectionis suæ gloriam mandat nuntiari, qui gravius deliquerat, peccato nempe, de quo Chrysostomus dicit quod non habuerit æquale. Sed sciendum est Petrum jam pœnituisse, vera et non ficta pœnitentia. Tanto autem apud supremam sacrosanctæ Trinitatis Majestatem in pretio atque valore habetur cor veraciter pœnitens, ut vel ad unius contritionis actus comparationem, omnes flocci æstimet terræ thesauros : *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ, pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.* Contritio ferventissimus charitatis et amoris est actus. Faciat anima quidquid poterit et noverit, in debitorum suorum satisfactionem; instituat, multiplicet jejunia, eleemosynas, peregrinationes, extases, animarum conversiones, opera omnia misericordiæ : *Quasi nihil despiciet*, in comparatione vel unius contritionis actus. Sicuti minimus gratiæ sanctificantis gradus abunde sufficit ad integram etiam abolendam peccatorum infinitatem; ita et solus veræ contritionis gradus, vel unicus, sufficiens est ad eumdem præstandum effectum. Audite S. Gregorium, *Hom.* XXXIII : « Tanto amplius peccati « rubigo consumitur, quanto peccatoris cor magno « charitatis igne concrematur. »

DOMINICA IN ALBIS

EVANGELIUM JOANNIS, CAP. XX, VERS. 19

19. Cum esset sero die illo una sabbatorum, et fores essent clausæ, ubi erant discipuli congregati propter metum Judæorum, venit Jesus, et stetit in medio, et dixit eis : Pax vobis.

20. Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus et latus. Gavisi sunt ergo discipuli viso Domino.

21. Dixit ergo eis iterum : Pax vobis; sicut misit me Pater, et ego mitto vos.

22. Hæc cum dixisset, insufflavit, et dixit eis : Accipite Spiritum Sanctum.

23. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retineritis, retenta sunt.

24. Thomas autem unus ex duodecim, qui dicitur Dydimus, non erat cum eis, quando venit Jesus.

25. Dixerunt ergo ei alii discipuli : Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis : Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, et mittam digitum meum in locum clavorum, et mittam manum meam in latus ejus, non credam.

26. Et post dies octo iterum erant discipuli ejus intus, et Thomas cum eis; venit Jesus januis clausis, et stetit in medio, et dixit : Pax vobis.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
Biblioteca Universitaria y Tulleres

« unguentis optimis, quæ membris suis indigen-
« tibus cuperet exhiberi. » Instruebat, inquam, Dominus quibus impendendum erat obsequium a fidelibus, nimirum membris vivis, egenis, paupertate pressis. In horum usus quidquid impendatur gratissimum accidet Redemptori Christo. Hoc Jesu bono cordi erat, ut pauperum curam haberet : ob hoc gloriam resurrectionis anticipat, ut doceat pauperibus servari substantiam et illis impendi servitia.

b. — *Nolite expavescere*, etc. Hæc festina Angeli adhortatio immodicum harum mulierum, in cordibus earum latentem timorem revelat. Heu debilis semper timor qui strenui nil unquam vel meditatur vel concipit, aut exequitur! Inde timoris plenæ voces : *Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti?* Et ideo omnem explosionem, quam consolationem promerentur. Quæ igitur sic timore rigent, nihilominus visione Angelica dignæ censentur ut nuntiis cœlestibus recreantur. O dignatio divinæ bonitatis singularis! Quem mihi strenuum belli ducem dabis qui timidum militem dulci alloquio solabitur? Excitat cœlestis genius timidas has mulieres, verum non vano timore, sed divino gravidas, quo stimulante, nec militum verentur insolentias, nec itineris quærulantur molestias, et hinc divina solatia, angelicas visiones et resurrectionis gaudia merentur. Dei enim timor animabus timentibus similes consolationes et gaudia confert. *Timor Domini delectabit cor, et dabit lætitiam, et gaudium et longitudinem dierum*, dicit Ecclesiasticus, I, 12. S. Chrysostomus, *Hom.* XXVI *ad Heb.*, ait : « Adsit « timor Dei et nihil erit molestum, sive dixerit « paupertatem, sive morbum, sive captivitatem, « sive servitutem, sive quidvis aliud molestum; « sed et ipsa nobis opem afferent ad contraria. » Probat deinde quod Dei timore fuleiti in ipsis etiam tribulationibus quietem et gaudium experturi simus : « Scilicet paupertas divitiis honestior, mor- « bus sanitati firmior, captivitas denique et servitus « libertate gloriosior, ac potior erit. »

c. — *Jesum quæritis Nazarenum crucifixum*, etc. Veniebant hæ sanctæ mulieres eo fine ad sepulchrum, ut ungerent Jesum, quas ipse Angelus prævenit et jam resurrexisse Dominum propalat, in ipso sepulchro residens. Quid quæso Angelis cum mortuorum sepulchris? Et quid tam sollicite Angelus satagit, ut mulierum unctionem antevertat? Nonne putetur Christi corpus unguentorum beneficio, a vermibus et putredine exemptum, sicque aliqua suspicio enasci posset quasi aliquo peccato subditum fuisset sacratissimum Christi corpus. Unde alte profecto dixit Titus Bostrensis de natura humana : Quanquam illa in prævaricationis peccato foeteret, quanquam in idololatriæ peccato putruisset, quanquam ei dæmones instar vermium dominarentur, etc. Scilicet peccator Deo mortuus est et vivum cadaver; sicut enim cadaver mortuum foetet, ita et peccatum. Cum ergo Domini sepulchrum dicatur fore gloriosum, Angelorum munus erat, incorruptionem Dominici cadaveris a vermium putredine, asserere et publicare. Ergo Angelus antevertat muliebre ungendi studium, sedeat super monumentum, descendat ut a Domini corpore corruptionis suspicionem, aut opinionem peccati excutiat.

d. — Ad quid Angelus in hac triumphi gloria, nomen prædicat, crucem dicit, passionem loquitur? « Numquid, » inquit D. Cyrillus Hierosolymitanus, « non potuisti dicere, o Angele : Scio quem quæritis « meum Dominum? » Poterat sane id dicere; ad quid addere *crucifixum*? Ratio est ut sumptuosius cumulet resurrectionis gaudia et nos discamus, quod quisquis ad Paradisum vult ingredi, prius per ærumnarum ensem transire debet. S. Bernardinus ait : « Nullus potest intrare in regnum, nisi transeat « per flammeum gladium, atque versatilem, qui « positus est ad custodiam ligni vitæ; sed hoc « nullus potest facere nisi per patientiam in tribu- « latione. » Gladius enim flammeus, atque versatilis tribulatio est affligens animam et corpus; et ideo dicit Apostolus, *Act.*, XIV, 21 : *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Primus qui Paradisum hactenus a die suæ creationis clausum ingressus fuit, est Verbum Dei incarnatum, Jesus Christus Filius Dei. Quis autem primus fuit qui in ejus societate illuc pariter penetravit? Latro aliquis et infamis sicarius cui dictum est : *Hodie mecum eris in Paradiso.* At vero quibus meritis ad summam hanc felicitatem ei pertingere licuit? Non ob alia merita quam quia passus est simul cum Redemptore, eique intime compassus fuit. De aliis vero electis, quos æterna beatitudine indubitanter frui, fides ipsa nos docet, quot eorum cruciatus, aut adversitates ab ipsis patienter toleratas in vitis et actis eorum non legimus? *Omnes sancti quanto passi sunt tormenta?*

e. — *Ecce locus ubi posuerunt eum.* Festinus Angelus inter resurrectionis gaudia, inter splendidas glorias, invitat fœminas ad sepulchrum videndum : nulla enim infirmitas mortem expavescet, ubi inde resurrectionis splendore meditetur. Cur enim timeat mori, qui a morte vivit? Cur expaveat sepulchrum, qui ex illo pulchrior renascitur? Sane sol ubi nocturnis tenebris appropinquat, repigrescerat, cursum tardaret nisi in tenebris sciret se habere quod vivat. At dum futuram vitam e tenebris auspicatur, intrepidus nulla facta mora, noctis sepulchrum amat intrare. Sic de sole altero et præstantiori et diviniori loquitur S. Paulus ad Hebræos, XII, 2 : *Proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta.* Etenim ubi mortem resurrectionis gloria solvendam novit, non distulit diem mortis, non repiguit mori, sed intrepidus ad mortem evolavit. Sic quia mors electis ad æternam,

beatamque vitam patefacit introitum, ideo cum gaudio moriuntur, quorum licet corpus putrescat, postea nihilominus revestietur in resurrectione.

f. — Non utique valde mirandum est, quod inter resurrectionis glorias, horrorem sepulchri Angelus indicat : *Ecce locus ubi posuerunt eum.* Sapienter id quidem Angelus, volebat enim spem beatæ resurrectionis mentibus ingerere mulierum, ad quam concipiendum multum valet cogitatio mortis, quæ etiam summe fructuosum reddit paschale Sacramentum, sacram scilicet Eucharistiam quam sumere quotidie interest quasi foret ultima.

g. — Nota Angeli prudentiam; inter resurrectionis glorias ad sepulchrum mulieres adducit, ut recordentur et intelligant suam terrenam originem et humilitatem ediscant. Qui vult enim vere esse humilis, memor sit vilitatis suæ originis. S. Chrysostomus, *Hom.* XII *in Gen.*, ait : « Formavit Deus « hominem, pulverem accipiens de terra. Hinc si « attendere volumus, non parva nobis humilitatis « offertur doctrina; nam cum cogitaverimus unde « constitutionis suæ initium natura nostra susce- « perit, etiamsi sexcentics supercilia surrigamus, ea « reprimemus et humiliabimur. » S. Laurentius ait : « Recogita, o homo, ut humilieris, originem « tuam. Intellige unde venis et erubesce; adverte « ex quo conciperis et humiliare; nam in putredine « conciperis, in sordibus generaris, in lateribus « confoveris et in doloribus parturiris. Formatus « es nempe, o homo, de pulvere, de luto, de cinere « quodque vilius est, de spurcissimo et fœdissimo « sanguine, in pruritu carnis, in fervore libidinis, « in fœtore luxuriæ et quod deterius est, in labe « peccati, in obligatione delicti. »

VERSUS 7.

Sed ite, dicite discipulis ejus et Petro quia præcedit vos in Galilæam; ibi eum videbitis, sicut dixit vobis.

Additio.

a. — *Sed ite, dicite discipulis ejus*, etc. Mira prorsus divinæ misericordiæ significatio, dum illi prius resurrectionis suæ gloriam mandat nuntiari, qui gravius deliquerat, peccato nempe, de quo Chrysostomus dicit quod non habuerit æquale. Sed sciendum est Petrum jam pœnituisse, vera et non ficta pœnitentia. Tanto autem apud supremam sacrosanctæ Trinitatis Majestatem in pretio atque valore habetur cor veraciter pœnitens, ut vel ad unius contritionis actus comparationem, omnes flocci æstimet terræ thesauros : *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ, pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.* Contritio ferventissimus charitatis et amoris est actus. Faciat anima quidquid poterit et noverit, in debitorum suorum satisfactionem; instituat, multiplicet jejunia, eleemosynas, peregrinationes, extases, animarum conversiones, opera omnia misericordiæ : *Quasi nihil despiciet*, in comparatione vel unius contritionis actus. Sicuti minimus gratiæ sanctificantis gradus abunde sufficit ad integram etiam abolendam peccatorum infinitatem; ita et solus veræ contritionis gradus, vel unicus, sufficiens est ad eumdem præstandum effectum. Audite S. Gregorium, *Hom.* XXXIII : « Tanto amplius peccati « rubigo consumitur, quanto peccatoris cor magno « charitatis igne concrematur. »

DOMINICA IN ALBIS

EVANGELIUM JOANNIS, CAP. XX, VERS. 19

19. Cum esset sero die illo una sabbatorum, et fores essent clausæ, ubi erant discipuli congregati propter metum Judæorum, venit Jesus, et stetit in medio, et dixit eis : Pax vobis.

20. Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus et latus. Gavisi sunt ergo discipuli viso Domino.

21. Dixit ergo eis iterum : Pax vobis; sicut misit me Pater, et ego mitto vos.

22. Hæc cum dixisset, insufflavit, et dixit eis : Accipite Spiritum Sanctum.

23. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retineritis, retenta sunt.

24. Thomas autem unus ex duodecim, qui dicitur Dydimus, non erat cum eis, quando venit Jesus.

25. Dixerunt ergo ei alii discipuli : Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis : Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, et mittam digitum meum in locum clavorum, et mittam manum meam in latus ejus, non credam.

26. Et post dies octo iterum erant discipuli ejus intus, et Thomas cum eis; venit Jesus januis clausis, et stetit in medio, et dixit : Pax vobis.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
Biblioteca Universitaria y Tulleres

27. Deinde dixit Thomæ : Infer digitum tuum huc, et vide manus meas; et affer manum tuam, et mitte in latus meum, et noli esse incredulus, sed fidelis.

28. Respondit Thomas, et dixit ei : Dominus meus et Deus meus.

29. Dixit ei Jesus : Quia vidisti me, Thoma, credidisti, beati qui non viderunt et crediderunt.

30. Multa quidem et alia signa fecit Jesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc.

31. Hæc autem scripta sunt, ut credatis quia Jesus est Christus Filius Dei, et ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.

Versus 19.

Cum esset sero die illo una sabbatorum, et fores essent clausæ, ubi erant discipuli congregati propter metum Judæorum, venit Jesus, et stetit in medio, et dixit eis : Pax vobis.

Cum esset sero die illo.

1. — « Hoc ipso in die Resurrectionis, » inquit Glossa, « factum est, in quo quinquies Jesus apparuit. *Primo* Mariæ Magdalenæ. *Secundo* eidem currenti cum aliis nuntiare discipulis. *Tertio* Petro. *Quarto* Cleophæ et socio ejus. *Quinto* discipulis, januis clausis. *Juxta est Dominus iis, qui tribulato sunt corde.* » Etenim tametsi ad vesperam usque tardaverit, ipsos tamen utpote afflictos consolari non distulit, et quidem licet aliis citius apparuerit, suis tamen discipulis non nisi circa noctem, videndum se præbuit, expectans nimirum, ut S. Thomas notat, donec simul uniti et congregati essent, *Psal.* cxxxii, 1 : *Quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum. Ubi erant discipuli congregati.*

2. — Porro discipuli prout ex reprehensione, qua illos, priusquam in cœlos ascenderet, corripuit, facile colligitur, increduli fuerunt, fidem resurrectioni ejus adhibere nolentes, *Marc.*, xvi, 14 : *Exprobravit incredulitatem eorum, quia hi, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt*; ac proinde benignissimus Salvator noster prudenter ad vesperam usque iis apparere distulit, ut ipsos, qui mysterio huic novo, nec unquam hactenus viso, ac proinde ad credendum difficili et arduo increduli erant, per apparitiones aliis, eadem die factas, perque veridicas et fide dignas eorumdem relationes, magis magisque ad credendum disponeret, vel etiam, ut eodem tempore meritum ipsorum, qui ad divinam ejus præsentiam suspirabant, auctius majusque redderet; siquidem : Spes *quæ differtur, affligit animam.* Albertus Magnus ait : « *Cum sero esset*, quia in mundi vespera et quando dies mundi in sera erat, passus fuit Christus. »

3. — Potest igitur per vesperam quoque, ultimum mundi sæculum intelligi; unde in parabola vineæ, *Matth.*, xx, 8, dicitur : *Cum sero autem esset, dixit Dominus procuratori vineæ : Voca operarios et redde illis mercedem*; siquidem Christus in fine mundi venturus est, ut iis, qui in vinea ipsius laborando, sudaverint, æternam largiatur retributionem, ipsorum corpora post resurrectionem gloria vestiendo.

4. — Chrysologus, *Serm.* lxxxiv, in sensu spirituali ita scribit : « Sero erat, plus mœrore quam tempore : sero est mœroris et tristitiæ nubilo mentibus obscuratis; » etenim juxta mensuram desolationum et mortificationum, quas electi pro Christo sustinent, divinæ quoque consolationes ejus in ipsis superabundant, *Psal.* xciii, 19 : *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.*

5. — Videtur hic adimpletum fuisse illud Abacuc, ii, 3, oraculum : *Quia adhuc visus procul et apparebit in finem*; siquidem aliis et præcipue discipulis in Emmaus abeuntibus procul apparuit; unde Collegio Apostolico tunc pavido et perplexo dici poterat : *Si moram fecerit, exspecta illum, quia veniens veniet et non tardabit*; tandem enim, licet sero valde, apparebit; quando enim de consolatione præsentiæ ipsius recipienda diffidere omnino videbantur, jamque dies in vesperum, imo in noctem inclinasset, omnesque præ nimio metu in cœnaculo illo reclusi latebant, tunc vel maxime illos apparitione sua, tantopere ab eis desiderata, dignatus est, ut per hoc nobis ostenderet, quod Deus tunc nobis per gratias suas propinquior adsit, quando nos illum a nobis remotissime abesse credimus, omnemque spem nostram deposuimus, *Psal.* cxvii, 13 : *Impulsus eversus sum, ut caderem et Dominus suscepit me; fortitudo mea Dominus.* Sic auxilium suum tribus pueris illis præstare distulit, donec jam fornacis ardentis flammas ingressi fuissent; Danielem veluti famelicorum leonum prædam, pluribus diebus remanere permisit; Abrahamum per totum iter, quo ad montem Moria se recipiebat, conscium voluntatis suæ esse noluit, nimirum arietem loco Isaaci immolandum esse, sed id ei significare distulit, donec jam ad impingendum cervici filii sui ensem extendisset brachium; innocentem quoque Susannam liberare distulit, donec ad eam lapidandam populus, eam circumstans, sustulisset lapides et tunc pridem consolationem ei submisit; similiter urbi Samariæ de annona prospexit, quando

in ea arcta obsidione cincta, matres ex diuturnæ famis impulsu suos non horrescebant manducare filios et quando octoginta argenteis asini caput vendebatur, adeoque spes illorum ex serico tenuique filo suspensa esse videbatur.

6. — Quod si quæras, quamobrem Salvator noster mulieribus mane, Apostolis autem vesperi apparere voluerit? Responderi potest, ideo id factum esse, quia mulieres generoso pectore Christum tum in passione, tum post illam ad sepulcrum usque secutæ fuerunt, seque viriles et intrepidas exhibuerunt; Apostoli vero non item, utpote qui *omnes relicto eo fugerunt.*

Et fores essent clausæ.

7. — Theophylactus, *in Cat.*, rationem reddit, cur Christus in cœnaculum istud per portas clausas, glorioso corpore suo eas penetrando, ingredi voluerit; dicit enim : « Ostiis vero clausis ingressus est, ut ostendat, quia eodem modo resurrexit, adjacente lapide super monumentum. » Scire etenim Apostolos voluit quod sacrosancta et gloriosa ejus humanitas, inter alias dotes subtilitatem habuerit, qua quodvis, quantumvis solidum, corpus penetrare poterat. S. Hieronymus quoque ad Pammachium hac de re ita scribit : « Dic mihi acutissime disputator, quid est majus tantam terræ magnitudinem appendere super nihilum et super aquarum incerta librare, an Deum transire per clausam portam et creaturam cedere Creatori? Quod majus est, tribuis; quod minus est, calumniaris. » S. Augustinus Nativitatis ejus exemplum in medium adducit, in qua salva claustri virginalis materni integritate egressus fuit : « Moli quidem corporis, ubi divinitas erat, ostia clausa non obstiterunt. Ille quippe non eis apertis intrare potuit, quo nascente virginitas matris inviolata permansit. »

8. — Quoad sensus morales huic præcipue tempori opportunos, sciendum est, quod ad hoc, ut non disperdamus, quod sacrosanctis hisce præteritis diebus lucrati fuimus, vel maxime necessum sit, ut fores animæ nostræ clausas teneamus, id est, sensus nostros custodiamus et sollicite refrenemus. Deo quidem cor nostrum apertum esse debet, qui dicit, *Cant.*, v, 2 : *Aperi mihi soror mea Sponsa*; cuivis autem alteri affectui clausum esse convenit. Unde S. Thomas ait : « Mystice autem per hoc datur intelligi, quod Christus nobis apparet, quando fores, id est, sensus exteriores sunt clausi in oratione. *Matth.*, vi, 6 : *Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum et clauso ostio ora.* » S. Bonaventura quoque ait : « Tunc apparet, quando fores sunt clausæ, id est, sensuales affectiones sub regulari disciplina cohibitæ. » Denique S. Gregorius ita scribit. « Clausas januas habent, qui contra humani lapsus negligentiam, officia corporis sub foris custodia stricta retinent; intus etiam sunt, qui in interna dilectione supernæ vitæ requiescunt; quibus profecto resurgens Dominus apparet, quia ejus gloriam tanto clarius aspiciunt, quanto per mundi contemptum passionis ejus mysterium strictius sequuntur. Hi etiam repleri Spiritu Sancto quasi in domo possunt, quia illi percipiunt abundanter gratiarum ejus dona, qui ad ea percipienda, sese, visibilia contemnendo paraverunt. »

9. — S. Bonaventura, *Serm.* iii *in hac Dom.*, ad eam se historiam reflectit, quæ *lib.* IV Regum, *cap.* xliv, describitur, ubi Eliseus paupertati mulieris illius miraculose prospexit, multiplicando in vasis ejus oleum. Etenim per hunc liquorem, gratia Spiritus Sancti intelligitur, qui hodie Apostolis datus fuit, hic enim sanctissimus Spiritus *spiritualis unctio* communi nomine ab Ecclesia appellatur. « Oleum est gratia Spiritus Sancti. *Psalm.* xliv, 8 : *Unxit te Deus oleo lætitiæ*; » per mutuata autem a vicinis vasa, sanctorum hominum intelligenda sunt bona exempla, eorum præcipue, qui hic in terris nobis vicini sunt et nobiscum vivunt : « Sed vasa in nobis vacua sunt, si exempla illa sanctorum per gratiam Spiritus Sancti non imitamur; ostia sunt nostri sensus, visus, gustus, auditus, tactus, olfactus, et os tuum est ostium; hæ fores, nisi ab illicitis cogitationibus clausæ fuerint, oleum gratiæ in domum mentis tuæ in vasis non multiplicatur. » Ubi etiam illud S. Anselmi monitum adducit, dicentis : « Intra in cubiculum mentis tuæ et claude super te ostium contra omnia, præter Dominum et quæ juvant ad quærendum illum. »

10. — Albertus Magnus, *in Joan.*, ad orationis recollectionem alludens, verba illa hoc sensu exponit : « Ut tempore devotionis ac orationis, tumultus spiritum non inquietaret orantium. Secunda causa, ut strepitum vanitatum in sensibus a contemplatione veritatis non avertatur animus. *Isa.*, xxvi, 20 : *Vade populus meus, intra in cubicula tua,* » etc.

Ubi erant discipuli congregati.

11. — Idem Albertus hic ait : « Semper enim adest Deus congregationi sanctorum. *Ps.* cx, 1 : *Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo, in concilio justorum et congregatione.* » Discipuli recepturi erant Spiritum Sanctum, ac proinde conveniens erat, ut omnes simul uniti et conjuncti essent; sicut patet in die Pentecostes, quando donorum et gratiarum ejusdem plenitudinem recepturi erant, *Act. Ap.*, xxi : *Erant omnes pariter in eodem loco*; ubi Glossa ait : « In una domo sedentibus infunditur Spiritus, ut Ecclesiæ unitas commendetur. » S. Bernardinus Senensis, *Serm. de* vii *donis Spirit. S.*, ad idem Apostolicum collegium in eodem cœnaculo in die Pentecostes congregatum alludens, ita scribit : « Scimus quod concordia ad proximum seu

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

« fraternum collegium, cum vacatione attentæ ora-
« tionis ad Deum, integra dispositio sunt ad Spiri-
« tus Sancti cumulatum donum. »

Propter metum Judæorum.

12. — Ecclesiastes, IV, 9, dicit : *Melius est ergo duos esse simul quam unum; habent enim emolumentum societatis suæ; si unus ceciderit, ab altero fulcietur.* Porro timor ille, quo a Judæis percellebantur, effectus fuit hujus unionis, quæ illis tantæ utilitatis exstitit, cum tamen e contra Thomas eo quod ab aliis se sequestraverit, graviter lapsus fuerit : *Væ soli, quia cum ceciderit, non habet sublevantem se.*

13. — Satis verisimile, quod metus Judæorum ipsos ferventiorem Dei timorem concipere fecerit; scriptum est enim, *Psal.* CVI, 6 : *Clamaverunt ad Dominum cum tribularentur.* Sanctus autem hic timor egregia est dispositio ad sapientiam et dona Spiritus Sancti recipienda et ad ea custodienda optimum medium; nam, *Eccli.*, I, 16 : *Initium sapientiæ timor Domini;* quantum vero ad conservandum hunc sapientiæ spiritum, Isaias de donis Spiritus Sancti, in Messia venturo tractans, XI, 2, 3, ita scribit : *Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et repletet eum spiritus timoris Domini.* Etenim quodnam in eo latere putas mysterium, quod timor Dei ponatur ultimo loco? Petrus Cellensis, *lib. de pœn.*, dicit : « Quasi « custos super innumerabiles gazas, sic timor in « ultimo charismatum ponitur, ad conservandas « innumerabiles gratias. » S. Hilarius super illa Psalmistæ verba, *Psal.* CXVIII, 38 : *Statue servo tuo eloquium tuum,* ita scribit : « Novit initium sapien- « tiæ Dei, esse timorem, novit in illa septiformis « Spiritus gratia, timorem in postremo tanquam « firmamentum eorum, quæ superius sunt dicta, « numerari. » Cum igitur hunc sanctissimum Spiritum una cum donis et gratiis suis paulo post recepturi essent, sanctus hic timor præcedere debuit, idemque, ut satis est credibile, a Judæorum pavore et metu vehementer adauctus.

14. — Porro tametsi nihil Apostolis timendum fuerit, si se ad prædictiones, ipsis a Salvatore præcedenter factas, nec non ad ejus resurrectionem, quam utpote sæpius illis prædictam, pro indubitata habere debebant, reflectere voluissent, ea tamen est infernalis serpentis astutia, ut mentem piorum vano timore, aliisque molestis phantasmatibus persæpe infestet, ut hac ratione perturbatus ipsorum animus mysteriis cœlestibus intendere nequeat.

Venit Jesus.

15. — Toletus Jesum venisse scribit : « Non so- « lum propter timorem illorum, sed propter fidem, « ut crederent; » neque enim mulieribus, Dominum resurrexisse asserentibus, fidem adhibere voluerant; simul etiam ne ægre nimis ferrent mulieribus visum esse, non autem ipsis; clementissimus Dominus noluit hac eos consolatione privare, Salmeron ait : « Considera Christi boni pastoris industriam, « cum enim haberet oviculas quasdam dispersas et « errantes, in eis reducendis ac colligendis labora- « bat. » Collegium enim Apostolicum grex illi charissimus et dilectissimus erat, cui paulo ante dixerat, *Luc.*, XII, 32 : *Nolite timere, pusillus grex.*

Lyranus in sensu morali ita scribit : « Per Jesum, « qui salus interpretatur, Prælatus bonus zelom « salutis animarum habens significatur, qui salvans « clausuram virtutum, ad subditos ingreditur. »

Et stetit.

16. — Verbum hoc, *stetit*, mysticum est, prouti ex variis sacrorum expositorum ponderationibus facile deducitur. S. Bonaventura ait : « Veniens « stat, in quo notatur sua immortalitas et etiam « divinitas, » citatque auctoritatem S. Gregorii dicentis : « Omnis creatura, quia de nihilo est, de- « fluere dicitur, stare autem solius Creatoris est, ut « per quem transeuntia non transeunt. » Albertus Magnus, *in Joan.*, inquit : *Stetit, qui nunquam a rectitudine se deflexit. Stetit erectus solus, omnes alios ad statum rectitudinis erigens.*

17. — Porro tametsi Evangelica veritas sit, quod Christus *sedet a dextris Dei,* nihilominus, ut Cajetanus exponit : « Non significatur positio corpo- « ris, quoniam Jesus in cœlo stat, non sedet; « stare enim est naturalis situs hominis perfectus, « sedere autem imbecillitatis est. » In hac igitur corporis situatione hodie comparuit, ut se non jam amplius corpus passibile, sed perfectum habere significaret : *Ecce video Jesum stantem a dextris virtutis Dei,* inquit S. Protomartyr, *Act. Ap.*, VII, 55, ubi Lyranus ait : « Hoc dicit, ad affirmandam ejus « resurrectionem; ideo Stephanus vidit Jesum stan- « tem, ad designandum quod erat paratus ad ejus « roborationem, quia stare est proprium adjuvantis « in prælio. » Apostoli ob synagogæ, cunctorumque Principum persecutionem, timidi et pavidi erant : *Propter metum Judæorum,* atque ideo Salvator et Magister ipsorum *stetit in medio et dixit eis : Pax vobis;* ipsos namque animare et corroborare voluit, ideoque se ad defendendum et protegendum illos advenisse ostendere voluit. Nam ut Glossa in proposito de S. Stephano loquens, dicit : « *Stantem,* « etc. Habitus adjuvantis et pro servis pugnantis sic « ostenditur. »

In medio.

18. — Didacus Stella Deum olim Moysi dixisse, *Exod.*, VIII, 22, observat : *Ego sum Dominus in medio terræ;* quibus verbis Deus loquitur per metaphoram, a regibus aliisque terræ Principibus desumptam, qui ut plurimum habitationem suam in medio

dominiorum suorum erigere solent, ut eadem tanto melius et commodius gubernare possint; adducitque idem Auctor similitudinem cordis, quod in humani corporis medio collocatum esse cernitur; citatque Aristotelem, *lib.* IV *Politicorum* dicentem : « Quod, quanto magis aliquid accedit ad medium, « tanto melius est. »

19. — S. Bonaventura, *in Joan.*, Christum in medio se collocasse dicit : « Ad significandum se « esse mediatorem Dei et hominum, ipse enim in « medio sicut cor vivificans; » ubi aliam quoque rationem his verbis tangit : « Non enim est perso- « narum acceptor Deus, ideo recte dicitur stare in « medio. »

20. — S. Thomas conformius ad sensum litteralem dicit Christum stetisse in medio, ut omnes certitudinaliter cognoscerent; unde arguuntur Judæi, qui eum non cognoverunt : *Medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis.*

21. — Enimvero tametsi in cœnaculo illo, propter metum Judæorum, congregati fuerint, per hoc tamen non excluditur, quin etiam eodem in loco tum ad faciendam orationem, tum ad consultandum et deliberandum de negotiis Christianam religionem, tunc in suis primordiis periclitantem, concernentibus convenerint, id quod ex protestatione illa deduci posse videtur, quam Christus apud Matthæum, XVIII, 20, fecit, dum ait : *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* S. Bernardus, *Ser.* VI *de Ascens.*, dicit : « In medio « stat, id est, disciplina communi, communi vita, « communibus studiis delectatur. » Habuit proinde suam vita religiosa in Apostolis originem, utpote qui, priusquam per mundum dispergerentur, in illis Ecclesiæ primordiis simul convivebant.

22. — S. Thomas ait : « *Stetit in medio,* ut osten- « dat conformitatem humanæ naturæ, quam habet « ad eos. *Eccli.*, L, 13 : *Circa illum corona fratrum* « *quasi plantatio cedri in monte Libano;* item stetit « in medio per condescensionem, quia inter eos « conversatus est, quasi unus ex eis, *Eccli.*, XXXI, « 1 : *Rectorem te posuerunt? noli extolli, esto in ipsis* « *quasi unus ex eis.* Item ad designandum quod nos « debemus esse in medio virtutis. »

23. — B. Petrus Damianus, in sermone quodam de S. Victore, multa motiva recenset, propter quæ Salvator noster in medio stare dicitur; dicit enim : « Vulpes foveas habent et volucres cœli nidos; ipse « non habet nidum, foveam ignorat, angulum nes- « cit : locum illum elegit, unde pateat omnibus, « exclusa personarum acceptione; denique et natus « positus est in medio duorum animalium; et quæ- « situs inventur in medio Doctorum, et medius Ju- « daeorum stat, quem ipsi nesciunt; loquitur ad dis- « cipulos : *Ubi duo vel tres congregati fuerint in no-* « *mine meo, ibi sum in medio eorum; et ego in medio* « *vestrum sum, sicut qui ministrat;* crucifixus est « etiam in medio duorum latronum; resurgens ste- « lit in medio discipulorum; et a Joanne visus est « in medio duorum candelabrorum aureorum; « medius ergo medium sequere, nec angulorum « sordibus, nec fovearum tenebris delecteris. »

Et dixit eis : Pax vobis.

24. — Observat Toletus, quod quia Apostoli merito timere poterant, se ob suam in non credendo resurrectionem ejus, incredulitatem et pertinaciam ab ipso severe reprehendendos et castigandos esse, ideoque motivum habebant suspicandi ipsum eo fine inter ipsos comparuisse : « Dominus præveniens « jucunda pacis salutatione trepidantia corda sere- « nat; » qui salutandi modus inter Hebræos valde usitatus erat, unde et Angelus Tobiæ et Gedeoni dixit : *Pax tibi;* et sicut ipse discipulis insinuarat, ut domum quamplam ingredientes hanc salutationem præmitterent, *Matth.*, X, 12 : *Pax huic domui,* ita inquit Albertus Magnus : « Ipse primum ad « discipulos congregatos intrans, pacificum suum « ostendit ingressum; » his quoque verbis demonstrare voluit, se eumdem ipsum esse, qui biduo ante illis dixerat, *Joan.*, XIV, 7 : *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis;* et quia discipuli ipsum interrogare poterant id quod Samuel interrogatus, I *Reg.*, XVI, 4, fuerat : *Pacificusne est ingressus tuus?* Ideo illos prævenire voluit, dicendo : *Pax vobis.*

25. — D. Chrysostomus, *Hom.* LXXXV *in Joan.*, Christum illis pacem imprecatum fuisse dicit, ob ærumnas et persecutiones, quibuscum Apostoli tunc ab Hebraismo continuo infestabantur : « Nam cum « bellum implacabile cum Judæis haberent, pacem « subinde eis dicit, ut parem bello consolationem « afferat. »

26. — Didacus Stella, *in Luc.*, ait : « Merito « quoniam victoriæ fructus et metus pax est; vic- « tor erat et eripuerat nos dæmonio et morti; « æquum erat, ut pax publica præconio denuntia- « retur. »

27. — S. Bonaventura, *in Joan.*, ait : « Osten- « dens, per ipsum factam esse pacem cœlestium et « terrestrium. » D. Chrysostomus, *ibid.*, inquit : « Crucis merita colligit, quæ sunt pax. »

28. — Albertus Magnus de pace interna exponit, quæ dulcedinem spiritualem in animam influit : « Pax dicitur hic dulcedo pacis, quæ gustata « pacat hominem, ut de cætero a nullo inquietetur; « etiam inter tormenta martyres servavit in dulce- « dine sui spiritus. »

29. — S. Bonaventura, *Serm.* I in hanc Dominicam, textum illum Jobi, XXII, 21 : *Acquiesce igitur ei et habebo pacem, et per hæc habebis fructus optimos,* adducens dicit : « Vere optimos, per pacem « enim habemus interius securitatem; » et quidem idem Job in verbis sequentibus insinuare nobis velle videtur, qua in re pax hæc adeo fructuosa præcipue

consistat; dicit enim : *Suscipe ex ore illius legem et pone sermones ejus in corde tuo*; nam ut Psalmista quoque, *Psal.* CXVIII, 165, dicit : *Pax multa diligentibus legem tuam et non est illis scandalum*, et alibi, CXVIII, 11, ait : *In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi.* Similiter de qua pace Redemptor noster locutus fuerit, Dionysius Carthusianus clare demonstrat, dum ait : « Christus autem præsertim « nunc loquitur de pace interna, quæ est tranquil- « litas animi, utpote quies a motibus propriis inor- « dinatis. »

30. — Toletus pacem et reconciliationem humani generis cum Deo, mortis et resurrectionis ejus fructum fuisse notat, de qua proinde pace ita scribit : « Nascente Domino promiserant Angeli « canentes : *In terra pax hominibus bonæ voluntatis*; « hunc Dominus surgens effectum impartitur, et « communicat his, qui bonæ volontatis et electi a « Patre erant. »

Additiones.

a. — *Cum sero esset die illo, una sabbatorum*, etc. Quinquies apparuit Christus die illo resurrectionis. Primo, Mariæ Magdalenæ flenti ad monumentum. Secundo, duabus mulieribus, dum irent annuntiare Apostolis. Tertio, Simoni Petro. Quarto, duobus Apostolis, euntibus in Emmaus. Quinto, ipsis discipulis, nunc in domo solitarie congregatis, de quo dicitur : *Cum sero esset.* Mirum sane est et valde mirum, quod sumptuosiores resurrectionis glorias, tam sero mœstissimis discipulis communicet. Annon congruentius foret ut æstuantes et fluctuantes discipulorum animas citius recrearet et sui videndi aviditatem exploret? Quæ est hæc velut avaritia gloriæ suæ ostendandæ? Qui tarde venit, quasi invitus venire insinuat. Quid ergo fuit in causa, quod tam sero veniret, qui tam avide discipulos cupiebat invisere et illis suæ resurrectionis glorias quanto citius communicare? Hoc dubium proponit Hugo et ex Chrysostomo tempestive solvit, *Hom.* LXXXV *in Joan.* « Sed quare usque in vesperum dis- « tulit? Respondemus, ut omnes inveniret. In die « enim congregatos simul non invenisset. » Sero advenit et ad id in domos clausos venit, imo et appetente nocte, qua omnis turbæ strepitus cessat, cuncta silentiosa et solitaria sunt, tunc venit, ut sua dona communicet, sese discipulis videndum ostendat. Visiones enim, revelationes, consolationes, aliaque gratiarum dona, solitudinis præmia sunt. Sic solitudinem Christus Deus amat, illique plurimum placent, qui illum in illa imitantur. Ubi et quo loco pluit Manna, quod in se omnem continebat suavitatem? Non in Ægypto, quando sedebant super ollas carnium, non in Palæstina, sed in deserto et solitudine. Quapropter ait Philo Hebræus : « Non ubique « apparet, sed ubi desertum est. » Unde et bene prophetavit Isaias, V, 13 : *Ponet desertum ejus quasi delicias et solitudinem quasi hortum Domini. Gaudium et lætitia invenietur in eo.* Alludebat ad jubilum et ad consolationes spirituales, quas in se experti fuissent anachoretæ et cæteri omnes, quotquot in desertis monasticam duxissent vitam. Exponit Deus et declarat se per Oseam Prophetam, II, 14, quod animam sanctam gratiarum suarum cœlestiumque consolationum lacte nutrire, eamque colloquiis divinis dignam velit efficere, at in claustris et remotis locis solitudinis : *Ecce ego lactabo eam et ducam eam in solitudinem et loquar ad cor ejus.* Moyses prima vice ad alloquium Dei admissus fuit, non in aula Pharaonis, non in domo sui soceris Jethro in Madian, sed hærens in latebris deserti, in eremo, quo hominum decrat accessus. Quamvis Salvator noster, quo magis intentus esset orationi faciendæ, non indiguerit loco sequestrato et solitario, siquidem anima ejus Æterno suo Patri inseparabiliter unita erat : *Ego et Pater unum sumus*; sæpe tamen sequestravit se, quærens solitudinem ad fundendas preces in monte Oliveti; cujus mentionem faciens Nazianzenus, *Orat.* XVI, ait : « Pulchra res, solitudo « et quies; idque me docet Eliæ Carmelus, Joannis « desertum, ac mons denique ille, in quem Jesum « sæpe decessisse secum animo quieto versaturum « esse constat. »

b. — Subito ac inopinato stetit Jesus in medio eorum, ac si non aliunde venisset, usus dote agilitatis, visibili modo eis præsentem se exhibuit, non quasi sedens, pro sua majestate, sed ut stans pro nostro auxilio, ut discipulorum timori ac fragilitati subveniret. *In medio eorum*; spiritualiter explicat hæc verba Dionysius Carthusianus hic dicens : « Ut « eos humilitatem doceret et virtutis illius Magis- « trum se esse ostenderet. » Unde etiam ante passionem suam dixit : « Ego in medio vestri sum, « sicut qui ministrat. » Humilitas est summa doctrinæ a Christo nobis traditæ, a qua amplectanda nemo se excusare valet. Tametsi Christus omnes virtutes dilexerit, hanc tamen virtutem infinita quadam dilectione prosecutus fuit et honoravit, eamque super omnes alias æstimavit. Hæc in throno, in quo ipsum *adorant dominationes, tremunt potestates*, in ipso singulariter eluxit et giganteis gressibus, in hanc lacrymarum vallem properare fecit, ut fieret hominis servus : *Exultavit ut gigas ad currendam viam, a summo cœlo egressio ejus; formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus.* Merito igitur S. Petrus Damianus exclamat : « O gloriosa vir- « tus humilitatis, per quam homo vere discipulus « efficitur Salvatoris! » Et, alio loco, *in Serm.* de S. Michaele, dicit : « Hæc sola virtus virtutum nu- « trix, quam solam in Virgine Matre respexit Altis- « simus; cujus quamdiu conversatus est in terris, « Filius Dei et executor extitit et magister. »

c. — Memorat sacer textus quod in hac apparitione Apostoli putarint se spiritum videre. Mirum autem est, quomodo Apostoli potuerint in hanc cogitationem devenire, ut sibi persuaderint spiritum oculis corporeis videre? Facilius enim erat credere suum Magistrum a mortuis resurrexisse, quam se corporeo aspectu incorporeum spiritum attingere posse. Sic cæcutit humana mens, ad statum gloriæ cœlestis, ut potius sibi persuadeat id possibile, obtuto nempe corporeo cernere spiritum, quam tantam gloriam in alio esse existimare. Cœlestis enim gloria, nec verbis exprimi, nec humano ingenio comprehendi potest.

d. — Ecce ad discipulos congregatos in cœnaculo, festinus Jesus advolat; sed scire cupis quem præseferrent tunc discipuli illicem quo Christum ad se festino cursu traherent? Eum notat S. Chrysologus, *Serm.* LXXXIII : « Erant, » inquit, « clausi propter « metum Judæorum. Non erat domus illa, sed car- « cer, sed sepulchrum; tunc tota ad discipulos « pœna Dominicæ transierat passionis et non solum « lateribus eorum, sed et cordibus doloris lancea « tota figebatur; tunc tristitia clavis affixæ manus « eorum, pedesque tenebantur. » O veros Domini amatores et amicos! qui ut amicum et Dominum sepulchro conditum, ejusque pedes, manusque transfosos norunt, sic se ipsi afficiunt, ut domi sepulti, transfixis pedibus teneantur. O utinam sic universi disceremus commori et consepeliri, sic manibus, pedibusque dum figi, ut pœnam Dominicæ passionis accipientes, præsentia frueremur Dominica et multa interposita mora, nostris manibus glorias tractaremus illius. Hoc enim Christus sollicite a nobis requirit, ut passionem ejus attente meditemur, eique hoc ipsum valde perplacet. Tametsi vero nulla anima quantumvis sancta, nullus calamus licet doctissimus, nulla lingua quantumcumque facunda, nullus intellectus quantumvis acutus et elevatus, ad Salvatoris passionem describendam, vel explicandam aut capiendam sufficit, nequaquam tamen illam devote meditari, mentisque nostræ ratiocinatione ruminare, intermittere debemus; siquidem ipsemet est qui præcipit dicens : *O vos omnes qui transitis per viam, attendite et videte si est dolor sicut dolor meus.* Quæ verba sic S. Bonaventura exponit : « *Attendite* diligenter « considerando, et videte compatiendo. » Salvator enim noster talem a nobis exigit considerationem, qua excessivis mortis suæ tormentis et doloribus compatimur. S. Paschasius hæc eadem verba hoc modo interpretatur : « *O vos omnes qui transitis per* « *viam*, quæ Christus est, ejus sequentes vestigia, « *attendite et videte* dilectionis intuitu. » Quæ explicatio optime concordat cum illo S. Petri monito, dicentis : *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* In quorumdam Sanctorum vitis varias legimus, a Redemptore illis præcipue animabus factas summæ benevolentiæ et amabilitatis significationes, quæ ad hoc mysterium meditandum præ cunctis aliis mente sua vel maxime applicatæ fuerunt. Qua de re in primis piissimus Blosius ita scribit : « Frequentis- « sime Dominus revelavit charissimis Sponsis suis « Gertrudi, Brigittæ, Mechetildi, Catharinæ, quam « sit et sibi acceptum et homini fructuosum reco- « lere passionem pia et humili et sincera attentione, « vel devotione, quod et ipsæ diligentissime semper « fecerunt. » De aliis christianæ religionis nostræ mysteriis, quantumvis præcipuis, Sancta Mater Ecclesia, unica tantum vice, per annum commemorationem instituit, ut patet in mysterio Incarnationis Verbi, Nativitatis, Resurrectionis et Ascensionis, aliisque similibus; at vero mortem Christi, quovis momento et quovis loco commemorat, quia per totum Christianismum sacrificium incruentum, quod est veluti quædam mortis suæ mystica renovatio, diu noctuque incessanter offertur; ac proinde *juge sacrificium* appellatur, quia multis in locis, eo tempore quo apud nos noctescere incipit, dies ab aurora ortum suum ducit. Unde numquam hæc celebratio nequidem per unicum momentum intermittitur. Præterea in quavis Ecclesia imago Crucifixi vel crucis debet esse exposita; quilibet Christianus crucis signum in omnibus sacramentis et in quibusvis benedictionibus adhibetur, etc.

e. — *Cum sero esset die illa.* Videtur hic adimplenum Habacuc oraculum, II, 3 : *Quia adhuc visus procul et apparebit in finem*, siquidem aliis et præcipue discipulis in Emmaus abeuntibus, procul apparuit, unde collegio Apostolico tunc pavido et perplexo dici poterat : *Si moram fecerit, expecta illum, quia veniens veniet et non tardabit.* Tandem enim licet sero valde apparebit; quando enim de consolatione præsentiæ ipsius recipienda diffidere omnino videbantur, jamque dies in vesperum, imo in noctem usque inclinasset, omnesque præ nimio metu in cœnaculo illo latebant reclusi, tunc vel maxime apparitione sua illos dignatus est, ut per hoc nobis ostenderet, gratam sibi esse in oratione insistentiam, et constantiam, et quod licet aliquando exaudire differat, tandem exaudiet.

f. — *Et fores essent clausæ.* Sensus moralis hujus textus si inquiratur, pulcher et huic tempori peropportunus se offert, videlicet quod ad hoc, ut non disperdamus, quod sacrosanctis his præteritis diebus lucrati fuimus, vel maxime necessum sit ut fores animæ nostræ clausas teneamus, id est, sensus nostros custodiamus et sollicite refrænemus. Deo quidem cor nostrum apertum esse debet, qui dicit : *Aperi mihi soror mea sponsa*; cuivis autem alteri affectui clausum esse convenit. Unde S. Thomas ait : « Mystice autem per hoc datur intelligi « quod Christus nobis apparet, quando fores, id « est, sensus exteriores sicut clausi in oratione. « Unde Matthæus, VI, 6, ait : *Tu autem cum oraver-* « *ris, intra in cubiculum tuum et clauso ostio ora.* »

g. — *Stetit Jesus in medio eorum.* Ostendens se uni tam bene affectum quam alteri et quia incredulitatem eorum corrigere venerat, posuit se in medio, ut omnes de correctione participarent, quam etiam ultra differre poterat, sed in tempore adhibere voluit, magna enim superiores manent supplicia, qui correctionem adhibere negligunt, qui proinde ad exemplum Christi deposito omni timore et respectu humano, nihil curare debent se ob factas curationes, persecutiones et odia aliorum sibi conciliare, sed in hoc solum conniti, ut Deo obedientes salutem animarum procurent. Spiritus Sanctus supplicii, quo Heli summum sacerdotem ob neglectam filiorum suorum reprehensionem castigare decreverat, severitatem nobis delineare volens ait : *Ecce ego faciam verbum in Israel quod quicunque audierit, tinnient ambo aures ejus.* Flagellum vero istud, quod non solum negligentem patrem sed et filios ejus et totam ejus progeniem percussit, in historia sacra fuse describitur. Causam autem illius fuit, *eo quod noverat, indigne agere filios suos et non corripuerit eos.* Et quidem tametsi Scriptura eum filios suos correxisse dicat, attamen ut D. Chrysostomus observat dicens : « Certe corripuerat, sed hanc Deus pro correctio- » nem non suscepit, quod vehementia et invectione « carnisset reprehendentis. » Postquam Hebræorum populus per sensualitates et lascivias suas divinam exasperasset justitiam, Deus præcipit Moysi, *Num.*, XXV, 4, dicens : *Tolle cunctos Principes populi et suspende eos contra solem in patibulis, ut avertatur furor meus ab Israel.*

h. — *Et dixit eis : Pax vobis.* Hæc erat Hebræorum usita salutatio; sub nomine pacis omne bonum, ac salutarem prosperitatem precabantur. En regem pacificum qui iesam hactenus pacem cœlo intulit, orbi contulit. Nihil spirat vox ejus nisi pacem, quam proinde inter suos, mediante charitate et concordia vult conservari, etiam cum inimicis. Verus enim character quo Christiani ab aliis discernuntur est dilectio et pax cum inimicis. Dominus dicit, *Matth.*, V, 47 : *Si diligitis qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Si salutaveritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? Nonne et ethnici hoc faciunt?* Unde antiquissimus scriptorum Tertullianus Christianos sui sæculi, quando præceptum hoc in primis Ecclesiæ temporibus, nondum adeo consolidatum erat, his verbis monet : « Jubemur « diligere inimicos quoque, ut hæc sit perfecta et « propria bonitas nostra, non communis. Amicos « enim diligere omnium est, inimicos autem, solo- « rum Christianorum. » S. Apostolus ad Romanos, XIII, 8, inquit : *Qui diligit proximum legem implevit.* Proximus autem noster ipse quoque est inimicus, hunc ergo Christus docet, imo præcipit a nobis amandum esse, *Matth.*, V, 44 : *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros.*

i. — S. Joannes non sine mysterio, priusquam Christi testamentum referret, magna illa, valdeque emphatica verba primo præmittit : *Sciens Jesus, quia omnia dedit ei Pater in manus;* imo prius quoque nos instruit quod amor ejus erga nos ad ultimum usque gradum tunc pertigerit : *In finem dilexit eos;* sed quodnam fuit opulentissimum illud et pretiosissimum legatum, quod in virtute summæ omnipotentiæ et dilectionis suæ nobis contulit : *Pacem relinquo vobis; pacem meam do vobis.* Circa quæ verba Oleaster ait : « Cum quod relinqueret « eis melius non haberet, reliquit mutuam dilectio- « nem. » Porro quantopere hoc inestimabilis valoris legatum a nobis æstimari debeat, Chrysologus, more suo optime his verbis exponit : « Pax fratrum, « voluntas Dei, jucunditas Christi, perfectio est « sanctitatis, justitiæ regula, magistra doctrinæ, « morum custodia, atque in rebus omnibus lauda- « bilis disciplina. »

VERSUS 20.

Et cum hoc dixisset, ostendit ei manus et latus : Gavisi sunt ergo discipuli viso Domino. Dixit ergo eis iterum : Pax vobis; sicut me misit Pater, et ego mitto vos.

Et cum hoc dixisset, ostendit ei manus et latus.

1. — Glossa Redemptorem nostrum in corpore suo resuscitato duo contraria exhibuisse his verbis notat : « Palpabile ejusdem naturæ, ut formet ad « fidem; et incorruptibile alterius gloriæ, ut invitet « ad præmium. »

2. — Porro varia ab interpretibus tanguntur mysteria, cur cicatrices in glorioso corpore resuscitato voluerit retinere. Lyranus ideo id ipsum voluisse existimat : « Ut per cicatrices remanentes, « ostenderet identitatem corporis numeralem, prius « passi; » quia enim Apostolos, ut Lucas, XXIV, 39, inquit, de sua resurrectione ambigere videbat, dixit eis : *Videte manus meas et pedes, quia ego ipse sum, palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere.* Interlinearis ait : « Ad dubitantium corda sananda, vulnerum sunt « servata vestigia. » S. Leo, *Serm. de Ascens. Dom.*, inquit : « Ad sananda infidelium cordium vulnera, « clavorum et lanceæ erant reservata vestigia, ut « non dubia, sed constantissima fide teneretur, « eam naturam in Dei Patris concessuram esse « throno, quæ jacuerat in sepulchro. » S. Bonaventura, *in Joan.*, testimonium citat S. Augustini, dicentis : « Quia in corde discipulorum vulnera « erant, propter quæ sananda, cicatrices in cor- « pore suo servavit. » S. Thomas pariter ait : « Ut « dubios in fide firmaret. » Ex his namque vulneribus visis dubitari minime poterat, quin idem illud corpus resurrexisset, quod paulo ante passum fuerat; et ideo indubitata quoque fide a nobis credi

voluit nos quoque in eadem carne resuscitandos esse, in qua hic in terris conversati et variis ærumnis pressi fuimus. Unde S. Job, XIX, 26, semetipsum consolabatur, dicens : *Rursus circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum meum, quem visurus sum ego ipse, et oculi mei conspecturi sunt.*

3. — « Decuit, » inquit S. Thomas, *P.* III, *q.* LIV, *art.* 4, « animam Christi in resurrectione corpus « cum cicatricibus resumere, ut victoriæ suæ trium- « phum circumferret. » David arma illa, quibus gloriosam de Goliatho gigante reportarat victoriam, in triumphi perpetuum monumentum in tabernaculo suspendit; unde et hic verus David, qui vulnerum suorum armis debellarat diabolum, eadem illa arma ad gloriosissimæ humanitatis suæ templum in signum trophæi peronne affixa habere voluit; unde S. Ambrosius de Christi corpore, cicatricibus et vulneribus insignito, ita scribit : « Trophæum « nostræ salutis, » hoc nomine vulnera appellat, « Devotionem acuit. » Et ideo « vulnera suscepta « pro nobis cœlo inferre maluit, abolere noluit, ut « Deo Patri, nostræ pretia libertatis ostenderet; « talem sibi Pater ad dexteram locat, trophæum « nostræ salutis amplectens. » S. Thomas citat Bedam, supra Lucam ita scribentem : « Non ex im- « potentia curandi cicatrices servavit; sed ut in « perpetuum victoriæ circumferat triumphum. » Et quidem in præcitata S. Ambrosii sententia, notanda sunt verba illa : « Cœlo inferre maluit, » quasi per hæc, gloria cœlestis adauta fuerit, unde et cunctas Angelorum hierarchias in stuporem rapuerunt, quæ admirabundæ scisitabantur dicentes, *Isa.*, LXIII, 1 : *Qui est iste, qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra? Formosus in stola sua;* vulnera etenim gloriosam illam humanitatem non deformarunt, sed miro potius decore et venustate condecorarunt. Lucius Florus de Augusto, in militia in pedibus pariter et manibus vulnerato tractans, ita scribit : « Sancius manibus et pedibus speciosior sanguine, » quod idem de hisce Redemptoris nostri cicatricibus jure asserere possumus. Unde et Lyranus ait : « In « corpore Christi remanserunt non ad defectum, « sed magis ad gloriam. » Vestis, quæ aurea fela suffulta est, scinditur communiter, ut tanto ornatior et locupletior esse videatur. S. Thomas testimonium adducit S. Augustini, qui Martyres in cœlo in corporibus eorum glorificatis ex cicatricibus eorum eximium splendorem et ornatum habituros esse existimat : « Non enim deformitas in eis, sed digni- « tas erit, et quædam quamvis in corpore, non cor- « poris sed virtutis pulchritudo fulgebit. »

4. — Zacharias Propheta, XIII, 6, Redemptorem nostrum interrogandum esse prædicit, his verbis : *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum?* Cui ipsum responsurum esse dicit : *His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me.* Ipse quidem Ecclesiæ in terris militanti in memoriale passionis suæ corpus suum reliquit in Sacramento altaris; at vero Ecclesiæ triumphanti idem inferre voluit, in manibus, pedibus ac latere exsculptum, ad hoc, ut omnes et singulæ animæ redemptæ beatæ, suam hisce vulneribus adscriberent gloriam, iisque in omnem æternitatem laudes debitas referrent, *Apoc.*, V, 11 : *Et erat numerus eorum millia millium dicentium voce magna : Dignus est Agnus qui occisus est accipere virtutem et divinitatem, et sapientiam, et fortitudinem, et honorem, et gloriam, et benedictionem.*

5. — Scire quoque nos voluit, se etiam ad dexteram Patris jam considentem, nostri memoriam nunquam depositurum esse, quia : *Ecce in manibus meis descripsi te, Isa.*, XLIX, 16. De illo, qui valde se liberalem continuo exhibet, dicere solumus : « Hic « manus perforatas habere videtur; » ac proinde Christus manus habere voluit perforatas, ut nobis innueret, quod in dispensandis gratiis suis non tantum liberalis, sed et prodigus, ut ita dicam, perenniter esse velit : *Manus ejus tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis.* Imo hodie etiam per manus discipulorum suorum, cœlestes thesauros dispensare incipit, dum ait : *Accipite Spiritum Sanctum, etc.* S. Thomas, *loc. cit.*, ideo ipsum vulnerum cicatrices in corpore suo retinuisse dicit : « Ut Patri pro nobis « supplicans, quale genus mortis pro homine pertu- « lerit, semper ostendat. » Etenim sicut beatissima Virgo, ut Filium suum ad habendum erga nos pietatem et compassionem excitet, ubera sua, quibus illum lactavit, ei exhibet, ita e contra Christus æterno Patri suo vulnera ostendit, quibus ad illum placandum, nos redimere dignatus fuit.

6. — S. Augustinus, Filium Dei omne etiam minimum vulneris vestigium e glorificato corpore suo tollere potuisse, dicit : « Sed sciebat, quare « cicatrices in corpore suo reservarel. Sicut enim « demonstravit Thomæ non credenti, nisi tangeret « et videret, ita etiam inimicis suis vulnera de- « monstraturus est sua, non quod eis dicat, sicut « Thomæ : *Quia vidisti, credidisti*, sed ut convincens « eos veritas, dicat : Ecce hominem, quem cruci- « fixistis : videtis vulnera, quæ infixistis; agnosci- « tis latus, quod pupugistis, quoniam per vos et « propter vos apertum est, nec intrare voluistis. » S. Thomas simile fere motivum adducit, dicens : « Ut sua morte redemptis, quam misericorditer sint « adjuti, propositis ejusdem mortis indiciis insi- « nuet. » Postremo ut in judicio, quam juste damnentur, ibidem annunciet.

7. — Dici etiam potest, quod, per vulnera sua, quæ in glorioso corpore ante thronum Patris cœlo intulit, passiones, cruciatus et tormenta, quæ pro Dei amore sustinentur sublimare voluerit : *Nonne oportuit pati Christum*, inquit de semetipso Christus, *et ita intrare in gloriam suam?* Nimirum inter immensos gloriæ suæ splendores, plagas quoque et

vulnera scintillare voluit, ut per hoc innuat nobis quod *si sustinebimus et conregnabimus*.

8. — S. Bonaventura, *in Joan.*, ad resurrectionem spiritualem se reflectens, sequentem moralitatem adducit : « Signans in illis, qui resurgunt « spirituali resurrectione, quod hæc sunt vera « signa, scilicet novitas vitæ et conversationis, quæ « figurantur in latere, et perfectibilitas operationis, « quæ in manibus figuratur : *Christus resurrexit a « mortuis*, et sequitur : *Ergo in novitate vitæ ambu- « lemus.* » Ad hæc bonis hisce operibus bona simul correspondere debet intentio; siquidem per latus interior intentio, per manus vero, opera exteriora designantur; Christus discipulis suis utrumque exhibuit, ad insinuandum nobis, quod opera nostra tunc vita æterna digna futura sint, quando a recta quadam et bona intentione derivabuntur.

Gavisi sunt ergo discipuli viso Domino.

9. — Idem S. Bonaventura Christum, hunc Apostolorum jubilum illis prædixisse, imo promisisse observat : « Istud gaudium promiserat eis « supra : *Videbo vos et gaudebit cor vestrum*; opere « implevit, quod promisit; merito sunt gavisi, « quia plenum gaudium, non ubi spes lactat, sed « ubi res nutrit, ait Augustinus. »

10. — Albertus Magnus, *in Joan.*, gaudium hoc visioni vulnerum Redemptoris attribuit, dum ait : « Quis enim sine magno gaudio videret tantæ pie- « tatis spectaculum? Ostendit manus quibus opera- « tus est salutem in medio terræ? pedes, quibus « prædicando discurrit, et quibus in itinere lassus « fuit; quibus cruci affixus fuit; ostendit latus, in « quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ « Dei absconditi. »

11. — Dionysius Carthusianus discipulos non tantum ideo gavisos esse dicit, quod Christum a morte, eaque tam ignominiosa resurrexisse viderint, verum etiam ob propriam suam inde in ipsos emanantem utilitatem : « Magistro suo intime congaude- « bant, et de suo profectu exhilarati sunt, videntes « se non esse deceptos, sequendo Jesum, propter « quem omnia sua reliquerant, et multa perpessi « fuerant, ac patiebantur; » ad hæc impensi gaudebant, quando illum erga se adeo amabilem viderunt esse et benignum, non obstante quod jure merito timere potuissent, ne ab eo castigarentur, eo quod ipsum in passione adeo turpiter deseruissent, atque insuper in admittenda resurrectionis fide adeo obstinatos se præbuissent.

Additiones.

a. — *Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus et latus.* Jam Christus incredulitatem Apostolis exprobrarat, dicens : *Quid turbati estis et cogitationes ascendunt in corda vestra?* Jam quoque Apostoli culpam suam agnoverant; jam fugam arripuisse doluerant; en ecce mox Christus Dominus eos iterum solatur, ostendens eis manus et latus; est enim correctio cum mansuetudine temperanda. Affabilitas cum severitate conjungenda est, ita ut una ab altera nunquam separetur. Præstat tamen, ut mansuetudo severitati semper præponderet. S. Paulus, II *Tim.*, IV, 2, primo dicit : *Argue, obsecra, increpa*, et protinus subdit : *In omni patientia.* S. Gregorius ad Abbatem quemdam Sirinensem scribens, his eum verbis monet : In correctione hunc esse ordinem noveris observandum, ut personas diligas et vitia persequaris, ne si aliter agere fortasse volueris, transeat in crudelitatem correctio et perdas quos emendare desideras. Sic enim vulnus debes abscindere ut non possis ulcerare quod sanum est, ne si plus quam res exigit ferrum impresseris, noceas cui prodesse festinas. Ipsa enim in te dulcedo cauta non remissa sit, correctio vero diligens sit non severa. Merebatur quidem illa Josephi a fratribus facta impia venditio severissimum supplicium; verumtamen, ut S. Gregorius notat, Joseph illos de hac impietate reprehensurus, optime conjungere simul novit rigorem, hunc illis excessum tacitus improperando, cum summa benignitate et mansuetudine, quam circa illos exercuit : unde idem Doctor ait : « Tunc se ultra cohibere « non valens, pietas clausa prorupit ad medium et « excussit charitatis lacrymas, de vultu severi- « tatis detersa est ira, quæ apparebat. Sic in rigore « clementiam tenuit, ut delinquentibus fratribus, « nec sine ultione pius existeret, nec sine pietate « districtus. Ecce hoc est magisterium disciplinæ, « ut culpis et discrete noverit parcere et pie eas- « dem resecare. » Dexter ille in medendo Samaritanus, sanaturus miseri illius vulnera, qui ab Jerosolymis in Jericho descendebat, iisdem non oleum tantum sed et vinum infudit.

b. — Optima certe consolatio quæ ex verbis, operibus et corde procedit; verbis, dicendo : *Pax vobis*; operibus, manus ostendendo; corde, latus monstrando : quo significat omnia ejus verba, opera et cor nobis fuisse emolumento ad perficiendum opus manuum suarum, neque ad hoc tantum Christus, imo et tota sanctissima Trinitas, omnem suam industriam collocavit.

c. — Quonam putas fine Redemptor noster, in glorificata et impassibili, et splendida humanitate sua, jam ad dexteram Patris residente, vulnerum suorum cicatrices servare et cum iisdem in die judicii universalis, in throno Majestatis apparere voluit? B. Laurentius Justinianus ait : « Vulnerum « cicatrices in suo voluit Dominus corpore retinere, « ut sicut electis incentivum est dilectionis, ita re- « probis irrefragabile fieret testimonium damnatio- « nis. » Propter eamdem rationem, in die illa, in conspectu omnium hominum crux Christi apparebit, S. Matthæo, XXIV, 30, teste qui dicit : *Tunc ap-*

parebit signum Filii hominis in cœlo, id est, ut Lyranus ait : « Crux, clavi, lancea, quæ sunt Christi « Passionis instrumenta, vel cicatrices apparebunt « in Christi corpore; » idque ob hanc præcipue rationem, ut S. Thomas ait : « Ut impii videntes in « quem confixerunt, doleant et crucientur, et ii « qui redempti sunt, gaudeant. » At vero dices : Numquid omnes sanguine Agni immaculati sumus redempti? Omnino, redempti sumus omnes; at vero hæc redemptio inutilis est ob culpam impiorum, qui inde nequicquam proficiunt. Ac proinde Doctor Seraphicus, in *Stimulo divini amoris* nos exhortabatur dicens : « Accedamus ad latus ejus et « sugamus sanguinem ejus, quia hoc beneplacitum « ejus est. Non faciamus ipsum talia frustra pati, « non permittamus hunc sanguinem effluere super « terram. »

d. — S. Lucas, XXIV, 41, addit : *Adhuc illis non credentibus et mirantibus præ gaudio dixit : Habetis hic aliquid quod manducetur?* Dubium nullum est apud sanctos Patres, Christum Dominum vere ac realiter comedisse; nam vere ore, dentibus, ac faucibus usus est. D. Thomas in III *Sent.*, *dist.* 21, *q.* 2, *art.* 2, ait : « Vera comestio fuit, quantum ad divi- « sionem cibi, et quantum ad trajectionem in ven- « trem; non autem quantum ad conversionem in « humores, vel in substantiam comedentis. » S. Hilarius vero, *Hom.* VI de Pascha, mysticam etiam rationem assignat : « In hac sacratissima resurrec- « tionis die apparuit Christus Dominus discipulis, « pauperi ac humili veste indutus; » ut ait S. Anselmus in elucidatione : « Uti eum consueverant « discipuli ante videre. » Et inde ab eis in morem pauperum cibos postulat ut significaretur quod lætitia Paschalis solemnitatis tum optime celebratur, quando pauperi petenti eleemosynam subvenitur. Citatus S. Hilarius ait : « Resurrectionis « celebrantes triumphum, fidem conversione deco- « remus, misericordiam in pauperes faciamus, « imitemur Deum. » Deum inquam curam gerente de cibando paupere, dum sub egeni specie cibos postulat.

VERSUS 21.

Dicit ergo eis iterum : Pax vobis.

1. — Lucas Brugensis in ea est opinione, quod Christus per hanc secundam pacis annuntiationem, Apostolos in gratiam denuo recipiendo, omnes ipsis præteritas culpas dimiserit, ut hoc modo ipsi prius in statu gratiæ constituerentur, quibus tunc delegare volebat, ut aliis per sacramentum pœnitentiæ gratiam conferrent : « Pacem ipsis optans non « solum, sed etiam dans, et in gratiam eos reci- « piens, congruebat enim, ut ipse illis prius pec- « cata, si quibus obnoxii erant, remitteret, essent- « que a peccatis liberi, quibus, ut daret potestatem « remittendi peccata aliorum, se comparabat. »

2. — Dionysius Carthusianus Christum Apostolis per hanc repetitam pacis imprecationem, pacem tanto tenacius cordibus ipsorum imprimere voluisse scribit : « Quæ etiam repetitio est admoni- « tio discipulorum, ut pacem jugiter appetant, « præcipueque exquirant; vel ideo his ait : *Pax « vobis*, quia optavit eis pacem gratiæ in præsenti, « et pacem gloriæ in futuro. »

3. — Toletus existimat quod hæc secunda pacis intimatio facta fuerit ad hoc, ut ipsi eamdem universo mundo annuntiarent : « Ac si diceret : Ite- « rum pacem do vobis, ut eam toti mundo annun- « tietis. »

4. — Glossa ait : « Iterat, ut monstret per « suum sanguinem esse pacificata, quæ in cœlis « sunt, quæ in terra. »

5. — Beda Christum ad duo charitatis præcepta alludere voluisse dicit : « Ideo repetit, quia gemina « est virtus charitatis. »

Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.

6. — « Ut Apostolatus dignitatem ostendat, » inquit Lucas Brugensis, « et magnitudine potestatis « eorum aperiat, » ait Cyrillus, « quos his verbis « ordinavit orbis Doctores, et divinorum mysterio- « rum ministros. » Toletus eamdem expositionem adducens, Salvatorem dicere voluisse asserit : « Quod « munus mihi dedit Pater, hoc ego vobis trado, et « vos vicarios meos instituo, qua auctoritate Pater « misit me, eadem vos ego mitto, ut prædicetis, « gubernetis, dirigatis mundum in viam salutis et « veritatis. » Albertus Magnus similiter dicit : « Si- « cut misit me Pater auctoritatem suam in me « homine per missionem derivando, et ego mitto « vos, auctoritatem meam vobis dando; » suam namque auctoritatem ipsi tanquam suis delegatis hic in terris, unde ipse paulo post recessurus erat, delegavit.

7. — Cajetanus ad vocem *sicut* se reflectens, dicit : « Nota adverbium, *sicut*, significans modum, « nam vere, quemadmodum Pater misit Jesum ad « prædicandum benefaciendo, et mala patiendo, « ita explicat se mittere discipulos. » Hugo Cardinalis eamdem observationem habet, dicit enim Christum hisce verbis eis intimare voluisse persecutiones et tormenta, quæ ad ejus imitationem docendo, perpessuri erant : « Id est, ad id, ad quod « me misit ad passiones Pater, qui me amat; ideo « confidit, quasi dicat : Ea vos charitate mitto ad « mala, qua Pater me misit. » S. Gregorius, *Hom. in Evang.*, ait : « Ea charitate vos diligo, cum inter « scandala persecutorum vos mitto, qua me chari- « tate Pater diligit, quem venire ad tolerandas « passiones fecit. »

Additiones.

a. — *Sicut misit me Pater et ego mitto vos.* S.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Gregorius Magnus, *Hom.* XXVI, præsentem locum sic exponit : « Sicut misit me Pater Deus, Deum, « ego mitto vos homo, homines. Pater Filium « misit, qui hunc pro redemptione generis humani « incarnari constituit; quem videlicet in mundum « ad passionem venire voluit; sed tamen amavit « eum, quem ad passionem misit. Electos vero « Apostolos Dominus non ad mundi gaudia, sed « sicut ipse missus est, ad passiones in mundum « mittit. Quia ergo et Filius amatur a Patre, et « tamen ad passionem mittitur, ita et discipuli a « Domino amantur, qui tamen ad passionem mit- « tuntur in mundum. » At vero in quonam divinus Magister dilectionis affectum erga Apostolos demonstravit? In eo quod illos mitteret ad tolerantiam passionum, ad onera vinculorum, ad squalorem carceris, ad omnia genera pœnarum patienter perferenda. Igitur dum ad patientiam eos invitavit, ad omnia genera virtutum exercenda misit, quæ in ipsa patientia comprehenduntur; *patientia enim opus perfectum habet*, estque multorum virtuosorum operum et meritorum fœcundissima mater. Inter octo beatitudines, patientia nobis non semel tantum, sed binies, scilicet in prima et in ultima serio commendatur. Et quidem si primus locus inter alios honorificentior esse censetur, huic virtuti præ aliis præcedentia attribuitur cum dicitur : *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Si vero locus ultimus dignior esse reputetur, iterum patientia canctis aliis antefertur; siquidem in ultima beatitudine dicitur : *Beati estis, cum maledixerint vobis et persecuti vos fuerint.* Unde S. Augustinus ait : « Octava beatitudo consumma- « tum, perfectumque hominem ostendit et probat. « Septem sunt quæ perficiunt, octava clarificat et « quod perfectum est demonstrat. » S. Bonaventura, in vita S. Francisci hanc eamdem patientiæ prærogativam tangit inquiens : « Ut autem viro « Dei cumulus meritorum accresceret, quæ omnia « vero in patientia consummantur, « sive quod idem est, perficiuntur.

b. — D. Chrysologus, super illa verba : *Sicut misit me Pater, sic et ego mitto vos*, ingeniosam habet sequentem ponderationem; ait enim : « Mitto « vos, non auctoritate adhuc jubentis, sed toto dili- « gentis affectu. » At vero, in quonam divinus hic Magister totum dilectionis affectum erga Apostolos, ut illos perfectos redderet et sanctos, demonstravit? Num forte in eo quod donum miraculorum illis contulit? Aut vero in Prophetiæ variarum linguarum, interpretationis sacræ Scripturæ, collatis eximiis donis? Vel denique quia eos ad mundi conversionem habiles et idoneos reddidit? Minime gentium, sed : « Mitto vos ad tolerantiam famis, ad « onera vinculorum, ad squalorem carceris, ad per- « ferenda omnia genera pœnarum. » D. Chrysostomus super illa verba : *Charitas patiens est*, sequens nobis tradit monitum : « Ne leviter percurras ea « quæ dicuntur, sed unumquodque eorum examina « diligentissime, ut et rei videas thesaurum et « artem pictoris. Considera ergo, undenam statim « inceperit et quidnam primum posuerit, quod est « causa omnium bonorum. Quid autem hoc est? « Lenitas et patientia, ea est radix totius philoso- « phiæ. » Ad patientiam igitur Christus suos invitavit Apostolos, quia hæc est omnium virtutum, omniumque bonorum spiritualium fundamentum.

c. — Misit Æternus Pater dilectum Filium suum ad passionem amarissimam, ut ovem : *Sicut ovis ad occisionem ducetur, qui non aperuit os suum.* Ita pariter misit discipulos suos Christus, ut oves ad passionem, inter persecutores, inter lupos, *Matth.*, x : *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum.* Mirum valde est, quod eos Dominus, quos tamen intime diligebat, eisque dilectionis affectu compagitatus hærebat, ad truculentam rabiem luporum dimittat, ad gentilium persecutorum gladios, lipennes, etc., quibus tamen alias prohibuit : *In viam gentium ne abieritis et in civitates Samaritanorum*, id est, peccatorum, *ne intraveritis.* Idcirco id factum est ut eam pacem quam eis tot vicibus et tam sedulo recommendaverat, et inculcaverat, acquirerent et acquisitam conservarent. Voluntas enim Dei est, ut divina pax inter contradictiones acquiratur et conservetur. Propheta Evangelicus Christi in terras adventum prædicens, eumdem principem pacis, glorioso titulo cognominat, dicens : *Vocabitur nomen ejus Princeps pacis. Pacis non erit finis. Isa.*, IX, 6. Apostolus quoque ad Ephesios, II, 14, scribens, hinc ei eximium attribuit titulum : *Ipse est pax nostra*; atque hinc est quod Christo, vix etiamnum nato, pax a cœlestibus hierarchiis in universo mundo fuerit promulgata : *Et in terra pax hominibus*; imo ipsemet Dei Filius, nihil adeo sollicite nobis inculcavit, quam unionem, charitatem et pacem; id quod ex innumeris Evangelii locis evidenter deducitur. Cur igitur nunc suis protestatur discipulis inquiens, *Matth.*, x, 34 : *Nolite arbitrari, quia pacem venerim mittere in terram; non veni pacem mittere, sed gladium?* Cur etiam apud S. Lucam, XXII, 6, iisdem præcipuis discipulis præcepit ut *qui non habet, vendat tunicam suam et emat gladium?* Facilis est dubii hujus solutio, si illud ab unoquoque sæpius sine dubio auditum consideretur effatum, quo dicere solemus : « Bellamus ut in « pace sine fine vivamus. » Qui enim vera vult pace gaudere, illam per prælia et victorias ut lucretur, necessum est. Hinc Doctor Angelicus, in *Isa.*, IX, verba illa ponderans : *Pacis non erit finis : super solium David et super regnum ejus sedebit, ut confirmet illud et corroboret*, etc.; hanc verbis illis glossam adhibet : « Ut confirmet ad resistendum et « corroboret etiam ad impugnandum. » Verum quidem est quod Filius Dei in suis sacratissimis

natalibus de cœlesti Jerusalem, quæ visio pacis dicitur pacem solemniter præconizari fecerit : *Et in terra pax*; at vero observastine figuram et habitum, in quo spiritus Angelici comparuerunt, ut eam generi humano intimarent? Sanctus Evangelista inquit : *Facta est multitudo militiæ cœlestis.* At vero quis est qui spiritus cœlestes *Angelos pacis* in Scriptura appellari nesciat, nec immerito, quia cœlo gratiam, id est, pacis visionem, terræ vero pacem annuntiabant? Quo igitur fine velut armati bellatores e cœlis descenderunt? Responsio est manifesta, siquidem per hunc habitum et figuram indicare volebant quod vera pax sequacium Christi, per victoriam de inimicis nostris, mundo videlicet, carne et dæmone reportatas, acquiratur; ac proinde observandum est, quod non solum, in natali Domini nostri acclamarint : *In terra pax*, sed simul adjunxerint : *Pax hominibus bonæ voluntatis*; id est, illis qui voluntatem suam divino arbitrio substernunt, contraque proprias passiones dimicantes, appetitus inordinatos compescunt et domant.

d. — Observandum est Isaiam Prophetam non sine mysterio prædixisse : *Vocabitur nomen ejus Deus, fortis*, et postea : *Princeps pacis*; per hoc namque insinuare voluit, quod dimicando fortiter, et viriliter vincendo, vera pax acquiratur. Similiter postquam vix jam a mortuis resurrexisset, Apostolis suis gloriosus quidem apparuit, iisdem pacem annuntiavit; attamen eodem tempore suas iisdem demonstravit cicatrices : *Dixit eis : Pax vobis; et cum hoc dixisset, ostendit eis manus et pedes.* At vero fortasse dices, tunc tempus minime opportunum fuisse, discipulos suos per vulnerum suorum aspectum et crudelis ac sanguinolentæ passionis suæ memoriam contristari, siquidem eos per resurrectionem suam consolari intendebat : et tamen Dominus noster, qui *omnia in sapientia fecit*, dum illos pacem annuntiando salutavit, simul etiam vulnera manuum, pedumque eisdem ostendere voluit, ut exinde intelligerent, pacem hanc sanguinis, vulnerum livorisque totius corporis pretio fuisse comparatam, simulque monere intendit, quod si pacis suæ fieri vellent participes, pariter et ipsi ad pugnas et victorias sese præpararent.

e. — Postquam discipulorum animi jam ad fidem dispositi credidissent, quod ille qui apparebat et loquebatur, erat Magister suus Jesus, repetit piissimus Dominus, ipsam pacis apprecationem : cujus causam repetitionis Glossa Interlinearis habet sic : « Iteratio confirmatio est; dat eis pacem super « pacem; » ad hoc ut summam suam sollicitudinem qua concordiam et unionem procuravit, et a nobis procurari desiderat, ostenderet, sicuti ex multis Christi Domini operibus, in Novo Testamento factis « fusius deduci potest. Beda vero ait : « Repetit, « quia gemina est virtus charitatis, scilicet ad « Deum et ad proximum. » Dionysius Carthusianus objecta amoris erga Deum et amoris erga proximum distincta esse concedit; verumtamen non nisi materialiter, quia unum illorum respicit Deum, et alterum hominem atque hoc sensu duo præcepta esse dicit. At vero in substantia objectum formale utriusque hujus amoris unicum tantum est, nimirum Deus, quia proximus amatur tanquam effigies et imago Dei, et propter Dei præceptum, vel ut proximum diligendo, Dei id præcipienti complaceat : « Licet duo sint charitatis præcepta, propter « materialem distinctionem objecti, una tamen est « charitas, qua Deus proximusque diligitur. » Filius Dei Ecclesiæ suæ in collegio Apostolico specialissime repræsentatæ, Spiritum Sanctum, bina vice communicasse legitur : primo quidem post suam resurrectionem, quando *insufflavit in eos dicens : Accipite Spiritum Sanctum.* Secundo, idipsum in die Pentecostes præstitit, quando *factus est repente de cœlo sonus tanquam advenientis spiritus vehementis.* Hujusce autem bina vice factæ communicationis mysterium, a S. Gregorio optime exponitur, dum ait : « Duo sunt præcepta charitatis, dilectio Dei et « proximi. In terra datur Spiritus, ut diligatur « proximus; e cœlo datur Spiritus ut diligatur « Deus. » Porro causa cur Spiritum Sanctum non solum bis Ecclesiæ dederit, sed etiam in prima vice fecerit dum adhuc in terra constitutus esset, secundo vero eumdem miserit post suam in cœlos ascensionem, hoc est ut nimirum per hoc insinuaret, duo esse dilectionis Dei et proximi præcepta; advertendum tamen est, quod ad utrumque præceptum adimplendum unus idemque spiritus datus fuerit, quia uterque amor ab eadem radice procedit et derivatur. Porro ingeniosa est similitudo illa, qua ad eamdem veritatem explicandam utitur S. Bernardus; dicit enim : Sicut avis duabus alis in cœlum contendit, adeo ut una illarum sine alterius societate minime sufficiat, sed ut suum in cœlos volatum expediat, necessum est ut utraque explicetur, ita quoque ei qui in cœlum vult evolare empyreum, non sufficit quod diligat Deum excludendo proximum, nec quod amet proximum excludendo Deum : « Nullus cum una ala poterit volare in cœlum; « quare? Quia nec sola dilectio Dei sine dilectione « proximi, nec sola dilectio proximi sine dilectione « Dei valet ad æternam beatitudinem. »

Versus 22.

Hæc cum dixisset, insufflavit, et dixit eis : Accipite Spiritum Sanctum.

Hæc cum dixisset, insufflavit.

1. — Albertus Magnus ait : « Spiritum a se pro- « cedere significavit, per flatum, quem in discipulos « direxit. » Per hanc igitur aspirationem et insufflationem, naturam Spiritus Sancti nobis insinuare voluit, qui ab ipso et a Patre æqualiter procedit;

quia sicut homo aliquis in alium inspirans et insufflans, suum ei halitum et spiritum infundit, ita Pater et Filius se mutuo amantes, naturam et essentiam suam Spiritui Sancto communicant; et sicut halitus noster nobis est substantialis, ita quoque Spiritus Sanctus est ipsissima Patris et Filii essentia et substantia.

2. — S. Augustinus quoque a S. Thoma in *Catena* citatus, advertit quod : « Flatus iste corporeus substantia Spiritus Sancti non fuit, sed demonstratio « per congruam significationem non tantum a « Patre, sed etiam a Filio procedere Spiritum Sanctum. »

3. — Salmeron ait : « Ut olim Deus insufflavit « spiraculum vitæ, ut fieret homo in animam « viventem, ita idem insufflat animam peccato « mortuam, ut vivat per Spiritum Sanctum. »

4. — S. Thomas quoque dicit quod, sicut prima animæ nostræ vita ab insufflatione originata fuit, ita quoque nunc eadem per eamdem restauretur : « Insufflavit in faciem ejus spiraculum vitæ, quod « prius homo depravavit, scilicet vitæ naturalis, sed « hoc Christus reparavit dando Spiritum Sanctum. »

Et dixit eis : Accipite Spiritum Sanctum.

5. — S. Bonaventura, *Serm.* III *in hac Dom.*, hoc loco exclamat : « O quam magna licentia, quod « dicit : *Accipite!* O quam magna gratia, quod « dicit : Non aurum, non argentum, sed *Spiritum* « *Sanctum.* »

6. — S. Hieronymus hic quærit quonam modo Christus S. Joanne teste, hodie in Apostolos suos infuderit Spiritum Sanctum, cum S. Lucas scribat quod illum post suam in cœlos Ascensionem pridem mittere promiserit? Dicit tamen quod in promptu sit ad hanc difficultatem congrua responsio, si consideretur id, quod S. Paulus dicit, nimirum varias esse hujus sanctissimi Spiritus divisiones. Scribit enim in I ad Corinthios, XII, 4 : *Divisiones donorum sunt, idem vero spiritus.* Hodie igitur collegio Apostolico communicatus fuit, non secundum amplitudinem et latitudinem omnium gratiarum et donorum suorum, sicut in die Pentecostes, sed solum in ordine ad peccata remittenda. Theophylactus similiter ait : « Ad susceptionem Spiritus idoneos eos red- « dens; » mox tamen subjungit : « Dicendum « autem, et quod potestatem quamdam, et donum « spirituale dedit eis, non ut mortuos suscitent et « virtutes faciant, sed ut remittant peccata. »

7. — Chrysostomus quorumdam refert opinionem, qui existimarunt hanc communicationem fuisse per modum dispositionis et præparationis cujusdam pro die Pentecostes : « Non Spiritum « dedit, sed aptos eos ad susceptionem Spiritus per « insufflationem construxit. » S. Thomas quoque hanc opinionem refert, et in illius probationem textum Danielis adducens, dicit : « Dicitur quod « non potuit sustinere visionem Angeli; unde isti, « nisi præparati, non potuissent sustinere Spiritus « Sancti adventum; sed tamen idem Chrysostomus « dicit : Spiritus Sanctus datus fuit hic discipulis « non communiter ad omnia, sed ad aliquem effec- « tum, ad dimittenda peccata; » priusquam enim sanctissimum hunc Spiritum in die Pentecostes mitteret, Apostolis suis dixit, *Act. Ap.*, I, 8 : *Accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti*; ubi notandum quod dictio illa *supervenientis*, clare satis, ipsos jam de facto aliquod saltem hujus Spiritus donum accepisse indicat.

8. — S. Augustinus a Glossa citatus, Spiritum Sanctum semel in terra datum, et semel de cœlo missum fuisse dicit : *Factus est repente de cœlo sonus, tanquam advenientis Spiritus vehementis*; unde sequentem deducit moralitatem : « In terra, » inquit, « datur Spiritus, ut diligatur proximus; e cœlo « datur Spiritus, ut diligatur Deus. » Eadem quoque observatio a S. Gregorio, *Hom.* XXVI *in Evang.*, his verbis adducitur : « Cur prius in terra « discipulis datur postmodum, de cœlo mittitur, « nisi quia duo sunt præcepta charitatis, dilectio « videlicet Dei, et dilectio proximi? In terra datur « Spiritus, ut diligatur proximus, e cœlo datur Spi- « ritus, ut diligatur Deus. »

VERSUS 23.

Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt.

1. — Jure merito Apostolus, *Rom.*, IV, 25, dixit : *Resurrexit propter justificationem nostram*, siquidem tametsi verum sit quod Salvator noster captivitatis nostræ lytrum seu pretium, in die Veneris super mensa Crucis prompte exsolverit, nosque proinde justam causam habeamus, ut nos erga Christi crucifixi effusum sanguinem debitores esse agnoscamus, cum in virtute illius chyrographus debiti, quo divinæ justitiæ obstricti eramus, perfecta litura deletus fuerit; sciendum tamen est, hanc satisfactionem nonnisi hodie applicatam nobis fuisse, quando eadem in Sacramento Pœnitentiæ, hodie institato, deposita fuit. Enimvero mira res esse videtur, si consideremus, quod Christum non Pilatus, non carnifices, non Hebræi crucifixerint, cum veritas sit infallibilis, id quod a Davide, *Psal.* CX, 10, dicitur : *Non accedet ad te malum, et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* Neque enim flagella ipsum ausa fuissent percutere, nec lancea vulnerare, nec perforare clavi, nec spinæ eum pungere, nisi hisce omnibus nostra se peccata adjunxissent, *Isa.*, LIII, 5 : *Vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra*; et tamen Redemptor noster adeo erga nos benignus et clemens extitit, ut mox, ut a mortuis resurrexit, nequaquam sese peccatoribus, tanquam crucifixoribus suis, infestum aut iratum ostenderit, sed potius magnis illos beneficiis adauxerit; tametsi enim ipse ab iisdem graviter læsus fuisset, ipsi tamen resurgenti, nihil adeo curæ fuit, quam ut aliquem ipsos in amicitiam et gratiam suam restituendi modum adinvenire posset; cumque nos ad nihil adeo conati fuerimus, quam ut necem ei crudelissimam inferremus, ipse e contra, postquam a mortuis resurrexit, nihil adeo sollicite efficere curavit, quam ut nobis vitam et salutem largiretur æternam. Incognitus Carmelitanus Michael de Ayguanis Bononiensis verba illa : *Hæc est dies, quam fecit Dominus*, quæ resurrectioni adaptantur, ita exponit : « Hac die a « servitute peccati redempti sumus, et nobis resti- « tuta est hæreditas æterna. »

2. — Salmeron causam et mysterium exponit, ob quod increata et incarnata Sapientia, hanc a peccatis absolvendi potestatem in die Paschatis conferre voluerit; dicit enim : « Pulchre in die « Paschæ post resurrectionem hoc Sacramentum « instituit, non solum ut intelligamus illos recte « Pascha celebrare, qui a peccatis mundantur, « verum etiam ut intelligant peccatores, qui volunt « per Sacerdotes absolvi, oportere esse prius a « morte excitatos peccati; per virtutem contritionis « extincti, aut saltem ita esse per pœnitentiam « talem, etsi minus perfectam, quam Theologi « attritionem vocant, dispositos ac præparatos, ut « salubriter et cum fructu absolutionem valeant « recipere. »

3. — Chrysostomus, *Hom.* LXXXV *in Joan.*, supremam hanc Apostolis delegatam potestatem considerans, hanc adducit similitudinem : « Quem- « admodum Rex præfectos mittens, ut in carce- « rem reos intrudant et ut liberent potestatem « præbet, ita Jesus discipulos dimittens, hac munit « auctoritate. » Verum quidem est, quod Christus apud S. Matthæum, XVIII, 18, diu ante Apostolis dixerit : *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt*, etc. Verumtamen eo in loco illis hanc potestatem solum promisit, nunc vero illos in hujusce potestatis possessionem realiter immittit, ad eum modum, quo Princeps aliquis quempiam ad munus aliquod militare eligit, cujus tamen muneris patentem, et actualem administrationem suo tempore, quo scilicet munus illud exercere debebit, committit.

4. — « Vide Sacerdotum dignitatem, » inquit Theophylactus, « quod divina sit; Dei enim est « remittere peccata : sic illi igitur honorandi sunt, « ut Deus; nam quamvis indigni sunt, quid hoc? « Divinorum donorum ministri sunt, et gratia ope- « ratur per eos, sicut et per asinam Balaam locutus « est, non enim indignitas nostra gratiam prohi- « bet. » Cajetanus potestatem hanc Deo a nobis, tanquam illius ministri, directe in acceptis referendam esse dicit : « Mirabilis est facultas hæc, utpote « soli Deo propria, quocirca ne intelligeremus « auctoritative dimitti peccata; remittuntur eis, ut « vis et efficacia remissionis explicaretur non in « discipulis, sed in Deo remittente. »

5. — Porro veniam hanc et remissionem peccatorum, non pro nostro libitu et arbitrio, sed conformiter ad solius Dei voluntatem exequi debemus; siquidem opus quoque est, ut voluntas pœnitentis per debitas dispositiones ad eamdem concurrat. Unde Albertus Magnus primo dicit : « *Quorum remi-* « *seritis* per vos vel per successores, » postea subjungit : « Quos dignos remissione judicaveritis, « duabus videlicet clavibus, scilicet potestatis et « jurisdictionis. » Quot eheu sunt, qui seipsis se hac remissione indignos esse ostendunt, eo quod proximam a se peccandi occasionem submovere nolint, vel se non conantur vincere, acceptam condonando injuriam, vel famæ aut facultatum injuste ablatarum restitutionem facere renuunt, vel prava consortia, et alia similia obstacula deserere detrectant? Quid autem adversus horum obstinationem et duritiem claves proderunt?

6. — Advertendum porro hic est, quod Christus nec tempus, nec locum, nec qualitatem personarum limitet, nec se ad certam peccatorum speciem aut numerum, nec ad tot vices adstringat, et non amplius, sed absolute dicat : *Quorum remiseritis peccata*, etc., quia nullus est peccator, quantumvis impius sit, qui non quovis tempore et loco absolvi possit, dummodo ipsemet Sacramento obicem non ponat.

7. — Per unicam insufflationem, hanc Apostolis potestatem contulit, sicut omnium catenarum dissolutionem : *Quos delictorum catena constringit*, duobus hisce verbis : *Absolve te*, alligavit; voluit etiam hanc jurisdictionem in Ecclesia sua, suis successoribus per insufflationem conferri, non obstante quod peccata nostra ipsi magno vitæ et sanguinis sui pretio constiterint, ut illos, qui hoc sacramentum administrandum habent, doceat, quod vita gratiæ, pœnitentibus cum charitate et amore insinuari, et spiritum compunctionis iis infundendo, benigne recipi debeant.

Additiones.

a. — *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, etc. In ipsa sacratissima resurrectionis die qua Christus a mortuis resurrexit, sacramentum resurrectionis hominum Christus instituit; quid enim aliud est Sacramentum Pœnitentiæ ac peccatorum confessionis, quam sacramentum quo homines ex peccati morte ad vitam gratiæ resurgunt? Omnes Doctores sacri honoratissima certatim Sacramenti hujus conglomerant, depromuntque epitheta et præconia. S. Laurentius Justinianus omnem quantumvis Nestoris eloquentiam, hujus Sacramenti gloriis atque encomiis depromendis, longe statuit imparem esse : « Nemo valet Sacramenti hujus

« propalare præconia et quantum homini conferat, « edicere gratiam. » Qui idem Sanctus alio in loco ad particulariora descendens, sequentibus confessionem exornat titulis : « Delicti confessio veniam « impetrat, gratiam promeretur, humilitatem nu- « trit, cœlum aperit, iram Dei coercet, pacem « reddit et offensam majestatem cito propitiat, « dummodo debito modo fiat. » S. Bernardinus Senensis, largas pariter confessionis diffusus in laudes, duodecim ejusdem assignat fructus, inquiens : « Primus fructus est mentis illuminatio; secundus, « misericordiæ impetratio; tertius, a morte suscitatio; quartus a diabolo libertio; quintus, animæ purgatio; sextus, cum Deo animæ purificatio; septimus, conscientiæ alteratio; octavus, « diaboli confusio; nonus, peccatorum remissio; « decimus, pro peccatis satisfactio; undecimus, « gratiæ augmentatio; duodecimus, Dei glorifica- « tio. » *Charitas operit multitudinem peccatorum*; eadem est confessionis efficacia, cujus ut asserti veritatem inspiciamus, Pharisæum et Publicanum adeamus. Vitam degebat ille a mundana alienam vanitate : *Non sum sicut cæteri hominum.* Cursus annorum ejus binis hisce polis innitebatur : *Declina a malo et fac bonum*; nulla namque committebat latrocinia, nulla adulteria, excessum nullum, virtutum exercitiis vacabat, Ecclesiam frequentando, orando, jejunando, eleemosynas largiendo; nihilominus impœnitentem reprobavit Deus. Publicanus autem, peccatorum sordibus usque ad aures immersus, vix peracta sincera confessione, *descendit in domum suam justificatus ab illo.* Nec immerito quia teste S. Augustino, « enumerationi meritorum præfertur confessio peccatorum. » Non modo autem confessio malas abolet operationes, sed et merito recuperat omnium præteritorum bonorum operum, peccato deperdita, eaque conservat; unde S. Thomas de Villanova ait : « Sextus « fructus est conservatio meritorum, nam dum « homo est in peccato, bona opera ei nihil confe- « runt ad gloriam, sed vitam cum operibus perdit; « cum enim ipse sit abominabilis, ejus opera Deo « non placent et quanta perditio hæc? Si autem « statim confiteatur et exeat a peccato, totum quod « vivit, iueratur, et Dei amicus efficitur. »

b. — Manifestis et apertis verbis Christus Dominus suis discipulis dat hanc maximam potestatem remittendi peccata et hominibus valde necessariam, concessam sibi a Patre, ut indulgentiam ediscerent et clementiam. Postquam Salvator noster paralytico indulgentiam impertitus esset peccatorum dicendo : *Remittuntur tibi peccata tua*, corda blasphemantium se penetrans Scribarum ac Pharisæorum sequentibus eos aggressus est verbis : Dicite, respondete, o improbi calumniatores, *quid est facilius dicere, dimittuntur tibi peccata tua, an dicere : Surge et ambula? Ut autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata; tunc ait paralytico : Surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam; et surrexit et abiit.* Hoc spectaculo, hoc prodigio admodum evidenti, suam Christus declaravit omnipotentiam, tota circum stupente, atque applaudente turba : *Glorificaverunt Deum qui dedit potestatem talem hominibus.* Sublimis adeo peccata remittendi potestatis, atque auctoritatis delegatio, homini propter hominem facta, nos ad juges merito incitaret divinæ majestati tribuendas laudes, gloriam et gratias.

c. — Quidam legunt : *Quorumcumque remiseritis peccata*, ad denotandum quod limites non ponit nec in peccatoribus nec in peccatis Deus; quilibet enim peccator remedium potest obtinere pro quolibet peccato; proinde perpende, o Christiane, an non pro tanto beneficio ingrati et detestabiles sint, quotquot a confessione abhorrent, in eoque frequenter applicando sibi remedio vivunt negligentes. Negat David, se cogitatu quantumcumque indefesso assequi posse, qualiter homo, non in rupem, sed in peccati barathrum, id est, in infernum prolapsus, adeo sit mentis futurus inops, ut reclinatis in sinu manibus, nihil curet de exitu. *Numquid qui cadit non adjiciet, ut resurgat? Psal.* XL, 9. Quæ verba S. Thomas de Villanova morosius ruminans, sequentem format discursum : « Si quando « prout est humana fragilitas, in peccatum cecide- « ritis, illico surgite, statim in confessionem pro- « perate. Hoc Dominus per Prophetam peccatoribus « suadet, dicens : *Numquid qui cadit, non adjiciet ut « resurgat?* » S. Chrysostomus illam Psalmistæ, *Psal.* CV, 1, paternam ponderans invitationem : *Confitemini Domino, quoniam bonus*, ad peccatorem conversus, probat nullam ab eo excusationem sufficientem afferri posse, cur respuat confessionem, præsertim cum propria nullus quærat damna : « Nec « peccator jam poterit excusari, qui confessionem, « per quam venia nascitur, non properavit am- « plecti; » duplicis reus delicti, « dum primo legem « contempsit, ut delinqueret, et confessionis reme- « dia amplius noluit, ut periret; » moxque brevem quidem, ast utilem hanc subdit exhortationem : « Confessio afferat salutem, cui contemptus attu- « lerat mortem; vive remediis, qui moriturus fue- « ras aliquando peccatis. » S. Thomas de Villanova deplorabilem contemplans animæ conditionem, quæ sacramenti hujus extrema necessitate laborat, sed torpida beneficium negligit, sequenti eam perstringit invectiva : « O qualis audacia, quæ oblivio, « quod mentis gelicidium, quis stupor? Ecce ardet « infernus, sub pedibus inhians, atque ad devoran- « dum miseram animam apertus et jam peccator « ipse deputatus est ad illum et solum pendet ex « tenui filo vitæ præsentis, quod tam facile rumpi- « tur, et miser ridet, comedit securus, et gaudet, « nec est sibi cura de remedio. »

Imo majorem astruit Sanctus audaciam esse, in peccati mortalis statu confessionem negligere quam centum armatis se unum opponere viris; cujus hanc rationem reddit : « In hoc vita solum mortalis « exponitur, quæ aliquando perdenda est; ibi au- « tem anima perpetuæ damnationi et ardoribus « sempiternis objicitur et perpetua ibi gloria poni- « tur in discrimine. »

Versus 24.

Thomas autem unus ex duodecim, qui dicitur Dydimus, non erat cum eis, quando venit Jesus.

1. — D. Chrysostomus, *Hom.* LXXXVI *in Joan.*, eos, qui in horto Gethsemani Christum deserendo, fugerant, illo vesperi ad cæteros Apostolos nondum se recollegisse existimat : « Credibile est ex fuga « nondum rediisse; » at vero dicat forte aliquis, numquid hic Thomas idem ille erat, qui ante octo vel decem dies omnes Apostolos ad sequendum Christum in Judæam abeuntem et moriendum cum illo, *Joan.*, XI, 16, animaverat? *Dixit ergo Thomas, qui dicitur Dydimus ad condiscipulos : Eamus et nos, et moriamur cum eo*; huic igitur respondeo, hoc quidem verum esse, imo et Petrus ipse magnas quidem promissiones fecerat, at vero mox ut turbas viderunt armatas, *omnes relicto eo fugerunt*; multi quidem sunt, iique nonnunquam valde spirituales, qui in ferventibus orationibus suis bona quidem faciunt proposita; at vero quando ad eorum devenitur executionem, nulla iis est ad ea adimplenda sufficiens virtus, *Isa.*, XVII, 3 : *Venerunt filii usque ad partum, et non erat virtus pariendi.*

2. — « *Non erat cum eis*, » inquit Albertus Magnus, *in Joan.*, « congregationi eorum conjunctus. » Unde S. Thomas hoc nobis utilissimum elicit documentum : « Instruimur per hoc a societate separari « non debere. »

3. — S. Cyrillus quærit hoc loco, *lib.* XII *in Joan.*, quanam ratione et ipse Thomas, licet procul a cæteris Apostolis in cœnaculo præsentibus remotus, potestatem circa peccatorum absolutionem et communicationem Spiritus Sancti delegatam participare potuerit : « Quomodo si tunc aberat, quando « Christus sufflans, dixit : *Accipite Spiritum Sanc-* « *tum*, Spiritus ipse particeps factus est? » Moxque respondet : « Dicimus virtutem Spiritus ex inten- « tione dantis Christi in omnes discipulos pertran- « sisse; non enim quibusdam, sed omnibus disci- « pulis dedit; quare liberalitate dantis non solum « præsentes, sed etiam absentes Apostoli Spiritum « Sanctum receperunt. »

4. — Lyranus S. Thomam præ cæteris timidiorem fuisse, ac proinde tardius ad cæteros Collegas suos convenisse scribit : « Et ideo propter tardita- « tem suam privatus est illa visione Christi; » neque enim etiamnum ab illo incaluerat igne, qui in die Pentecostes deinceps super cœnaculum istud descenderat : *Perfecta enim charitas foras mittit timorem. Joan.*, VII, 17.

5. — Glossa dicit : « Non casu, sed divina dispo- « sitione defuit Thomas, et audita non credidit; « unde palpandum se ei Dominus præbuit, quia « ejus dubitatione, et facta sibi probatione, nulli « relinquitur jam dubitare. »

6. — Id quod e S. Gregorii doctrina desumptum fuit, qui, *Hom.* XXVI *in Evang.*, dicit : « Egit miro « modo superna clementia, ut discipulus ille dubi- « tans, dum in Magistro suo vulnera palparet car- « nis, in nobis vulnera sanaret infidelitatis; plus « enim nobis infidelitas Thomæ ad fidem, quam « fides credentium discipulorum profuit, quia dum « ille ad fidem palpando reducitur, mens nostra « omni dubitatione post posita, in fide solidatur. »

Versus 25.

Dixerunt ergo ei alii discipuli : Vidimus Dominum; ille autem dixit eis : Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, et mittam digitum meum in locum clavorum, et mittam manum meam in latus ejus, non credam.

1. — « Evangelista morbi gravitatem exacte « describit, » inquit Toletus, « non ut Thomæ « notam infamiæ inurat, sed tum ut resurrectio- « nem Dominicam confirmet, tum ut Medici cle- « mentia et virtus agnoscatur in sanando. » Jansenius S. Thomam excusare nititur, utpote cujus incredulitas, tametsi reprehensibilis erat, nihilominus, inquit : « Non ex malitia profecta erat, sicut « Pharisæorum, sed ex imbecilitate humana. »

2. — In hac occasione illa Psalmistæ, *Psal.* XLI, 8, propositio : *Abyssus abyssum invocat*, verificata fuisse videtur. *Abyssus* enim idem est quod *Thomas*; et hic in multorum errorum barathrum quoddam misere corruit. Primo enim titubavit in fide resurrectionis articulo, nimirum ad religionem nostram, et Messiæ Divinitatem stabiliendam utilissimo; siquidem, I *Cor.*, XV, 14 : *Si Christus non resurrexit, inanis est fides nostra.* Et quidem ex quo Christum Filium Dei esse credidit, prout jam ante per os Petri cum aliis protestatus fuerat, quid mirum si a mortuis resurrexit? *Psal.* XV, 10. *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* Num forte ad id credendum, oracula et prædictiones Prophetiæ deerant? Imo ipsemet discipulis suis sæpius prædixerat : *Tertia die resurget.* Secundo ex hoc se cæteris Collegis prudentiorem et sagaciorem probare voluisse videtur, quasi dicere vellet, *Eccli.*, XIX, 4 : *Qui cito credit, levis est corde*; non vero talis sum ego, imo *nisi videro*, etc. Neque oculari solum testimonio contentus esse voluit, quin etiam contactum vulnerum postulavit, nec sufficiebat illi

vulnera Salvatoris digitis explorasse, nisi etiam manum suam iisdem immitteret, idque non solum in loca clavorum, sed etiam in vulnus lateris, id quod arrogantiam et temeritatem non modicam sapiebat. Adhæc in illa tam præsumptuosa protestatione magnam quoque exhibuit irreverentiam, siquidem, *Colos.*, II, 3 : *In sancta sanctorum* pectoris illius ingredi præsumpsit, *in quo sunt thesauri sapientiæ et scientiæ Dei*. Porro Oza morte repentina punitus fuit, quia in arca, quæ lignum quoddam, et remotissima tantum sacrosanctæ illius humanitatis figura erat, manum suam extendere attentavit; imo ipsemet Christi Præcursor licet inter natos mulierum maximus esset, se tamen ad corrigiam calceamentorum solvendam indignum esse censuit. Tertio duritia et obstinatio ipsius summe reprehensibilis erat, siquidem nec Petro, nec sanctis illis mulieribus, nec discipulis in Emmaus abeuntibus, nec omnibus Apostolis, qui testes oculati *omnique exceptione majores* erant, credere voluit; et quidem, quod culpam ejus vel maxime aggravavit, octo continuis diebus in hac incredulitate sua perseveravit : unde Toletus ait : « Magna pertinacia fuit et incre- « dulitas Thomæ, non enim ad horam aut diem « perseveravit incredulus, sed per integros dies « octo, imo in sua permansisset infidelitate diutius, « si Dominus ad eum venire distulisset. » Quarto demum obstinationi huic præsumptionem adjunxit, siquidem Incarnatæ illi Sapientiæ modum præscribere voluit, quo illum ad resurrectionis suæ fidem perduceret, nimirum permittendo ut digitos et manum suam in vulnerum ejus aperturam immittere posset, imo, secus enim si fieret, noquidquam crediturum se esse protestari præsumpsit : *Nisi videro, nisi mittam*, etc.

3. — In hac occasione perspicue apparet quam verum sit illud Sapientis, *Prov.*, XIII, 20, monitum : *Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit, amicus stultorum similis efficietur;* hic etenim Apostolus præ cunctis aliis se ferventissimum exhibuit, quamdiu in aliorum Apostolorum societate permansit : unde ait : *Eamus et nos, et moriamur cum eo;* quando vero ab illis separatus fuit, non una tantum vice, sed pluribus graviter lapsus fuit, *Psal.* XVII, 26, 27 : *Cum sancto sanctus eris, cum viro innocente innocens eris, et cum perverso perverteris*. Enimvero de S. Petro legimus, ipsum semel Christum negasse, imo cum adjuncto jurejurando protestatum fuisse quod ignoraret quis esset : *Nescio hominem*, et tamen alia quadam vice ex æterni Patris revelatione eum Filium Dei esse confessus fuerat et aperte agnoverat? undenam hæc provenit differentia? Numquid unus idemque Petrus erat? Numquid de eodem Dei Filio confitendo vel diffitendo Petro res erat? *Luc*, XX, 55 : *Circumsedentibus illis, erat Petrus in medio eorum*. Quinam obsecro Petri consortes erant, quando Magistrum suum negavit? S. Thomas, *in Matth.*, ait : « Non mirum si cecidit, « quia in mala societate mansit. » Socii enim ejus erant sacrilegi, iniqui et excommunicati illius Pontificis, Caiphæ nimirum, familiares ministri et satellites, qui Salvatori mortem machinabantur, non vero in tali erat consortio constitutus, quando Filium Dei confessus fuit, tunc enim in medio Coapostolorum suorum constitutus erat. Imo advertendum est, quod ut de commisso scelere pœnitentiam ageret : *Egressus foras flevit amare*. Ubi S. Remigius dicit : « Egreditur foras de impiorum societate, ut « pavidæ negationis sordes amaris fletibus lavet. » David, qui tametsi vir secundum cor Dei fuerit, turpiter tamen et ipse lapsus fuit, totus anxius exclamabat, *Psal.*, XI, 2, dicens : *Salvum me fac Deus, quoniam defecit sanctus, quoniam diminutæ sunt veritates a filiis hominum*; circa quæ verba, verba illa S. Augustini, *trac.* CXIII, licet de S. Petro dicta fuerint, ad nostrum propositum tamen adducere possumus, ita enim ait : « Ecce columna fir- « missima ad unius auræ impulsum tota contremuit; « et ecce caput aureum ad unius lapilli contac- « tum, in parte fictili comminutum est et corruit. » Cajetanus quoad hunc S. Petri lapsum, breve quoddam suggerit monitum, quod etiam in hoc S. Thomæ casu servire potest; dicit enim nervose et breviter : « Considera et treme, vir juste. » Petrus paucis horis ante ad Christum defendendum valde se strenuum et generosum solus exhibuit, dum Malcho auriculam amputavit, et tamen mox eadem nocte adeo factus est pavidus. S. Thomas quoque septimana antecedenti protestatus est, dicens : *Eamus, et nos, et moriamur cum eo*, item Lazari mortui quatriduani resuscitationem præsens spectavit, et tamen nunc cunctis aliis se miraculosiorem esse probavit, imo obstinate credere noluit, quod resuscitare posset semetipsum. Similiter de eo, quod omnes Apostoli quoad reatum proditionis Magistri ipsorum omnino insontes, audientes unum ex ipsis Salvatorem traditurum esse, contristati fuerint, S. Leo, *Serm.* VII *de pass.*, ita scribit : « Contristati « sunt, non de conscientiæ reatu, sed de humanæ « mutabilitatis incerto timentes; » etenim quantumvis aliquis ad altissimum perfectionis et sanctitatis culmen pertigerit, quamdiu tamen in hujusce certaminis arena militat, vulneribus et plagis recipiendis subjectus est, nisi Deus ei per specialia auxilia assistat.

4. — Unde perspicue satis cognoscitur quantum voluntatis propriæ impetus, qui obstinationem, individuum habere comitem solet, animabus nostris præjudicium inferat, siquidem hic videmus, quod discipulus ille, qui integro triennio, disciplinæ Christi in schola Dei operam dedit, propriæ tamen scientiæ et voluntati tanta cum pertinacia indurueret, ut mentis suæ sensum totius collegii Apostolici, et forsitan etiam ipsiusmet Matris Dei, quæ utique

apparitioni huic præsens interfuit, testimonio et veritati perhibitæ præhabuerit. Quis igitur opinionem et judicium proprium non pertimescat, maxime cum adeo sanctæ et perfectæ scholæ discipulus non existat?

5. — Enimvero Albertus Magnus ambigentem hunc Christi Apostolum excusare nititur, dum ait : « Quia multa signa infirmitatis viderat, et quamvis « resurrexisse non crediderat, tamen nec contra- « rium asserebat, nec uni, nec alteri firmiter « adhærens, et tales sunt tardi ad credendum, et « quando credunt, firmissime credunt. »

Additiones.

a. — *Dixerunt ergo Thomæ alii discipuli : Vidimus Dominum*. Dixerunt Apostoli Thomæ : *Vidimus Dominum*, ut ad fidem articuli de resurrectione Thomam invitarent. Ecce quam non clare prodit se initio apostolicus zelus, dum omnes, sicut ipsi mysterium resurrectionis credebant, ita quoque Thomam socium habere volebant. Magna est enim gloria, magnum est lucrum eorum qui animas convertere satagunt; Deus inde gaudet, utpote qui animarum salutem tanto semper studio et fervore prosequitur. Redemptor noster errantium animarum conversionem tanti facit, ut huic operi summam suam attribuat : *Dabo in Sion salutem et in Jerusalem gloriam meam*, inquit olim per os Prophetæ Evangelici. Hæc autem salus et pariter gloria ejus in nulla re alia consistit quam in venia et remissione peccatorum, per quam justificantur et sanctificantur animæ, cujus potestas Jerosolymis in cœnaculo Sionitico Apostolis per Sacramenti Pœnitentiæ institutionem concessa fuit, his verbis : *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata remittuntur eis*. Enimvero si perspicue intelligere volumus utilitatem quæ ex hac cooperatione adeoque digno ministerio in nos redundat, audite S. Jacobum Apostolum, ita scribentem : *Fratres mei, si quis ex vobis erraverit a veritate et converterit quis eum, scire debet, quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte, et operiet multitudinem peccatorum*. Num vobis parum esse videtur animam aliquam e tempestatibus infernalibus ereptam, de sua felicitate securam reddere, atque ad cœlestis Paradisi littora salvam perducere? Sciendum vero est quod in Græco, loco ejus qui in Vulgata legitur : *Salvabit animam ejus*, dicitur : *Animam suam salvabit a morte, et operiet multitudinem peccatorum*. Cujus ratio esse potest, quia Redemptor noster ad gratias suas majori cum abundantia et stabilitate conferendas movetur, ut hac ratione nostram cooperationem remuneret, qua in ejus societate aliorum cooperamur saluti; ac proinde Apostolus ad Timotheum scribit : *Attende tibi et doctrinæ; insta in illis; hoc enim faciens, et teipsum salvum facies et eos qui te audierunt*.

b. — Quæstio non inutilis hic moveri posset, quare Apostoli Thomam ob tantam suam pertinaciam, non arguunt, nec reprehendunt, maxime Petrus qui erat collegii Apostolici Princeps et caput? Respondetur : Apostoli circa resurrectionis mysterium aliquando fuerunt increduli; cum ergo ipsi non credidissent, Thomam incredulum non audent reprehendere et arguere; qui enim alicujus crimen carpit, maxime expedit ut ejus inquinamento non sit deturpatus ac fœdatus. *Quid vides festucam in oculo fratris tui, et trabem in oculo tuo non vides?* dicit Dominus. Quibus verbis Magister noster cœlestis insinuare intendit quod quantum is reprehensibilis est, qui fratri levem festucam in oculis suis circumferenti insultat cum ipse oculum suum ingenti trabe onustum habeat, tantumdem is tanquam inexcusabilis reprehendi mereatur, qui aliorum vitia corrigere et emendare præsumit, quibus ipsemet contaminatus esse cernitur, imo longe enormioribus. S. Thomas citat S. Isidorum de summo bono dicentem : « Non debet vitia alio- « rum corrigere, qui est vitiis subjectus. » Et ideo idem Doctor Angelicus inquit : « Impedimentum « quoddam huic correctioni offertur propter tria : « *Primo* quidem, quia ex peccato præcedenti indig- « nus redditur, ut alium corrigat, præcipue si « majus peccatum commisit, non est dignus ut « alium corrigat de minori peccato; » adducitque hæc verba Domini, *Matth.*, VII, 3 : *Quid vides festucam in oculo fratris tui et trabem in oculo tuo non vides?* super quæ allegat S. Hieronymum ita scribentem : « De his loquitur qui cum mortali crimine « detineantur obnoxii, minora peccata fratribus « non concedant. *Secundo*, redditur indebita cor- « rectio, propter scandalum, quod sequitur ex « correctione, si peccatum corripientis sit mani- « festum, quia videtur quod ille qui corrigit, non « corrigat ex charitate, sed magis ad ostentatio- « nem; » adducitque expositionem D. Chrysostomi super prædictum S. Matthæi dictum et dicit : « *Quo-* « *modo dicis fratri tuo : Sine, ejiciam*, etc., exponit « Chrysostomus : In quo proposito? Putas ex chari- « tate, ut salves proximum tuum? Non, quia « teipsum ante salvares. *Tertio modo*, propter su- « perbiam corripientis, in quantum scilicet aliquis « propria peccata parvipendens, seipsum proximo « præfert in corde suo, peccata ejus austera severi- « tate dijudicans, ac si ipse esset justus. » Scribæ et Pharisæi quondam mulierem quamdam in peccato deprehensam, coram Salvatore adduxerunt tanquam adulteram, scire efflagitantes, an juxta ordinem legis divinæ lapidanda foret : quibus Dominus noster annuit, cum hac tamen limitatione : *Qui sine peccato est vestrum, primus in illum lapidem mittat*. Quid vero S. Gregorius a S. Bernardino citatus de illis dicat audiamus : « Ad aliena quippe « peccata punienda ibant et sua relinquerant; revo-

« centur itaque intus ad conscientiam ut prius « propria corrigant, et tunc aliena reprehendant. »

c. — *Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum*, etc. Thomas renuit credere Christum resurrexisse, quem viderat sepultum; instant discipuli, ut eum flectant ad credulitatem. Ille flecti nescius pertinaciter discredit, donec videat. Porro ut fides Christianorum laudatissima virtus est, sic infidelitas est execrabile delictum et in hoc videtur cadere dum non credit. Quomodo vero? Audi ex ore Divi Chrysologi Thomæ incredulitatem sic expendentis, *Serm.* LXXXIV : « Cur Thomas vestigia fidei « requirit? Cur tam pie patientiam, tam dure « discutit resurgentem? Cur ea vulnera quæ ma- « nus infixit impia, devota dextra sic resulcat? Cur « latus quod impii militis lancea patefecit, refo- « dere, manus militur obsequentis? Cur dolores « persecuturum furoribus arrogatos, famulantis cu- « riositas innovat immitis? » Ecce tibi curiositatem infidelitatis ream et resculpentem vulnera, in passione inflicta a tortoribus Christo. Plane immitis curiositas, mysteria christianitatis turbat, requirens fidei mysteria, resulcans manuum plagas, refodiens lateris vulnus, revocans de se tortorum immites dolores. Quid deterius curiositate, quæ Christianæ fidei inquietat sacramenta? Quis crederet, a curiositate violari fidem Dei? Nil mirum : leviora enim peccata non curantes, in magna paulatim labuntur præcipitia. Hæc enim protoparenti Evæ prævaricationis et lapsus origo e causa fuerunt. Rebellis ille Angelus, considerans hominem creatum, ut illos beatitudinis thronos e quibus ipse, una cum sequacibus suis præcipitatus fuerat, occuparet, ejusdem hominis innocentiæ invidens, eumdem omni cum studio supplantare, eique Creatoris sui gratiam pariter et gloriam, ad quam electus fuerat, eripere machinatus est. Nec est quod vobis persuadeatis, quasi ad hoc intentum obtinendum totum contra ipsum suscitaverit infernum, cunctasque vires suas exeruerit. Nequaquam enim id fecit : *Sed serpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus*; ut enim hominem in profundum præcipitium, una cum tota sua progenie, deturbaret, astutia utens, sensim et paulatim processit, eique ruinam suam unico duntaxat pomo mediante fabricavit. O quam exiguo et vili medio, quam ingens et inexplicabile damnum procuratum fuit? Merito igitur S. Bernardus in hæc verba exclamat : « Hostis offert pomum et surrupit Paradisum! » S. Guilelmus, quondam dux Aquitanæ, qui ante conversionem suam, monstrum quondam fuit iniquitatis, postea vero veræ pœnitentiæ factus est speculum, dicere solebat : « Aqua servis Dei mensuratim « bibenda est; » id est, cavere quoque debent transgressiones leviores et veniales, quia hæ sæpe offendiculum sunt, unde gravior sequitur lapsus : adducebatque Adæ exemplum, qui non de cujusquam perdicis, sed pomi alicujus esu tentatus fuit; item Esau qui pro vili lentis edulio primogenituram suam amisit. Hoc quoque eodem exemplo diu ante usus fuit S. Hieronymus, qui monachos, ne culpas quantumvis leves contemnant, exhortari volens, inquit : « Invenimus etiam Dei amicos, ob unius « contemptus errorem, bonorum retro factorum « magnificentiam perdidisse. Sic Adam facile cum « diabolo credidit seducenti, post familiaritatem et « colloquium Dei, unius pomi cupiditate superatus, « perdidit Paradisum; et quia per transgressionem « unum habere præsumpsit, multa simul bona « amisit. » Probari autem potest magnam illam protoparentum nostrorum ruinam, ex mullis præcedentibus culpis venialibus, suam traxisse causam.

Eva potius tunc Creatori suo immensas gratias agere, mentemque suam per orationem ad Deum levare, non vero curiose circumvagari debuisset.

A conjuge suo divisa erat. Hæc separatio, ut S. Paulus ad Corinthios scribit, ad tempus permitti poterat; sed eo tantum *ut vacetis orationi*, non vero ut oculorum pasceret curiositatem.

Petulantem serpentis non agnovit nec respuit arrogantiam et temeritatem, quando ille secretorum judiciorum Dei Altissimi causam et mysteria indagare non dubitabat.

Ex quo Eva jam audiendo dæmoni aures suas præbuerat, debuisset merito os et linguam suam omni cum sollicitudine constringere et cavere, ne illi minimo quoque verbo responderet : « Tacere « debuerat mulier et indicare protinus marito; « periculosum est confabulari veteratoribus, dæ- « monum persuasionibus præbere aurem et obse- « qui, » inquit Lipomanus. *Vidit igitur mulier quod bonum esset*, etc.

Fuit hoc postremum discrimen, in quo se conjecit, in medium occasionis male agendi sese exponendo : *Qui autem amat periculum, peribit in illo.* Chrysostomus de levium peccatorum periculis disserens inquit : « Gustus vel visus leve quiddam et « inane forsitan videtur. Gustus levis non est, qui « Adam protoplastum in origine mundi decepit, et « cum eo genus humanum sententiæ mortis ad- « dixit. »

d. — Quid mirum si Dominus ad discipulos suos glorificatum corpus, claustris stupentibus intromisit, qui illæso materni pudoris signaculo, januam mundi hujus introivit; cujus ortum natura nescivit? Non dubites si potentiam exercere videas triumphantem, quem tam stupenda perspicis egisse nascentem. Stupendum enim, ex incredulo confessionem fidei propalare; qui enim paulo ante dicebat : *Nisi videro non credam*, mox exclamat : *Dominus meus et Deus meus.* Quam bona infidelitas, quæ sæculorum fidei militavit! Eleganter more suo S. Gregorius Papa, *Hom.* XXVI, ait : « Numquid casu « gestum creditis ut electus ille discipulus, tunc « deesset, post autem veniens, audiret, audiens « dubitaret, dubitans palparet, palpans crederet? « Non hoc casu, sed divina dispensatione gestum « est. Egit namque miro modo superna clementia, « ut discipulus ille dubitans, dum in Magistro suo « vulnera palporet carnis in nobis sanaret vulnera « infidelitatis. Plus enim nobis Thomæ incredulitas « ad fidem, quam fides credentium discipulorum « profuit. » Sic namque Deus ex malo novit elicere bonum.

Versus 26.

Et post dies octo iterum erant discipuli ejus intus, et Thomas cum eis; venit Jesus januis clausis, et stetit in medio, et dixit : Pax vobis.

Et post dies octo iterum erant discipuli ejus intus, et Thomas cum eis.

1. — Nullus ex discipulis Christi per solidum octo dierum spatium, hunc suum condiscipulum a sua pertinacia dimovere potuit, qui proinde in sua utique obstinatione perseveraturus fuisset, nisi benignissimus Magister noster paterno erga ipsum commotus fuisset, unde clare deducitur, quod ex nobis ipsis quidem in peccatum labi possumus, at vero post lapsum ex nobismetipsis inde non valeamus resurgere, nisi Deus auxiliatricem suam nobis porrigat manum; licet enim in facultate nostra sit cadere, pœnitere tamen post lapsum, nostram excedit potestatem, omnes quidem electi tam qui in terris, quam qui in cœlis sunt, in nostrum subsidium facere possunt, quidquid illis possibile fuerit, suum tamen intentum finem minime consequentur, nisi Deus ipse ad succurrendum nobis motus fuerit : *Venit Jesus.*

2. — « Et qua gratia ei non continuo apparuit? » quærit hoc loco Chrysostomus, *Hom.* LXXXVI *in Joan.*, et respondet, Christum id facere distulisse : « Ut « interea a discipulis edoctus, iisdem auditis, in « majus traheretur desiderium et magis in fide « confirmaretur. » Jansenius adjungit : « Tum ut « magis Domini patescoret clementia, qui talem in « discipulo, tanto tempore pertulit incredulitatem, « quæ quo major erat et diuturnior, eo magis subito « in magnam mutata fidem resurrectionis in nobis « confirmat credulitatem. »

3. — S. Thomas, *in Joan.*, hic moralem quamdam observationem in medium affert; ait enim : « Ubi notandum, quod Thomas solus hac appari- « tione indigebat, non tamen ei singulariter Domi- « nus apparuit, sed in congregatione existenti, ad « designandum quod singularitates non sunt mul- « tum Deo acceptæ, sed hi, qui in communitate « charitatis existunt. » Ad hæc dici potest, Christum voluisse, ut discipulus hic simul cum aliis conjunctus et in reliquorum Apostolorum societate conjunctus esset, ut nobis insinuaret quam nobis proficua sit bonorum communicatio, eo quod propter illorum merita multas nonnunquam recipimus gratias, quas alias forsitan minime reciperemus. Præterea ut collegium Apostolicum benignitatis et zeli, quem Christus ad consulendum errabundæ hujus animæ securitati exhibuerat, testaretur, ac proinde exemplo ejus charitatem et zelum ediscere, quem deinceps in lucrandis animabus et maxime in iis a mala ad bonam viam convertendis et reducendis habere debebant; cui accedit, quod justum omnino fuerit, ut qui ex coapostoli sui incredulitate scandalizati fuerant, ex visis et auditis ferventissimis ejusdem fidei actibus, quibus præcedentem reparabat incredulitatem, denuo ædificarentur.

Venit Jesus, etc.

4. — Hæc nova Christi apparitio, aliis Apostolis necessaria non erat, sed ob solum Thomam facta fuit, ut is nimirum reduceretur ad fidei integritatem. Et ideo D. Chrysostomus, *Hom.* LXXXVI, ait : « Tu autem cum discipulum non credentem videas, « considera Domini clementiam, quomodo pro una « etiam anima vulnera sua ostendit et ut unum sal- « vum faceret, apparuit. » Toletus pariter scribit, quod licet pertinacia Thomæ maxima fuerit : « Ma- « jor tamen clementia et in suos amor extitit Salva- « toris, propter unum enim et hunc incredulum et « pertinacem iterum dignatus est apparere, eadem- « que imo majora suæ resurrectionis argumenta « facere. » Salmeron cœlestem hunc Pastorem considerat, qui unicam gregis sui perditam oviculam tanta cum sollicitudine et cordis anxietate quærit : « Nunc quidem immediate propter unam oviculam, « hoc est, Thomam, in quo ejus singularis elucet « charitas, volens indicare, quæ pro omnibus fecit, « pro singulo quoque pro eximia sua atque incom- « parabili charitate facere. »

Additio.

a. — *Post dies octo, erat Thomas cum eis, et venit Jesus.* Statim ac Jesus ingressus est ad discipulos suos, januis clausis, statim se ad Thomam convertit, cæteris relictis, ad hoc ut ejus se causa præcipue advenisse denotaret, et ne unius e suis salutem negligere videretur. Nam quidquid Deus pro omnibus animabus simul fecit, idem pro quolibet in particulari paratus est præstare. Hæc veritas in duabus parabolis ovis et drachmæ perditæ specialissime exprimitur : *Quis ex vobis homo, qui habet centum oves et si perdiderit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta novem in deserto et vadit ad illam quæ perierat, donec inveniat eam?* Luc., XV, 4. Enimvero certum est prouti ex textu S. Marci, qui eamdem parabolam recenset, colligitur, parabolam hanc, data opera, a Christo eo fine excogitatam fuisse ut Christum tanti unius solius animæ quam omnium aliarum simul collectarum salutem æsti-

mare moneamur : *Sic non est voluntas ante Patrem vestrum, ut pereat unus de pusillis istis.* Tertullianus de Pœnitentia tractans, sequentia post se verba scripta reliquit : « Errat una Pastoris ovicula, sed « grex una charior non est; una illa requiritur, « præ omnibus desideratur; grex illa una charior « non erat. » Notandum quoque quod sancta Mater Ecclesia, post resurrectionem Domini, illud jubeat legi Evangelium in quo dicitur : *Ego sum Pastor bonus; bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis.* Et quidem bonus hic Pastor vitam suam non solum pro omnibus posuit, verum etiam pro unaquaque ovicula in particulari. Cum enim aliquando, ut hodie videmus, unica tantum ovicula ab Apostolici collegii grege per infidelitatem abiisset et passim oberrans circumvagaretur, quid non adhibuit industriæ ut illam denuo ad ovile suum incolumem reduceret; ex industria plagas et cicatrices in corpore suo etiam glorioso impressas reliquit, licet hæ alias glorificato corpori valde impropriæ essent, minimeque convenirent, voluitque ut ovicula hæc errabunda illas videret, tangeret et obducta vulnera denuo aperiret. Unde Chrysologus ait : « Thomas « Apostolus ut Christum Deum crederet, immisit « manus, injecit digitos, patefecit vulnera et ut « Christum crederet iterum pati compulit Chris- « tum. » Theophylactus ait : « Vide quomodo prop- « ter unum hominem, Thomam, non dedignatus « est ita condescendere Dominus et latus osten- « dere, ut salvet animam unam; ita et nos neque « minimum contemnere debemus. »

VERSUS 27.

Deinde dicit Thomæ : Infer digitum tuum huc, et vide manus meas, et affer manum tuam, et mitte in latus meum, et noli esse incredulus, sed fidelis.

Deinde dicit Thomæ : Infer digitum tuum huc.

1. — Per hæc verba, hasque actiones, Christus Thomæ perspicue ostendit, sibi nota et perspecta esse omnia, jamque quævis penetrasse abditissima cordis ejus secreta, dum nimirum illius revelat cogitationes, desideria, omnisque verba, quæ aliis discipulis locutus fuerat; unde Salmeron ait : « Qua « in re ostenditur, se plane Deum esse, qui omnia « noverit ejus verba. » Verum quidem est, Christum justissimam habuisse causam et occasionem illum confundendi, eique incredulitatem et pertinaciam suam improperandi, attamen nullam ei objurgationis umbram seu vestigium proposuit, quin potius omnibus, quæ ab ipso sibi concedi non sine præsumptione petierat, condescendit, omneque ipsius desiderium perfecte complevit, ut ipsum lucrari et in salutis statum reducere posset; nequaquam ad ejus respexit temeritatem et inurbanitatem, qua ipse, qui servus erat, cum Domino suo de conditionibus non satis æquis pacisci et subditus a suo principe, imo injuriam inferens ab injuriato et læso, satisfactiones et capitulationes præscribere et prætendere præsumpsit, hæc omnia, inquam, negligit et dissimulat, nec ullum habet respectum humanarum rationum, dummodo ejus possit operari salutem. Unde Divus Chrysostomus ait : « Astitit « ergo iterum Jesus, neque ab illo rogari exspectat, « neque quidquam tale audire, sed nihil eo dicente, « ipse Jesus primum ejus satisfecit desiderio. » Lucas Brugensis eamdem habet considerationem, dum ait : « Non exspectavit, dum Thomas ipse « rogaret, sed præoccupavit partes ejus et non « requisitus obtulit discipulo, quæ ad credendum « ille requisierat apud condiscipulos, paratum se « exhibens, satisfacere, quamvis inordinato discipuli « desiderio, ejus quem noverat non ex malitia, sed « imbecilitate peccare. »

2. — S. Augustinus, *Serm. de verb. Dom.*, dicit : « Digitos tuos mitte per latus meum et noli esse « incredulus; occisus sum propter te; per locum, « quem vis tangere, sanguinem fudi, ut redime- « rem te. »

3. — S. Thomas, *in Joan.*, Christi admiratur sollicitudinem et vigilantiam, qua quis prospicere festinat et subvenire : « In quo apparet secundum « signum divinæ pietatis, quod electis suis in casu « cito subvenit. » Idemque Angelicus Doctor differentiam ostendit, quæ inter lapsum reproborum et electorum intercedit : « Cadunt electi aliquando, » inquit, « sicut et reprobi, sed differenter, quia « reprobi franguntur, electis vero cito Deus suppo- « nit manum suam, ut resurgant. *Psalm.* XXVI, 24 : « *Cum ceciderit justus, non collidetur, quia Dominus* « *supponit manum suam*; item : *Si dicebam, motus* « *est pes meus, misericordia tua, Domine, adjuvabit* « *me*; et ideo statim supponit Thomæ lapso manum, « ita ut eum diceret : *Nisi videro, non credam*, revo- « cat dicens : *Infer digitum tuum huc et noli esse*, « etc. » S. Thomas de Villanova, *Serm. in hac Dom.*, ait : « Pius pastor ovem suam perire non patitur, « sicut ad Patrem dixerat : *Quos dedisti mihi, non* « *perdidi ex eis quemquam*; discant Prælati, quam « commissis ovibus sollicitudinem exhibeant; si pro « una sola Dominus apparuit, omnis sollicitudo, « omnis labor unius animæ negotio minor est. »

4. — S. Thomas Doctor Angelicus circa digitum S. Thomæ in sensu spirituali ita, *in Joan.*, scribit : « Mystice per digitum discretio designatur, per « manus opus nostrum; monet ergo, et digitum, et « manus in latus ejus mittere, ut quidquid in nobis « est discretionis et operis, in Christi servitium « expendamus. »

Et vide manus meas, et affer manum tuam, et mitte in latus meum.

5. — S. Thomas de Villanova erga hanc S. Thomæ manum sancta quadam invidia motus, dicit : « Felix manus quæ Dominici pectoris secreta rima- « vit; quas divitias non intus invenit? ab illo pec- « tore arcana cœlestia Joannes hauserat dormiendo; « in illo Thomas grandes thesauros reperit scru- « tando; grandis illa schola, quæ tales discipulos « facit. »

6. — Albertus Magnus dictionem illam, *Vide*, ponderans dicit : « Hoc est, intus perspice cum « Propheta Zacharia, XIII, 6 : *Quid sunt plagæ istæ* « *in medio manuum tuarum? Et respondet : His pla-* « *gatus sum in domo eorum, qui diligebant me*, hoc « est, qui me diligere debuerunt; talibus signis « pietatis cognoscere me debes, qualia passus sum « pro te. »

7. — Didacus Stella in Christi vulneribus et apertis manibus, ejus liberalitatem considerat : « Manus, » inquit « invenies perforatas, in quo ejus maxima « bonitas et magnificentia ostenditur. » Cicatrices hasce, licet in corpore glorioso et splendescenti defectus quidam et deformitates esse videantur, retinere voluit, ut se in pietate sua beneficum exhiberet et liberalem, tametsi etiam non nisi unicam animam, qualis S. Thomæ erat, ad salutis statum reducturus esset : « Vide autem, quomodo « propter unum hominem, » inquit Theophylactus, « Thomam non dedignatus est ita condescendere « Dominus et latus ostendere, ut salvet animam « unam, ita et nos quoque minimum contemnere « non debemus. »

8. — Salmeron sacrosanctam Redemptoris nostri considerat humanitatem, quam Apostolo huic ad eum sanandum exhibuit : « Applicat, » inquit, « tanquam medicus bonus convenientem morbo « medicinam, dicendo : *Infer digitum tuum huc*, « sancta namque Christi humanitas præstantissima « quædam ac viva medicina est, quæ homini vivo « secundum spiritum, id est, vitæ fidei et charitatis « private applicatur. »

9. — Jansenius existimat, quod licet Christus S. Thomæ vulnera sua exhibuerit tangenda, ipse tamen ab eorumdem contactu abstinuerit; hic jam credi potest, Thomam, etsi a Domino admonitum ut id faceret quod desideraverat, a contrectando tamen ipsum et loca vulnerum abstinuisse, quod agnita Domini facies et vox ei satisfaccrent et præ reverentia non auderet illum tangere; et quidem ratio, quæ illum ad id credendum movet, hæc est, quia Christus dixit : *Quia vidisti me, Thoma, credidisti*, non vero ait : *Quia vidisti et tetigisti*, quod utique dixisset, si eum tetigisset. Toletus proinde ipsum ex tanta benignitate attonitum hæsisse : « Tanta Domini clementia confusum fuisse, ma- « gnanique et profundam humilitatem concepisse « certum est. »

Additiones.

a. — *Infer digitum tuum huc et noli esse incredulus sed fidelis.* Mira piissimi Redemptoris est condescendentia cum Thoma incredulo, culpam incredulitatemque carpit et simul etiam latus obtulit, superiores edocens sic armari in culpam ut erga peccatorem conservet benevolentiam. Correctio enim cum discretione et dexteritate instituenda est, distinguendo inter personas, confusionem illorum, quoad fieri potest, præcavendo, invehendo solum contra vitium. Apostolus ille, qui de semetipso scribit : *Omnibus omnia factus sum*, dum ad Titum scribit, modum ei suos corrigendi hunc præscribebat : *Argue cum omni imperio.* E contra vero dum idem Apostolus ad Timotheum scribit, ita eum instruit : *Argue, obsecra, increpa cum omni patientia.* At vero quomodo duo hi tam diversi modi increpandi ad invicem consentiunt? Cur idem Magister duobus discipulis suis in una eademque materia lectiones tradit adeo inter se contrarias? S. Gregorius dubium hoc revolvendo dicit, Timotheum virum fuisse supra modum fervidum et divinæ legis zelosum; Titum vero fuisse placidum, affabilem et benignum, qui tamen subditos natura asperrimos habebat et obstinatos, ac proinde necessum erat ut hunc accenderet et ad serio ac ferventer corrigendum extimularet, ut emendarentur, qui corripiendi erant; unde de Cretensium grege ait : *Increpa illos dure.* At vero Timotheo, qui fervidus ac supra modum zelosus erat, opus fuit, ut freno quodam a nimio zelo coerceretur. Considerare nimirum oportet, esse nonnullos, qui dum aperte corriguntur, magis inde pervertuntur et deteriores evadunt, ut proinde S. Gregorius dicat : « Magna præ- « dicationis arte agendum est, ut qui ex aperta cor- « reptione deteriores fiunt, quodam temperamento « correptionis ad salutem redeant : Sic faciebat « Apostolus qui I *Cor.*, XII, ait : *Quæ putamus igno-* « *biliora esse membra corporis, his honorem abun-* « *dantiorem circumdamus, et quæ inhonesta sunt nos-* « *tra, abundantiorem honestatem habent; honesta* « *autem nostra nullius egent.* Sicut enim inhonesta « membra in corpore, ita quidam sunt in S. Eccle- « sia, potentes et protervi, qui dum aperta invec- « tione ferire nequeunt, quasi honore tegminis « velantur. » Summæ charitatis et dexteritatis argumentum est, si quis caveat ne ruborem et confusionem pariat in illo qui reprehenditur. Sic Salvator noster absque eo quod fictionem et hypocrisim illius, cujus, *Matth.*, VII, mentio fit, aperiret, eumdem absque ullo in eodem causato verecundiæ rubore corripuit : « Dupliciter illum juvit, » inquit Euthymius, « et manifestando, quod animæ illius « arcana nosset et illum manifeste arguendo, sed « ipsi soli reprehensionem aperiendo, ut et pudo- « rem effugeret et si vellet corrigeretur. »

Porro ad eamdem dexteritatem pertinet ut arguens calamum acuat et stringat, et linguam exasperet non tam contra personam arguendam quam

adversus vitium reprehendendum : « In adhibendis « vero curationibus, » inquit S. Basilius, « iis qui « vitioso animi affectu aliquo laborant, consuetu« dinem imitari medicorum debet, ut videlicet « ægris non irascatur, sed contra morbum ipsum « pugnet, in eoque impugnando duriori victus « ratione, si ita res postulat, animi vitia sanet. »

Est quoque dexter modus fructuose corrigendi, si corrector prius ungat et postea pungat, id est, si correctioni præmittat corrigendi laudes ac virtutes, et quidquid in eo, qui cæteroquin alia in re reprehensibilis est, boni reperitur, deprædicet et postea reprehensionem suaviter ac placide in secreto subjungat.

b. — Jubet Dominus Thomæ, ut resuleat vulnus lateris et dum Magdalenæ apparuit, ab ea prorsus tangi noluit, dicens ei : *Noli me tangere.* Variæ hujus rei variorum Scriptorum sunt rationes. Non inepte qui hanc assignarit, cæteris non minus veram, quam pro utili morali documento servientem, voluisse nempe Dominum Jesum ostendere, periculosum esse prorsus muliebrem sexum, siquidem in ipsius consortio, etiam viri constantissimi et illuminatissimi periclitati sunt. Rabanus Maurus, de S. Petro in nocte Passionis Christi, in atrio Caiphæ commorante discurrens, quærit : Numquid innumerosa illa summi sacerdotis aula viri deerant, qui S. Petrum Redemptoris discipulum et sequacem esse agnoscerent, ut proinde ad hunc effectum ancilla quædam ostiaria in medium prodire debuerit : *Accessit ad eum una ancilla?* « Quid sibi « vult quod prima eum prodit ancilla, cum viri uti« que eum magis cognoscere potuerint? » Et ad propositum nostrum, ideo id factum esse respondet : « Ut iste sexus peccasse in necem Domini « videretur et iste sexus redimeretur per passio« nem Domini. » S. Joannes Damascenus de conversatione cum mulieribus dicit quod sit « mortifera « conversatio, atque confabulatio. » S. Fulgentius decollationem Baptistæ ab Herode imperatam detestans, ita scribit : « Producitur lasciva carnifex fœ« mina, quæ Prophetam non gladio, sed saltatione « prosternat. Molli puella gressu procedit in medium, « homicidium petitura et adultero placitura. » S. Apostolus, in Epistola prima ad Timotheum, dicit : *Adam non est seductus, mulier autem seducta in prævaricatione fuit.* Etenim cum a serpente se seduci permisit, fallacibus ejus credendo promissionibus, seque per pomi vetiti manducationem, scientiam et similitudinem divinam sibi comparaturum sperans, Adam vero tale sibi mendacium persuaderi non permisit : *Adam non est seductus.* At vero cur igitur interdictum Altissimi tanta cum facilitate prævaricatus fuit, quando se indignationem Dei se incursurum, amissurum omnes cœli inæstimabiles thesauros, atque a Paradiso terrestri pariter et cœlesti exulem se futurum esse non ignorabat? Celebris est illa S. Augustini responsio, scilicet idipsum fecisse ut Evam suam non contristaret. Ecce igitur quam sit sexus iste ad prosternendas quoque solidissimas firmamenti columnas omnipotens et validus : *Dedit viro suo, qui comedit.* Unde S. Bonaventura, ex auctoritate S. Hieronymi dicit : « Si mulier potuit vincere eum qui jam erat in « Paradiso, non est mirum, si eos impediat qui « nondum ad Paradisum pervenerunt. »

c. — Non erat cum cæteris Apostolis Thomas, quando januis clausis intravit Jesus, sed ab eo, ejusque discipulis voluntarius error absentabatur. Attamen pissimus Dominus, qui reliquis discipulis tantum ostendit manus et latus, Thomæ incredulo eadem palpanda offert. Ad quæ verba ita scribit D. Chrysologus, *Serm.* XXXV : « Thomas Apostolus, « ut Christum Deum crederet, immisit manus, in« jecit digitos, patefecit vulnera. Ut Christum cre« deret, iterum pati compulit Christum. » Scilicet ut reliquos discipulos, et totum orbem ad se traheret Christus Deus et a peccato infidelitatis liberaret et cœlesti imbueret fide, semel passus est. Ast Thomas, qui absentabatur ab eo, qui non erat cum eis, qui non bona fide ab eo longe aberrabat, vulnera incredulus renovat et Passionis cruciamenta reiterat : « Iterum pati compulit Christus. » Peccatum enim de novo Christum crucifigit. S. Paulus Apostolus, ut de gravitate et malitia infinita quam peccatum mortale, post Redemptoris in terras adventum, in se habet adæquatum nobis imprimeret conceptum, hanc statuit conclusionem, *Hebr.*, VI, 6 : *Rursus crucifigentes sibimetipsis Filium Dei.* Quid vero in detestationem peccati amplius, sive dici, sive imaginatione concipi potuit? Pro cujus melior intelligentia, sequens necessario supponenda est veritas indubitata, scilicet quod spinæ, clavi cunctaque alia passionis Redemptoris nostri instrumenta, nullam prorsus ad illum crucifigendum vim habituram fuissent, nisi suum a peccato recepissent vigorem et activitatem. Nam ut Isaias prædixit : *Vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.* Et paulo inferius in eodem capite majori cum perspicuitate dicit Pater Æternus : *Propter scelus populi mei percussi eum.* Quam veritatem sancti Patres, a Deo specialiter illuminati, egregie intellexerunt : ac proinde S. Bonaventura fideles exhortabatur inquiens : « Non Filium Dei « flagellemus per dilectionem peccati, quia miti« gandus est ejus dolor, non amplius innovandus. » S. Antoninus in Summa sua, de peccatore inquit : « In faciem Christi conspuit et quantum in eo est « iterum crucifigit. » Dionysius Carthusianus, verba illa : *Ostentui habentes*, exponens, inquit : « Id est, « eum irrident; nam et crucifixoribus et irrisoribus « Christi consimiles sunt. » Tametsi enim verum sit quod Christus ad dexteram Patris residens utpote gloriosus, prorsus sit impossibilis; attamen peccatores, quantum est ex parte ipsorum, si possent, causam crucifixionis ejus renovare non desinerent.

Versus 28.

Respondit Thomas, et dixit ei : Dominus meus et Deus meus.

1. — S. Thomas, *in Joan.*, Apostolum hunc subito in profundum quemdam Theologum evasisse dicit : « Apparet, quod statim factus est Thomas « bonus Theologus, veram fidem confitendo. » Humanitatem namque ejus confessus est, quando dixit : *Dominus meus*, hoc etenim nomine eum ante passionem ejus nominare solebant, *Joan.*, XIII, 13 : *Vos vocatis me Magister et Domine, et bene dicitis.* Dum vero ait : *Deus meus*, divinam ejus confessus est naturam, neque enim Apostoli ipsum antea hoc nomine *Deus* appellasse leguntur.

2. — « Quemadmodum ad credendum fuerat « difficilior, » inquit Jansenius, « ita nemo clarius « divinitatem ejus professus est. » S. Augustinus, *Serm.* LIV *in append.*, hanc infidelitatem valde desiderabilem fuisse ostendit; dicit enim : « Quam bona « ignorantia, quæ erudivit ignaros! Quam bona « infidelitas, quæ sæculorum fidei militavit. » B. Laurentius Justinianus, *Serm. de S. Th.*, ait : « Per « unius infidelitatem universam voluit erudire Eccle« siam. » Chrysologus dicit, *Serm.* LXXXIV, Redemptorem tacite Thomæ dicere voluisse : « *Infer digi« tum tuum huc*, ut effundant toto orbe iterum te « aperiente hæc vulnera fidem, veniant et audiant « hæretici. » B. Petrus Damianus ait : « Evertit « errores atque versutias hæreticæ pravitatis. » S. Thomas de Villanova hanc Thomæ confessionem ei, quæ alias a S. Petro facta fuerat, anteponit, dicens : « Expressius intonat Thomas : *Dominus meus et « Deus meus*, simplici verbo utramque naturam in « Christo confessus. »

3. — Nec mirum, quia in illo veræ sapientiæ ærario, *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei*, in vera theologia eruditus fuit, præterquam quod S. Bernardus de schola Passionis scribat, *Serm.* XLVIII *in Cant.* : « In illa enim sapientia est, in illa « justificationis nostræ perfectio, in illa scientiæ « plenitudo, in illa salutis divitiæ, in illa abundan« tia meritorum est, » et ideo ad unicum vulnerum illorum aspectum, obstinationis ejus gelu dissolutum fuit. Unde S. Bonaventura, *de stigm.*, exclamat : « O vulnera, corda vulnerantia et mentes « congelatas inflammantia, et pectora adamantina « liquefacientia! »

Versus 29.

Dixit ei Jesus : Quia vidisti me, Thoma, credidisti; Beati qui non viderunt et crediderunt.

1. — S. Thomas Doctor Angelicus dubium hoc loco movet, dicens : « Cum fides sit substantia spe« randarum rerum, argumentum non apparentium, « ut dicitur, *Hebr.*, XI, 1, quomodo hic Dominus « dicit : *Quia vidisti me, Thoma, credidisti?* » Moxque subjungit : « Sed dicendum, quod aliud vidit, aliud « credidit; vidit et hominem et cicatrices, et ex hoc « credidit divinitatem resurgentis. »

2. — Idem quoque Angelicus Doctor aliam movet difficultatem, nimirum ex quo S. Thomas se resurrectionem Christi nequaquam crediturum esse protestatus fuit, nisi vulnera ejus videret pariter et tangeret, cur Christus postea solum dixit : *Quia vidisti me*, non vero dicit : *Tetigisti me?* Cui difficultati per adductam S. Augustini auctoritatem respondet : « Sensus visus utimur pro quolibet sensu; « dicimus enim : Vide quomodo sonat, quomodo « sapit. Dicit ergo : *Infer digitum tuum huc et vide;* « non quod in digito sit visus, sed dicitur quasi : « Tange et experire. » Cui eidem difficultati aliam quoque subjungit responsionem, dum ait : « Vel « dicendum, quod Thomas videns vulnera et cica« trices, confessus est in seipso et antequam pone« ret digitum, credidit et dixit : *Dominus meus et « Deus meus.* »

3. — Celebre valde est illud S. Augustini axioma, dicentis, *Enchir.*, XXV : « Melius judicavit de malis « benefacere, quam mala nulla esse permittere. » Poterat quidem Christus hunc Apostolum sustinere erectum, ne caderet, nec tamen lapsum ejus impedire voluit, ut postea tanto gloriosius post lapsum resurgeret. Ipse etenim est, qui quæ cunctis aliis Apostolis hunc adeo difficilem resurrectionis articulum, toti mundo annuntiavit, adeo ut B. Petrus Damianus de digito S. Thomæ, qui hic Romæ in Basilica S. Crucis in Jerusalem velut miraculosa quædam reliquia, integer conservatur, dicat : « Cu« jus digitus magister factus est mundi, qui princi« pali quadam dignitati vere dicendus est judex, « huic veritatem Dominicæ carnis ignorantibus « indicavit. » Ecce tibi bonum, quod Deus elicere novit ex lapsibus electorum, de quibus Apostolus, *Rom.*, VIII, 28, scribit : *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum;* « etiam peccata, » inquit Glossa. S. Ambrosius dicit : « Sancti Domini, qui « consummare pium certamen gestiunt et currere « cursum salutis, sicubi forte ut homines corruerint, « naturæ magis fragilitate quam peccandi libidine, « acrius ad currendum insurgunt, pudoris stimulo « majora reparantes certamina, ut non solum nul« lum attulisse æstimetur lapsus impedimentum, « sed etiam velocitatis incentiva cumulasse; » id quod in S. Thoma ad litteram adimpletum fuit. De illo namque Dionysius Carthusianus ita scribit : « Innumerabiles pro Deo persecutiones patientix« sime tulit, infatigabiliter laboravit; » et vere ita est; nam si vastitas et numerus provinciarum et regnorum, quæ cum tanto Christianæ religionis

profectu et augmento peragravit, ad trutinam revocentur, totum quasi mundum, ut ita dicam, penetrasse dici potest. Unde B. Laurentius Justinianus in sermone quodam de hoc sancto dicit quod fecerit « innumerabilium conversionem populorum. » Et Carthusianus in eodem sermone dicit, « copiosissimum. »

4. — Considerare quoque hoc loco possumus miram vulnerum Redemptoris nostri efficaciam, siquidem tametsi solæ eorum apparuerint cicatrices, nullusque inde pro tunc sangais manarit, quin potius incorruptibilia et splendescentia fuerint, attamen in Thoma antea obstinato et contumaci, atque in amore Redemptoris sui adeo gelido, incredulo et arrogante, adeo vivides produxerunt veræ fidei, sapientiæ altissimæ, charitatis, humilitatis, omniumque aliarum virtutum sensus et affectus, ut proinde S. Bonaventura de hisce vulneribus scribat, quod sunt « fundamentum fidei, erectio spei et « inflammatio charitatis; » unde et sancta Mater Ecclesia etiam per hoc totum tempus Paschale, amaræ passionis Christi, nobis valde efficaciter inculcat memoriam, dum nobis toto Paschali tempore, in Officio divino Crucis commemorationem facere præcipit, ut hac ratione statum gratiæ, quem sanctis hisce præteritis diebus nobis acquisivimus, perenniter continuare valeamus; ad hoc enim vel maxime proderit, si oculos cordis nostri in sacrosancta Christi vulnera defixos teneamus, serio considerando quanto pretio peccata nostra Deo constiterint. Unde S. Augustinus, *Serm.* IV *ad frat.*, ait : *Ut pellem vitiorum deponamus, per foramen stigmatum Christi transeamus.* Porro S. Antonius Paduanus dicit, quod Redemptor per hanc vulnerum suorum exhibitionem, non solum S. Thomam, sed et omnes nos, quotquot sumus, fideles enixe roget, ne illa per peccata nostra denuo aperiamus : « Ostendit rogans, « ut sibi compatiens, clavis peccatorum iterum ip- « sum non crucifigamus. »

DOMINICA SECUNDA POST PASCHA

EVANGELIUM JOANNIS, CAP. X, VERS. 11

11. Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis.

12. Mercenarius autem, et qui non est pastor, cujus non sunt oves propriæ, videt lupum venientem, et dimittit oves, et fugit, et lupus rapit, et dispergit oves.

13. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, et non pertinet ad eum de ovibus.

14. Ego sum pastor bonus, et cognosco oves meas, et cognoscunt me meæ.

15. Sicut novit me Pater, et ego agnosco Patrem, et animam meam pono pro ovibus meis.

16. Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile et unus pastor.

VERSUS 11.

Ego sum pastor bonus; bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis.

Ego sum pastor.

1. — Sancta Mater Ecclesia opportune nobis, in hac Dominica, Evangelium quoddam proponit, in quo se Redemptor noster, non semel, sed sæpius pastorem bonum appellat, id quod antea in ipsis effectibus demonstravit, dum pro salute gregis sui, vitam suam prodegit, et post resurrectionem suam, per quadraginta dierum spatium hic in terris, inter nos mortales commoratus, nihil aliud adeo sollicite facere sategit, quam ut dispersum gregem suum in unum simul congregare studuerit, ad Ecclesiæ ovile eumdem reducendo, eoque fine suos quoque erudiendo Apostolos, *Act. Ap.*, I, 3 : *Per dies quadraginta apparens eis, et loquens de regno Dei.* Quibus proinde cum peccata remittendi potestatem dedisset, prouti præcedenti Dominica vidimus, nunc boni Pastoris et Prælati ecclesiastici partes, et officium plenius expectare constituit.

2. — Porro ex quo a mortuis gloriosus et immortalis resurgens adversus mortem et infernum victor evasit, merito sibi gloriosiores speciosioresque titulos, nimirum Filii Dei altissimi, Regis regum, Dei exercituum, Regis gloriæ, vel alios similes sibi vendicare debuisset, nec tamen id fecit, sed pastoris munus et titulum sibi assumpsit, titulum videlicet humilitatis et amoris, ut per hoc nobis insinuaret, se in hoc glorioso tantæque majestatis statu humilitatem et benignitatem suam nequaquam deposuisse, idque, ut reor, ideo fecit, ut nos tanquam oves perditas sibi denuo compararet et ad gregem suum reduceret, in cujus evidens signum, eodem, quo resurrexerat die, duos e discipulis suis errabundos, in Emmaus contendere videns, ipse quoque

assumpta sibi viri peregre proficiscentis specie, eorum se societatis adjunxit, cum iis tamdiu progressus fuit, donec eosdem affabilitate sermonum suorum in viam rectam, id est, in notitiam et fidem resurrectionis suæ perduceret.

3. — Chrysologus, in sermone VI *in Psalm.* XCIX, ita scribit : « Deus mitissimi pastoris elegit officium, « personam pastoris induit, ut vagos populos, dis- « persas longe lateque gentes velut errantes oves in « unum pastor misericors congregaret. » Prout hodie in Epistola ad Missam lecta, quæ ex Epistola I S. Petri, II, 25, ejus nimirum, cui dixerat : *Tu es pastor ovium, princeps Apostolorum*, desumpta fuit, hisce claris verbis a nobis lectum fuit : *Eratis sicut oves errantes, sed conversi estis nunc ad pastorem*; Gentiles enim ad cœli ovile a Deo electi, quales nos omnes eramus, per idololatriæ, aliorumque millenorum errorum præruptа dispersi, ad inferni barathrum irreparabiliter ambulant. Unde Isaias, LIII, 6, ait : *Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam declinavit*, imo quilibet populus inter gentes suis erat particularibus erroribus imbutus, adeoque in tot præruptis homines gentiles tunc pericitabantur, quot erant profana numina, quæ adorabant, Jovis nimirum, Saturni, Veneris, imo et crocodilorum, ceparum et porrorum simulachra; et Roma ipsa, ut S. Leo, *in nat. Apost. Petr. et Paul.*, scribit : « Magnam sibi videbatur assumpsisse religionem, « quia nullam respuebat falsitatem, omniumque « gentium serviebat erroribus. » Hujus igitur gregis dispersioni amantissimus hic Pastor compatiens, dum vix jam a mortuis resurrexerat, Petrum ad se accersivit, eique trina vice, quoad charitatis virtutem examinato, gregem hunc consignavit, ut eum in salutaribus Evangelicæ doctrinæ suæ pasculis pasceret et enutriret, ac demum ad cœli ovile perduceret, *Joan.*, XXI, 17 : *Pasce agnos meos, pasce oves meas.* Id quod multis sæculis antea ab Ezechiele XXXIV, 22, prædictum fuerat; ubi Deus per os Prophetæ ita loquitur : *Salvabo gregem meum, et non erit ultra in rapinam, et suscitabo super eos pastorem unum, qui pascat eos.*

4. — Porro Deus hunc Pastoris titulum maximi facit, siquidem dum sub figura parabolæ de ove perdita, redemptionis humanæ naturæ mentionem faceret, semetipsum nobis sub specie pastoris ob oculos posuit, qui eamdem post multos sudores et labores quæsitam ac demum inventam, suisque humeris impositam, salvam et incolumem ad ovile reportavit. Quæ omnia plane conformia erant illi, quod diu ante Prophetam Evangelicum conscribere jusserat, qui postquam dixisset, LIII, 10 : *Omnes nos quasi oves erravimus*, immediate sequentibus verbis exponit, qualiter omnes nostri errores, ut condigna satisfactione redimerentur, hujusce Pastoris humeris impositi fuerint : *Et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrorum.* Unde S. Ambrosius, *in Psal.* CXVIII, dicit : « Pro rationali grege, Christus seipsum « passioni corporis non negavit, ovem lapsam, ut « crucis suæ humeris superponens pii oneris func- « tione recrearet. » Tertullianus, in annalibus Ecclesiasticis relatus, testatur olim devotis Christi fidelibus in usu positum fuisse, ut in calicibus, in quibus pretiosus Christi sanguis consecrabatur, Pastorem quemdam in humeris suis oviculam bajulantem effigiarent, ut hac ratione Sacerdotes ad imitandam Salvatoris charitatem excitarent : « Ubi est ovis « perdita a Domino requisita, et humeris ejus re- « vecta. » Hæc eadem figura, ut Baronius scribit, in cæmeteriis antiquis quoque passim conspicitur, atque e primis nascentis Ecclesiæ temporibus, in pastorum et prælatorum ecclesiasticorum maxime insignium vestibus sacerdotalibus, præcipue in pallio archiepiscopali expressa geritur, de quo Isidorus Pelusiota, *lib.* I, *Epist.* 130, ita scribit : « Illud enim amiculum ex lana contextum, quod « illi gestant humeris, ovis illius, quam Dominus « aberrantem quæsivit, inventamque humeris suis « sustinuit, pellem designat. » In ecclesiis quoque S. Joannis Lateranensis, S. Laurentii extra muros, S. Sebastiani, SS. Cosmæ et Damiani, hæ Christi imagines, similitudinem pastoris, oviculam in humeris suis bajulantis referentes, expressæ conspicuntur, ad denotandum nobis, quantum Redemptor noster de hoc nomine et officio pastoris glorietur et gaudeat, in hujus namque signum primitivi Christiani ipsum in hac figura delineare solebant.

5. — Considerari etiam hoc loco merult, quod Christus in tugurio quodam, seu pastorum habitaculo nasci, in præsepio quodam, ad quod greges duci solebant, jam natus reponi, ac demum mox ut natus fuit primo omnium loco pastoribus recipi et visitari elegerit; quibus etiam de cœlo legatum misit, qui eos suæ facerent nativitatis jam factæ conscios. S. Ambrosius, *lib.* II *in Luc.*, ad id quod pastores in illa nocte vigilasse dicantur, sese reflectens, dicit : *Bene pastores vigilant, quos bonus Pastor informat.*

Bonus.

6. — Porro Filius Dei incarnatus sæpius quidem titulum sibi lucis, Salvatoris, viæ, vitæ, veritatis, Regis, assumpsisse legitur, nunquam tamen sibi hunc titulum, *bonus*, vendicasse reperitur, imo dum aliquando hoc titulo honoraretur, eumdem non sine indignatione eum recepisse constat; *Matt.*, XIX, 16 : *Et ecce unus accedens ait illi : Magister bone, quid boni faciam, ut habeam vitam æternam? qui dixit ei : Quid me interrogas de bono? Unus est bonus Deus*, quasi dicere voluisset quod bonum esse proprietas quædam sit, quæ soli Deo convenit. Cur igitur eadem increata Sapientia, nunc sibimetipsi nomen imponit, dum se non Deum, sed pastorem appellat? utique hic dicere convenit, Christum

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

profectu et augmento peragravit, ad trutinam revocentur, totum quasi mundum, ut ita dicam, penetrasse dici potest. Unde B. Laurentius Justinianus in sermone quodam de hoc sancto dicit quod fecerit « innumerabilium conversionem populorum. » Et Carthusianus in eodem sermone dicit, « copiosissimum. »

4. — Considerare quoque hoc loco possumus miram vulnerum Redemptoris nostri efficaciam, siquidem tametsi solæ eorum apparuerint cicatrices, nullusque inde pro tunc sangais manarit, quin potius incorruptibilia et splendescentia fuerint, attamen in Thoma antea obstinato et contumaci, atque in amore Redemptoris sui adeo gelido, incredulo et arrogante, adeo vivides produxerunt veræ fidei, sapientiæ altissimæ, charitatis, humilitatis, omniumque aliarum virtutum sensus et affectus, ut proinde S. Bonaventura de hisce vulneribus scribat, quod sunt « fundamentum fidei, erectio spei et « inflammatio charitatis; » unde et sancta Mater Ecclesia etiam per hoc totum tempus Paschale, amaræ passionis Christi, nobis valde efficaciter inculcat memoriam, dum nobis toto Paschali tempore, in Officio divino Crucis commemorationem facere præcipit, ut hac ratione statum gratiæ, quem sanctis hisce præteritis diebus nobis acquisivimus, perenniter continuare valeamus; ad hoc enim vel maxime proderit, si oculos cordis nostri in sacrosancta Christi vulnera defixos teneamus, serio considerando quanto pretio peccata nostra Deo constiterint. Unde S. Augustinus, *Serm.* IV *ad frat.*, ait : *Ut pellem vitiorum deponamus, per foramen stigmatum Christi transeamus.* Porro S. Antonius Paduanus dicit, quod Redemptor per hanc vulnerum suorum exhibitionem, non solum S. Thomam, sed et omnes nos, quotquot sumus, fideles enixe roget, ne illa per peccata nostra denuo aperiamus : « Ostendit rogans, « ut sibi compatiens, clavis peccatorum iterum ip- « sum non crucifigamus. »

DOMINICA SECUNDA POST PASCHA

EVANGELIUM JOANNIS, CAP. X, VERS. 11

11. Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis.

12. Mercenarius autem, et qui non est pastor, cujus non sunt oves propriæ, videt lupum venientem, et dimittit oves, et fugit, et lupus rapit, et dispergit oves.

13. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, et non pertinet ad eum de ovibus.

14. Ego sum pastor bonus, et cognosco oves meas, et cognoscunt me meæ.

15. Sicut novit me Pater, et ego agnosco Patrem, et animam meam pono pro ovibus meis.

16. Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile et unus pastor.

VERSUS 11.

Ego sum pastor bonus; bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis.

Ego sum pastor.

1. — Sancta Mater Ecclesia opportune nobis, in hac Dominica, Evangelium quoddam proponit, in quo se Redemptor noster, non semel, sed sæpius pastorem bonum appellat, id quod antea in ipsis effectibus demonstravit, dum pro salute gregis sui, vitam suam prodegit, et post resurrectionem suam, per quadraginta dierum spatium hic in terris, inter nos mortales commoratus, nihil aliud adeo sollicite facere sategit, quam ut dispersum gregem suum in unum simul congregare studuerit, ad Ecclesiæ ovile eumdem reducendo, eoque fine suos quoque erudiendo Apostolos, *Act. Ap.*, I, 3 : *Per dies quadraginta apparens eis, et loquens de regno Dei.* Quibus proinde cum peccata remittendi potestatem dedisset, prouti præcedenti Dominica vidimus, nunc boni Pastoris et Prælati ecclesiastici partes, et officium plenius expectare constituit.

2. — Porro ex quo a mortuis gloriosus et immortalis resurgens adversus mortem et infernum victor evasit, merito sibi gloriosiores speciosioresque titulos, nimirum Filii Dei altissimi, Regis regum, Dei exercituum, Regis gloriæ, vel alios similes sibi vendicare debuisset, nec tamen id fecit, sed pastoris munus et titulum sibi assumpsit, titulum videlicet humilitatis et amoris, ut per hoc nobis insinuaret, se in hoc glorioso tantæque majestatis statu humilitatem et benignitatem suam nequaquam deposuisse, idque, ut reor, ideo fecit, ut nos tanquam oves perditas sibi denuo compararet et ad gregem suum reduceret, in cujus evidens signum, eodem, quo resurrexerat die, duos e discipulis suis errabundos, in Emmaus contendere videns, ipse quoque

assumpta sibi viri peregre proficiscentis specie, eorum se societatis adjunxit, cum iis tamdiu progressus fuit, donec eosdem affabilitate sermonum suorum in viam rectam, id est, in notitiam et fidem resurrectionis suæ perduceret.

3. — Chrysologus, in sermone VI *in Psalm.* XCIX, ita scribit : « Deus mitissimi pastoris elegit officium, « personam pastoris induit, ut vagos populos, dis- « persas longe lateque gentes velut errantes oves in « unum pastor misericors congregaret. » Prout hodie in Epistola ad Missam lecta, quæ ex Epistola I S. Petri, II, 25, ejus nimirum, cui dixerat : *Tu es pastor ovium, princeps Apostolorum*, desumpta fuit, hisce claris verbis a nobis lectum fuit : *Eratis sicut oves errantes, sed conversi estis nunc ad pastorem*; Gentiles enim ad cœli ovile a Deo electi, quales nos omnes eramus, per idololatriæ, aliorumque millenorum errorum præruptа dispersi, ad inferni barathrum irreparabiliter ambulant. Unde Isaias, LIII, 6, ait : *Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam declinavit*, imo quilibet populus inter gentes suis erat particularibus erroribus imbutus, adeoque in tot præruptis homines gentiles tunc pericitabantur, quot erant profana numina, quæ adorabant, Jovis nimirum, Saturni, Veneris, imo et crocodilorum, ceparum et porrorum simulachra; et Roma ipsa, ut S. Leo, *in nat. Apost. Petr. et Paul.*, scribit : « Magnam sibi videbatur assumpsisse religionem, « quia nullam respuebat falsitatem, omniumque « gentium serviebat erroribus. » Hujus igitur gregis dispersioni amantissimus hic Pastor compatiens, dum vix jam a mortuis resurrexerat, Petrum ad se accersivit, eique trina vice, quoad charitatis virtutem examinato, gregem hunc consignavit, ut eum in salutaribus Evangelicæ doctrinæ suæ pasculis pasceret et enutriret, ac demum ad cœli ovile perduceret, *Joan.*, XXI, 17 : *Pasce agnos meos, pasce oves meas.* Id quod multis sæculis antea ab Ezechiele XXXIV, 22, prædictum fuerat; ubi Deus per os Prophetæ ita loquitur : *Salvabo gregem meum, et non erit ultra in rapinam, et suscitabo super eos pastorem unum, qui pascat eos.*

4. — Porro Deus hunc Pastoris titulum maximi facit, siquidem dum sub figura parabolæ de ove perdita, redemptionis humanæ naturæ mentionem faceret, semetipsum nobis sub specie pastoris ob oculos posuit, qui eamdem post multos sudores et labores quæsitam ac demum inventam, suisque humeris impositam, salvam et incolumem ad ovile reportavit. Quæ omnia plane conformia erant illi, quod diu ante Prophetam Evangelicum conscribere jusserat, qui postquam dixisset, LIII, 10 : *Omnes nos quasi oves erravimus*, immediate sequentibus verbis exponit, qualiter omnes nostri errores, ut condigna satisfactione redimerentur, hujusce Pastoris humeris impositi fuerint : *Et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrorum.* Unde S. Ambrosius, *in Psal.* CXVIII, dicit : « Pro rationali grege, Christus seipsum « passioni corporis non negavit, ovem lapsam, ut « crucis suæ humeris superponens pii oneris func- « tione recrearet. » Tertullianus, in annalibus Ecclesiasticis relatus, testatur olim devotis Christi fidelibus in usu positum fuisse, ut in calicibus, in quibus pretiosus Christi sanguis consecrabatur, Pastorem quemdam in humeris suis oviculam bajulantem effigiarent, ut hac ratione Sacerdotes ad imitandam Salvatoris charitatem excitarent : « Ubi est ovis « perdita a Domino requisita, et humeris ejus re- « vecta. » Hæc eadem figura, ut Baronius scribit, in cæmeteriis antiquis quoque passim conspicitur, atque e primis nascentis Ecclesiæ temporibus, in pastorum et prælatorum ecclesiasticorum maxime insignium vestibus sacerdotalibus, præcipue in pallio archiepiscopali expressa geritur, de quo Isidorus Pelusiota, *lib.* I, *Epist.* 130, ita scribit : « Illud enim amiculum ex lana contextum, quod « illi gestant humeris, ovis illius, quam Dominus « aberrantem quæsivit, inventamque humeris suis « sustinuit, pellem designat. » In ecclesiis quoque S. Joannis Lateranensis, S. Laurentii extra muros, S. Sebastiani, SS. Cosmæ et Damiani, hæ Christi imagines, similitudinem pastoris, oviculam in humeris suis bajulantis referentes, expressæ conspicuntur, ad denotandum nobis, quantum Redemptor noster de hoc nomine et officio pastoris glorietur et gaudeat, in hujus namque signum primitivi Christiani ipsum in hac figura delineare solebant.

5. — Considerari etiam hoc loco merult, quod Christus in tugurio quodam, seu pastorum habitaculo nasci, in præsepio quodam, ad quod greges duci solebant, jam natus reponi, ac demum mox ut natus fuit primo omnium loco pastoribus recipi et visitari elegerit; quibus etiam de cœlo legatum misit, qui eos suæ facerent nativitatis jam factæ conscios. S. Ambrosius, *lib.* II *in Luc.*, ad id quod pastores in illa nocte vigilasse dicantur, sese reflectens, dicit : *Bene pastores vigilant, quos bonus Pastor informat.*

Bonus.

6. — Porro Filius Dei incarnatus sæpius quidem titulum sibi lucis, Salvatoris, viæ, vitæ, veritatis, Regis, assumpsisse legitur, nunquam tamen sibi hunc titulum, *bonus*, vendicasse reperitur, imo dum aliquando hoc titulo honoraretur, eumdem non sine indignatione eum recepisse constat; *Matt.*, XIX, 16 : *Et ecce unus accedens ait illi : Magister bone, quid boni faciam, ut habeam vitam æternam? qui dixit ei : Quid me interrogas de bono? Unus est bonus Deus*, quasi dicere voluisset quod bonum esse proprietas quædam sit, quæ soli Deo convenit. Cur igitur eadem increata Sapientia, nunc sibimetipsi nomen imponit, dum se non Deum, sed pastorem appellat? utique hic dicere convenit, Christum

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

dicere voluisse quod, sicut nullus bonus est, nisi Deus, ita quoque nullus fuerit hactenus ea, qua ipse bonitate præditus, quoque hic titulus divinitati suæ et curæ ejus pastorali ex æquo conveniat, Toletus ait : « Est autem articulus græcus appositus « duplex; nempe, ego sum pastor, *ille* bonus, ut « per hoc significet Dominus se esse illum verum « pastorem, promissum in Prophetis. » Albertus Magnus ait : « *Bonus* in natura; *bonus* in gratia, « *bonus* in pastorali cura. » Cajetanus considerat Christum non solum dixisse : *Ego sum pastor*, sed adjunxisse : *ille pastor*, « et si ambigeres quis est « ille, subjungitur : *ille bonus*, ad significandum « quod est summus pastor, summe bonus. » Lucas Brugensis ita exponit. « Unus et singularis per « Prophetas nominatim *Ezech.*, XXXIV, 23, promissus « pastor magnus ovium, quem vocat Paulus, *Hebr.*, « XIII, 20, *Principem pastorum, et Episcopum animarum nostrarum*, et Petrus, *Epist.* I, *cap.* II. »

7. — Tertullianus de oratione Dominica tractans, primamque illius dictionem, scilicet, *Pater*, ponderans, hæc pulchra verba habet : « Tam pater nemo, « tam pius nemo, » ita quoque de hoc pastore asserere possumus et dicere : Tam pastor nemo, tam bonus nemo. Inter alia Davidis pastoreuli generosa facinora, hoc quoque ex ipsismet Davidis ore habemus, I *Reg.*, XII, 34, dicentis : *Pascebat gregem servus tuus, et veniebat leo, vel ursus, et tollebat arietem de medio gregis, et persequebar eos, et percutiebam eruebamque de ore eorum*. Longe præstantiora sunt hujusce nostri optimi pastoris, pro grege suo præstita opera; quot enim animas bonus hic pastor e luporum infernalium faucibus liberavit? et maxime leonis illius, de quo supremus pastor, I *Petr.*, V, 8, ita scribit : *Adversarius vester diabolus, tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret?* In Offertorio Missæ pro defunctis, hisce cum verbis invocamus : « Libera animas omnium fidelium de ore « leonis. » Hujusce boni pastoris fideliter et sollicite sibi impensam curam David grata mente recolens, *Psal.* XXIII, 2, dicit : *In loco pascuæ ibi me collocavit, super aquam refectionis educavit me*, atque ideo deinceps pergit ostendere, qualiter nihil sibi adversi metuat, quamdiu sub protectionis ipsius umbra constitutus fuerit : *Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.*

8. — Jacob Patriarcha optimi et vigilantis pastoris typum expressit, dum inter cætera, *Gen.*, XXXI, 40, dicit : *Die noctuque æstu urebar et gelu, fugiebat somnus ab oculis meis*. Pari quoque modo Christus adeo se vigilantem exhibuit, ut sub mediam noctem, quando omnes vitiorum nostrorum lethargo sepulti nostrique ipsius prorsus obliti eramus, de cælo descenderit, *Sap.*, XVIII, 14 : *Dum quietum silentium continerent omnia et nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus de cælo a regalibus sedibus venit*; sanguinem quoque sudaverit, *Luc.*, XXII, 44 : *Sudor ejus sicut guttæ sanguinis*; summe fatigatus fuerit, *Jo.*, IV, 6 : *Fatigatus ex itinere*; denique oculis suis somnum nunquam indulserit, *Psal.* CXX : *Non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel*, adeoque divino huic pastori adaptari possit, quod de S. Cypriano S. Augustinus scripsit : « Vicina corporis morte, non moriebatur in animo « pastoris vigilantia pastoralis, et cura tuendi « Dominici gregis, usque ad extremum vitæ hujus « diem mente sobria tenebatur. » Ipsemet Apostolis suis dixerat, *Luc.*, XII, 32 : *Nolite timere, pusillus grex*, quibus verbis sollicitam ipsorum eis promisit custodiam, eamdemque promissionem adimplevit, quia ut in horto Gethsemani, eorumdem securitati consuleret, suipsius penitus oblitus, nihil adeo curavit, quam ut illos e famelicorum luporum illorum faucibus eriperet, *Joan.*, XVIII, 8 : *Si me quæritis, sinite hos abire*. Hanc quoque tutelam curamque pastoralem circa tot animas electas quovis tempore, præcipue vero, quando Martyres in summis constituti erant persecutionum et certaminum procellis egregie exhibuit.

9. — In Evangelio S. Joannis, X, 3, Salvator inter alia boni alicujus pastoris præconia, hoc quoque recenset, quod distinctam et singularem habeat ovium suarum notitiam : *Proprias oves vocat nominatim*. Hic autem cælestis pastor non solum unamquamque animam cognoscit et diligit, verum etiam pro unaquaque, si id necessitas poscret, suam positurus esset animam, id quod Apostolus his verbis testatur, *Gal.*, II, 20, dum ait : *In fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me*. Circa quæ verba Chrysostomus asserit quod si non nisi unica duntaxat anima in mundo redimenda fuisset, divinus hic pastor pro illa redimenda in ipsas mortis fauces sese utique conjecturus fuisset. Hujus quoque curæ et providentiæ pastoralis, S. Augustinus manifestum perhibet testimonium, dum ait : « Sic curat unumquemque nostrum, tanquam « solum curet, et sic omnes tanquam singulos. »

10. — Boni pastoris proprium est, veste se pellicea induere, ut gregis sui velleribus exactius sese conformet, hacque ratione ab iisdem magis diligatur, et timeatur minus. Porro Deus in veteri Testamento : *Deus exercituum* appellatus, tantum illius temporis hominibus incutiebat timorem, ut Moysi dixerint, *Exod.*, XX, 19 : *Non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur*. Unde et Isaias, I, 5, ait, quod fuerit *justitia cingulum lumborum ejus*; at vero nunc, ut hunc nobis timorem propulsaret, nostra hac mortalis carnis trabea vestire se voluit, *Philip.*, II, 6 : *Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, et habitu inventus ut homo*; et ideo antequam S. Joannes Redemptorem nostrum primitus digito commonstravit, dicens : *Ecce Agnus Dei*, Baruch jam dudum prophetizando,

III, 38, dixerat : *In terris visus est, et cum hominibus conversatus est*. Porro diabolica crudelitatis Neronianæ adversum Christianos inventio fuit, qua illos ferarum pellibus super indui jussit, ut canes feris dilaniandis assuefacti, illos quoque protinus dilaniarent, ne alias illos forte agnoscentes, in veneratione haberent; at longe ingeniosior modus ab hoc divino pastore adinventus est : cum enim sciret, quod, si in manifesta divinæ majestatis et omnipotentiæ suæ similitudine in mundo compararet, nullus adeo temerarius futurus esset, qui mortem ei inferre auderet, quia *si cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent*, ac proinde numquam pro redemptione nostra vitam et sanguinem suum profusurus esset, certum quemdam se sub hisce mortalitatis nostræ exuviis abscondendi modum adinvenit, ut hac ratione ad inferendam sibi mortem, Hebræorum adversus se odium et impios ausus provocaret, indeque in ipsos et universum genus humanum vita, eaque æterna derivari posset. Quoniam *circumdederunt me canes multi, concilium malignantium obsedit me. Foderunt manus meas et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea*, etc. *Psal.* XXI, 17, 18.

11. — *Tam pastor nemo, tam bonus nemo*. Enimvero pastores nostri gregem suum optime quidem pascunt, non tamen id ex aliquo, quo illum prosequantur, faciunt amore, sed propter utilitatem, quæ in illos inde resultat; siquidem ex ovium lanis et pellibus vestuntur, ex carne vero et lacte earum nutriuntur : aliaque inde sibi comparant emolumenta; non vero sic Deus noster facit, cui Psalmista, *Psal.* XV, 2, libere dicit : *Dixi Domino : Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges*, et Psalmo XLIX, 12 : *Si esuriero, non dicam tibi, meus est enim orbis terræ*; imo ipse egenus factus est, ut nos divites et locupletes efficeret : *Exinanivit semetipsum*. Neque ipse sibi a nobis vestes assumit, sed potius nos ipso vestiri debemus, unde Apostolus, *Philip.*, 7, nos exhortatur : *Induimini Dominum Jesum Christum*. Et tametsi ipse hac nostra se carne vestiverit, id tamen non ad suam, sed nostram utilitatem, ab ipso factum fuit. Unde Eusebius Emissenus ait : « Suscepit humanitatem nostram, ut tribueret divi- « nitatem suam; de nostro obtulit sacrificium, de « suo contulit præmium. » Chrysologus denique, *Serm.* III, Christum nulli rei adeo studuisse considerat, quam ut modum inveniret, quo totus noster fieret, quam tandem assecutus fuit, dum se in beneficium et utilitatem nostram, ex pastore in oviculam transmutare novit : « Christus ergo, » inquit Chrysologus, « sicut ovis, et volens, et tacens tondetur, « ut tegat illam, quam Adam primus contulit, « nuditatem; velut agnus occiditur, ut peccatum « totius mundi immolatus absolvat, ponit pro ovi- « bus animam suam, ut impleat et pietatem pasto- « ris, et curam. Tibi ergo Rex, tibi Sacerdos, tibi « Pastor, tibi sacrificium, tibi agnus, tibi ovis, tibi « totum factum est, quod fecerat totum, et qui sibi « nunquam tibi toties immutatur propter te varias « monstratus in formas, qui manet unica suæ « majestatis in forma. »

12. — Nullus unquam pastor invenietur, adeo gregis sui amans et sollicitus, ut ad eripiendam e luporum faucibus oviculam manifesto se mortis exponat periculo, quia major habenda est æstimatio hominis alicujus quam multorum animalium. Unde Lyranus super illa verba ita scribit : « Ad cujus « intellectum sciendum, quod res melior non est « exponenda periculo pro viliori, sed magis e con- « verso : vita autem hominis melior est simpliciter « quam omnium brutorum; et ideo licet pastor « brutorum, debeat aliquem laborem pro salute sui « gregis sustinere, non tamen debet se morti « exponere. » Hic autem cælestis pastor humanæ naturæ et rationalis animæ oviculam tanto in pretio habuit, ut vitam et sanguinem suum pro illa effusum, optime collocatum et expensum esse censeat. Unde Eusebius Emissenus, *Homil.* II *de Symb.*, ait : « Quam pretiosus sis, si factorem forte non credis, « interroga Redemptorem. » Qui idem in alia quadam Homilia offendit, Christum animæ nostræ oviculam tanti æstimasse, quanti seipsum : « Tam « copioso munere ipsa redemptio agitur, ut homo « Deum valere videatur. » Valde ad hoc propositum considerari merentur illa S. Ambrosii verba, dicentis : « Ut servum redimeres, filium tradidisti. » Et S. Augustinus ad amabilissimum hunc pastorem conversus ait : « Dilexisti me, Domine, plus quam te, quia mori voluisti pro me. »

13. — Pastor aliquis suo siquidem gregi prospicere potest de herbis, quæ jam de facto a natura productæ sunt, ut tamen de novo recentes herbæ progerminent, efficere nequaquam potest; non sic pastor noster, qui unico a se prolato verbo, nimirum : *Germinet terra herbam virentem*, sed ab hinc annorum millibus et amplius terram, tot arbores, totque herbarum germina produxit in hominum pariter et animalium brutorum abundans nutrimentum; et quis pastorum unquam sibi venam indici aut aperiri fecit, ut oves suas proprio suo sanguine potaret?

14. — Rupertus Abbas, *lib.* XI *in Joan.*, ait : « Cæteri quidem pastores digni sive idonei dican- « tur, hic autem solus pastor bonus, qui solus ita « animam suam posuit pro ovibus, ut in sacra- « mento corpus suum et sanguinem verteret, et « oves quas redemerat, suæ carnis alimento satia- « ret. »

15. — Hanc eamdem ponderationem Chrysostomus, *Hom.* LX *ad popul.*, his verbis adducit : « Qui « pastor unquam membris suis oves suas satiavit? « Qui pastor oves proprio pascit cruore? Hoc uni- « cus fecit Christus, pastor infinite bonus, qui sic

« dilexit oves, quas redemerat, ut eas suæ carnis « alimento satiaret. »

16. — Pastor gregem suum virga pastorali perculiens, eumdem inflicta verbera et percussionis ictus sentire facit, quia dolorem ei inferunt; non vero sic fit per virgam, quam Evangelicus hic pastor noster manu sua versat; unde David, *Psal.* XXII, 4, dicebat : *Virga tua et baculus tuus ipsa me consolata sunt*; quæ enim electis inferuntur tribulationes, gaudium illis afferunt, et consolationem magnam. Unde S. Paulus, de quo dictum est : *Vas electionis est*, etc., protestabatur, II *Cor.*, VII, 4, dicens : *Superabundo gaudio in omni tribulatione.*

17. — Alii pastores, interiores gregis sui necessitates et infirmitates penetrare et agnoscere nequeunt, ut illis prospiciant et compatiantur; non ita nobis a pastore nostro audivit, de quo Apostolus, *Hebr.*, IV, ait : *Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris tentatum per omnia. Languores nostros ipse tulit*; imo ad hoc ut nobis compati posset, ipsemet ovis, id est, homo fieri voluit, sitimque, famam, frigus, defatigationes, omnesque alias pœnalitates nobiscum tolerare et experiri, *Hebr.*, II, 16 : *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit; unde debuit per omnia fratribus assimilari, ut misericors fieret.*

18. — S. Leo in quodam sermone, quem in die suæ ad Papatum assumptionis anniversario habuit, ita scribit : « De profectu gregis gloriatur cura pas- « toris. » Ex quibus verbis, quousque bonitas hujus pastoris pertigerit, facile deducere possumus, utpote qui innumeris animabus beatis secum in cœlo regnantibus, quæ sub ipsius ducatu et præsidio æterum ovile ingressæ sunt, sanctitatem adeo eminentem infudit.

19. — Difficultas quædam nihilominus hoc loco moveri potest, quanam scilicet ratione bonus pastor dici possit, qui ipsemet apud S. Matthæum, X, 16, dicit : *Ego mitto vos sicut oves in medio luporum?* at vero D. Chrysostomus, *Hom.* XXXIV *in Matth.*, respondet : « Sic enim virtutem meam maxime « ostendam, cum ab ovibus lupi superabuntur. » Frequens nos hactenus experientia docuit, Deum talem servis suis communicasse virtutem, ut persecutorum suorum corda adeo mirabiliter transmutarint, ut ex lupis oves mirabili fuerint metamorphosi conversi; unde idem præfatus Doctor dicit : « Quam- « vis illæ sint in medio luporum et innumeris mor- « sibus lacerentur, non modo non consumptæ sunt, « verum etiam illas in sui naturam transmutarunt. » Unde sanctus idem Doctor truculentiam et feritatem merito reprehendit, dicens : « Erubescamus igitur, « qui longe diversa facientes, tanquam lupi in ad- « versarios ruimus, nam quandiu oves fuerimus, vin- « cimus, etiamsi mille circumstent lupi; quodsi lupi « fuerimus, vincimur : tunc enim a nobis pastoris « auxilium recedit, qui non lupos, sed oves pascit. »

Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis.

20. — S. Augustinus hic dicit : « Amor in eo, « qui pascit oves in tam magnum debet spiritualem « crescere ardorem, ut vincat etiam mortis natura- « lem timorem. » Merito autem S. Augustinus hanc timoris fugam, amoris dicit esse effectum, siquidem hic solus superare prævalet mortem : *Fortis est ut mors dilectio.* Unde Chrysologus, *Serm.* XL, ait : For- « tem faciat vis amoris, quia nil durum, nil amarum, « nil grave, nil lethale computat amor verus : *Majo- « rem charitatem nemo habet, ut animam suam ponat « quis pro amicis suis*; » incomparabiliter vero hic amoris ignis in Christo ardentior fuit; nam *cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus.* Nunquam auditum fuit quod pastor aliquis pro gregis salute, vitam prodegerit, multo minus quod idipsum per luporum ipsum dilaniare volentium salute præstiterit; solus idipsum et unicus pastor noster effecit : « Admisit in se impias « furientium manus, » inquit S. Leo, *Serm.* X *de Pass.*, « quæ dum proprio incumbunt sceleri, famu- « latæ sunt Redemptori, cujus etiam circa interfec- « tores suos tanta erant pietatis affectio, ut de « cruce supplicans Patri non se vindicari, sed illis « postularet ignosci. »

21. — S. Cyrillus ait : « Definit, quonam modo « bonum pastorem probari oporteat, ac ipsam qui- « dem animam prodigere debere pro salute ovium « pugnantem docet, quod quidem per Christum « factum est. » At vero quæril hoc loco Chrysologus, *Serm.* XL, quonam modo hæc mors pastoris gregi ejus utile esse potuerit, quando is post mortem ejus lupis cedebat in prædam : « Quæramus « ergo, » inquit, « hujus quæ vis sit amoris. Pastor « pro ovibus morti, quæ ovibus imminebat, occur- « rit, ut auctorem mortis diabolum novo ordine « captus caperet, victus vinceret, puniret occisus, « Præcessit oves pastor, ab ovibus non recessit, nec « illas dedit lupis, sed lupos tradidit illis, quibus « donavit suos elidere sic prædones, ut eccisæ « viverent, laniatæ resurgerent. »

22. — Porro quomodo hoc, quod est animam suam dare pro ovibus suis intelligendum sit, Hugo Cardinalis his optime declarat : « Animam suam « vitam temporalem dat, vel ponit, non invitus, « sed libens et spontaneus, pro ovibus suis pascen- « dis et vivificandis, et eruendis a lupis. » Dionysius Carthusianus hæc verba de debito exponit, quod Prælatus, imo unusquisque alius habet ut vitam corporalem pro salute spirituali proximi prodigat, indeque hanc deducit consequentiæ inductionem : « Si ista est ratio boni seu veri pastoris, « nullus prælationis seu curam animarum præsu- « mat optare, vel adipisci, nisi se tantæ perfectionis « inveniat. » Venerabilis Beda Christum semetipsum, veluti verorum pastorum ideam proponere

voluisse dicit, dum illos pro aliorum salute vitam suam in discrimen ponere asserit : « Fecit quod « monuit, ostendit quod jussit, animam suam « posuit pro ovibus suis, ostensa est nobis de con- « temptu mortis via, quam sequamur, apposita « forma, cui imprimamur; primum nobis est exte- « riora nostra misericorditer ovibus ejus impen- « dere, postremum vero si necesse sit etiam mor- « tem nostram pro eisdem ovibus ministrare. » Qui non dat pro ovibus substantiam suam, quando pro his datura est animam suam? ac proinde D. Chrysostomus, *Hom.* LIX *in Joan.*, iis, qui ad prælaturas aspirant, sequens monitum jure merito præscribit : « Magnum quiddam, » inquit, « dilec- « tissimi, magnum, inquam, est Ecclesiæ prælatio, « et quæ multa indiget sapientia, et fortitudine, « qualem Christus proposuit, ut animam pro ovi- « bus ponamus, et nunquam illos desereamus, ut « lupo generose resistamus. » Idem quoque S. Doctor alibi idem huic dignitati onus et pondus annexum his verbis considerat : « Non dixit : « *Bonus pastor* honoratur et colitur, sed *animam « suam ponit pro ovibus suis.* Hoc est principatus, « hoc est pascendi scientia, sua negligere, et eorum « quos regit, curam gerere. » Hic pastor mortem gregi suo nunquam intulit, sicut alii pastores nonnunquam facere solent, qui, ut sibi lucra comparent, agnos et alia animalia ad macellum mittunt : sed ut Basilius Seleucus optime notavit : « Pastor « pro ovibus tanquam ovis jugulam præbet. » Unde apud Isaiam, LIII, 7, prædixit : *Sicut ovis ad occisionem ducetur.*

Additiones.

a. — *Ego sum pastor bonus; bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis.* Christus Dominus, pastori bono se comparat, absque dubio, ob summam beneficentiam, quam erga genus humanum ostendit. Jam vero duo homines, insigni charitate et beneficentia præclari, in Evangelio proponuntur, Primus est Samaritanus ille qui cum iter ageret, hominem a latronibus vulneratum invenit : *Et videns eum, misericordia motus et appropians alligavit vulnera ejus, infundens oleum et vinum. Luc.*, X, 33. Alter est noster bonus Pastor. Et tamen Christus Dominus expresse non se comparavit Samaritano, sed bono pastori; non enim dixit de se : *Ego sum Samaritanus*, sed : *Ego sum pastor bonus.* Hujus rei differentia in eo stat quod Samaritanus cum suum iter faceret in Jerusalem, casu in itinere invenit hominem. At bonus Pastor, profundis sollicitudine et cura, videns ovem errantem, eam quærit per omnia loca, ut ad gregem reducat. Quæ sollicitudo ex multis benefaciendi modis relucet, quibus tanquam mediis, ad debitum sui famulatum nos pertrahit, tametsi ei inobedientes simus et rebelles. S. Antonius de Padua in sermone quodam *de filio prodigo*, ex S. Bernardo, *Serm.* XLVIII *super Cantica*, ita scribit : « Septem in me video « misericordias Domini, quas et vos ipsi facillime « invenire potestis in vobismetipsis. *Prima* est, « quæ non potest explicari sermone, quam benigna « sit, quam gratuita. Ego peccabam et tu dissimu- « labas; non continebam a sceleribus et tu abstine- « bas a verberibus; prolongabam ego multiplicando « iniquitatem et tu, Domine, pietatem tuam. *Se- « cunda* est quod a multis peccatis adhuc in sæculo « positum, custodivit me. Quis enim non videat, « quod sicut in multa cecidi, sic et in alia poteram « cecidisse peccata, nisi me Omnipotentis pietas « conservasset? Fateor, et fateor, et fateor, quia « nisi Dominus adjuvisset me, paulominus cecidisset « in omne peccatum anima mea : hanc misericor- « diam tangit, quando dicit quod iste prodigus « filius cupiebat saturari de siquilis porcorum et « nemo illi dabat; id est, Deus non dabat, cujus « centrum ubique et circumferentia nusquam, quia « non vult dare homini opportunitatem peccandi, « quam optat; libenter tamen dæmon daret, qui te « posuit ad porcos custodiendos. *Tertia* est quod « visitavit cor meum et immutavit, ut fierent mihi « amara, quæ multa dulcia prius erant. Hanc tangit « Salvator, quando dicit quod hic adolescens est ad « se reversus et quod cœpit intra se dicere : *Quanti « mercenarii in domo patris mei abundant panibus, « ego autem hic fame pereo? Surgam et ibo ad « patrem meum. Quarta* est quod pœnitentem mise- « ricorditer suscipit, ut in eorum numero inveni- « retur de quibus Psalmus XXXI : *Beati quorum « remissæ sunt iniquitates.* Hanc misericordiam « tangit in hoc quod dicit patrem occurrisse filio, « cum adhuc esset procul, et eum amplexatum ad « pacis osculum suscepisse. *Quinta* per quam mihi « continendi deinceps emendatius præstitit virtu- « tem, ut non recidivum paterer, et esset novissi- « mus error pejor priore. Hanc misericordiam « tangit in hoc quod dicit eum fuisse calceatum, « id est, mortificatum desideriis, ne pes jam lapsus « fœcibus immergatur. *Sexta* est gratia promerendi, « et hæc significatur in annulo fidei, qui ponitur « in manibus, id est, operibus applicatur, quod fit « non propria nostra virtute, sed Dei gratia. Sep- « *tima* est munus bonæ conversationis. » His quoque addi potest velut donum et effectus divinæ bonitatis et protectionis erga nos speciale argumentum, si quis videlicet sortiatur sodales quibuscum conversetur. Cum enim homo animal sit sociabile, cum sancto sanctus erit et cum perverso pervertetur.

b. — *Ego sum pastor bonus*, etc. Hoc non tantum parabolæ sed rei per parabolam denotatæ convenit. Pastor enim ovium materialium plus debet æstimare vitam suam, utpote hominis, quam suarum ovium; unde non tenetur cum evidenti vitæ suæ periculo servare suorum pecudum vitam.

Si autem id faciant, magno affectu declarabunt se ovibus suis bene attendere. An vero in hoc semper peccent, disputant aliqui. At vero Pastor animarum ex officio teneatur et debeat vitam suam temporalem discrimini exponere pro conservanda vita spirituali sui gregis, ac fidelium sibi commissorum. A supremo Sacerdote Christo, mox relatum dictatum est axioma : *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis;* ac proinde Sacerdos pro salute animarum, suæ animæ commissarum, vitam suam exponere tenetur. Unde Doctor Angelicus hanc statuit conclusionem, apud omnes theologos indubitatam et a nemine rejectam, videlicet, quod quando spiritualis animarum commissarum salus periclitatur, nullus Sacerdotum curatorum ab eis se subducere possit, tametsi debitum illi subsidium ministrando, propriæ vitæ periculum incurrant. In cujus veritatis probationem S. Augustinus ait : « Amor in eo, qui pascit oves, in tam magnum « debet spiritualem crescere ardorem, ut vincat « etiam mortis naturalem timorem. » Unde quando Christus gregem suum Petro consignavit, non semel sed trinies eumdem, an se amaret, requisivit, quia cui cura commissa est animarum, plus amare debet salutem earum, quæ Christo inæstimabili pretio constiterunt, quam propriam vitam suam corporalem diligat, ac proinde Dionysius Carthusianus merito inquit : « Si ista est ratio « boni, seu veri Pastoris, nullus prælationis, seu « curam animarum præsumat optare, vel adipisci, « nisi se tantæ perfectionis inveniat. » Et ideo Divus Chrysostomus omnino necessarium esse existimat, ut hi qui ad munera et dignitates ecclesiasticas aspirant, prius moneantur, ut onus, cui humeros suos subjiciunt, prius diligenter expendant et ponderent; ait enim : « Magnum quiddam dilec« tissimi, magnum, inquam, est Ecclesiæ prælatio « et quæ multa indiget sapientia, et fortitudine « qualem Christus proposuit, ut animam pro ovi« bus ponamus, et nunquam illas deseramus et « lupo generose resistamus. » Jacob Patriarcha, veri pastoris ecclesiastici typus fuit, qui Esau fratris sui adversus se conceptam iram timens in duas familiam suam turmas divisit, dicens : *Si venerit Esau ad unam turmam et percusserit eam, alia turma quæ reliqua est salvabitur.* At vero utram ex his duabus turmis secutus est Jacob? Certe non ultimam secutus est, quæ securior erat, sed in primæ turmæ acie se collocavit; de quo proinde D. Chrysostomus, *Hom.* XXXIII *ad Cor.*, ait : « Velut propu« gnaculum eorum quoddam, se ipsum ante cæteros « locans, paratus erat, ferum illum et minas quem« admodum suspicabatur, spirantem, excipere« prius. » Et ideo tametsi totus clerus, magistratus et universa civitas Mediolanensis, S. Carolo instanter supplicarint, ne tanto vitam suam discrimini exponeret, ipse tamen exemplo suo parochos et religiosos docere voluit, se mercenarium non esse, sed verum pastorem et ideo eorum preces nequaquam admisit. « Si perniciosum est, nautam, » inquit S. Thomas, « navim in tranquillitate deserere, « quanto magis in fluctibus? » Pastor ergo qui curam habet animarum, non vero irrationabilium ovium, multo majori jure quam David, ursis et leonibus opponere se, eosque dilaniare debet, ne grex ejus periclitetur, omnibusque etiam mortis periculis se exponere, ne lupus infernalis ejus devoret oves.

c. — Christus Dominus pastori bono se comparat; pastor enim nullo parcit labori, ut ovibus consulat. Sic dicebat Jacob : *Die noctuque æstu urebar et gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis. Gen.*, XXXI, 40. Deinde bonus pastor agnos teneros pascit, oves infirmas consolidat, confractas alligat, errantes reducit, omniumque conditioni, qualitati, ac necessitati sese accommodat et aptat. S. Bernardus ad continuam defensionem et assistentiam quam Deus, bonus pastor noster, ovibus suis præstat, se reflectens, *Serm. I in Cant.*, ait : « Quoties tentatio « superatur, aut vitium subjugatur, aut imminens « periculum declinatur, aut laqueus insidiantis de« prehenditur, aut annosa et inveterata quæcumque « animæ passio perfecteque sanatur, aut multum « diuque cupita et sæpius petita virtus, tandem ali« quando Dei munere obtinetur, quid nisi toties, « juxta prophetam personat gratiarum actio et vox « laudis, et ad singula quæque beneficia benedicitur « Deus in donis suis? Alioquin ingratus reputabitur « cum discussio venerit, qui non poterit dicere Deo : « *Cantabiles mihi erant justificationes tuæ, in loco « peregrinationis meæ.* » S. Bonaventura circa hanc divinam erga nos beneficentiam, devotissimas considerationes conscripsit, ut nos ad gratitudinis obsequium inflammaret : « Considera, » inquit, « quam sollicita sit tanta majestas circa te in « tribuendo beneficia. Modo quo tibi magis expe« dit, ab æterno disposuit tibi ea dare, ab æterno « et semper actualissime cogitavit, et talia tibi « beneficia præordinavit. Ita sollicitus erga te, « sicut circa integrum orbem, vel universitatem « creaturarum. Ita enim hic magnus Rex tibi et « circa te intendit ac si vacaret singulis. »

d. — Considerandum merito est gravissimum illud onus quod post se trahit omne pastorale officium et ad quid teneatur. Ornamenta autem Aaroni populi Israelitici pastori præscripta onus illud, cæterasque quibus præditi debent esse virtutes nobis indicare videntur. Varia hujusmodi, eaque summi artificii, opulentiæ et industriæ, præscripta fuere ornamenta. Venerabilis Beda attestatur : « Octo generibus vestium Pontifex solebat indui, e « quibus quatuor erant minoris ordinis concessa « sacerdotibus; decebat enim, ut quo majori gradu « insignis esset, eo pluribus virtutum actibus fulgeret. » Præ reliquis autem notatu digna singulariter occurrit sollicitudo, quo increata Sapientia dictas vestes in ordine ad texturam, studium et laborem præscripsit Moysi; ait namque : *Loqueris cunctis sapientibus corde quos replevi spiritu prudentiæ, ut faciant vestes Aaron, in quibus sanctificatus, ministret mihi.* Circa quæ verba hunc instituit discursum Oleaster : « Solet homo vestes sanctifi« care, si sanctus sit; hic vero versa vice vestes « sanctificant sacerdotes. » Sciendum est nentiquam suffecisse Deo naturalem textorum, phrygionum, aliorumque artificium, hoc in labore artem, industriam et ingenium, sed supernaturalis scientiæ infusionem, ut extraordinaria caperent et humanum intellectum transcendentia promisisse. Quod si ad materiam e qua Deus vestes illas confici, nos reflectere velimus, eam utique ad sacramentum omnino directam fuisse reperiemur, nimirum ut per illam insinuaretur spiritus, virtus et sanctitas, qua præditi esse debent, qui illi consecrantur. Quoad harum vestium texturam, Deus sequenti lege prospexit, dicens : *Ipsa quoque textura et cuncta operis varietas, erit ex auro, hyacintho, purpura, coccoque bis tincto et bysso retorta.* Circa quæ verba Venerabilis Beda ait : « In una parte, aurum; in altera « hyacinthus, vel alii colores fuerunt, sed omnes « per omnia cum auro contexti. » Mysterium vero, ob quod Deus aurum a nullo aliorum colorum disjungi voluit, idem auctor his verbis expressit : « Quia in actione sacerdotis, nec ad horam aliqua « magnarum virtutum debet intermitti; sed auro « sapientiæ jungatur spei hyacinthus, in superna « erectus et purpura regni cœlestis contra vitiorum « bella magnanimus, super cocco bis tincto, geminæ « dilectionis; bysso retorta, id est, castitate carnis « sacerdos debet esse nitidus. » Ad hæc quidquid divinus hic Artifex pro Aaronis ornamento elegit, totum valoris, pulchritudinis et æstimationis eximiæ fuit; unde idem Beda ait : « Cuncta sunt de « auro pretiosisque coloribus, quia nihil vile, ac « sordidum in sacerdotis ore, vel opere debet « apparere, sed cuncta, « quæ agit, loquitur, cogitat, coram « hominibus præclara, et interni arbitrii « conspectui oportet esse gloriosa. » Quod evidentius appareret solum ornatus præcipuos, superhumerale, rationale, tunicam hyacinthinam, lamnam de auro purissimo, thiaram byssinam et baltheum, ab eodem Deo, tanto cum artificio et magisterio præscriptos, attentius quam nobis licet, consideranti.

e. — Christus Dominus non inquit : *Ego sum pastor bonus*, sapientissimus, qui præclara doctrinæ documenta trado; sed, *qui dat animam suam.* Verus enim superior alios præire debet potius opere ac integritate vitæ, quam verbo ac sermonis elegantia. Volens Apostolus Titum discipulum suum, quem in Candia Episcopum ordinaverat, adhortari, ut gregem a barbaris seductum, ad fidem veram reduceret, plus ei, per vitæ exemplaritatem, quam per eloquentiæ energiam conandum esse inculcat, dicens : *In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum, ut qui ex adverso est vereatur, nihil habens malum dicere de nobis.* Ubi S. Ambrosius subjungit : « Quod ut effici non sit arduum aut « difficile, Magistrum formam esse præcipit. » Quibus verbis, ut idem S. Doctor insinuat, S. Paulus, Tito modum præscribit, quem in eradicandis vitiorum zizaniis, plantandisque virtutibus christianis, servare debet : « Ut ea quæ docet, » inquit S. Doctor, « quomodo fiant ostendat, ut ii qui profani « sunt et inimici fidei, erubescant, videntes quia « quæ verbis docet, vera esse probat factis. » S. autem Anselmus personam Apostoli assumens, ita dictum exhortatur Episcopum : « Ut doctrina tua « sit efficax, præbe teipsum exemplum bonorum « operum, id est, ita vive, ut sis omnibus forma « bene vivendi et qui te viderint, legant in operi« bus tuis velut in libro, quid agere debeant. » Porro Cajetanus, cur Apostolus sollicite adeo Titum extimularit, juventuti ejusdem adscribit; quanto namque adolescentior erat, tanto convenientius erat, ut populum sibi subjectum, potius vitæ sanctitate, quam correctionum et reprehensionum auctoritate regeret. Simile monitum idem Apostolus alteri suo discipulo Timotheo Ephesino Episcopo tradit his verbis : *Exemplum esto fidelium, in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate.* « Ut « scilicet, » subnectit S. Thomas, « quod verbo « præcipis impleas opere et hoc in locutione; unde « dicit : *In verbo* scilicet ponderato, ordinato et « circumspecto. Item in conversatione exteriori, ut « sicut excellit loco et dignitate, ita et honesta « conversatione. » Cujus præcepti hæc principalis est ratio, quoniam Prælati qui imperii sustinent habenas, ubique veluti in societate et comitatu sunt multorum, atque adeo multi, ad eorum sive bonum sive malum exemplum, respective aut salvantur, aut damnantur. Ideoque S. Fulgentius in quadam epistola ad Theodorum scribens ait : « Fit « ut qui sunt in sæculi culmine constituti, aut « secum plurimos perdant, aut secum multos in « via salutis acquirant. »

f. — *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis.* Ecce pastoris officium, quod non est otio vacare sed pro ovibus laborare, etiam usque ad vitæ expositionem; ideoque se pastorem dixit, ut Prælatos et superiores esse doceret Pastores et quidem non ad dominium, sed ad obsequium subditorum vocatos. Huc tendunt et hæc verba Domini Apostolis suis dicentis : *Quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister; et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus. Matth.*, XX, 26. Porro advertendum est quod quando Christus perspicuis verbis dixit : *Qui voluerit inter vos pri-*

mus esse, erit vester servus, expressam fecerit servitutis mentionem. Ubi Lucas Brugensis ait : « Plus « est servum esse quam ministrum; nam minister « liber esse potest, servus autem totus est Domini « sui; quidquid habet in bonis sive naturæ, sive « fortunæ, totum addictum est servituti Domini. » Idque totum in iis superioribus specialiter exemplificat, quibus regimen incumbit animarum : « Adeo « servitio vestro obnoxium se esse sciat ut quidquid « habet bonorum, sive animi, sive corporis, adeo- « que et vitam suam, ubi fuerit opus, seque ipsum « totum impendere debeat, tutandæ saluti vestræ. » Porro prius dixerat : *Sit minister vester*, quasi parum nimis se dirisse videretur, subjunxit : *Erit vester servus*. Unde S. Thomas ambitiosos monet, dicens : « Si aliquis desiderat habere primatum in Ecclesia, « sciat quod illum non est habere dominium, sed « servitutem. » In cujus confirmationem illam adducit ab Apostolo factam declarationem : *Cum essem liber ab omnibus, omnium me servum feci.* I *Cor.*, IX, 19.

g. — Si pastor dat animam, quomodo oves, inerme pecus defendantur? Quomodo mors ista pastoris potest esse commoda ovibus? nam perente pastore, oves destitutæ manent, ut lupis tradantur et perimantur; juxta illud quod ipsemet Christus dicit, *Matth.*, XXVI, 31 : *Percutiam pastorem et dispergentur oves?* O inclytum subsidium et singularis interim protectio! Si enim Pastor e vivis abierit; ejus cadaver in terra jacebit; jacebunt etiam ejus ossa nuda et arida, ejusque sanguis effusus stabit super terram. Tanta est autem vis et efficacia boni pastoris, ut ipsum solum corpus demortuum, ipsique ejus ossa, vel sanguis effusus, validissime oves custodiant, defendant, ac protegant ab incursu luporum, ut nihil eas lædere, ac mordere valeant, sed ut firmæ ac securæ in Ecclesia permaneant. Reliquiæ enim Sanctorum in terra reconditæ, ita Ecclesiam, ac ejus filios muniunt et roborant, ut eos nec lædat, nec aliquod nocumentum ulla adversitas eis inferat. Electo jam Moyse a Deo exercituum in ducem generalem, qui numerosissimo suo exercitui sexcentorum milium, ac plurium militum imperare debebat, eodemque simul existente chronico et hujus historiæ Scriptore, credidissem ipsum una relaturum quod Ægyptum relicturus, providisset sibi de sufficienti commeatu, de omnibus ad prælia committenda necessariis, de equitatu, de machinis bellicis, de strenuis expertisque belli ducibus, denique de omni armorum apparatu; at nihil horum commemorat, et nihil aliud secum tulisse reperimus præter ossa Joseph : *Tulit quoque Moyses ossa Joseph secum.* Nolite mirari desuper, etenim Deus noster sua non errante providentia, populos, urbes, provincias et regna, mediantibus reliquiis corporum Sanctorum, quæ sunt veluti turres et propugnacula protegere disposuerat. In vita S. Simeonis Stylitæ legimus quod quando altæ insistens columnæ animam Deo Creatori suo jam reddiderat, populi vicini armati, diu noctuque excubias egerint, attente advigilantes, ne hic thesaurus, et sacrum propugnaculum illis inde subriperetur. Unde corpus illius delatum fuit ad urbem Antiochenam, inde vero Leo Imperator alio transferre illud satagebat; quapropter hæc civitas strenue se opposuit, hanc inter cæteras allegans rationem, quod quia civitas non esset cincta muris, nec aliis munita propugnaculis, minime conveniens esset, ut privaretur hoc sacro corpore, quo ab omni hostili incursu secura et tuta esset. Hac ratione convinctus Imperator, sacrum illidem reliquit corpus, sumptuosissimumque in ejus honorem construxit templum. S. Chrysostomus inter encomia S. Pauli Apostoli, cui ille valde intimus fuit, habet hæc sequentia : « Hoc corpus urbem hanc munit, quod « quamvis turri innumerisque mœnibus et vallis est « totius, et cum isto, corpus etiam Beati Petri. » S. Gregorius Magnus in quadam Epistola sua, haud exiguam nobis addit confidentiam in calamitatibus, et infortuniis publicis habendam : « Si gladios « Italiæ, » inquit, « et bella formidatis, sollicite « debetis aspicere, quanta B. Petri Apostolorum « Principis in hac urbe protectio est; in qua sine « magnitudine populi et adjutoriis militum, tot « annos inter gladios illæsi Deo auctore serva- « mur. »

h. — Sapientissimus Dominus, perfecti pastoris præstantiam in eo ponit, quod animam suam dat pro ovibus; quippe cum dicit, quod dat animam, animam ejus libentem et hilarem, in subeundis adversitatibus et periculis exprimit. Id quod amplius declarans D. Cyrillus Alexandrinus, *lib.* VI *in Joan.*, ait : « Quicumque bonus pastor, libenter « debet pro ovium salute, animam suam ponere. « Non sufficit, quod animam ponat, adversitates « subeat, sed quod illam et illas libenter, ut hilaris « dator offerat. » Quod enim non libenti, sed reluctanti animo pro Deo sustinetur, id vix reputa obsequium Deo dignum, sed lanienam et miserrimi hominis carnificiam. Laniena pene est miseranda, opus pœnale et immissas a Deo tribulationes, perturbato et reluctante, et prorsus coacto animo pro Deo et virtute pati. Quam igitur exemplo hujus pastoris adversitates, et tribulationes patienter et hilariter sufferendæ sunt! De hac materia tractans Gerson, nonnullos introducit theologiæ magistros quorum quilibet tribulationi suum attribuit encomium. Unum illorum audiamus : « Sextus magister « interrogat, ob quas causas tribulationes tam invite « toleramus? Cui respondet, quod tribus de causis. « Prima est, quia parum amoris habemus erga « Dominum nostrum Jesum Christum. Secunda, « quoniam parum cogitamus ad mercedem, quam « Deus conferre vult, nec magna commoda inde

« emergentia. Tertia, quoniam parum cogitamus « et sentimus tolerantiam et passionem, quam « Dominus noster Jesus Christus sustinuit pro « nobis. » Hortatur nos Apostolus, ob oculos mentis nostræ ponamus Redemptorem nostrum crucis patibulo affixum et spinis coronatum; quo spectaculo nostros animos excitare intendit ad constantem adversitatum tolerantiam : *Ne fatigemini*, inquiens, *Heb.*, XII, 3, *animis vestris*, etc. *Recogitate eum qui talem sustinuit a peccatoribus adversum semetipsum contradictionem.*

i. — Anne est ovibus commoda mors ista pastoris, quæ destituit oves, quæ lupis tradit inerme pecus, quæ sic charum pecus ferinis morsibus derelinquit, macello dat, stragibus exponit et atrocissimæ morti sicut ipsius pastoris Christi probatur ex morte? Quomodo bonus ille pastor, qui sic destituit oves? Imo qui per suam absentiam eos ultroneæ luporum rabiei committit? Ea scilicet est persecutionis, et tribulationis prosperitas et securitas, virtus et perfectio, ut inde bonus pastor periculis pascat gregem suum, persecutionibus felicitet, et cum lupis servet in custodia virtutis. Ipsa enim tribulatio, tutela est salutis, peccata expellit et virtutes corroborat ac firmat, sanctitatem concilial et mentes beat. Eu ergo grande lucrum, meritum, virtus et perfectio tribulationis. Divina bonitas beneficentiam suam vel maxime ostendit tempore tribulationis nostræ, ad eum prorsus modum, quo tempore ardoris et siccitatis terræ nubes aquis prægnantes, terram reddunt fertilem et fructibus abundantem. *Speciosa misericordia Dei in tempore tribulationis, quasi nubes pluviæ in tempore siccitatis*, dicit Ecclesiasticus, XXXV, 26. Quem textum S. Antonius de Padua exponens, sic ait : « Id est, dum « anima tribulatur pro peccatis, infunditur pluvia « gratiæ animam refrigerantis et peccata dimit- « tentis. » Ergo ex sententia S. Antonii eximii utpote Ecclesiæ luminis, in ariditate adversitatum, infunditur pluvia gratiarum. Quando cæcus mundus arbitratur, tribulatos a Deo esse derelictos, tunc vel maxime Deus assistit illis, benefícum se illis exhibet, ac liberalem in distribuendis suis donis et gratiis cœlestibus. S. Chrysostomus exhortando populum suum ad tolerandas patienter adversitates, inter alia prædicabat : « Cum tribulatione nobis « infinitas coronas accumulat. » Audiamus S. Laurentium Justinianum : « Sancti viri quot tribula- « tiones patiuntur, tot victoriæ palmas merentur « in cœlis; sed si tribulationes ipsorum crudeli « miseratione minuantur, paulatim gemmis corona « ipsorum privatur, quia quanto in hoc sæculo « persecutionibus, paupertate, inimicorum poten- « tia, vel morbi crudelitate fuerint afflicti, tanto « post resurrectionem in futuro majoribus hono- « ribus extollentur. » Si Deus hoc vobis impertiret dono gratiæ resuscitandi mortuos ad vitam, haud tanti illud æstimare deberetis, quanti tribulationem ab eodem vobis communicatam. Audiamus Theophylactum in hæc verba Apostoli ad Philippenses, I, 19 : *Vobis datum est pro Christo non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini*; dicit enim : « Forsitan et hoc donum majus est, quam « mortuos suscitare. » Hinc conformis est propositio Divi Chrysostomi, *Hom.* V *de patientia Job.* : « Nihil « melius quam mala pro Christo pati. Si quis me « cum Angelis statuat aut cum Paulo vincto, vin- « cula eligerem. Si quis mihi mortuos suscitare « dederit, non jam id, sed catenam eligerem. »

j. — Beatus grex cujus pastor Christus est; procul fera rapax a Christi ovili, secure pascitur quem pascit tam bonus pastor. Et inde bonus qui dies, noctesque excubat, ne mala bestia in gregem irruat; quod si irruat, invadit ipse alacer et proprio periculo redimit ovium discrimen. Pulchre S. Chrysologus, *Serm.* XL : « Ideo pro te pastor amorem « probat, quia cum videat ovibus imminere discri- « men, cum gregem defensare non possit, mavult « mori, antequam mali de ovibus suis quid videat. » Præ vi amoris pastor vitam suam offert, seque omni periculo exponit ut sæ oves sint salvæ et incolumes. O zelum, quem prius Redemptor circa animarum salutem demonstrat.

k. — Non dubitandum est de bonitate illius pastoris, qui spreto propriæ vitæ periculo, sui gregis salutem zelat. Bonus idcirco erat pastor Paulus, II *Cor.*, XII, qui aiebat : *Ego autem libentissime impendam et superimpendar ipse pro animabus vestris.* Superimpendar ipse, ait, hoc est, nullis parcam sumptibus. Post bona omnia consumpta, seipsum consumendum tradero, est animus. Ad hæc accommode S. Bernardus, *lib.* IV *de Consid.*, ait : « Fue- « rant autem qui se totos ovibus pascendis expo- « nerent, pastores opere et nomine gloriantes, nil « sibi reputantes dignum, nisi quod saluti ovium « obviare putarent; non quærentes quæ sua sunt, « sed impendentes; impendere curam, impendere « substantiam, impendere seipsos. Unde unus illo- « rum : *Et ego*, ait, *superimpendar pro animabus « vestris.* » Non solum bonorum, sed sanguinis impensis et sumptibus tenetur bonus pastor saluti suorum prospicere gregum, salutisque ovium zelum habere. Non enim explicare licet quam gratus sit Deo zelus impensus in salutem animarum. Psalmo XXXIII, Regius Propheta filios Dei nuncupat illos qui hoc modo zelosi sunt : *Afferte Domino filii Dei, afferte Domino filios arietum. Afferte Domino gloriam et honorem, afferte Domino gloriam nominis ejus.* In conversione animarum Deus collocat suam magnificentiam : *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei.* Voltisne intelligere, in quo consistebat hæc gloria? *Memor ero Rahab et Babylonis scientium me.* S. Chrysologus, *Serm.* in præfati Psalmi versum, quærit : « Putasne cœlestes taliter appellat iste virtutes?

« Aut homines Dei aptat in filios et terrenam « carnem cœlestem sublevat ad naturam? » Ecce quantus ei exhibetur honor, qui cooperatur alterius saluti; unde in progressu sermonis sui exhortatur nos hisce verbis : « Afferte Domino baptizandos; « afferte quos fides concepit, non caro; afferte « quos Dei gratia generet, non mundana natura; « afferte, afferte quos sponte venire, aut necessitas « vetat, aut ætas impedit, aut ignorantia retardat, « aut tenent vitia, aut delicta remorantur. » Nullus aut ita ignorans, aut debilis est, qui se excusare valeat; etenim Ecclesiasticus, XXII, 17, monet : « Recupera proximum secundum virtutem tuam. »

VERSUS 12.

Mercenarius autem, et qui non est pastor, cujus non sunt oves propriæ, videt lupum venientem, et dimittit oves, et fugit, et lupus rapit, et dispergit oves.

Mercenarius autem.

1. — Jansenius Christum hoc dixisse opinatur, ut per illa verba argueret Scribas, Pharisæos et Sacerdotes, qui officium suum non ex motivo charitatis, sed propter interesse lucri adimplebant : « Verisimile est notasse Scribas, Pharisæos et Sa- « cerdotes, qui avaritiæ dediti, gregem Dei non « tanquam suum, sed tanquam alienum pascebant, « commodi tantum sui et lucri gratia. »

2. — Venerabilis Beda rationem reddit, cur talis mercenarius appelletur : « Quia non pro « amore intimo oves Dominicas, sed ad temporales « mercedes pascit; mercenarius quippe est, qui « locum quidem pastoris tenet, sed lucra anima- « rum non quærit; terrenis commodis inhiat, « honore prælationis gaudet, temporalibus lucis « pascitur, impensa sibi ab hominibus reverentia « lætatur. » Lyranus ait : « Mercenarius dicitur a « mercede; tales sunt illi, qui superioritates prop- « ter redituum temporalium emolumentum, non « vero propter lucrum ambiunt animarum : ille est « verus pastor, qui attendit ad præmium gloriæ, « mercenarius autem, qui attendit ad commodum « rei alienæ. » In Jeremia, VI, 13, scribitur : *A minimo usque ad majorem omnes avaritiæ student.* De quo hominum genere S. Apostolus nequaquam fuit, qui II *Cor.*, XIII, 14, de se dicit : *Non quæro vestra, sed vos.* Et alibi, scilicet I *Cor.*, X, 33, iisdem Corinthiis ita scribit : *Non quæro quod mihi utile est sed quod multis, ut salvi fiant.* S. Augustinus multos in Ecclesia Prælatos esse scribit, *tract.* XLVI *in Joan.*, similes illis, de quibus S. Apostolus dicit : *Sua quærentes, non quæ Jesu Christi.* « Quid est, sua quæ- « rentes? Non Christum gratis diligentes, non Deum « propter Deum quærentes, temporalia commoda « sectantes, lucris inhiantes, honores ab hominibus « appetentes. »

Et qui non est pastor, cujus non sunt oves propriæ.

3. — Albertus Magnus ait : « Quia non habet « curam de ovibus, ut de suis propriis, et ideo gras- « satur in eis, ut ab eis lucrum recipiat, quamdiu est « cum ovibus, et lucrum etiam quærit cum magno « ovium periculo. »

Vidit lupum venientem.

4. — S. Augustinus hæc verba declarans, adulteri alicujus exemplum adducit, et dicit : « Diabolus « fideli adulterium persuasit, tu taces, non incre- « pas : O mercenarie, lupum vidisti venientem, et « fugisti? » At vero, inquit, forsitan respondebit se non fugisse, sed in statu et conditione sua firmiter perstitisse. Respondet igitur sanctus Doctor, hanc fugam non pedibus, sed silentio fieri, id est, quando correctio negligitur : « Fugisti, quia tacuisti, « quia timuisti, fuga animi, timor est; corpore « stetisti, spiritu fugisti; » adducitque Apostoli exemplum, qui utique se non mercenarium sed pastorem exhibuit *Colos.*, II, 5 : *Et si corpore absens sum, spiritu vobiscum sum*; « quomodo enim spiritu « fugiebat, qui etiam corpore abiens, fornicatores « litteris arguebat. »

5. — Cajetanus per hunc lupum, malorum morum et exemplorum, falsæque doctrinæ corruptelam intelligitur : « Sive exemplo ad corrumpen- « dos mores, sive doctrina ad errores fidei, sive « sævitia contra credentes. » Hugo Cardinalis similiter per lupum, diabolum, vel tyrannum, vel hæreticum intelligit. Albertus Magnus ait : « Lupus « super oves venit, cum quilibet injustus fideles et « homiles opprimit. » Chrysostomus dum se pro paupercula quadam vidua defendenda, Eudoxiæ Imperatrici opposuit, in defensionem minimæ gregis sui oviculæ, pastorem se, non vero mercenarium exhibuit.

6. — Quæri hoc loco non incongrue poterit, cur sapientissimus Salvator noster feras gregem suum invadentes, lupos potius appellet, quam ursos, vel leones, cum tamen hi quoque oves rapiant, et dilanient, ut David pastorculus ipsa comprobavit? Respondetur igitur, quod lupi in absconditio gregi insidientur, non vero aperte, sicut aliæ feræ. Unde S. Ambrosius, *in c.* X *Luc.*, ait : « Lupi bestiæ sunt, « quæ insidiantur ovibus, circa pastorales versantur « casas, habitacula domorum intrare non audent, « somnum canum, absentiam aut desidiam pastoris « explorant; » ita quoque faciunt, qui animarum perditioni incumbunt, nunquam enim aperte idipsum faciunt.

7. — Idem quoque sanctus Pater aliam quamdam tangit luporum proprietatem, nimirum quod fauces ovium subito invadant, ut mortem illis inferant, ut nec vociferari, balare, aut pastorem in auxilium advocare possint : « Lupi ovium guttur « invadunt, ut cito strangulent. » Idem efficere conatur in animabus nostris lupus infernalis, illas namque subito suffocat, et fauces invadit, ne loqui possint, hoc est, peccatorum impedire satagit confessionem, efficiendo ut nauseam et repugnantiam erga pœnitentiæ Sacramentum concipiant; scit namque quod *ore sit confessio ad salutem.*

Et dimittit oves, et fugit.

8. — Hugo Cardinalis rationem assignat, cur mercenarius fugiat : « *Cujus*, inquit, *non sunt oves* « *propriæ*, per curam, sollicitudinem et amorem. » Vel etiam : « Qui non amat oves, vel commodum « ovium tanquam proprium, lanam et lac habet « pro suis, et non oves, id est, animas. Ezechielis, « XXXIV, 3 : *Lac comedebatis*, etc. *Dimittit oves*, « id est, negligit earum salutem, et *fugit*, id est, « non occurrit resistendo, vel peccata arguendo; « *fugit, quia mercenarius est*, id est, quia quærit sua « commoda; *et non pertinet ad eum de ovibus*, id est, « non amat utilitatem earum, » adducitque S. Gregorii auctoritatem, dicentis : « Fugit, quia timuit, « quia temporale plus æterno amavit. »

9. — Rupertus Abbas Tuitiensis, *lib.* IX *in Joan.*, ait : « *Videt lupum venientem*, id est, diabolum ani- « mabus insidiantem, easque ad mortem æternam « per diversa scelera pertrahentem videt, inquit, *et* « *fugit*, id est, sub silentio se abscondit; *fugit*, id est, « verbum exhortationis subtrahit, ne si lupo resis- « tat, temporale commodum, quod amat, amittat. » Nec est, quod tibi persuadeas, monet S. Augustinus, *Ser.* XXXIX *de ver. Dom.* Christum dicere his verbis voluisse mercenarium in pedes se erigere, ut corporaliter fugiat, nequaquam : « Non fugit mercena- « rius corpore, non enim Ecclesiam deserit, alioque « abit, sed fugit animo, quia cum præsens sit cor- « pore, vitiis medicinam non adhibet, oviumque « mores non corrigit vigilanter. »

10. — Baronius in Annalibus Ecclesiasticis quamdam S. Bonifacii Archiepiscopi Moguntini adducit Epistolam, cujus quædam verba, quia ad propositum nostrum apte deserviunt, hic recensenda esse duximus : « Cui dispensatio verbi com- « missa est, » inquit, « etiamsi sancte vivat, et tamen « perdite viventes arguere aut erubescat, aut me- « tuat, cum iis omnibus, qui eo tacente perierint, « condemnabitur, et quid ei proderit, non puniri « suo, qui puniendus est alieno peccato? »

11. — Hugo Cardinalis hanc fugam, ex mente S. Gregorii, de omissione correctionis et emendationis necessariæ exponit : « *Fugit*, id est, non « currit resistendo, vel peccata arguendo, quod est « fugere; » adducit illum textum Jeremiæ, XLVI, 21 : *Mercenarii ejus, qui versabantur in medio ejus, quasi vituli saginati, versi sunt, et fugerunt simul, nec stare potuerunt.* Ezechiel quoque, XIII, 5, dicit : *Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis murum pro domo Israel*, cum tamen hoc sit officium Prælati, opponere se lupo, id est, hæretico, vel tyranno, vel diabolo, vel peccato.

12. — Beda inquit : « *Fugit*, non mutando « locum, sed quia injustitiam vidit, et tacuit : « *fugit*, quia se sub silentio abscondit. »

13. — Albertus Magnus ait : « Salvans se et sua; « fugit enim, quando periculo se subducit. »

14. — Toletus motivum declarat quod Christus pro causa adduxit, cur mercenarius fugerit, id est, salutem gregis sui neglexerit : « Quia, » inquit, « mercedem solam quærit; proinde quando pereunt « oves, ipsi non pereunt, sed Domino, cujus sunt, « sive ergo vivant, sive pereant; nec lucrum, nec « damnum ei referunt, quia solam mercedem ex « custodia ovium habet, propterea fugit et vitæ « propriæ consulit; hoc significat illa phrasis : *Non* « *pertinet ad eum de ovibus*, id est, non pereunt in « damnum ipsius, nec vivunt in lucrum. » His similes sunt omnes illi Parochi et Episcopi, qui beneficia curata, et Episcopatus accipiunt, ut redditibus illorum gaudere possint, non vero ut salutem animarum curæ eorumdem commissarum procurent.

15. — Lucas Brugensis advertit quod divinus hic pastor, cujus in hoc Evangelio sit mentio, pastorem mercenarium contemnet et vituperet, non quod vitam suam minoris æstimet, aut minus curet, quam animalium irrationalium, qualia sunt oves, agni et similia : « Sed quod respiciat præcipue ad « pastores ovium, ratione præditarum, quibus si « merces temporaria, quam exspectant, amplius sit « curæ, quam salus ovium æterna, ideoque non « resistunt Satanæ, et ejus ministris. »

16. — Rupertus Abbas objici huic doctrinæ posse dicit, quod, ex quo in alio Evangelii loco, *Matth.*, scriptum sit : *Si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam*; pastor ille condemnari non possit, qui per fugam vitæ suæ consulit; at vero respondet : « Tunc irreprehensibiliter pastor fugit, « quando aperta persecutione furis, hæretici, sive « lupi diaboli, per gentilem potestatem malitiam « suam exserentis, pastor ipse quæritur, ut oves « ejus præsidio destituantur; » cum enim tunc fuga ad gregis ordinetur salutem, licita utique est et expediens; non vero quando propriam vitam saluti publicæ præferre satagit.

Et lupus rapit, et dispergit oves.

17. — Toletus observat quod lupi nomine non solum hæretici, tyranni et Ecclesiæ persecutores intelligantur : « Sed quicumque, qui fideles a justi- « tia avertere conantur, qui timorem aliquem sua « potentia Prælatis incutere solent; sed non satis « est pastoribus, si non fugiant lupos, quando « terrentes invadunt, sed adhuc cavere debent, ne « cum lupis amicitias ineant in ovium detrimen-

« tum; » in cujus probationem quamdam ex Anacleti Papæ Epistola quadam, quæ in ordine prima est, sententiam adducit, qua dicitur : « Turpe profecto est pastoribus, lupos habere amicos in suarum ovium damnum. »

18. — Venerabilis Beda dicit quod quando pastor, cui super salute gregis sui vigilare incumbit, ad nihil aliud quam ad utilitatem propriam attendit, suumque gregem lupis in prædam fieri permittit, grex ille paulatim ut intereat, necessum sit : « *Lupus rapit et dispergit oves*, cum alium ad « luxuriam pertrahit, alium in avaritiam accedit, « alium in superbiam erigit, alium per iracundiam « dividit; hunc invidia stimulat, illum in fallacia « supplantat; quasi ergo gregem lupus dissipat, « cum fidelium populum diabolus per tentationes « necat; sed contra hæc mercenarius nullo zelo « accenditur, nullo fervore dilectionis excitatur, « quia dum sola exteriora commoda requirit, interiora gregis damna negligenter patitur; unde et « mox adjungitur : *Mercenarius autem fugit, quia « mercenarius est, et non pertinet ad eum de ovibus*; « ac si aperte diceretur, stare in periculo ovium « non potest, qui in eo, quod ovibus præest, non « oves diligit, sed lucrum terrenum quærit, dum « enim honorem amplectitur, dum temporalibus « commodis lætatur, opponere se contra periculum « trepidat, ne quod diligit amittat; » quod idem fere etiam in S. Gregorio legitur.

Additiones.

a. — *Mercenarius autem videt lupum*, etc. S. Augustinus, *Serm.* XLIX *de verbis Domini*, ait : « Non « fugit mercenarius corpore; non enim Ecclesiam « deserit, alioque abit, sed fugit animo, quia cum « præsens sit corpore, vitiis medicinam non adhi« bet, mores non corrigit vigilanter. » Est certe vera et noxia fuga; correctio enim neglecta fovet omne vitium et malum exemplum : prudenter autem adhibita, multum fructum affert. Est enim velut ferrum chirurgicum, quod feriendo medelam confert; ubi etiam ostenditur, quod in culpa aliena participet, qui vitium, dum potest, non corrigit et emendat. Beatus Humbertus virgam Moysis quæ in terram projecta, in serpentem conversa fuit, considerans, dicit : Per virgam ut omnibus notum est, reprehensio vel correctio præfiguratur, quæ dum a superioribus in terram abjicitur, id est, contemnitur et negligitur, inde subito multi vitiorum et scandalorum venenosi serpentes nascuntur : « Nam ubi « deest correptio, abundat peccati corruptio; unde « qui odit correptionem, amare videtur corruptio« nem, propter quod qui hic non corrigitur, in « futuro damnabitur. » Quinam omne malum quod hactenus de genere humano inmundavit, suum a neglectu correctionis originem habere credat? Et tamen profecto ita se res habet. Quia enim Adam conjugem suam contra prohibitionem divinam manum suam ad pomum decerpendum, faucesque ad illud comedendum aperientem videns, eamdem nec reprehendit, nec coercuit; et quia eamdem post manducationem pomi ad seriam pœnitentiam non induxit, neque invidi serpentis deceptionem, offensæque Dei gravitatem ei ob oculos posuit, hic tam utilis officii neglectus eidem Adamo causa fuit, ut ipse tanto majori cum facilitate in idem præcipitium corneret. Nam ut Cajetanus ait : « In hoc « insinuatur facilior aditus mulieri datus ad persua« dendum viro, qui præsens neglexit illam cohi« bere. » Si enim Adamus Evam increpasset, eique asperæ cujusdam correctionis virgam adhibuisset, illa utique ipsum in eamdem transgressionem inducere minime præsumpsisset. Sancti Doctores de neglectu, vel etiam dissimulatione correctionis fraternæ disserentes, eos qui illam intermittunt haud secus, ac eorumdem peccatorum, quæ in impiis hominibus reprehendere debebant, reos et participes reprehendunt. Sic S. Bonaventura, in libro qui *Pharetra* intitulatur, inter alias sanctorum Patrum auctoritates, S. Bernardum citat, dicentem : « Nemo, « fratres, vitia palpet, nemo dissimulet; est enim « consentire, silere, cum arguere possis et scimus « quia similis pœna facientes maneat et consen« tientes. » Doctor Angelicus, II, II, *q.* 33, *art.* 2, S. Augustinum citat, qui *Serm.* XVI *de verb. Dom.*, ait : « Si neglexeris corrigere, pejor eo factus es, « qui peccavit. Hoc autem non esset verum, » inquit S. Thomas, « nisi per hujusmodi negligentiam ali« quis præceptum omitteret. » Peccato igitur mortali animam suam commaculat, qui dum potest et debet, maculas culpabiles, et reprehensibiles, correctione mediante, a proximis suis abstergere renuit.

b. — Pro pastore Deus intelligi potest, cujus oves sunt quælibet cujusque hominis anima, utpote quæ a Deo creata totum suum esse habet ab illo. Dum vero lupus infernalis illas per peccatum aliquod sibi rapit, non fugit pastor ille sicut mercenarius, sed magna illis auxilia et gratias offert, ut illas ex faucibus dæmonis iterum eripiat. S. Laurentius Justinianus asserit tunc impium, quando vel maxime Deo ingratus rebellisque vivit, quando eum vel impudentissime offendere, inque malitia sua persistere satagit, singularibus, quandoque præveniri Dei, ipsum ad pœnitentiam vocantis et expectantis misericordiis : « Te resistente, » inquit, « prævaricante, fugiente, expectavit patienter, ut pœnitentiam « ageres. » Sed D. Augustinus iterum qualiter in meditationibus suis præterita effrænis juventutis suæ tempora sibi nobisque ob oculos ponat, audire juverit : « Ego te irritavi, » inquit; « ego malum « coram te feci, furorem tuum provocavi, iram pro« merui, peccavi et passus es; deliqui et adhuc sus« tines. Si pœniteo parcis, si revertor me suscipis;

« si differo præstolaris. Revocas errantem, vincis « repugnantem, expectas torpentem amplecteris « redeuntem, doces ignorantem, mulces mœren« tem, a ruina suscitas, post lapsum reparas, « potenti largiris, quærenti inveniris, pulsanti ape« ris. »

c. — Sub hoc typo lupi ovem invadentis, intendit Dominus explicare summum malum, quod diabolus in anima fideli patrat. Lupus enim inter cætera animantia hoc habet, ut ovis guttur primum apprehendat, nec ei gemere aut signum suæ miseriæ edere permittat; sic et diabolus cum maximum malum parat homini, guttur invadit, ut vocem adimat, ne confitetur peccata sua, aut in confessione loquatur et gemat, ut salutem assequatur et reviviscat. Multoties Salvator noster mutis beneficium impertiit loquelæ, qui simul etiam demoniaci erant; ita nobis S. Lucas, XI, 14, attestatur dicens : *Erat ejiciens dæmonium, et illud erat mutum*. Et S. Marcus, VII, 32 : *Adducunt ei surdum et mutum*, quem Albertus Magnus etiam a diabolo obsessum fuisse arbitratur. Cur obsecro, malignus spiritus linguæ potius quam alterius membri beneficio miseros privat? Responsum accipite a Didaco Stella : « Efficit mutum hominem dæmon, ut nequeat « Sacerdoti confiteri sua peccata. *Adhærere*, inquit « Deus per Ezechielem, III, 26, *linguam tuam palato « tuo et eris mutus*. In palato residet gustus; lin« guam adhærere palato, est voluptatem capere et « in peccato gaudere. » Doctissimus Salmeron inquit : « Mutus est peccator, qui non confitetur ob « dæmonem, qui ut fortis armatus possidet castrum « cordis et portam per quam est expellendus clau« dit. » Ubi et idem auctor modum perpendit fraudulenti serpentis, qui nos mutos reddere consuevit, ideoque subdit : « Pudore infandorum criminum et « impunitatis pollicitatione, et ipso longioris vitæ, « et confessionis suo tempore faciendæ, tanquam « pessulo quodam clausit ostium. »

d. — S. Augustinus instinctum persequens lupi : « Ecce, » inquit, « lupus guttur ovis appre« hendit. » Hæc est prima lupi infernalis adversus animam operatio, scilicet os, seu guttur occludere. Cujus lupinæ proprietatis hanc Salmeron dat rationem : « Ne clamet, scilicet ovis et clamore suo « canes excitet. Ita dæmon hoc molitur et in hoc in« sidias struit, ut peccator, ne per orationem ad « Deum fusam, nec per detectionem delicti apud « Sacerdotem, neque per petitionem consilii, cri« mina sua ad salutem consequendam declaret. » Id quod et Ambrosius in hæc nobis verba proponit : « Lupi ovium guttur invadunt, ut cito strangu« lent. » Hoc si obtinuerit dæmon, prædam certo intercepit, quia *ore confessio fit ad salutem*. Optimum igitur remedium contra hostiles assultus atque insidias est frequens oris apertio : *Locutus est mutus*; frequens conscientiæ examen : *Cum dispositione initur bellum*, inquit Sapiens, *Prov.*, XXIV, 6, *et erit salus, ubi multa consilia*. Sine pavore luditur hostis, cujus innotuere stratagemata, cujus manifestatæ sunt insidiæ.

e. — Et lupus simul et dispersio merito introducitur, quia qui divisiones movet, hic lupus est, Deo invisus, ab ejusque spiritu alienissimus. Super id, *Prov.*, VI, 12, legitur : *Homo apostata, vir inutilis, graditur ore perverso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, pravo corde machinatur malum et in omni tempore jurgia seminat*. Sic commentatur D. Gregorius, in *Pastor.* III, XXIV : « Ecce quem semi« nantem jurgia dicere voluit, prius apostatam « nominavit, quia nisi more superbientis Angeli, « a conspectu Conditoris primo intus aversionem « mentis caderet, foras post modum, usque ad « seminanda jurgia non veniret. » Et ideo nec Pastor nec ovis est, sed lupus, sed Deo contrarius, sed diabolus, quisquis divisiones miscet. Ille enim infernalis lupus, ut rapere possit, dissensiones seminat; hoc ejus opus est, qui ideo pacem, quia hæc illi bellum movet eumque vincit, odit. Lupus infernalis ut bonas rapere possit animas, seminat inter illas dissensiones, disgregat, dissipat et disperdit unam ab alia, ut hac ratione ejus potestati se tanto facilius submittat, illamque ipse possideat. Aquilæ quidem et milvi, seu accipitres, sturnos, columbas, aliasque volucres quantumvis nullam se illis opponendi vim habeant, attamen quamdiu gregatim unitæ simul volant, easdem aggredi nequaquam audent, quemadmodum id libenter faciunt, quando singulæ seorsim et ab aliis separatæ volant. Eodem modo accipiter diabolicus omnem nocendi animum deponit, quando nos unanimes esse videt et concordes. Advertendum quoque antiquum hunc adversarium, prouti ex doctrina Nazianzeni colligitur, non solum nobiscum confligere aperto marte per insultus manifestos, verum etiam per insidias occultas, in obscuritate et quiete noctis, id est, nobis id minime advertentibus, zizania sua seminando : « Secum enim ipse pugnat, et ut ab initio homicida, « honique odio percitus, hoc ipsum in aliis operatur « ut communo Ecclesiæ corpus in occulto sagittet, « sub seditionis caligine sese occultans. » Porro omnibus nota est famosa illa Jobi historia. Postquam enim dæmon postulatam a Deo obtinuisset licentiam, quis illum Jobo in illa potissimum parte plagas suas inflicturum fuisse non credidisset, ubi majori sensu præditus erat, id est, per omnium filiorum et filiarum simultaneam mortem? Et tamen ictum hunc post omnium facultatum et divitiarum illius jacturam sibi reservavit. Quod eo præcipue mysterio ipsum fecisse credo ut scilicet de unione et concordia qua cum illos quotidie simul convivere observaverat, se vindicare posset; hæc enim illum acriter transfigebat; neque enim illis unquam quantumvis minimum damnum inferre

UNIVERSIDAD DE NAVARRA

potuisset nisi id ei divina dispensatione fuisset permissum. Unde D. Chrysostomus ait : « Observavit « tali eos tempore necare, cum ad pacem conjun- « gebantur. »

f. — Ecce tibi et lupus, et ovium dispersio. Cur autem quæ divisionem patiuntur oves et lupos non patiantur? Equidem pastor qui permittit agnum a grege separari, solumque et divisum ab aliis, vastissimos per montes errare, is pastor, non tam in pascua quam in lupos et omne exterminium ducit agnos. Sic hostes invadunt divisum et separatum hominem a consortio fratrum; sibi enim connexa sunt hæc duo, et divisio, et hostium irruptio, atque totalis terræ desolatio. Discordia enim regna destruit quæ pax erigit. *Omne regnum in seipsum divisum desolabitur et domus supra domum cadet*, dicit Dominus, *Luc.*, xi, 17. Quando Lot ob pastorum suorum dissensiones cum pastoribus Abrahæ habitas, utpote de pace parum sollicitas, a sancto illo Patriarcha se divisit, confestim rixarum et discordiæ expectus est fructus; etenim a victoribus inimicis, una cum omnibus suis abductus est captivus, omnesque ei ereptæ sunt facultates. Unde S. Chrysostomus ait : « Ecce ut divisus est et putabat se in « majori esse libertate et potiora se assecuturum, « repente factus est servus, ut discat quantum « malum sit divisio et quantum bonum concor- « dia. »

Versus 13.

Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, et non pertinet ad eum de ovibus.

1. — Cajetanus dicit : « Non est illi cura ovium, « cura mercenarii est circa lucrum suæ mercedis « et non circa salutem ovium. » Albertus Magnus ab expositione Cajetani paululum differt; dicit enim : « *Non pertinet*, id est, in perditione illarum se nihil « perdere existimat. »

2. — Ad Episcopos quidem et alios Prælatos Ecclesiasticos spectat, reprehendere vitia, populorum pravos reformare mores et circa animarum salutem exactam sollicitudinem gerere; Deus autem per Oseam, iv, 8, graviter lamentatur, quod multi e Sacerdotibus metu utilitatis propriæ amittendæ, idipsum facere intermittant : *Peccata populi mei « comedent et ad iniquitatem eorum sublevabunt « animas eorum*, ubi S. Hieronymus ait : « Sacer- « dotes dissimulant atque laudant peccata populi, « ut plurimæ ad eorum quæstum afferantur victimæ « et ita populum spoliant, atque comedunt, de qui- « bus dictum est, *Psal.* xxx, 4 : *Qui devorant ple- « bem meam, sicut escam panis.* »

Additiones.

a. — *Mercenarius fugit, quia mercenarius est*, etc. D. Anselmus per hunc mercenarium intelligit hominem vanæ gloriæ deditum, qui applausu mundano vendit bona opera, quæ alias erant incomparabilis meriti apud Deum; cui oves non sunt propriæ, quia virtutes quas in seipso custodire videtur, ab eo sunt alienæ. Magna igitur jactura vanæ gloriæ, quam facimus, temporalem mercedem recipientes, loco æternæ. Qui vanæ gloriæ avidus est, audiat et intelligat quid dicat, clarisque verbis et sine glossa determinat Rex æternæ gloriæ, prima et infallibilis Veritas : *Ego Deus et non mentior*. Monuerat discipulos suos : *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus ut videamini ab eis*; et statim subdit : *Alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum qui in cœlis est.* « Misericordiam coram se solum vult fieri, » inquit Chrysologus, « qui solius est misericordiæ, et « remunerator et testis. » Abbas Joannes eremita Ruffino dicebat : « Qui ab hominibus gloriam quæ- « rit, odit eam quæ a Deo est. » S. Augustinus in suis Confessionibus, *cap.* xxxviii, quoque scribit : « Qui laudari vult ab hominibus, vituperante te, « non defendetur ab hominibus judicante te, nec « eripietur a damnante te. » Amentem profecto quilibet censebit mercatorem illum, qui pro vilissimo pretio vendit merces suas, sciens illas infra paucos dies cariori vendendas fore pretio; et talis est multorum stultitia, qui vana ducti gloria, bona exercent opera. Quæcumque exercetis opera misericordiæ, sive operalia, sive spiritualia, quascumque facitis eleemosynas, jejunia, aut similia opera media sunt quibus æternam vitam lucrari potestis, si facta fuerint in gratia et charitate; fatui igitur et amentes eritis, si pro tantillo plausu et laudis humanæ, pro uno euge, euge, quod celeriter avolat, ea expendere, eorumque valorem perdere velitis : *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.* Si ex mercibus in foro divenditis lucratus fuisses thesaurum sufficientem ad te, tuamque familiam ditandam, vendereene illum alicui, qui nonnisi mera verba quibus te pulparet, laudaret ac deprædicaret, vicissim reponeret? *Negotiamini dum venio*, ait Salvator noster. Opera virtutum facta in amicitia Dei sunt merces quibus possumus negotiari et lucrari Paradisum. Deus solvit illa remuneratione æternæ gloriæ, hac tamen conditione, si facta relata fuerint ad ipsius gloriam; nam si fiant ad capiendam laudem et honorem ab hominibus, jam aperte se declarat : *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.*

b. — Reddit Dominus causam cur mercenarius fugiat, quia ipse solam suam quærit mercedem; proindeque quando oves pereunt, non ipsi sed Domino pereunt, parum curans de ovium aut Domini commodo. S. Prosper gravem illam Domini protestationem : *Væ pastoribus, qui pascebant seipsos*, sequentibus prosequitur verbis : « Istud væ, « pro maledicto poni, et pastorum nomine nos « significari, quis non intelligat, nisi qui futura « non cogitat? Gregem Domini pascendi curam « pastores facti suscipimus et nos ipsos pascimus, « quando non gregum utilitati prospicimus, sed « quid foveat et augeat nostras voluptates attendi- « mus. »

Versus 14.

Ego sum pastor bonus, et cognosco oves meas, et cognoscunt me meæ.

Ego sum pastor bonus.

1. — S. Thomas optimam inter bonum et malum pastorem assignat differentiam : « Bonus pas- « tor, « inquit, « intendit commodum gregis, malus « autem commodum proprium; « adducit illum Ezechielis Prophetæ locum dicentis, *cap.* xxxiv, 2 : *Væ pastoribus, qui pascunt seipsos*; « qui utitur grege « ut semetipsum pascat, non est pastor bonus. »

2. — Advertendum est autem quod Christus non dicat : Ego sum pastor fortis, eruditus, prudens, circumspectus, sed, *Ego sum pastor bonus*, ut exinde intelligatur quod bonitas, bonumque aliis relictum exemplum et bona fama, primus sit atque præcipuus boni Pastoris et Prælati ecclesiastici character, *Matth.*, v, 16 : *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona.* Beatus Petrus Damianus dicit : « Sacerdos, qui in regno cœlorum vult « esse magnus, sit in populo prævius, ut quod voce « se sequentibus dictat, primus ipse vivis operibus « adimpleat. » *Ante eos vadit*, inquit Christus apud S. Joannem de bono pastore, *et oves illum sequuntur.* Optime idipsum præstitit Christus ipse, de quo in Actis Apostolicis dicitur : *Cœpit Jesus facere et docere.* Hugo de S. Victore, de hoc bono pastore ita scribit : « Unus pastor, unus in se et unus cum grege; unus « in se, ut quod docet verbis, impleat operibus; « unus, ut non mutetur prosperis, vel adversis; « unus cum grege, ut a subditis non dividatur per « pretiosiorem cibum, vel habitum. » Hugo Cardinalis ait : « Nota tria, in quibus præcipue attenditur « bonitas pastoris, in solertia pascendi, in diligentia « custodiendi, in audacia defendendi. » Quod si examinaverimus qualia hic pastor gregi suo, id est, electis suis pascua procuraverit, subito elucescet, quanto cum jure sibi boni pastoris nomen comparavit. David, qui se hujus gregis oviculam esse lubens agnoscebat, pauper et ab ipsomet patre et fratribus suis contemptus pastor erat et tamen quantum ille etiam in hujus vitæ bonis auctus et cumulatus fuit? Quot sibi accersivit regnorum sceptra, thesauros, progeniem? Quantamque penes universum mundum famam et venerationem? *Dominus regit me*, inquit, *Psal.* xxii, *et nihil mihi deerit; in loco pascuæ me collocavit, super aquam refectionis educavit me*; abundanter enim etiam in pascuis terrenis et corporalibus provisus fuit, in Psalmo i, 1, ubi animam cœlo possidendo electam describit, ita ait : *Beatus vir qui non abiit*, etc., et tandem concludit : *Et omnia quæcumque faciet prosperabuntur.* Quod si vero de spiritualibus pascuis loqui velimus, apud Ezechielem, xxxiv, 14, illa his verbis promisit : *In pascuis uberrimis pascam eos, in pascuis pinguibus pascentur.* Imo ipsummet Dei pinguissimam nobis pascuam exhibet, *Joan.*, x, 27, 28 : *Oves meæ vocem meam audiunt et vitam æternam do eis.* Et libro *Sap.*, xvi, 26 : *Sciant filii tui, quos dilexisti, Domine, quoniam non nativitatis fructus pascunt homines, sed sermo tuus hos, qui in te crediderunt, conservat. Non in solo pane vivit homo*, inquit cœlestis hic Pastor, *Matth.*, iv, 4, *sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* Ad hæc inter electorum pascuas quoque connumerari possunt dona interiora gratiæ, fides, charitas, patientia, spes, castitas, humilitas et omnia alia, quibus interius spiritualiter pascimur, *Matt.*, v, 6 : *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur*; etenim hæc dona gratiæ et virtutes, vires et vigorem ad operandum animæ tribuunt, ad eum modum quo cibus materialis corporibus nostris robur addit, ad exercendum suas operationes. Denique gratissimam animabus Deo charis et dilectis pascuam præbent tribulationes et passiones, Dei amore a nobis toleratæ, adeo ut de S. Stephano sancta Mater Ecclesia canere soleat : *Lapides torrentis dulces illi fuerunt.* S. Laurentius postquam truculentissimorum tormentorum carnificinam, ante se positam, conspexisset, dixit : « Has epulas ego « semper optavi. » Verum enimvero omnem cibum superat, omnemque aliam suavitatem et substantiam superexcedit sacratissimum divini hujus Pastoris corpus, quod electos suos nutrit et sanguis quo nos potat et reficit, adeo enim cibus hic et pascua pretiosa est, ut nullam habeamus Angelorum mensæ in Paradiso præparatæ invidendi rationem.

Et cognosco oves meas.

3. — S. Bonaventura verbum hoc *cognosco*, ita glossat, ut idem sit quod *diligo*. Unde Lucas Brugensis ait : « Scio cognitione non nuda et sterili, « sed plena amoris et curæ, cognitione, quæ ex « amore nascitur et curam secum trahit. »

4. — Toletus inter divinum hunc pastorem et pastores alios hanc assignat differentiam; nam « Pastores oves suas non cognoscunt distincte, nisi « aliquo signo exteriori notentur, quo uti solent, ut « eas agnoscant et inter alias, quæ suæ non sunt, « distinguant; at mirabilis noster Pastor Christus « hoc habet proprium, tanquam verus et proprius « pastor, qui novit oves suas etiam nullo signo dis- « tinctas. II *Tim.*, ii, 19 : *Cognovit Dominus qui sunt « ejus.* »

5. — Theophylactus causam refert, cur mercenarii hanc notitiam non habeant : « Mercenarius, « inquit, « nescit oves, quod contingit, quia non sæpe « illas invisit, nam si sæpe inviseret, cognosceret

« eas. » Et ideo Sapiens in Proverbiis, XXVII, 23, optime monet, dum ait : *Diligenter agnosce vultum pecoris, tui tuosque greges considera.*

6. — Cajetanus Christum hisce verbis dicere voluisse asserit se oves suas probe agnoscere, adeo ut illas a reprobis perfecte discernere queat : « Quod « est cognoscere prædestinatos; effectusque præ« destinationis in eis, quod est cognoscere intima « eorum, præsentia et futura, rursus significat, « quod notitiam habet infirmitatum, reliquarum« que conditionum, earum non minus quam pas« tor corporeus agnoscit conditiones pecudum sua« rum. »

Et cognoscunt me meæ.

7. — « Significat, » inquit Cajetanus, « se a præ« destinatis agnosci ut eorum pastorem, curato« rem, vivificatorem; est enim in prædestinatis « internum lumen, faciens in eis hujusmodi noti« tiam. »

8. — Albertus Magnus ait : « Per beneficia enim « mea cognoscunt fidem meam, fide, et devotione, « et gratiarum actione. »

9. — S. Bonaventura ita explicat : « *Cognoscunt me*, id est, obsequuntur. »

10. — Hugo Cardinalis ait : « *Cognoscunt me meæ*, id est, in proximo est ut convertantur et « credant multi; cognovit enim Dominus eos, qui « sunt ejus. »

11. — « *Cognoscunt me* tanquam Pastorem et « Salvatorem suum, » inquit Lucas Brugensis, « imo qui intelligunt non esse sibi aliam salutis « spem, nisi per me, ita me cognoscunt, ut etiam « gratæ me redamant; ita noverunt vocem suam, « ut præeuntem morigeræ sequantur, jussis meis « obtemperent et imitentur exempla. »

12. — Porro in hujus æterni Pastoris notitia et agnitione omnis nostra salus reposita consistit, ipsomet teste, qui ait, *Joan.*, XVII, 3 : *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum et quem misisti Jesum Christum.* Unde optime Jeremias, IX, 23, monet, dicens : *Non glorietur sapiens in sapientia sua, non glorietur in fortitudine sua et non glorietur in divitiis suis; sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire et nosse me.* Etenim evidens signum, unde agnoscere possumus nos talem notitiam habere, a S. Joanne, II, II, 4, nobis his verbis traditur : *In hoc scimus, quoniam cognovimus eum, si mandata ejus observemus. Qui dicit se nosse eum et mandata ejus non custodit mendax est et in hoc veritas non est.*

13. — Albertus Magnus ait : « Semper ante « oculos bonæ ovis est pastor, ut illum sequatur et « semper in oculis boni pastoris est ovis, ut ab illo « illuminetur; » citatque S. Joannem Chrysostomum dicentem quod hic Pastor Evangelicus et alii terrestres in omnibus aliis inter se similes existant : « Præterquam in hoc solo, quod pastor corporalis « sequitur oves, pastor autem spiritualis oves præ« cedit, ut ipsum semper habeant in oculis, *Joan.*, « X, 4 : *Ante eos vadit et oves illum sequuntur.* »

14. — Porro signa, ex quibus, an aliquis de hujus Pastoris grege, sive de electorum numero sit, dignosci potest, varia sunt et multa, et quidem in primis oves præ cunctis aliis animantibus solitudinem diligunt, civitates autem et loca inhabitata nauseant et aversantur. Deus de anima sancta et de omnibus illis, qui solitudinem diligunt, per os Oseæ Prophetæ, XIII, 5, dicit : *Cognovi te in deserto et in terra solitudinis*; et S. Augustinus quoque, *l. de mor. Eccles.*, ait : « Desertissimas terras incolunt perfruen« tes colloquio Dei, cui puris mentibus inhæse« runt. » Præterea ii, qui officii pastoralis experientiam habent, referunt quod ovium grex salsas, sive amaras pratorum herbas quam maxime diligant; unde et in illis agris, ubi salnitrum, seu sal petræ prævalet, libentissime pascuntur, atque folia, quæ ex amaris arboribus progerminant, industrie quærunt. Eadem quoque ratione, quanto animam aliqua afflictionibus corporalibus, sensumque et partis rationalis, tum interiori, tum exteriori mortificationi magis dedita est et adhærescit, tanto evadit purior et immaculatior et consequenter cœlesti Sponso magis accepta; unde S. Leo, *Serm. I de jej.*, dicit : « Tanto fit rationalis anima purga« tior, quanto fuerit substantia carnis afflictior. » Ovis dum pascitur et in pratis festive saltat, eamdem vocem edit, quam percussa, jugulanda, aut dilaniandia edere solet, quod in animabus justis, tam in adversis quam prosperis æquanimitatis est symbolum, *Prov.*, XII, 21 : *Non contristabit justum, quidquid acciderit ei.* Sic Job eamdem præsetulit vultus serenitatem in adversitatum procellis, quam in prosperis fortunæ eventibus, unde ait : *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est; sit nomen Domini benedictum.* Et in hymno de Martyribus communiter canimus : « Cæduntur « gladiis more bidentium, non murmur resonat, « non quærimonia, sed corde tacito, mens bene « conscia conservat patientiam. » Ad hæc ovis inter alia animalia maxime est timida; ita quoque justis evenire solet, *Prov.*, XXVIII, 4 : *Beatus homo, qui semper est pavidus. Semper quasi tumentes*, inquit *Job*, XXXI, 23, *super me fluctus timui Deum. Job.*, IX, 28 : *Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti.* Cui accedit quod animal istud ex speciali quodam naturæ instinctu, sui agnoscat vocem Pastoris; ita quoque S. Gregorius, *Hom.* XVIII *in Evang.*, super illa Christi verba : *Qui ex Deo est, verba Dei audit*, ita scribit : « Inter« roget se unusquisque, si verba Dei in aure cordis « percipit et intelligit unde sit. » Præterea ex omnibus pecudum gregibus nullus est magis inermis aut imbellis quam qui ex ovibus congregatur; hæ enim nec dentes habent ad mordendum, nec ad

percutiendum calces, nec ungues ad dilaniandum, nec ad offendendum cornua, nec venenum ad intoxicandum et ideo aptissima sunt animæ alicujus justæ figura, utpote quæ divinæ particeps est filiationis, *Matth.*, V, 9 : *Beati pacifici, quoniam Filii Dei vocabuntur.* Deinde quotidiana nos docet experientia, quod ovis aliqua a grege et pastore suo sequestrata oberrans, continuo balando vociferetur et contristetur, donec pastori et gregi suo denuo conjungatur, adeo etiam, ut quamdiu a grege procul abest, præ nimio metu toto corpore contremiscat, quod aptissimum animæ alicujus prædestinatæ signum est, hæc enim quando a recta legis Dei semita, per peccatum aliquod commissum aberravit, protinus interiorem conscientiæ patitur remorsum; ac proinde continuo affligitur, donec ad confessarii pedes se prosternendi occasionem inveniat; timet enim, ne justitiæ divinæ vindicta in eam animadvertat, nisi sub divinorum præceptorum obedientia se denuo recipiat; cujus contrarium in reprobis evenire videmus, qui malæ conscientiæ synderesin vel non sentiunt, aut vero contemnunt, *Prov.*, XVIII, 3 : *Impius cum in profundum venerit, contemnit.* Oves quoque pastoribus suis gratas sese exhibent pro cura et providentia, quam de illis habet, quam eisdem per multa, quæ ab ipsis accipiunt, emolumenta recompensant hæc quoque erga recepta a Deo beneficia gratitudo, hominis Deo grati et accepti certissimum et infallibile est indicium. Unde Lyranus super illa verba : *Cognoscunt me meæ*, dicit quia vere fideles cognoscunt beneficia Christi. Ideoque regius Propheta David totos anxius et sollicitus, *Psal.* CXV, 3, quærebat : *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* Oves insuper inter se charitativæ existunt, pastoremque suum impense diligunt, id quod nobis amorem repræsentat, quem habere debet anima erga Deum et proximum, hic enim certissimus et infallibilis est character prædestinationis; unde S. Augustinus ait : « Sola charitas discernit « Filios Dei a filiis diaboli; » et ideo Evangelicus Pastor noster dilecto gregi suo dicit, *Joan.*, XIII, 35 : *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* Est quoque animal hoc adeo patiens, ut, dum ad macellum perducitur, nullam, sicut alia, faciat resistentiam. Unde Isaias Propheta, LIII, 17, ut nobis incomparabilem Christi patientiam, quam, dum ad crucifigendum educeretur, exhibuit, aliqua similitudine adumbraret, dixit : *Sicut ovis ad occisionem ducetur et non aperuit os suum*; et Origenes, *tract.* XIV *in Matth.*, dicit quod justi oves sint dicti, quia salvabuntur per mansuetudinem. Unde patientia, quæ in servis Dei conspicitur, manifestum maximæ perfectionis est indicium : *Patientia opus perfectum habet.* Et Apostolis, inque ipsorum persona, omnibus aliis electis dictum fuit, *Luc.*, XXI, 9 : *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Ovis præterea ad unicum pastoris sibilum, vel manus motum, vel ad unicam vocem obedit, ita ut ad quemvis minimum nutum gradiatur et gressum sistat, *Psal.* CXIX, 2 : *Qui deducis velut ovem Joseph*; hæc cum divina voluntate conformitas, sive propriæ voluntatis abrenuntiatio, hoc, quod est voci Dei, divinisque ejus inspirationibus obedientem esse, pignus pariter et signum est prognosticum, unde aliquem ad gloriam electum esse dignoscere possumus.

15. — S. Martinus, dum ovem aliquando tonderi vidisset, dixisse fertur, illam Evangelicum perfecte adimplevisse consilium, quo dicitur : *Qui habet duas tunicas, det non habenti*; ita quoque eleemosyna et erga pauperes exhibita misericordia, nos de sortienda in judicio finali felici dextera securos efficit : *Nudus eram, et cooperuistis me.* Quodnam inter omnia animalia inveniri poterit, quod in ministrandis abundantius fructibus et emolumentis cum ove decertare possit? Hac enim ovis, pastoris industria ad nostrum nutrimentum in varias substantias dividitur, agnos suos quoque nobis communicat, carnibus etiam nutrimur, vestimur itidem lana ejus et pellibus, ecce tibi igitur mysterium, cur electi amici Dei per ovium gregem denotentur, nimirum ut per hoc nobis insinuetur illos dignos esse, qui electorum numero aggregentur, qui bonorum operum fœcundi esse conspiciuntur, *Apoc.*, XIV, 13 : *Opera enim illorum sequuntur illos.* Denique oves omnium se usibus ac necessitatibus adaptant; siquidem pellibus suis vestiunt rusticos, ex lana earum texitur pannus etiam talis, ut nobiles illo sine rubore vestire se possint; ex intestinis earum fides præparantur musicis modulis edendis aptissimæ, ex ipsarum ossibus, tibiæ aut fistulæ, aliaque instrumenta musica conficiuntur; ex ipsarum quoque pellibus, charta pergamena præparatur, cui regia et pontificia inscribuntur diplomata et privilegia. Quod idem quoque justorum proprium esse noscitur, Apostolo de semetipso id attestante, dum ait, I *Cor.*, IX, 22 : *Omnibus omnia factus sum.* Imo de omnibus perfectis, Deoque charis animabus idem Paulus scribit, II *Cor.*, III, 2 : *Epistola nostra vos estis, scripta in cordibus nostris*; siquidem sanctæ, innocentes, Deumque ardenter amantes, instar pellis cujusdam extenduntur : *Extendens cœlum sicut pellem*; vel etiam instar chartæ complanantur, ut divinæ voluntatis, et gratiarum, donorum, cœlestiumque privilegiorum, quibus Deus illas locupletat, characteres congrue in illis exprimi et exarari possint.

Additiones.

a. — *Ego sum Pastor bonus et cognosco oves meas*, etc. Prius ait Dominus quod ipse cognoscat oves suas, quam quod illæ eum cognoscant. Causam assignat hujus Theophylactus hic, dicens : « Vide « quod primus ille nos cognoscit; deinde nos illum; « neque aliter potest cognosci Deus, nisi nos cogniti

007866

« fuerimus ab illo. » Christus prius oves suas cognoscit quam oves illum cognoscant ; Deum quippe cognoscere nullus potest, nisi prius ipse a Deo cognoscatur cognitione sua practica et benefica, qua nos gratiis suis et auxiliis prævenit, nobisque assistit.

b. — Non ait Christus : *Diligo*, sed *cognosco oves meas*. Dilectio actus voluntatis est; cognitio vero intellectus actus. Bonus autem et prudens Præsul oves respicit, ad easque fertur, non voluntatis affectu, sed intellectus dictamine ; non enim suas oves diligit amoris propensione, sed rationis ac judicii dispositione.

c. — Solent generosi belli duces, qui copiosum militem describunt, ut suos eo facilius cognoscant, eos tessera quadam vestiaria insignire, seu ut vocant, libraria. Hos in præsenti imitatus videtur sanctissimus generalis noster Christus, dum ait : *Cognosco oves meas* ; quemadmodum in alio loco, II *Tim.*, II, 19, dicitur : *Cognovit Dominus, qui sunt ejus*. Sed unde eos noscis, mi bone Jesu? Ex signo quodam speciali, quo eos notavi. Et licet talia signa multa sint, præcipuum tamen est inter ea, illud quod Apostolus designavit, cum ait, *Rom.*, V, 3 : *Tribulatio patientiam operatur, patientia probationem*. Laborum ergo et variarum calamitatum humilis tolerantia, magnum christianæ perfectionis argumentum et christiani hominis character est, efficitque ut hanc fidei nostræ veritatem a Deo esse cognoscamus. Legitur, *Philip.*, I, 29 : *Vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini*. Ex his verbis Apostoli evidenter colligitur professores legis Evangelicæ non tantum vocatos esse ad credendum in Christum et ad profitendam fidem christianam, sed simul ad patiendum. *Vobis donatum est*, etc. Quamvis tribulationes et adversitates sint omnibus communes, attamen characteres sunt Christianis proprii. Audite hac super re D. Augustinus, quid nobis dicat : « Si putas te non habere tribulationes, nondum cœpisti esse Christianus; et ubi est vox Apostoli : *Omnes qui volunt in Christo pie vivere, persecutionem patientur?* Si ergo non pateris pro « Christo ullam tribulationem, vide ne nondum « cœperis in Christo pie vivere. » Ubi notandum est S. Apostolum nullum excipere a persecutionibus : *Omnes qui pie*, etc., quasi hic character Christianorum inseparabilis sit ab adversitatibus et persecutionibus. S. Hieronymus alium ejusdem Apostoli exponit textum, I *Thess.*, III, 3 : *Nemo moveatur in tribulationibus istis, ipsi enim scitis quod in hoc positi sumus*. Intendebat nimirum Apostolus, consolari fideles eo tempore quo cineti erant a persecutionibus, eisque ostendere volebat signum electi gregis esse tribulationem : « Ac si aperte dicat : Quid in « hoc tempore vulnera nostra miramini, qui si « æterna gaudia quærimus, huc ad hoc venimus, « ut feriamur? » Pulchram S. Augustinus adducit similitudinem, dicens : « Cum autem cœperis in « Christo pie vivere, ingressus es torcular. »

Sapiens illa et invicta vidua Judith, cui assistebat Spiritus Sanctus, inter alia, hoc quoque Ecclesiæ reliquit documentum : *Tentati sicut patres nostri ut probarentur, si vere colerent Deum suum. Memores esse debetis quomodo pater noster Abraham tentatus est et per multas tribulationes probatus. Dei amicus effectus est. Sic Isaac, sic Moyses et omnes qui placuerunt Deo, per multas tribulationes transierunt fideles. Illi autem qui tentationes non susceperunt cum timore Domini et impatientiam suam et improperium murmurationis suæ contra Dominum protulerunt, exterminati sunt ab exterminatore et a serpentibus perierunt. Judith.*, VIII, 21.

Volvite ac revolvite totam Scripturam, tam veteris quam novi Testamenti, percurrite insuper annales ab orbe condito et verum esse deprehendetis quod scribit magnus ille magister spiritus Blosius de pusillanimium tractans consolatione : « Nullus « omnino sanctorum fuit, qui non aut externam, « aut internam aliquam crucem portare debuerit; « abjecta igitur omni pusillanimitate, quicquid « tibi accidit, de manu mea accipe et hoc tibi a me « pro immenso amore, pro tua salute transmissum « esse crede. »

d. — Aliud vero signum distinctivum ovium Christi est pax quæ fidem confirmat. S. Apostolus de nostra ad fidem vocatione ad Ephesios, IV, 3, scribens, characterem fidelium in concordia, unione et pace mutua consistere manifeste ostendit, inquiens : *Obsecro itaque vos, ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis, cum omni mansuetudine, cum patientia, supportantes invicem in charitate, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis*. Et quidem ut hanc concordiam tanto vivacius exprimat, eamdem per quamdam membrorum corporis humani similitudinem declarat, dum ait : *Unum corpus et unus spiritus, sicut vocati estis, in una spe vocationis vestræ*. Christus in ultima cœna dixit : *In hoc cognoscent quia discipuli mei estis. Joan.*, XIII, 35. At vero quanam ex re idipsum cognoscent? Num forte ex eo quia novam legem Evangelicam prædicabunt? Aut vero, ex patratione miraculorum? Vel ex variis linguis quibus varias alloquentur nationes? Aut vero ex dono prophetiæ, vel ex vita apostolica? Nihil horum Christus dixit, sed tantum : *In hoc cognoscent si dilectionem habueritis ad invicem*.

In vitis Patrum sequentia leguntur : « Duo senes « erant, in una cella pariter sedentes, et nunquam « inter se vel qualemcumque parvam contentionem « habuerant. Dixit ergo unus ad alterum : Faciamus et nos unam litem, sicut et alii homines. At « ille alter dicit ei : Nescio quemadmodum sit lis. « Dixit ei ille : Ecce ego pono laterem in medio, et « dico quia meus est; tu dicis quia non est tuus, « sed meus; et ex hoc fit contentio et rixa. Et cum « posuissent laterem in medio, dicente uno quia « meus est, ille alter primo respondebat : Ego « meum esse spero. Cum ille alter iterum diceret, « non est tuus sed meus, tunc ille respondit : Et « si tuus est, tolle illum. Quo dicto non invenerunt « quemadmodum litigarent. » Ecce tibi quinam sint veri spiritus salutares fructus, scilicet pax et charitas. Observastine aliquando quonam nomine olim primi Christiani fuerint appellati? Nimirum quo hodie appellantur religiosi; videlicet, fratres sese mutuo vocabant.

Versus 15.

Sicut novit me Pater, et ego agnosco Patrem, et animam meam pono pro ovibus meis.

Sicut novit me Pater, et ego agnosco Patrem.

1. — Venerabilis Beda verba illa hunc in modum explicat : « Ac si aperte dicat : In hoc constat, quia « agnosco Patrem, et cognoscor a Patre, quia *animam meam pono pro ovibus meis*, id est, ea chari- « tate, qua pro ovibus morior, quantum Patrem « diligam, ostendo. »

2. — Cajetanus Christum hac similitudine usum fuisse notat, ad declarandum : « Quod non extrin- « seca, et infra terminos propriæ vilitatis notitia « est inter ipsum et oves ejus, quemadmodum est « inter pastores et pecudes eorum, sed est notitia « intellectualis, et vera amicitia, quemadmodum « est inter ipsum et Patrem. »

3. — Jansenius quoque Christum dicere voluisse observat, se non vulgarem habere electorum suorum notitiam : « Per hanc similitudinem significatur, non vulgarem esse cognitionem, qua ipse « Christus cognoscit oves suas, vicissim cognoscitur, « ab eis, nec talem esse, qualis est, qua omnia ut « Deus cognoscit, et quia etiam dæmones ipsum « cognoscunt; sed cognitionem affectivam, quæ « amorem in se includit. »

4. — Lucas Brugensis vocem *sicut* considerans ait : « Adverbium, *sicut*, similitudinem notat, non « æqualitatem ; quemadmodum, inquit, Deus Pater « novit me Filium suum, ita ut gratissimum habeat, diligat, curet, omnis generis donis ac perfectionibus ornet ac cumulet, nec deseram unquam, sed perpetuo servet, sic ego Pastor novi « oves meas electas, ita ut diligam, liberem, defendam, custodiam, servem, et plurimis beneficiis, « tum spiritualibus, tum corporalibus afficiam. »

Et animam meam pono pro ovibus meis.

5. — Hugo Cardinalis ait : « Id est, *vitam « expono*. » Jansenius notat, solum Christum dicere potuisse : « *Animam meam pono*, solus Christus « potuit dicere, hoc est, deponere animam suam, « quia sicut ille seipsum ultro tradidit manibus « persequentium, a quibus jam captus, seipsum, si « voluisset, liberare potuisset, ita cum voluit, spiritum emisit, potestatem habens, illum vel emittendi prius, vel retinendi diutius. *Joan.*, X, « *vers.* 18. »

6. — Cajetanus notat Christum non dixisse : « *Pro ovibus meis*, sed *pro ovibus*, ad significandum, « tum quod non pro propria sua utilitate, sed pro « utilitate ovium ponit vitam; » nimirum se ab aliis pastoribus vult condistinguere, qui tametsi nonnunquam se pro grege suo periculo exponunt, id tamen ex motivo proprii interesse, non aliquo, quo erga illas ferantur, amore faciunt; Jesus autem pro utilitate ovium, pro ipsarum salute.

7. — Albertus Magnus dicit : « Est subire pericolum mortis, ut grex liberatur. II *Cor.*, XII, 14 : « *Ego autem libentissime impendam, et superimpendam pro animabus vestris*. » Enimvero quod si quis, quanti Deus animam aliquam faciat et quanto pretio illa in Dei statera sit æstimabilis, accuratius considerare velit, nullus utique homo erit, qui, quantumvis exiguus Dei amicus existat, non libenter sese pro illius salute comparanda omnibus sit passionibus et periculis expositurus. Idem quoque Albertus S. Ambrosium citat dicentem : « Nulus tantum impendit, quantum qui seipsum « impendit? Ille enim Pastor dat corpus in pastum, « sanguinem in potum, animam autem dat in pretium, et deitatem dat in præmium. »

8. — Tuletus emolumenta, quæ in cœlestis hujus Pastoris gregem ex ejus morte redundat, his verbis exponit : « Sola mors Christi peccatum delere « potuit, gratiam restituere, et cœlum aperire, ipse « ergo est, qui maxime pro ovium utilitate animam « posuit, in maximo profuit. »

Versus 16.

Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile et unus pastor.

Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili.

1. — Cajetanus ait : « Quæ non sunt ex ritu « cultus Israelitici, quæ non sunt ex stabulo legis « Mosaicæ. » Lyranus tunc Pastorem hunc vitam et animam suam pro grege suo exposuisse dicit, quando in cruce suspensus, æterno Patri suo dixit : « *In manus tuas commendo spiritum meum*; et ne « crederetur, quod solum pro Judæis debet mori, « propter hoc quod dicitur, *Matth.*, XV, 24 : *Non « sum missus nisi ad oves, quæ perierunt, domus Israel*, ideo hoc removet, dicens : *Et alias oves habeo, « quæ non sunt ex hoc ovili*, id est, de synagoga « Judæorum, sed de populo gentili, *et illas oportet « me adducere*, quod factum est per prædicationem

« Apostolorum, *et vocem meam audient*, quia Judæis « repellentibus fidem Christi, gentiles eam devote « receperunt ad prædicationem Apostolorum. »

2. — « *Alias oves*, » inquit Venerabilis Beda, « quia non solum Judæam, sed etiam gentilitatem « redimere venerat. » S. Bonaventura ait : « Scilicet « eligendas animas de populo gentili. »

3. — S. Thomas, *in Joan.*, ait : « Ponit fructum « mortis Christi, qui est salus non solum Judæo- « rum, sed Gentium ; quia enim dixerat : *Animam « meam pono pro ovibus meis*, Judæi reputantes se « oves dici, juxta illud : *Nos autem populus ejus et « oves pascuæ ejus*, possunt dicere quod pro eis « tantum animam posuerit ; sed Dominus addit, « dicens : quod non tantum pro eis, sed etiam pro « aliis. »

Et illas oportet me adducere.

4. — « Id est, » inquit S. Bonaventura, « adduceret per Apostolos, » quia Apostolorum opera idololatras ad ovile Ecclesiæ suæ reduxit, dum illos prædicatione Evangelica mediante Deo lucratus fuit.

5. — « *Oportet*, id est, » ut S. Thomas exponit, « opportunum est, secundum ordinem divinæ præ- « destinationis ad gratiam vocari ; » qui idem Angelicus Doctor, posiquam sibi opposuisset locum illum Matthæi, xv, 24, insinuatum : *Non sum missus nisi ad oves, quæ perierunt, domus Israel*, protinus ad illum respondet : « Quod ad oves domus Israel « tantum missus est Jesus, ut eis corporaliter præ- « dicaret ; Gentes autem adduxit per Apostolos « suos. »

Et vocem meam audient.

6. — Cajetanus dicit : « Vocem meam procul « dubio internam ; prædicantibus enim Apostolis « nunquam adductæ foissent oves, nisi in illorum « prædicationibus et miraculis internam Christi « vocem audissent. »

7. — S. Thomas Christum hisce verbis tres conditiones indicare voluisse dicit, iis necessarias, qui ad fidem et religionem Christianam accedunt ; quarum prima est : « Obedientiam mandatorum Dei ; » ac proinde dicit : « *Vocem meam audient*, id est, « servabunt mandata mea. *Psal.* xvii, 45 : *Populus, « quem non cognovit, in auditu auris obedivit mihi.* » Secunda conditio est : Unitas charitatis, ad quam indicandam dicit : « *Fiet unum ovile*, id est, una « Ecclesia fidelium. *Ad Ephes.*, iv, 5 : *Una fides*, etc. « *Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum.* » Tertia conditio est : « Unitas fidei, et quantum ad « hoc, dicit : *Et unus pastor.* »

Et fiet unum ovile, et unus pastor.

8. — Dionysius Carthusianus Ecclesiam unam vocari dicit, « propter fidei, spei, charitatisque uni- « tatem ; ipsa enim est unum mysticum corpus « Christi, quo ab uno capite, scilicet Christo guber- « natur ; uno spiritu vivificatur, una lege regulatur, « uno fonte purificatur, uno pane reficitur, ab uno « Patre regeneratur, ad unam patriam proficisci- « tur. »

9. — Lyranus ait : « Fiet una Ecclesia ex Judæis « et Gentibus collecta, et unus pastor, scilicet Chris- « tus ; alii enim non sunt, nisi vicarii hujus pasto- « ris. »

Additiones.

a. — *Et alios oves habeo quæ non sunt de hoc ovili*, etc. Hugo Victorinus, *lib.* II *Miscell.*, *tit.* 130, ait : « Unus pastor, unus in se et unus cum grege. « Unus in se, ut quod docet verbis, impleat operibus. Unus ut non mutetur prosperis, vel adversis. Unus cum grege, ut a subditis non dividatur per prefiosiorem cibum, vel habitum. Si vero aliquis ex his pastoribus sit improbus ? Quid inde ? Christum tamen repræsentat. Unde ait D. Augustinus, *tract.* xlvi *in Joan.*, ait : Per eos vox Christi auditur ; et sequuntur oves, non mercenarium, sed vocem pastoris per mercenarium. Si ergo aliquis Prælatus defectuosus fuerit, cum tamen ratione officii Christum repræsentat, ei tanquam vicem Christi gerenti obtemperandum est. Unde Petrus Damianus, *Opusc.* xiii, xx, ait : « Nolite de priorum vestrorum per- « peram forte viventium meritis disputare ; et non « qua via gradiantur, sed cujus vice fungantur, « attendentes, illis in Christo humiliter obedite. »

Quod Prælatis, etiam malis, tanquam si Deo obediremus, obtemperandum sit, S. Apostolus, non solum ad Colossenses, iii, 22, verum etiam ad Ephesios, vi, 5, his verbis scribit : *Obedite dominis carnalibus cum timore, cum simplicitate cordis vestri, sicut Christo.* Unde aperte deducitur voluntatem et præceptum Dei agnoscendum esse ex ore eorum, qui in superioritate sunt positi. Quorum proinde voluntati subjici debemus, tametsi cæteroquin timorati et virtuosi nequaquam existant. S. Clemens Pontifex hujus nominis primus, in Epistola ad Episcopos, aliosque Ecclesiasticos, ita scribit : « Ves- « trum, quia legatione Domini fungimini, est « docere populos ; eorum vero est vobis obedire ut « Deo. » Et quidem, ut his, quibus subjicimur, libenter obediamus, S. Bonaventura sequenti nos efficaci motivo exstimulat dicens : « Ut autem me- « lius valeas esse obediens, cogita semper, quando « vox præcipientis sonat in auribus tuis, quod « vocem istam non tanquam ab homine audias, sed « tanquam ab ipso Deo. » Quod ipsum S. Basilius in constitutionibus Monasticis in hæc verba tradit : « Animadvertite quid in Evangeliis dicat, cum de « obedientia adversus servos suos adhibenda legem « sanciret : *Qui vos recipit*, inquit, *me recipit.* Et « alio in loco : *Qui vos audit me audit et qui vos « spernit me spernit.* »

Divinæ quotidiæ voluntatis adimpletionem sollicitamus dicentes : *Fiat voluntas tua.* Qualiter autem hæc ipsa nobis manifestabitur ? Per superiores nostros. Unde S. Bonaventura ab Alvares citatus, nos ita monet : « Quia non confudis tibi ipsi, te scire, « quid velit Deus, ideo commisisti te superiori tuo, « ut ipse te regat et dedisti manus tuas in profes- « sione, ut ipse te in viam Dei induceat. » Quo documento præmisso, Alvares in hunc discurrit modum : Doctrinam et instructionem considera, quam S. Petrus ex jussu divino impertiit Cornelio centurioni, cui Angelus apparuit. Numquid enim ille Angelus eum per se erudire poterat ? Rerum S. Paulum ad Ananiam ablegavit Dominus, annon potius infusa eum divina sapientia insignivisset. Ut Reginæ Candacis Eunuchum Christianæ religionis imbueret mysteriis, S. Philippum diaconum ex eo transtulit loco, in quo convertendis animabus intentus sudebat. « Ad hæc quid, » interrogat Auctor, « nisi ut « testatum sit omnibus, Deum in hominibus loqui ; « in illis nimirum, quos ad docendum elegit et ge- « neraliter hominibus non per seipsum, sed per « homines imperare ? »

b. — Sicut et unum ovile, sic et unus Pastor et unus supremus gubernator Christus Jesus. Post cujus Ascensionem, unus est pastor Petrus, unus etiam pastor Petri successor Romanus Pontifex, sub quo militant inferiores multi pastores, non toti ovili uti ille, sed singuli singulis ovilis partibus præsidentes. Si autem aliquis ex his pastoribus sit improbus, Christum tamen repræsentat. Si ergo aliquis Prælatus aut ecclesiasticus defectuosus fuerit, non tamen lacerandus, nec quidquam illi reverentiæ adimendum est. Multis ante Salvatoris Nativitatem sæculis, Psalmista, per æternæ veritatis instinctum ait : *Nolite tangere Christos meos. Psal.* civ, 15. Si Pater æternus plures habuisset filios, facilis equidem hujus textus foret intelligentia, præsertim si plures etiam in mundum misisset ; veruntamen : *Unigenitus qui est in sinu Patris.* Qui igitur prophetici oraculi hujus sensus est ? Hugo Cardinalis dubium solvit, dum *Christum* idem astruit esse quod *unctum.* « Præcipue uncti Domini « dicuntur Sacerdotes, et clerici, et religiosi, quos « prohibet Dominus tangi. » Quos varie offendi posse considerat : « Tanguntur illis detrahendo et « maledicendo, et debitum honorem non exhi- « bendo. » S. Bernardinus Senensis, de sæcularium ecclesiasticis detrahentium pruritu tractans, sequentem in hæc verba S. Gregorii citat canonem : « Multi sæcularium hominum, cum plus Sacerdo- « tum vitam, quam suam discutiunt, in magnum « contemptionis divinorum sacramentorum crimen « incurrunt. Magna enim trabe vulneratos oculos « habentes, eamque negligentes, festucam tenuem « in aliorum conspiciunt oculis quam dum incaute « festinant evellere in foveam errorum dilabun- « tur. » Mirum certe non est, ecclesiasticos communi mortalium massa coagulatos quandoque deficere, sed circumspectionem notemus oportet, qua Deus antiquitus, in illorum transgressionis expiationem, offerri voluit sacrificium, *Lev.*, iv, 3 : *Si Sacerdos, qui unctus est, peccaverit, delinquere faciens populum, offeret pro peccato suo vitulum immaculatum Domino.* Multi equidem in hac victima offerenda, omnesque mysteriosi practicabantur ritus ; sed nostro utilissima proposito favet sollicitudo, quam Sapientia increata adhibuit in hujusmodi, ordinans ut viscera, intestina et excrementa illius victimæ in mundum et solitarium locum transportarentur. Interpres quidam sequens inde elicit mysterium, dum ait : « Non licere peccata Sacerdo- « tum in publicum jactare, neque in locum im- « mundum, id est, in detractorum conventicula et « in profanas et maledicas linguas ; sed curandum « esse, ut taceantur et omnes eorum reliquiæ cha- « ritatis igne consumantur, ac perpetuo silentio « contegantur, quousque nihil remaneat, quod « trahi possit in exemplum. »

Totum percurrite Evangelium, neque tamen unquam Sacerdotes nominatim a Christo reprehensos fuisse in publico, invenietis ; per ambages quidem et sub metaphoris eos reprehendit, ast nusquam perdit respectum ; ut scilicet cautelam nos edoceret, qua nos hoc in puncto procedere oporteat : *Super cathedram Moysis sederunt Scribæ et Pharisæi ; quæcumque dixerint vobis servate et facite ; secundum opera eorum non facite. Matth.*, xxxiii, 2.

DOMINICA TERTIA POST PASCHA

EVANGELIUM JOANNIS, CAP. XVI, VERS. 16

16. Modicum et jam non videbitis me, et iterum modicum et videbitis me, quia vado ad Patrem.

17. Dixerunt ergo ex discipulis ejus ad invicem : Quid est hoc, quod dicit nobis : Modicum et non videbitis me, et iterum modicum et videbitis me, quia vado ad Patrem ?

18. Dicebant ergo : Quid est hoc, quod dicit modicum ? Nescimus quid loquitur.

UNIVERSIDAD DE MONTERREY ® FONDO EDITORIAL DE BIBLIOTECAS

« Apostolorum, *et vocem meam audient*, quia Judæis « repellentibus fidem Christi, gentiles eam devote « receperunt ad prædicationem Apostolorum. »

2. — « *Alias oves*, » inquit Venerabilis Beda, « quia non solum Judæam, sed etiam gentilitatem « redimere venerat. » S. Bonaventura ait : « Scilicet « eligendas animas de populo gentili. »

3. — S. Thomas, *in Joan.*, ait : « Ponit fructum « mortis Christi, qui est salus non solum Judæo- « rum, sed Gentium ; quia enim dixerat : *Animam « meam pono pro ovibus meis*, Judæi reputantes se « oves dici, juxta illud : *Nos autem populus ejus et « oves pascuæ ejus*, possunt dicere quod pro eis « tantum animam posuerit ; sed Dominus addit, « dicens : quod non tantum pro eis, sed etiam pro « aliis. »

Et illas oportet me adducere.

4. — « Id est, » inquit S. Bonaventura, « adduceret per Apostolos, » quia Apostolorum opera idololatras ad ovile Ecclesiæ suæ reduxit, dum illos prædicatione Evangelica mediante Deo lucratus fuit.

5. — « *Oportet*, id est, » ut S. Thomas exponit, « opportunum est, secundum ordinem divinæ præ- « destinationis ad gratiam vocari ; » qui idem Angelicus Doctor, posiquam sibi opposuisset locum illum Matthæi, xv, 24, insinuatum : *Non sum missus nisi ad oves, quæ perierunt, domus Israel*, protinus ad illum respondet : « Quod ad oves domus Israel « tantum missus est Jesus, ut eis corporaliter præ- « dicaret ; Gentes autem adduxit per Apostolos « suos. »

Et vocem meam audient.

6. — Cajetanus dicit : « Vocem meam procul « dubio internam ; prædicantibus enim Apostolis « nunquam adductæ foissent oves, nisi in illorum « prædicationibus et miraculis internam Christi « vocem audissent. »

7. — S. Thomas Christum hisce verbis tres conditiones indicare voluisse dicit, iis necessarias, qui ad fidem et religionem Christianam accedunt ; quarum prima est : « Obedientiam mandatorum Dei ; » ac proinde dicit : « *Vocem meam audient*, id est, « servabunt mandata mea. *Psal.* xvii, 45 : *Populus, « quem non cognovit, in auditu auris obedivit mihi.* » Secunda conditio est : Unitas charitatis, ad quam indicandam dicit : « *Fiet unum ovile*, id est, una « Ecclesia fidelium. *Ad Ephes.*, iv, 5 : *Una fides*, etc. « *Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum.* » Tertia conditio est : « Unitas fidei, et quantum ad « hoc, dicit : *Et unus pastor.* »

Et fiet unum ovile, et unus pastor.

8. — Dionysius Carthusianus Ecclesiam unam vocari dicit, « propter fidei, spei, charitatisque uni- « tatem ; ipsa enim est unum mysticum corpus « Christi, quo ab uno capite, scilicet Christo guber- « natur ; uno spiritu vivificatur, una lege regulatur, « uno fonte purificatur, uno pane reficitur, ab uno « Patre regeneratur, ad unam patriam proficisci- « tur. »

9. — Lyranus ait : « Fiet una Ecclesia ex Judæis « et Gentibus collecta, et unus pastor, scilicet Chris- « tus ; alii enim non sunt, nisi vicarii hujus pasto- « ris. »

Additiones.

a. — *Et alios oves habeo quæ non sunt de hoc ovili*, etc. Hugo Victorinus, *lib.* II *Miscell.*, *tit.* 130, ait : « Unus pastor, unus in se et unus cum grege. « Unus in se, ut quod docet verbis, impleat operibus. Unus ut non mutetur prosperis, vel adversis. Unus cum grege, ut a subditis non dividatur per prefiosiorem cibum, vel habitum. Si vero aliquis ex his pastoribus sit improbus ? Quid inde ? Christum tamen repræsentat. Unde ait D. Augustinus, *tract.* xlvi *in Joan.*, ait : Per eos vox Christi auditur ; et sequuntur oves, non mercenarium, sed vocem pastoris per mercenarium. Si ergo aliquis Prælatus defectuosus fuerit, cum tamen ratione officii Christum repræsentat, ei tanquam vicem Christi gerenti obtemperandum est. Unde Petrus Damianus, *Opusc.* xiii, xx, ait : « Nolite de priorum vestrorum per- « peram forte viventium meritis disputare ; et non « qua via gradiantur, sed cujus vice fungantur, « attendentes, illis in Christo humiliter obedite. »

Quod Prælatis, etiam malis, tanquam si Deo obediremus, obtemperandum sit, S. Apostolus, non solum ad Colossenses, iii, 22, verum etiam ad Ephesios, vi, 5, his verbis scribit : *Obedite dominis carnalibus cum timore, cum simplicitate cordis vestri, sicut Christo.* Unde aperte deducitur voluntatem et præceptum Dei agnoscendum esse ex ore eorum, qui in superioritate sunt positi. Quorum proinde voluntati subjici debemus, tametsi cæteroquin timorati et virtuosi nequaquam existant. S. Clemens Pontifex hujus nominis primus, in Epistola ad Episcopos, aliosque Ecclesiasticos, ita scribit : « Ves- « trum, quia legatione Domini fungimini, est « docere populos ; eorum vero est vobis obedire ut « Deo. » Et quidem, ut his, quibus subjicimur, libenter obediamus, S. Bonaventura sequenti nos efficaci motivo exstimulat dicens : « Ut autem me- « lius valeas esse obediens, cogita semper, quando « vox præcipientis sonat in auribus tuis, quod « vocem istam non tanquam ab homine audias, sed « tanquam ab ipso Deo. » Quod ipsum S. Basilius in constitutionibus Monasticis in hæc verba tradit : « Animadvertite quid in Evangeliis dicat, cum de « obedientia adversus servos suos adhibenda legem « sanciret : *Qui vos recipit*, inquit, *me recipit.* Et « alio in loco : *Qui vos audit me audit et qui vos « spernit me spernit.* »

Divinæ quotidiæ voluntatis adimpletionem sollicitamus dicentes : *Fiat voluntas tua.* Qualiter autem hæc ipsa nobis manifestabitur ? Per superiores nostros. Unde S. Bonaventura ab Alvares citatus, nos ita monet : « Quia non confudis tibi ipsi, te scire, « quid velit Deus, ideo commisisti te superiori tuo, « ut ipse te regat et dedisti manus tuas in profes- « sione, ut ipse te in viam Dei induceat. » Quo documento præmisso, Alvares in hunc discurrit modum : Doctrinam et instructionem considera, quam S. Petrus ex jussu divino impertiit Cornelio centurioni, cui Angelus apparuit. Numquid enim ille Angelus eum per se erudire poterat ? Rerum S. Paulum ad Ananiam ablegavit Dominus, annon potius infusa eum divina sapientia insignivisset. Ut Reginæ Candacis Eunuchum Christianæ religionis imbueret mysteriis, S. Philippum diaconum ex eo transtulit loco, in quo convertendis animabus intentus sudebat. « Ad hæc quid, » interrogat Auctor, « nisi ut « testatum sit omnibus, Deum in hominibus loqui ; « in illis nimirum, quos ad docendum elegit et ge- « neraliter hominibus non per seipsum, sed per « homines imperare ? »

b. — Sicut et unum ovile, sic et unus Pastor et unus supremus gubernator Christus Jesus. Post cujus Ascensionem, unus est pastor Petrus, unus etiam pastor Petri successor Romanus Pontifex, sub quo militant inferiores multi pastores, non toti ovili uti ille, sed singuli singulis ovilis partibus præsidentes. Si autem aliquis ex his pastoribus sit improbus, Christum tamen repræsentat. Si ergo aliquis Prælatus aut ecclesiasticus defectuosus fuerit, non tamen lacerandus, nec quidquam illi reverentiæ adimendum est. Multis ante Salvatoris Nativitatem sæculis, Psalmista, per æternæ veritatis instinctum ait : *Nolite tangere Christos meos. Psal.* civ, 15. Si Pater æternus plures habuisset filios, facilis equidem hujus textus foret intelligentia, præsertim si plures etiam in mundum misisset ; veruntamen : *Unigenitus qui est in sinu Patris.* Qui igitur prophetici oraculi hujus sensus est ? Hugo Cardinalis dubium solvit, dum *Christum* idem astruit esse quod *unctum.* « Præcipue uncti Domini « dicuntur Sacerdotes, et clerici, et religiosi, quos « prohibet Dominus tangi. » Quos varie offendi posse considerat : « Tanguntur illis detrahendo et « maledicendo, et debitum honorem non exhi- « bendo. » S. Bernardinus Senensis, de sæcularium ecclesiasticis detrahentium pruritu tractans, sequentem in hæc verba S. Gregorii citat canonem : « Multi sæcularium hominum, cum plus Sacerdo- « tum vitam, quam suam discutiunt, in magnum « contemptionis divinorum sacramentorum crimen « incurrunt. Magna enim trabe vulneratos oculos « habentes, eamque negligentes, festucam tenuem « in aliorum conspiciunt oculis quam dum incaute « festinant evellere in foveam errorum dilabun- « tur. » Mirum certe non est, ecclesiasticos communi mortalium massa coagulatos quandoque deficere, sed circumspectionem notemus oportet, qua Deus antiquitus, in illorum transgressionis expiationem, offerri voluit sacrificium, *Lev.*, iv, 3 : *Si Sacerdos, qui unctus est, peccaverit, delinquere faciens populum, offeret pro peccato suo vitulum immaculatum Domino.* Multi equidem in hac victima offerenda, omnesque mysteriosi practicabantur ritus ; sed nostro utilissima proposito favet sollicitudo, quam Sapientia increata adhibuit in hujusmodi, ordinans ut viscera, intestina et excrementa illius victimæ in mundum et solitarium locum transportarentur. Interpres quidam sequens inde elicit mysterium, dum ait : « Non licere peccata Sacerdo- « tum in publicum jactare, neque in locum im- « mundum, id est, in detractorum conventicula et « in profanas et maledicas linguas ; sed curandum « esse, ut taceantur et omnes eorum reliquiæ cha- « ritatis igne consumantur, ac perpetuo silentio « contegantur, quousque nihil remaneat, quod « trahi possit in exemplum. »

Totum percurrite Evangelium, neque tamen unquam Sacerdotes nominatim a Christo reprehensos fuisse in publico, invenietis ; per ambages quidem et sub metaphoris eos reprehendit, ast nusquam perdit respectum ; ut scilicet cautelam nos edoceret, qua nos hoc in puncto procedere oporteat : *Super cathedram Moysis sederunt Scribæ et Pharisæi ; quæcumque dixerint vobis servate et facite ; secundum opera eorum non facite. Matth.*, xxxiii, 2.

DOMINICA TERTIA POST PASCHA

EVANGELIUM JOANNIS, CAP. XVI, VERS. 16

16. Modicum et jam non videbitis me, et iterum modicum et videbitis me, quia vado ad Patrem.

17. Dixerunt ergo ex discipulis ejus ad invicem : Quid est hoc, quod dicit nobis : Modicum et non videbitis me, et iterum modicum et videbitis me, quia vado ad Patrem ?

18. Dicebant ergo : Quid est hoc, quod dicit modicum ? Nescimus quid loquitur.

UNIVERSIDAD DE MONTERREY ® FONDO EDITORIAL DE BIBLIOTECAS

19. Cognovit autem Jesus, quia volebant eum interrogare, et dixit eis : De hoc quæritis inter vos, quia dixi, modicum et non videbitis me, et iterum modicum et videbitis me.

20. Amen, amen dico vobis : Quia plorabitis et flebitis vos, mundus autem gaudebit ; vos vero contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium.

21. Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora ejus ; cum autem peperit puerum, jam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum.

22. Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis, iterum autem videbo vos et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis.

VERSUS 16.

Modicum et jam non videbitis me, et iterum modicum et videbitis me, quia vado ad Patrem.

1. — Notandum in primis est, quod Evangelia, quæ in hisce quatuor Dominicis sequentibus usque ad Pentecosten legi solent, desumpta sint ex celebri illo sermone, quem Christus in ultima Cœna ad discipulos suos peroravit, idque ob causas diversas. *Primo*, ut omnes Christi prædictiones adimpletas esse videntes, in fide ejus tanto stabilius confirmemur, et præcipue in fide Resurrectionis, cujus articulus adeo est ad credendum difficilis. *Secundo*, quia cum ultima monita, quæ a majoribus nostris, præcipue in ultimo mortis articulo nobis traduntur, summo haberi solent in pretio, ideo sancta Mater Ecclesia nobis conatur ostendere, quo in pretio et æstimatione omnia illa monita habeat, quæ eidem paulo ante mortem a Christo relicta fuerant. *Tertio*, quia in morte positum est, quod post mortem pro adeunda hæreditate, legatisque et monitis expediendis testamenta aperiri et examinari soleant, ideo Ecclesia ad hujus imitationem, tanquam pia fidelium mater, exhortari illos velle videtur, pro adeunda hæreditate, ad quam vocati sunt, testamentum illis a Christo relictum studiose legant; unde Christus post resurrectionem suam non subito in cœlos ascendit, sed in terris remansit, ut S. Lucas, *Act. Ap.*, I, 3, scribit : *Per dies quadraginta apparens eis, et loquens de regno Dei*, ut legata expedirentur, executionique mandarentur eis relicta monita, quibus testamentum, id est, sermo in ultima cœna habitus, copiose abundat. *Quarto*, ut hoc paschali tempore bonorum æternorum contemplationi dediti essemus, juxta illud Apostoli monitum, *Coloss.*, III, 1 : *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, non quæ super terram*; de hisce autem magna nobis in hisce Evangeliis notitia subministratur. *Quinto*, ad præparandum corda nostra ut non dona et gratias Spiritus Sancti omnino indigne recipiamus. *Sexto*, ad gaudii Paschalis incrementum; dum enim in prima Dominica peccata absolvendi potestatem Ecclesiæ relictam esse audivimus : in secunda vero Filii Dei tanquam amantissimi Pastoris super grege suo superintendiam intelligimus, in tertia quoque, id est, hodierna Dominica, cœlestium gaudiorum percipimus perpetuitatem et brevitatem tribulationum præsentium; in quarta promissum nobis audimus Spiritum Sanctum; in quinta denique formam, qua oratio a nobis instituenda est, ut exaudiamur, accipimus; ac tandem in sexta Spiritum Sanctum proxime nobis vicinum esse intelligamus; tot tantisque beneficiis et consolationibus cœlestibus nos cumulatos esse videntes, novis nos in hac jucunditate Paschali perfusos esse gaudiis utique experimur.

Modicum et jam non videbitis me, et iterum modicum, etc.

2. — Salvator noster, *cap.* XIV, dixerat : *Adhuc modicum, et mundus me jam non videt*; quod idem hic iterum replicat. Et per hoc, ut Hugo Card. inquit : « Probat et assuefacit eos, in tristium audi« tione nobiliter ferre ejus separationem; quæ « enim prædicuntur, facilius feruntur, cum evene« rint. »

3. — Jansenius, *cap.* CXXXV *concord.*, Christum his verbis dicere voluisse asserit, tempus passionis et mortis, nec non subsequentis resurrectionis prope esse ut veniat : « Sed obscurius locutus est, tum « ut mœstos satis discipulos minus consternaret, « tum ut eos præ mœstitia silentes, ad interrogan« dum provocaret. »

4. — Glossa ord. ait : « *Modicum*, id est, parvum « tempus restat, usque ad hoc quod patiar et clau« dar sepulchro. » Albertus Magnus verba hæc a Redemptore nostro in ea nocte, qua tradendus erat, dicta fuisse notat : « Modicum prius de tempore « brevi instantis mortis; alterum de illo, quo man« sit subtractus ab oculis discipulorum mortuus, « post quod breve tempus resurrexit. »

5. — Lucas Brugensis ita explicat : « *Non vide« bitis me* secundum carnem, auferar a vobis, com« prehensus ab inimicis, non dabitur vobis mecum « conversari, quin et ex omni conspectu vestro « subtrahar per mortem et sepulturam. » Porro tametsi nonnulli ipsorum eum in lictorum manibus conspexerint, attamen tunc non *erat ei species, neque decor, vidimus eum, et non erat aspectus.* « Viderunt eum quidam eorum jam comprehen« sum, crucifixum, mortuum, ut *Joan.*, XIX, 26. « Viderunt, sed in miseria, et in umbra mortis « constitutum, qui videndi modus cum non sit « optabilis, non habetur pro visu, præsertim cum « subsequens sepultura qualemcumque etiam visum « negaverit. » Verum enimvero dicat fortasse aliquis, si ita est, quod passio ipsius tam atrox fuerit, ut de illa scriptum sit, *Thr.*, II, 13 : *Magna velut mare contritio tua*, qua igitur ratione illam, *Modicum* appellare potuit? Respondetur, quod sicut Jacobo, licet tot annis Laban pro Rachele servierit, nihilominus, *Gen.*, XXIX, 20 : *Videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine*; ita quoque amantissimo Redemptori nostro accidit, ac proinde cum discipuli in Emmaus contendentes, nescientesque ipsum esse, qui loquebatur cum ipsis, admirarentur ipsum rerum ante biduum duntaxat præteritarum adeo ignarum esse, ut atrocissimorum tormentorum et dolorum a Jesu crucifixo toleratorum, nec non ignominiosæ mortis ipsius nullam haberet scientiam, ipsemet, quia illa omnia perpessus fuerat, respondendo subjunxit : *Quæ?* quasi vel illorum jam oblitus fuisset, vel modicum ex illis tormentis persensisset dolorum, cum semper verissimum sit quod *qui amat, non laborat.*

6. — Porro primum *modicum* tempus mortis et sepulchri spectat, secundum vero illud respiciebat tempus, quo post suam resurrectionem quadraginta diebus, priusquam in cœlos ascenderet, in terris etiamnum commoraturus erat : « Cui intelligentiæ « bene convenit, quod pro ratione subjicit : *quia « vado ad Patrem*; ideo enim non diu, sed modico « tempore cum Apostoli post resurrectionem erant « visuri, quia iturus erat ad Patrem. » Verba sunt Jansenii.

7. — Albertus Magnus verba de Christi in Eucharistia, quam eodem vesperi instituerat, corporali præsentia interpretatur, quasi Salvator dicere voluisset : « Per præsentiam corporalem aperta « specie non videbitis me, quamvis corporali sub« stantia in altari vobiscum sum, non aperta specie, « sed sub specie sacramentali. Et ita hoc tempore « videbitis me, non oculis corporis, sed cordis per « intellectum divinitatis, quia sicut promisi, *Matth.*, « XVIII, 20, sic in adjutorio gratiæ vobiscum sum « omnibus diebus usque ad consummationem sæ« culi, hoc tamen tempus modicum est respectu « æternitatis. »

8. — Theophylactus Christum alludere voluisse putat ad transitum suum ex hac præsenti vita ad gloriam, qui intra breve tempus subsecuturus erat, ac demum ad visionem et fruitionem sui, qua electi in cœlo gavisuri erant : « *Pusillum, et non videbitis « me, iterum pusillum et videbitis*, ad triste statim « addidit lætum quiddam : *Ad Deum vado*, qui vos « juvare potest, et non pereo, sed transeo, et ad « parvum quidem tempus secessus erit, postea « autem perpetuo conversabor vobiscum. »

9. — Rupertus Abbas Tuitiensis, *lib.* XII *in Joan.*, ait : « *Jam non videbitis me*, scilicet qualem « nunc videtis, utique passibilem, mortalem, cum « hominibus conversantem, humanas infirmitates « scientem, virum dolorum, et novissimum viro« rum, talem jam non videbitis me post hoc modi« cum, id est, post sequentibus diei horam nonam « Igitur, qui dicturus : *Iterum videbitis me*, præ« mittit, *jam non videbitis me*; profecto humanæ « substantiæ veritatem interituram, sed naturæ « gloriam per virtutem resurrectionis asserit im« mutandam. »

10. — Hugo Cardinalis verba illa de absconsione rei divinæ exponit, quæ nunc velata est nobis mortalibus, quoadusque hac mortalitatis carne vestiti vivimus : « *Modicum, et jam non videbitis me*, quia « absconditur nobis facies ejus, quia videbimus « per speculum in ænigmate; » at vero S. Bernardo, *Serm.* LXXIV *in Cant.*, videtur, quod merito sancte et laudabiliter de Salvatore nostro conqueri possit, quod tempus hoc modicum vocet; dicit enim : « O modicum et modicum! o modicum lon« gum, pie Domine! modicum dicis, quando non « videmus te? Salvum sit verbum Domini mei, « longum est et multum valde nimis; verumtamen « utrumque verum, et modicum meritis, et non « modicum votis. »

11. — Albertus Magnus ait : « Vel dicatur, *mo« dicum* tempus esse tempus vitæ unius homini; » cui consonat, quod hic Hugo Cardinalis dicit : « Di« citur *modicum* hæc vita præsens cujuslibet, secun« dum illud, I *Petri*, I, 6 : *Modicum nunc si oportet « contristari, modicum est usquequo perveniatis ad « gaudia Paradisi*, quasi dicat : et modicum est in« colatus præsentis miseriæ et modicum est dilatio « cœlestis patriæ. *Isaiæ*, LIV, 7 : *Ad punctum in mo« dico dereliqui te.* » S. Bonaventura citat S. Gregorium super ista verba, *Job.*, VI, 15 : *Fratres mei præterierunt me sicut torrens*, breviter et nervose ita scribentem : « Quod fine clauditur, longum non « est; » et vere si vita humana serio consideretur, momentanee præterlabi invenietur; unde Joannes Godefridus, sanctus Herbipolensis Episcopus in Germania, dicere solebat : « Omni momento ad ostium « æternitatis sto. » Et quidem enimam vita hæc nostra innititur? Nimirum spiritui, seu oris flatui, *Psal.* CIII, 29 : *Auferes spiritum eorum, et deficient, et in pulverem suum revertentur*, ut proinde vita nostra merito modicum quid appelletur. Apostolus de tempore nobis concesso ad operandum, pro salute æterna in cœlis comparanda, hac phrasi, II *Cor.*, VI, 2, utitur : *Ecce nunc tempus acceptabile*; et quidem ne forte existimares, dictionem illam, *Nunc*, inadvertenter illi ex calamo elapsum fuisse, repetit iterum et dicit : *Ecce nunc dies salutis.* Quemnam obsecro supremus rerum artifex modum servavit, quanto hanc nobis animam infudit, qualemnam vitæ nostræ producendæ materiam adhibuit? *Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ et factus est homo*

in animam viventem; ergo per oris divini afflatum quemdam vita nobis indita fuit, ut exinde intelligeremus quod ad hanc nobis denuo eripiendam, aliud non requiratur quam ut halitum ducere, seu respirare nobis interdicatur.

12. — S. Augustinus, *tract.* CI *in Joan.*, ait : « *Modicum* est hoc totum spatium, quod præsens pervolat sæculum, hoc autem modicum longum nobis videtur, quoniam adhuc agitur; cum finitum fuerit, tunc sentietur quam modicum fuerit. » S. Bonaventura ait : « Potest intelligi de modicitate durationis hujus temporis totalis, donec videatur Deus deorum in Sion, » adeo ut, licet a mundi creatione quinque millia annorum elapsa fuerint et amplius, possitque mundus ad judicium finale usque totidem annis et amplius perdurare, incarnata tamen Sapientia totum hoc spatium breve esse dicat. Albertus Magnus similiter ostendit quod totum illud tempus, quo mundus durabit, modicum quid et duratio brevissima a Christo appelletur, allegatque illum *Apoc.*, XII, 12, textum : *Descendet ad vos diabolus habens iram magnam, sciens quoniam modicum tempus habet.* Toletus ex adducto S. Augustini testimonio ita scribit : « Primum *modicum* usque ad Ascensionem : Brevi ascendam *ad Patrem et non me videbitis*; secundum *modicum* ab Ascensione usque ad diem judicii, quod modicum est collatione æternitatis; » potestque hoc ipsum per illum Aggæi, II, 7, locum confirmari : *Adhuc unum modicum est, et ego commovebo cœlum et terram, mare et aridam, et movebo omnes gentes, et venient.*

13. — « Modicum est, » inquit S. Bonaventura, « quia nihil est temporis, nisi nunc; gaudium hypocritæ ad instar puncti. » Porro hujus vitæ et temporis brevitatem, cui humana stultitia tot tantasque superstruit machinas et sæcula affingit : « Præsens tempus brevissimum est, adeo quidem, ut quibusdam nullum videatur; in cursu enim semper est, fluit et præcipitatur, ante desinit esse quam venit; » hæc gentilis ad nostram doctrinam Seneca.

14. — Possunt quoque verba hæc in ordine ad consolationes spirituales hoc sensu interpretari, quod scilicet Deus his nonnunquam ad majorem servorum suorum utilitatem iisdem subtractis, in earumdem locum spiritus desolationes et ariditates submittat, ita tamen ut ad easdem sibi dilectas animas consolandas redire non differat et ideo, *Habac.*, II, 3 : *Si moram fecerit, exspecta eum, quia veniens veniet et non tardabit*; non vero idem reprobis contingit, qui sufficienti ad eum exspectandum patientia armati non sunt, de quibus Isaias, XXVIII, 13, dicit : *Exspecta, reexspecta; exspecta, reexspecta; modicum ibi, modicum ibi.*

Modicum et non videbitis me.

15. — *Modicum* hoc, tempus est tribulationum, quæ subito deficiunt, de quo Apostolus, II *Cor.*, IV, 17, ait : *Momentaneum hoc et leve tribulationis nostræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis*, et ideo Christus illud quadraginta horarum spatium, quo ab Apostolis per mortem suam absens fuit, quadraginta dierum decursu compensavit, quo, priusquam ad cœlum ascenderet, cum ipsis per frequentes apparitiones conversatus fuit.

16. — Hugo Cardinalis dicit : « Dicit autem modicum, quod patimur, re et tempore, respectu gloriæ æternæ : *Rom.*, VIII, 18 : *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam.* Modicum etiam respectu pœnæ debitæ; *Ezechiel.*, IV, 6 : *Diem pro anno, diem, inquam, pro toto anno dedi tibi.* Item modicum respectu pœnæ Christi et Sanctorum. » Unde S. Gregorius ait : « Facta præcedentia recolamus et gravia non erunt, quæ sustinemus. *Ad Hebr.*, XII, 3 : *Recogitate eum, qui talem sustinuit*, etc. »

17. — Ex brevitate passionum hujus præsentis vitæ S. Bonaventura deducit, quod dum patimur, ut dolendo magis in spiritu effervescamus, oculos nostros in beatam æternitatem defigere debeamus : « Breves anni transeunt et ideo in hoc modico tempore sustinendæ tribulationes, ut post modicum tempus videatur Deus et gloria. *Ad punctum in modico dereliqui te et in miserationibus magnis congregabo te. Isa.*, LIV, 7. »

18. — Contemplativus quidam valde devote observat, verbum illud *modicum*, in hoc Evangelio septies repeti, adeo ut ex illis unum in singulos septimanæ dies distribui possit ad meditandum, ponderando nimirum rerum omnium creatarum brevitatem, instabilitatem et nullitatem. Quod si vero verbum *modicum*, cum fructu meditari volumus, adhibeamus illud ad meditandum vitam æternam, quia si damnati denuo in vitam redire et in ea brevissimum quoddam temporis spatium in sua haberet positum potestate, illud ipsum illis utique ad cœlum lucrandum, iisdemque ab inferno eximendis abunde sufficere posset. Optime igitur S. Bernardinus de Senis ita scribit : « Vide peccator temporis pretiositatem, quia modico tempore potest homo lucrari veniam, gratiam et gloriam, male vero expensum obligat ad tormentum æternum. O si talis mercantia ad infernum portaretur, solum tempus dimidiæ horæ ad pœnitendum, emerent illud pro mille mundis, si possent. »

Additiones.

a. — *Modicum et jam non videbitis me; et iterum modicum et videbitis me.* Variant interpretes in hoc *modicum* interpretando. D. Augustinus, *tract.* C, sic explicat : Modicum tempus erit, quo me videbitis, scilicet ab hac hora usque ad meam Ascensionem; nam post Ascensionem, non videbitis amplius corporalibus oculis, in terris degentem, *quia vado ad*

Patrem. Et tunc iterum modicum tempus erit, quo me non videbitis, scilicet totum hoc tempus quo est ab Ascensione mea usque ad diem judicii, me non videbitis : Quamvis enim corporali substantia, ait Albertus Magnus, in persona Christi vobiscum sim in Sacramento Altaris, non tamen apta specie, ut corporalibus oculis a vobis videar, ac ut me videatis. Ergo juxta S. Augustinum, modicum tempus est, quod multa millia annorum in se complectitur. Imo tota vita præsens, modicum censetur; unde subdit : « Hoc modicum longum nobis videtur, quoniam adhuc agitur : Cum finitum fuerit sentiemus quam modicum fuerit. » Volat enim irrevocabile tempus et præ nimia velocitate fugere dicitur.

b. — Eadem Passionis nocte, qua Salvator noster Apostolis suis dixerat : *Modicum et jam non videbitis me*, interrogatus an esset Filius Dei, respondit affirmative, ac in testimonium illius, addens quod in judicio finali comparaturus esset sedens in throno Majestatis, hæc protulit verba : *A modo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei.* Ast qua ratione in veritate dicere potuit *a modo*, cui optime notum et manifestum erat, quod ante finem mundi et universale judicium, tot adhuc essent evolvenda sæcula? Responsio facilis est : *Mille anni ante oculos tuos, tanquam dies hesterna quæ præteriit.* Si cum æternitate conferamus totum decursum præsentis vitæ, esto hæc etiam duret centum millia annorum, comparatione tamen æternitatis non est nisi unum momentum, seu unum instans imperceptibile. Bene propterea S. Petrus, cum vela considerationis suæ in totam expanderet æternitatem, ac fideles in re adeo necessaria instruere vellet, ne tempori fiderent, post mentionem extremi judicii factam, II *Epis.*, III, 7, scripsit : *Unum vero hoc non lateat vos, charissimi, quia unus dies apud Dominum sicut mille anni et mille anni sicut dies unus.* Axioma philosophicum est : « Magnum et parvum non sunt nisi comparative. » Equus magnus est, at comparatione unius leporis; est vero parvus, si conferatur cum elephante. Centum anni longum nobis repræsentant tempus respectu vitæ præsentis; non autem respectu vitæ æternæ : etenim considerans alterius vitæ æternitatem, agnoscit inter tempus et æternitatem, nullam esse proportionem : « Finiti ad infinitum nulla est proportio. »

c. — Salvator noster decursum multorum centenorum et forte aliquot millium annorum appellavit spatium modicum tempus brevissimum, quo durabit mundus. Unde S. Augustinus, in Homilia illa quæ legitur in Dominica III post Pascha, asserit : « Modicum est hoc totum spatium, quo præsens pervolat sæculum; unde dicit idem ipse Evangelista in Epistola sua : *Novissima hora est.* » Et in progressu ejusdem Homiliæ idem ait : « Hoc modicum longum nobis videtur quoniam adhuc agitur. Cum finitum fuerit, sentiemus quam modicum fuerit. » Idem S. Doctor, in Psalmum XXXVI, exponens hunc versum : *Adhuc pusillum et non erit peccator*, talem format discursum : « Recole annos ab Adam usque in hodiernum diem; percurre Scripturas. Heri pene Adam ille Paradiso lapsus est, tot sæcula emensa voluta sunt præterita tempora. Sic pauca quæ restant, utique pertransibunt. Si toto illo tempore viveres, ex quo Adam de Paradiso dimissus est, usque in hodiernum diem certe videres, vitam tuam non fuisse diuturnam, quæ sic avolasset. Unius autem cujusque hominis vita quanta est? Adde quantos libet annos, duc longissimam senectutem, quid est? Nonne aura est matutina? »

d. — Consolationis plena sunt verba hæc, *modicum et non videbitis me, et iterum modicum et videbitis me*, pro obliganda discipulorum tristitia, quam audita Christi morte secutura conceperant. Volebat enim piissimus Redemptor hoc ad vivum quasi demonstrare, quod aliquando reipsa erant percepturi, videlicet quod quidem magna perpessurus esset tormenta, sed considerando quod tertia die resurrecturus esset cum tanta gloria, modicum reputari quod passurus sit. Ad eumdem modum, mi Christiane, in cœlum oculum tuum dirige et omnia quæ hic in terris sunt facile contemnes. Salvator noster, *Matth.*, VII, 14, claris verbis viam cœli laboriosam et semitam illius angustam, multisque spinis, tribulis et sentibus repletam et impeditam esse dicit : *Quam angusta porta et arcta via est, quæ ducit ad vitam, et pauci sunt, qui inveniunt eam!* Et tamen idem Dominus noster, inferius, *cap.* XI, 30, ex alia parte dicit : *Jugum meum suave est et onus meum leve.* Qui ambo textus inter se contrarii esse videntur. Et quisnam erit illos inter se conciliandi modus? Audiamus Euthymium dicentem : « Onus præceptorum leve ob spem æternorum bonorum; virtus quidem gravis est ob laborum molestiam, levis autem propter retributionem. » Et S. Augustinus inquit, *in Psal.* XCIII : « Noli esse piger in labore breviter, et gaudebis incessabiliter; æternam vitam tibi daturus est Deus : cogita quanto labore emenda sit. » Quot sunt qui in claustris et eremis, inter disciplinas, jejunia, cilicia aliosque humanæ debilitati et fragilitati intolerabiles rigores, vitam austerissimam ducunt? Qua autem ratione, cum tanta constantia, in eadem vita perseverant? Non alia, quam solius præmii et bravii consideratione. *Illi quidem*, inquit S. Paulus, I *Cor.*, IX, 15, de luctatoribus, *ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam. In excelsis*, inquit Isaias, XXXIII, 16, *habitabit; munimenta saxorum sublimitas ejus; panis ei datus est, aquæ ejus fideles sunt.* Ubi S. Gregorius ait : « Nam quo altius æternorum civium visione suspenditur, eo sibi fortior

« et aliis utilior invenitur. » Rupertus Abbas Tuitiensis illam omnibus notissimam Jacob Patriarchæ historiam, per omnes illius considerat circumstantias; qualiter nimirum solus e domo paterna egressus in Mesopotamiam abierit, et mysticam cœli aperti, et scalæ a terra in cœlum protensæ, Angelorumque in ea ascendentium descendentiumque obviam habuerit : « Hunc imitantur, inquit Rupertus, » quicumque depositis sæculi oneribus, nudi « et expediti ad destinatum tendunt locum, vigi« lantque, et in omnibus laborant, et sobrii sunt, « nihil se scire judicantes, nisi Christum Jesum et « hunc crucifixum; et cum Apostolo dicentes : *Non « habemus hic manentem civitatem, sed futuram in« quirimus*; illis porta hæc aperitur et ascendenti« bus scala hæc erigitur. » Quisquis sanctorum martyrum, confessorum, omniumque aliorum heroum vitas legit, qui per arctam et strictam perfectionis viam ambularint, facile videre potest, qualiter adimpletum in illis fuerit illud Sapientis pronuntiatum : *Non contristabit justum quidquid acciderit ei. Prov.*, XII, 21 : « Spes quippe in æterni« tatem animum erigit et idcirco nulla mala exte« rius, quæ tolerat sentit, » ait S. Gregorius, *lib.* VI *Mor.*, XIII.

e. — Passionem tam amaram Christus vocat *modicum*. Cur hoc? Jam enim inter prævisa tormenta et dolores quos passurus erat, surabundantes gloriæ cœlestis quas et secundum humanitatem percepturus erat, delicias sufficienter deducebat, ex quo deinde passionem modicum reputabat; magisque consultum hic flere, ut ibi gaudere possimus. Item, *modicum* hoc pulchre bonorum terrenorum, respectu cœlestium instabilitatem significat. Regius Propheta cœlestis Jerosolymæ gloriam, cum Jerosolyma illa in qua ipse velut rex gubernabat, collatam contemplans, in spiritu absorptus dixit : *Ego autem dixi in abundantia mea : Non movebor in æternum. Psal.* XXIX, 7. Quasi dicere vellet : Magnificentia, regna et diademata mundi hujus cito transeunt; cœlestis gloria autem stabilis est : « Quia « in illa beatitudine, » ut S. Augustinus ait, « quod « semel adipiscitur semper tenetur. » Idem quoque S. Doctor alibi, in Meditationibus suis, differentiam quæ versatur inter bona quæ Deus in hac vita tribuit et inter illa quæ largitur in altera, his verbis assignat : « Quæ dat in præsenti, temporalia « sunt; quæ autem in futuro sæculo se promittit « suis daturum, æterna sunt. Temporalia bona « difficile acquiruntur et acquisita facile dilabun« tur, et quæ habita sunt cum gravi sollicitudine « custodiuntur, et cum dolore amittuntur, et amissa « cum gravi labore recuperantur. Futuri autem « sæculi bona nunquam amittuntur, cum gaudio et « quiete possidentur, cum semel quis acceperit, ita « securus erit, se ea nunquam amissurum, sicut « certus est, vel erit, se nunquam velle amittere. »

Unde S. Bernardinus, *Serm.* LXII, auctoritatem quamdam S. Augustini citans ait : « Impossibile « esse, aliquem esse beatum, nisi sit securus de « suæ beatitudinis perpetuitate. » Nam ut Danielis, *cap.* VII, 14, ubi de beato illo regno fit mentio, scribitur : *Potestas ejus potestas æterna, quæ non auferetur et regnum ejus quod non corrumpetur.* Quæ verba S. Bernardinus citans subjungit : « Non enim « corruptibile est in se, seu ab intra. » Ac proinde notat quod S. Petrus Paradisum cœlestem *gloriam immarcessibilem appellavit*.

f. — Non sine mysterio ponit hic Christus Dominus primo loco negationem, quod ipsum non videbunt et secundo loco affirmationem quod ipsum videbunt. Nam prius dicuntur tristia, et quæ dolorem ingerunt, ut ex Christi absentia proveniebant, *modicum et non videbitis me*, ut inde veniant præjucundiora, cum ejus præsentia *et iterum videbitis me*. Nam, transacto mœrore, quæ veniunt majoris lætitiæ sunt. Morale hinc eruo documentum. Pœnitentis enim vitæ rigor et austeritas quæ dolorem causat, ineffabiles postmodum etiam causat spiritus dulcedines, licet diversum oculus videatur attingere externus. *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti*, exclamabat David, *Ps.* XX, 20. Consolatio hæc, lætitia ista interna exteriorem latet oculum, sed minime occulta erat illi, qui dicebat : *Concidisti saccum meum, circumdedisti me lætitia.* Hoc autem mel a myrrha derivatur : *Humiliabam in jejunio animam meam, genua mea infirmata sunt a jejunio; caro mea immutata est propter oleum, induebar cilicio, cinerem tanquam panem manducabam, flagellatus sum tota die et castigatio mea in matutinis.* Quid igitur mirum si exultabundus protestetur : *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam, Psal.* XCIII, 19. Multos a vita spirituali timor avellit austeritatum, disciplinarum, vigiliarum, aliorumque mortificationis exercitiorum, quia hæc melancholiam, tristitiamque comites haberent; ast turpiter falluntur dicente S. Bernardo : « Hinc est quod multi abominantur et fugiunt « pœnitentiam; crucem quidem videntes, sed non « etiam unctionem. » Moxque ad suos conversus religiosos, abstinentiis macilentos, vigiliis extenuatos, austeritatum rigore pallidos, sequentibus eos extimulat verbis : « Vos qui experti estis, ecce scitis « quia vere crux nostra inuncta est, et per gratiam « spiritus adjuvantis, suavis et delectabilis est pœ« nitentia nostra, et ut ita dicam, amaritudo nostra « dulcissima. » Quam pariter multorum deceptionem S. Chrysostomus pandens inquit : « Etenim « exteriorum quidem opinione, in mœrore sumus; « at nos, quid ipsi de nobis existiment, haud atten« dimus, verum florentissima voluptate fruimur. » S. hic Doctor, ab ineunte ætate usque ad LIII vitæ suæ continuis vacavit christianarum virtutum ac

perfectionis exercitiis, pungenti corpus suum strinxit cilicio, illudque disciplinis, jejuniis, orationibus, omnibusque aliis maceravit rigoribus, insuper atrocissimas sustinuit persecutionum tempestates, in exilium pulsus, episcopali munere privatus, ad barbaras regiones ablegatus fuit, ubi mortales devoravit infirmitates, ardores intolerabiles, frigora extrema, famem, sitim, nuditatem, ignominias; unde et ad Innocentium ipse scripsit : « Hoc in exilio, « pesti, annonæ caritati, bello, latrociniis et morti « continuæ subjacemus. » Hac nihilominus acerbæ fortunæ alea nequidquam obstante, tanta sanctam hanc animam replevit cœlestium dulcedinum et suavitatum abundantia, ut persecutionem dictam inter præcipua Sanctus ipse annumerarit Dei beneficia, mirabili tripudians in jubilo, de quo ad Olympiadem scribens ait : « Dum ea quæ in hac relega« tione perpessus sum, maturius mecum ipse discu« tio, lætificor summe, et meum præ nimio solatio « et gaudio cor exultat, similem me reputo ei qui « thesaurum invenit pretii infiniti. »

g. — Attente considerandum est quod ait Christus Dominus : *Modicum et non videbitis me*, quod erat eximiæ tristitiæ ac doloris, cum dilectissimi Magistri sui præsentia carerent Apostoli. Deinde secundo loco ait : *Iterum videbitis me*; quod erat eis valde suave et gratum, cum ejus desideratissimo conspectu fruerentur, ut mereantur ipsum videre : *Iterum videbitis me*. Expediens enim fuit ut mœstitia ex ejus absentia affligerentur, ut ipso dolore ipsaque molestia præpararentur ad ejus præsentiam fruendam. Ad eumdem modum et nos quoque Deo gratias agere debemus in adversitatibus, ex quibus salutem nostram promovemus. Tres pueri mox ut fornacem Babylonicam ingressi sunt Deo laudes et gratiarum actiones rependere cœperunt, eo quod pro honoris sui defensione ad ingentes hasce flammas damnati fuissent. Et quidem hæc gratiarum actio tantopere Deo placuit, ut eorum se societati in medio fornacis ardentis jungere voluerit. Unde Nabuchodonosor ait : *Ecce video quatuor viros solutos, et ambulantes in medio ignis, et nihil corruptionis in eis est, et species quarti similis Filio Dei.* Quibus verbis tribulatis hierarchias associavit cœlestes, quæ supremæ Majestati laudes incessanter gloriasque persolvunt : *Angelus Domini*, scilicet Michael, *descendit cum Azaria et sociis ejus in fornacem, et excussit flammam ignis de fornace, et fecit medium fornacis, quasi ventum roris flantem.* Pueris illis nos, si cum gratiarum actione paupertatem toleraverimus, secundum merita pares constitere poterimus, dicente D. Chrysostomo : « Illis pueris inve« niuntur æquales, quotquot paupertatem cum gra« tiarum actione patiuntur. »

h. — Moralis hujus textus ratio hæc est : Christus Dominus sic se substrahit a nobis, ut iterum redeat; nec enim patitur ut quis prematur gravius quam par est, ac continuo labore gravetur, si est molestia ex absentia. *Modicum non videbitis me*, indeque angustia et afflictio; mox iterum Christus Dominus fit levamen, ac recreatio ex redeunte præsentia, et *iterum modicum et videbitis me*. Sic Deus semper solet unire severitatem cum clementia, quod et exemplo Dei nobis, maximeque judicibus faciendum est. Propheta regius, qui justitiæ administrandæ causa, thronum Israelis insidebat, simul ad invicem misericordiam conjungit et judicium, siquidem de Deo supremo Judice ait, *Psal.* XXXII, 5 : *Diligit misericordiam et judicium.* « Hæc autem « duo, » inquit Hugo Cardinalis, « sicut fuerunt « in ipso, scilicet misericordia et justitia, ita debent « præcipue esse similiter in Prælatis; » adducitque sequentem S. Gregorii Magni sententiam, dicentis : « Justitia aut misericordia multum destituitur, si « una sine altera teneatur; sed erga subditos inesse « rectoribus debet, et juste consulens misericordia, « et pie sequens disciplina. » Cæterum hanc justitiæ et misericordiæ connexionem ipsemet Deus nos, a primis generis humani natalibus, in primis parentibus nostris, docere voluit, quando illos post divini præcepti sui prævaricationem, in judicium advocavit. Nam ut D. Chrysostomus, *Hom.* XLII *in Gen.*, graviter considerat : « Cum posset statim pœ« nam infligere, quam prius statuerat prævarica« turo, longanimis tamen est, et suffert, et interro« gat, et responsum accipit, quasi ad defensionem « eum provocans; ut arrepta occasione, etiam post « tantam prævaricationem, suam erga illum mise« ricordiam declaret. Quo etiam nos docet, ut « quando et nos reis jus dicimus, non tam crudeli« ter illis loquamur; neque ferina in illos utamur « sævitia, sed longanimiter et misericorditer aga« mus, utpote nos ipsorum membris jus dicturi et « cogitantes illos nobis secundum naturam cogna« tos, supplicium misericordia temperemus. » Qui idem S. Doctor, postquam discursum a Deo cum Adamo, adversus quem paulo post promulgaturus erat sententiam, habitum mature ponderasset, subjungit : « Vidistis mansuetudinem et tolerantiam « Domini? Vidistis verborum attemperationem? « Januas illi aperire vult defensionis, ut et miseri« cordiam suam erga eum, qui tantum peccaverat, « declararet. »

i. — Tormentorum in morte exantlatorum ingentia sæcula memorans Dominus, non sæculum, sed perbreve et modicum tempus nominat; ait enim : *Modicum et jam non videbitis me*; scilicet dum vita spolior, dum mortis sub umbra abscondor, ne me videat homo. Et hoc modicum? Et sanguineus sudor et fœtidarum salivarum nubes et opprobriorum jacula et verbera, et spinæ, et irrisiones, et crux, et clavi, et lancea, et sepulchrum te expectant, et hoc modicum? Et flumina illa eloquentiæ, quibus populos trahebas, suspendes, et miracula

manuum tuarum dissimulabis et dilectissimam Matrem immenso dolori permittes et coactum discipulorum gregem dabis dispergendum et cœlestem faciei pulchritudinem sub sputis obnubilatam ostendes, et sanguinem totum fundes, et vitam totam perdes, et hoc modicum est? Dummodo membrorum suorum vita cœlestis conservetur, modica et parva sunt Domino alia quæris detrimenta. Quod Christo Domino hoc et electis ejus est familiare, quibus quia mors ad æternam, beatamque vitam patefacit introitum, ideo cum gaudio moriuntur. Regius Psaltes, *Psal.* XXXV, 10, ait : *Apud te est fons vitæ*, id est, vita immortalis; hanc autem immortalem vitam in cœlo nemo consequi potest, nisi prius per mortem humanitatis nostræ exuvias, spoliatus fuerit. Unde S. Ambrosius ait : « His qui mortem malam putant, aptum responsum arbitror, « quia per vitam ad mortem est transitus, per mortem autem ad vitam est reditus. » Devota illa mater Symphorianum juvenculum filium suum ad constantiam in martyrio generosis hisce verbis animabat : « Nate, nate, memento æternæ vitæ; cœlum « respice et ibi regnantem intuere; tibi enim vita « non eripitur, sed mutatur in melius. » Eamdem ob causam S. Paulus merito *mori lucrum* appellavit, quia si Deus centum vel mille hujus vitæ miserabilis annos auferat, magnum vobis lucrum accidit per mortem, scilicet vita quædam beata et sempiterna, de qua scribitur : *Melior est dies una in atriis tuis super millia. Psal.* LXX, 11. S. Eucherius, in epistola quadam de contemptu hujus vitæ, de electis inquit : « Non multum refert, quando finiant vitam tempo- « rariam, qui transeunt in æternam. »

j. — Vita nostra merito modicum quid appellatur. S. Gregorius super illa verba : *Fratres mei præterierunt me sicut torrentes*, breviter et nervose scribit : « Quod fine clauditur, longum non est. » Et quidem cuinam vita hæc nostra innititur? Nimirum spiritui seu oris flatui : *Auferes spiritum eorum et deficient, et in pulverem suum revertentur*. Proinde Doctor gentium ad eruditionem nostram, I *Cor.*, XV, 31, merito dicit : *Quotidie morior*. Unde et S. Bernardus super Psalmum *Qui habitat*, *Serm.* XVII, ait : « Hæc vita qua vivimus, magis mors est; moritur « homo, dicimus quando morti certissime appro- « pinquat. Quid vero agimus, ex quo primum inci- « pimus vivere, nisi morti propinquare et incipere « mori? »

k. — Modicum illud copiosissimam devotissimarum meditationum offert materiam. Si vero illud cum fructu meditari volumus, adhibeamus illud ad meditandam vitam æternam, quia si damnati denuo in vitam redire et in ea brevissimum quoddam temporis spatium in sua haberent potestate positum, illud ipsum illis utique ad cœlum lucrandum, iisdemque ab æterno eximendis abunde sufficere posset. Optime igitur S. Bernardinus Senensis ita scribit : « Vide, peccator, temporis pretiositatem, « quia modico tempore potest homo lucrari ve- « niam, gratiam et gloriam; male vero expensum « obligat ad tormentum æternum. O si talis merca- « tura ad infernum portaretur! Solum tempus « dimidiæ horæ, ad pœnitendum emerent illud « pro mille mundis si possent. » Et quia ad illam æternitatem tanta est vicinia, per mortis infallibilitatem, temporisque illius incertitudinem, inde quam sit necessaria continua ad eamdem præparatio ostenditur. Dicit Dominus, *Luc.*, XII, 40 : *Et vos estote parati*, ubi advertendum est Christum in tempore præsenti, non vero in futuro loqui; non enim dicit : *Eritis parati*, quia necessum est ut homo quovis momento paratus sit, siquidem quovis momento deficere potest. D. Chrysostomus, *Hom.* X *in* II *ad Tim.*, ad illud Christi dictum reflectens : *Regnum cœlorum vim patitur et violenti rapiunt illud*, in hæc verba scribit : « Esto illic violentus, esto « rapax : non minuitur quod rapitur. Violenti ra- « piunt cœlum. Violentia et rapina opus, neque in « promptu et ad manus est regnum cœlorum. Rap- « tor hujusmodi semper sobrius, vigilque perdurat « et in cura cogitationibusque versatur, ut rapere « opportune possit. Nonne aspicitis ut qui in bello « rapere aliquid cupit noctem totam pervigil durat « in armis? » Nullum est præteriendum momentum in quo vigiles non simus, quia inimicus etiam in quavis noctis hora invadere nos potest. S. Ephrem de pœnitentia celeriter facienda disserens inquit : « Ignoras qua hora cœlestis Medicus ostium medi- « cinæ suæ occludi jussurus sit. Accede, obsecro, « festina ut cureris. Sol jam ad vespertinam incli- « nat horam et propter te adhuc exspectat, ut ad « mansionem occurras. »

l. — *Quia vado ad Patrem*. Divus Chrysostomus, *Hom.* LXXVIII, in hæc verba scribens, pulchram moralem doctrinam subministrat. « Quod si quis dili- « gentius, » ait, « investigat hoc ipsum, consolatio « est, quod dicit ad Patrem ire. Erat argumentum « quod non periret, sed mors ejus translatio esset « ad Patrem. » Cum ait : *Vado ad Patrem*, ut in ejus gloria ad dexteram ejus sedeam, magnam dat discipulis suis consolationem. Nam ex quo tam humili et contemptibili morte ad tantam gloriam esset exaltatus, magna discipulis causa dabatur gaudendi, propter spem quam inde concipere poterant, e tanto mundi contemptu aliquando ad similem gloriam pertingendi. Et tu, o Christiane, eamdem spem concipere poteris, cum videas Christum, quanto magis humiliatum, eo quoque magis a Patre suo æterno exaltatum.

m. — Cum ait Jesus Christus : *Vado* ad Patrem, magnam dat iterum discipulis suis consolationem; docet enim passionum et tormentorum libenti animo toleratorum merita, viam ad cœlum complanare et facilem efficere. Dicit Apostolus, II *Tim.*, II, 12 :

Fidelis sermo : *Si sustinebimus et conregnabimus*. Valde considerabilis est illa Apostoli protestatio, qua dicit : *Fidelis sermo*; per hanc enim insinuat, se in subsequentibus verbis nos nequaquam decipere, sed veridice loqui, tanquam æternæ et infallibilis veritatis et veracitatis testem; ac proinde non est quod contristemur, dum nos in varias adversitates redigi videmus, cum axioma illud Apostoli omnino indubitatum sit : *Si sustinebimus et conregnabimus*. Prius ergo præcedere debet patientia in universis et postea infallibiliter succedet beati illius regni æterna possessio.

VERSUS 17.

Dixerunt ergo ex discipulis ejus ad invicem : Quid est hoc, quod dicit nobis : Modicum et non videbitis me, et iterum modicum, et videbitis me, quia vado ad Patrem?

1. — Lucas Brugensis Apostolos quidem verba illa : *Vado ad Patrem*, intellexisse ait, eo quod illa alias quoque ad illos dixisset : « Sed nesciebant « quomodo serviret proposito. » Neque enim mortem ejus adeo vicinam et eadem nocte superventuram, ipsumque paulo post a mortuis resurrecturum esse persuadere sibi poterant; ac proinde tam primum quam secundum *modicum* difficulter admodum ab iliis intelligebatur : « In quo commendanda « est eorum reverentia, » inquit S. Thomas, « ad « Christum, quæ tanta erat, ut non præsumerent « eum interrogare; sed in hoc datur intelligi quod « nondum perfectum sensum habuerunt de verbis « Christi, aut propter tristitiam absorbentem, aut « propter verborum obscuritatem. »

2. — Chrysostomus, *Hom.* XXVII *in Joan.*, observat quod, quia Apostoli eorum, quæ Christus dixerat, mysteria penetrare non poterant, ideo verba Christi secundum litteræ corticem spectanda, quamdam illis involvere videbantur contradictionem; et ideo : « Si videbimus te, inquiunt, quomodo vadis? « Si vadis, quomodo videbimus? Ideo dixerunt se, « quid loqueretur, ignorare, quod enim abiturus « esset, norant, ignorabant autem paulo post redi- « turum. »

3. — Similem quoque considerationem apud Albertum Magnum his verbis invenies : « Sermo « videtur sibi repugnare. » Apostoli namque inter se talem miscuisse videntur discursum : Quod si Magister noster de morte sua loqui intendat, quomodo dicere potest : *Et iterum modicum et videbitis me?* Tunc non erit modicum, quo iterum visuri sumus eum, quia nunquam videbimus eum. Idque dicebant, quia resurrectionem ejus propediem secuturam esse non considerabant, siquidem in libro Sapientiæ, II, 1, scribitur : *Non est agnitus qui reversus est ab inferis*.

4. — Admiranda quoque hoc loco est Apostolorum circumspectio, qui tametsi quid Salvator hoc loquendi modo iis insinuare voluerit, minime intellexerint, ejus tamen verba negligere haudquaquam voluerint, sed frequentem super illis habuerunt inter se conferentiam, ad investigandum eorumdem mysterium et perfectam intelligentiam, qua in re optimum nobis reliquerunt exemplum, unde ediscamus, quo in pretio nobis verbum Dei habendum sit, tametsi illud prima facie non intelligamus. Origenes enim verbum Dei mannæ assimilat : « Nostrum manna, » inquit, « est verbum Dei. » Sciendum est enim, quod, quando Israelitæ manna de cœlis descendere viderunt, attoniti et stupefacti dixerint inter se : *Manhu, Manhu, quid est hoc? quid est hoc?* Unde Chrysostomus, *Hom.* XLI *in Matth.*, hanc ad præsens propositum nostrum elicit moralitatem : « Ut quotiescumque audivimus verbum, « admoneat nos ipsum nomen requirere, quid est « hoc quod audimus. »

VERSUS 18.

Dicebant ergo : Quid est hoc, quod dicit, modicum? nescimus quid loquitur.

1. — S. Thomas ait : « Ad hanc dubitationem « modeste dispositi erant : *Nescimus*, inquiunt, *quid* « *loquitur*; nam ut dicit Augustinus, aliqui non « intelligentes verba Scripturæ blasphemant, sen- « sum proprium auctoritati Scripturæ præponen- « tes; sed alii modesti, dum non intelligunt, suam « ignorantiam confitentur. »

2. — Jansenius dicit : « Mutua illorum de intel- « ligentia sermonis inquisitio declarat, quantum in « eis fuerit discendi studium, quantique apud eos « præ reverentia apud Dominum fuerit etiam non « intellectus sermo. » Non despondere cœperunt animo, nec irati fuere, multo minus deriserunt id, quod non intelligebant : « Nec eumdem velut otio- « sum, aut intellectum prætereunt, verum creden- « tes grande aliquod subesse mysterium et igno- « rantiam suam confiteri non erubescentes, præ « discendi aviditate inter se conferunt, disquirunt, « disputant, quod sane discipulorum ingenuorum « est ingenium; e contra vero præ ignavia quidam « verbum auditum, nec satis intellectum vento tra- « dunt, alii præ fastu et superbia, ea quæ nesciunt, « se scire simulant, ne ignari videantur. » Celebre est illud S. Augustini dictum, quod terrorem incutere potest Christianis illis, qui verbum Dei negligunt, vel in audiendo illo, vel conservando parum interni aut solliciti existunt; dicit enim S. hic Doctor : « Non minus reus erit, qui verbum Dei negli- « genter audierit, quam ille, qui corpus Christi in « terram cadere sua negligentia permiserit. »

Additiones.

a. — *Dicebant ergo : Quid est hoc, quod dicit modicum? Nescimus quid loquitur.* Si præter superius allatas super hoc *modicum* explicationes, alia adhuc moralis desideretur, dicerem, modicum quod tibi superest vitæ tempus diabolum excitare ad diligentiam, ut te eo citius in peccatum præcipitem agat; hoc quoque tuam provocare merito deberet sollicitudinem, ne te forte in muscipula comprehendat; varii enim sunt laquei, quos dæmon nobis capiendis tetendit, doli item et fraudes, quibus nos circumvenit et deludit, atque ad peccatum exstimulat. Quocumque te verteris pessima illius zizania ubique seminata reperies; ut proinde merito dicat S. Augustinus : « Quid gravius, quid malig- « nius, quid nostro adversario nequius? Qui posuit « in cœlo bellum, in Paradiso fraudem, odium inter « primos fratres et in omni nostro opere zizaniam « seminavit? » In cibum gulositatem immiscuit, in generationem concupiscentiam immoderatam. Labori et fatigationi, ad quam natura humana condemnata fuit, desidiam insinuit, conversationi civili malignitatem ingessit, regimini cupiditatem, dominium vero superbiæ copulavit. In corde falsas seminavit cogitationes, verba fraudulenta et dolosa in ore, et in cunctis aliis corporis nostri partibus iniquas operationes. « Ut breviter loquar, » inquit S. Doctor, « omnia mala mundi sua pravitate « commixta. » Terra ex qua corpus nostrum fabricatum est, ad spinas et tribulos progerminandos condemnata fuit, ac proinde S. Bernardus sancte nos monet dicens : « Vide quomodo caute ambules « inter spinas; plenus est mundus spinis, in terra « sunt, in aere sunt, in tua carne sunt; donec ergo, « in carne est anima, inter spinas profecto versa- « tur et necesse est, ut patiatur inquietudines ten- « tationum. »

b. — Nec mirum quod Apostoli mysteria tam alta capere non potuerint, ex quorum intelligentia mirum in modum recreati et consolati fuissent; erant siquidem adhuc valde imperfecti, in voluntatem Dei non bene resignati, nec consolationem bene promeriti; deliciarum enim spiritualium manna in animas deputi timoratas, innocentes et perfectas, cujus reliqui minime participes efficiuntur. Non Ægyptus, sed animæ pœnitentis desertum, consolationem gustummque spiritualium manna meruit repleri, quam ob causam David exclamat, *Psal.* xxx, 20 : *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine!* Sed quibus? Audite limitationem : *Quam abscondisti timentibus te.* « Perfecisti eos qui « sperant in te, ut timentes te habeant, » inquit Doctor Angelicus; et S. Hieronymus ait : « Multi- « farie copiosa dulcedo tua est, quam reservasti « timentibus nomen tuum. » Porro inter ea, quæ suis Deus, quasque suis impertit mundus sequaeibus delicias, hanc assignat differentiam Albertus Magnus : « Temporales dulcedines omnibus sunt com- « munes, bonis et malis; sed istæ reservantur solis « bonis. »

c. — Non intelligebant Apostoli, Spiritus Sancti gratia nondum edocti, quid esset hoc modicum, et nos præsentia vitæ voluptatibus præpedeti, illud *modicum* aliquando; aut non intelligimus, aut non perpendimus et utinam serio recogitaremus quod Deus nobis modicum tempus tribuit, ne illud perdamus, aut contemnamus, hoc enim justos valde reddit sollicitos; teque etiam deberet anxium reddere ob rigorosum examen, quod habiturus eris, in reddenda ratione, in illo modico tempore acceptorum bonorum gratiæ, naturæ et fortunæ, peccatorum omissionis, aliarumque rerum quæ nunc judicio nostro modica esse apparent. Ipsemet Christus qui in illa die Judex futurus erit, populo suo, cui lumen et notitiam fidei suæ communicaverat, hanc propositionem die quadam promulgavit, cum juramento eamdem ratificando, dum ait : *Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum et Gomorrhæorum, quam illi civitati.* Horrenda profecto propositio. Ergone Christiani deteriori loco erunt quam Sodomæ et Gomorrhæ incolæ? S. Hilarius hujus a Christo pronunciatæ sententiæ causam edisserit inquiens : « Quia illis ignorato Christo « errasse sit levius, his vero inexpiabile sit, aut « prædicatum non recepisse, aut receptum non « sancte atque catholice prædicasse. »

d. — Vis scire, mi christiane, quid *modicum* hoc importet? Diabolum excitat ad diligentiam, teque vero merito excitare debet ad sollicitudinem; ne te velut in muscipula comprehendat et mors inveniat in peccatis. Unde merito hoc tibi ducas cordi regii Prophetæ consilium, ut *descendas vivens in infernum.* Hæc enim consideratio a culpa coercet. In infernum descendunt viventes, qui cogitationes suas pessimas expavescunt, et ad melioris institutionis tramitem divina gratia transferuntur. Sic enim quasi viventes in infernum descendimus quando malorum nostrorum recordatione terremur. Haymo, ad vocem *viventes*, se reflectens, Davidem voluisse dicere inquit, pœnarum illarum atrocitatem per seriam quamdam meditationem attente et ex proposito esse considerandum. *Descendant*, inquit, *in infernum viventes*, non mortui scilicet agilitate mentis, sed attendentes pœnas infernales quæ parantur impiis, recedant a malis. S. Bernardus ad fratres de Monte Dei, hanc suggerit expositionem : « *Descendant in infernum viventes*, « ne descendant morientes, dolores ejus revisant, « ut horreant et refugiant. » Michael de Bononia, verba hæc explicans, inquit : « Psalmista orat pro « malis, ut convertantur. Ubi notandum, quod « inter alia quæ peccatorem movent ad conversio- « nem est meditatio pœnarum inferni. »

e. — O magna eaque perversa mundanorum cæcitas, quod id magnum quid et durabile æstiment, quod in se nihil est nisi modicum, sicuti divitias cum sint natura sua labiles et defectui subjectæ, magni æstimant. Nihilominus tamen si eas ex modico, quod natura sua possident, ad digniorem et securiorem statum evehere velint, eas manibus pauperum consignent. S. Gregorius de divitiis tractans ait : « Si esse divites cupitis, « veras divitias amate. » Simile consilium in citatis verbis incarnata nobis dat Sapientia, inquiens : Si thesauros accumulare et conservare vultis, ecce modum : Date eleemosynam; *facite vobis sacculos qui non veterascunt.* Si propter eleemosynas sacci evacuentur et pecunia erogetur, cur obsecro, novi præcipiuntur? Ecce vobis rationem : *Thesaurum non deficientem in cœlis.* Sacci ab auro evacuati in subsidium pauperum, thesauros conglomerant perpetuos in cœlo; unde S. Bonaventura : « Indeficiens, « quia non potest amitti per fures; non potest « corrumpi in se; » ideo addit : *Quo fur non appropiat, neque tinea corrumpit.* Citatque auctoritatem S. Chrysostomi, dicentis : « Omnia bona mundi « triplex interitus tollit; aut enim ex se ipsis veto- « rascunt; aut dominorum luxu consummantur; aut « ab extraneis dolo, vi, vel calumnia diripiuntur et « propterea in terris thesaurus indeficiens non po- « test haberi. Qui vult ergo indeficientem habere, « dispergat in terris ut abundet in cœlis. » Et ideo Psalmista, *Psal.* cxi, 9, de viro eleemosynario ait : *Dispersit dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi.* S. Augustinus proinde quoque inquit : « Non jussit Dominus ut thesaurum perde- « remus, sed locum ostendit, quo poneremus. » Naves, quæ mercibus onustæ mare sulcant, non semper secure revertuntur, sed sæpius, vel a tempestatibus submerguntur, vel deprædantur a piratis. Reperiuntur tamen aliqui divites, qui ut mercium suarum securitati consulant, nulli non periculo se exponere non formidant, ut vel tantillum pro centum lucrentur. Naves, quæ per mare hujus vitæ ad fortunata Paradisi littora trajiciunt, sunt pauperes, quibus si divitias nostras committamus, tametsi ipsi nonnunquam ob malam ipsorum vitam et mores, in æternæ perditionis barathrum submergi possint, non tamen ob id quidquam rerum illis elargitarum nos amittimus, quia Deus est, qui illas securas esse facit, siquidem dixit : *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* D. Chrysostomus manum pauperis, sinum Abrahæ appellat, quia sicut hic securum quoddam Paradisi depositum erat, in quo animæ gloriæ, suo tempore percipiendæ, securitatem habebant, ita qui pauperi eleemosynam porrigit, securus efficitur, quod illam ad minus in altera vita sit inventurus. « Manus pauperis, » inquit, « sinus est Abrahæ, ubi quidquid pauper « accipit, mox reponit. Thesaurus cœli est manus « pauperis; quod suscipit, ne pereat in terra, repo- « nit in cœlum. Da igitur, o homo, pauperi terram, « ut accipias cœlum; da nummum, ut accipias « regnum. »

Versus 19.

Cognovit autem Jesus, quia volebant eum interrogare, et dixit eis : De hoc quæritis inter vos, quia dixi, modicum et non videbitis me, et iterum modicum et videbitis me.

Cognovit autem Jesus, quia, etc.

1. — S. Thomas hic dicit : « Cognovit virtute « divinitatis suæ, *ipse enim sciebat quid esset in* « *homine.* I *Reg.*, xvi, 7 : *Homines vident ea quæ* « *parent, Deus autem intuetur cor.* » Hugo Cardinalis notat quod Christus occultas ipsorum cogitationes eis revelando et manifestando, Deum se esse illis ostenderit : « Ostendit se Deum, cum sine ver- « bis eorum, intellexit dubitationem eorum. *Jer.*, « xvii, 10 : *Scrutans corda et probans renes Deus.* » Albertus Magnus similiter dicit : « Cognovit per « illustrationem suæ divinitatis, quia omnia secreta « penetrat. *Eccles.*, xxiii, 28 : *Oculi Domini lucidio-* « *res sunt super solem, respicientes in absconditas* « *partes.* »

2. — S. Cyrillus Alexandrinus ait : « Prævenit « Christus suscitari aventes, oportune rursus osten- « dens se, cum Deus sit, corda nosse et quodcumque « mente volutatur, adhuc et in profundo cordis « infossum est, non secus ac lingua demum expressa « agnoscere. »

3. — Jansenius dicit : « Suo more interrogatio- « nem, quam reverentia aut verecundia retrahe- « bat, prævenit, præoccupatque; adeo est ad do- « cendum promptus pastor et magister optimus. « De Sapientia enim scriptum est : *Præoccupat eos,* « *qui se concupiscunt, ut prior se illis ostendat.* Sap., « vi, 14. »

Versus 20.

Amen, amen dico vobis quia plorabitis et flebitis vos, mundus autem gaudebit : vos vero contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium.

Amen, amen dico vobis.

1. — Salvator noster hoc loquendi modo planctus, fletus et afflictiones in servis suis præcedere debere ostendit, ne tamen ob hoc diffidentes sibi, animo prorsus desponderent, subjungit, quod post afflictiones subsecutæ sint consolationes et gaudia sempiterna, eamque promissionem, ut infallibilem nobis esse persuadeat, solemni juramento corroborare voluit, *Luc.*, xxi, 33 : *Amen, amen dico vobis : Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

Quia plorabitis et flebitis.

2. — Jansenius Christum in hac, sive protestatione, sive prædictione Apostolis suis facta, non solum ipsos circa imminentes illis persecutiones et contradictiones, præmunire voluisse dicit, sed et universam Ecclesiam : « Sic Dominus hunc suum « temperavit sermonem, ut per eum non tantum « Apostoli munirentur contra instantem ipsius tunc « mœrorem; sed et tota fidelium Ecclesia contra « omnes præsentis vitæ afflictiones et angustias; « itaque hac sententia totum Ecclesiæ et omnium « gestorum statum pulchre delineavit Christus sa- « pientia Patris; nempe quod eorum sit, ut mun- « danis hominibus gaudentibus de eorum oppres- « sione, ac de bonis præsentis vitæ ipsi lugeant, « afflictiones ferant, seseque voluptatibus præsen- « tibus subtrahant. »

3. — D. Chrysostomus dicit quod Christus his verbis mortem et crucem significabat, neque enim verba illa de lacrymis et planctu actuali intelligenda esse putat, sed de Martyrum tormentis et persecutionibus, quas in fidei suæ et tunc nascentis Ecclesiæ defensionem toleraturi erant. S. Cyrillus Alexandrinus dicit : « Passionem declarat apertius et quanta « ipsi laturi essent, prænuntiat. » Qui idem S. Doctor causam declarat, cur Christus has ærumnas et adversitates discipulis suis prædixerit, scilicet non ut illos consternaret et terrorem incuteret : « Non « enim ut præmaturum eis terrorem injiceret, ista « prædicebat, sed ut eorum cognitione præmuniti, « adversus terroris ingruentem impetum fortiores « evaderent. »

4. — S. Bonaventura hæc verba de planctu discipulorum, in morte Magistri sui habendo, exponit : « Plorabitis gemendo et flebitis lacrymas « effundendo, plorare enim est cum voce gemere; « flere, quasi lacryma fluere et hoc erat crucis et « mortis tempore. » Porro Redemptor noster Apostolos suos super omnes alios majoris æstimabat et amabat, quibus proinde dixit, *Joan.*, xv, 15 : *Vos autem dixi amicos*; hujus autem erga illos benevolentiæ et amoris signa vel maxime in ultimo vitæ suæ articulo demonstravit, *Joan.*, xiii, 1 : *Cum dilexisset suos, in finem dilexit eos*; ex quo autem in ultima cœna, et antequam moreretur, testamentum suum stipulare volebat, quoddam inter omnia ipsis relicta locupletius legatum fuisse existimatis? Nimirum : *Plorabitis et flebitis*. Similiter quando persecutorem Saulum in Apostolum et vas electionis commutavit, quidnam illi specialissime ab illo intimatum fuisse censetis? *Ego ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* Item quando Petro, ad Ecclesiæ primatum sublimato, gregem suum consignavit : *Pasce oves meas*, eidem immediate subjunxit : *Amen, amen dico tibi, cum esses junior, cingebas te, et ambulabas ubi volebas; cum autem senueris, extendes manus tuas et alius te cinget; hoc autem dixit, significans, qua morte clarificaturus esset Deum.* Ita quoque Apostolus spurios et non Filios Dei declaravit illos, qui se a passionibus et tribulationum ferula subducebant, *Heb.*, xii, 8 : *Quod si extra disciplinam estis, cujus participes facti sunt omnes, ergo adulteri et non filii estis.* Æternæ Veritatis propositio hæc est, *Rom.*, viii, 29 : *Quos prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui*; quibus verbis S. Augustinus utens ait : « In servitio « Dei tanquam uvæ vitis in torculari tribulabantur, « conterentur et comprimentur, sicut et Christus « præcipue in Passione magnus botrus expressus « est. »

5. — S. Bernardus, *Ser.* ix *de Ascens.*, tristitiam hanc illis a Christo in ordine ad vicinam ejus passionem annuntiatam fuisse opinatur, dum ait : « Quid mirum si tristitia cor eorum implevit, cum « ab eis sese pronuntiaret iturum? Quidni con- « turbarentur viscera, concuterentur affectus, nec « omnino æquanimiter discessionis ejus sermo pos- « set admitti, ut relinqueret eos, qui omnia reli- « quissent : » Jam dixerat illis : *Modicum et non videbitis me*, merito igitur protinus subjungit, dicens : *Flebitis, plorabitis*; siquidem jactura, quam anima patitur, dum Deum amittit, omnique ejus amicitia et gratia destituitur, infelicitas quædam est et sanguineis lacrymis inconsolabiliter deploranda.

Mundus autem gaudebit.

6. — Alcuinus, a S. Thoma in *Catena* citatus, dicit : « Cunctis fidelibus convenit hic sermo Do- « mini, qui per lacrymas, pressurasque præsentes « ad gaudia æterna contendunt, flentibus autem « justis, mundus gaudet, quia in præsenti delec- « tantur, alterius vitæ nulla gaudia sperantes. »

7. — S. Bonaventura ait : « Nomine mundi, « malitia hujus mundi intelligi potest, id est, ami- « corum, mundi, prout dicitur : *Quicumque voluerit « amicus esse hujus sæculi, inimicus Dei constituitur.* « *Jac.*, iv, 4. » Unde idem Seraphicus Doctor differentias, quæ hos inter et servos Dei conspicitur, considerat : « In isto *modico* justi plorant hic pec- « cata sua et aliorum : *beati qui lugent*; » non vero sic accidit inter mundanos, sed oppositum contingit : « Sed mundus gaudebit in vanitatibus, « et voluptatibus, et cupiditatibus. » *Eccli.*, vii, 5 : *Cor sapientum, ubi tristitia; cor stultorum, ubi lætitia. Væ vobis, qui nunc ridetis.*

8. — Albertus Magnus vocabulum *mundus* exponens, dicit : « *Mundus*, hoc est, mundani in divitiis « et ambitione viventes. » S. Cyrillus Alexandrinus ait : « Hoc est, qui sapere nequeunt, quæ Deo pla- « cent, sed mundi voluptatibus quodammodo sunt « affixi. » Rupertus Abbas, *in Joan.*, ait : « Mundi « hujus, inquit, immundi, qui suis immunditiis me « adversantem odit : mundi inquam, id est, ama- « torum mundi; inde gaudium erit, *quia vado ad « Patrem*, quem tamen ille nescit. » S. Thomas quoque per mundum homines sensuales intelligit : « Universaliter mundus, id est, homines carnales, « gaudebit in rebus mundanis. » Pulchre vir mundanus suis in gaudiis et vanitatibus immersus, apud Jobum, xxi, 7, depingitur; dicit enim : *Quare ergo impii vivunt, sublevati sunt, confortatique divitiis* : demum vero, postquam felicitatum temporalium, quibus hic gaudent, longum texuisset catalogum, tandem concludit : *Tenent tympanum, et cytharam, et gaudent ad sonitum organi; ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt*; et quid mirum est, quod brevi temporis spatio hic hilares esse permittantur, qui in inferno per omnem æternitatem plangere debent. Idem Job, postquam dixisset : *In puncto ad inferna descendunt*, immediate subjungit : *Qui dixerunt Deo, recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus; quis est Omnipotens ut serviamus ei?* Communiter enim illi, qui hic cupiditatibus et vanitatibus suis omnem licentiam indulgent, circa vitam futuram parum credunt, quia paradisum hic in terra se habere fingunt; at vero, ut S. Bernardinus, *in Ser.* v *post Domin.* II *Quadrag.*, ait : « Sicut fulgur tonitrua « portat, ita prosperitas supplicia sempiterna præ- « nuntiat; » ad eum modum, quo dum bovem aliquem ab aratro solvi, et ad impingendum eum ad pascua duci videmus, eumdem macello destinatum esse infallibiliter conjicimus.

9. — S. Thomas hæc verba quoque de tempore Passionis intelligi posse dicit, quando nimirum persecutores ejus de ejus crucifixione gavisuri erant : « Et si mundus, id est, Scribæ et Pharisæi, « gaudebit de occisione Christi; vel mundus, id « est, mali, qui sunt in Ecclesia, gaudebit in per- « secutione sanctorum. » S. Cyrillus ultra jam adductam expositionem adjungit : « Rursus vero « significat vilem et abjectam illam Judæorum « multitudinem, et Principum catervam, Deo « exosam et impiam, Scribas et Pharisæos. » Simili modo Albertus M. verbum *gaudebit* exponit, dicens : « *Gaudebit*, tamquam si de me triumpha- « verit, et me deleverit, et non sit de cætero, qui « arguat malitiam ejus. »

Vos vero contristabimini.

10. — « Scilicet tempore Passionis, » inquit S. Bonaventura, « *sed tristitia vestra vertetur in gau- « dium* tempore resurrectionis, prout ait Propheta, « *Psal.* xxix, 6 : *Ad vesperum demorabit fletus, et « ad matutinum lætitia*, quo surrexit Dominus. » Et ideo alius quidam vir sanctus ita scribit : « Fir- « mum est mihi propositum nunquam ridendi; « quousque audiam ex ore Dei illa verba : *Venite « benedicti Patris mei*; neque flere desistam, donec « liber sim ab illa sententia : *Ite maledicti in ignem « æternum.* »

11. — S. Bernardus, *de modo bene viv. Serm.* lxv, verba illa Sapientis : *Risum reputavi errorem, et gaudio dixi : Quid frustra deceperis?* considerans ait : « Error dicitur, quando aliud fieri debet, et « aliud; tunc ergo fit error, quando ille, qui debet « plorare, ridet; ideo risus dicitur error, quia dum « quisque ridet, diem mortis suæ ipse in mente « sua non habet, huic tamen errori servi Dei haud « quaquam subjacent. »

12. — Advertendum hoc loco est, quod Christus afflictionem et planctum justorum, gaudiis opponat hominum mundanorum, quia illi ex zelo honoris Dei injuriis affecti, et ex compassione, qua erga illorum feruntur perditionem, stimulati tristantur et affliguntur pro illorum salute intercedendo, suaque pœnitentia et austeritate divinam placare justitiam satagunt, ut eos ad resipiscentiam, vitæque emendationem tandem perducere dignetur. In vita S. Catharinæ Senensis legitur quod, dum ipsa eo tempore, quo bacchanalium vanitates in summo fervore erant, pœnitentis vitæ suæ rigores magis magisque adangeret, Cœlestis Sponsus in Feria V quæ Dominicam Quinquagesimæ antecedit, digito illius annulum pronubum inserere dignatus, hisce eam verbis allocutus fuerit : Dilecta filia mea, quia tu mundi vanitates sprevisti, me solum summum æternumque bonum ardenter quærendo, omnibusque carnis voluptatibus spretis, cordis tui delicias in me solo repositas habuisti, idque hoc præcipue tempore, quo alii domus tuæ familiares in conviviis, ludis, choreis, etc., inaniter se recreant, ideo hodie ego sponsalitiam animæ tuæ festivitatem tecum celebrare, tecumque mihi in stabilissima fide desponsare decrevi.

13. — Apostolus ad Galatas, v, 19, ita scribit : *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria*, etc. Postquam vero mundanorum gaudiorum texuisset catalogum, longam quoque seriem recenset earum, quas justi et servi Dei patiuntur, afflictionum : *Fructus autem spiritus charitas, gaudium, pax, patientia*, etc. Ac demum de fletu et planctu illorum concludit : *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis.*

Sed tristitia vestra vertetur in gaudium.

14. — S. Bonaventura hoc loco, an Apostoli idipsum meruerint, inquirit; dicit enim : « Quæri- « tur hic magistraliter, an Apostoli meruerunt, et « videtur quod sic, quia si compatimur, et conre- « gnabimus, sed ipsi compatiebantur tristando; « item illam tristitiam secutum est gaudium. »

15. — Albertus Magnus hæc ita exponit : « *Ver- « tetur in gaudium*, in resurrectione, in appari- « tione, in ascensione, et maxime in Spiritus

« Sancti missione, quæ omnia post modicum tem-
« pus futura sunt vobis. » His quoque addi potest, secundum quod notat Hugo Cardinalis, tristitiam illorum in jubilum convertendam esse, propter omnium gentilium conversionem ad fidem, propter peccatorum dandam remissionem, propter cœlestis gloriæ remunerationem, quam illis promittebat. S. Cyrillus Alexandrinus per vocem *gaudium*, beatitudinem intelligit : « Perpetuum quippe est Sanctorum gaudium, vivit enim Christus in æternum, « mors omnium soluta est per ipsum, sed consen-« taneum est animadvertere mundanos homines « vicissim perpetuo in lucta futuros. »

16. — Alcuinus, *in Joan.*, verba illa Psalmi, CXXV, 5 : *Qui seminant in lacrymis in exultatione metent*, adducens, dicit : « *Euntes ibant et flebant*, « quatenus in æterna beatitudine laboris sui merce-« dem recipiant : *mundus autem*, id est, mundi « amatores, gaudebunt, quia ad æterna gaudia se « præparare per lacrymas et afflictiones despi-« ciunt; *vos autem contristabimini* per labores et « pressuras, *sed tristitia vestra vertetur* in æternæ « beatitudinis lætitiam. »

17. — Porro ad propositionem hanc evangelicam ratificandam opportuna sunt verba Tertulliani, *de Spect.*, XXVIII, dicentis : « Vicibus disposita res « est; nunc illi lætantur, nos conflictamur; sæcu-« lum gaudebit, vos tristes eritis; lugeamus ergo, « dum ethnici gaudent, ut, cum lugere cœperint « gaudeamus, ne pariter nunc gaudentes, tunc « quoque pariter lugeamus. »

18. — Quod si alicui divitiarum avido diceretur, quanto profundius in domo tua foderis, tanto profundiorem ibi et copiosiorem auri venam reperies, ausim dicere talem perpetuo fodiendo continuaturum esse, donec ad ipsa usque inferni confinia pertingeret : jam vero æternæ veritatis, *Psal.* XCIII, 19, propositio est : *Secundum multitudinem dolorum meorum consolationes tuæ lætificaverunt animam meam*; adeoque quanto magis se anima aliqua in hac vita mortificaverit et afflixerit, tanto copiosiores eidem immittentur deliciæ, gaudia, et consolationes spirituales. Pro cujus majori evidentia quamdam ab agricolis desumptam S. Hieronymus adducit similitudinem, *Epist.* V *ad virg. exulem*, dicens : « Agricola quoque de ubertate frugum « lætari non potest, nisi prius terram multo labore « confecerit, et tanto magis prosperitatis spem « congerit, quanto se amplius destudasse cognove-« rit. » Pergit idem S. Doctor ulterius demonstrare quod quanto hyems minus rigida fuerit, tanto quoque rarior et minor futura sit messis : « Nam « et æstatis et autumni temporibus, quæ tempora « ministra sunt frugum, sterilitatem nimiam non-« nunquam hyemis levitas intulit, cum fœcundita-« tem maximam frigoris præstiterit austeritas, et « quidquid clementia veris resolvit, spem ubertatis « amisit. » Demum vero idem S. Doctor ad propositum nostrum concludit, dicens : « Amplectenda « est ergo tristitia, quæ gaudium parit, et non ejus « materia est consideranda, quia sæpe per dulce-« dinem fructus placet, quod amarum horruit in « radice. »

19. — Apostoli ante acceptam Spiritum Sanctum adeo meticulosi erant, ut mox, ubi turbas armatas hortum ingredi viderunt, tametsi illos non ad ipsis nocendum, sed ad Magistrum ipsorum capiendum egressos fuisse scirent, in fugam tamen subito se receperint : *Omnes relicto eo fugerunt*; at vero deinceps factum est, quod tanta fuerint animi constantia roborati, ut coram tyrannis, et sub tormentis imperterriti remanserint, fuerintque gavisi, dum a synagogis proscribebantur, *Act. Ap.*, V, 41 : *Ibant gaudentes a conspectu Concilii, quoniam*, etc.

20. — Porro ratio, propter quam Apostolorum tristitia in gaudium vertenda erat, hæc fuit, quia scilicet mentem et cogitationes suas, non ad hujus, sed alterius vitæ gaudia defixas habebant; unde S. Cyprianus, *ad Demetriad.*, ait : « Pœnam de adversis « mundi ille sentit, cujus lætitia et gloria omnis « in mundo est. Ille mœret et deflet, si sibi male « sit in sæculo, cui bene non potest esse post sæcu-« lum, cujus videndi fructus omnis hic capitur, « cujus hic solatium omne finitur. »

21. — Tertullianus nos in ipsismet etiam passionibus et mortificationibus gaudium et consolationem invenire dicit : « Quæ major voluptas, quam « fastidium ipsius voluptatis, quam salutis ipsius « contemptus, quam vera libertas, quam conscientia « integra, quam vita sufficiens, quam mortis timor « nullus? »

22. — Considerandum hic quoque est, quod Christus in ultimis Evangelii verbis dicat : *Gaudium vestrum nemo tollet a vobis*; quibus verbis de gloria et beatitudine Paradisi loqui velle videtur : quia hæc sola, postquam ad ejus possessionem pervenerimus, nunquam deinceps auferri potest, *Psal.* XXIX, 7 : *Ego dixi in abundantia mea, non movebor in æternum*; quod quidem eo firmius credere licet, quod scilicet per gaudium illud præmium intelligatur æternum, quia ipsemet Christus præmium hoc gaudii nomine appellavit, dum ait, *Matt.*, XXV, 21 : *Intra in gaudium Domini tui*; ac proinde Christus vult dicere quod eo ipso, quo in passionibus et suppliciis suis intellectus, et cordis sui oculum in cœlestis regni præmium firmiter defixerunt, gaudio replendi sint et consolatione spirituali; nam ut S. Gregorius, *lib.* X *mor.*, advertit : « Mala vitæ « præsentis tanto durius animus sentit, quanto « pensare bonum, quod sequitur negligit, et quia « non vult præmia considerare, quæ restant, gra-« via æstimat esse, quæ tolerat. » David olim se calumnia, et imposturis oppressum esse lamentabatur, *Psal.* XXVI, 12, dicens : *Insurrexerunt in me*

testes iniqui, et mentita est iniquitas sibi; sed quid faciendo inter hæc mala consolationem accepit? nimirum per cœlestis patriæ considerationem, per æternæ retributionis accipiendæ fiduciam. *Credo videre bona Domini in terra viventium. Expecta Dominum, viriliter age, confortetur cor tuum, et sustine Dominum.* Unde S. Augustinus ait : « Si vis sustinere laborem, attende mercedem; si attenderis, « quid sis accepturus, omnia tibi erunt vilia quæ « pateris. » Præcursor et Baptista Christi in deserti Judææ maledictum illud viperarum sperma, *Genimina viperorum*, invitabat ad pœnitentiam; similiter Christus Evangelium prædicando, eosdem Hebræos ad sui hortabatur sequelam, *Matt.*, XVI, 24, dicens : *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me*; quis autem ita est rerum inexpertus, qui nesciat, quantum corrupta hæc nostra natura propriam abnegare voluntatem, alterius se arbitrio subjicere, voluptatibus et deliciis nuntium remittere, in paupertatis contemptu et humilitate vivere, corpus jejuniis macerare et flagellis castigare, et omnia alia, quæ vera exigit pœnitentia, perficere, fugiat et horreat, et tamen multi ex ipsis inventi sunt, qui se tam ad verba Præcursoris, quam ad Christi hortamenta, ad vitam recipientes meliorem, doctrinam ipsorum sunt amplexati eo quod ambo illis regnum cœlorum in propinquo esse annuntiarint, *Matth.*, IV, 17 : *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum*; nam, ut S. Gregorius ait : « Si semel « quisque ad æterna se erigat, atque in his quæ « incommutabiliter permanent, oculum cordis figat, « prope nihil esse conspicit, quidquid ad finem « currit. » Moyses tempora sua regio diademate cingere, sceptrum Ægypti moderari, atque ab omnibus regni illius Principibus regios accipere honores et obsequia poterat; et tamen *negavit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo suo quam temporalis peccati habere jucunditatem, majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi. Heb.*, XI, 24, 25. At vero quo motivo Moyses lateres luteos una cum vili plebe Hebræa præparare, quam regni thesauros tractare et moderari malebat? *aspiciebat in remunerationem.* Et ideo quotiescumque corpus nostrum recalcitrat, seque consuetis suis voluptatibus et gaudiis destitui non permittit, illud consolari debemus verbis D. Chrysostomi, *Hom.* XVI *in Matt.*, sequentibus : « Largissimam profecto « mercedem pro contempta temporali voluptate « capiemus; atque ipse ad tuam animam loquere : « Tristaris, quia te corporis voluptate defraudo? « sed lætare potius, quia tibi cœlorum regna provi-« debo. »

Additiones.

a. — *Amen, amen dico vobis quia plorabitis et flebitis vos*, etc. Adverte quam consequenter Christus Dominus hæc omnia ponat. Postquam enim Christus Dominus dixerat : *Modicum et non videbitis me, et iterum modicum et videbitis me*, statim discipuli suam fatentes ignorantiam, dicebant : *Quid est hoc, quod dicit modicum? Nescimus quid loquitur*, Statim subjungit Dominus : *Amen dico vobis, plorabitis et flebitis vos.* Et merito quidem, quia veræ lacrymæ acuunt oculos, ut divina videamus. Illa mulier peccatrix, *Luc.*, VII, 37, *ut cognovit quod accubuisset Jesus in domo Pharisæi, attulit alabastrum unguenti, et stans retro secus pedes ejus, lacrymis cœpit rigare pedes ejus, et capillis capitis sui tergebat, et osculabatur pedes ejus, et unguento ungebat. Videns autem Pharisæus qui invitaverat eum, ait intra se : Hic si esset Propheta*, etc. Compone modo inter se peccatricem illam et Pharisæum istum. Uterque Jesu adest, sed peccatrix Jesum et noscit et æstimat suæ infirmitatis remedium, suæque auctorem salutis, quam ab illo tot officiis nititur obtinere. Pharisæus autem non noscit Jesum, imo de illo dubitat an Propheta sit. Unde ergo Pharisæus cæcutit circa Jesum, circa quem peccatrix mulier est oculatissima? Causa ipsa videtur innui a Jesu, cum Pharisæo ait : *Aquam pedibus meis non dedisti; hæc autem lacrymis rigavit pedes meos.* Pœnitentiæ lacrymæ fecerunt peccatricem oculatissimam erga Jesum. Verum dicet fortasse aliquis : Experientia teste videmus quod lacrymarum copia oculorum aciem ut plurimum, diminuere et obfuscare soleat. Quomodo igitur pœnitentis hujus lacrymæ oculos ejus ad tantam acuere potuerunt divinitatem Christi discernendi potentiam? Huic igitur respondeo, verum id quidem esse, si de lumine agatur corporeo, hoc enim per lacrymas copiose effusas diminui solet; at vero quanto magis hoc lumen admittitur, tanto amplius lumen interius augetur, quo Deum illum videmus qui de seipso ait : *Ego sum lux mundi.* Nam ut S. Bernardus ait : « Purgatur lacrymis oculus « caligans et acuitur visus, ut intendere possit in « serenissimi luminis claritatem. » Idem S. Doctor, in sermone quodam *de modo bene vivendi*, modum tradit dissipandi tenebras mentis, quæ nos obumbrant, quominus Deum videre valeamus; dicit enim : « Ubi lacrymæ fuerint, ibi accenditur spi-« ritualis ignis, qui illuminat secreta mentis. » Verum inquies fortasse, prima facie paradoxum videri, quod lacrymæ, opportunum sint, ad accendendum in cordibus nostris ignem, instrumentum, ut illuminemur; cum aquæ potius proprium sit ignem extinguere. Sed respondeo, verum quidem id esse de igni elementali et de aqua pariter naturali, non vero de lacrymis verificari quæ ex divini amoris flamma scaturiunt. Et quidem ne forte S. Bernardi calamum aberrasse credas, idem in confirmationem illius quod antea dixerat, subjungit : « Compunctio mentis illuminatio est ani-« mæ, quia tunc anima illuminatur, quando ad « lacrymas compungitur. » Idipsum vero a S. Au-

gustino, S. Bernardum didicisse existimo, quia hic inter alia salutaria documenta, eamdem quoque S. Augustini doctrinam his verbis insinuat : « Ubi « fuerint lacrymæ, ibi spiritualis ignis. »

b. — Adversum non spirat animum, quod Dominus electos suos persecutionibus premat et adversitatibus. Hæc namque Dei methodus obtinuit, ut mediis adversitatibus traducat ad quietem et gaudia. Quam veritatem Hugo Cardinalis per nutricis cujusdam similitudinem elucidare contendit, quæ ut infantem facile ablactet, mamillas amaritudine aspergere solet, ac demum dicit : « Sic Deus « nos repellit ab uberibus mundi per appositionem « amaritudinis, mundus enim iste, dum tot adver- « sitatibus ingeminat, quid aliud quam ut diliga- « tur, clamat ? »

c. — Tertullianus, *lib. de Spectaculis*, XXVIII, post adducta hæc Christi verba : *Quia plorabitis et flebitis vos*, etc., sic inquit : « Vicibus disposita res est; « nunc illi lætantur, nos conflictamur. » Et paulo post : « Lugeamus ergo dum Ethnici gaudent, ut « cum lugere cœperint, gaudeamus. » Patebit hoc verum esse in extremo die judicii, quando justi qui in hac vita afflicti fuere, ad gaudia æterna invitabuntur et reprobi qui hic continuo lætati fuere, ponis deputabuntur æternis.

d. — Repetito verbo utitur Dominus, ad maxime exprimendum dolorem quem de sua sacratissima Passione habebant discipuli. Nam exterius voces lamentationis et gemitus daturos, et effusis lacrymis ploraturos prædicit. Quod mirum valde, quando quidem intimi amici Christi erant Apostoli, quo nomine eosdem non raro compellat, *Joan.*, XV : *Jam non dicam vos servos sed amicos meos : omnia enim, quæ audivi a Patre meo, nota feci vobis*. Amicitiæ vero jura requirere videntur, ut ab amico omnis calamitas et tristitia propulsetur. Hos igitur, quos amicos dixit, nunc immodica tristitia affectos, insolatos relinquet? Eleganter ad quæsitum Minutius Felix in *Octav.*, sic Ethnicum concilium allocutus : « Calamitas sæpe disciplina virtutis est. Vires, et « mentis, et corporis sine laboris exercitatione tor- « pescunt : Omnes adeo vestri viri fortes, quos in « exemplum prædicatis, ærumnis suis inclyti flo- « ruerunt. Itaque et nobis Deus, nec non potest « subvenire, nec despicit cum sit omnium rector et « amator suorum : sed in adversis unumquemque « explorat et examinat, ingenium singulorum peri- « culis pensitat; usque ad extremam mortem, va- « luntatem hominis sciscitatur, nihil sibi posse « perire securus. » Tribulationes enim Deus immittit, ut nostram probet et experiatur virtutem. Ideo ergo Dominus neutiquam hanc tristitiam a discipulis suis removet. « Bonæ ollæ, » dicit Dionysius Carthusianus, « in igne fornacis consolidantur. Malæ « crepant, exiliunt, dissipantur. Tentatio tribulatio- « nis, id est, examinatio, seu visitatio per adversa, « per infirmitates, damna, irrisiones, injurias et « diabolicas suggestiones; si ergo in fervore et igne « adversitatum istarum homo permaneat fixus in « Deo, proficiensque in gratia et virtute, signum « est, quod vere sit virtuosus. » Pervolvite librum Job et reperietis quod in summa constitutus prosperitate, raro et inaudito exemplo innocentissimam duxerit vitam; et priusquam atrocissimum illud et continuum, quo illum afflixit diabolus, subiit martyrium, a Deo qui spirituum ponderator est proclamatus, fuerit totius mundi sanctissimus : *Numquid considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis in terra?* Nihilominus, ut bene advertit S. Ambrosius : « Tunc plus probatus est, quando amissis opi- « bus, et filiis, a Domini cultu et gratia non reces- « sit. » Maxima sanctitatis suæ probatio deprompta fuit ex tolerantia passionum et adversitatum, non ex operibus bonis, prosperitatis tempore peractis. Quare prosequitur S. Ambrosius : « Si multæ per- « secutiones, multæ probationes; ubi multæ co- « ronæ, multa certamina : tibi ergo proficit, quod « multis persecutores sunt et inter multas persecu- « tiones faciliùs invenias, quomodo coroneris. » Qua ratione in nobis nitere posset charitas et amor Dei, si nulla nobis daretur patiendi occasio?

e. — Instantem mortis suæ diem describit Dominus et his verbis ostendit : *Plorabitis*, quasi diceret, jam vobis præsto erunt lacrymæ et fletus, quia jam morti tradar ego. Sed cur discipulorum lacrymas in morte Jesu effundendas, sic Jesus approbat, nec illas prohibet? Cum jam ducebatur ad mortem, sequebatur popularis multitudo, sequebantur et eum multæ mulieres flentes, et ejus vicem lamentantes, quibus statim ait Jesus, *Luc.*, XXIII, 28 : *Filiæ Jerusalem nolite flere super me*. Nunc sciens discipulos ploraturos, nihil illos monet de fletu prohibendo; quin potius, illos permittit flere, imo per fletum a mundanis et a sceleratis distinguit. Eccur qui sub cruce pergens, lacrymas populariter flentium, quæ sane lacrymæ tanto Domino indecentes erant; at lacrymæ justorum virorum, scientium pro quo flerent, minimè prohibentur, quinimo a Domino acceptantur et honori habentur, ut ostendat se eos diligere; adversum enim non spirat animum, quod Deus electos suos afflictionibus premat; imo dilectionis potius et amoris est indicium. Nullus est qui ignoret Josephum, Christi Domini extitisse typum et figuram; sicut enim ille Ægypti, ita mundi Salvator Christus. Sed quia Deus ipsum valde diligebat, ideo disposuit, ut plurimas et varias perpessus fuerit calamitates et miserias; siquidem adhuc juvenis summam fratrum suorum incurrit et subiit invidiam et odium, qui eum ad mortem usque persecuti fuerunt, posuerunt in cisterna et tanquam mancipium vendiderunt. Neque hic finis tribulationum suarum, sed postea injuste accusatus fuit ab adultera, et calumniam passus innocentissime,

conjectus in carceres et vincula et propterea de Deo asseritur : *Descenditque cum illo in foveam et in vinculis non dereliquit eum, donec afferret illi sceptrum regni. Sap.*, X, 14. Dicebat Apostolus, II *Cor.*, IV, 8, edoctus ipsa experientia : *In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur*. Ubi S. Anselmus ita scribit : « In omnibus tribulationum modis affligi- « mur, quoniam vincula, carceres et verbera et « omnium tribulationum genera, in corporibus « nostris sustinemus; sed non angustiamur, imo « dilatamur ampliori latitudine cordis, ut spatietur « animi libertas. » Amor paternus quo Deus animas electas intrinsecus amat, adeo lætificat et consolatur illas, ut vel amaritudinem adversitatum non sentiant, aut illas, ut vel amaritudinem adversitatum non sentiant, aut illis propter amorem suum gaudeant, easque desiderent, ut divino suo beneplacito se conforment.

f. — Christus Dominus, his verbis : *Vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium*, Apostolos suos confortare volebat in fide, intuitu cujus tam multa tristia et adversa essent perferenda; sed hoc pro certo se habere, tanquam evidentissimum veræ fidei indicium, quod tristitia eorum vertatur in gaudium; sic quoque Martyrum in tormentis consolationes evidens veræ fidei nobis perhibent testimonium. De sanctissimo protomartyre Stephano canit Ecclesia, quod ex projectis in corpus suum silicibus, nectar suxerit Paradisi. *Lapides torrentis illi dulces fuerunt*. Unde illud regii Psalmistæ vaticinium : *Tu exsurgens misereberis Sion*; id est, ut Lyranus exponit, Ecclesiæ; *timebunt gentes nomen tuum, Domine, et omnes reges terræ gloriam tuam, quia ædificavit Dominus Sion*, id est, Ecclesiam. Maxime vero quod statim sequitur : *Placuerunt servis tuis lapides*, secundum litteram in S. Stephano adimpletum fuit. De quo proinde S. Laurentius Justinianus merito ait : Jam experiebatur interius, quam magna multitudo est divinæ dulcedinis, quam pro veritate certantibus noverat esse paratam. Enimvero quis est qui non videat quod dum Redemptor noster in lapidatione Stephani cœlos aperuit, se veluti spectatorem certaminis primi martyris, ab eodem se videri voluit, toti Christianismo, per hoc innuere voluerit, quod in cunctis sæculis futuris, Ecclesiæ eorum qui pro ejus fide præliantur et certant, auxiliator futurus sit atque perpetuus defensor?

g. — An non bene et consequenter diceret quispiam, quod sicut tristitia discipulorum in gaudium, sic et gaudium mundi in tristitiam et pœnam vertendum? Imo vero prudenter et verissime concluderet; sunt enim hujus vitæ prosperitates temporales plerumque scopuli, ad quos allidentes animæ in profundum usque inferni naufragantur, ubi semper pœna ingentis cruciatus erit.

VERSUS 21.

Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora ejus, cum autem peperit puerum, jam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum.

1. — Venerabilis Beda ait : « Parturitio tristitiæ, « partus gaudio comparatur, quod tunc majus esse « consuevit, quando non puella, sed puer nascitur. »

2. — Multi sacri Expositores per hanc mulierem, sanctam Ecclesiam, utpote fœcundissimam matrem, intellexerunt, quæ continuo Deo spiritualiter parturit filios. Alcuinus ait : « Mulierem dicit sanctam « Ecclesiam, propter fœcunditatem bonorum ope- « rum, et quia spirituales Deo filios gignere non- « quam desinit; hæc mulier cum parit, tristitiam « habet, quia venit hora ejus, quia nimirum sancta « Ecclesia, dum diu in mundo spiritualium virtu- « tum profectibus insistit, nunquam mundi tenta- « tionibus exerceri desistit; at cum devicto laborum « certamine ad palmam pervenerit, jam non me- « minit pressuræ præcedentis, propter gaudium « perceptæ retributionis. » Et ratio est, quia ut Apostolus, tanquam oculatus cœli testis, *Rom.*, VIII, 18, scribit : *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*, id est, ut Eusebius Emissenus explicat : « Non valent « vitæ præsentis obsequia, æternæ vitæ gaudiis « compensari; pallescant licet membra vigiliis, « pallescant licet ora jejuniis, non erunt tamen « condignæ, etc. »

3. — Magnus quidam spiritualis et asceticæ vitæ hujus sæculi Magister, Arias, asserit quod si Sanctus aliquis daretur, qui mille annis hic in terris vixisset, fuissetque quolibet die passus omnia tormenta, quæ unquam illata sunt Martyribus, omnesque omnium hominum totius mundi sustinuisset passiones et adversitates : cui demum Deus in fine hujus annorum millenari præmii loco concederet, ut in cœlum conscenderet, ibidemque clare et revelata facie per spatium unius duntaxat *Ave Maria* intueri posset, hic utique ingenue fassurus esset, Deum sibi pro omnibus, quæ in hoc mundo pro ejus amore tolerasset, copiosissime retribuisse, imo datam sibi remunerationem merito suo longe superiorem esse.

4. — Lyranus similiter per hanc mulierem, sanctam Ecclesiam intelligit, vel Collegium Apostolicum, in quo pro tunc universa continebatur congregatio fidelium : « Tristitia partus, » inquit, « est dolor de passione Christi, qui fuit in isto col- « legio; nativitas hominis est resurrectio Christi, « quia Christus de novo processit ad vitam immor- « talem quantum ad corpus, quod prius fuerat « mortale, et ideo ad hoc designandum, dixit Sal- « vator, *quia natus est homo in mundum*; non dixit, « *quia natus est infans*, sed *natus est homo in mun- « dum*; quia Christus homo perfectus vitam mor-

« talem inchoavit per suam resurrectionem; » ac proinde subjungit : *Et vos quidem nunc tristitiam habetis*, id est, in hoc passionis meæ imminenti triduo; *iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum*, quod post ejus resurrectionem futurum fuerat. Theophylactus, *Hom.* LXXVII, ait : « Per « dolorem parientis, tristitiam Apostolorum, et per « gaudium, consolationem resurrectionis. » Chrysostomus a Toleto citatus, diu ante Lyranum hujus observationis auctor fuit, quod scilicet Christus non dixerit : « Natus est infans, vel puer, sed homo. « Non puer, ut mysterium resurrectionis significe« tur, ut notat Chrysostomus. Christus enim non ut « in natiritate infans, sed vir perfectus resurrexit. »

5. — Rupertus Abbas Tuitiensis hæc verba exponens, de hac muliere ita scribit : « Sanctam Eccle« siam, ejus virum Patrem, omnium Deum, pue« rum ipsum, qui hæc loquitur, Dominum Je« sum; hunc primitus per fidem concepit, quando « adolescentula in Abraham promissiones audivit, « dicentis : *In semine tuo benedicentur omnes gentes*, « et credidit, et ex tunc beata progenies mente « gravida, verborum promissionis hujulans, ejusdem « verbi incremento proficens, quasi fœta alvo ma« gis ac magis tumuit; tandemque diu desideratum « puerum muliere eadem, cujus beati Apostoli « magna portio sunt, in magno dolore et angustia « passionis enixa est, viditque eum in diem æterni« tatis feliciter nascentem, id est, a mortuis resur« gentem et jam non meminit pressuræ propter « gaudium, quia natus, quia renatus est et redivi« vus est homo in mundum redemptum et salva« tum, ut mundi, imo cœli et terræ, omnium, quæ « in eis sunt, obtineat principatum. »

6. — Alcuinus hoc gaudium ex partu in lucem edito ortum, conversioni attribuit populorum, qui veritatis Evangelicæ luce fuerunt illuminati : « Sicut « enim mulier nato in hunc mundum homine læta« tur, ita Ecclesia nato in vitam futuram fideli po« pulo, digna exultatione repletur; mos obtinuit « Ecclesiasticus, ut dies beatorum Martyrum, sive « Confessorum Christi, quibus de sæculo transie« runt, natales vocitemus. »

7. — Hugo Cardinalis ait : « Ecclesia dicitur « parere in prædicatoribus, in pœnitentibus, in « bene operantibus, in fideliter morientibus. »

8. — Jansenius primo per hunc partum ad Christi resurrectionem, deinde ad fidelem animam alludit; ostenditque quam bene et concinne hæc similitudo ad mortem et resurrectionem Christi quadret : « Optime quadrat, quod Christus per « mortem, quasi per quemdam uterum genitus, « solutis doloribus mortis, natus sit novus homo in « mundum, propter quod et primogenitus dicitur « ex mortuis et in resurrectione interpretatur Pau« lus impletum illud Psalmi II, 7 : *Filius meus es « tu, ego hodie genui te.* » Similiter quoad animam ostendit, qua in re comparetur mulieri parturienti : « Singuli justi et tota fidelium Ecclesia similes sunt « mulieri parturienti; in præsenti enim sæculo « tempus est partus bonorum operum, tempus est « ut Ecclesia multos Dei filios progignat, cui partui « dum insistunt justi, graves patiuntur a carne et a « mundo dolores et afflictiones; » per hujus autem partus merita perfruetur postea præmio gaudiorum æternorum : « Unusquisque se gaudebit per « illos natum in regnum cœlorum, aut etiam alios « per ipsum natos in novum illum mundum; » omnes etenim, qui se per labores sive prædicationis, sive confessionis, sive cujuslibet laboriosi operis conatum, animarum lucro addicunt, ac demum aliquas ad gloriam et salutem æternam reapse lucrantur, de hisce partibus suis micum in modum lætabuntur, omnemque laborem et sudorem suum optime collocatos et impensos esse existimabunt.

9. — Dionysius Carthusianus ait : « Mulier est « Ecclesia, vel anima fidelis, quæ cum parit, id est, « opera pœnitentiæ facit, vel aliorum conversioni « intendit, tristitiam habet de suis et alienis pecca« tis et propter labores et afflictiones vitæ præsen« tis, prout Apostolus testatur, II *Cor.*, VII, 5 : *Nul« lam requiem habuit caro nostra, sed supra modum « gravati sumus, ita ut tæderet nos vivere.* Cum ali« quem peperit puerum, id est, aliquem ad Christ« tum convertit, vel ad regnum cœlorum præmi« sorit, vel opus bonum perduxerit ad perfectio« nem, vel seipsam perfecte reformaverit ad Christi « imitationem, *jam non meminit pressuræ* præha« bitæ propter gaudium fructus consecuti, quoniam « *natus est homo*, id est, per gratiam reformatus, « spiritualem vitam sortitus, vel esse gloriæ sempi« ternæ adeptus; unde Paulus filius suis, quos spiri« tualiter peperit scribens, I *Thes.*, II, 19 : *Quæ est*, « inquit, *gloria mea, nonne vos?* » Idem quoque Apostolus ad Galatas, IV, 19, scribens, ob filios spirituales, quos Deo per suos sudores pariebat, de se, sub titulo mulieris parturientis, loquitur : *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis;* alibi quoque se erga fideles, quos Ecclesiæ parturierat, matrem quasi fingit esse lactantem, I *Cor.*, III, 2 : *Lac vobis potum dedi, non escam.*

10. — In Regum libris scribitur : *Venerunt filii usque ad partum et vires non habet parturiens.* Multi quidem sunt, qui bona habent proposita mutandi vitam, ad Deum se convertendi, vel deserendi mundum; at vero nunquam in illis devenitur ad executionem, eo quod partus timeant dolores; talis fuit S. Augustinus, qui se ad realem vitæ conversionem diu resolvere non poterat, timens ne voluptates et mores pristinos deserendo, nimios offensurus esset in vita spirituali rigores; at vero, pronti ipsemet postea confessus fuit, *lib.* I *Conf.*, I : « Quam suave « mihi subito factum est carere suavitatibus nuga« rum! et quas amittere metus fuerat, jam dimi« sisse gaudium erat, ejiciebat eas a me vera tu et « summa suavitas, ejiciebat et intrabat pro eis « omni suavitate dulcior. » Maxima enim difficultas in partu, in lucem edendo consistit, id est, in mundo deserendo et generosa quadam facienda resolutione; quia postquam quis jam ingressus est scholam Christi et Dei se servitio addixit, nullam ibi invenit se ferientem ferulam, quam ante timuit, sed favi gustantur mellis, nectarque et ambrosia bibitur Paradisi, ac proinde optime Psalmista monebat, *Psal.* XXXIII, 9, dum ait : *Gustate, videte quoniam suavis est Dominus; beatus vir qui sperat in eo.* In sacris Canticis, I, 12, sponsam quidem cœlesti Sponso dixisse legimus : *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur;* porro myrrha symbolum est mortificationis, austeritatis, jejuniorum, disciplinarum, omniumque aliorum, quæ sensui nostro repugnant; atque ideo sponsa se hic hisce pœnitentiæ rigoribus totaliter quasi immersam exhibet : *Inter ubera mea commorabitur;* ecce tibi dolores partus; at vero paulo post merum sequitur gaudium et jubilus cordis, quia ab hisce nascitur mortificationibus et vitæ rigoribus; siquidem paulo post subjungit, eumdem dilectum suum sibi videri conversum in suavissimum e vineis Engaddi decerum botrum : *Botrus Cypri dilectus mihi in vineis Engaddi.* Unde S. Bernardus, *de Pas.*, IV, ait : « Ille, qui modo fuerat fasciculus myrrhæ, « subito fit botrus Cypri, continens in se vinum « jucunditatis et lætitiæ. » Sanctus et regius Propheta David de semetipso dicit : *Humiliabam in jejunio animam meam : genua mea infirmata sunt a jejunio, caro mea immutata est propter oleum; induebar cilicio, cinerem tanquam panem manducabam, flagellatus fui tota die et castigatio mea in matutinis; lacrymis meis stratum meum rigabo;* sed ecce tibi insignem, quem ex his omnibus retulit fructum : *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine; gustate et videte quam suavis est Dominus secundum multitudinem dolorum*, etc. Paulo ante diximus, S. Paulum Apostolum sese assimilasse matri cuidam parturienti; at vero passiones et dolores, quos in partu, hoc est, in conversione animarum sustinuit, immensa et inexplicabilia consecuta sunt gaudia; unde et fatebatur ingenue, II *Cor.*, VII, 4 : *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione.*

Additiones.

a. — *Mulier cum parit, tristitiam habet*, etc. Nulli hominum gaudium nascitur, quod non veniat post mille pressuras, post mille dolores partus. Habent mundani et sancti, infideles et fideles, labores et dolores qui pariunt sua cuique gaudia. Sed mundanorum labores et dolores pariunt gaudium fundatum in hominis nativitate : *Quia natus est homo in mundum.* Proh luteum et corruptibile gaudium, utpote in nativitate lutei hominis et corruptibilis fundatum! Fidelium autem labores gaudium pariunt in Christi Dei æterni et veri morte fundatum, quod nullo impulsu hostium lababit. Ecce igitur discrimen quod inter justorum et reproborum labores et tribulationes reperitur.

b. — A nativitatis exordio, tribulationis necessitas manet? Imo necdum nato, quæ lucem ei datura est mater, miserias suas commodat. Quod pulchre expendit S. Chrysostomus, apud græcam Olympiodori *catenam* : « Statim igitur, ut homo est suscep« tus in lucem laborum atque ærumnarum adit « hæreditatem, difficultatibus atque miseriis illius « vitæ compelletur. Atque hoc nomine deterior est « nostræ naturæ status quam earum rerum quæ e « terra gignuntur. » Homo enim, ubi primum in lucem editur, molestiarum adit hæreditatem et cognatos calamitates sibi sagacissime insidiantes patitur, usque ad sepulchri asylum. Sic vita hominis continua quædam tribulatio est; ideoque tristitiam, dixit Menander consanguineam esse vitæ, necessitatem morendi necessitudinem ratus.

c. — Eleganter Chrysostomus in *Catena* Barbati Achilliensis dicit : « Quemadmodum mulieres par« turientes a doloribus discerpuntur, ita eum qui « dolos machinatur, prinsquam alios læserit, ipsum « lacerari ac discerpi et gravissimis tormentis « exerciari contingit. Quare cum doloris acerbi« tatem vellet ostendere parturitionis nomine usus « est. Nam Scripturæ mos est, intolerabiles dolo« res ac cruciatus, doloris ejus quæ est in partu « nomine significare. Sed in muliere prius fit con« ceptio, et deinde dolor; partus hic autem primum « parturit et tunc concipit. Quid autem hoc sibi vult? « Quod illic quidem in tempore partus est dolor; hic « autem dolor est a principio. Simul ac enim quis« piam de malo consultavit, etiam prinsquam in « cogitatione concreverit, tumultus ac perturbatio « est in cogitatione. Hujusmodi enim est peccatum : « Postquam factum et omnino absolutum est, tunc « dolores excitat animæ quæ ipsum peperit, modo « nostræ nativitatis contrario. Etenim nos simul ac « nati sumus, dolores solvimus : illud vero, quam« primum est natum, mentem quæ ipsum peperit « doloribus disrumpit. » Ipsa enim peccati malitia sui pœna est et arcano supplicio in conscientia castigat, quod mente concipit flagitium, quod opere parturit delictum. Divus Chrysostomus hanc veritatem in homine vindicativo exemplificat, inquiens : « Si voluerit quis ulcisci quempiam, vel prior inju« riam facere, vide quot inde mala patitur. Furore « repletur, ab ira discerpitur, movet innumerabi« les fluctus cogitationum, quomodo offendet, quo« modo ulciscetur, et ante eum, quem est injuria « affecturus, seipsum perdit. » S. Ambrosius de homine carnali inquit quod a voluptatibus suis intoxicetur, et ideo a voluptate carnali, licet illis apparenter dulcis et suavis esse videatur, ita scribit :

« Venenum in dentibus habet, unusquisque se « eviscerat luxuriosus. » Et Sapiens, *Prov.*, XXIII, 31, ait : *Cave ne decipiaris, ne deludat te oculus tuus, ne intueris vinum quando flavescit, cum splenduerit in vitro color ejus. Ingreditur blande, sed in novissimo mordebit ut coluber, et sicut regulus venena diffundet.*

VERSUS 22.

Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis, iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum, gaudium vestrum nemo tollet a vobis.

Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis.

1. — Valde consideranda hic est dictio illa *nunc*, per hanc enim Christus insinuare velle videtur, quod quoadusque hoc vitæ tempus duraverit, quod in comparatione æternitatis, veluti *nunc* quoddam est, duratura quoque sit tristitia, id est, ærumnæ, necessitates, miseriæ, tentationes et pericula; at vero deinceps gaudia consequentur æterna, quæ a nulla unquam adversitate, aut fastidio interrumpentur; siquidem, *Apoc.*, XXI, 4 : *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum et jam non erit amplius, neque luctus*, etc. *Non meminit pressuræ propter gaudium.* Ubi S. Thomas bene notat quod : « Non « dicit, non erit pressura, sed quoniam *non meminit* « *pressuræ*; quia etsi Sancti recordentur miseria- « rum, quas passi sunt, cum in illa beatitudine « gloriæ erunt, non tamen aliquid miseriarum ex « hoc in affectu experientur. » Recordabuntur quidem ærumnarum, quas sustinuerunt, sed ad majus inde percipiendum gaudii incrementum : *Lætati sumus pro diebus, quibus nos humiliasti; annis, quibus vidimus mala. Psal.* LXXXIX, 15.

Iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum.

2. — Ad apparitiones alludit, quibus se post suam resurrectionem Apostolis suis exhibiturus erat, ad pellendam ab illorum cordibus omnem tristitiam, quam in ipsius passione et morte presenserant; et ideo, *gavisi sunt discipuli viso Domino.*

3. — Deus noster gaudet nonnunquam in eo, quod servos suos per spiritus ariditatem et desolationem probet et tentet : *Nunc quidem tristitiam habetis*; non tamen illos longo tempore affligi permittit ei, et ideo dicit : *Iterum autem videbo vos et gaudebit cor vestrum*; iterum revertitur, ut animas sibi dilectas, per consolationum suarum suavitatem intime consoletur : « Non permittit tentari supra id « quod possumus, sed facit cum tentatione proven- « tum. »

4. — Consideranda quoque sunt verba illa : *Et gaudebit cor*; neque enim gaudium istud in aliquo extrinseco futurum esse dicit, id est, in risu, vel in alio quodam apparenti jubilo, sed intrinsecus in corde, ac proinde David ad Deum conversus dicebat : *Dedisti lætitiam in corde meo.* Ubi Chrysostomus ait : « Nam dixit simpliciter lætitiam, sed *in* « *corde meo*, ostendens in rebus externis non esse « lætitiam; hæc enim lætitia non est cordis, sed « oculorum. » Solus Deus et gratia ipsius, cor nostrum vero gaudio lætificare potest.

5. — S. Augustinus, *super Psal.* XLVIII, optime notat, quod S. Paulus dixerit : *Quasi tristes, semper autem gaudentes*; « non dicit Apostolus : *Quasi gau-* « *dentes*, quia gaudium nostrum non habet quasi. »

Gaudium vestrum nemo tollet a vobis.

6. — Lucas Brugensis Christum his verbis dicere voluisse asserit, se gloriosum et immortalem resuscitandum adeoque morti deinceps nequaquam subjiciendum esse et consequenter discipulos nunquam habituros esse occasionem, ut hac de causa tristentur. « Erit gaudium illud vestrum, de me perpe- « tuum, quod nulla adversitas turbare queat, quia « nec miseriis hujus vitæ, nec mortis ero amplius « obnoxius, quippe resuscitatus ad vitam immorta- « lem et beatam. »

7. — Toletus eamdem habet expositionem, dum ait : « Quia gaudium ipsorum est ipse Jesus; » et ideo verissimum, quod gaudium hoc illis auferendum non sit, siquidem Apostolus ait : *Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur.* Eadem quoque fuit S. Cyrilli observatio, scilicet gaudium de resurrectione Christi stabile et permanens in nobis futurum esse, cujus hanc reddit rationem : « Nam si Christi mors mœstitiam « nobis attulit, quis gaudium tollet a nobis; qui « scimus eum vivere et jugiter spiritualium nobis « bonorum datorem et largitorem. »

8. — Cajetanus ait : « Firmitas interna gaudii « significatur tanta, quod nulla persecutio suffice- « ret ad tollendum ab eis ipsorum internum gau- « dium; » quibus verbis gaudium hoc spirituale per adventum Spiritus Sancti in cordibus ipsorum stabiliendum esse indicat : « Dixit hoc ad significan- « dum, quod futurum eorum gaudium adveniente « Spiritu Paraclelo, non erit instabile, sicut gau- « dium, quod habuerunt hactenus; de præsentia « Christi enim mundus abstulit ab eis, illamet « nocte. »

9. — Alcuinus per hoc stabilitatem et perpetuitatem gloriæ intelligi asserit : « In illa visione per- « petuæ gloriæ gaudebit cor vestrum et gaudium « vestrum nemo tollet a vobis, quia ibi nullus « adversarius, nullus persecutor, nemo qui tristi- « tiam ingerat animis vestris, dum videtur Deus « deorum in Sion. » S. Thomas, *in Joan.*, ait : « De « gloriæ fruitione intelligit, cum hoc gaudium sit « inamissibile et perpetuum. *Isa.*, XXXIV, 10 : *Læti-* « *tia sempiterna super capita eorum*; nemo enim « sibimet hoc gaudium tollet per peccatum, cum « uniuscujusque voluntas sit ibi in bono confirmata.

« Nemo enim alteri hoc gaudium tollet, cum ibi « nulla sit violentia, nulla illatio nocumenti. » Inter alias ærumnas, quas in hac lacrymarum valle quotidie experimur, una eademque valde considerabilis est, omnium felicitatum humanarum instabilitas atque caducitas. S. Propheta David, qui in honoribus, thesauris, successione, totiusque mundi æstimatione Rex fuit prosperrimus et fortunatissimus, se tamen in hac vita nequaquam lætari posse putabat, præterquam ex sola spe, quam habebat, se cœlestem Hierusalem aliquando ingressurum esse : *Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus*; et quidem, ut gaudii sui motivum magis specifice exprimat, subjungit : *Stantes erant pedes nostri in atriis tuis Jerusalem.* S. Bernardus, *Serm. de fallac. præs. vit.*, gaudium de his terrenis rebus conceptum, instabilitatem perpetuam adjunctam habere nequaquam miratur, quia « gaudium « in re convertibili necesse est mutari re mutata; » unde si gaudium aliquod in numerosa fundetur filiorum multitudine, vel in certa quadam dignitate et magnificentia, vel in divitiarum copia, vel in carnali quodam amore ac voluptate, deficiet utique; siquidem hæc omnia continuæ mutationi et variabilitati subjecta esse noscuntur; unde Chrysostomus, *Hom.* XVI *de Antioch.*, ait : « Breve verbum, sed « multam habet consolationem. » Quidnam tandem est? *Nemo gaudium vestrum tollet.* Idem S. Doctor, ut idipsum majori cum perspicacitate exponat, ulterius rem hanc prosequitur et dicit : Quod si quis pecuniarum sit dives, hæ furto surripi possunt; si quis multa possideat territoriorum dominia, hæc simul multa sollicitudines, anxietates, suspiciones et inquietudines annexas habent et tandem in fine vitæ simul deficiunt; si quis magna conspicuus sit pulchritudine, sanitate et corporis robore, unica infirmitas hæc omnia facile alterat et sic consequenter de omnibus hujus vitæ bonis discurrere licet; at vero gaudium, quod nobis vel gratia et amicitia Dei, vel bonæ conscientiæ, bonorumque operum fructus ministrat, ad æterna nos gaudia secure perducit, quia neque hæc deficient in sempiternum. Porro S. Petrus Apostolus, qui in monte Thabor veluti per rimam quamdam, aliquod splendoris gloriæ cœlestis vestigium percipere potuit, illud ipsum hoc modo nobis describit, I *Epis.*, I, 3 : *Regeneravit nos in spem vivam per resurrectionem JESU Christi ex mortuis, in hæreditatem incorruptibilem et incontaminatam, et immarcescibilem, conservatam in cœlis in vobis.*

10. — Dionysius Carthusianus hac de re ita scribit : « Gaudium vestrum spirituale nemo tollet a « vobis, quia non solum in prosperis, sed etiam in « adversis gaudebitis. » Servi Dei etenim eo ipso, quo in gratia Dei sunt constituti, etiam in summo adversitatum culmine positi, in cordibus suis gaudio abundant et jubilant. Unde S. Chrysostomus, *Hom.* XV *in Matth.*, ait : *Cum nullis stimulis conscientiæ animus pungitur, magno semper fruitur gaudio*; et ideo etiam in Proverbiis, XV, 15, dicitur : *Secura mens quasi juge convivium.* Et S. Augustinus inquit : « Non potest quisquam fraudari delectationibus « suis, cui Christus est gaudium, æterna enim exul- « tatio est, quæ bono lætatur æterno. » Sanctus ille Eremita causam interrogatus, cur tanto esset gaudio et jucunditate semper perfusus, respondit : « Christum a me tollere nemo potest; » nulla enim totius mundi potentia Deum nobis, ejusque gratiam et amicitiam, quacumque etiam adhibita violentia, potest eripere, nisi id sponte nostra permittere velimus, siquidem jacturam hanc solum nobis peccatum potest afferre, hoc autem sine consensu et voluntate nostra committi non potest.

Additiones.

a. — *Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis, iterum autem videbo vos*, etc. Immodicam horum discipulorum de Christi absentia fuisse tristitiam, asserit D. Cyrillus, *lib.* X, *cap.* XXXIX, cum sic loquentem introducit Christum : « Magno vos dolore « moveri sentio, quia ego abire constitui. Nec id « injuria, præsertim cum magnas vobis futuras « tentationes audieritis. » Imo ipsa dulcissimi Jesu absentia, tribulatio maxima fuit. Quem enim cordatum non graviter affligeret absentia ejus, ex cujus præsentia omne bonum, omnemque consolationem hauriret? *Numquid possunt lugere filii Sponsi, quandiu cum eis est Sponsus?* ait Christus. Interim cum in brevi hanc tristitiam finiendam audiunt, inde maxime solantur et ad fortiter ferendam exstimulantur. Hoc enim est quod ad ultroneæ perferendas tribulationes animat; si consideremus eam brevi duraturam, respectu præmii æterni. *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis*, dicit Apostolus, *Rom.*, VIII, 18. Ab hoc oraculo nulla datur exceptio. Cum enim aliquot vicibus raptus fuerit B. Paulus in cœlum et judex competens est eorum quæ scribit Romanis et oculatus eorum testis est quæ nobis communicat. Oportebat hic contexere catalogum omnium tribulationum, afflictionum et ærumnarum, quas passi et perpessuri sunt Confessores, omnium insuper tormentorum quæ subiere et subibunt Martyres ad mundi finem usque et ponere in bilance hæc verba : *Passiones hujus temporis* quæ immensum habent temporis latitudinem, nam hoc usque numeramus sex millia, sexcentos, septuaginta tres annos et postea concludere : *Non sunt condignæ*, etc. Idem Apostolus alio in loco asserit : *Momentaneum hoc et leve tribulationis nostræ æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Imperceptibiles ac inexplicabiles sunt sudores, labores, tormenta, opprobria, improperia quæ sustinuerunt Apostoli, præcipue vero S. Paulus, hanc sibi attri-

buens excellentiam : *Plus omnibus laboravi*, nihilominus sufficiebat Apostolo pro consolatione sua obtutus unius duntaxat stillæ ex infinito illo torrente gaudiorum, totam Dei inundante civitatem : *Momentaneum hoc et leve*. Ut exprimeret acerbissimos quos tolerabat dolores, fatebatur se quotidie agonisare : *Quotidie morior;* unico nihilominus cœli intuitu se consolabatur : *Momentaneum hoc et leve*, etc. « Nihil dignum perpeti se in hoc tempore pro tanlæ gloriæ spe atque expectatione censebat, » ait S. Ambrosius.

b. — Quidem verum est quod Salvator noster hic loquatur in certa temporis circumstantia, nempe, *videbo vos* post aliud modicum, scilicet post mortem meam seu breve tempus a morte mea ; sed quod dicat, *videbo vos*, sensum nonnihil torquet anagogicum, quasi intelligi possit de æterna beatitudine ; unde non dicit, *videbitis me*, sed ait, *videbo vos*, quia pisi ipse se præsentem exhiberet, adhuc eum videre non possent, sed *videbo vos* in gloria mea sicut ante vidi in vita mea, et tunc *gaudebit cor vestrum* gaudio maximo, quo ex divinæ faciei meæ aspectu perfundemini, utpote in qua omnigena pulchritudo videtur. Anima enim revelata facie vultum illum intuebitur qui Paradisum lætificat et electos beatos efficit. Unde S. Augustinus dicit : « Hæc est plena beatitudo et tota glorificatio hominis, videre faciem Dei sui, videre eum qui fecit cœlum et terram, videre eum qui fecit eum, qui salvavit eum, qui glorificavit eum. Videbit eum cognoscendo, amabit diligendo, laudabit possidendo. » Ab hac autem cognitione, ab hac possessione et amore, lætitia quædam et gaudium infinitum in eum derivabitur, ac proinde S. Bernardus, qui et mellifluus dicitur, hunc in modum meditatur : « Delectabilis est ad videndum, suavis ad habendum, dulcis ad perfruendum. » Angelicus quoque Doctor de beatitudine disserens excessivum hoc gaudium, quod animæ in continua illa, nec unquam intermissa aut interrupta Dei visione communicabitur, sequentibus verbis explicare satagit : « Ibi anima valde delectabitur in continua visione delectabilis vultus Dei, de qua dicit Glossa super Psalmum, quod visione nihil delectabilius, quia semper amabunt quem semper videbunt. In ea tanta est delectatio, quod, teste S. Augustino, si possent mali, mallent esse in pœnis et Deum videre quam esse extra pœnas et Deum non videre ; illa enim facies delectabiliter mirabilis est et plena gratiarum. »

c. — *Et gaudium vestrum nemo tollet a vobis.* Gaudium illud nemo tollet a vobis, ita ut gaudium illud nullum finem habiturum sit. Opponit enim in cœlo Apostolorum gaudium futurum, gaudio mundi quod hac vita terminatur. Ac proinde non dixit simpliciter : Gaudium vestrum perpetuum erit, sed : *Gaudium vestrum nemo tollet a vobis*, ut ad gaudium alluderet hujus vitæ, quod multa tollunt, multa perturbant. S. Bernardus serenitatem cœlestis gloriæ adeo imperturbabilem esse asserit, ut neque a pœnarum infernalium, quas reprobi sustinent, atrocitate vel minimum obfuscari possit. « Abeit autem, » inquit, « ut vel eos qui ignibus æternis, cum diabolo et angelis ejus deputandi sunt, plangat et defleat in illa civitate, quam fluminis impetus lætificat, cujus et diligit Dominus portas super omnia tabernacula Jacob, quod videlicet in tabernaculis, et si quando gaudet de victoria, laborat tamen in pugna, et plerumque periclitatur de vita ; in illa autem patria nulla prorsus admittitur adversitas, sive tristitia, quemadmodum de illa canit : *Sicut lætantium omnium nostrum habitatio est in te.* » Similiter S. Augustinus de illa beata vita sic scribit : « O vita vitalis, vita sempiterna, et sempiterne beata ! Ubi gaudium sine mœrore, requies sine labore, dignitas sine tremore, opes sine amissione, sanitas sine langore, abundantia sine defectione, vita sine morte, perpetuitas sine corruptione, beatitudo sine calamitate ! » Angelicus Doctor pariter in quodam opusculo suo, de beatitudine inquit : « Ubi nemo turbat alium, sed *sedebit*, dicit Dominus per Isaiam, *populus meus in pulchritudine pacis.* Quoniam teste Psalmo CXLVII, 2, *confortavit seras portarum* Jerusalem, *et benedixit filiis suis in eo.* »

DOMINICA QUARTA POST PASCHA

EVANGELIUM JOANNIS, CAP. XVI, VERS. 5

5. Vado ad eum, qui misit me, et nemo ex vobis interrogat me, quo vadis ?
6. Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum :
7. Sed ego veritatem dico vobis ; expedit vobis, ut ego vadam ; si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos ; si autem abiero, mittam eum ad vos.
8. Et cum venerit ille, arguet mundum de peccato, et de justitia, et de judicio.
9. De peccato quidem, quia non crediderunt in me.

10. De justitia vero, quia ad Patrem vado, et jam non videbitis me.
11. De judicio autem, quia princeps hujus mundi jam judicatus est.
12. Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo.
13. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem ; non enim loquetur a semetipso, sed quæcumque audiet, loquetur, et quæ ventura sunt, annuntiabit vobis.
14. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis.

VERSUS 5.

Vado ad eum, qui misit me ; et nemo ex vobis interrogat me, quo vadis?

Vado ad eum, qui misit me.

1. — Hoc Evangelium ex sermone, quem Redemptor noster in ultima cœna ad discipulos peroravit, desumptum fuit, eoque sancta Mater Ecclesia ad vicinam Christi Ascensionem nobis annuntiandam uti consuevit. Unde Albertus Magnus dicit quod verba illa : *Vado ad eum, qui misit me*, hunc sensum habeant, ac si diceret : *Redeo ad Patrem*, adducitque illum Tobiæ, XII, 12, textum : *Tempus est, ut revertar ad eum, qui misit me.*

2. — Hugo Cardinalis multa hujus Christi ad Patrem reditus motiva adducit. « *Primo*, quasi de triumpho gratias acturus. *Secundo*, quasi amicos curiæ commendaturus et petitiones nostras delaturus, et causam nostram defensuros. *Tertio*, loca nostra præparaturus : *Vado parare vobis locum.* *Quarto*, vadit, mentes nostras ad superna elevaturus : *Cum exaltatus fuero a terra omnia traham ad meipsum. Quinto*, vadit inimicos ad Patrem accusaturus, nisi pœnituerint. *Sexto*, vadit, quasi de victoria mercedem recepturus. *Septimo*, vadit stipendia militibus suis collaturus : *Ascendens in altum capticam duxit captivitatem.* »

Et nemo ex vobis interrogat me, quo vadis?

3. — Enimvero Christus hoc loco sibi prima facie contradicere videtur ; siquidem, *Joan.*, XIII, 36, Petrus eum interrogavit dicens : *Domine, quo vadis?* et *cap.* sequenti S. Thomas pariter dixit : *Domine, nescimus quo vadis et quomodo possumus viam scire?* Respondet Lucas Brugensis : « Priusquam accipe- rent clarum responsum, destiterant quærere ; » Christus autem aliquam ab ipsis in eo quærendo sollicitudinem expectabat. Euthymius S. Petrum Dominum de loco, ad quem ibat, interrogasse dicit ; Christus autem ab eo audire desiderabat, ut quæreret : « Quid agis ? Oportuit discipulos dicere : « Quo vadis? sive, quid agis, nos derelinquens? » Quod Lucas Brugensis similitudine amici alicujus declarat, qui alium amicum, quem magnopere diligit, discessum parare videns, multiplicatas apud ipsum instituit instantias, seu quæstiones, ut sciat quo et quid facturus abeat? « Improperat itaque suaviter, quod non agant amicorum more, qui amicum longe abeuntem interrogare solent de via, de mediis, de loco, de rebus illic agendis, aliisque hujusmodi et ex illis consolationem satisfactionemque acciperc. »

4. — Rupertus Abbas, *lib.* XII *in Joan.*, eos jam antea Christum, quo iter, interrogasse sustinet, quando nimirum adeo se promptos jactabant atque paratos subsequi etiam in carceres et mortem, nihilominus Christum, qui eos, post tot etiam instantias et promissiones, turpiter in sequela defecturos noverat, prædicta verba subjunxisse : *Et nemo ex vobis interrogat me ;* unde concludit : « Bene ergo ait : *Et nemo ex vobis interrogat me, quo?* videlicet illam sollicitudinem suam suavi redarguitione prænuntians, de qua postmodum dicturus est : *Amen venit hora, ut dispergamini omnes et me solum relinquatis ;* tunc enim revera nullus ex eis dixit : *Quo vadis?* quia neminem velle vel posse eum sequi fugs declaravit. »

5. — S. Thomas, *in Joan.*, duas affert solutiones : primam D. Chrysostomi, secundam S. Augustini. Primus dicit, Apostolos ex prædictione persecutionum, quas passuros esse prædixerat, obstupefactos prorsus hæsisse et mente attonitos : « Ita tristati et attoniti facti, ut quasi obliti de recessu Christi, et locutionem amittentes, eum de suo recessu non interrogarent. » S. Augustinus vero in Tractatu XCIV super Joannem in ea est sententia, quod verbum *Vado*, non ad mortem, sed ad Ascensionem ipsius, relationem dixerit : « Vel quia interrogaverunt eum, quo esset iturus et responderat eis, se iturum, quo ipsi tunc venire non possent, nunc ita se promittit iturum, ut nullus eorum, quo vadat interroget ; euntem enim in cœlum non verbis, sed oculis deduxerunt. »

6. — Toletus Christi conquerentis, vel eos reprehendentis ratione adducit : « Quam objurgationem Dominus propterea adhibet, ut causa exposita sui discessus, eos mirum in modum consoletur et instruat. »

7. — Jansenius moralitates aliquas in medium affert, quas ex his verbis deducere possumus. Prima est, quod nimia tristitia et turbatio sæpe nobis obsistat, quo minus ea quæramus, quæ saluti nostræ spirituali sunt expedientia. « Atque ob id pulso procul hujusmodi mœrore, graviter inquirendum in Scripturis, quo Dominus abierit et

UNIVERSIDAD DE MONTERREY DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

buens excellentiam : *Plus omnibus laboravi*, nihilominus sufficiebat Apostolo pro consolatione sua obtutus unius duntaxat stillæ ex infinito illo torrente gaudiorum, totam Dei inundante civitatem : *Momentaneum hoc et leve*. Ut exprimeret acerbissimos quos tolerabat dolores, fatebatur se quotidie agonisare : *Quotidie morior;* unico nihilominus cœli intuitu se consolabatur : *Momentaneum hoc et leve*, etc. « Nihil dignum perpeti se in hoc tempore pro tanlæ gloriæ spe atque expectatione censebat, » ait S. Ambrosius.

b. — Quidem verum est quod Salvator noster hic loquatur in certa temporis circumstantia, nempe, *videbo vos* post aliud modicum, scilicet post mortem meam seu breve tempus a morte mea ; sed quod dicat, *videbo vos*, sensum nonnihil torquet anagogicum, quasi intelligi possit de æterna beatitudine ; unde non dicit, *videbitis me*, sed ait, *videbo vos*, quia pisi ipse se præsentem exhiberet, adhuc eum videre non possent, sed *videbo vos* in gloria mea sicut ante vidi in vita mea, et tunc *gaudebit cor vestrum* gaudio maximo, quo ex divinæ faciei meæ aspectu perfundemini, utpote in qua omnigena pulchritudo videtur. Anima enim revelata facie vultum illum intuebitur qui Paradisum lætificat et electos beatos efficit. Unde S. Augustinus dicit : « Hæc est plena beatitudo et tota glorificatio hominis, videre faciem Dei sui, videre eum qui fecit cœlum et terram, videre eum qui fecit eum, qui salvavit eum, qui glorificavit eum. Videbit eum cognoscendo, amabit diligendo, laudabit possidendo. » Ab hac autem cognitione, ab hac possessione et amore, lætitia quædam et gaudium infinitum in eum derivabitur, ac proinde S. Bernardus, qui et mellifluus dicitur, hunc in modum meditatur : « Delectabilis est ad videndum, suavis ad habendum, dulcis ad perfruendum. » Angelicus quoque Doctor de beatitudine disserens excessivum hoc gaudium, quod animæ in continua illa, nec unquam intermissa aut interrupta Dei visione communicabitur, sequentibus verbis explicare satagit : « Ibi anima valde delectabitur in continua visione delectabilis vultus Dei, de qua dicit Glossa super Psalmum, quod visione nihil delectabilius, quia semper amabunt quem semper videbunt. In ea tanta est delectatio, quod, teste S. Augustino, si possent mali, mallent esse in pœnis et Deum videre quam esse extra pœnas et Deum non videre ; illa enim facies delectabiliter mirabilis est et plena gratiarum. »

c. — *Et gaudium vestrum nemo tollet a vobis.* Gaudium illud nemo tollet a vobis, ita ut gaudium illud nullum finem habiturum sit. Opponit enim in cœlo Apostolorum gaudium futurum, gaudio mundi quod hac vita terminatur. Ac proinde non dixit simpliciter : Gaudium vestrum perpetuum erit, sed : *Gaudium vestrum nemo tollet a vobis*, ut ad gaudium alluderet hujus vitæ, quod multa tollunt, multa perturbant. S. Bernardus serenitatem cœlestis gloriæ adeo imperturbabilem esse asserit, ut neque a pœnarum infernalium, quas reprobi sustinent, atrocitate vel minimum obfuscari possit. « Abeit autem, » inquit, « ut vel eos qui ignibus æternis, cum diabolo et angelis ejus deputandi sunt, plangat et defleat in illa civitate, quam fluminis impetus lætificat, cujus et diligit Dominus portas super omnia tabernacula Jacob, quod videlicet in tabernaculis, et si quando gaudet de victoria, laborat tamen in pugna, et plerumque periclitatur de vita ; in illa autem patria nulla prorsus admittitur adversitas, sive tristitia, quemadmodum de illa canit : *Sicut lætantium omnium nostrum habitatio est in te.* » Similiter S. Augustinus de illa beata vita sic scribit : « O vita vitalis, vita sempiterna, et sempiterne beata ! Ubi gaudium sine mœrore, requies sine labore, dignitas sine tremore, opes sine amissione, sanitas sine langore, abundantia sine defectione, vita sine morte, perpetuitas sine corruptione, beatitudo sine calamitate ! » Angelicus Doctor pariter in quodam opusculo suo, de beatitudine inquit : « Ubi nemo turbat alium, sed *sedebit*, dicit Dominus per Isaiam, *populus meus in pulchritudine pacis.* Quoniam teste Psalmo CXLVII, 2, *confortavit seras portarum* Jerusalem, *et benedixit filiis suis in eo.* »

DOMINICA QUARTA POST PASCHA

EVANGELIUM JOANNIS, CAP. XVI, VERS. 5

5. Vado ad eum, qui misit me, et nemo ex vobis interrogat me, quo vadis ?
6. Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum :
7. Sed ego veritatem dico vobis ; expedit vobis, ut ego vadam ; si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos ; si autem abiero, mittam eum ad vos.
8. Et cum venerit ille, arguet mundum de peccato, et de justitia, et de judicio.
9. De peccato quidem, quia non crediderunt in me.

10. De justitia vero, quia ad Patrem vado, et jam non videbitis me.
11. De judicio autem, quia princeps hujus mundi jam judicatus est.
12. Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo.
13. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem ; non enim loquetur a semetipso, sed quæcumque audiet, loquetur, et quæ ventura sunt, annuntiabit vobis.
14. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis.

VERSUS 5.

Vado ad eum, qui misit me ; et nemo ex vobis interrogat me, quo vadis?

Vado ad eum, qui misit me.

1. — Hoc Evangelium ex sermone, quem Redemptor noster in ultima cœna ad discipulos peroravit, desumptum fuit, eoque sancta Mater Ecclesia ad vicinam Christi Ascensionem nobis annuntiandam uti consuevit. Unde Albertus Magnus dicit quod verba illa : *Vado ad eum, qui misit me*, hunc sensum habeant, ac si diceret : *Redeo ad Patrem*, adducitque illum Tobiæ, XII, 12, textum : *Tempus est, ut revertar ad eum, qui misit me.*

2. — Hugo Cardinalis multa hujus Christi ad Patrem reditus motiva adducit. « *Primo*, quasi de triumpho gratias acturus. *Secundo*, quasi amicos curiæ commendaturus et petitiones nostras delaturus, et causam nostram defensuros. *Tertio*, loca nostra præparaturus : *Vado parare vobis locum.* *Quarto*, vadit, mentes nostras ad superna elevaturus : *Cum exaltatus fuero a terra omnia traham ad meipsum. Quinto*, vadit inimicos ad Patrem accusaturus, nisi pœnituerint. *Sexto*, vadit, quasi de victoria mercedem recepturus. *Septimo*, vadit stipendia militibus suis collaturus : *Ascendens in altum capticam duxit captivitatem.* »

Et nemo ex vobis interrogat me, quo vadis?

3. — Enimvero Christus hoc loco sibi prima facie contradicere videtur ; siquidem, *Joan.*, XIII, 36, Petrus eum interrogavit dicens : *Domine, quo vadis?* et *cap.* sequenti S. Thomas pariter dixit : *Domine, nescimus quo vadis et quomodo possumus viam scire?* Respondet Lucas Brugensis : « Priusquam accipe- rent clarum responsum, destiterant quærere ; » Christus autem aliquam ab ipsis in eo quærendo sollicitudinem expectabat. Euthymius S. Petrum Dominum de loco, ad quem ibat, interrogasse dicit ; Christus autem ab eo audire desiderabat, ut quæreret : « Quid agis ? Oportuit discipulos dicere : « Quo vadis? sive, quid agis, nos derelinquens? » Quod Lucas Brugensis similitudine amici alicujus declarat, qui alium amicum, quem magnopere diligit, discessum parare videns, multiplicatas apud ipsum instituit instantias, seu quæstiones, ut sciat quo et quid facturus abeat? « Improperat itaque suaviter, quod non agant amicorum more, qui amicum longe abeuntem interrogare solent de via, de mediis, de loco, de rebus illic agendis, aliisque hujusmodi et ex illis consolationem satisfactionemque acciperc. »

4. — Rupertus Abbas, *lib.* XII *in Joan.*, eos jam antea Christum, quo iter, interrogasse sustinet, quando nimirum adeo se promptos jactabant atque paratos subsequi etiam in carceres et mortem, nihilominus Christum, qui eos, post tot etiam instantias et promissiones, turpiter in sequela defecturos noverat, prædicta verba subjunxisse : *Et nemo ex vobis interrogat me ;* unde concludit : « Bene ergo ait : *Et nemo ex vobis interrogat me, quo?* videlicet illam sollicitudinem suam suavi redarguitione prænuntians, de qua postmodum dicturus est : *Amen venit hora, ut dispergamini omnes et me solum relinquatis ;* tunc enim revera nullus ex eis dixit : *Quo vadis?* quia neminem velle vel posse eum sequi fugs declaravit. »

5. — S. Thomas, *in Joan.*, duas affert solutiones : primam D. Chrysostomi, secundam S. Augustini. Primus dicit, Apostolos ex prædictione persecutionum, quas passuros esse prædixerat, obstupefactos prorsus hæsisse et mente attonitos : « Ita tristati et attoniti facti, ut quasi obliti de recessu Christi, et locutionem amittentes, eum de suo recessu non interrogarent. » S. Augustinus vero in Tractatu XCIV super Joannem in ea est sententia, quod verbum *Vado*, non ad mortem, sed ad Ascensionem ipsius, relationem dixerit : « Vel quia interrogaverunt eum, quo esset iturus et responderat eis, se iturum, quo ipsi tunc venire non possent, nunc ita se promittit iturum, ut nullus eorum, quo vadat interroget ; euntem enim in cœlum non verbis, sed oculis deduxerunt. »

6. — Toletus Christi conquerentis, vel eos reprehendentis ratione adducit : « Quam objurgationem Dominus propterea adhibet, ut causa exposita sui discessus, eos mirum in modum consoletur et instruat. »

7. — Jansenius moralitates aliquas in medium affert, quas ex his verbis deducere possumus. Prima est, quod nimia tristitia et turbatio sæpe nobis obsistat, quo minus ea quæramus, quæ saluti nostræ spirituali sunt expedientia. « Atque ob id pulso procul hujusmodi mœrore, graviter inquirendum in Scripturis, quo Dominus abierit et

UNIVERSIDAD DE MONTERREY DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

« qua ratione illum sequi possimus. » Secunda est, quod docere debeamus nosipsos et proximos nostros : « Non ea debere præstare, quæ sunt suavia et « humana, grata voluntati, sed ea potius, quæ sunt « saluti magis conducentia. » Qua in re optimum nobis Christus exemplum dedit, qui charissimis discipulis suis imminentem suum ab iis discessum non subticuit, tametsi eos exinde magnopere contristandos esse sciret, suam iis præsentiam, quantumvis ab illis summe desideratam, subtrahere voluit, eo quod hunc ab illis discessionem utilem esse sciret, valdeque expedientem. Tertia moralitas est : « Spiritus non esse capaces, qui adhuc carna- « libus et terrenis rebus mente inhærerent. »

8. — Hugo Cardinalis, *in Joan.*, in sensu mystico dicit : « Nos debemus quærere a Domino et *quo* « *vadis*, ut perveniamus; et *qua vadis*, ut imite- « mur. Quidam volunt scire quo vadit, sed non « curant de via qua vadit, sicut Philippus : *Domine* « *ostende nobis Patrem et sufficit nobis.* » Ubi etiam S. Bernardum citat dicentem : « Quam pauci, Do- « mine, post te ire volunt, cum tamen ad te perve- « nire, nemo est, qui nolit. » Ad cœnaculum usque multos sequaces Christus habet, ad Calvariæ vero montem vix ullum.

9. — Christus abiibat, ut pro nostra redemptione passionem subiret et tamen nullus hac de re cogitat, aut mentem suam ad id studiose applicat. Nihil fideles minus cogitant, quam quanti anima nostra, nostraque redemptio, Deo nostro constiterit; ac proinde Ecclesiasticus, XXIX, 20, monet : *Gratiam fidejussoris ne obliviscaris, dedit enim pro te animam suam*, et Apostolus, *Heb.*, XII, 3, ait : *Recogitate eum, qui talem sustinuit*, etc.

10. — Valde quoque utilis foret interrogatio, si quis ex semetipso frequenter sciscitaretur, dicendo : *Quo vadis.* Quo tendunt cogitationes meæ, affectus mei, operationes meæ et tamen hæc finis nostri, ob quem creati sumus, et in quem tendere et collimare debemus, seria consideratio, monachis claustra, deserta anachoretis replevit. De certo quodam viro referunt historiæ, quod, dum ad inferendam Principi suo necem resolutus, in antecamera substitisset, acciderit, quod sublatis in altum oculis, verba illa ibidem scripta legerit : *In omnibus respice finem*, super quæ dum seria mente sese reflecteret, mox a proposito suo et ab omnibus aliis excessibus, quos machinabatur, destiterit.

Additiones.

a. — *Vado ad eum qui misit me et nemo ex vobis interrogat me quo vadis?* Varii varie hunc textum explicant. Toletus sic explicat, ut illud, *quo vadis*, non significet terminum ad quem, sed causam, nempe, qua de causa ad Patrem ita certo se iturum dicat. Dixit autem hæc verba Christus ante suam mortem, qua mediante transitum accepit ad Patrem; nunc autem volebat Christus dicere : Vos mei chari discipuli, nolite credere mortem meam esse casualem et quasi cæco modo ad illam proficiscar, ut non præmediter quorsum tendam. Imo enim via est illuc perveniendi et cum illa mihi sit subeunda, stultum esset, si quis vellet ad gloriam Paradisi alia via pervenire. Gabriel Archangelus, quando suam ad Beatissimam Virginem executus est legationem, de expresso supremi consistorii Sanctissimæ Trinitatis ordine, eidem inter alia exponere debuit sequentia : *Dabit illi Dominus sedem David patris ejus et regnabit. Luc.*, I, 32. At vero qua ratione regnum David suam sumpsit originem? *Convenerunt ad eum omnes qui erant in angustia constituti et factus est eorum princeps.* I *Reg.*, XXII, 2. Ab ærumnis igitur suum sumpsit exordium. Vita autem Christi a quo principio primum cœpit? *In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam; Deus meus volui. Psal.* XXXIX, 9. Ille autem liber est ille idem de quo scribitur : *Liber generationis Jesu Christi filii David.* Christus ipse per os Davidis ait : *Pauper sum ego et in laboribus a juventute mea. Psal.* LXXXVII, 16. Chaldæus vertit : *Expirans ab adolescentia mea.* Alii vertunt : *Moriens, moribundus, agonizans, pene mortuus a puero.* Enimvero S. Thomas de Villanova quærit qualisnam sit ista promissio : *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus et regnabit?* Ubi est, Angele, promissio tua? Ubi sedes et gloria regni? Et postquam aliquousque discurrisset de angustiis et miseriis, quibus Christus a primo conceptionis suæ instanti per totam vitam suam subjectus fuit, tandem ad Mariam Virginem se convertens, ita eam affatur : « Non aspicis caput diademate regis ornatum? « Titulum non conspicis regali e throno pendentem? Non audis multorum Regem acclamantium « voces? Sceptrum non discernis potenti manu de- « fixum? » Ecce quibus meritis æternus Pater Filium suum ad regnum cœlorum evexerit. Voluit illum primo in terra habere regnum quoddam, sed regnum ærumnarum, adversitatum, miseriarum. Crux unica clavis fuit, qua cœlum aperuit, quod alias a die, quo ab omnipotenti Dei dextera fabricatum fuit, universo generi humano firmiter obseratum et clausum permansit. Primus qui illud aperuit, Redemptor noster fuit, sed vulneribus saucius : *Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? Oportuit pati Christum.* Ecce tibi, o Christiane, patientem : *Et ita intrare in gloriam.* Ecce tibi apertum cœlum sed per crucis patibulum.

b. — Non est quod quis interroget Dominum quo vadat, ipse enim omnia juxta exigentiam sapientiæ et providentiæ suæ facit impendere et mensuram : scit quo vadat. An ergo est qui vadat et ignoret quo? Est, et quidem non alius quam peccator, maxime carnalis; hic nescit quo vadat, carnis enim excæcat intellectum, nobisque judicium et

discursum eripiendo, bestiis nos similes reddit. Non inopportunum dubium nasci posset, cur divina justitia, scelerum ultrix, quæ nihil sine mysterio et causa operatur, ut cives Sodomicos, qui ut Angelis a Loth hospitio receptis violentiam inferrent, in procinctu erant, debito supplicio castigaret, eos potius cæcitate percutere quam alteri alicui severiori supplicio subjicere disposuerit? Cur non potius iræ suæ fulmina in eos de cœlo vibravit? Cur terræ, ut eos aperto sub pedibus ore, sicut Dathan et Abiron, dehiscens, in infernum vivos deglutiendos præcipitaret, non imperavit? Respondet S. Ambrosius : « Illud hic ostenditur, quod cæca est omnis libido « et ante se non videt. » Cum enim verissimum semper sit illud Apostoli axioma : *Omnia in figuram contingebant*, divina Sapientia ad nostram eruditionem nobis indicare voluit quod peccatum carnis cæcitatem in animam inducat, in corporali illa Sodomitarum cæcitate præfiguratam. Inter alia flagella, quibus Deus Ægyptum castigavit, etiam tenebræ connumerantur : *Factæ sunt tenebræ horribiles in universa terra Ægypti; tribus diebus, nemo vidit fratrem suum. Exod.*, X, 22. Hæc autem plaga juxta quorumdam sacrorum interpretum expositionem, nono Decalogi præcepto respondebat, quo uxorem alterius concupiscere prohibemur. Sed quænam est inter hanc tenebrarum obscuritatem et jam dictum præceptum proportio? S. Prosper ait : « Quid ergo deterius concupiscentia mala, quæ « ita totam excæcat mentem, ut non tantum timo- « rem Dei quantum etiam ipsas pœnas legum « infamemque mortem oblivioni dans, nihil in « mœcho remaneat luminis, quam non totum oc- « cupent ferales tenebræ. » Quam veritatem S. Chrysostomus, *Hom.* XIII *in Genes.*, in eo quod Sodomitis accidit, exemplificat; hi enim, ut diximus, fuerunt excæcati : « Mentis eorum oculus « excæcatus erat, propter hoc, et visu privati sunt, « ut discant quod nihil sibi prosunt corporales « oculi, si oculi mentis fuerint excæcati. » Enimvero in hac cæcitate positi, cæcos se esse non animadvertebant, quia proprium carnalium hominum supplicium et pœna est, quod discursum instinctum rationis et judicium imperceptibiliter perdant, ideoque se illis destitutos esse minime advertant. Unde S. Ambrosius ait : « Dum in qua- « dam sumus delinquendi libidine, nobilis quibus- « dam insipientiæ mens obducitur, et fumo quo- « dam iniquitatis oculi ejus caligant, ne videat « eorum quæ concupiscit deformitatem. »

c. — Mirabilis certe loquendi modus! Christus Dominus loquebatur de rebus futuris, scilicet de morte sua, de resurrectione, de ascensione, quæ omnino futura erant. Cur ergo non dixit potius : *Vadam*, sed dicit, *vado?* Ideo hoc modo locutum fuisse Christum Dominum mihi quidem videtur, ut ex hoc discamus quod unusquisque apud se dicat, *vado*, et non, *vadam*; id est, jam nunc in hac peccati occasione mortem recogito, ad mortem me præparo, per ejusdem mortis recognitionem hoc vel simile peccatum evitare conabor, mortem mihi semper præsentem repræsentando, quod quidem contra omne peccatum universale quoddam remedium est; ast meditatio sepulchri quod carnalem nostram in putredinem, vermes et cinerem redigit, ad detestandam omnem carnalem delectationem, omnipotens quoddam est remedium. Speculum aliquod faciei applicare simpliciter, sincere et sine fuco videre vos facit vultus vestri deformitatem si quæ illi inest. Si enim illud inspiciatis, non adulabitur, nec mentietur. Quando objectum aliquod amatum aspicitis, sensus lenocinator et fraudulentus vos decipit. Si autem sincerum et veridicum desideretis speculum, sepulchrum inspicite; ibi enim clare et secundum veritatem videbitis quale sit objectum illud, quod dum viveret, adorabatis. Hoc est quod S. Ephrem nos monet, dum ait : « Inclinemus nos ad sepulchra et conditionis « nostræ occulta perspiciamus, ex cadaveribus per- « mixtos ossium acervos, craniaque carnibus exuta, « cum reliquis ossibus cernemus, et hæc conside- « rantes, nosmetipsos in illis velut in speculo con- « templabimur. Ubi juventus flos et pulchritudo? « Ubi venustus ille genarum color? Hæc nobiscum « cogitantes, carnis desideria fugiamus. » Sancta Mater Ecclesia, præcipitem in nobis luxuriæ cursum reprimere volens, in die Cinerum fidelibus sepulchra aperta, cineribusque plena ob oculos ponit, ut cursum illum sistere possit, dicitque : « Memento, homo, quia pulvis es. » Hæc est prima prædicatio, in qua nobis mortis vicinæ, putredinis, et vermium fortem apprehensionem imprimere nititur, ut ad reliquas conciones Quadragesimales cum fructu et devotione auscultandas, tanto magis disponamur. Sanctus Tobias junior, quando ex Raphaelis Archangeli consilio se per vinculum conjugale Saræ filiæ Raguelis, cui septem mariti successive, priusquam cum illis copulata fuisset, mortui fuerant, astrinxerat, audita hac prædecessorum suorum strage, ab omni voluptate et actu conjugali sibi temperans, totam noctem in oratione consumpsit; parentes vero sponsæ, priusquam camera neo-sponsorum aperiretur, certam arbitrantes Tobiæ mortem, jam sepulchrum aperuerant. Cumque parassent fossam, reversus Raguel ad uxorem suam dixit ei : *Mitte unam de ancillis tuis et videat si mortuus est, ut sepeliam eum. Tob.*, VIII, 13. Ex qua historia clare colligitur quantum piis timoratisque hominibus conferat meditatio mortis. Verisimile namque est quod Tobias junior ad septem sponsorum ipsum in eodem matrimonio antecedentium funestam mortem se reflexerit, eo quod prope ipsum sepulti et jam in cineres redacti essent, quodque idipsum ei loco freni deservierit, ad

moderandum juvenilis lasciviæ impetum, ordinandumque in bonum finem contractum a se matrimonium. « Oportune itaque, » dicit S. Ambrosius, « quem memoria mortis a carnali copula retraxe« rat, vivus invenitur, ut discamus nullo salubriori « remedio carnalia coerceri quam sepulchro. »

d. — Christus Dominus dicit, *vado*, de præsenti ut quilibet ex hoc dicat et apud se statuat et dicat semper : *Vado*. Ut præsens hæc vita sit quasi continuus ad mortem cursus, qui tam bene de præsenti terminari potest quam de futuro. Voluit autem Christus, per hoc nobis corporeæ mortis apprehensionem imprimere, ut vitam nobis communicaret spiritualem, mortemque amoveret peccati. Speciale enim est divinæ gratiæ opus, vivam mortis apprehensionem humanis imprimere mentibus, quia ex hac in animam vita redundat; unde ad nostrum spiritualem profectum adaptare possumus verba illa quæ Deus in Deuteronomio, XXXII, 39, ad aliud propositum dixit, videlicet : *Ego occidam et ego vivere faciam*. Quot sunt qui veram animæ vitam, id est, divinam gratiam sibi compararunt, solam mortis contemplando faciem? Anna mater Samuelis in cantico suo ait : *Dominus mortificat et vivificat, deducit ad inferos et reducit*. Quod idem est ac si diceret : Quando Deus nobis cogitationes imprimit mortis, tunc divinæ suæ gratiæ vitam nobis impertitur. Quando nos per seriam meditationem descendere facit in infernum, tunc nos inde eruit. Apud Ezechielem, XXXVII, sequens visio describitur : *Dimisit me*, scilicet Deus, *in medio campi, qui erat plenus ossibus et circumduxit me per ea in gyro; erant autem multa valde super faciem campi, siccaque vehementer, et dixit ad me : Fili hominis, putasne vivent ossa ista? Et dixi : Domine Deus meus, tu nosti. Et dixit ad me : Vaticinare de ossibus istis, et dices eis : Ossa arida, audite verbum Domini*. Plura quid quæritis? Subito se invicem illa uniere ossa, revixere carnes, resuscitata sunt cadavera et respirare cœperunt, eodem in hæc verba attestante Propheta : *Et prophetavi sicut præceperat mihi, et ingressus est in ea spiritus, et vixerunt*. Heu quot quantosque in cadavera versos et spiritualiter mortuos hodie est reperire, de quibus ita discurrit S. Ambrosius, *lib.* I *in Luc.*, VII : « Quis iste tumulus « tuus, nisi mali mores? Tumulus tuus perfidia « est; sepulchrum tuum guttur est, sepulchrum « enim patens est guttur eorum unde verba mor« tua proferuntur. Ab hoc te sepulchro liberat « Christus, ab hoc tumulo surges, si audias verbum « Dei. » Tunc autem efficax atque omnipotens a peccati morte resuscitando divina vox est, quando oculos nostros, principaliter autem cor in horridam conjicimus mortis speciem; ita quoque hodie pluribus contingit, qui secundum corpus quidem vivi, secundum animam vero mortui, si ex pulpitis efficaciam auscultent vocis divinæ, ipsum mortis horrorem repræsentantis, horribile funestumque hujusmodi intuiti spectaculum, vitia culpasque deponunt et vitam spiritualem, id est, divinam gratiam recuperant.

e. — Non dixit Christus, *vadam*, sed *vado*, id est, jam me nunc ad mortem præparo ac dispono; nec enim cuique fas est dicere : Me præparabo aut disponam. Dicebat Christus Dominus suis discipulis : *Filioli, adhuc modicum vobiscum sum*. Joan., XIII, 32, non ait, *vobiscum ero*, sed de præsenti, *vobiscum sum*. Noster divinus Magister mortem non ut futuram, sed ut præsentem habebat ante oculos, ut nos Magistrum imitantes, in ejus semper consideratione versemur. Experientia teste non timetur, imo diligitur persona ista quacum per longum temporis spatium magnam quis habuit familiaritatem, habuit et amicitiam; idem omnino, in se sentiunt et experiuntur illi, qui dum viverent, morte familiariter usi sunt, frequenter cogitando et desiderando, quia ut Idiota scribit : « Qualem « mors invenit hominem, talem homo invenit mor« tem. » Si proinde cum ea nos familiariter conversati fuerimus, nequaquam ab illa offendi timebimus. Ratio formidandi mortem non potest alia esse, præterquam culpa, quæ nos ad æternam condemnat mortem. Ast qui semper, continueque mortem meditatur, quasi impossibile est ut mortalis culpæ maculetur ævo, dicente S. Ephrem : « Qui semper « mortis recordatur, raro aut nunquam peccabit. »

f. — Interpres quidam in sensu mystico hæc verba pulchre ad nostram explicat instructionem, dicens : « Nos debemus quærere a Domino et *quo vadis*, ut « perveniamus; et *qua vadis*, ut imitemur. Quidam « volunt scire quo vadit, sed non curant de via qua « vadat, sicut Philippus : *Domine, ostende nobis Pa« trem et sufficit nobis*. » Ubi etiam S. Bernardum citat, dicentem : « Quam pauci, Domine, post te ire « volunt, cum tamen ad te pervenire non est qui « nolit. » Ad cœnaculum usque multos sequaces Christus habet; ad Calvariæ vero montem vix ullum. Christus abibat, ut pro nostra redemptione passionem subiret; et tamen nullus hac de re cogitat, aut mentem suam ad id studiose applicat. Nihil fideles minus cogitant, quam quanti anima nostra, nostraque redemptio Deo constiterit; ac proinde Ecclesiasticus, XXIX, 20, monet : *Gratiam fidejussoris ne obliviscaris, dedit enim pro te animam suam*. Et Apostolus ait, *Heb.*, XII, 3 : *Recogitate eum, qui talem sustinuit pro peccatoribus adversus semetipsum contradictionem*. Christus autem sollicite a nobis requirit, ut passionem ejus attente meditemur quod ex institutione Eucharistiæ evidentissime apparet, quam ad ultimum usque reservavit. Nam *in qua nocte tradebatur accepit panem*, etc. Cujus rationem Apostolus assignat, dum Christum in hæc verba loquentem introducit : *Hoc facite in meam commemorationem*. At vero in cujus rei commemorationem

sacramentum hoc consecrandum erat? Num forte illud in Incarnationis suæ, vel Resurrectionis, vel Ascensionis, vel Nativitatis ipsius memoriam fieri volebat? Nequaquam, horum enim mysteriorum nulla prorsus ibi fit mentio, sed solum Apostolus mortis Christi meminit, dicens : *Quotiescumque manducabitis panem hunc et calicem Domini bibetis, mortem Domini annuntiabitis*. Ubi Syriaca : *Mortem Domini ad memoriam revocabitis*. Voluit igitur Salvator noster Sacramentum istud in Ecclesia sua asservari, ut quotiescumque istud sive publice expositum, sive in sacrificio incruento immolatum, sive in communi distributum veneramur, semper commemorationem faciamus illorum, quæ ex immenso suo erga nos amore, in sua passione pro nobis sustinuit. Neque sine mysterio infinitam Majestatem suam sub sacramentalium accidentium cortinis occultare voluit; hoc enim fecit, ut humilitatem et vilipendium, cui se morte sua subjecit, tanto magis recolere et exercere possemus. In solemnitate Corporis Christi sub Matutino, ex S. Thoma Aquinate sequentia verba leguntur : « Corpus tuum pro nos« tra reconciliatione, in ara crucis hostiam obtulit « Deo Patri; sanguinem suum fudit in pretium « simul et lavacrum. Ut autem tanti beneficii jugis « in nobis maneret memoria, corpus suum in ci« bum et sanguinem suum in potum, sub specie « panis et vini sumendum fidelibus dereliquit. »

g. — Volebat hisce verbis Christus Dominus discipulis suis repræsentare et in memoriam revocare beneficium Redemptionis nostræ. Dum enim dicit, *vado ad eum qui misit me*, indicare volebat quod ad mortem, quæ viam, et sibi et nobis sterneret ad Patrem, iret, idque voluntarie et spontanee. Miratur autem quod nemo interroget eum quorsum vadat, cum tanta sit causa interrogandi, ut tantum agnoscatur beneficium, sicque animus excitetur ad persolvendum gratitudinis tributum, quod Deo acceptissimum est sacrificium. Hoc sacrificium, ut ex Psalmo sexagesimo octavo colligitur, incomparabiliter acceptius est quam erant olim vituli quantumvis juvenci prout his verbis testatur : *Laudabo nomen Domini cum cantico et magnificabo eum in laude*. Sed quo tractu id faciet? *Et placebit Deo super vitulum novellum, cornua producentem et ungulas*. Volvite circumquaque oculos et revolvite memoria omnia sacrificia, holocausta et victimas, tot sæculis in antiqua lege oblatas, solum hoc sacrificium laudum et gratiarum longa intercapedine omnes alias victimas superexcedere invenietis : « Et pla« cebit Deo ista laus, » inquit Hugo Cardinalis, « plus quam sacrificia legis, in qua offerebatur « vitulus unius anni. » P. Michael de Bononia, Carmelitanus, oblationes antiquitus in sacrificiis factas, Deo solum gratas fuisse observat propter devotionem offerentis, ac proinde subjungit : « Sed sacri« ficium laudis cum cantico, id est, ex devoto corde « procedentis, ratione sui Deo est acceptum; et hoc « est quod hic dicit, quod sic laudare Deum cum « cantico placebit Deo super vitulum, id est, magis « quam sacrificium vituli. »

h. — Frustra esset si quis interrogaret Dominum quorsum vadat; cum ipse omnia sapientissime et prudentissime operetur, scit quo vadat. Estne aliquis qui vadat et nesciat quo? Est et quidem præ cæteris peccatoribus vir iracundus. Ira enim intellectum excæcat, absorbet discursum et rationem et iratum stulto similem efficit. S. Joannes Climacus hominem iracundum his verbis instruit : « Coerce « iram, ne mente excidas; castiga et retunde « excandescentem animum, est enim insaniæ pa« rens, qui modum omnem excedit. » Quod si quis cor hominis iracundi explicare posset, quemadmodum pannus aliquis explicatur et panditur, sine dubio intus præter stultitiam nil aliud reperiretur, teste S. J. Climaco, qui ait : « Si cor iracundi expli« caveris, deprehendes insaniam. » S. Augustinus ad inordinatam hanc passionem fugiendam, in sermone nono *ad Fratres*, nos exhortans, his verbis utitur : « Fugiamus iram, rationem suffocat, mensuram « justitiæ ignorat, solem justitiæ nescit, amicitias « rumpit, de facili aufert pacem mentis, sapientiam « calcat, sapientes infatuat, gravitatem in Pastori« bus dilacerat. » Observandum vero, quod primus effectus iræ quem S. Augustinus recenset, sit luminis rationis et discursus turbatio, unde postea omnem malum promanat.

Versus 6.

Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum.

1. — Rupertus Abbas Tuitiensis existimat hanc tristitiam Apostolorum non provenisse ex conceptu, quem sibi de ejus ad Patrem ascensione formaverant, siquidem, ut S. Lucas refert, post Christi in cœlos ascensionem, omnes hilares et læti a monte Oliveti fuere reversi : *Regressi sunt in Jerusalem cum gaudio magno*. « Vera ergo ratio postulat, de « via, vel transitu passionis ejus hoc dictum intel« ligi, de quo et Evangelista superius : *Sciens Jesus, « quia venit hora, ut transeat ex hoc mundo ad « Patrem*. »

2. — S. Bonaventura verbum illud, *implevit*, considerans, dicit : « Patet vehementia tristitiæ, « quia implevit; patet intimitas ejusdem, quia « implevit corda, ex hoc patebat intentio amoris « discipulorum ad Christum, quia secundum quan« titatem amoris boni amati, est quantitas tristitiæ « de amissione, vel absentatione. »

3. — Albertus Magnus tristitiam hanc in amore nimio, quo erga sacrosanctam illam ferebantur humanitatem, fundatam fuisse existimat : « Quia « nimis de præsentia mea corporali gaudetis et

« contra illam nihil audire potestis; » unde tale quis facere potest argumentum : Quod si Apostoli de remotione seu ablatione corporalis Filii Dei præsentiæ, quæ illis sine ulla ipsorum culpa, imo cum magno eorum profectu accidit; siquidem Christus subjungit protinus : *Expedit vobis ut ego vadam*, adeo excessive contristati fuere; qualis dolor et quam infinita tristitia erit, qua reprobi percellentur, quando Deus ab illis propria ipsorum gravissima demerita, adeo procul abscedet, quam procul infernus a Paradiso dissitus esse noscitur, *magnum chaos firmatum est inter nos et vos*, illamque terribilem audient sententiam : *Discedite a me maledicti in ignem æternum.*

4. — S. Thomas quoque idem verbum *implevit*, considerans, ait : « Quia humanum est, quod tristitia cor tangat, vitiosum autem, quod cor impleat, « quia per hoc ratio turbatur, ideo quasi arguens, « dicit : *Tristitia implevit cor vestrum*, *Eccli.*, xxx, « 22 : *Tristitiam non des animæ tuæ.* »

5. — Christus illis paulo ante multas persecutiones et adversitates illis obventuras esse prædixerat, nunc autem cum insuper se illos, quoad præsentiam corporalem derelictorum esse prænuntiet, longe magis tristantur, quia ut Lyranus advertit : « Tristabantur de recessu Christi, de cujus « præsentia confidebant consolari in tribulatio- « nibus. » Gentiles olim tanta tenebantur Deorum suorum zelotypia, ut eos vinctos atque ligatos domi suæ attinuerint, existimantes hac ratione efficere se posse ut penes ipsos indissolubiliter remanerent; nos autem idipsum de Deo nostro timendi nullam occasionem habemus, siquidem *in ipso vivimus, movemur et sumus;* et quanto amplius tribulamur, quantoque remotius illum a nobis abesse credimus, tanto ipse nobis vicinius et propinquius adest, *Psal.* xxxiii, 19 : *Juxta est Dominus his, qui tribulato sunt corde*; *Ps.* cx, 15 : *Cum ipso sum in tribulatione.*

6. — Apostolus Corinthiis neophytis suis hunc in modum, II *Epis.*, vii, 9, scribit : *Gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam, contristati enim estis secundum Deum; quæ secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur*; *sæculi autem tristitia mortem operatur*; vel igitur anima nostra dolet et tristatur, quod Deum per peccatum amiserit et in hoc casu ei difficile non erit, ut eum per dolorem et pœnitentiam denuo reinvenire possit : aut vero tristatur quod eum perdiderit per consolationum spiritualium subtractionem; dum scilicet in vita spirituali nimias ariditates patitur et in hoc casu, dummodo id sine culpa nostra accidat, consolationem admittere debemus; siquidem hoc nonnunquam expedientius est, atque utilius, tum ut majus nobis meritum comparemus, tum ut Deo in divino ejus servitio nos stabiles et constantes esse probemus; et præter hæc omnia optimum est illud S. Jacobi Apostoli, v, 13, consilium, dicentis : *Tristatur aliquis vestrum? oret.*

Additiones.

a. — *Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum.* Non sua culpa Apostoli Christum amantissimum Dominum perdunt, sed in majus eorum bonum ab eis recedit : *Si enim*, ait, *non abiero, Paracletus non veniet ad vos.* Attamen tanta ex ejusdem abscessu tristitia opplentur, ut præ tristitia eumdem interrogare oblivisantur. Quanto ergo dolore affici debent ii, qui, culpa sua, Christum recedere cogunt; summa enim censenda est miseria, animæque calamitas, quod ab ea recedat Deus, eamque derelinquat? *Væ eis cum recessero ab eis*, dicit Dominus, *Ose.*, ix, 12. Dictio væ in sacris Litteris æruminarum æternarum est expressiva; certum vero est, quod recessus Dei ab anima, atrocissimum sit supplicium, quod homini eveniri possit. Unde S. Basilius Magnus ait : « Nulla atro- « cior pœna; cæteras omnes vincit calamitas hæc, « deseri a Deo. » Unde Christus ab obstinatis et ingratis Judæis recedere volens, iisdem dixit : *Ego vado et quæretis me, et in peccato vestro moriemini.* Ipsi quoque olim quando Deus illos præcedebat in columna nubis et ignis, dum per desertum procederent, sancte gloriabantur, dicentes : *Non est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris.* At vero quando Deum a se rejecerunt, dicentes : *Nolumus hunc regnare super nos*; *non habemus regem nisi Cæsarem*; tunc vel inviti experti fuerunt horrendum illud *væ*, siquidem ab illo tempore tanquam mancipia dispersi fuerunt in omnes mundi nationes, et tanquam ligna ad ignem infernalem fuerunt destinati.

Simon de Cassia de malis homini a Deo derelicto obvenientibus sequentes habet considerationes : « Qui relinquit Christum vitam relinquit, et quæ- « rens vivere fugit in mortem. Relinquens Chris- « tum, viam rectam abhorruit, timoris agitatus a « stimulo, fugiendo, vias ingreditur tenebrosas. « Relictor Christi vitam negavit, ipse siquidem « secundum Apostolum est vita nostra, qua relicta « omnis amaritudo subsequitur. Hinc per Prophe- « tam dicitur : *Vide quam malum et amarum est, te « reliquisse Dominum Deum tuum.* Isto malo nullum « pejus, et amaritudo nulla sævior in sensibus adest « quam mortem incurrere, maxime si subsequatur « æterna. » S. Augustinus in Soliloquiis suis miserum statum suum, in quo erat quando priusquam in aquis baptismalibus regeneraretur, a Deo prorsus divisus licentiosam vitam agebat, in hæc verba deplorat : « Cum fui sine te, non fui, sed nihil fui; « et ideo cæcus eram, surdus et insensibilis, quia « nec bonum discernebam, nec malum fugiebam, « nec dolorem vulnerum sentiebam, nec tenebras « meas videbam, quia eram sine te vera luce, quæ

« illuminas omnem hominem venientem in hunc « mundum. Væ mihi, vulneraverunt me et non « dolui; traxerunt me et non sensi, quia nihil « eram, quia sine vita eram, quæ est verbum, per « quod facta sunt omnia. Ideo, Domine, lux mea, « inimici mei de me fecerunt omnia quacumque « volnerunt, percusserunt, nudaverunt, polluerunt, « corruperunt, vulneraverunt et occiderunt me « quia recessi a te, et factus sum nihil sine te. »

b. — Ecce unde tristitia veniat in Apostolorum corda, scilicet ex eo, quod odientes mortem et pressuram Jesu, non interrogant quo vadat, hoc est, non scrutantur, quo per tot mala tendat. Non intuentur quam in finem mala hæc desinere abeant. Unde apud Matthæum, xxiv, monebat : *Audituri estis prælia et opiniones prælliorum; videte ne turbemini.* Inter prælliorum discrimina, inter spicula hostium, imo inter ipsas pennatas et jam volantes mortes, hoc vobis sit consilium, ad terrores excutiendos, nimirum : *Videte.* Introspicite magnum discrimen quod reperitur inter justorum et reproborum tribulationes. Ex ejus enim inspectione et consideratione, omnis fugiet tristitia. Pulchre Origenes, *Hom.* xxviii *in Matth.*, ait : « *Videte*, non dixit, *audite*; hortans eos sollicitos esse, ut oculis animæ possint videre, postquam audierint prælia, prælliorum singulorum naturam, et videntes ne terreantur. Nullus nobis manebit terror, nulla tristitia, nulla sollicitudo in ærumnis, persecutionibus et universis malis, si cuminus singulorum naturæ inspiciantur, scilicet quam breviter transeant et perdurent respectu præmii, quod est æternum. Quis in morte terror remanebit, ubi ejus naturam videris, quæ vicinam ostendit immortalitatem? Sane qui sic contemplatur mortis discrimina, ejusque naturam valde commutabilem callet, in nullum timorem, in nullam cadet perturbationem.

c. — Capiuntur Christi discipuli tristitia, sed unde, qui Christo nomen dederunt, mundanis his affectuum laqueis capi possunt? Aiebat Dominus : *Vado ad eum qui me misit et nemo ex vobis interrogat me : Quo vadis? Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum.* Cur non caperentur tristitia qui nihil de cœlesti Patre percontantur, nihilque de cœlestibus interrogant? Utinam discipuli cœlestem Dominum mirantes, et Deum Patrem, et cœlestia regna, ad quæ Jesus ibat, animis intuerentur, de illisque ratiocinationes et meditationes haberent; nulla penitus tristitia, nullo mundanorum affectuum laqueo caperentur. Huc optime refertur illud Proverbiorum, i, 17 : *Frustra jacitur rete ante oculos pennatorum.* Ubique cœli sunt incolæ aves, oculos habent, quibus cœli intuentur lumina. Nihil sunt laquei; nihil valent retia ad eas capiendas aves, quæ perpeti volatu, claris oculis cœlestia contemplantur. Felix ille, qui pennatus, reptilia et humi jacentia bona præterieus, ad ardua et sublimia volat, totusque oculus fit, ut contempletur divina. Is omnes mundi laqueos facile despicit et inanes dimittit ac vacuos.

d. — Ecce Christus Dominus suos discipulos arguit, dicens : *Nemo ex vobis interrogat me quo vadis?* Sed statim subdit : *Quia hæc locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum.* Pulchrum in hoc textu, qua spirituale, qua morale latet sensus. Merito piissimus Magister eos arguit de aliquo defectu, sed cum charitate et prudentia procedit, nam commissum defectum non exaggerat, sed potius minuit ac excusat : *Tristitia implevit cor vestrum.* Tristitia enim sic impleverat cor eorum, ut ne quidem eos aliquid loqui sineret; inde tamen excusationem invenit. Ah! si hæc circumspectio et diligentia adhiberetur, quorsum non exularet detractio? Sed ecce detractio etiam timoratis et piis familiaris invenitur; innatum nobis vitium et universale; in ipsos etiam desævit sanctos. Tanta Salvatoris erat sanctitas, ut veraciter asseruerit : *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Et nihilominus Apostoli suum quodammodo objurgaturi magistrum, in præsentem non eruhuere prorumpere murmurationem : *Ut quid perditio hæc?* Quod factum maliguitatem detegit detractionis, a qua vix ullus vivit exemplus, quæ suum virus etiam exirit sanctissimos et perfectiores inficit animas, idque indesinenter, nulla loci, temporis aut conditionis personarum habita ratione. Prima illa, atque infallibilis veritas, suis quidem protestabatur discipulis : *Opus bonum operata est in me.* Magdalene factum et obsequium laudabat, nihilominus Apostoli, Evangelio teste, indignati sunt, dicentes : *Ut quid perditio hæc?* Propositionem audite verissimam S. Chrysostomi : « Ad condemnandum cæteros « omne vitæ nostræ tempus absumimus, a quo « vitio neque sæculi hominem, neque monachum « ullum facile invenias liberum. » S. Thomas, illam Sapientis : *Cum detractoribus ne commiscearis*, ponderans admonitionem, inquit : « Hoc specialiter « vitio periclitatur totum genus humanum. » S. quoque Augustinus, qui totum vitæ suæ cursum ab hacce peste protexit immunem, eidem subscribit sententiæ, inquiens : « Maxima pars generis humani, « indiscreto judicio ad reprehendendum prompta « et parata esse probatur, cum tamen non ita se « velit ab aliis judicari, quomodo vult alios judi- « care. » Propter hoc Scriptura divina admonet dicens : *Priusquam interroges, ne vituperes quemquam.* S. Hieronymus, quia in vita sua maledicorum maledictionum quasi scopus fuit, scribere non dubitavit : « Tanta hujus mali libido mentes hominum « invasit, ut etiam, qui procul ab aliis vitiis reces- « serunt, in istud tamen quasi in extremum diaboli « laqueum incidant. » Hancque causam S. Chrysostomus eos qui corpus mortificationis et pœnitentiæ freno torquentes, liberas linguæ in mur-

murationem laxant habenas, acerbe perstringit, inquiens : « Quæ utilitas, cum avibus quidem et « piscibus abstineamus, fratres vero comedamus et « mordeamus? Detrahens fraternas carnes comedit, « proximi carnem momordit. » Jejunabant, pane hordeaceo vescebantur, famebant Apostoli, et nihilominus, indignati sunt dicentes : *Ut quid perditio hæc?* « Consuevit sane hoc vitium, » inquit S. Justinianus, « etiam vigere in bonis, atque sub zeli « specie jugiter captivare improvidos. » Imo teste Salmerone, « adeo frequens est hoc vitium etiam « apud pios et religiosos, ut nomen quinti elementi, « sine quo vivi non potest, apud quosdam obtinuerit. »

6. — Quid est hoc quod Dominus locutus est, ex quo Apostoli tam vehementer contristati sunt? *Quia vado ad Patrem.* Ideone in tantum tristantur Apostoli, quia Dominus abit ad Patrem et quidem pro gratia ipsorum ad parandum ipsis gloriæ locum? Quam igitur non justam mœroris causam haberet peccator, a quo Dominus propter peccatum abscessit, quando per peccatum perdidit vitam animæ suæ quæ vita Deus erat? Regius Propheta David in maximis angustiis constitutus, magno premebatur timore ne salus animæ suæ periclitaretur : *Vim faciebant qui quærebant animam meam.* Etenim hostes ipsius cum vulneribus lethiferis sauciare, atque in Dei offensam committendam inducere satagebant : *Vanitates et dolos tota die meditabantur.* Sanctus Propheta autem, magno salutis conservandæ zelo accensus, ut illam sartam, tectam, illæsam conservaret, quid tandem facere decreverit, audite : *Anima mea,* inquit, *in manibus meis semper;* quasi diceret : Nunquam illam ab oculis meis removebo, sed illius utpote rei pretiosissimæ quæ semper in manibus portari et ob oculos haberi solet, singularem curam habebo : *Et legem tuam non sum oblitus. Posuerunt peccatores laqueum mihi,* nec tamen laqueis suis illum irretire potuerunt. Si quæras causam, illam protinus subjungit, dum ait : *De mandatis tuis non erravi.*

Graviter proinde nobis sacri Doctores exprobrant quod hanc animæ nostræ vitam, quæ Deus est, tam parvi faciamus, e contra vero tanto in pretio vitam corporis habeamus, cum tamen hæc non tam in anima, sed in unione ejusdem cum corpore potissimum consistat. Et quidem in primis S. Augustinus dicit seu potius ad cœlum usque exclamat dicens : « An vero non in te sunt viscera Christianæ miserationis, ut plangas corpus a quo recessit anima, « et non plangas animam a qua recessit Deus. » S. Bonaventura autem longe efficacioribus verbis hanc nostram negligentiam deplorat, qui animæ nostræ adeo temere mortem conciliamus, Deum qui vita est animæ nostræ minime curantes : « Perdit « homo bovem et sollicite eum quærit; perdit « equum et non quiescit; perdit ovem et post eam « vadit; sed perdit homo peccando Christum et « quiescit, comedit, bibit, et non quærit. » Quod si positum esset in nostra potestate, animam, postquam e corpore migravit et corpus in cinerem redigitur, denuo revocare, illamque ad revificandum corpus, eique denuo reunire, quam non adhiberemus industriam et operam, ut denuo ad vitam rediremus? Deus autem qui animæ vita et anima est, per peccatum ab anima recedit, eumque per pœnitentiam, peccatum sincere detestando, recuperare, nostræque animæ arctissimo vinculo reuniendo ad vitam pristinam gratiæ resurgere possumus, et tamen idipsum facere turpiter negligimus, imo de hac spirituali morte plurimum sæpe gaudemus : *Lætantur cum malefecerint.*

7. — Quia dixi vobis quod ad Patrem vado, hinc tristitia implevit cor vestrum. Sed quænam Apostolis causa tristandi, dum Christus ad Patrem vadit et quidem ut ipsis paret gloriæ locum? Si igitur ob talem Domini discessum tristantur Apostoli, quam non igitur jure merito tristabuntur damnati, a quibus Dominus in æternum discessit nunquam redituruus? David rex Absalonis exilio revocationi quondam acquiescens, sequentem supplicæ adjecit conditionem : *Verumtamen faciem meam non videat.* Quæ quidem mortificatio ad breve tempus duratura erat, et nihilominus adeo Absaloni intolerabilis visa fuit, ut diceret : *Aut videam faciem patris, aut moriar.* Nunc itaque quanto horribilius erit tormentum damnati, dum eo vultu se semper privatum viderit, *in quem desiderant Angeli prospicere;* eo vultu qui Paradisum efficit Paradisum?

In parabola de decem Virginibus, incarnata Sapientia præmium animarum electarum in virginum prudentum ad nuptias ingressu, præscitorumque supplicium in inferno in stultarum virginum exclusione nobis manifestatura, duobus dumtaxat verbis universam innumerabilium omniumque atrocissimorum suppliciorum circumscripsit congeriem dicens : *Nescio vos.* Nonne longe graviora eas animas manebant tormenta? Nequaquam; quia in hac unica pœna, scilicet damni, omnes aliæ virtualiter et eminenter recluduntur. Ideoque S. Chrysostomus, *Hom.* XXIV *in Matth.*, inquit : « Si mille aliquis « ponat gehennas, nihil tale dicturus est, quale est « a beatæ illius gloriæ honore repelli, exosumque « esse Christo et audire : *Non novi vos.* »

VERSUS 7.

Sed ego veritatem dico vobis : Expedit vobis, ut ego vadam; si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos.

Sed ego veritatem dico vobis.

1. — « Quasi dicat, » inquit Hugo Cardinalis : « Etsi contristemini, tamen veritatem dico vobis.

« In quo notatur, quod veritas nemini parcit, nec « est omittenda, etsi displiceat audienti, servato « tamen modo, loco et tempore in dicendo : *Ecce « labia mea non prohibebo, Domine, tu scisti, justi- « tiam tuam non abscondi in corde meo.* »

2. — S. Chrysostomus, *Hom.* LXXVII *in Joan.*, ita exponit : « Non ego ad gratiam loquor, sed licet « majorem in modum contristemini, quod expedit, « audiendum est. »

Expedit ut ego vadam.

3. — Benignissimus Salvator noster se ob discipulorum nimiam tristitiam, quia ob ejus discessum omnes mærebant, continere non poterat, ideoque illos, quoad potest, consolari satagit, ostendens, id illis non solum expediens esse, sed et desiderari ab iisdem debere; et quidem ut idipsum tanto firmius crederent, ut Toletus advertit, præmittit : *Veritatem dico;* quod ut magis persuadeat, asseverationem utitur, dicens : *Ego veritatem dico vobis.*

4. — Hugo Cardinalis, Christum Apostolis hisce verbis insinuare voluisse dicit, utile et expedions illis futurum esse, non quidem quod illi desiderabant, sed quod ipse facere meditabatur, scilicet quod se ab illis subducat : « Aliud est, quod vobis « placet, scilicet me adesse et aliud quod confert, « id est, me abire; procurantis autem est in his, « quæ prosunt, non parcere, in hoc enim Dominus « consolatur et mitigat eos; non enim, quæ ad « gratiam sunt vestram dico, sed quæ ad profectum. » Similem fere considerationem Theophylactus habet, scilicet Christum collegio Apostolico rem minime præstiturum fuisse, si eorum obsequeretur desiderio, ideoque se illorum desiderio opponendo, super ipsos thesauros liberali manu effudit Paradisi, in missione Spiritus Sancti : « Ita et nos « debemus facere, prospicientes semper, quod et « nobis et fratribus est utile, et non quod suave. » S. Chrysostomus similiter dicit : « Vos, quidem, ut « adessem, velletis, usus aliud postulat, diligentis « autem est, cum utilitatem agnoscit, non permittere ut ea diloeti priventur. »

5. — Nimirum discipulos suos ablactare volebat, inquit S. Bonaventura : « Ne sitis infantes semper « contenti isto lacte, id est, amore meæ humanitatis, ait Augustinus, et ideo sequitur : *Si non « abiero,* id est, si alimenta tenera, quibus vos alui, « non subtraxero, solidum cibum non esurietis; « nimis enim sacratissimæ humanitatis ejus teneritudini affixi erant, et ideo ad ejus divinitatem sese minus reflectebant. Unde Alcuinus ait, Christum dicere voluisse : « Expedit, ut forma servi vestris « subtrahatur aspectibus, quatenus amor divinitatis « aptius vestris infigatur mentibus. »

6. — S. Cyrillus, *lib. X in Joan.*, observat, quod, sicut Christus per suam resurrectionem, nos quoque resurgendi spem habere posse ostendit : « Sic « nobis quoque ad cœlos aditum aperire et in conspectu Patris sistere eum, qui per prævaricationem Adam procul amandandus fuerat, quod « cum ipse quoque divus Paulus intelligeret, aiebat : *Non enim in manufacta sancta Christus « introivit, sed in ipsum cœlum, ut nunc appareat « coram vultu Dei pro nobis.* » *Heb.*, IX, 11, 12.

7. — Hugo Cardinalis tres rationes assignat, cur mundo utilis fuerit Filii Dei ab hoc recessus : « *Primo*, ut nos in hæreditatem introduceret. « *Mich.*, II, 13 : *Ascendet pandens iter. Secundo,* ut « amorem carnalem amputaret. *Tertio,* ut desiderium accenderet; unde viri Jericho sublatum « Eliam ardentius quæsierunt. »

8. — Apostoli quodammodo Messiam temporaliter regnaturum esse crediderant, atque ideo duo illi fratres primas in regno ejus sedes postularunt et dum Christus in procinctu esset, ut in cœlum ascenderet, interrogarunt eum discipuli, *Act. Ap.*, I, 6 : *Quando restitues regnum Israel?* atque ideo opus erat, ut in nocte Passionis ejus coram Pilato expresse declararet, *Joann.*, XVIII, 36, dicens : *Regnum meum non est de hoc mundo;* ut igitur hanc veritatem confirmaret, expediens erat, ut post passionem suam beati illius regni possessionem caperet, ut nos illius deinceps faceret esse participes. Unde S. Cyrillus ait : « Oportebat fieri nos « consortes et divinæ Verbi naturæ participes; « quod aliter, quam per participationem Spiritus « Sancti fieri non poterat; tempus autem maxime « opportunum missioni Spiritus et ejus in nos illapsui; illud erat, quod excessum Christi nostri « Servatoris excepit. » Adducitque illum Apostoli textum, in quo de visione beatifica tractans dicebat : *Nos revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur a claritate in claritatem, tanquam a Domini spiritu; Dominus autem spiritus est.* Subjungit ibi S. Cyrillus : « Vides, ut « Spiritus transformet quodammodo in aliam imagine eos, in quibus inhabitat? Transfert enim « facile a rerum terrenarum sensu ad spectanda « solum ea, quæ sunt in cœlis. »

9. — Potest item et alia utilitas discessus Christi assignari, nimirum institutio sanctissimi Sacramenti quod non nisi ea nocte, quæ mortem Christi immediate antecessit, instituisse constat, ut per suam sacratissimam humanitatem nobiscum semper esse potest, *Matt.*, XXVIII, 20 : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi;* cum hac tamen prærogativa, quod cum antea per suam præsentiam corporalem, in uno tantum sive Galilææ, sive Judææ loco commoratus fuerit, ipsum jam deinceps in hoc Sacramento, in omni Christianismi parte præsentem habeamus.

10. — Verumtamen præcipuum sui a nobis discessus motivum ipsemet nobis sequentibus verbis manifestavit, dum ait : *Si enim non abiero, Para-*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

eletus non veniet ad vos; quasi dicat, inquit Albertus Magnus : « Quia removendo me a sensibus vestris « ero glorificatus, et hoc facit in vobis habilitatem « ad Spiritus receptionem. » Rupertus Abbas autem per hunc Christi discessum, passionem ejus intelligens, ostendit, per merita illius missum nobis fuisse Spiritum Sanctum; dicit enim : « Præterea scire « oportet, quia per passionem Christi hoc actum « est, quod gratia Paracleti Spiritus in nos effusa « est; nam si Christus non passus in cœlos ascen- « disset, profecto iste Spiritus gratiæ, *qui* per san- « guinem ejus peccata remittit, datus non fuisset. »

Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos : si autem abiero, mittam eum ad vos.

11. — Quærit hoc loco Doctor Angelicus, an in Christi potestate positum fuerit, Spiritum Sanctum collegio Apostolico conferre, dum adhuc nobiscum conversaretur in terris, et prinsquam ad cœlos conscenderet? Et respondet affirmative : siquidem ab instanti conceptionis suæ, plenitudinem Spiritus Sancti receperat. Idem quoque dubium S. Augustinus movet, *tr.* XLIX *in Joan.*, dum ait : « Numquid « autem, hoc posito, non poterat mittere, quem « scimus super eum baptizatum venisse atque man- « sisse? Imo vero a quo scimus eum nunquam « separabilem fuisse? » Causas autem, ob quas illum hic in terris constitutus, non dederit, multas habuit, easque omnes efficaces.

12. — Divinum fixumque decretum erat, inquit Lucas Brugensis, quod, postquam Deus Pater, se per cœli terræque creationem et gubernationem, nec non et Filii sui missionem mundo manifestarat; Filius quoque incarnatione et redemptione mediante eidem innotuerat, tandem quoque tertia Persona, se per signum aliquod visibile, perque donorum gratiarumque suarum effusionem, manifestam faceret; at vero ut idem observat : « Tres personæ sin- « gulæ opportuno tempore declararunt, se concur- « rere ad salvandos homines. » Cajetanus autem hanc rationem adducit, cur scilicet Spiritus Sanctus non nisi post Christi in cœlos ascensum venerit : « Quia sic decreverat Sancta Trinitas, quæ omnia « suaviter disponens ordinavit, ut non duo simul « adessent in hac vita consolatores, alter humana « conversatione, alter spirituali elevatione, sed « recedente primo, Apostoli abstraherentur ab hu- « manis consolationibus, et totos se darent spiri- « tualibus succedente secundo. »

13. — S. Bonaventura quamdam ex parte nostra congruentiam adducit : si enim homini Spiritum Sanctum una cum omnibus divitiis suis cœlestibus, ante Passionem suam dedisset, jam eo fuisset tempore datus, quo homo cœli etiamnum inimicus erat : « Quia nondum erat Christus passus, nec « genus humanum reconciliatum Deo Patri. » Eamdem quoque considerationem habet Dionysius Carthusianus hisce verbis : « Spiritus Sancti tam « eximia plenitudo danda non fuit, nisi reconciliatis « per Passionem Dominicam.

14. — Porro si dona et thesauros Spiritus Sancti, opulenta quædam spolia appellare velimus, alia quædam occurrit ratio, cur Spiritum Sanctum non nisi post resurrectionem suam dare voluerit; nam ut idem Seraphicus Doctor bene notat : « Alia « ratio fuit a Patre dantis, quia Filius Dei dedit « dona sua post victoriam; « etenim post gloriosum resurrectionis suæ triumphum, quem de peccato, morte, et inferno victor gloriose reportavit, ditissimam divinarum gratiarum, quas compararat, gazam, velut spolia sua, inter commilitones dividere decrevit. Præterea dicit idem Bonaventura, Spiritum Sanctum *in statu glorificationis*, ad nos mittere voluit, ac proinde S. Joannes, VII, 39, dicit : *Spiritus nem erat datus, quia nondum Jesus erat glorificatus.*

15. — S. Thomas, *in Joan.*, notat, quod propter divinitatem suam ad illud usque tempus expectarit, citatque S. Augustinum, *lib.* IX *de Trinitate*, ita scribentem : « Christum in quantum homo, non « habet quod det Spiritum Sanctum, sed in quan- « tum Deus; quando autem cum discipulis erat, « videbatur esse quasi unus ex eis, ne ergo videre- « tur quod homo esset, qui daret Spiritum Sanc- « tum, ideo ipsum ante Ascensionem suam non « dedit. » Eadem quoque fuit consideratio Carthusiani, dicentis, nequaquam convenisse, ut Sanctissimum hunc Spiritum mitteret, nisi postquam jam in throno Majestatis dexteræ Patris assideret : « Christus Rex noster tam excellenter dona distri- « buere non debebat, nisi cum reversus fuit ad « patriam suam, et sedet in throno regni sui; « deinde etiam, quia membra gratia tanta ador- « nanda non erant, nisi ipso capite glorificato. »

16. — In hac missione, ut S. Thomas ex D. Chrysostomo a se citato refert, hæresis confunditur Macedonianorum, qui Spiritum Sanctum creaturam, Patrisque et Filii ministrum esse asserebant; hoc enim si vero ita esset : « Non esset sufficiens conso- « latio de recessu Christi, adventus Spiritus Sancti; » id quod perspicua quadam similitudine illustrat : quia si Rex aliquis e regno discedens non aliquem filiorum suorum, sed unum de servis et ministris suis in locum suum substitueret, is utique non ex æquo locum, vel personam suam exhiberet : « Quia « ergo Spiritus Sanctus æqualis est Filio, ideo « Dominus eos per promissionem Spiritus Sancti « consolatur; » neque enim sine mysterio Dominus dicit : *Aliam Paracletum dabit vobis*, sed potius, ut inde clare ipsum Filio coæqualem esse deduceretur.

17. — Imperceptibile illud sanctissimæ Trinitatis mysterium, mundo hactenus absconditum fuerat, Deus autem illud super Jordanem manifeste ostendit, quando supra Verbum incarnatum vox Patris audita fuit, et Spiritus Sanctus in specie columbæ descendit; manifestius autem in die Pentecostes declaratum fuit; at vero notandum hic est, quod si Spiritus Sanctus eo venisset tempore, quo Filius Dei nobiscum etiamnum conversabatur in terris, facile credi potuisset ipsum a solo Patre procedere, et ab hoc solo de cœli ad nos missum fuisse : nunc vero omne dubium penitus cessat, clarumque est, eum quoque procedere a Filio; siquidem hic illum non solum se missurum esse promittit, verum etiam in cœlis jam constitutus, datam nobis promissionem promptissime exequitur.

18. — S. Thomas ait : « Propter divini auxilii « conditionem; quod maxime adest in necessitati- « bus, adjutor in opportunitatibus, quamdiu Chris- « tus erat cum eis, sufficiens adjutorium erat, sed « eo recedente, multis tribulationibus exponeban- « tur, et ideo datus est eis statim alius consolator « et adjutor. »

19. — Porro Christus Sanctissimum hunc Spiritum opportuno tempore mittere voluit, eo nimirum, quo præsens aderat occasio, ut ipsum quoque Deum esse in operatione tot miraculorum et portentorum, quæ Apostolis mediantibus operatus est, sicut et admirabilem illis sapientiam et scientiam infundendo, toti mundo manifestaret; siquidem efficit, ut qui idiotæ et piscatores erant, totius gentilismi errores, philosophorumque et sapientum sectas, facili negotio confutarent atque convincerent.

20. — Est et aliud hujus rei mysterium, quod S. Thomas tetigit, nimirum Spiritum Sanctum a Christo, in cœlis ad dexteram Patris considente, missum esse, « propter unitatem Ecclesiæ conser- « vandam. » Porro S. Joannes nullum unquam miraculum fecisse legitur, ne populus a Christi sequela et disciplina sequestraretur, aut alienaretur, fieretque evidens, ipsum Præcursore in sanctitate majorem et superiorem esse : « Discipuli « autem ipso Spiritu replendi erant, ut etiam opera « majora facerent, quam Christus fecerat. *Et ma- « jora horum facient;* et ideo si ante Passionem « fuisset eis datus, potuisset verti in dubium apud « populum, quis esset Christus, et sic fuisset divi- « sio. »

21. — S. Augustinus super eadem hæc verba in quodam sermone hunc in modum discurrit : « Neque enim inseparabilis est a Filio Dei Spiritus « Sanctus, aut impotens erat ipso præsente venire, « a quo non potest omnino discedere, sed quoniam « discipulis adhuc infirmis, formam servi Dominus « demonstrabat, in qua Verbum caro factum est, « et habitavit in nobis, causam vero servi, id est, « carnem Domini carnales poterant intueri; forma « autem Dei, in qua non rapinam arbitratus est « esse se æqualem Deo, non potest nisi a spirituali- « bus cogitari, propterea dixit, ideo non potest ille « venire, nisi ego abiero; tanquam diceret : quam- « diu circa carnem meam occupatur vester carnalis « affectus, tamdiu meam divinitatem non suscipit « spiritualis vester obtutus. »

22. — Enimvero S. Bonaventura hisce Christi verbis argumentum quoddam opponit, quod prima quidem facie insolubile esse videtur; dicit enim, Apostolorum erga Christum Magistrum suum conceptus amor ordinatus erat, ergo receptionem Spiritus Sancti in ipsis impedire non poterat. Præterea proximorum dilectio, dilectioni Dei nullum omnino ponit obstaculum, imo potius eadem adauget : « Ergo multo minus dilectio Christi impediebat « missionem Spiritus Apostolis. » Tertio hanc propositionem iisdem opponit : « Dilectio naturalis non « repugnat spirituali, dum sit ordinata. » Verumtamen paulo post omnibus hisce objectionibus cum S. Augustino respondet, dicens : « Quod lacte, id « est, Verbo carne facto erant contenti, ob magni- « tudinem consolationis, quam habebant in ipso « Christo homine; non possunt filii Sponsi lugere, « quamdiu Sponsus est cum illis; ergo ob vehe- « mentiam dilectionis, quam habebant in Christo « homine, qua erant consolati corporaliter et sen- « sibiliter, non erant elevati ad ipsum, in quantum « Verbum æternum, et ideo non fuit Spiritus datus « antequam ipse abiret. *Et si cognovimus, secundum « carnem* Christum, *sed nunc jam non novimus.* II « *Cor.*, V, 16. » Hæc pariter est Glossæ sententia, dicentis : « Non quod positus in terra non posset « dare, « constat enim, quod post resurrectionem, *insufflavit in eos, dicens : Accipite Spiritum Sanctum,* « sed quia illi non sunt idonei accipere, nisi eum « secundum carnem desistant nosse; » cujus rationem S. Thomas reddit, dicens : « Non Spiritui « Sancto, cum sit amor spiritualis, contrariatur « amor carnalis. »

23. — S. Bernardus in sermone sexto de Ascensione Domini, hanc inde elicit moralitatem : « Itane « invisa Paracleto præsentia Christi, aut contuber- « nium Dominicæ carnis Spiritus Sanctus horrebat, « quæ, sicut Angelo prænuntiante, cognovimus, « nec concipi quidem, nisi a superveniente potue- « rit? Quid est ergo ; *Nisi ego abiero, Paracletus « non veniet*, nisi carnis præsentia vestris subtra- « hatur aspectibus, spiritualis gratiæ plenitudinem « occupata meus non admittit? » Hinc igitur consideret unusquisque, quam sint Spiritus recipiendi incapaces illi, qui non sacrosanctæ Christi humanitati, sed lucris temporalibus, sensualibus voluptatibus, aliisque similibus appetitibus inordinatis tenaciter adhærescunt : « Qui huic sterquilinio semper « inhæret, qui carnem fovet, in carne seminat, « carnem sapit; quomodo audeat illam nihilominus « consolationem supernæ visitationis, illam sperare « gratiam Spiritus vehementis, quam, ut Veritas « ipsa testatur, ne cum ipsa quidem Verbi carne « percipere ullatenus Apostoli potuerunt? Errat

« omnino, si quis cœlestem illam dulcedinem huic « cineri, divinum illud balsamum huic veneno, « charismata illa Spiritus misceri posse hujusmodi « illecebris arbitratur. »

24. — Idem quoque mellifluus Doctor in alio quodam sermone, qui in ordine tertius est de Ascensione, eadem hæc verba ponderans, urgentissimum hoc adducit argumentum : « Si enim adhuc « Apostoli, carni Dominicæ inhærentes, quæ sola « sancta, quia Sancti Sanctorum erat, Spiritu « Sancto repleri nequiverunt, donec tolleretur ab « eis; tu carni tuæ, quæ sordidissima est, et diver- « sarum spurcitiarum phantasiis repleta, adstrictus, « et conglutinatus, illum meracissimum Spiritum « reputas posse suscipere, nisi carneis istis conso- « lationibus funditus renuntiare tentaveris? » Spiritus Sanctus ab Ecclesia fons vivus solet appellari : *Fons vivus*; videmus autem quotidie, quod, si aqua aliqua e terra scaturiens, in canalem quemdam constringatur, et hoc modo constricta et coarctata, subtus terram deducatur, in tali casu eadem aqua, quantum subtus terram deorsum descendit, tantumdem postea contra inclinationem licet naturalem, in altum denuo exsurgat; at vero si pro pondere suo, quaquaversum discurrere permittatur, in paludibus nonnunquam stagnans subsistit, ibidemque cum non modica aeris jactura, et incolarum loci illius mortis periculo corrumpatur, *Rom.*, v, 5 : *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis*; porro unusquisque nostrum, qui cor habet, simul etiam amorem habet; quod si autem amor iste in creaturas, in carnales delectationes, in divitias, honores, vel alias similes res terrenas feratur, in æternum nos deturbat præcipitium; at vero si amor iste in amando Creatorem et bona æterna uniatur et congregetur, *fit in nobis fons aquæ salientis in vitam æternam. Joan.*, iv, 14. Unde aureum est illud S. Gregorii monitum, *lib.* III *mor.*, viii, dicentis : « Esse sine « delectatione anima nunquam potest; nam aut « infimis delectatur, aut summis, et quanto majori « studio exercetur ad summa, tanto majori fastidio « torpescit ad infima. »

25. — Idem denique D. Bernardus, *Ser.* III *de Pent.*, ad id se reflectens, quod scilicet ad recipiendum Spiritum Sanctum, opus fuerit, ut Apostoli corporali Filii Dei præsentia adeo amabili, grata et accepta privarentur, hoc inde pro hominibus spirituali vitæ deditis deducit documentum, et dicit : « Hoc est dicere, si non dederitis quod amatis, « non habebitis quod desideratis : *Expedit vobis ut « ego vadam*, vos quoque de terra ad cœlum, de « carne ad spiritum translaturus. » Quisquis enim Spiritus Sancti frui vult consolationibus, huic necessum est, ut renuntiet omnibus carnis et mundi solatiis, et ideo sæpedictus mellifluus Doctor S. Bernardus eum qui continuo pascitur glandibus ad degustandum vitulum saginatum, aptum habere palatum nequaquam æstimat : « Quomodo potest « esurire vel sitire Christum, plenus quotidie siliquis porcorum? Non potes bibere simul calicem « Christi, et calicem dæmoniorum. »

Mittam eum ad vos.

26. — Porro quonam modo hæc missio fiat, Lucas Brugensis his verbis declarat : « Mitti ratione « donorum, non naturæ; nec enim deseret cœlum. » Albertus Magnus causam motivam exprimere volens, ob quam Christus nobis miserit Spiritum Sanctum, sequentem adducit similitudinem : « Sicut infanti « aufertur mammilla matris, ut ad perfecta se « extendat, et cibum, in quo membra sua roborentur, accipiat. *Isa.*, xxviii, 9 : *Quem docebit scientiam, et quem intelligere faciet auditum? Ablactatos « lacte, avulsos ab uberibus.* »

§ **Additiones.**

a. — *Sed ego veritatem dico vobis : Expedit vobis ut ego vadam*, etc. Vere expediebat ut Christus abiret, antequam Paracletus mitteretur; quia ante Ascensionem Christi, discipuli non erant capaces tanti doni; nimis enim carnaliter de Christo sentiebant, ac proinde conveniens fuit, ut cum absens esset Christus ex desiderio ejus, exque desiderio divini doni percipiendi quod quotidie vehementer exoptabant, ad ipsum condigne recipiendum præpararentur; sic quoque divini doni Eucharistici fructus nostræ correspondet dispositioni, sed maxime præ reliquis illius participes fiunt, qui desiderio magis sunt famelici.

Deus olim Israelitis quoad esum Agni Paschalis præcepit dicens : *Non comedetis ex eo crudum quid.* Qua autem ratione hic agnus coctus ab illis manducandus erat? *Assus igni*: ubi per ignem amor Dei sive charitas intelligitur, quia « juxta mensuram « charitatis effectus percipitur hujus Sacramenti, » ut ait S. Laurentius Justinianus. Et S. Bonaventura ait : « Adverte quod effectus Sacramentorum solet « esse secundum dispositionem et præparationem « suscipientium. » Pro cujus confirmatione, aptam quamdam in dialogis S. Catharinæ Senensis, legimus similitudinem. Nam Sponsus ejus cœlestis eidem dixit : Si multi varias ad accendendum candelas astiterint, quarum una ponderaret unam unciam, alia, duas, alia sex uncias, alia denique unam libram, tam primæ, quam ultimæ ignem conciperent, quo accenderentur, ita tamen quod candela unius unciæ minus lumen conceptura esset quam quæ integram libram adæquaret. « Ita contigit in hoc « venerabili Sacramento, iis qui recipiunt illud et « candelas suas accendunt, videlicet sanctum desi- « derium, cum quo recipiunt venerabile Sacramen- « tum, tantum accipitis ex isto lumine, quantum « ex materia sinceræ dilectionis et amoris, et igniti

« desiderii portatis, quamvis totum in veritate reci- « piatis. » Salvator noster inquit : *Si quis sitit, veniat ad me et bibat*; dicit autem Cajetanus : « Non « sufficit venire ad fontem, sed oportet bibere; non « sufficit venire ad Jesum fide, sed oportet incorpo- « rare sibi Jesum. » Quanto enim ardentior sitis nostra fuerit, tanto copiosior ex his aquis bibere poterimus.

b. — Dixit Jesus discipulis suis : *Expedit vobis ut ego vadam.* Et certe! cur plus expediret nobis quam tibi? Annon post tantos labores et dolores exantlatos promeritus es tantum gloriæ præmium? Est tamen tuomet judicio. Expedit nobis ut ad Patrem eas? Imo vero; nobis expedire plurimum ipse asserit, ut appareat quod non tam suæ quam nostræ studeat utilitati et commodo; hoc enim semper demonstrant gratiæ et auxilia quibus Deus cujusque assistit animæ.

c. — Cur quæso, Domine, non veniet Spiritus hic Paracletus, te præsente? Quid præsentia tua Spiritus Sancti præsentiam impedire potest? Si enim puritas et innocentia homines ad hunc Spiritum excipiendum præparat, quid magis ad hanc puritatem et innocentiam consequendam juvare poterit, quam doctrina tua, et præsentia tua, et custodia tua? Respondent unanimi consensu sancti Patres, id ideo factum, ut non essent duo consolatores in hoc mundo, alter visibilis, alter invisibilis, sed ut visibilis subtraheretur, quo invisibilis mitteretur. Ut hac ratione pii omnes intelligant, quam voluptates et consolationes sæculi et vitæ hujus prosperitates, ad cœlestis hujus Spiritus percipiendas consolationes magnum impedimentum præstarent; quando illa visibilis consolatio, quæ ex sanctissimæ humanitatis Christi consortio manebat, pleniorem divini Spiritus fructum impediebat. D. Chrysostomus, de populo Hebræo loquens, observat : « Cum tribu- « lantur Israelitæ, tanto plures fiebant; post quam « autem eos dimiserunt, tunc omnes perierunt. » Equi sine freno suæ relicti libertati in multa ruunt præcipitia; idem iis contingit qui sui explent appetitus desideria, nec ullis in præsenti vita impetuntur contradictionibus et adversitatibus. Quamdiu David ruri virgam gestavit pastoralem, curam habens ovium, a fratribus despectus, sub cura vixit Isai patris sui et postea in aula Saulis persecutiones passus, Doeg multorumque aliorum subivit invidiam, semper vitæ conservavit innocentiam; verum cum rapuit Bethsabeam, ejusque marito Uriæ machinatus fuit mortem : « In alienam fœminam « irruit, » ait S. Augustinus, « rerum prosperitati- « bus temporalium abreptus; » quando inquam cessarunt æmulorum persecutiones, bella populi gentilis et contradictiones domesticæ, quando omnia prospera et ad votum procedebant, statim miserabilis illius et scandalosus subsecutus est casus; ac propterea merito dicere potuit : *Bonum mihi quia humiliasti me, ut discam justificationes tuas. Lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti; annis quibus vidimus mala.*

d. — Apostolis eripiebatur per mortem Christus, de cujus conspectu ipsi vivebant; et tamen dicitur, et vere dicitur, quod expedit eis, ut Christus ab eorum abscedat oculis. Et qualiter eis expedire potest tanta doloris occasio? Mundo et omnibus mundi bonis renuntiarant, ut Jesu præsentia fruerentur; imo et ipsam vitam contempserant pro Jesu, nec aliud sibi bonum cupiebant extra Jesu; modo Jesus eis eripitur et cum Jesu omnia illis gaudia eripi necessum est. Et hoc eis expedit? Ita est. Viris enim justis, nulla temporalis jactura, nulla temporalis tribulatio accidere potest, quæ eis non expediens et commoda sit propter varia bona ex tribulationibus dimanantia. Beatus Laurentius Justinianus de impiis scribens qui homines justos molestant et vexant, ita discurrit : « Utilitati inno- « centium militat vita pravorum, dum hos et pre- « mendo humiliat et humiliando semper ad melius « format. » Ubi agit de humilitate, hæc tradit : « Omnis disciplina in præsenti quidem non videtur « gaudii esse, sed mœroris; postea vero fructum « pacatissimum exercitatis per eam reddet justi- « tiæ. Fructus hic pacatissimus de quo loquitur « Apostolus, virtutum confirmatio est, atque adep- « tio. » Et quidem primum locum assignavit humilitati : « Efficitur namque per disciplinam exercita- « tus, corde humillimus, mente robustus, spe fre- « tus, charitate fervidus, Spiritus Sancti secum « cooperante præsentia. »

A nullo impulsu quadratus lapis non convenienter cadit; sic viro justo, omnis tribulationis impulsus conveniens advenit. Quacumque impellatur, apte et convenienter constituitur. Nihil viro justo, etsi durum, etsi acerbum, non expediens saluti, a Deo amante paratur. Tribulatio enim vitam gratiæ ac plura alia bona communicat, in gratia confor- mat, in virtute stabiles efficit.

e. — Quia Jesus adhuc a discipulis suis se humano amore diligi sciebat, ideo ait, suam absentiam illis expedire, ut sic eorum dilectio, quæ etsi bona et pia erat, tamen non adeo perfecta extabat, purificaretur omnino et perficeretur, non in corporalibus manens, sese elevans ad spiritualia et divina. Variæ enim requiruntur conditiones ut zelus sit ordinatus et conformis regulis rationis et virtutis; dicit S. Bernardus : « Zelum tuum inflammet charitas, « informet scientia, firmet constantia; sit fervidus, « sit circumspectus, sit invictus; nec teporem ha- « beat, nec discretione careat, nec timidus sit. » Sed esto quod absentia Jesu expediens fuisset discipulis, ut eorum zelus et dilectio perficeretur circa divina, cur necessum erat ad hoc, quod Jesus se per tam horribilem mortem absentaret? Modo de morte sua consolaturus discipulos, utilitatem suæ absen-

tiæ ad zelum et amorem perficiendum proponit. Cui amori perficiendo sufficiebat absentia Jesu simplex. Cur super hanc absentiam additur mors acerbissima, additur passio, qua crudeliter conteratur a carnificibus tota illa sanctissima humanitas, cum Apostoli circa sanctissimam humanitatem afficerentur, allecti incredibili ejus sapientia et comitate et pulchritudine? Ubi egit Christus Deus de eorum zelo perficiendo, et elevando ad sola divina, et spiritualia, suam humanitatem conterendam et deformandam carnificibus tradidit; ut doceret, quanto etiam nostri corporis dispendio, omere debeamus, quod fratrum amor omnino purus et perfectissimus in Deum abeat. Zelus enim, qui suam radicem infixam habet amori Dei, iste vel maxime zelotem constituit, ac defensorem honoris Dei. Audiamus doctrinam S. Antonini : « Causatur autem « seu producitur zelus ab amore intenso, ut effec- « tus ejus; quod ostenditur auctoritate, ratione et « distinctione. Auctoritate quidem, ut B. Dionysius « dicentis, *de divin. Nomin.*, IV, quod Deus appelli- « tur zelotes, juxta illud, *Exod.*, XX : *Ego sum Do-* « *minus Deus tuus, fortis, zelotes*, propter multum « amorem quem habet ad existentia et maxime ad « ea in quibus posuit et impressit imaginem suam, « sicut ad Angelum et hominem; ratione vero idem « probatur sic : Quanto virtus aliqua intensius ten- « dit in alia, tanto fortius repellit omne contrarium « et repugnans. Cum ergo zelus proveniat ex inten- « sione amoris, ut patet, ad zelum pertinere videtur « quod aliquis non patiatur consortium, vel amo- « rem contrarium in amato, ipsum refutans quan- « tum potest. Tertio probatur idem inductive; nam « dicitur quis zelare pro Deo et pro amico; et pro « Deo dicitur quis zelare, quando ea quæ sunt con- « tra honorem et voluntatem Dei repellere secun- « dum posse conatur; sicut legitur de Elia, III *Reg.*, « XIX, 10 : *Zelo zelatus sum pro Domino Deo.* Et « *Num.*, XXV, 11, de Phinees dicit Dominus : *Avertit* « *Phinees iram meam a filiis Israel, quia zelo meo* « *succensus*, id est, magno ardore honoris mei suc- « census, *motus est contra eos*, scilicet virum Israe- « litam et mulierem Madianitidem, interficiens eos « coeuntes simul. Pro amico zelare quando aliqua « quæ fiunt, vel dicuntur contra bonum amici, « homo repellere studet. »

f. — Ad illos potissimum Spiritus Sanctus venire solet qui omni humano auxilio destituti, spem omnem suam in sola ejus misericordia posuerunt, qui ab illo uno pendent, quique illius opem et auxilium semper implorant; de his enim dicitur : *Tibi derelictus est pauper; orphano tu eris adjutor.* Pauperes vero atque orphanos appellat eos, qui omni humano præsidio destituti sunt. His Deus suo adest auxilio quando tribulantur. Refert Josephus Hebræus, Philonem Judæorum legatum, quia a Caio imperatore cum indignatione et ira repudiabatur, ad suos conversum dixisse : « Nunc oportet bono animo esse, « quando Caius iratus est; nunc enim nobis Deus « contra illum aderit. » Quo atrociores Psalmista patiebatur calamitates et afflictiones, eo magis sibi propitium experiabatur Deum, majoremque Dei assistentiam : *Sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, et confermasti super me manum tuam.* Hemorrhoissa illa cunctas suas opes et pecunias exposuerat in medicos et medicinas, ut a sanguinis fluxu liberaretur; at frustra et sine ullo fructu. Derelicta ergo, omnique destituta humano subsidio, Christum accedere statuit, dicens intra se : *Si tetigero tantum vestimentum ejus, salva ero.* Duodecim anni jam effluxerant, quibus pertinaci hac laboraverat infirmitate : « Omnia « ejus bona medici devoraverant, » inquit Salmeron, « et jam non tantum sanitate sed etiam facultatibus « erat destituta; » et in hoc desperato statu, invenit Deum adjutorem suum.

Versus 8.

Et cum venerit ille, arguet mundum de peccato, et de justitia, et de judicio.

Et cum venerit ille, arguet.

1. — Quærit hoc loco Hugo Cardinalis, cur officium et munus istud non potius attribuatur Christo? Huic enim arguendi munus competere videtur. Primo, quia illi attribuitur sapientia : « Sapientis « autem proprium est arguere. » Secundo dicit idem Cardinalis, « *Pater non judicat quemquam, sed* « *omne judicium dedit Filio*; judicis autem est ar- « guere. » Tertio ei competit alium reprehendere vel arguere, cui competit munus Magistri : sed hoc competit Christo, cujus munus est docere : *Vos vocatis me, Magister.* Quarto, « quia arguere vide- « tur esse justitiæ severitatis; » hæc autem Spiritui Sancto improprie videntur convenire, utpote cujus fructus sunt inter alios pax, patientia, benignitas, mansuetudo. Tandem omnes has difficultates resolvit, et respondet : « Spiritus Sanctus dicitur ar- « guere, ad innuendum, quod pietate, misericordia, « benignitate debemus arguere. *Isa.*, XI, 1 : *Egre-* « *dietur virga de radice Jesse*, id est, correctio de « charitatis incendio. *Exod.*, XXXII, 27 : *Ponat vir* « *gladium super femur suum*, etc. *Occidat unus-* « *quisque*, etc., id est, arguat ex amore sicut ar- « guerret fratrem. II *Thes.*, III, 16 : *Nolite æstimare* « *ut inimicum, sed corripite ut fratrem.* » Alia vero ratio, quam adducit, ex Glossa desumpta fuit; dicit enim : « Quia Spiritus Sanctus reddit nos tales, ut « possimus arguere; tria enim impediunt, ne ali- « quis habeat auctoritatem arguendi alium : im- « munditia, ignorantia, et timor; hæc amovet « Spiritus Sanctus, quia purgat, illuminat, et cor- « roborat. » Citatque auctoritatem S. Gregorii, dicentis : « Superjectas sordes tergere non valent « manus, quæ lutum tenent. *Eccli.*, XXXIV, 4 : *Ab* « *immundo quid mundabitur?* »

2. — S. Augustinus hoc loco quærit, an Christus aliquando mundum reprehenderit, an vero id solum fecerit Spiritus Sanctus? « Numquid autem Christus « non arguit mundum? An forte quia Christus in « Judæorum tantum gente locutus est, mundum « non videtur arguisse? Spiritus autem Sanctus in « discipulis ejus toto orbe diffusis non unam gen- « tem intelligitur arguisse, sed mundum. »

3. — Hugo Cardinalis ait : « Item Spiritus Sanctus « dicitur arguere, quia ille maxime te redarguit, « in quo est gratia Spiritus Sancti, » citatque S. Gregorium, qui hanc expositionem sequenti sententia confirmat, dicens : « Quanto quis majoris gratiæ « lumen recipit, tanto reprehensibilem se esse « cognoscit, sicut pulvis apparet in radio solis, « qui non apparet in umbra. » Unde S. Franciscus se maximum totius mundi peccatorum esse censebat. S. Philippus Nerius ad Deum conversus, dicere nonnunquam solebat : « Ne nimium mihi, o Do- « mine, confidas, quia forte te traditurus essem; » item alias aliquando dicebat : « Nondum quidquam « boni face cœpi. »

4. — « Item, » inquit idem Cardinalis, « Spiri- « tus Sanctus, cui attribuitur benignitas et amor, « dicitur arguere, ad significandum quod magnæ « misericordiæ et amoris est, quando Deus arguit « nos, et corripit. *Hebr.*, XII, 6 : *Flagellat autem* « *omnem filium, quem recipit.* »

5. — Jansenius ad verbum hoc, *arguet*, melius intelligendum, distinctionem quamdam adhibet, dicens : « Sciendum, verbum *arguet*, dupliciter « posse hic accipi, videlicet aut pro corripere, « confutare et arguere, quod fere verbum illud « apud nos significat; aut pro certis argumentis « demonstrare et convincere; et quidem si priori « modo accipiatur, tunc in ablativis peccato, justi- « tia, et judicio, subaudienda sunt adjectiva diversa « hoc modo : arguet mundum de peccato admisso, « et de justitia spreta vel neglecta, et de judicio « item spreto et neglecto. »

6. — Lucas Brugensis vocem *arguet*, ita interpretatur, ut idem significet, quod *convincet* : « Alios « quidem sequente proventu emendationis, alios « vero permanentes pervicaces, convincet; sed non « gaudebit, torquebit tamen conscientiæ flagellis. »

7. — Quæri etiam hoc loco haud incongrue poterit, qua ratione idem Spiritus, qui Paracletus, id est, consolator denominatur : « Consolator op- « time, dulcis hospes animæ, dulce refrigerium, » eodem quoque tempore dicatur *arguere*; sed respondetur, reprehensionem illam ad hanc consolationem ordinari; siquidem culpam ab anima nostra propulsando, eidem gratiam suam inserit; hæc autem est, quæ consolationem nobis communicat et refrigerium.

Mundum.

8. — S. Augustinus, *in Cat.*, ait : « Quis audeat « dicere, quod per discipulos Christi arguat mun- « dum Spiritus Sanctus, et non arguat Christus, « cum clamet Apostolus : *An experimentum quæritis* « *ejus, qui in me loquitur Christus?* Quos itaque « arguit Spiritus Sanctus, utique et Christus; sed « dixit ille : *Arguet mundum*, quasi dicat : Ille « diffundet in cordibus vestris charitatem, sic enim « timore depulso arguendi habebitis libertatem. »

9. — S. Cyrillus Alexandrinus dicit, quo Spiritus Sanctus animas electas, id est, Dei honorem et gloriam zelantes occupando, mundanos sit reprehensurus : « Tunc certe, tunc mundum, hoc est, « imperitos et infideles adhuc, et voluptatum studiis « affixos ipsa redarguet, condemnabitque ut pecca- « tis obnoxios, suisque vitiis immorituros; mundi « quippe appellatio significat etiam eum, qui in « voluptatibus perpetuo volutatur, et ab impuri- « tate diabolica non recedit. » Hugo Cardinalis ait : « *Arguet ergo mundum*, id est, facit hominem « arguere in se, quod mundi est. »

10. — Toletus Mundi nomine Judaismum, omnesque alios Deo infideles populos intelligit : « *Mun-* « *dum*, id est, Judæos et Gentes, fidem Christi non « habentes. » Lucas Brugensis ait : « Omnis gene- « ris homines per mundum sparsos, replebit ille « orbem terrarum, cum ego solummodo in una « mundi parte hominum saluti servierim. »

De peccato.

11. — Toletus Redemptorem nostrum hoc verbo dicere voluisse existimat, quod Spiritus Sanctus reprehensurus sit omnes illos, qui se sive per legem naturæ, sive per Mosaicam salvandos esse credebant : « Arguet, opinantes se non esse in peccato, « nec indigere justitia Christi, sed suam, quæ per « legem Moysi, aut per opera, quæ secundum « legem naturalem fiunt, sibi sufficere; existiman- « tes etiam, se sub potestate diaboli non detineri, « sed liberos esse. »

12. — Albertus Magnus notat quod infidelitas per antonomasiam peccatum dicatur : « Est enim « hoc peccatum, » inquit, « quod antonomastice « est peccatum infidelitatis. *Jer.*, II, 19 : *Arguet te* « *malitia tua et aversio tua increpabit te; et vide* « *quia malum et amarum est te dereliquisse Domi-* « *num Deum tuum.* » Et quidem hujusce infidelitatis malitiam, factæ per eum divinitatis suæ demonstrationes notabiliter aggravant. « Excusationem de « peccato infidelitatis eorum habere non possunt; » quot enim ad divinitatem suam comprobandam miracula patraverat? quot figuræ et prophetiæ de ea verificatæ fuerant? unde illum Joannis, IX, 41, textum adducit : *Si cæci essetis, non haberetis peccatum; nunc autem quia dicitis, videmus, peccatum*

vestrum manet. Theophylactus eodem sensu verba illa exponit, dum ait : « *Arguet mundum*, id est, « ostendet eos peccatores, quia non credunt; » qui idem verba illa non solum de Judaismo, sed de omnibus aliis terræ populis interpretatur : « Quando « enim viderint per manus discipulorum, in Spiritu « egregia signa et miracula fieri, et neque sic cre- « dent, quomodo non condemnatione digni, et « peccato maximo obnoxii? » Fatendum quidem est, quod dicere possint (ita in persona Christi loquitur) me, tametsi miracula patrantem, fabri tamen et pauperis cujusdam mulieris filium esse ; « Tunc autem incredulitas omni carebit excusa- « tione, Spiritu in nomine meo talia perficiente. » S. Chrysostomus, *Hom.* XXVI *in Joan.*, ait : « Arguet « et ostendet eos sine venia peccasse, non credentes « in me, dum videbunt, Spiritus Sancti donationem « ineffabilem, invocato me, fieri. »

13. — S. Thomas, in *Joan.*, ait : « Et peccato « quod commiserunt : *Annuntia populo meo scelera* « *eorum*, » hoc namque fine Spiritus Sanctus verbi Dei ministris et prædicatoribus Apostolicis præcipue infunditur, et linguas eorum eloquentes efficit, ut reprehendant vitia, exaggerent peccati malitiam, illudque pro viribus eradicare conentur; non vero ut ad laudem et applausum popularem sibi comparandum, memoriæ, ingenii atque doctrinæ ostentationem faciant.

Et de justitia.

14. — S. Thomas dicit : « *De justitia*, quam « neglexerunt, justitiam non fecerunt. » Interlinearis ait : « De justitia, quam non imitantur. » Alcuinus vero dicit : « Arguet de justitia croden- « tium, quia exemplum eorum sequi noluerunt. »

15. — Albertus Magnus verbum istud ad Christi refert exemplaritatem et perfectionem : « *De justi-* « *tia*, quam ego quidem feci, sed ipsi eam negave- « runt. *Rom.*, X, 4 : *Finis legis Christus ad justitiam* « *omni credenti*; et ibidem : *Ignorantes Dei justitiam* « *et suam quærentes statuere, justitiæ Dei non se* « *subjecerunt.* »

16. — Venerabilis Beda cavendum nobis esse monet, ne persuadeamus, quod Spiritus Sanctus nobis nostram improperaturus sit bonitatem et perfectionem : « Arguendum quiquam putabit et jus- « tum, propterea quia justus est? Absit? nam etsi « aliquando justus arguitur, ideo recte agitur, quia « sicut scriptum est, *Eccle.*, VII, 21 : *Non est justus* « *in terra, qui faciat bonum et non peccet*; quocirca « etiam cum justus arguitur de peccato, arguitur « non de justitia, quoniam de illo, quod egimus, « divinitus dictum, *Eccle.*, VII, 17 : *Noli effici justus* « *multum, nam est notata justitia sapientis, sed super-* « *bia præsumentis.* » Valde considerabilia sunt illa S. Bernardi verba, qui in sermone XXI *in Para.*, hunc adducens textum Evangelicum, ait : « Spiritus « Sanctus arguet mundum de peccato, quod dissi- « mulat; de justitia, quam non ordinat, dum sibi, « non Deo eam dat; de judicio quod usurpat, dum « tam de se quam de aliis temere judicat. »

17. — Toletus dicit, quod in ipso, quo mundus de incredulitatis suæ peccato redarguetur, simul etiam clare convincendus sit, quod per nullam aliam legem quam per Evangelicam salvari poterit : « Convincetur de vera justitia Christi, id est, « neminem justum esse posse vera justitia, quæ « apud Deum justum facit, nisi per fidem Christi; « hic enim est, qui morte sua nobis justitiam com- « paravit, *Rom.*, III, 22 : *Justitia Dei per fidem Jesu* « *Christi in omnes et super omnes qui credunt in eum.* « *Ps.* XCVI, 2 : *Revelavit in conspectu gentium justi-* « *tiam suam.* »

De judicio.

18. — Interlinearis exponit : « *De judicio*, quod « non timet. » S. Thomas ait : « Quod contempse- « runt. » Hugo Cardinalis dicit : « Peccatum fecit, « justitiam omisit, ergo judicium damnationis in- « currit. »

19. — Toletus Christum dicere voluisse censet, quod Spiritus Sanctus Christum esse supremum judicem, mundo sit manifestaturus : « Mundum de « judicio convincere et redarguere nihil aliud est « quam mundo ostendere et declarare, Christum « esse judicem omnium vivorum et mortuorum, « omnesque ab ipso in carne judicandos. »

Additiones.

a. — *Et cum venerit ille arguet mundum de peccato*, hoc est, increpabit, ut pateat evidenter, ipsos esse sceleris convictos, qui auditis tot Scripturarum testimoniis, ac tam efficacibus rationibus, tantisque visis miraculis, in Christum noluerunt credere, atque a suis peccatis se emendare, quod extremæ vitiositatis et malitiæ est. Quæ peccati malitia amplius ostenditur, cum Spiritus Sanctus reprehensor futurus asseritur. Ecquis enim ipse Christus Deus, qui est Dei Verbum et Sapientia Dei, hoc arguendi mundum munus non obit? Proprium enim est sapientiæ arguere? Amorne præ sapientia erit magis ad arguendum idoneus? Ut insinuetur gravitas eorum peccatorum, quæ ex malitia, data opera et plena deliberatione committuntur, quasi pro iisdem arguendis, ipsa Dei Patris sapientia non sit sufficiens; sed et ipse Spiritus divinus, qui amor est, accersiri necessum sit.

Pro dignitate sufficienter exprimi nequit, quantopere divina Majestas per peccata ex malitia, non vero ex fragilitate commissa, offendatur. Pro cujus intelligentia audiatis velim, qualiter Deus per os Psalmistæ adversus unum hoc modo peccantium lamentatur : *Tu vero*, inquit, *Psal.* XLIX, 17, *odisti disciplinam et projecisti sermones meos retrorsum : si videbas furem currebas cum eo et cum adulteris, portionem tuam ponebas; os tuum abundabat malitia et lingua tua concinnabat dolos; sedens adversus fratrem tuum loquebaris, et adversus filium matris tuæ ponebas scandalum.* Quibus verbis nonnulli delinquantur homines, qui die ac nocte aliud non cogitant, nec alteri rei student, quam solum prævaricandis divinis legibus. Ac proinde S. Chrysostomus super hunc Psalmum ita scribit : « Vidisti insignem improbita- « tem? Vidisti studium et præmeditationem? » Hoc enim Deum maxime irritat quando consulto, et præmeditate, et dedita opera, ab improbis mala fiunt. Aliud enim est, cum quis deceptus et seductus labitur; aliud, cum quis vitium et improbitatem exercet et aliud rursum, quod est crimen maximum, quando se improbe gerunt in eum qui non est improbus.

S. Joannes Apostolus in prima Epistola sua, V, 15 : scribit : *Qui scit fratrem suum peccare peccato non ad mortem petat et dabitur ei vita peccantis non ad mortem. Est peccatum ad mortem; non pro illo dico ut roget quis.* At vero quodnam est peccatum istud, quod magis ad mortem tendit, et pro quo S. Joannes nulli suadere audet, ut pro illo intercedat, quasi indulgentia illius sit impossibilis, vel saltem admodum difficilis? S. Bernardus in sermone quodam, cui titulus est, *de cute, et carne, et ossibus animæ*, idipsum explicat, dicens : « Intentionem et « propositum mentis ea sollicitudine custodiamus, « fratres, qua vitam animarum nostrarum volumus « custodire; quoniam istud omnino est peccatum « ad mortem cum ex consensu et deliberatione de- « linquimus, proprio judicio condemnati. »

b. — Spiritus Sanctus adveniens arguet et convincet qua Judæos, qua gentes, quia auditis tot Scripturarum testimoniis et tam efficacibus rationibus, tantisque miraculis Christi visis, noluerunt credere, a suisque peccatis se emendare. Gravius autem arguendi sunt fideles, quod jam communicato et suscepto fidei lumini, non correspondeant. S. Paulus Apostolus dicit, *Hebr.*, X, 26 : *Irritum quis faciens legem Moysi, sine ulla miseratione, duobus, vel tribus testibus moritur; quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit et sanguinem Testamenti polluerit, in quo sanctificatus est; et spiritui gratiæ contumeliam fecerit?* Pagani, Mahometani, Judæi quos sanguis Christi in Sacramenta transfusus non abluit, quemadmodum nos, neque aquæ baptismatis sanctificarunt, ipsum minus conculcant, quam nos, dum male vivimus. Non ipsi, sed nos cum Christo promissa stipulatis manibus inivimus, quando sub ipsius labaro militare cœpimus; nil horum infideles attentarunt. Nos qui in veritatibus Evangelicis catechizati sumus, nullam, quemadmodum illi inscitiam prætendere possumus. Ecce igitur vobis causam, cur inexcusabiles futuri simus, majoribusque suppliciis subjiciendi.

« Utique hoc ipso, » inquit Salvianus, « magis per « nomen sacratissimum rei sumus, quia a sancto « nomine discrepamus; nam et ideo plus sub reli- « gionis titulo, Deum lædimus, quia positi in reli- « gione peccamus. » Quam eamdem doctrinam S. Chrysostomus his verbis expressit : « Non tam « enim quasi homo simpliciter, sed ut Dei filius « peccans, severius punieris, et ipsa excellentia « dignitatis majoris tibi fiet causa suppliciii. »

c. — « Arguitur mundus *de peccato*, » inquit « S. Augustinus, *tract.* XCIX, « scilicet quia in Chris- « tum non credit; et arguitur de justitia eorum qui « credunt. Ipsa quippe fidelium comparatio, infide- « lium est vituperatio; unde quantum malum sit « eorum qui non credunt, ex bono potest apparere « eorum qui credunt. » Arguet mundum Spiritus Sanctus de justitia Apostolorum, atque credentium et quod mundus eorum justitiam, virtutes ac opera imitari nolit, visoque tanto eorum exemplo virtutum, illud sequi contempsit; maxime cum bonum exemplum magnæ sit efficaciæ, ut impios ad Deum convertat, et numerum fidelium in Ecclesia adaugeat. S. Petrus Apostolorum Princeps, tanquam vigilans pastor, dispersum gentilitatis gregem in præreptis vitiorum et idololatriæ aberrantem, ad Ecclesiæ ovile sollicite reducere volens, unicum ad id obtinendum censuit esse medium, si fidelibus efficaciter persuaderet, bonum coram gentilibus edendum bonæ conversationis exemplum; ideoque in prima Epistola, II, 12, inquit : *Charissimi obsecro vos abstinere a carnalibus desideriis, conversationem vestram inter gentes habentes bonam, ut et bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum*; quia, ut Glossa ait : « Plerumque contigit, ut pagani, qui « vituperabant fidem Christianorum, postea consi- « derantes bonam eorum conversationem, Chris- « tum laudare incipiant. » Sic enim ut ex historiis constat, gentiles eos qui Evangelium sectabantur, de quibusvis execrandis criminibus calumniose accusabant, eosque tanquam deorum suorum inimicos abominantes, omnium calamitatum et ærumnarum, rempublicam prementium, causam esse existimabant; at vero occulte, immaculatam et exemplarem illorum vitam considerantes et admirantes, ut S. Petrus ait, ab errore resipuerunt, Deoque corda illorum tangente, falsas sectas suas abjurarunt, seque suavi legis Christi jugo libenter subjecerunt; atque proinde idem S. Petrus ait : *Ut in eo, quod detrectant, tanquam de male factoribus, ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum in die visitationis.* Quem textum Dionysius Carthusianus exponens ait : « Opera vestra eviden- « ter excellenterque virtuosa pensantes et ex eis « ipsa veritate convicti, bonos vos esse recogno- « scentes, sanctitatem Dei pensent ac fateantur in « die visitationis, cum corda eorum irradiaverit « et visitaverit gratia Spiritus Sancti, dum ex præ-

« dicta consideratione compuncti fuerint et con-
« versi. »

d. — Spiritus Sanctus adveniens *arguet mundum de judicio*; faciet nempe, ut Apostoli invocato nomine Jesu, diabolum qui in orbe principabatur, ejiciant ex templis, mentibus, ac corporibus hominum, quæ ab eo possessa erant, ejusque totum regnum evertatur ac destruatur. Et si Deus non pepercit capiti ac principi diabolo, scilicet etiam non parcet membris, ac subditis ejus; ac propterea Christus finale judicium rigorosissimum infallibile nobis prædixit, ut in illo iram ejus effugiamus, nosque ad illud per bona opera preparemus.

e. — Quæstio hic non levis oritur, cur Christus Dominus, qui est Sapientia Patris, ipsum mundum non arguat, sed hoc tantum adscribat Spiritui Sancto? Respondetur, illud de quo mundus arguendus erat, crimina erant et injuriæ in Christum commissæ; tamen libentius ad nostram instructionem hoc judicium Spiritui Sancto committit, ut nos injuriarum doceat tolerantiam, majoremque victoriam esse injuriarum oblivisci quam eas ulcisci. S. Gregorius, *Hom.* XVIII, ait : « Nemo se « contra acceptas contumelias erigat, nemo con- « viciis convicium reddat; imitatione enim Dei glo- « riosus est injuriam tacendo fugere quam respon- « dendo superare. »

f. — Merito postremo loco dicit Dominus arguendum a Spiritu Sancto mundum de judicio, hoc est convincendum mundum, sibi manere judicium. Ubi enim cogitur mundus timere judicium, universa mundana decora funditus perduntur, cadit superbia et fastus. Quem ut de consideratione judicii effectum referas, frequens tibi sit consideratio mortis, quæ tibi ad judicium parat viam. Principes quidem in hoc mundo cunctis terrenis abundant, eadem vero in novissima mortis hora, vel inviti deserere coguntur; unde David propheta regio diademate redimitus, protestatur, *Psal.* XLVIII, 17, dicens : *Cum interierit non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria ejus.* Et ideo servorum obsequia, famulitii splendor, omnesque aliæ pompæ et apparatus ad solum usque durant sepulcrum; mox vero ut loculis inclusi monumentis inferuntur, præter vermes, cadavera eorum depascentes, aliud famulitium non habent. Unde S. Basilius, *Orat.* XXIV, ait : « Contemplare sepulcra; vide num pote- « ris discernere, quisnam servus, quis Dominus, « quis pauper, quis locuples fuerit. Dijudica, si « tantum tibi est ingenii vinctum a rege, robustum « ab imbecilli, formosum a deformi : hoc modo si « fatalem naturæ cursum tecum expenderis, nun- « quam me hercule intumesces. »

g. — S. Cyrillus Alexandrinus dicit, quod Spiritus Sanctus animas electas, id est, Dei honorem et gloriam zelantes, occupando, mundanos sit reprehensurus : « Tunc certe, tunc mundum, hoc est « imperitos et infideles ad hoc, et voluptatum stu- « diis affixos, ipsa re arguet, condemnabitque, ut « peccatis obnoxios, suisque vitiis immorituros. » Mundi quippe appellatio significat etiam illos qui in voluptatibus perpetuo volutantur, et ab impuritate diabolica non recedunt. *Arguet mundum*, id est, detestabilem esse ostendet. Ubicumque enim in sacra Scriptura mundi fit mentio, semper quoque omnis malitia memoratur, quia *totus mundus in maligno positus est.* Isaias Abbas, *in Joan.*, inquit : « Amicitia mundi inimicitia est in Deum. Dilectus « Dominus noster Jesus, cum sciret mundum offerre « nobis peccati molestiam, donec illum relinqua- « mus, discipulos suos confirmavit : *Venit*, inquit, « *princeps mundi hujus et in me nihil eorum quæ* « *ipsi sunt invenit.* »

h. — Nec immerito dicitur, quod adveniens Spiritus Sanctus reprehendet mundum; ipse enim sanctus est et omnino irreprehensibilis, adeoque alios merito arguere et reprehendere potest. Nam irreprehensibilis in se esse debet, qui alios corrigendi munus exercet. Impios corrigere perfectæ et probatæ virtutis opus est, ipsomet Sapiente teste, qui ait, *Sap.*, I, 3 : *Probata virtus corripit insipientes.* Ac proinde sanctus et regius Propheta David dicebat, *Psal.* CXL, 5 : *Corripiet me justus in misericordia et increpabit me.* Non enim reprehensionem declinabat sed eam a viro justo et perfecto præstolari debebat. Porro toti mundo, imo et cœlo nota est S. Bernardi sanctitas et innocentia et tamen se sanctitate ad alios reprehendendos sufficiente donatum non esse lamentabatur dicens : « Multitudi- « nem iniquitatum mearum expavescens, aliorum « transgressiones reprehendere timui et ideo mor- « tis auctor extiti, quia virus quod expellere potui « non expui. » Quamnam putatis esse rationem quod correctores a S. Paulo, *Galat.*, VI, 1, spirituales et non virtuosi, perfecti, sancti appellentur : *Vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite?* Omnino ideo hoc factum esse credo, quia delinquentes corrigere et in divina lege instruere proprium est Spiritus Sancti officium; ac proinde Christus ait : *Cum venerit ille arguet mundum*; quia ad reprehendendum, monendum et corrigendum alios spiritu opus est et quadam superhumana bonitate.

i. — *Cur arguet mundum de justitia?* Mundus se pro justo reputabat, Christum vero Salvatorem ut injustum ac populi seductorem condemnabat, non attento quod Christus ut verus Dei Filius, solus esset justus, ac justitiæ amator; ipsi autem homines iniqui, injusti ac perversi. Merito igitur arguet mundum de justitia, quando ipse pandet tandem Christo Domino, magnam factam esse injuriam : Deus enim similes injustitias, quæ merito pro calumniis reputandæ sunt, earum falsitatem detegere solet. Neque hæc injustitia Christi tempore fuit cum etiam modo adhuc frequenter contingat, quod

malignus ac depravatus se erigat et opponat contra justum, adversusque eum multa loquatur, justi enim specialiter a calumniis infestantur. Ipsa nos experientia per omnia sæcula docuit, quod pessima calumniæ rizania inimici infernalis opera, ut plurimum in agrum tritico seminatum spargatur, sicut et sagitta, ex intentione arcum laxantis, in partem metæ albam evibratur, id est, in eum in quo innocentia et sanctæ ac immaculatæ vitæ candor viget, calumnia communiter effunditur. Unde Sapiens ait : *Calumnia conturbat sapientem, Eccle.*, VII, 8. David, *vir erat secundum cor Dei*, ac proinde meta fuit, in quem maligni homines, impositurarum suarum tela ejaculabant; atque ideo petebat : *Redime me a calumniis hominum.* De S. Jobo ipsamet æterna veritas testimonium perhibet quod in universa terra nullus ei in sanctitate similis extiterit et ideo, inquit S. Augustinus, tot fuit calumniarum nævis denigratus.

j. — Spiritus Sanctus *arguet mundum de judicio.* Confundet mundum in judicio quia nulli hominum proderet excusatio hæc, quasi a diabolo ad peccatum coactus fuerit. Imo nec unquam in ulla lege hanc Deus admisit excusationem ut legitimam, quia nunquam potest diabolus inferre vim liberæ voluntati. Et nunc quidem cum vires ejus contractæ sint : « Posset inimicus excitare tentationis motum, » inquit S. Bernardus, « sed in te est, si volueris, dare « aut negare consensum; in tua facultate est, si « volueris, inimicum tuum facere servum tuum ut « omnia cooperentur tibi in bonum. » Audi et S. Hieronymum : « Ille superbus et temerarius vult « ascendere, sed etiam si te oppressum putaverit et « te extuleris, tu ne dederis locum; potestas nam- « que diaboli, non in temeritate illius, atque jactan- « tia, sed in tua est voluntate. »

VERSUS 9.

De peccato quidem, quia non crediderunt in me.

1. — Rupertus Abbas Tuitiensis peccati nomine hoc loco transgressionem et inobedientiam primorum parentum intelligit, a quo quavis alia inordinatio originem suam habuit : « Omnis injustitia vel « inobedientia veteris hominis. »

2. — S. Augustinus infidelitatem intelligit : « Filios autem diaboli infidelitas facit, quod pecca- « tum proprie vocatur quasi solum sit, si non « exprimatur quale peccatum sit; » datque exemplum in S. Paulo, qui per antonomasiam vocatur Apostolus, ipseque solus hoc nomine et titulo intelligitur, nisi aliquid aliud in particulari addatur, aut specificetur.

3. — Hugo Cardinalis aliquot motiva adducit, ob quæ peccatum reprehensibile existit : « Primo, « propter rupturam fœderis in baptismo, *Is.*, LV, 3 : « *Feriam vobiscum pactum sempiternum, quod nun-* « *quam debemus frangere.* Secundo, propter inobe- « dientiam et contemptum in peccato. Tertio, « propter ingratitudinem. Quarto, de vilitate pec- « cati. Quinto, de immisericordia sui, quia per « quodlibet peccatum interficit animam propriam. « Sexto, arguit de contristatione Spiritus Sancti. « *Ad Ephes.*, IV, 30 : *Nolite contristare Spiritum* « *Sanctum.* »

VERSUS 10.

De justitia vero, quia ad Patrem vado, et jam non videbitis me.

1. — Albertus Magnus ait : « *De justitia*, quam « exhibet et quam illi semper calumniati sunt, « dicentes, me Patri esse contrarium, arguet Spiri- « tus Sanctus, *quia ad Patrem vado*; » ex eo enim, quod in cœlos ascenderit, dexteræque Patris assideat, satis constabit quod in cunctis operibus suis æterno Patri suo conformis per omnia fuerit.

2. — Rupertus Abbas ait : « Per justitiam, quam « sic designavit, dicens, *quia ad Patrem vado*, « omnis justitia vel obedientia novi hominis intel- « ligenda est; de quibus utique, scilicet peccato et « justitia mundum Spiritus Sanctus in eo redar- « guit, quia per prædicatores suos urgere non « desinit, ut exuant veterem hominem et induant « novum, qui secundum Deum creatus est in justi- « tia et sanctitate veritatis.

3. — Theophylactus Christum dicere voluisse opinatur, quod Spiritus Sanctus eo ipso, quo post Christi in cœlos ascensionem, innocentiæ et sanctitatis ejus perhibiturus est testimonium, simul etiam illatæ ipsi mortis declaraturus sit injustitiam. Hanc quoque rationem S. Chrysostomus adducit, *Hom.* LXXVII *in Joan.*, dicens : « Ire ad Patrem erit argu- « mentum, quod irreprehensibilem agebam vitam, « ut non possint adhuc dicere, quia *hic homo* « *peccator est et non est ex Deo.* »

4. — Dionysius Carthusianus ideo illos reprehendendos fuisse dicit, quia ipso ad Patrem ascendente, illi bona opera omittebant, cum tamen eum jam in cœlo glorificatum potius magis venerari debuissent : « *De justitia* missa ab eis arguit eos, *quia ad* « *Patrem vado*, propter quod mihi glorificato, et « super omnes cœlos exaltato magis quam ante « obedire debuerant, cum vidissent atque audissent « sufficientia fidei argumenta. »

5. — Hugo Cardinalis duas præcipue causas observat, ob quas mundus eo quod christiana opera facere neglexerit, hanc reprehensionem promeritus fuerit. « Prima est propter exemplum, « *quia ad Patrem vado*, per passionem et crucem, « viam faciens ad glorificationem. Secunda est « propter præmium, ad quod ivit per justitiam. »

6. — S. Augustinus, in sermone LXI *de verb. Dom.*, super hæc verba hunc fere in modum dis-

currit : « Cur in eo voluit nominare justitiam, quia « ad Patrem vadit? num non justitia est etiam « quod huc venit a Patre? an illa potius miseri- « cordia est, quod venit ad nos a Patre; justitia « vero, quod ad Patrem vadit? An quia miseri- « cordia est quod venit, ideo justitia est quod « vadit? ut et in nobis discamus impleri posse jus- « titiam, si pigri non fuerimus prærogare miseri- « cordiam, non quæ nostra sunt, quærentes, sed « quæ aliorum? »

7. — In sensu morali Hugo verba illa sic exponit : « *De justitia*, quam non fecerunt, vel omise- « runt, quod fit in præsenti, quando illuminatus « aliquis per gratiam, arguit in se, quæ non fecit « opera justitiæ, vel justitiam vocat opus cujuslibet « virtutis generaliter; arguit ergo de justitia, quam « non fecerunt per sex causas. Primo, quia opera « justitiæ consona sunt naturæ. *Job.*, XXXI, 18 : *Ab « infantia crevit mecum misericordia*. Secundo, quia « facilius est justitia. *Prov.*, III, 17 : *Viæ ejus, viæ « pulchræ*, etc. *In mari rubro via sine impedimento*. « Tertio, quia dulcedine respersa est justitia, et « iniquitas amaritudine. Quarto, quia ad facienda « opera justitiæ plures et fortiores coadjutores « habemus, quam ad faciendum malum. IV *Reg.*, « VI, 16 : *Noli timere; plures enim nobiscum sunt, « quam cum illis*. Quinto, quia multis et manifes- « tissimis Sanctorum exemplis manifestata est nobis « justitia. Sexto, quia justitia fructuosa est. »

Versus 11.

De judicio autem, quia princeps hujus mundi jam judicatus est.

1. — Jansenius intelligentiam horum verborum Christi a versu octavo usque ad versum undecimum intellectu et explicatu difficilem esse dicit : « Obscu- « rus admodum est hic locus, quod dicitur de tribus « Spiritum redarguturum mundum, ita ut propter « obscuritatem ipsius, varie admodum a diversis « tractetur interpretibus, et vix quisquam satisfacit « studioso lectori. »

2. — Toletus per hoc principis tenebrarum judicium, non intelligit illud, in quo ob suam arrogantiam et superbiam, ad ignes condemnatus fuit, sed aliud, illud nimirum, per quod tyrannide et dominio privatus fuit, quo sibi universum quasi mundum per idololatriam subjecerat. Theophylactus aliud quoddam motivum adducit, dum ait : « Hoc est, « etiam per hoc me justum et a peccato immunem « iterum ostendit me Spiritus, eo quod rector mundi « a me judicatus est, et victus. « Judæi quippe ipsum calumniati fuerant, dicendo : *Dæmonium habes; in Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia*; dicere igitur hic Christus voluit : hoc totum falsum esse apparebit, dum dæmonem a me victum et debellatum esse videbunt. Eamdem quoque expositionem Albertus Magnus his verbis adducit : « *De judicio*, quo me judicaverunt, injuste con- « demnantes; » idque evidenter probat, dicens : « Quia propter meum judicium, quo injuste ab eis « condemnatus sum, princeps hujus mundi diabo- « lus, qui in me extendit manus, eum in me nihil « juris haberet, jam judicatus est; » adducitque verba illa *Joan.*, XII, 13 : *Nunc judicium est mundi, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras*; et ideo declarat, quod arguere hoc loco idem sit quod manifestare, juxta id quod habetur ad *Eph.*, V, 13 : *Quæ arguantur, a lumine manifestantur*; « et quia « Spiritus hoc per Apostolos manifestat, tunc ar- « guere dicitur; manifestat enim peccatum mundi, « justitiam Christi, tantum esse judicium diaboli. »

3. — S. Augustinus ait : « Videntes animas de « inferis ire in cœlos, agnoverunt adjudicatum esse « principem hujus mundi, et reum factum in causa « Salvatoris, cum quæ tenebat jure amitteret. Hæc « quidem ascendente Salvatore visa sunt, sed super- « veniente in discipulos Spiritu Sancto, palam aper- « teque manifestata sunt; vera enim correptio tunc « fuit, quando post passionem resurrectionemque, « ad testimonium Salvatoris, publice a perfidis « videbantur resurgentes mortui, claudi currentes, « leprosi mundati, paralytici confirmati, cæci aspi- « cere, surdi audire, muti eloqui. Hoc modo Spiri- « tus Sanctus arguit mundum, quia in nomine « Salvatoris, qui reprobatus est a mundo, omnium « curationum virtutes operatus est. »

4. — Lucas Brugensis clarum et evidens devicti et prostrati Luciferi signum tradit, dum in persona Christi loquens, dicit : « *In nomine meo*, vel solo « signo crucis meæ, passim ubique ejicietur idolis, « simulachris et templis, expelletur hominum cor- « poribus ac moribus, idque evidenter ac palam « toto observante orbe terrarum. » Unde ad Colos- senses, I, 13, dicitur : *Eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum Filii dilectionis suæ*.

5. — S. Thomas, per mundum, homines mundanos intelligit, quorum dæmon caput est et dominus, « non creatione, sed suggestione et imitatione. « *Job.*, XLI, 25 : *Ipse est rex super omnes filios « superbiæ*; hic ergo princeps jam judicatus est, « expulsus foras. » Qui idem Angelicus Doctor Christum hoc dicere asserit, ut omnem illis excu- sandi rationem præscindat, qui vehementiam et violentiam tentationis allegando, se defendunt et excusant : « Quasi dicat : Excusari non possunt, « quia expulsus est diabolus per gratiam et fidem « Christi, et Spiritum Sanctum a cordibus fidelium, « ita ut non tentet interius sicut ante, sed solum « exterius per exercitationem permissus, et ideo « resistere possunt ei, qui volunt adhærere Christo, « de hoc ergo judicio mundus arguitur, quia a « diabolo vincitur, resistere nolens; arguitur etiam « mundus de judicio, quia sciens mundi hujus prin-

« cipem condemnatum esse, non evadet etiam ipse « hoc judicium, sed cum suo principe judicatur, « quoniam superbum atque impium imitatur. »

6. — Dionysius Carthusianus illo judicio exponit, ad quod omnes animæ præsentari debebunt; in hoc enim Spiritus Sanctus homini, quod illud neutiquam timuerit, efficaciter exprobrabit : « De judicio « divino, quod non timuerunt. « Et quidem quamnam omnis vitii, omnisque offensæ Dei causam esse existimatis? *Inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore*; sed unde id factum est? *Auferentur judicia tua a facie ejus*. S. Augustinus, *Serm.* XXV *de temp.*, ait : « Puto, quod magna sit peccati pœna, metum « ac memoriam perdidisse futuri judicii. » Hugo Cardinalis hæc Evangelii verba interpretans, dicit : « Quod non timuerunt et tamen timere debuerunt. « Proponit causam timendi judicium, quia diabolo, « qui erat pretiosissima creatura, non pepercit. »

7. — Lucas Brugensis quatuor illorum antece- dentium versuum sensum in paucis hisce verbis restringit : « Summa est, quod Spiritus Sanctus « convincet mundum, quod peccati sit servus justi- « tia vacuus et æterna damnatione dignus, eo quod « non credat in Redemptorem, quin potius spreto « eo justitiæ doctore et auctore, adhærat diabolo, « hosti a Deo damnato ac proscripto. »

Versus 12.

Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo.

Multa habeo vobis dicere.

1. — Equidem quidnam discipulis suis dicen- dum habuerit, certo quidem scire non possumus; verumtamen certum est, quod in quadraginta illis diebus, quibus post suam resurrectionem inter eos fuit commoratus, ipsis sæpenumero apparuerit, eosque de multis mysteriis, quæ antea ipsis non revelaverat, instruxerit, *Act. Ap.*, III, 3 : *Per dies quadraginta apparens eis et loquens de regno Dei*. Lucas Brugensis ait : « Quæ restabant Christo di- « cenda, videntur fuisse mysteria de partu virgineo, « de descensu ad inferos, de antiquanda lege, de « vocatione gentium, de modo regendi Ecclesiam. »

Sed non potestis portare modo.

2. — Quænam illa intelligentiam et capacitatem illorum superexcedentia mysteria fuerint, S. Tho- mas, *in Joan.*, hisce verbis declarat : « Fuerunt « nimirum plena cognitio divinorum, quam non « habebant tunc, puta æqualitatem Filii ad Patrem « et hujusmodi. Item spiritualis intellectus omnium « Scripturarum, quem tunc non habebant, sed « quando aperuit illi sensum, ut intelligerent; item « passiones ac pericula, quæ passuri erant, quæ « tunc portare non poterant, quia animi eorum « imbecilles erant. » Dionysius Carthusianus cau- sam hujus incapacitatis, excessivæ illorum tristitiæ adscribit : « Non potestis capere, intelligere, reti- « nere modo, quia inquieti, tristes et pavidi estis. »

3. — S. Bonaventura ait : « Nondum erant ido- « nei mori pro Christo, » prout experientia in S. Petro sufficienter edocuit : « Loquitur ergo, quod « non poterant portare pœnam mortis et martyrii « pro Christo. »

4. — Lyranus hisce verbis Spiritus Sancti, res- pectu Apostolorum, veritatem et efficaciam demon- strari observat : « Quæ consistit in illustratione « ipsorum de profundis et altissimis fidei secretis, « *non potestis portare* propter vestram imperfec- « tionem et eorum arduitatem. »

5. — Sapientissimus Magister Christus hisce ver- his quoque discrelionem docet, quæ nobis necessa- ria est in erudiendis et docendis aliis, *Eccli.*, XXXII, 6 : *Ubi non est auditus, non effundas sermonem*. Con- siderabilia porro sunt verba illa Macrobii, quæ in Saturnalibus tradit, ad instructionem illorum, qui- bus ex officio alios instruere incumbit. « Nil tam « cognatum sapientiæ, quam locis et temporibus « aptare sermones, personarum, quo aderunt, æsti- « matione in medium vocata; » quod monitum parum curatur ab iis, qui verbum Dei nonnunquam per doctrinas theologicas et scholasticas adeo subli- mes et cum tali rhetoricorum colorum ornamento subministrant, ut auscultatores illorum, ejuscemodi dictionis incapaces, parum vel nihil inde proficiant.

Versus 13.

Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem, non enim loquetur a semetipso, sed quæcumque audiet, loquetur, et quæ ventura sunt, annuntiabit vobis.

Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.

1. — Ecclesia in Feria quarta Pentecostes, loco primæ Collectæ hanc orationem ad Missam com- muniter legit : « Mentes nostras, quæsumus, Domine, « Paraclytus, qui a te procedit, illuminet et indu- « cat in omnem, sicut tuus promisit Filius, verita- « tem. »

2. — Albertus Magnus optime nos monet, ne videlicet omni veritati ediscendæ intenti simus, sed solum illi, quam æternæ salutis nostræ expedien- tem esse noverimus : « Omnem veritatem, saluti « videlicet necessariam, quia alia veritas potius est « vanitas, sed in scientia, quæ secundum pietatem « est, solida et simplex invenitur veritas. »

3. — Cajetanus pariter de fidei nostræ veritate interpretatur : « Ecce fructus : Quamvis ego multa « taceam vobis dicenda, ille tamen ducet vos, non « solum in veritatem illorum multorum, quæ taceo,

« sed etiam in omnem veritatem, intellige christianæ fidei. »

4. — Alcuinus verba hæc non solum de veritatum christianarum intelligentia, sed etiam earumdem amore exponit, quem Spiritus Sanctus illis suggeret, ne in errorem aliquem, puritati fidei catholicæ contrarium, incidat : « Quasi diceret : « Diffundet in cordibus vestris charitatem, quæ vos « omnem veritatem faciet amare, cujus magisterio « intus edocti, proficiatis de virtute in virtutem. » Lyranus ita explicat verba, *omnem veritatem* : « Id « est, necessariam ad salutem, non solum pro per- « sonis vestris, sed etiam ad regimen Ecclesiæ et « fidelium instructionem. » Aureum profecto monitum est ab eo, qui in coli empyrei academia edoctus, in reconditissima divinorum secretorum penetralia introductus fuit, quia *audivit arcana verba*, nobis traditum, hic enim, tametsi gentium Doctor esset, hoc tamen Romanis post se scriptum reliquit monumentum, *Rom.*, XII, 3 : *Dico per gratiam, quæ data est mihi, omnibus, qui sunt inter vos, non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem*; notandum quoque est, quod non dixerit : *Docebit vos omnem scientiam*, sed *omnem veritatem*, quia uti idem Apostolus alibi testatur : *Scientia inflat.*

Non enim loquetur a semetipso, sed quæcumque audiet, loquetur.

5. — Lyranus Christum hoc Apostolis suis dixisse notat, ne sibi Spiritum Sanctum ipso superiorem esse persuaderent : « Ne quod debebat « docere eos de majoribus, ideo hunc errorem « removet, dicens : *Non enim loquetur a semetipso*, « quia sicut non est a se, sed a Patre et Filio, ita « nec a se loquitur, *sed quæcumque audiet*, quia « suum audire, est ab eis procedere. » Unde S. Augustinus dicit : « Audire illius scire est, idem est « et esse. A quo ergo illi est essentia, ab illo audien- « tia, id est, scientia, quæ non est aliud, quam « essentia. » Albertus Magnus pariformiter hæc verba de essentiæ identitate declarat : « *Audiet*, « videlicet per unitatem substantiæ et proprieta- « tem scientiæ; *non loquitur a semetipso*, quia non « est a semetipso, ab ipso audiet Spiritus Sanctus, « a quo procedit; ab illo audientia, quod nihil aliud « est, quam scientia. »

6. — Theophylactus de uniformitate dogmatum exponit, quia docturus esse dicitur conformiter ad ea, quæ Christus prædicaverat : « Cum enim dicit, « *quæcumque audierit*, hoc signat, quod nihil doc- « turus sit extra ea, quæ Christus docuit, » ad eumdem modum, quo Filius pariter protestatus fuit, dicens : *Quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis.*

7. — Hugo Cardinalis ait : « *Non loquetur a semet-* « *ipso*, id est, non finget doctrinam novam, meæ « scilicet contrariam, id est, certa et vera loque- « tur. » Unde idem Doctor ex hisce verbis documentum quoddam deducit pro illis, qui nimirum de scientia sua præsumunt : « In qua arguitur præ- « sumptio illorum, qui nolunt audire, sed jactant « se de propria inventione. »

Et quæ ventura sunt, annuntiabit vobis.

8. — Alcuinus ait : « Cum gaudia nobis patriæ « cœlestis ad memoriam reducit, cum festa illa su- « pernæ civitatis per donum nobis suæ aspirationis « innotuit, ventura nobis annuntiat, cum nos a « dilectione præsentium abstrahentes, missum in « cœlis regnum nostris cordibus desiderii inflam- « mat. »

9. — Cajetanus verba hæc in ordine ad donum prophetiæ interpretatur, quod illis est communicaturus; quasi diceret : « Non solum vos Doctores « reddet, sed etiam Prophetas constituet. »

10. — Rupertus Abbas eamdem habet considerationem, dum ait : « Ut non solum Prophetarum « docti auditores, sed etiam futurorum ipsi cogni- « tores et Prophetis sitis compares. »

11. — Albertus Magnus exponit de bonis alterius vitæ, quorum Spiritus Sanctus illis cognitionem perfectam et ardentissimum amorem infusurus erat : « Non solum futura in tempore, sed magis « æterna, ad quorum amorem inflammat, annun- « tiabit vobis, intus inflammando. » Per hoc æternæ beatitudinis desiderium et notitiam, martyria intrepidi adibant, gaudebantque et exultabant, dum illis crudelissimorum suppliciorum adeunda erat carnificina. Unde Tertullianus de sanctis Martyribus ita scribit : « Nihil crus sentit in nervo, dum animus « est in cœlo; » et ideo de sancto Protomartyre Ecclesia sancta canit : *Lapides torrentis illi dulces fuerunt*, non quod apes in iis mellis favum construxissent, *Psal.* LXXX, 17 : *De petra melle saturavit eos*; nec quod ad lapidum duritiem insensibilis extiterit, sed ut S. Ambrosius, *Epist.* XXX, scribit : « Infima ista, ac seipsum Stephanus despiciebat, « ita ut etiam propterea lapidum non sentiret ictus, « non consideraret corporis vulnera. » At vero, inquies, quodnam erat hujus insensibilitatis motivum? Oculus Christo affixus et illi adhærens : *Ecce video cœlos apertos et Jesum stantem a dextris virtutis Dei*, *Act.*, VII, 55. Cum ex septem filiorum Machabæorum postremus a duobus crudelissimis infestaretur persecutoribus, crudelitate videlicet et blandimentorum lenocinio; siquidem Antiochus *affirmabat se divitem et beatum facturum et amicum habiturum*; mater e contra, ut constantiam illi suggereret, quid fecit? quid dixit? *Peto nate, ut aspicias ad cœlum et terram, et ita fiet ut non timeas carnificem istum*, II *Mach.*, VII; quasi dicere vellet, quod si oculos tuos in terram defixeris, id est, consideraveris, quam modicum sit quod hic in terris deseris,

imo a quot ærumnis et miseriis liberaris; alia vero ex parte iisdem oculis cœlum contemplatus fueris, nulla tibi inferri poterunt, quantumvis atrocissima supplicia, quæ non libenter subeas et patiaris. Hanc autem a bonis terrenis omnimodam alienationem et bonorum cœlestium ardentissimum desiderium Spiritus Sanctus Apostolis, cunctisque aliis fidelibus, qui spiritum Apostolicum hæreditaturi erant, infundere, eosque ad omnia adversa fortiter sustinenda animare debebat; unde Chrysostomus, *Hom.* LXXIV *in Joan.*, de Apostolis scribit, eos ante Spiritus Sancti adventum adeo fuisse pavidos et meticulosos, ut ad primum armatæ turbæ aspectum fuga se subduxerint, imo ipsemet Petrus ad vilis ancillulæ interrogationem, Magistrum suum pluries negarit. « Qui prius timebant ac formidabant, post Spiritus « Sancti acceptionem in medium prosilierunt; hi « ferrum, ignem, bestias, pelagus et ad omnem « calamitatem se intrepidi exposuerunt, ex luteis « ferreos et in cœlum erigens nullo humano affec- « tui subjectos. » B. Petrus Damianus pro evidenti signo, unde quis agnoscere possit Spiritum Sanctum in anima operantem, posuit desiderium bonorum æternorum, alienum a bonis terrenis animum et constantem in divino servitio fervorem : « Spi- « ritus, qui ex Deo est, quas replet mentes, ad « cœlestia provocat et expulso corporis et negli- « gentiæ frigore ad amorem divinum inflammat. »

Additio.

a. — *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis*, etc. Ecce divini Spiritus notitiam, quod omnem veritatem docens, non loquatur a semetipso, hoc est, non loquatur, nisi quod rerum ratio, et veritas, et justitia postulet. Hæc est una divina Spiritus Sancti lingua quæ semper novit, æqui bonique terminos observare. Quæ divini Spiritus lingua non est, vix loqui incipit, quin exorbitet, quin labatur. Adeo difficilis praxis est ut quis silentio, velut virtutis indicio, linguam frenet. Tacendo autem quilibet bene loqui discit. Thomas a Kempis, in sermone quodam ad Novitios habito, hoc eis dedit documentum : « In « silentio discatis, qualiter et cui loqui debeatis. » In theatro vitæ humanæ, hanc invenio observantiam practicam : « Quicumque in sacrum senatum pur- « puratorum Patrum, a Pontifice cooptantur, iis « primo consessu, Pontifex os claudit, ut multo « silentio Patres audire discant; altero vel tertio, « ex Patrum sententia os illis aperit et potestatem « dat in senatu ea, quæ ex dignitate Ecclesiæ vi- « dentur esse modeste et sincere proferendi. » B. Petrus Damianus prudentiæ adscribit, si præmittatur silentio id, quod proferendum est : « Prudens « quæ dicenda sunt, ponderat. » Observastisne, quod, quando Sapiens opportunum assignat tempus tacendi vel loquendi, præmittat tempus tacendi et postea addat tempus loquendi? Voluit nos docere, ut prævio silentio nos disponamus ad bene loquendum; siquidem : « Prudens quæ dicenda « sunt ponderat. » Quando Zacharias parens Præcursoris certam accepit informationem de nativitate Baptistæ, factus est mutus; et tamen debebat esse parens illius, qui totus debebat esse vox : *Ego vox clamantis*. Quale illud mysterium? Gualfredus in *Allegoriis* supra Lucam exponit illud, inquiens : « Non vacat a mysterio, quod mutus pater Joannem « genuit, qui *vox clamantis* fuit; semper enim me- « lius vox in silentio generatur. »

VERSUS 14.

Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis.

Ille me clarificabit.

1. — Lyranus efficaciam Spiritus Sancti in ordine ad Christum considerat, dicens : « Quæ fuit « declaratio ipsius divinitatis, quæ manifesta facta « est per Spiritum Sanctum, Apostolis datum. »

2. — Chrysostomus, *Hom.* LXXVII *in Joan.*, ait : « *Ille me clarificabit*; quomodo? In nomine meo « virtutem dabit; cum enim adveniente Spiritu « majora signa erant ostensuri, ideo iterum æqua- « litatem indicat, inquiens : *Ille me clarificabit*; et « quomodo? omnem veritatem dicet, etenim hoc « ipsum testificatur, quod docebit veritatem. »

3. — Alcuinus vocem *clarificabit*, de miraculis exponit, quæ Apostoli et discipuli, in omnes mundi partes dispersi, in virtute hujus Spiritus patraturi erant, propter quæ nationes et omnes populi Christi fidem amplecti et profiteri debebunt : « Tot et tanta « miracula in nomine Christi fecerunt, quibus « orbem totum ad fidem Christi converterent, tot « ac tanta pro Christi nomine passionum certamina « pertulerunt. »

4. — « Non quidem in me, » inquit Albertus, « in quo clarificari secundum deitatem non pos- « sum, sed in vobis, quia me clarum ostendet vobis. « *Act. Apost.*, III, 13 : *Deus glorificavit Filium suum* « *Jesum.* »

5. — Alcuinus ait : « Spiritus clarificavit Chris- « tum, quia per eum tanta charitas in cordibus « discipulorum accensa est, ut abjecto timore car- « nali, effectum resurrectionis ejus constanter præ- « dicarent, qui paulo ante tempore passionis « pavidi fugerant. Clarificat, dum charitatem in « cordibus nostris diffundit et æternæ patriæ amo- « rem inspirat. »

Quia de meo accipiet.

6. — Chrysostomus dicit, Christum hisce verbis insinuare velle, quod Spiritus Sanctus nulla in re ab illo discors erit : Hoc est, in nullo a me dissentiet. Maldonatus ait : « *De meo accipiet*, id est, meo

« nomine veniet, nec aliam, quam meam doctri-« nam, quasi legatus meus vobis exponet. » Theophylactus hanc habet observationem, quod videlicet Apostoli Magistrum suum jam antea dicentem audierint : « *Unus vester est Magister Christus*, ut ne « existiment : Quia unus magister tu es, quomodo « dicis nobis et alium magistrum fore Spiritum? « subdit : *Quia de meo accipiet*, hoc est, ex his quæ « novi et ex mea scientia, vel de meo thesauro, qui « scilicet Patris est. » Nazianzenus ita exponit verba *de meo accipiet*, id est, « meam essentiam « divinam, meam voluntatem et scientiam. » Dydimus ita hæc de re scribit : « Dans Filius, non pri-« vatur his quæ tribuit, nec cum damno suo impar-« titur aliis; nec Spiritus Sanctus accipit, quod « ante non habuit, sic est intelligendus Spiritus « Sanctus a Filio accipere, ut una cognoscatur dan-« tis et accipientis substantia, sic et Filius a Patre « accipit ea, in quibus subsistit. »

7. — Cajetanus ait : « De essentia mea, de « sapientia mea, de scientia mea; monstrat quod « Spiritus Sanctus procedit ab eo. »

DOMINICA QUINTA POST PASCHA

EVANGELIUM JOANNIS, CAP. XVI, VERS. 23-30

23. Amen, amen dico vobis : Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.

24. Usque modo non petistis quidquam in nomine meo ; petite, et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum.

25. Hæc in proverbiis locutus sum vobis. Venit hora, cum jam non in proverbiis loquar vobis, sed palam de Patre meo annuntiabo vobis.

26. In illo die in nomine meo petetis, et non dico vobis, quia ego rogabo Patrem de vobis.

27. Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis, et credidistis, quia ego a Deo exivi.

28. Exivi a Patre, et veni in mundum : iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem.

29. Dicunt ei discipuli ejus : Ecce nunc palam loqueris, et proverbium nullum dicis.

30. Nunc scimus, quia scis omnia, et non opus est tibi, ut quis te interroget ; in hoc credimus, quia a Deo existi.

VERSUS 23.

Amen, amen dico vobis : Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.

Amen, amen.

1. — Quia hic de promissione quadam agebatur tanti momenti, quanti est illud, in cœlesti signatura gratiæ datum omnium supplicationum nostrarum favorabile scriptum, ideo de illa nobis infallibilem quamdam dare voluit certitudinem, dicendo : *Amen, amen dico vobis*; « quasi dicat, » inquit Lucas Brugensis, « certissimos facio. » S. Cyrillus Alexandrinus, *in Joan.*, ait : « Cum discipulos ad postu-« landa spiritualia dona hortaretur, simulque eo-« rum fruendorum, si petierint, fiduciam traderet, « addito, *Amen*, ad fidem confirmat. » Hugo Cardinalis verba hæc vim juramenti habere notat : « Quod « est juramentum, ut de impetratione certi simus, « quia dubitatio impedit orationem : *Postulet in fide « nihil hæsitans, Jac.*, I, 6; » simulque rationem reddit, cur *Amen* istud bina vice replicaverit : « Bis « dicitur *Amen*, propter duplicem certitudinem; « homines enim in promissis solent dupliciter deci-« pere; aut omnino non reddendo promissum, aut « diminuendo; sed Dominus quod promittit, sol-« vit : *Quæ procedunt de labiis meis, non faciam « irrita*; et etiam ultra promissa reddit. » Ezechiæ olim hostilem exercitum, Jerosolymam nunquam ingressurum esse promisit; nec tamen eo quod promiserat, minime contentus, in una eademque nocte per manum Angeli, in hostili exercitu centum octoginta quinque millium virorum stragem instituit. Salomon præter sapientiam, quam solam a Deo petierat, innumeris insuper ab eo cumulatus est divitiis; unde verissimum semper manet, quod dicit Apostolus, *Eph.*, III, 20 : *Ei autem, qui potens est omnia facere super abundanter quam fecimus.* Unde Ecclesia in Collecta, quæ in Dominica XI post Pentecosten legi solet, ita orat : « Omnipotens sem-« piterne Deus, qui abundantia pietatis tuæ merita « supplicum excedis et vota. »

2. — Porro Evangelium, quod Ecclesia nobis in hac festum Ascensionis præcedente Dominica proponit, mysticum plane est et quidem Christus in eodem Eliam imitari velle videtur; hic enim priusquam in curru igneo in cœlum raperetur aereum, Eliseo dixit, *Reg.*, II, 9 : *Postula quodvis, ut faciam tibi, antequam tollar a te*; idem namque Christus collegio Apostolico et toti fidelium congregationi

dicere voluisse videtur et ideo non sine mysterio, hoc sequenti triduo tot instituuntur processiones, in quibus per recitatas publicæ Litanias, supplicationes et preces nostræ ad divinam Majestatem diriguntur.

Dico vobis.

3. — Valde considerabilis est illa circumstantia, *Vobis*, hæc enim de orationibus exaudiendis infallibilis promissio, Apostolis facta fuit, qui in divinæ gratiæ possessione constituti, amici Dei erant; ac proinde dubium quoddam hoc loco controverti posse videtur, an ad hoc, ut intentum nostrum oratione mediante apud Deum obtineamus, necessarium nobis sit in gratia nos positos esse; siquidem in S. Joanne, IX, 32, scribitur : *Deus peccatores non exaudit*; quia tamen hoc ipsum cæcus ille nondum perfecte illuminatus, dixit, dicere quis non immerito posset, plenam ei hac in parte fidem adhibendam non esse et ideo in Psalmo, LXV, 18, expressius dicitur : *Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus.* Scio equidem non defuisse Doctores opinantes, necessarium non esse ad hoc, ut preces nostræ exaudiantur, ut simus amici Dei, quia infallibilitas orationis non fundatur in dignitate et merito orantis, sed in divina misericordia et promissione. S. Thomas citat S. Augustinum, Publicani exemplum adducentem, qui dixit : *Deus propitius esto mihi peccatori*; et Chrysostomus, qui super Matthæum ita scribit : *Omnis qui petit, accipit, sive justus sit, sive peccator.* S. Thomas autem distinctionem quamdam adhibet : in peccatore enim considerari potest natura, et hanc Deus amat : et culpa, quam Deus summo prosequitur odio; atque ideo si peccator in oratione sua rem aliquam postulet ad peccatum ordinatam : « In hoc a Deo non « exauditur ex misericordia, sed quandoque auditur « ad vindictam; orationem vero peccatoris ex bono « naturæ desiderio procedentem Deus audit, non « quasi ex justitia, quia peccator hoc non meretur, « sed ex pura misericordia, observatis tamen qua-« tuor præmissis conditionibus, ut scilicet pro se « petat, necessaria ad salutem, pie et perseveran-« ter. »

4. — Certum nihilominus est, quod, ad hoc ut oratio sit efficax, suumque assequatur intentum, orantem in gratia esse expediat, *Prov.*, XXXIII, 9 : *Qui declinat aures suas, ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis*; et hæc dicta veritas a S. Joanne apertis verbis exprimitur, dum ait : *Quoniam si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, quod, quidquid petierimus, accipiemus ab eo.* I *Joan.*, III, 21, 22.

5. — Considerari etiam hoc loco meretur, quod hæc promissio facta fuerit toti collegio Apostolico, quod Ecclesiam seu universam fidelium congregationem præfigurabat; et hæc infallibiliter precum suarum obtinet intentum; unde D. Chrysostomus, *Hom.* II in II *ad Cor.*, ait : « Deus frequenter reve-« retur multitudinem unanimem et consentientem « in precando, ut velut pudore victus, non audeat « illis denegare. » Quæ proinde promissio in S. Matthæo, XVIII, 19, expresse legitur, scripta his verbis : *Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo, qui in cœlis est.*

Si quid.

6. — S. Augustinus, *tract.* CII *in Joan.*, in *Catena* citatus, ait : « Hoc, quod ait, *si quid*, non quodlibet « intelligitur, sed aliquid, quod non in beatæ vitæ « comparatione sit nihil. » Albertus Magnus quoque, *in Joan.*, illud, *si quid*, ponderat, et dicit : « Hoc est, *si aliquid est*, quod petitis, quia malum « et vanum nihil est, bonum etiam temporale in se « vanum est. » Hugo Cardinalis similiter dicit : « *Si « quid*, hoc est, *aliquod*, in quo ostenditur quid sit « petendum, scilicet vita æterna, quæ est quid; « non temporalia, quæ nihil sunt. » Quidquid est in hac universi mole, boni, pulchri, aut pretiosi, super nihilo fundatur, *Job.*, XXVI, 7 : *Appendit terram super nihilum*; eo quod cunctæ felicitates terrenæ purum quoddam nihil sint, adeo ut Salomon, qui se jactaverat, *Eccle.*, II, 10, dicens : *Omnia quæ desideraverunt oculi mei, non denegavi eis*, postea tamen, *Eccle.*, V, 11, aperte fassus fuerit : *In omnibus vidi vanitatem, et nihil.*

Petieritis.

7. — Theophylactus observat quod Dominus in procinctu constitutus, ut ab Apostolis separaretur, eosdem prius per hanc promissionem de dandis in omnibus quæ in nomine ipsius postulata fuerint, consolari voluerit, quasi diceret : « Non enim, quod « separer a vobis, existimate vos a me relictos, sed « nomen meum majorem vobis fiduciam dabit, et « gaudium vestrum tunc erit plenissimum, cum « accipietis omnes petitiones. » Idem quoque Albertus Magnus his verbis scribit : « Consolatur discipu-« los, quod promptus et paratus est ad exaudien-« dum omnes petitiones eorum; enimvero prudens « lector hoc loco attendat, quod Christus dixerit : « *Si quid petieritis Patrem*, » quia discessurus ab eis per præsentiam corporalem, ut se daret in mortem, ab eaque resuscitatus, æternum Patrem suum in locum suum substituere voluit, promittitque hunc in nomine suo, id est, ex amore, quo erga eum fertur, eis favorabilem semper futurum esse.

8. — Jansenius, *cap.* CXXXV, super verbum illud : *Petieritis*, se reflectens, dicit : « Petere est deside-« rare, et desiderium actus est, non oris, sed animi « et voluntatis; non orant ergo, neque petunt Pa-« trem, qui ore tantum preces pronuntiant, et non « etiam ex animo, id quod ore petunt, desiderant, « suum desiderium elevatione animi in Deum et « ardore declarando. » Etenim Deus non attendit

« nomine veniet, nec aliam, quam meam doctri-« nam, quasi legatus meus vobis exponet. » Theophylactus hanc habet observationem, quod videlicet Apostoli Magistrum suum jam antea dicentem audierint : « *Unus vester est Magister Christus*, ut ne « existiment : Quia unus magister tu es, quomodo « dicis nobis et alium magistrum fore Spiritum? « subdit : *Quia de meo accipiet*, hoc est, ex his quæ « novi et ex mea scientia, vel de meo thesauro, qui « scilicet Patris est. » Nazianzenus ita exponit verba *de meo accipiet*, id est, « meam essentiam « divinam, meam voluntatem et scientiam. » Dydimus ita hæc de re scribit : « Dans Filius, non pri-« vatur his quæ tribuit, nec cum damno suo impar-« titur aliis; nec Spiritus Sanctus accipit, quod « ante non habuit, sic est intelligendus Spiritus « Sanctus a Filio accipere, ut una cognoscatur dan-« tis et accipientis substantia, sic et Filius a Patre « accipit ea, in quibus subsistit. »

7. — Cajetanus ait : « De essentia mea, de « sapientia mea, de scientia mea; monstrat quod « Spiritus Sanctus procedit ab eo. »

DOMINICA QUINTA POST PASCHA

EVANGELIUM JOANNIS, CAP. XVI, VERS. 23-30

23. Amen, amen dico vobis : Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.

24. Usque modo non petistis quidquam in nomine meo ; petite, et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum.

25. Hæc in proverbiis locutus sum vobis. Venit hora, cum jam non in proverbiis loquar vobis, sed palam de Patre meo annuntiabo vobis.

26. In illo die in nomine meo petetis, et non dico vobis, quia ego rogabo Patrem de vobis.

27. Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis, et credidistis, quia ego a Deo exivi.

28. Exivi a Patre, et veni in mundum : iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem.

29. Dicunt ei discipuli ejus : Ecce nunc palam loqueris, et proverbium nullum dicis.

30. Nunc scimus, quia scis omnia, et non opus est tibi, ut quis te interroget ; in hoc credimus, quia a Deo existi.

VERSUS 23.

Amen, amen dico vobis : Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.

Amen, amen.

1. — Quia hic de promissione quadam agebatur tanti momenti, quanti est illud, in cœlesti signatura gratiæ datum omnium supplicationum nostrarum favorabile scriptum, ideo de illa nobis infallibilem quamdam dare voluit certitudinem, dicendo : *Amen, amen dico vobis*; « quasi dicat, » inquit Lucas Brugensis, « certissimos facio. » S. Cyrillus Alexandrinus, *in Joan.*, ait : « Cum discipulos ad postu-« landa spiritualia dona hortaretur, simulque eo-« rum fruendorum, si petierint, fiduciam traderet, « addito, *Amen*, ad fidem confirmat. » Hugo Cardinalis verba hæc vim juramenti habere notat : « Quod « est juramentum, ut de impetratione certi simus, « quia dubitatio impedit orationem : *Postulet in fide « nihil hæsitans, Jac.*, I, 6; » simulque rationem reddit, cur *Amen* istud bina vice replicaverit : « Bis « dicitur *Amen*, propter duplicem certitudinem; « homines enim in promissis solent dupliciter deci-« pere; aut omnino non reddendo promissum, aut « diminuendo; sed Dominus quod promittit, sol-« vit : *Quæ procedunt de labiis meis, non faciam « irrita*; et etiam ultra promissa reddit. » Ezechiæ olim hostilem exercitum, Jerosolymam nunquam ingressurum esse promisit; nec tamen eo quod promiserat, minime contentus, in una eademque nocte per manum Angeli, in hostili exercitu centum octoginta quinque millium virorum stragem instituit. Salomon præter sapientiam, quam solam a Deo petierat, innumeris insuper ab eo cumulatus est divitiis; unde verissimum semper manet, quod dicit Apostolus, *Eph.*, III, 20 : *Ei autem, qui potens est omnia facere super abundanter quam fecimus.* Unde Ecclesia in Collecta, quæ in Dominica XI post Pentecosten legi solet, ita orat : « Omnipotens sem-« piterne Deus, qui abundantia pietatis tuæ merita « supplicum excedis et vota. »

2. — Porro Evangelium, quod Ecclesia nobis in hac festum Ascensionis præcedente Dominica proponit, mysticum plane est et quidem Christus in eodem Eliam imitari velle videtur; hic enim priusquam in curru igneo in cœlum raperetur aereum, Eliseo dixit, *Reg.*, II, 9 : *Postula quodvis, ut faciam tibi, antequam tollar a te*; idem namque Christus collegio Apostolico et toti fidelium congregationi

dicere voluisse videtur et ideo non sine mysterio, hoc sequenti triduo tot instituuntur processiones, in quibus per recitatas publicæ Litanias, supplicationes et preces nostræ ad divinam Majestatem diriguntur.

Dico vobis.

3. — Valde considerabilis est illa circumstantia, *Vobis*, hæc enim de orationibus exaudiendis infallibilis promissio, Apostolis facta fuit, qui in divinæ gratiæ possessione constituti, amici Dei erant; ac proinde dubium quoddam hoc loco controverti posse videtur, an ad hoc, ut intentum nostrum oratione mediante apud Deum obtineamus, necessarium nobis sit in gratia nos positos esse; siquidem in S. Joanne, IX, 32, scribitur : *Deus peccatores non exaudit*; quia tamen hoc ipsum cæcus ille nondum perfecte illuminatus, dixit, dicere quis non immerito posset, plenam ei hac in parte fidem adhibendam non esse et ideo in Psalmo, LXV, 18, expressius dicitur : *Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus.* Scio equidem non defuisse Doctores opinantes, necessarium non esse ad hoc, ut preces nostræ exaudiantur, ut simus amici Dei, quia infallibilitas orationis non fundatur in dignitate et merito orantis, sed in divina misericordia et promissione. S. Thomas citat S. Augustinum, Publicani exemplum adducentem, qui dixit : *Deus propitius esto mihi peccatori*; et Chrysostomus, qui super Matthæum ita scribit : *Omnis qui petit, accipit, sive justus sit, sive peccator.* S. Thomas autem distinctionem quamdam adhibet : in peccatore enim considerari potest natura, et hanc Deus amat : et culpa, quam Deus summo prosequitur odio; atque ideo si peccator in oratione sua rem aliquam postulet ad peccatum ordinatam : « In hoc a Deo non « exauditur ex misericordia, sed quandoque auditur « ad vindictam; orationem vero peccatoris ex bono « naturæ desiderio procedentem Deus audit, non « quasi ex justitia, quia peccator hoc non meretur, « sed ex pura misericordia, observatis tamen qua-« tuor præmissis conditionibus, ut scilicet pro se « petat, necessaria ad salutem, pie et perseveran-« ter. »

4. — Certum nihilominus est, quod, ad hoc ut oratio sit efficax, suumque assequatur intentum, orantem in gratia esse expediat, *Prov.*, XXXIII, 9 : *Qui declinat aures suas, ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis*; et hæc dicta veritas a S. Joanne apertis verbis exprimitur, dum ait : *Quoniam si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, quod, quidquid petierimus, accipiemus ab eo.* I *Joan.*, III, 21, 22.

5. — Considerari etiam hoc loco meretur, quod hæc promissio facta fuerit toti collegio Apostolico, quod Ecclesiam seu universam fidelium congregationem præfigurabat; et hæc infallibiliter precum suarum obtinet intentum; unde D. Chrysostomus, *Hom.* II in II *ad Cor.*, ait : « Deus frequenter reve-« retur multitudinem unanimem et consentientem « in precando, ut velut pudore victus, non audeat « illis denegare. » Quæ proinde promissio in S. Matthæo, XVIII, 19, expresse legitur, scripta his verbis : *Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo, qui in cœlis est.*

Si quid.

6. — S. Augustinus, *tract.* CII *in Joan.*, in *Catena* citatus, ait : « Hoc, quod ait, *si quid*, non quodlibet « intelligitur, sed aliquid, quod non in beatæ vitæ « comparatione sit nihil. » Albertus Magnus quoque, *in Joan.*, illud, *si quid*, ponderat, et dicit : « Hoc est, *si aliquid est*, quod petitis, quia malum « et vanum nihil est, bonum etiam temporale in se « vanum est. » Hugo Cardinalis similiter dicit : « *Si « quid*, hoc est, *aliquod*, in quo ostenditur quid sit « petendum, scilicet vita æterna, quæ est quid; « non temporalia, quæ nihil sunt. » Quidquid est in hac universi mole, boni, pulchri, aut pretiosi, super nihilo fundatur, *Job.*, XXVI, 7 : *Appendit terram super nihilum*; eo quod cunctæ felicitates terrenæ purum quoddam nihil sint, adeo ut Salomon, qui se jactaverat, *Eccle.*, II, 10, dicens : *Omnia quæ desideraverunt oculi mei, non denegavi eis*, postea tamen, *Eccle.*, V, 11, aperte fassus fuerit : *In omnibus vidi vanitatem, et nihil.*

Petieritis.

7. — Theophylactus observat quod Dominus in procinctu constitutus, ut ab Apostolis separaretur, eosdem prius per hanc promissionem de dandis in omnibus quæ in nomine ipsius postulata fuerint, consolari voluerit, quasi diceret : « Non enim, quod « separer a vobis, existimate vos a me relictos, sed « nomen meum majorem vobis fiduciam dabit, et « gaudium vestrum tunc erit plenissimum, cum « accipietis omnes petitiones. » Idem quoque Albertus Magnus his verbis scribit : « Consolatur discipu-« los, quod promptus et paratus est ad exaudien-« dum omnes petitiones eorum; enimvero prudens « lector hoc loco attendat, quod Christus dixerit : « *Si quid petieritis Patrem*, » quia discessurus ab eis per præsentiam corporalem, ut se daret in mortem, ab eaque resuscitatus, æternum Patrem suum in locum suum substituere voluit, promittitque hunc in nomine suo, id est, ex amore, quo erga eum fertur, eis favorabilem semper futurum esse.

8. — Jansenius, *cap.* CXXXV, super verbum illud : *Petieritis*, se reflectens, dicit : « Petere est deside-« rare, et desiderium actus est, non oris, sed animi « et voluntatis; non orant ergo, neque petunt Pa-« trem, qui ore tantum preces pronuntiant, et non « etiam ex animo, id quod ore petunt, desiderant, « suum desiderium elevatione animi in Deum et « ardore declarando. » Etenim Deus non attendit

ad labia quæ movemus, neque aures suas directas habet ad verba quæ proferimus, sed ad intentionem et cor nostrum respicit. B. Laurentius Justinianus ostendere volens quænam sit vera oratio, dicit : « Talis oratio cordis est, non labiorum; nec enim « precantis verba intendit Deus, sed orantis cor « aspicit. Quid oratio prodest strepitu labiorum, « ubi est cor mutum? »

9. — S. Thomas, *in Joan.*, optime notat, quod Christus paucis hisce verbis, septem insinuet bonæ orationis conditiones : « Prima est, ut petantur « bona spiritualia, et hoc cum dicitur : *Si quid*; « quod est penitus terrenum, etsi in se sit aliquid, « comparatum tamen ad spiritualia, nihil est. *Jer.*, « IV, 23 : *Aspexit terram, et ecce vacua erat.* » Quodsi objicias ipsummet Christum nos in oratione quotidiana docuisse, etiam bona petere temporalia, dicendo, *Luc.*, XI, 3 : *Panem nostrum quotidianum da nobis*; idem Angelicus Doctor respondet : « Temporale petitum relatum ad spirituale, jam « est aliquid. Secunda conditio est, ut fiat cum « perseverantia; et quantum ad hoc dicit : *Petieri-* « *tis*, quasi perseverando. *Luc.*, XVIII, 1 : *Oportet* « *semper orare, et non deficere.* I *Thess.*, V, 17 : *Sine* « *intermissione orate.* Tertia quod fiat cum concor- « dia, cum dicit : *Petieritis*, in plurali, » citatque mox insinuatum S. Matthæi, XVIII, 19, textum : *Si duo ex vobis*, etc. Nec non auctoritatem glossæ in ultimum caput Epistolæ ad Romanos, dicentis : *Impossibile est multorum preces non exaudiri.* Quarta conditio est : « Ut procedat ex filiali affectu, cum « dicit : *Patrem*; qui enim ex timore petit, non « Patrem, sed Dominum petit, vel hostem. Quinta « est : Ut fiat cum pietate, id est, cum humilitate, « *Psal.* X, 18 : *Respexit in orationem humilium, et* « *non sprevit precem eorum. Jacob.*, III : *Petitis, et* « *non accipitis, eo quod male petatis.* Et quantum ad « hoc, dicit : *In nomine meo*, quod est nomen *Sal-* « *vatoris*; in quo nomine petit, qui pertinentia ad « salutem petit. Sexta, ut fiat tempore debito, et « ideo dicit : *Dabit*; non enim oportet statim deci- « dere, si non accipiat, sed profecto dabitur, etsi, « ut in congruo detur tempore, differatur, ut ma- « gis crescat desiderium : *Tu das escam illorum in* « *tempore opportuno.* Septima, ut petat pro se; « unde dicit : *Vobis*, quia aliquando pro aliis non « exauditur, contrariantibus eorum demeritis, pro « quibus fit petitio; *Jerem.*, VII, 16 : *Tu ergo noli* « *orare pro populo isto.* »

Patrem.

10. — Non dixit *Deum*, sed *Patrem*; neque dixit : *Patrem meum*, eo quod jam Apostolos in oratione Dominica docuerat, ut Patrem in principio orationis sub hoc titulo invocarent : *Pater noster*; siquidem ut Apostolus, *Rom.*, VIII, 5, postea scripsit : *Accepisti spiritum adoptionis, in quo clamamus, Abba Pater.* Porro Auctor Imperfecti causam assignat, cur æternum Patrem suum a nobis Patrem, non vero Deum appellari voluerit : « Patrem magis « quam Deum voluit dici, ut nobis magnam fidu- « ciam daret ad petendum, et spem largam ad im- « petrandum. » Chrysologus illa filii prodigi verba : *Surgam, et ibo ad patrem meum*, ponderans, *Serm.*, II, dicit : « Qua spe? qua fiducia? Illa qua Pater « est; apud Patrem non intercedit extraneus, intus « est in Patris pectore ipse qui intervenit, et exorat « affectus. » Idem sanctus Pater in sermone LXXI, de oratione Dominica ita scribit : « Cum Patrem « postulat, multa prece filius non laborat, sicut « enim petere cogit necessitas genitum, ita urget « charitas genitorem. »

In nomine meo.

11. — Dionysius Carthusianus ait : « Id est, per « me Dei ac hominum mediatorem, per virtutem « passionis meæ, et merita omnium, quæ pro « humana salute assumpsi, feci ac pertulit; per « incarnationem, conversationem, obedientiam, pa- « tientiam. » Sancta Mater Eclesia voluit ut omnes orationes nostras, quas coram tribunali Altissimi præsentamus, per merita Christi corroboremus, dicendo : *Per Dominum nostrum Jesum Christum*, etc. Unde Cajetanus ait : « Novum modum petendi « docet eos, quem hodie continue servat Ecclesia, « opponendo petitionibus, per Dominum nostrum « Jesum Christum, » etc. Omnia opera nostra, quantumvis innumera sint et laboriosa, nihil valent, nec quidquam ad salutem prosunt, nisi meritis Filii Dei unita existant. Fratres illi post mortem Jacobi patris sui, ejus usi sunt nomine, eo quod illud apud Josephum efficax futurum esse existimabant, ad justum contra illos conceptum furorem mitigandum, ne videlicet ob venditionem personæ ejus, ab ipsis turpiter et impie factam, nimirum indignaretur. Toletus ait : « Est efficacissimus titu- « lus hic impetrandi a Patre, » duasque illius reddit rationes. Prima est, amor immensus, quo Pater Filium diligit; siquidem apud nos valde etiam efficax est affectus, quo erga amicos propendemus, quorum licet etiam absentium consideratione propensos nos ad multas præstandas gratias sæpenumero experimur; et quidem si Deus Judæorum populo multos concedebat favores per antiquorum Patriarcharum merita invocatus, quanto magis illum nobis propitium futurum fore sperare possumus, dum ei per Filii sui merita supplicamus. Secunda ratio, quam adducit, fundatur in eximia sanctitate et meritis Christi : « Morte enim et « passione sua nostram obtinuit redemptionem; « proque omnium culpis abundantissime satisfecit, « et omnium, quæ a Patre impetranda et petenda « erant, solvit pretium. » Lucas Brugensis in eadem est opinione quod scilicet loqui voluerit de meritis

passionis, cui se eadem nocte accingebat : « Justitia « seu meritis meis, meritis, inquam, incarnationis « mortisque meæ propositis, pro ratione et causa « impetrandi per me, ut hominum mediatorem, « qui promeruit hominibus salutem, dato pretio « sanguinis mei. »

12. — S. Gregorius, *Hom.* XXVII, nomen Christi considerat, quod est Jesus, idemque significat quod *Salvator* : « Nomen Filii Jesus est, Jesus autem Sal- « vator, vel etiam salutaris dicitur; ille ergo in « nomine Salvatoris petit, qui illud petit, quod ad « veram salutem pertinet; nam si id, quod non « expedit, petitur, non in nomine Jesu petitur « Pater. » Idem quoque S. Augustinus his verbis dicit : « Non autem petitur in nomine Salvatoris, « quidquid petitur contra rationem salutis; » adducitque S. Gregorius a Glossa citatus Apostoli exemplum, quod in contrarium huic Dominicæ promissioni objici posset; si enim nobis per æternæ Veritatis verba promittitur, obtenturos nos esse, quidquid in Filii nomine ab æterno Patre postulaverimus, cur igitur Paulus tribus distinctis vicibus a fornicationis stimulo liberari petiit; et tamen licet a Deo auditus fuerit, exaudiri non meruit, sed responsum ei fuit : *Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur.* « Numquid ille « tam egregius prædicator in Filii nomine non « petiit? Quare autem non accepit, quod petiit? « Quomodo ergo verum est, quia quidquid petieri- « mus Patrem in nomine Filii, dat nobis Pater? » Tandem vero per supradicta verba concludit : « Quis nomen Filii Jesus est, » etc., et dicit : « Pau- « lus non exauditur, quia si liberaretur a tenta- « tione, ei non prodesset ad salutem. » S. Prosper infirmi cujusdam similitudinem adducit, qui id a medico sibi præscribi aut indulgeri poscit, quod ejus nequaquam expedit saluti : « Fideliter suppli- « cans Deo pro necessitatibus hujus vitæ, et mise- « ricorditer auditur, et misericorditer non auditur, « quid enim infirmo sit utile, magis novit medicus « quam ægrotus. » Promissio etenim Christi in nostrum favorem semper adimpletur, nec oratio nostra unquam in vanum cedit, sed potius preces et supplicationes nostræ favorabile semper rescriptum obtinent, si non prout petimus, saltem in quantum nobis utile et proficuum futurum erit. Unde S. Bernardus, *Serm. de triplici modo orationis* ait : « Unum de duobus indubitanter sperare possu- « mus, quoniam aut dabit quod petimus, aut quod « nobis noverit esse utilius. »

13. — S. Cyrillus Alexandrinus hæc verba : *In nomine meo*, de accensu, quem mediante Filio ad Deum habemus, exponit; siquidem nullus alius modus superest, per quem aditus ad eum haberi possit : « Se nimirum mediante, et una cum Patre « largiente; id enim significat *in nomine meo*, nec « enim aliter ad Deum et Patrem accedimus, quam « per Filium, per ipsum quippe accessum habui- « mus in uno spiritu ad Patrem, ut scriptum est, « proindeque ait : *Ego sum janua, ego sum via,* « *nemo venit ad Patrem, nisi per me.* »

14. — Rupertus Abbas similiter postquam jam dictam observationem recensuisset, nimirum quod Ecclesia cunctas suas orationes his verbis terminare soleat : « Per Dominum nostrum Jesum Christum « Filium tuum, » etc., subjungit statim : « Quia « videlicet præter hanc nulla via, nullum est aliud « ostium, ad quod respiciens efficaciter, dicat : « *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu* « *tuo*, solum hujus unigeniti Filii Dei nomen, quod « Jesus Christus, necessarium universæ orationis « vehiculum, quo in cœlum directo cursu per lata « consistat ante Patris conspectum, salutemque de « sinu ejus, et gratiam sugere valeat remissionis « peccatorum. »

15. — Theophylactus, ut hos, qui temporalia tantum bona a Deo petunt, resipiscere faciat, hoc salutari monito illos instruit : « Nullus ex his, « qui mundana petunt aut animabus damnosa, in « nomine Christi petit, ideo neque accipit; nomen « enim Christi divinum est ac salutare : quando « autem quis petit quæ ad perditionem animæ per- « tinent, quomodo dicemus, illum in salutari no- « mine petere? » Et ideo dum homo divitias a Deo poscit, Deus illum non exaudit, quia illas novit illi futuras in laqueum diaboli; dum etiam alius ab eo sanitatem requirit, eamdem minime obtinet, quia scit quod si sanus esset, valetudinem suam carnalibus voluptatibus impensurus esset; et sic de aliis discurrendo universaliter, verum esse comperies, nihil eorum obtineri etiam instantissime postulatum, quod ultimo fini, id est, saluti æternæ acquirendæ nequaquam utile est, sed noxium.

Dabit.

16. — Advertendum est quod Salvator in tempore futuro loquatur. Unde Dionysius Carthusianus ait : « *Dabit nobis*, etsi non statim, tamen tempore « opportuno, etsi non id, quod petistis, tamen ali- « quid melius. » Quodsi enim a Principe aliquo ferrifodinam aliquam postulares, ille autem hanc tibi denegaret, ita tamen ut in locum illius aurifodinam, vel gemmæfodinam aliquam tibi concederet, te utique gratiam aliquam, ea, quam petieras, longe excellentiorem accepisse diceres. Nonne? Idem ergo nobis frequenter apud Patrem cœlestem in signatura gratiæ suæ evenit : cum enim ipse nos tanquam dilectos filios suos diligat, ideo dum nos pro præsenti vita felicitatem aliquam ab eo requirimus, ille autem certo scit, felicitatem illam, si nobis concederetur, futuram nobis velut ensem in manu furiosi alicujus, imo æternæ damnationis nobis futurum esse instrumentum, potius nobis miserias, infirmitatem, paupertatem, aliasque ad-

versitates immittit, eo quod nos regni cœlestis hæredes facere, nosque de æterna beatitudine assecurare malit. *Si sustinebimus, et conregnabimus.* Unde Jansenius ait : « Non recte petunt in nomine « Christi, qui indigna petunt nomine Christi, qui « præsentia bona, aut malorum præsentium depul- « sionem precantur absolute, et non sub conditione « ordinis ad Dei gloriam, aut propriam salutem. »

17. — S. Augustinus ait : « Quædam autem non « negantur, sed ut congruo dentur tempore, diffe- « runtur. » Sic enim dum infirmus in maximo febrili æstu constitutus aquam poscit gelidam, hæc utique ei etiam iis, qui illius sunt amantissimi, negatur, sed ad ipsius salutem et utilitatem : at vero si usque ad mali declinationem expectet, facile ei indulgetur; siquidem tunc ei cedet in salutem et refrigerium. Et ideo Chrysostomus, *Hom. de prof. Ec.*, ait : « Si differt aliquando Dominus, non odio « facit, nec te aversatur, sed differendo diutius se- « se conservare vult, sicut et patres filios indul- « gentius amantes, quo illos diutius apud se deti- « neant, quos desides vident, dedita opera moran- « tur aliquid daturi. »

18. — Jansenius verbum *dabit*, ita explicat : « Nempe si recte et debite petierit, » adducitque textum illum, *Sapien.*, VI, 11 : *Qui custodierint justitiam, juste justificabuntur*; nec non et illum S. Jacobi Apostoli, IV, 3, locum : *Petitis, et non accipitis, eo quod male petatis.* « Jam non recte petunt, qui « non pro magnitudine ejus, quem petunt, et rei « quam petunt, ardenter, instanter, et reverenter « petunt, quique non cum firma petunt fiducia. » Ecclesiasticus, XXV, 21, ait : *Oratio humiliantis se nubes penetrabit.* Et Deus apud Isaiam, I, 15, dicit : *Cum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos a vobis, et cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam, manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.* S. Gregorius quoque nos monet, *Hom.* XXVII, dicens : « Virtus veræ rationis, est celsitudo charitatis, et « tunc quisque, quod recte petit, adipiscitur, cum « ejus animus in petitione nec inimici odio fusca- « tur. » S. Jacobus autem, I, 6, spem et fiduciam in oratione nobis inculcat, dicens : *Postulet autem in fide, nihil hæsitans.* Unde S. Basilius ait : « Non « recte petisti, quia ut dubitabundus, aut aliud « agens petisti. » Oratio quoque cum bonæ conscientiæ rectitudine et cum bonorum operum meritis conjuncta esse debet; unde Psalmista, *Psal.* XVI, 1, dicebat : *Exaudi Domine justitiam meam*; et paulo post subjungit : *Intende deprecationem meam.* S. Ambrosius verba illa Ecclesiastici, XVIII, 23 : *Ante orationem præpara animam tuam*, declarans dicit : « Ut id quod oras, mores tui loquantur, fides adju- « vet, opera commendent. » Beatus Laurentius Justinianus similitudinem adducit vulnerati cujuspiam, qui in vulneribus suis ferrum, quo sauciatus fuit, secum confert : « Nullum medicamentum pro- « ficit, donec ferrum latet in vulnere; ita nihil « prodest illius oratio, cujus voluntas versatur in « scelere; » et ideo ob mortificationis defectum supplicationes nostræ sæpe subsignaturam non sortiuntur; unde cum S. Ignatio de quodam diceretur, quod homo esset multæ orationis, sive orationi multum addictus, is protinus subjungit : Sed non minus mortificationi deditus fuit : ideo etiam Chrysostomus, *Hom.* V *in Matth.*, ait : « Efficacissime « rogat, qui seipsum illi, quem rogat, mortifica- « tione crebra sacrificat. » Adhæc orationes nostræ constantes et perseverantes esse debent; unde S. Gregorius, *lib.* XXXIV *Mor.*, ait : « Virtutis pondus « oratio non habet, quam perseverantia non tenet. » Et ideo mirum non est, si ob harum aliarumque conditionum defectum, petitiones nostræ nonnunquam non exaudiantur.

Vobis.

19. — Hugo Cardinalis ad illos se reflectit, quibuscum Salvator noster tunc loquebatur, id est, ad Apostolos, et dicit : « Vobis Apostolis imitatoribus « meis; in hoc ostenditur, quales debent petere, « credentes scilicet et diligentes. » Et ideo Jansenius illis, qui se hac promissione defraudatos esse conqueruntur, respondet : « Observandum, quibus « istud sit dictum, Apostolis nimirum et in illis « his, qui illis sunt similes. » Notandum quoque, quod Redemptor noster paulo post dixerit, illos summa cum facilitate ab æterno Patre suo impetraturos esse quod ab illo petierint, eo quod amet illos, quia ipsi amabant eum et in eum credebant; ex quibus verbis motivum quoddam elicit repellendi querimonias eorum, qui se non exaudiri lamentatur : « Qui ergo hac in parte similes sunt « Apostolis, ad eos hæc pertinet promissio, non « autem ad eos, qui Christum aversantur; unde « Propheta, *Psal.* CXLIV, 19 : *Voluntatem*, inquit, « *timentium se faciet, et deprecationem eorum exau- « diet.* »

Additiones.

a. — *Amen, amen dico vobis : Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Quid his verbis dulcius, quid opulentius, quid mirabilius? Si enim Rex aliquis, summa liberalitate erga familiarem aliquem amicum uti vellet, quid illi amplius præstare posset, quam ejus postulatis omnibus lubens annuere? Sic Salomoni post magnificam illam templi fabricam, post tam multarum sacrificia pecudum, Deus jubet ut quidquid velit, postulet, II *Reg.*, IX. Elias Propheta Eliseo discipulo migraturus ait : *Postula quod vis, ut dem tibi.* IV *Reg.*, II. Dominus vero noster, non uni alicui amico, non dilectissimis discipulis, sed omnibus in communi fidelibus, hoc spondet : iis scilicet, qui constanti pace ligati, una simul in ejus nomine cœlestem Patrem deprecaturi sunt, ut ostendat quantopere pa-

cem curet, atque eamdem quanti æstimet. Super quod sic fatur S. Hilarius : « In tantum humanæ « paci et concordia Christus studuit, ut unitatis « merito, omnia quæ a Deo precanda sunt, impe- « tranda esse confirmet; et ubi duo atque tres, « pari spiritu et voluntate collecti sint, ibi se me- « dium eorum polliceatur futurum. Ipse enim qui « pax atque charitas est sedem atque habitationem « in bonis et pacificis voluntatibus collocavit. » Notandum vero est quod non dixerit in tempore futuro : *Ibi ero in medio*, sed in tempore præsenti : *Ibi sum in medio eorum.* S. Paschasius ait : « Ubi ad « concordiam omnes provocarat; nunc exponit « quem fructum exinde sint habituri; ita ut quid- « quid petierint, sint accepturi, Deumque medium « semper in se habituri. » Origenes sequentem adducit similitudinem : « Sicut in musicis, nisi fuerit « convenientia vocum, non delectat audientem, sic « et Ecclesia, nisi consensum habuerit, non delec- « tatur Deus in ea, nec audit voces eorum. Con- « sentiamus ergo, ut congregatis nobis in nomine « Jesu, sit Jesus in medio nostrum, Verbum scilicet « Dei, et sapientia et virtus ipsius. Nec illud præ- « tereas, quod non dixit, *in medio eorum ero*, sed « *in medio eorum sum.* Ergo non medius futurus « est, neque medius esse tardabit, sed mox ut con- « senserint, invenitur Christus in eis, quoniam « et Christus confessus est ipse. » Altius profecto aspirare nequit humana prætensio, quam infallibilem quamdam securitatem in manu sua positam habere, quod scilicet sit in quacumque instantia seu sollicitatione exaudiendus, quodque habituros sit infallibilem ipsiusmet Dei assistentiam et præsentiam. Hoc autem totum unionis et concordiæ meritis obtinetur.

b. — Magna ex hoc loco orationis vis colligitur, quæ majores vires habet quam præsumit humana temeritas. Nemo tantum audet, arroganter superbiendo, quantum oratio suppliciter rogando. Humilitas supplicantis, præ audacia superat elatos ausus superbientis. Oratio, humilis quædam superbia est, divinus quidam vigor et supplex omnipotentia, non tantum humanas potestates superans, sed etiam in Deum quasi prævalens, quæ non minus pie præsumit posse precum potentia, quam Deus tota sua omnipotentia. Quis tam insolenter superbit, ut conscius propriæ imbecillitatis extiterit æmulus divinæ potentiæ? Sola oratio de sua humilitate pie superbit, et eadem, qua Deus, omnipotentia gaudet, piissima impudentia. Siccine Deus delectatur humilibus precibus? Nihil mirum, quia superbis resistit, eosque detestatur. S. Augustinus de superbo scribit : « Superbus Deo est odibilis, et diabolo simi- « lis. » Quid censeres dicendum de lapide illo, qui dum in publica platea transeuntium calcatur pedibus a celebri sculptore assumitur, speciali artis suæ industria dolatur, politur, ornatur; politus ex exquisita Imperatoris figura eidem sculpta insignitur; suo tamen artifici, qui tam nobili eum insignivit forma, ingratus, non modo contra ipsum intumescit et insurgit, verum etiam ut pedum suorum scabellum ipsum esse et ponere præsumit ac prætendit? Talis est superbia et præsumptio vilissimæ creaturæ, quæ nihil aliud est nisi lutum, vermis et pulvis, dum præsumit sibi Deum subjicere, divinisque suis legibus refragari, adversari, eique præesse et dominari.

c. — Magnifica hæc est promissio : *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*, digna plane divina Majestate, quam non solum hic quasi juramento astruit, sed et pluribus in locis repetit, et confirmat, uti *Joan.*, XV : *Si manseritis in me et verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis, petetis et fiet vobis.* Quid enim majus, vel avaritia hominum desiderare vel divina magnificentia polliceri debuit, quam ut voluntatem nostram, omniumque divinarum divitiarum mensura faceret, nec aliis finibus quam desideriis nostris miserationes suas circumscriberet? *Quodcumque volueritis, quodcumque petieritis?* Si scilicet, in Christo manserint, et in petendo perseverantes fuerint. Perseverantia enim quæ cœli porta est, merita nostra adauget et præmiat, semperque respicit ad statum hominis finalem : « Perseverantia et stabilitas in opera- « tione, » ait S. Laurentius Justinianus, « patenter « ostendit operantem in electorum numero compu- « tandum ac virtute perseverantiæ esse redimitum. « Solum non perseverasse est amisisse coronam. » Idem, huic virtuti idipsum, quod Ecclesia magnæ Dei Matri attribuit epithetum, dum ab ea vocatur cœli janua, Paradisi porta et regni introitus.

Ingeniosam apud Doctorem Seraphicum invenio observationem; siquidem ad illum Apostoli textum, I *Cor.*, IX, 24, se reflectens : *Omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium*, ita scribit : « Sic de virtu- « tibus potest dici; nam virtutes ad regnum Christi « currunt, sed una sola accepit bravium. Nam cur- « runt mundi contemptus, paupertas, vigiliæ, elee- « mosynæ, abstinentia, patientia, sed sola persève- « rantia coronatur, nam *qui perseveraverit usque in « finem, hic solus erit.* » Circa eadem verba : *Unus accipit bravium*, potest et alia instrui ponderatio, ut sensus verborum illorum sit : Is qui semper unus est, id est, is qui semper idemmet, non volubilis et in bono incœpto instabilis, hic *accipit bravium.* Sicut enim nullum bonum opus est meritorium aut a Deo acceptatur, sine charitate et dilectione Dei, ita quoque nulla virtus, nec ullum bonum opus remunerationem expectare debet, nisi fuerit perseveratione conjunctum.

d. — Quid est quod cœlestis Dominus jubet ut discipuli petant? Quandoquidem ex divina sua omniscientia recte ipse noverat eorum necessitatem, ut melius ipse quam illi sibi possint consu-

lere? Nonne melius esset ut juberet eis aliquid dari quam ut præciperet ut ipsi postularent? *Beatius* quippe *est dare quam accipere.* Præterea, quia cum jubet eos petere, egestatem et penuriam ostendit et faciem eorum confundit; miserorum enim est petere. Verum petere jubet, ut omnibus palam faciat quam gratus sit Deo zelus et quam mirifice recompensetur. Adeo Deo gratus et acceptus, nobis vero utilis et proficuus est zelus, ut iracundia et indignatio, ubi alias nos efficeret reos, in tribunali divinæ justitiæ, si transeat in zelum, gratiam et gloriam apud Deum nobis conciliet. *Exod.*, xxxiv, legimus Deum Moysi secunda vice tabulas legis consignaturum, hæc dixisse : *Et scribam super eas verba, quæ habuerunt tabulæ quas fregisti.* Quia primis tabulis digito Dei, per quem intelligitur Spiritus Sanctus, lex inscripta et incisa erat, et illas Moyses ad radicem montis ruperat et confregerat; quis non credidisset Deum adeo offensum, ut in pœnam non extradidisset secundas? Imo quod me in admirationem rapit, illud est; etenim novimus quod Deus Moysen desuper reprehenderit non tamen affectum et amorem erga illum diminuerit, multo minus omnino deposuerit; imo specialem ei postea adhuc præstiit gratiam, ad quam jamdudum anhelaverat, quod nimirum potuerit videre divinam essentiam, esto *per modum transeuntis.* Et quæ horum causa? Responsum in prompta est, ex quodam expositore depromptum : « Poterat quidem « Dominus dicere Moysi ut arriperet duas tabulas « instar priorum, nec mentionem facere de illorum « fractione a Moyse; id tamen tacere noluit. Quare? « Noluit, quia illarum fractionis causam sibi fuisse « acceptam insinuare voluit, adeoque acceptam ut « ob illius amorem legis iterato daturum se implicite dixerit. Ubi hoc implicite dixit? Hic, cum « scilicet fractionis tabularum meminit; ac si dixis- « set : Quoniam amore mei iratus es, ob quam « iram tabulas confregisti, igitur hujus a te frac- « tionis merito, legem iterum dare volo. Fractio « enim illa hoc beneficium meruit, quando quidem « causa mei facta est. Sicut ergo amore mei tabu- « las confregisti, ita amore tui, o Moyses, tabulas « reficiam, et scribam. Ergo quam salutaris est Dei « zelus, » cum fuerit causa quod divinam legem tabulis illis habeamus impressam ad perpetuam memoriam.

e. — Transiturus ex hoc mundo ad Patrem, Dominus prævidens Apostolos suos inde turbandos et quod eos in futurum manerent, magnæ tribulationes, quas etiam doloribus parturientium comparavit, efficacissimum eisdem adversum cuncta adversantia remedium dereliquit, cum ad orationem frequentandam incitavit. Siquidem, ut belle D. Gregorius Nyssenus, *lib. de Orat. Dom., orat.* I, tractat : « Est oratio reorum et causa dicentium « patrona; noxiorum et vinctorum relaxatio, atque « solutio; fatigatorum requies, meritorum consola- « tio, gaudentium animi delectatio. » Et S. Basilius, in *Proœmio ad Psalmos* : « Psalmus est anima- « rum tranquillitas, pacis arbiter, turbas et fluctus « tentationum compescens, iracundiam mollit; Psal- « mus amicitiæ conciliator, dissidentium conjunc- « tio, inimicorum reconciliatio; Psalmus dæmones « fugat, auxiliares Angelos advocat; in nocturnis « terroribus securitas, in diurnis laboribus requies « est. » Vicariam ergo absentiæ suæ constituit Dominus orationem, ut Apostoli solatium, quod ex ejus præsentia hauriebant, equidem ex oratione nanciscerentur. Ideoque horum exemplo, in omni tribulatione ad orationem recurrendum est, eo quod afflictorum preces sint efficacissimæ.

f. — Poterant Apostoli in gravem quamdam diffidentiæ incidere testificationem, ex eo quod qui Christum secuti fuerant, eique servierant ab illo tandem deserendi essent. Sed huic malo tanquam providus occurrit medicus, piissimus Salvator, hac facta promissione quod quidquid petituri essent Patrem in nomine suo, iis daturus esset. Unde dicit : *Amen, amen,* id est, certissime ac in veritate vobis promitto; quod *amen,* Divus Augustinus ait idem valere ac juramentum. *Dico vobis* Apostolis ac discipulis meis intime ac veraciter mihi adhærentibus; secundario vero, omnibus fidelibus cujuscumque gradus ac conditionis, meorum Apostolorum vere imitatoribus, qui in Ecclesia et servitio Dei pro gloria mea desudabunt, quod spiritualibus illis omnia restaurabo donis ac consolationibus.

Nimiam, qua Deus dilectas sibi consolatur animas, teneritudinem hisce in Isaia reperiemus expressam verbis : *Ad ubera portabimini et super genua blandientur vobis; quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos.* Ubi Glossa inquit : « Modo aquilæ, modo gallinæ, modo matri blan- « dienti se comparat, ut vos saltem blanditiis alli- « ciat. » Experientia teste, nutrices infantium fletu, cantu et officioso mamillarum lacte demulcent et abstergunt. Eamdem erga nos afflictos Deus servat methodum, dicente Hugone Cardinali : « Consolabuntur vos, blande vobis loquentur. Sicut « nutrix parvulo ploranti blanditur et frangit vo- « cem suam loquens et blandiens puero. » Animas propter Deum afflictas, propter Deum mortificationi, propriæque voluntatis abdicationi vacantes interior multiplex delinire solet illustratio et spiritus suavitas. *Sonet vox tua in auribus meis,* dilectissima quondam Sponso suo applicabat anima. Ast quare? *Vox enim tua dulcis.*

g. — Christus Dominus potens apud Patrem advocatus esse volebat, teste S. Joanne, qui ait : *Advocatum habemus apud Patrem Dominum nostrum Jesum Christum justum.* Ille nunc ad Patrem rediturus, ut quid petamus, invitat, significans se non minorem in cœlis curam habiturum nostri quam

gesserat vivus in terris. Quia sive in terris, sive in cœlis, sive quocumque nos vertimus, semper in nos beneficus existit.

h. — Singulariter hic quatuor notanda sunt, videlicet : quales debeant petere, quid, quomodo et a quo debeant petere. *Si quid petieritis;* id est, si aliquid quod sit verum, ac solidum, ac proinde conducens ad vitam æternam ac ad bonum spirituale animæ; nam temporalia, tanquam nihil sunt, ac pro nihilo reputanda. Unde nemo miretur si transitoria petens ea non impetret. Hæc enim non sunt aliquid, sed omnino nihil. Regum sapientissimus Salomon, cum regio suo throno in pulpitem seu magistralem cathedram mutato, ex imperatore prædicator factus, de mundanis deliciis, gaudiis et prosperitatibus verba facturus esset, post adhibitum omnem sapientiæ et facundiæ suæ conatum, aliud non habuit nisi quod de illis omnibus diceret : *Vanitas vanitatum.* In principio namque libri Ecclesiastis, ita loquitur : *Vanitas vanitatum,* dixit Ecclesiastes, *et omnia vanitas.* In capite autem secundo postquam omnium gaudiorum, deliciarum et prosperitatum quibus perfruitus fuerat, longum quemdam contexuisset catalogum, tamen ita concludit : *Vidi in omnibus vanitatem, et afflictionem et nihil.* Quonam putas nomine Deus noster provincias et nationes quas mundus tanti æstimat, per os Isaiæ appellat? *Ecce,* inquit, *gentes quasi stilla situlæ et quasi momentum stateræ reputatæ sunt ei.* Quibus obsecro basibus seu quibus fundamentis Deus noster terram hanc inniti voluit? Audite Jobum, xxvi, 7, dicentem : *Appendit terram super nihilum.* Sapiens, in libro Sapientiæ, xi, 23, ingentem hanc mundi machinam sequentibus indigitat epithetis : *Tanquam momentum stateræ, sic est ante te orbis terrarum et tanquam gutta roris antelucani quæ descendit in terram.* Verum ex quo in Epistola S. Joannis celebrem illam mundi divisionem habemus : *Omne quod est in mundo concupiscentia carnis est et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ;* quicquid enim est in hoc mundo, vel ad voluptates, vel ad divitias, vel ad honores adæquate reducitur, ideo ut nihilum hoc in omnibus hujus mundi bonis, ab ignorantia et cæcitate humana, tantopere desideratis, tanto evidentius agnoscere valeamus et videre quanta cum veritate homines dicere possint : *Per totam noctem laborantes, nihil cepimus,* omnia præfata bona per ordinem breviter consideremus.

Et quidem si voluptates carnales respiciamus, quam subito et velociter evanescunt? Insuper iis degustatis, nihil præter memoriam et conscientiæ remorsum gravius cruciantem, reliquum manet. Divitiæ quam sint vanæ, ex illis Psalmi LXXV, 6, verbis deduci potest, quibus dicitur : *Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.*

Similiter honores et dignitates, sceptra et monarchiarum imperia nihil sunt. *Confidunt in nihilo,* inquit Isaias, LIX, 4, *et loquuntur vanitates : conceperunt laborem, telas araneæ texerunt.* Aranea non dormit, nec manducat, sed tota die et nocte ad rete suum conficiendum sese eviscerat; et quonam fine? Non alio quam ut muscam aliquam capiat. Eadem quoque est multorum vanitas, qui toto vitæ suo decursu, desudant ac laborant, ut ad hanc vel illam dignitatem pertigere possent, quæ nihil aliud est, quam fumus quidam ad modicum parens : *Deficientes, quemadmodum fumus deficient. Psal.* xxxvi, 10.

i. — Justam conquerendi causam habet Deus de nobis, cum nos admiserit in filios, et tamen minus ipsi fidamus quovis filio. Anima enim nostra creata fuit, non nudo verbo creatoris, sicut alia opera, sed cum ejusdem consilio, quia spiraculo oris sui illi esse tribuit, eique corpus ad cœlum erectum plasmavit. Unde merito homo omnem in Deo fiduciam suam collocare deberet, in quo solum et extra quem nullam satisfactionem invenit nec quietem. S. Ambrosius in libello qui *de dignitate conditionis humanæ* inscribitur, ita scribit : « Tanta dignitas « humanæ conditionis esse cognoscitur, ut non « solo jubentis sermone, sicut et alia sex dierum « opera, sed consilio Sanctæ Trinitatis et opere « Majestatis divinæ, creatus sit homo, ut ex primo « conditionis honore intelligeret quantum deberet « suo Conditori, ut tanto ardentius amaret Condi- « torem, quanto mirabilius se ab eo esse conditum « intelligeret. »

j. — Christus collegio Apostolico et toti fidelium congregationi dicere voluisse videtur, ut sicut ille in mundum veniens, in persona propria eumdem restauravit, conservavit et sustentavit, ita nunc absens, illud quoque promittit se facturum, sed mediante oratione. Deus causam, ob quam mundus in ruinam abit, significare volens, jussit ut Jeremias Propheta populo Israel annuntiaret, ac demum omnibus posteris ejus in scripto relinqueret, *Jerem.*, XII, 11, quod videlicet defectus orationis unica causa sit, quæ populis extremum exterminium immitteret : *Desolatione desolata est omnis terra, quia nullus est qui recogitet corde;* scilicet : « Quo- « modo ira Dei possit orationibus resistere, » inquit Hugo Cardinalis; atque ideo jure dici potest quod oratio sustentet mundum, eumque suffulciat, ne per ruinas evertatur. Celebris est textus ille Jobi : *Sub quo curvantur, qui portant orbem.* At vero quinam sunt illi qui adeo robustos habent humeros, ut ad totum universum portandum et dirigendum sufficere possint? Et quid mirum est si sub tanto pondere curventur? S. Hieronymus hunc locum de servis Dei exponit, qui per efficaciam orationum suarum furori Dei resistentes, efficiunt, ne terra dehiscat et in totalem ruinam abeat. Prædictis Jobi verbis optime consonant illa Cantici Annæ

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

matris Samuelis : *Domini sunt cardines terræ et posuit super eos orbem.* Qui enim sunt hi adeo fortes et validi cardines, ut super illis amplissima mundi sphæra volvi et revolvi possit? S. Hieronymus legit : *Afflicti terra.* Similiter Rupertus Abbas notat quod *cardines terræ* in Hebræo idem significent quod *afflicti terra.* Unde ait : « Pauperes spiritu et « humiles corde intelliguntur, super quos Domi- « num orbem posuisse dicunt. » Deus enim salutem mundi intercessionibus Sanctorum qui in hac præsenti vita afflicti et contempti sunt recommendavit. Unde S. Hilarion a superiori Spiritu illuminatus, S. Antonium Magnum, non sine mysterio hoc epitheto salutavit : « Pax tibi columna lucis, « quæ sustines orbem terrarum.

k. — Magnam consolationem, magnumque documentum Christus hic dat Apostolis, ut eo absente, utantur oratione ad impetranda omnia quibus egent, a Patre suo. Ipse enim, qui erat Sacerdos secundum ordinem Melchisedech et summus Pontifex, assidue interpellabat Patrem pro nobis; nunc vero cum Apostoli omnes post Ascensionem suam in ordine sacerdotali ejus futuri essent successores, hoc illis officium demandavit, ut jugiter se in oratione exercentes orant et intercedant pro populo. Omnibus in sacerdotio constitutis hæc quoque salutaris est doctrina.

Notatu dignissimum, in præsenti, Dei præceptum factum olim omnibus divino se cultui consecrantibus : *De ostio tabernaculi non exibitis septem diebus, usque ad diem quo complebitur tempus consecrationis vestræ,* quasi eos, priusquam sacro inungerentur oleo, in orationibus, ritibus et cæremoniis sacris exerceri voluisset; quo pariter in tempore, juxta Josephi Hebræi testimonium, sua nunquam deponebant vestimenta aut ornatus sacerdotales, neque ulli domesticæ aut terrenæ se implicabant sollicitudini. Origenes ecclesiasticos a tabernaculo ad imitationem Moysis et Aaron minime elongandos docet, sed orare indesinenter. Alias quoque inter regulas quas S. Carolus præscribebat, hæc facile eminebat : « An in orationis sanctæ studio usque « versatus; quibus meditationibus instructus Deum « tacitus oret, qui orationis modus, qui illius fruc- « tus, quæve utilitates; quot quibusve partibus « illa constet, quæ regula præparationis ad ora- « tionem. » S. Hieronymus in antiquo quodam canone ubi sæcularem et clericalem distinguit, ita inquit : « Mancipatum divino officio et deditum « contemplationi et orationi, ab omni strepitu « temporalium cessare convenit. » S. Chrysologus pariter ita Sacerdotem depingit : « Dispensator « divini verbi et cœlestis doctrinæ propagator, qui « ante Dominum stat jugiter, versatur inter altaria « semper neque a Dei oculis recedit unquam, qui « peccatorum causas, dolores populi suscipit, fert, « offert, ingerit preces, accipit, refert, instituit im- « petrata, ex homine totus in Angelum substitutus. »

l. — Christus Dominus potentem semper apud Patrem suum cœlestem pro nobis advocatum egerat; nunc vero a nobis discessurus, non minus id de se verificari volebat, quod ex eo S. Joannes testatur : *Advocatum habemus apud Patrem Dominum nostrum Jesum Christum justum.* Unde ut confidenter petamus, inculcat, significans se non minorem nostri curam gesturum in cœlis, quam olim gesserat in terris, quia sive in cœlis, sive in terris, semper in nos beneficus existit; in cœlis quidem per communicata auxilia gratiæ; in terris vero per creaturarum productionem in hominis beneficium.

S. Paulus, I *Tim.*, I, 12, ait : *Gratias ago ei, qui me confortavit, Christo Jesu Domino nostro, quia fidelem me existimavit;* quibus verbis duo præcipue beneficia agnoscit, primum videlicet beneficium gratiæ divinæ, qua se confortatum fatetur. Unde alibi inquit : *Omnia possum in eo qui me confortat; non ego, sed gratia Dei mecum.* Alterum est quod vocatus fuerit ad fidem : *Fidelem me existimavit.* S. Gregorius Nazianzenus, discursum suum ad animam christianam dirigens, inquit : « Agnosce « unde habes quod sis, quod speres, quod ratione « ac mente utaris, quodque maximum est quod « Deum cognoscas, cœlorum regnum speres, hono- « ris æqualitatem cum Angelis, gloriæ contempla- « tionem, nunc quidem in speculis et ænigmatibus, « tunc autem pleniorem ac puriorem, quod Dei « Filius, Christi cohæres, atque ut audacter loquar, « Deus etiam factus sis : unde tibi hæc omnia et a « quo? » Propheta regius, postquam sphæras cœlestes super nos extensas et magni illius palatii totius universi ob hominem fabricati testitudinem contemplatus fuisset, dicendo, *Psal.* VIII, 5 : *Quoniam videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum, lunam et stellas, quæ tu fundasti,* in admirationem et stuporem raptus, supremum illorum factorem his verbis alloquitur : *Quid est homo quod memor es ejus, aut filius hominis quoniam visitas eum? Minuisti eum paulo minus ab Angelis; gloria et honore coronasti eum.* Cum enim Angeli ad hoc a Deo destinati sint, ut orbes cœlestes in nostrum beneficium volvant et tanquam custodes nobis inserviant, juxta illud : *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis,* illos nobis inferiores esse necessario sequitur. Imo ipsemet Dei Filius naturam angelicam non æque ac humanam sibi assumere et cognatam facere voluit : *Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ.* S. Thomas super illa verba : *Coronasti eum,* inquit : « Coronari est « regum : Deus fecit hominem quasi regem infe- « riorum, et est gloria, scilicet claritas divinæ ima- « ginis, et hæc est quædam corona hominis. I *Cor.*, « XI, 7 : *Vir imago est et gloria Dei.* » Cajetanus in Hebræo vertit : *Et defecere fecisti eum modico a diis* : « significatur per hoc tanta hominis exaltatio quod « parum deficit a Deo. » Observat autem D. Chrysostomus Davidem primo nobiliorum meminisse creaturarum, scilicet, solis, lunæ, stellarum, posteaque subjungere : *Omnia subjecisti sub pedibus ejus;* quia scilicet universa creatura propter hominem est, ideoque David, ut idem subnectit sanctus Doctor, taliter discurrit, ut prudenter et grate, pro toto orbe terrarum agens gratias.

m. — In nomine Jesu petere est eo modo petere, quo ipse petiit; magna autem Christus in suis orationibus usus est reverentia et humilitate, quæ maxime in oratione necessaria est. Rem alieno exemplo declaro. Valde metuebat Jacob fratrem suum Esau, venientem ei obviam, rogabatque Deum dicens : *Minor sum cunctis miserationibus tuis et veritate tua quam explevisti servo tuo. Erue me de manu fratris mei Esau. Gen.*, XXXII, 10. Cur ita se deprimit, ac se indignum judicat, acceptis a Deo beneficiis? Cur non potius sua erga Deum commemorat obsequia? Ex afflatu divini Spiritus orabat Jacob, ut liberaretur ab Esau. Quod ut impetraret, ex humilitate adjuvatur. Oratio quidem efficax est, si tamen humilitati fuerit conjuncta.

Propheta Regius suas, *Psal.* CXIV, 1, exauditas esse gloriatur instantias dicens : *Exaudivit Dominus vocem orationis meæ, inclinavit aurem suam mihi, et in diebus meis invocabo;* moxque subdit : *Circumdederunt me dolores mortis et pericula inferni invenerunt me; tribulationem et dolorem inveni, et nomen Domini invocavi;* hincque maxima iterum cum confidentia, replicat dicens : *O Domine, libera animam meam.* Sed cui tandem hujusmodi Prophetæ spes innitebatur infallibilis? Ecce vobis fundamentum : *Humiliatus sum, et liberavit me;* quia scilicet veritas est catholica, quod *oratio humiliantis se nubes penetrabit. Eccl.*, XXXV, 21.

VERSUS 24.

Usque modo non petistis quidquam in nomine meo; petite, et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum.

Usque modo non petistis quidquam in nomine meo.

1. — Dionysius Carthusianus nihilominus consideral, discipulos Salvatori multas petitiones summa cum instantia proposuisse; etenim S. Philippus ei dixerat, *Joan.*, XIV, 8 : *Ostende nobis Patrem et sufficit nobis.* Omnem quoque conjunctim hunc ei supplicationem paulo ante cœnam præsentaverant : *Adauge nobis fidem;* similiter filii Zebedæi primas regni sui sedes ab ipso postulaverant; ac demum dubium non est, quin orationem Dominicam, quam ab ipso edocti fuerant, recitarint : « Quomodo ergo « nihil petierunt in nomine Christi? » quærit Carthusianus. Moxque respondet : « Dicendum, quod « nullus petit in nomine Christi, nisi Christum vere « cognoscat, eumque Salvatorem perpendat; Apo- « stoli autem hucusque nullam fidei stabilitatem « habuerunt de Christi divinitate, et de cæteris « ejus mysteriis; propterea Christus non negat se « exoratum ab Apostolis, sed quod nihil petierint « Patrem in nomine suo, quia non recte senserunt « de Christo in omnibus, præsertim quantum ad « ejus divinitatem. » Quam eamdem consideratio- nem diu ante Rupertus Abbas posuerat, dum ait : « Nondum perfecte noverant eum, licet crederent « vel confiterentur eum Christum Filium Dei vivi; » nondum enim mysterium redemptionis nostræ, ipsumque Deum inter et nos mediatorem esse, qui apud æternum Patrem suum cœlestes nobis gratias impetraturus esset, noverant : « Proinde non petie- « rant quidquam hactenus in nomine ejus, siqui- « dem nec ipse hoc illis ante hanc horam suæ « passionis mandasse invenitur, quamquam multa « in plerisque locis de orationis instantia sit locu- « tus. »

2. — Jansenius dicit : « Petere in nomine Christi, « est petere cum invocatione nominis Christi, hoc « est, potentiæ et meritorum ejus; » quomodo Deum hactenus nunquam rogarant, quia tametsi dum hæc diceret, merita inexhausta haberet, nondum tamen tormenta passionis et mortis suæ passus fuerat. Lucas Brugensis dicit, Apostolos quidem a primis annis juxta usum et consuetudinem legis Mosaicæ orare solitos fuisse, estque verisimile satis orationem quotidianam, quam Dominicam vocamus, eo quod ab ipsomet Christo ipsorum Magistro ipsis tradita fuisset, ipsis valde fuisse familiarem; Christus autem hic dicere voluit : « Nihil hactenus « orastis in nomine meo, scilicet tanquam redemp- « toris vestri, et mediatoris inter Deum et homi- « nem, id est, propositis Deo meritis mortis meæ « pro causa impetrandi. »

3. — S. Gregorius, *Hom.* XXVII, Christum hæc dixisse ait : « Ac si aperte diceretur, non petistis « in nomine Salvatoris, quia nescitis quærere æter- « nam salutem; pensate petitiones vestras, videte « si in nomine Jesu petitis, id est, si gaudia salutis « æternæ postulatis; in domo enim Jesu, Jesum « non quæritis, si Deum æternitatis in templo im- « portune pro temporalibus oratis. »

4. — S. Thomas, in *Catena,* verba hæc duobus modis exponit : « Vel quia in nomine meo non « petistis, quod nomen, non, sicut cognoscendum « est, cognovistis; vel non petistis quidquam, quo- « niam in comparatione rei, quam petere debuistis, « pro nihilo habendum est quod petistis. » Etenim duo illi Apostoli germani fratres primas in ejus regno sedes postulaverant; et omnes alii ipsum rogarant : *Quis eorum videretur esse major,* aliaque similia et tamen verissimum fuit quod dixit : *Usque modo non petistis quidquam,* id est, ut Jansenius ait, « in comparatione rei, quam petere debuissent, « pro nihilo habendum erat quod petierant. »

Petite et accipietis.

5. — Quanta esset aulicorum vel subditorum potentissimi alicujus Monarchæ, qui omne id posset quod vellet, felicitas, si talis Monarcha ipsemet ore suo unumquemque illorum invitaret et extimularet ad favores et gratias ab eo postulandos, eisque per æternæ veritatis verbum promitteret dicens : *Et accipietis.* Quot memorialia et supplicationes in Principum temporalium tribunalibus in vanum porriguntur, nec unquam suum assequuntur intentum! Imo advertendum hic est, quod nulla prorsus inter verbum *petite*, et inter verbum *accipietis* sit distantia, ad denotandam promptitudinem, facilitatem et securitatem, qua exaudiendi sumus. Unde S. Ambrosius de verbis filii prodigi : *In se reversus*, etc., *dicam ei : Pater*, etc., ita scribit : « Occurrit « tibi, quia audit te intra mentis secreta tractantem; et cum adhuc longe sis, videt et accurrit. »

6. — Quod si dixeris : Promissionem hanc non videri infallibilem esse, eo quo multi id, quod postulant, minime consequantur, Toletus per adductam S. Augustini auctoritatem respondet dicens : « Aliquando Deum exaudire petitiones nostras, « dum negat et renuit facere quod petimus, quod « tunc fit, quando petimus ea, quæ putamus utilia « nobis futura, sed revera non sunt, sed potius « noxia, tunc concedere petita potius est punire, et « nostræ intentioni et desiderio repugnare. »

7. — Idem Toletus locum illum, *Joan.*, xv, 17, citat, in quo eadem Sapientia incarnata, quæ modo nos invitat, dicendo : *Petite et accipietis*, dicit : *Si feceritis quæ præcipio vobis et verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis, petetis, et fiet vobis.* Et ideo Tertullianus scribit, quod usus ille, quo sub orationibus manus in altum extendere solemus, servetur in testimonium innocentiæ conscientiæ nostræ.

8. — Idem quoque Doctor observat quod verbum hoc, *Petite*, sit præceptivum. « Præceptum « Christi; jussi enim ab eo petimus Patrem; » ad ea namque verba se reflectit, dum hoc dicit, quod Sacerdos pronunciare solet, priusquam in Missa orationem Dominicam recitet : « Præceptis salutaribus moniti, et divina institutione formati, audemus dicere : *Pater noster*, etc. Est enim promissio « facta nobis a Christo impetrandi a Patre. »

Ut gaudium vestrum sit plenum.

9. — Rupertus Abbas Tuitiensis hæc verba de gloria Paradisi interpretatur : « In quo autem « plenum esse poterit nisi ut veniamus et appareamus ante faciem Dei? Omne namque gaudium « mundi hujus deceptivum, et omnis risus ejus « erroneus est; solum autem de visione Dei, et « risus faciei ejus præsentis plenitudinem habet, et « in veritate est. « *Intra in gaudium Domini tui*, dicetur cuivis animæ electæ, quia status beatitudinis omnia bona, omniaque imaginabilia gaudia continet : « Ibi erit quicquid voles, » inquit S. Augustinus; et S. Bernardus, *Serm. de triplici genere bonorum*, dicit : « Beatitudo est, ubi nihil sit, quod « nolis, et ubi totum sit, quod velis. » Causa autem, cur in cœlesti patria omne id futurum sit, quod volumus et desideramus, est, quia Deus, qui objectum est beatificæ visionis, ibidem animæ nostræ unitus et conjunctus erit : « Quid ibi deesse potest, « ubi Deus est, cui nihil deest. »

10. — S. Bernardus in hac valle lacrymarum constitutus, gaudium illud considerans, quo hodie in Paradiso voluptatis perfruitur, dicit, *Medit.*, iv : « Delectabilis est Deus ad videndum, suavis ad « habendum, dulcis ad perfruendum. » In visione, comprehensione et fruitione anima imperceptibilia et inexplicabilia gaudia experietur, *Apoc.*, ii, 17 : *Vincenti dabo manna absconditum, quod nemo scit, nisi qui accipit.* Manna olim omnes in se sapores continebat, *omne delectamentum*, intellectus autem creatus hac mortali carne circumdatus ad illud capiendum pertingere nequit. S. Bernardus de Deo dicit : « Ipse per se placet et per se sufficit, quia « totum in illo invenitur, quidquid desideratur. » Regius Propheta David cum modico illo lumine, quod in statu legis Mosaicæ de Paradisi gloria habuit, calami sui ductu nobis suavitatem et gaudium illius exprimere volens, *Psal.* xxxv, 9, ait : *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Mellifluus Bernardus ad gloriæ illius immensitatem explicandam, similitudinem alicujus stillæ aquæ, in vastum ambrosiæ et nectaris, vel vini generosissimi mare projectæ, adducit, hæc enim utique hisce liquoribus permixta in illos transmutanda, primitivamque substantiam suam amissura esset. Unusquisque cœlitum fruetur et perfundetur in cœlo gaudiis et beatitudine sociorum suorum; imaginemini igitur vobis, quantum ibi futurum sit gaudium, ubi tot sunt Angelicorum spirituum, animarumque beatarum myriades, imo millionum milliones. Unde S. Anselmus ait : « Quoniam unusquisque sicut se alterum amabit, sic de « illius felicitate, ut de sua gaudebit; quot et quanta « gaudia quisque obtinebit, qui de tot et tantis « beatitudinibus jubilabit! »

11. — S. Thomas, *in Cat.*, verba illa de gaudio spirituali, ad carnalis gaudii distinctionem explicat : « Hoc quod dicit *gaudium plenum*, non carnale, « sed spirituale gaudium est et quanto tantum erit, « ut aliquid ei jam non sit addendum, tunc erit « plenum. »

12. — Alcuinus verba illa explicat de gloria : « Ac si patenter dicat, non fluxa sæculi gaudia, « quæ et mærores semper mixta et dolore finienda « sunt; sed illud singulare gaudium a Patre petite, « cujus plenitudo nullo cujuslibet inquietudinis « attactu minuatur, æternitas nullo unquam tempore dissolvatur. »

13. — Advertendum hic est, quod non solum nos ad hujus gaudii consecutionem postulandam invitet, verum etiam id videatur præcipere, id quod cum illis verbis consonat : *Quærite primum regnum Dei*; et in oratione Dominica nos pariter ita orare præcepit : *Adveniat regnum tuum*; justissimam etenim idipsum petendi habemus causam, siquidem Paradisus pro nobis fabricatus esse noscitur : *Possidete paratum vobis regnum*; et ad regnum istud consequendum anima nostra a Deo creata fuit : « Creasti nos, Domine, ad te, et inquietum est cor « nostrum donec requiescat in te. » In terris ad sceptra et regna aspirare crimen est læsæ majestatis; e contra vero ad regnum Dei non anhelare, illudque non affectare, reos non facit mortis æternæ, nosque ejusdem Dei inimicos constituit. Observandum proinde est, quod sapientissimus Magister noster Christus, postquam dixisset, jussissetque ut regnum illud immortale ante omnia, et præ omnibus aliis quæremus, ne forte ex eo, quod prætensio hæc hic in terris inter nos pœna mortis, ut diximus, castigari soleat, timore aut metu mali alicujus ex illis regni immortalis prætensione, nobis obventuri percelleremur, protinus subjunxerit : *Nolite timere, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum*; Deus enim in illa re adeo sibi complacet, quam quod nobis regni hujus possessionem concedat et investituram : *Complacuit.* Unde Rupertus Abbas ait : « Cum dicit : *Petite, et accipietis, ut gaudium « vestrum sit plenum*, illa tantummodo petenda « esse innuit, quæ proficiant ad visionem Dei, in « quo solo plenitudo gaudii est. » Ad hunc ultimum finem omnes nostræ ordinandæ sunt petitiones, ad hunc, velut ad centrum omnia dirigenda sunt desideria, cogitationes et opera nostra.

14. — Alcuinus modum nobis tradit, quo gaudium istud indubitanter consecuturi sumus; dicit enim : « Si ergo talia petendo persteriteris, procul « dubio, quæ petitis, accipietis, si mores menti « concordant petentis; parum enim utilitatis affert, « bene orando superna quærere, qui non desistit, « perverse vivendo, infimis implicari. »

Additiones.

a. — *Usque modo non petistis quidquam in nomine meo.* Ex ipsomet textu sacro Evangelii liquet quod Apostoli nulla a Christo postulaverint; nam Jacobus et Joannes, per matrem, petierunt primas sedes, *Matth.*, xx, 20. Petierunt item discipuli, ut adangeret eis fidem, *Luc.*, xvii, 5. In nomine quoque Christi ejecerunt dæmonia : *Domine, etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo. Luc.*, x, 17. Cum ergo tanta ac tot postulaverint, quomodo eis dicitur a Christo : *Usque modo non petistis quidquam?* Ratio est, quam tradit noster D. Cyrillus Carmelita, *lib.* II, *cap.* vii, quod Apostoli a pueritia consueverant orare more consentaneo legi Moysis. Judæi autem Deum orabant, ab eoque postulabant quæ opus erant, sed non in nomine Christi, quæ illis primario quidem necessaria deerat intentio, quam Deus tamen rectam et in oratione et in omnibus intendit operibus.

b. — *Usque modo non petistis quidquam*, dicit Jesus Apostolis, quia sic semper debemus a Deo petere, petitionibus instare, ac ab illis nunquam cessare, ac si nihil esset petitum a nobis; sed semper magis petendum est, quoad usque plenitudinem gaudii habeamus : *Petite et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum.* Non una parte contentus sit homo, sed satagendum est ad totum tenendum, id est, instanter et perseveranter semper orandum. Grata est Deo instantia et importunitas nostra in oratione : *Quis ex vobis habebit amicum*, dicit Dominus noster, *Luc.*, xi, 5, *et ibit ad illum media nocte et dicet : Amice, surge et commoda mihi tres panes. Et si ille perseveraverit pulsans, propter improbitatem surgens dabit*, etc. Et immediate subjungit : *Et ego dico vobis : Petite et dabitur vobis; quærite et invenietis; pulsate et aperietur vobis. Omnis enim qui petit accipit, et qui quærit invenit, et pulsanti aperietur.* Ex quibus verbis clare deducitur Christum hoc fine hanc tradidisse doctrinam, ut nos in orando doceret constantem perseverantiam, quodque Deo in precibus molesti et importuni esse debeamus. Homines quidem quantumcumque sint benigni et humani, attamen quando importune sollicitantur, preces clientum suorum fastidiunt, eorumque importunitate ad indignationem provocantur. Non vero item Deus, qui gaudet, dum nos sollicite et importune petere videt. S. Bonaventura *de profectu religiosorum* disserens inter alia documenta hoc quoque illis tradit : « Non propterea a prece cessandum « est, quia Deus non acceptat; sed eo instantius « orandum est, quia Deus probat per hoc orantis « constantiam, expurgat humiliati conscientiam et « remunerat afflicti patientiam. » In dubium revocari nequaquam potest, quin oratio Isaac Deo acceptissima fuerit, specialiter pro causa illa pro qua supplicavit; quia divinam promissionem suam de posteritate populi electi continuanda adimplere non potuisset, nisi uxor ejus prole fœcundata fuisset : *Deprecatusque est Isaac Dominum pro uxore sua eo quod esset sterilis; qui exaudivit eum et dedit conceptum Rebeccæ.* At vero dices : Si Deus Isaac pro filio sibi impetrando rogantem exaudivit, cur filium ei dare viginti annis distulit? Nam ut D. Chrysostomus ait : « Viginti annis perseveravit orans et deprecans Deum; et tunc tandem assecutus est « quod desiderabat. Si enim quadraginta annorum « erat, quando Rebeccam duxit, sexaginta vero « quando illa peperit, manifestum est quod viginti « annis perseveravit orans Deum. » Respondetur

igitur : Jucundum erat Deo videre Isaac tot annis in precibus perseverantem et continuantem, non obstante, quod a primo die, illum exaudivisset.

c. — Quid ais Domine? Numquid filii Zebedæi petierant, unus sedere ad dexteram tuam et alius ad sinistram et adhuc ais, *usque modo non petistis quidquam?* Certe pro nihilo petitionem hanc reputabat Dominus, quia ex ambitione ortum trahebat, ideoque illis non concessit, sciens etiam, ad nostram tamen instructionem sublimia loca præcipitia comminari. Æterna veritatis est illa a Christo sæpius pronuntiata propositio : *Qui se exaltat humiliabitur.* Circa quæ verba advertendum est, quod Salvator non dicat : *Qui exaltatur*, sed, *qui se exaltat*, quia hi qui inviti ad sublimes dignitates promoventur, nec aliis quam meritorum gradibus ad easdem conscendunt, comminato huic lapsui minime subjiciuntur, dummodo in sua virtute persistant, seque quoadusque in sublimi illo statu vade alias lubrico constituti sunt, seduci nequaquam permittunt. E contra vero qui sine ullo meriti fundamento, ex sola ambitione in altum se evehere satagunt, jure merito certissimum sibi metuere possunt præcipitium.

d. — Dicitur Apostolis : *Usque modo non petistis quidquam.* An nihil petit qui in congruum tempus petere differt? Scilicet sic semper debemus petere et petitionibus instare, ut non de petendi tempore disponamus. Nam cum tempus in potestate nostra minime sit situm, temeritatis notam incurrit, qui de eo velit disponere.

e. — Multa ut dictum est, petierant Apostoli et tamen audiunt : *Non petistis quidquam*; quia sic semper debemus a Deo petere, petitionibus instare, ac ab illis nunquam cessare, ac si nihil esset petitum; sed semper magis ac magis petendum est, quoadusque plenitudinem gaudii habeamus. Non una parte contentus sit homo, sed satagendum est ad totum tenendum; merito igitur reprehenditur qui non totum, sed unam tantum partem apprehendere, ac tenere cogitat. Christianus enim semper in virtutibus progredi et proficere; nequaquam vero eo virtutum statu, in quo nunc est contentus vivere debet. Sapiens, *hic. Prov.*, IV, 18, securum nobis suggerit modum, per quem in virtutibus stabiliri valeamus, scilicet si continuo, nec unquam intermisso spirituali profectui studeamus dum dicit : *Justorum semita, quasi lux splendens, profecit et crescit usque ad perfectum diem.* Porro sol nunquam firmatur, sed in horizonte exsurgens, semper magis ac magis ascendit usque ad meridiem; et licet ad occasum tendat, sequenti tamen die de novo promicare incipit, nec unquam cursum suum sistit; idque non in suum, sed in omnium viventium beneficium. Idem quoque vir justus et perfectus imitari debet, si in perfectione perseverare, progredi, procedere et crescere velit *usque ad perfectum diem.* Nunquam sibi sufficiens videri debet illa virtutis periodus, in qua ei est ascendendum. S. Augustinus super Psalmum LXIX ita scribit : « Quantum-« cumque hic vixerimus, quantumcumque hic pro-« fecerimus, nemo dicat : Sufficit mihi; justus sum. « Qui ita dixerit, remansit in via, non novit perve-« nire. Ubi dixerit, sufficit, ibi hæsit. Attende « Apostolum, cui non sufficit. Vide quomodo se « vult adjuvari, donec perveniat. *Fratres*, inquit, « *ego me non arbitror comprehendisse*; ne sibi vide-« rentur comprehendisse, quibus rursum dicit : « *Qui se putat aliquid scire, nondum scit quemadmo-« dum oportet eum scire*, I *Cor.*, VIII, 2. » Et paulo post scribit : « Ille currit, tu hæsisti? » Idem S. Doctor alio in loco ostendit, cavendum nobis esse, ne unquam nobis ipsis complaceamus in eo, quod fecimus; quin potius vehementer id nobis displiceat. Unde ait : « Semper tibi displiceat quod « es, si vis pervenire ad id quod nondum es; nam « ubi tibi placuisti, ibi remansisti. Si autem dixisti : « sufficit, periisti. »

f. — *Petite et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum.* Quod gaudium esse poterit Apostolis qui de Jesu absentia summa replentur tristitia? Num senior Tobias in cæcitate sua gaudio superabundat, quia ab Angelo audivit : *Gaudium tibi sit semper.* Quin magis lamentabatur, quod gaudere non posset, tanto malo plenus. Gaudium plenum erat, o pie Jesu, Apostolis, te præsente. Ex abscessu tuo manet eos tribulatio magna et gaudebunt? Vide hic divinæ gratiæ caros effectus, in ipsis etiam tribulationibus gaudium excitare ita plenum, ut in medio illarum, dixerit Apostolus : *Plenus sum gaudio, repletus sum consolatione.* Afflictis enim Deus communicat consolationes et gaudia. Aperte Deus animæ tribulatæ significat : *Cum ipso sum in tribulatione.* Idem Psalmista ore Spiritus Sancti pronuntiat : *Juxta est Dominus his qui tribulato sunt corde.* Quid mirum igitur, si homo tribulatus internas experiatur consolationes et gaudia, dum secum habet illum, de quo scriptum est : *Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra?* » Omne « gaudium existimemus, » sic exhortatur nos S. Bernardus, « cum in tribulationes varias incidere-« mus, fratres mei, non modo quia per multas tri-« bulationes oportet nos intrare in regnum cœlo-« rum, sed quoniam *juxta est Dominus his qui tri-« bulato sunt corde.* » Ingeniose sane ponderat et observat S. Augustinus illa Apostoli verba ad Romanos : *Spe gaudentes, in tribulatione patientes*; quod nimirum tribulatio conjungatur cum lætitia : « Apo-« stolus, cum dixisset, *spe gaudentes*, quasi his « loqueretur, qui jam in torculari sunt, addidit sta-« tim, *in tribulatione patientes*; » quasi tribulationem censeret esse inseparabilem a consolatione. In opusculis S. Seraphici Francisci legimus : « Inter-« rogatus, quomodo tam magnos oculorum et « totius corporis cruciatus adeo hilari et constanti

« animo perfruebat, respondit : Tanta est gloria, « quam expecto, ut omnis me pœna delectet, om-« nis morbus, humiliatio omnis, persecutio omnis. » Scribit Petrus Blesensis, *Epis.* CXLIII : « In suis ver-« beribus Deus memoriam abundantiæ suæ suavi-« tatis abscondit; dejicit ut erigat; vulnerat ut « sanet; ut pressura vertatur in gratiam et afflictio « in coronam; ut qui prius flagellatus fuerat, cum « Propheta decantet : *Confitebor tibi, Domine, quo-« niam iratus es mihi; conversus est furor tuus et « consolatus es me.* »

g. — *Petite et accipietis*, ait Christus in præsenti, discipulis suis. Nihil medium adest inter petitionem et acceptationem, non precum repetitio, non temporis expectatio, non aliqua diuturna mora, ut sæpe fit apud homines; sed apud Deum, cum nostra petitio profertur, immediate ei correspondet impetratio. Una syllaba in oratione impetrat, ut non sit necesse secundam adjicere. Innuunt igitur illa verba Evangelii : *Petite et accipietis*, facilitatem et velocitatem, qua a Deo exaudimur. Deus apud Isaiam, LIX, 29, dixit : *Adhuc te loquente, ecce adsum.* Quæ verba S. Chrysostomus considerans, ex ore ipsismet Dei dicit : « Non expecto ut ora-« tionem finias, sed confestim cum incipis exaudio. » Clemens Alexandrinus hanc Dei in exaudiendo miram promptitudinem his verbis expendit : « Ce-« lerius exaudisti quam ego expectarem, Domine. » S. Bernardus de manu divina inquit : « Manum « semper apertam habes, juxta illud Prophetæ : « *Aperis tu manum tuam et imples omne animal bene-« dictione.* Cum ergo aperitur manus, diffunditur « quod in manu est : Deus semper habet manum « apertam, imo etiam perforatam, quia ex utraque « parte manus diffundit bonitatem suam. »

In sacris Canticis dicitur : *Sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis.* At vero cur non potius Sponsus cœlestis dicit : *Sonet sermo tuus?* Nimirum unica tantum ei vox sufficit, licet sit interrupta et non articulata; unicum suspirium, unicus singultus eum ad misericordiam præstandam commovet, adeoque avidus est nos exaudiendi, ut prius quam nos audiat desideriis nostris satisfaciat. Unde apud Isaiam dicit : *Antequam clamet ad me, exaudiam eos.* Unde S. Bernardus ait : « Nemo vestrum, fra-« tres, parvipendat orationem suam : dico enim vo-« bis, quia ipse ad quem oramus, non parvipendit « eam. Prius quam egressa sit ab ore nostro, ipse « scribi jubet eam in libro suo. »

h. — Christus spondet accepturos nos, si petamus; cum tamen e contrario constet, multos a Deo dona petere, quæ tamen non accipiunt. Rationem assignat B. Apostolus Jacobus in sua *canonica Epistola*, IV, 3 : *Petitis et non accipitis, eo quod male petatis, ut in concupiscentiis vestris insumatis.* Græcus legit : *In cupiditatibus insumatis.* Id est, expendatis in complemento cupiditatum vestrarum. Inde Deus, quia agnoscit postulata futura esse nobis noxia, ea non concedit. Audite hac de re in hæc verba discurrentem Basilium Magnum : « Cum Do-« minus spoponderit et dixerit : *Omnia quæcumque « petieritis in oratione, credentes accipietis*; et ite-« rum : *Si duo ex vobis consenserint super terra de « omni re quamcumque petierint, fiet illis*; quid est « quod rogata quædam etiam Sancti non obtinue-« runt, sicut etiam Apostoli. Sic enim est apud « Paulum : *Propter quod ter Dominum roqui ut dis-« cederet a me*; qui tamen quod rogaverat non im-« petravit, similiterque Jeremias et Moyses. » Huic autem difficultati præfatus Doctor, sequentibus verbis respondet : « Cum Dominus noster Jesus Chris-« tus in oratione sua dixerit : *Pater, si possibile est, « transeat a me calix iste*, et statim adjunxerit : « *Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat*; primo « quidem scire illud convenit; non esse promissum « nobis, ut quæ volumus, omnia petamus. Quin ne « intelligimus quidem quid expediat nobis petere; « quid enim oremus sicut oportet, nescimus. Quo « circa in adhibendis rogationibus magna utique « circumspectione uti debemus, ut ea sint ex volun-« tate Dei. »

Non quidem ex divinæ promissionis defectu non exaudimur, sed propter majus bonum nostrum, vel ob nostros defectus et culpas. Quod si febricitanti in delirio cultrum, quo se mortaliter vulneraret, postulanti, alius negaret, is utique ad sanam mentem rediens, se magis exauditum fuisse per habitam repulsam, quam per ferri illius traditionem fateretur, hoc enim illi in delirio dare mortem ei accersere esset. Eodem modo discurrere licet, quando Deus multis, quos amat, negat quod postulant. Illud enim eis minime expedire novit, sed potius ad æternam salutem summe esse noscivum. Confessus est idipsum Apostolus : *Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Satanæ qui me colaphizet.*

Quod autem sæpe a Deo non exaudiamur culpa nostra contingit, quia scilicet, in tide deficimus, quam Christus in oratione præcipue requirit; vel pro gratiis jam acceptis ingratos nos præbemus, vel obturamus aures nostras ad clamorem pauperis : *Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, et ipse clamabit, et non exaudietur*, *Prov.*, XXI, 1; vel nimis inconsiderata est petitio nostra.

i. — Sæpissime juxta Apostolum ignoramus quid petamus, sed sæpe ardentibus votis id postulamus, quod minus nobis expedit. Si vero scire desideras, o christiane, quid absolute liceat petere, audi Dominum : *Ut gaudium vestrum sit plenum.* Quo vult dicere, divinam hic petite gratiam purani conservandi conscientiam, cujus conscientiæ gaudium est utile, continuum et stabile. Item petite, ut postmodum ejus gloriam assequamini, in qua tantum datur plenum gaudium, siquidem beatitudo

immunis est ab omnibus miseriis, periculis, pœnis, culpis aliisque hujus vitæ laboribus.

j. — Effectus est veræ fidei, evidentissimumque ejusdem testimonium, in ipsis tormentis pro fide exantlatis, tantas degustare consolationes, ut jam ipsas cœlestes prægustare, quodammodo videantur, seque jam in possessione pleni, id est, perfecti gaudii esse putent. Undenam vero hic jubilus, patiendique et moriendi cupiditas, cujus varia in Historiis Ecclesiasticis habemus exempla, derivari poterat, quam a Deo, pro cujus amore adeo generosis conatibus decertabant? S. Augustinus de S. Laurentio loquens ait : « Non enim potest in visce- « ribus ignium tormenta sentire, qui sensibus Para- « disi refrigeria possidebat. » Divus Chrysostomus Christianum a pagano distinguens, inquit : « Chris- « tianum in hoc ab infidelibus differre oportet, ut « omnia generose ferat et spe futurorum erectus, « humanorum malorum impetu, se superiorem « exhibeat. » Idemque S. Doctor, in alia quædam Homilia ita fatur : « Si Christianus es, Christo « crede; si Christo credis per opera mihi fidem « demonstra. In hoc ab infidelibus differimus, illi « merito timent mortem, resurrectionis enim spem « non habent; tu vero ad meliorem vadens vitam, « non times. »

VERSUS 25.

Hæc in proverbiis locutus sum vobis, venit hora, cum jam non in proverbiis loquar vobis, sed palam de Patre meo annuntiabo vobis.

Hæc in proverbiis locutus sum vobis, venit hora, etc.

1. — Lyranus Christum rationem reddere voluisse dicit, cur Apostoli post ejus resurrectionem majorem et securiorem apud æternum Patrem suum habituri sint aditum : « Duo faciunt familia- « ritatem, cum aliquo scilicet, notitia ejus et amor; « post resurrectionem autem, et Spiritus Sancti « receptionem Apostoli fuerunt perfecti in notitia « et amore Dei, et hæc est causa quare fuerant ei « magis familiares quam ante, et hoc est quod « dicitur : *Hæc in proverbiis locutus sum vobis*, quasi « dicat : Ante passionem parabolice et obscure locu- « tus sum vobis. »

2. — Albertus Magnus ait : « Doceris vos de « divinis per humana, sed, *venit hora cum jam in* « *proverbiis non loquar vobis*, sed per internam « Spiritus acceptionem. »

3. — Toletus hoc adimpletum esse dixit per illum, a resurrectione usque ad Ascensionem computando, quadraginta dierum decursum, in quo collegium Apostolicum de Ecclesiæ suæ mysteriis plene docuit : « Per illos quadraginta dies disci- « pulos erudiens, perfectius autem in adventu « Spiritus Sancti. »

4. — Alcuinus verba illa de hoc Spiritus Sancti adventu exponit, dicens : « Illam nimirum horam « significabat, qua eis peracta sua passione ac « resurrectione, Spiritus Sanctus erat gratiam da- « turus. »

5. — Rupertus Abbas ait : « Numquid ex quo « surrexit a cœna, proverbia sive parabolas dixit, « et non potius plano sermone præcepta dilectionis « et hortamenta patientiæ dedit? »

Sed palam de Patre meo annuntiabo vobis.

6. — Glossa verba illa de Spiritu Sancto intelligenda esse declarat, utpote qui distinctam illis de Deo Patre notitiam communicaturus esset : « Dato « Spiritu faciam vos spirituales, ut certissima intel- « ligentia mentis, etsi non ut in futuro, Deum « videatis, et tunc palam de Patre meo nuntiabo, « ut ipsum et me ejusdem substantiæ intelligatis. »

7. — S. Chrysostomus, *Hom.* LXXXVI *in Joan.*, per hanc illis dandam manifestationem, instructionem illam quam in quadraginta illis diebus, in variis apparitionibus illis ministravit, intelligit : « *Per dies quadraginta apparens eis et loquens de* « *regno Dei*; etenim quadraginta dies et versatus et « locutus est cum eis, annuntians et exponens « arcana Dei. »

8. — Dionysius Carthusianus verba illa hunc sensum habere dicit : « Clariorem quam ante dabo « vobis notitiam Dei Patris, quod factum est in die « Pentecostes. »

9. — Lyranus verba illa de discursibus, cum Apostolis ante Ascensionem suam habitis exponens hanc illorum reddit rationem : « Erant enim magis « capaces, quia habebant sensum aperium ad intel- « lectum Scripturarum, ut habetur capite ultimo. » Porro inter alia mysteria, inquit Cajetanus, de quibus illos catechizavit, unum fuit sanctissimæ Trinitatis : « Post resurrectionem enim Jesus in- « struxit discipulos aperte de mysterio Trinitatis « inter alia, quæ docuit de regno Dei. »

10. — S. Cyrillus de clara visione explicat, quam in patria habituri sumus : « Vel illud for- « tasse, quod post hujus mundi contractionem « futurum est, quando clare et aperte gloriam Dei « videbimus, manifestissimam nobis de se cogni- « tionem immittentis. »

Additio.

a. — *Hæc in proverbiis locutus sum vobis : venit hora, cum jam non in proverbiis loquar vobis*, etc. Eo spectabat sermo a Christo Domino in præsenti institutus, ut suos præpararet, imo confirmaret ad jamjam imminentes pressuras et calamitates fortiter sustinendas. Affligendi erant discipuli Magistri sui morte; affligendi Judæorum et gentium tyrannide; sub quibus afflictionibus, ut discipuli fortiter se gerant, varias rationes proposuit Dominus, licet

obscure et in proverbiis : modo unam affert maximi ponderis. Ea est, quod palam de Patre annuntiabit, hoc est, quod palam scire faciet cœlestem Patrem, sine cujus nutu nihil mali venit in terram. Quanta hæc consolatio homini, quod sciat palam habere Patrem Deum, cui omnia etiam famulantur mundi adversa? Ex hoc enim exstimulabitur ad sufferentiam eorum. Jonas in ventre ceti a pisce voratus, alebat ad Deum : *Omnes gurgites tui et fluctus tui super me transierunt. Et ego dixi : Abjectus sum a conspectu oculorum tuorum. Verumtamen videbo templum sanctum tuum.* Erat sanctus vir in profundo maris, sciebat se sub immensa aquarum mole, fluctus tumentes frementesque universos supra se sciebat, et interea dicebat : *Rursus videbo templum sanctum tuum.* Unde sic confirmabatur et sese divini voluntati submittebat? Ipse id explicat dum ait : *Omnes fluctus tui super me transierunt*; quasi diceret : Novi fluctuum immensitatem et concitationem in me, sed novi simul tuos esse fluctus, tibique Deo meo famulari. Et ex quo tuos novi, non potui malum eventum timere. Dum ergo scimus quia tribulationes a Deo veniunt, oportet ex necessitate faciamus virtutem, in hac proficiamus et divinæ voluntati nostram conformemus. *Si bona suscepimus de manu Dei*, ait S. Job, *mala autem quare non sustineamus? Dominus dedit, Dominus abstulit.* Quanto magis hujus sancti Patriarchæ crescebant martyria, tanto magis ille in amorem Dei accendebatur, vivaciorque in eo spes excitabatur : *Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo. Job.*, XIII, 15.

VERSUS 26.

In illo die in nomine meo petetis, et non dico vobis, quia ego rogabo Patrem de vobis.

In illo die in nomine meo petetis.

1. — Expositio horum verborum a S. Bonaventura allata, hæc est : « Tunc vere cognoscetis, quod « si ut homo rogo Patrem, ut Deus tamen exaudio « cum Patre et ideo sequitur : *Non dico vobis, quia* « *ego rogabo Patrem.* »

2. — Observat Jansenius, quod Apostoli post Ascensionem preces æterno Patri in nomine Christi recommendatas porrigere cœperint : « Dico ergo « in illo die, id est, illo tempore, quo a me Spiritu « meo, perfectiori Patris donati fueritis cognitione, « ex qua et mei cognitionem perfectiorem accipie- « tis, tunc in nomine meo petetis Patrem, quod « modo non facitis, quod me non satis cognoscatis, « nec Patrem meum. » Cajetanus ad intelligentiam se reflectit Scripturarum, quam in die resurrectionis habituri erant, *Luc.*, XXIV, 45 : *Aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas*; vel etiam ad adventum Spiritus Sancti, per quem sibi acquisituri erant perfectam divinæ filiationis cognitionem. Rupertus Abbas de hoc fortunato die ita scribit : « Illo die « revelatæ gratiæ, die salutis et acceptabili tem- « pore, quando Spiritus Sanctus docebit vos omnem « veritatem. »

3. — S. Bonaventura aliam affert expositionem, dum ita explicat : « *Petetis*, id est, petitum accipie- « tis; vel petetis pro aliis, qui adhuc sunt in mise- « ris; » adducitque locum quemdam S. Bernardi, qui cum defuncto fratre suo loquens ita eum affatur : « Quanto quis Deo conjunctior, tanto charitate « plenior, nec quoniam Deum induisti, cura nostri « te exuisti, tibi enim cura de nobis. »

4. — S. Augustinus, in *Catena* S. Thomæ ita ait : « In futuro sæculo quid petituri sumus, quando « satiabitur in nobis desiderium nostrum? petitio « namque alicujus est indigentiæ. Relinquitur ita- « que, ut intelligatur Jesus discipulos suos de car- « nalibus vel animalibus se spirituales esse factu- « rum. »

Et non dico vobis, quia ego rogabo Patrem de vobis.

5. — Hæc verba Lyranus ita explicat : « Quasi « dicat : Non dico, quod sit tunc vobis necesse « habere intercessorem medium in petitionibus « vestris, sicut modo. » Apostoli ante Christi passionem omnem confidentiam suam in præsentia Magistri sui corporali repositam habebant, postea vero divinæ Majestati in cœlum usque porrexerunt : « Ideo Christus per illa verba vult exprimere, quod « secure possent hoc facere, propter familiaritatem « Patris ad ipsos; unde similis est modus loquendi, « ac si dixisset Christus Apostolis : Tantam fami- « liaritatem habetis ad Deum, quod per vosipsos « poteritis accedere ad eum et impetrare; non ta- « men per hoc excludit suum adjutorium; sed « exprimit cum quanta securitate poterant orare « Deum; » adducitque S. Agathæ exemplum, quæ cum de facto in cœlis beata esset, S. Luciæ in terris etiamnum commoranti dixit : « Soror mea Lucia, « virgo Deo devota, quid a me petis, quod ipsa « poteris continuo præstare matri tuæ? » quibus ipsa verbis suam pro ea intercessionem ei non abnuit, « sed exprimebat, cum quanta securitate « posset rogare Deum; et hoc modo Christus loque- « batur Apostolis ad exprimendam erga eos amici- « tiam Dei Patris. »

6. — Toletus hisce verbis expositionem quamdam adhibet, parum a modo explicandi ipsius Lyrani differentem; observat enim, Christum hisce verbis Apostolos inducere voluisse, ut se ad Patrem suum æternum toto corde converterent, in eoque omnem fiduciam collocarent; et ne fortasse ipsi responderent, tametsi a Patre omne id impetraverimus, quod ab eo in nomine tuo postularemus et tametsi hac de re omnia mysteria clare satis aperueris : « Tamen adhuc de tuo discessu dolemus, cum tu « intercedere et rogare Patrem pro nobis potueris.

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

« Dominus ergo a discipulorum corde hunc præ-« sentiæ sensibilis affectum omni ex parte removere « studens, adjicit, ita eos a Patre amari, ut si petie-« rint in nomine ejus, non indigeant precibus « ipsius. » Verumtamen per hoc non dixit, quod se nulla ratione pro illis esset interpositurus, sed tantum illis innuit, quod sua deinceps intercessione minime indigebunt, ob amorem, quo Pater ipsius ad correspondendum affectui, quem ipsi ejus Filio demonstraverant, nec non et fidei, qua in ipsum crediderant, erga illos vicissim impense ferebatur.

7. — Lucas Brugensis expositionem quamdam affert a prædictis duabus diversam, dicit enim, Redemptorem illis dicere voluisse : « Jungam pre-« ces meas vestris, adhoc ut vobis faveat Pater et « quod petitis, concedat, quasi parum ex se ad vos « exaudiendos propensus sit. »

8. — Dionysius Carthusianus sciscitatur qua ratione verba hæc intelligenda sint, quia Christus in eodem sermone ait : *Ego rogabo Patrem et alium Paracletum mittam vobis*. Præterea, « sine mediatore « Christo, nullus habet accessum ad Deum, nec ali-« quid promeremur, nec exaudimur, nisi virtute et « merito Christi. » Respondet, nonnullos quidem hanc afferre distinctionem : « Christus rogat ut « homo, sed non rogat ut Deus; » ipse tamen aliam rationem adducit, cur pro illis non sit amplius rogaturus, tametsi in hoc eodem sermone Deum pro illis rogarit dicendo : *Pater serva eos in nomine tuo, sanctifica eos in veritate;* neque enim dicere voluit, quod pro ipsis deinceps non amplius intercedet, sed solum potentiam illis indicare voluit, quam apud Patrem habituri erant : « Non ergo vult dicere, « quod nequaquam orabit pro eis, sed quod tantæ « perfectionis et gratiæ erunt, quod non indige-« bunt Deo reconciliari, sed ei amantissimi erunt; » post adventum namque Spiritus Sancti adeo confirmati erant, ut deinceps mortaliter nunquam peccarint ac proinde dicit : « Preces illorum erant Deo « placentes. »

Versus 27.

Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis, et credidistis, quia ego a Deo exivi.

Ipse enim Pater amat vos.

1. — Cajetanus existimat quod, ex quo Christus illos de amore, quo Pater suos eos prosequebatur, assecurare voluerit, simul ipsis hic insinuarit, quod ejus apud Patrem intercessione non indigeant : « Ut « hic intelligerent seipsos non solum diligi ab ipso « Jesu; sed etiam a Patre. » Jansenius paterni hujus amoris qualitatem distinctius specificat, dum ait : « Ultro et sponte amat vos et proinde non poterit « non ultro vobis tanquam amicis indulgere quæ « petetis eum. »

2. — Rupertus Abbas ita explicat, ut sensus sit : « Id est, isto rogatu meo sibi reconciliatos jam « habet amicos vos et de filiis iræ fecit filios gratiæ « suæ; unde hoc? quia vos me amastis et credidis-« tis, quia a Deo exivi. »

3. — Quæri autem hoc loco potest; si ita est, quod scilicet Deus nos amet; cur de omnibus, quibus indigemus, non prævidet nobis, cur ab ærumnis et adversitatibus nos non præservat, aut liberat? Variis modis ad id respondetur. Primo enim dicere possumus, quod reverentia, quam Deo debemus et suprema ejus Majestas a nobis exigunt, ut ei supplicemus, hocque orationis tributum, in devotionis et obsequii nostri contestationem exsolvere debeamus, quodsi enim mundi hujus principibus memorialia exhibeantur; quanto decentius est, ut apud hunc supremum Monarcham necessitates nostras per supplicationes et memorialia orationum nostrarum insinuemus. Secundo, id a nobis exigit conditio nostra, ut nostram ab ipso dependentiam, nostramque, quam habemus illius indigentiam, per orationes nostras agnoscamus. Tertio nostras preces exigunt et merentur momenta et pondera rerum, quas ab ipso petimus, gratia nimirum et gloria. Quarto, quia in oratione cum ingenti merito et lucro nostro præcipue exercentur virtutes Christianæ.

Quia vos me amastis, et credidistis, quia ego a Deo exivi.

4. — Ecce tibi amoris, quo in Deum ferimur, nec non nostræ in ipsum fidei nostræ remunerationem, nimirum quod a Deo Patre vicissim amemur : *Ipse enim Pater amat vos, quia vos*, etc. Dum amorem nostrum creaturis impendimus, pessime eum collocamus amorem, totaliter eum amittimus et perdimus, non vero sic, quando eumdem amorem in Deum dirigimus, hic enim per amoris divini, qui infinitus est, reciprocationem copiose compensatur. Dei erga nos affectum et amorem possidere, certum quoddam omnium desiderabilium bonorum pignus est, quia ut Aristoteles ait : « Amare est velle « alicui, quæ bona putat. » S. Thomas de Villanova autem inter amorem nostrum et Dei amorem ita distinguit, dum ait, *Serm. de S. Joan.* : « Hoc nam-« que inter amorem Dei et nostrum distare solet, « quod nos bonitatem in aliis diligimus, sed eam « illis diligendo minime præstamus; Deus autem « quos diligit, diligendo optimos facit. « Amor Dei erga Apostolos omnibus gratiæ et gloriæ bonis illos cumulavit. Verumtamen sciendum est, Apostolos aliqua saltem ex parte se illo amore reddidisse dignos, quia amarunt Christum, ejusque amplexati fuere fidem, id quod tot alii ex Judaismo minime præstiterunt. Optime igitur S. Augustinus monet, dicens : « Aquam amoris tui fluentem in cloacam, « converte ad hortum. » Fons namque ille, qui alias in fœtidis paludibus stagnaret, si derivetur in hortum, herbas ibidem, flores et fructus progerminat, cum alias ranas et alia animalia perniciosa et pestifera productaurus fuisset, ita quoque per quotidianam videmus experientiam, quod amor, qui in creaturas et in hæc bona terrena dispergitur, serpentes in nobis generet vitiorum et peccatorum enormium; cum tamen idem amor Deo impensus omnigenis nos locupletet bonis virtutum, donorum et gratiarum cœlestium.

5. — *Ego diligentes me diligo*, inquit Deus in Proverbiis, VIII, 17, quomodo igitur Apostoli Patris sibi amorem compararunt, cum tamen ipsi Christum, non vero Patrem amaverint. Pro responsione notandum, quod Christus dicat, *Joan.*, XIV, 21 : *Ego et Pater unum sumus. Qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum*; in Græco textu legitur : *Insinuabo ei meipsum*. Amor igitur, quo erga unam ex tribus divinis Personis ferimur, omnibus æqualiter gratus existit, nobisque per ipsarum amorem reciprocum, qui securissimum æternæ beatitudinis pignus est, abunde compensatur.

Additiones.

a. — *Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis*. Quæstio hic esse potest, quare Christus dicat, *quia vos me amastis et credidistis*. Quid si solum credidissent, te a Patre exivisse, te verum Deum esse et hoc fide eminentissima? Nonne sufficeret? Nequaquam sane; quia licet fides excellentissima, nisi bonis operibus sit plena, ad salutem non sufficit. D. Chrysostomus fidem operibus destitutam figuræ alicui in tela delineatæ similem esse dicit. Dum enim hanc figuram eminus conspicis, videbitur tibi esse, vel S. Franciscus, vel S. Dominicus, et tamen si propius accesseris, eamdem nihil aliud esse deprehendes quam telam quamdam variis colorum pigmentis imbutam. Sic quoque videbis aliquando hominem quemdam qui in verbis et specie exteriori se Christianum profitetur, quem proinde talem sæpius æstimabis; at vero, si conversationem, vitam et mores ejus examinando propius accesseris, nil in eo quod ad rationem hominis Christiani pertineat, præter solum et nudum Christiani nomen deprehendes : « Fides sine operibus « figura solum absque virtute est. » Christum Salvatorem nostrum die quadam juvenis quidam convenit, qui se profitebatur esse discipulum, qui proinde ab eo poscebat patrem suum sepeliendi potestatem : *Domine, permitte me primum ire, et sepelire patrem meum*. Et quænam dari poterat petitio legi naturali pariter et divinæ conformior, quam erat ista? Verumtamen cœlestis Magister noster eidem respondit : *Sequere me, et dimitte mortuos sepelire mortuos suos*. Quis hoc Christi responsum non admiretur? Si enim hi ad quos patris sepulturam Christus remittebat, mortui erant, qua ratione hoc corporale misericordiæ opus adimplere poterant? Audiamus S. Augustinum qui in verborum illorum : *Omnis qui vivit et credit in me, etiam si mortuus vivet*, etc., expositione, ita discurrit : « Si igitur non credis, etiam cum vivis mortuus es. « Cuinam differenti ipsum sequi, ait Dominus : « *Sine mortuos sepelire mortuos suos*. Erat ibi mor-« tuus sepeliendus; erant mortuum mortui sepul-« turi. Ille mortuus in carne, hi in anima. Animæ « tuæ anima fides est. *Qui crediderit*, inquit, *vivet*. » Adolescens ille se quidem Christi profitebatur esse discipulum, attamen eum sequi, de die in diem procrastinabat : *Fides sine operibus mortua est* : ille mortuus in carne, scilicet pater ipsius; hic in anima, id est, filius, quia divino se consecrare servitio negligebat : *Sequere me et dimitte*, etc.

b. — Dubitat hic S. Augustinus et putat verba hæc sibi aliquo modo repugnare cum his quæ dicuntur, I *Joan.*, IV, 10 : *Ipse prior dilexit nos*. Nam si dicitur, *amat eos, quia me amastis*, supponitur quod noster amor sit prior. Respondetur juxta mentem S. Augustini, *tract.* CII, quod amor in Deo erga nos est considerandus, unus antecedens, alter concomitans, seu consequens. Deus amore antecedenti nos prævenit et prior amat nos, cum nos peccatores ad pœnitentiam et amorem sui vocat et excitat; et tunc amat nos amore concomitanti, quando nos per gratiam justificantem facit amicos et filios suos. Amor enim Dei debita peccatorum nostrorum remittit, iisque pariter opponitur; item ad perfectionem acquirendam nos juvat et cum vitiis pugnat. S. Lucas Evangelista Mariam Magdalenem in Pharisæi domum primitus ingredientem velut in profundissima inferni abysso positum describit dum ait : *Et ecce mulier quæ erat in civitate peccatrix*. Imo alibi ab eodem Luca velut omnium septem vitiorum capitalium vile mancipium in manu spirituum infernalium positum, hisce verbis ob oculos ponitur : *De qua septem dæmonia exierant*. Et tamen licet vere magna peccatrix extiterit, idem Evangelista in fine Evangelii eamdem velut super sublimissimos Seraphinorum choros elevatam nobis exhibet, dum ait : *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*. Ac proinde Chrysologus in ejus laudem ita scribit : « Conspicimus non solum « caruisse peccatis, sed ad totum sanctitatis verti-« cem pervenisse. » At vero dicere mihi possetis, undenam ingens hæc mutatio processerit quod anima isthæc abominabilis, subito in pulcherrimum quemdam Paradisi Seraphinum transmutata fuerit? *Dilexit multum*, inquit Salvator.

Versus 28.

Exivi a Patre, et veni in mundum, iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem.

Exivi a Patre, et veni in mundum.

1. — S. Bonaventura dicit : « Exivit a Patre,

« quia de illo est, in mundum venit, quia corpus « ostendit, quod de Virgine assumpsit. » Albertus Magnus hisce verbis hanc paraphrasin adhibet : « *Exivi* per æternam generationem a *Patre; et veni* » in assumpta carne *in mundum*, visibilis factus « mundo. » Toletus ita explicat : « *Veni in mundum* « homo factus et humilians meipsum usque ad « mortem. »

2. — S. Thomas, *in Joan.*, dicit, quod tam exitus a Patre, quam ejus in mundum adventus localiter minime sit intelligendus : « Sicut exitus a Patre ab « æterno non est localiter, ita nec adventus ejus in « mundum est localis, quia cum Filius sit in Patre; « et e converso, sicut Pater omnia implet, ita et « Filius, nec est, qui localiter moveatur, dicitur « ergo venisse in mundum in quantum naturam « humanam assumpsit, quantum ad corpus, haben- « tem originem ex mundo; non mutando locum. »

Iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem.

3. — Bonaventura citans auctoritatem S. Augustini, dicit : « Relinquit mundum corporali discessione, perrexit ad Patrem, hominis ascensione, « nec mundum deseruit præsentiæ gubernatione. » Albertus Magnus ait : « *Relinquo mundum*, non « tamen relinquo carnem, quam assumpsi de « mundo, *et vado ad Patrem* per Ascensionem. » Apelles Marcionis discipulus Christum corpus assumpsisse docet, non phantasticum, prout ejus credebat magister, nec ex vero carne, ut tradit Evangelium, sed cœleste, affirmans impie, quod Christus in cœlum ascendens, corporis partibus depositis, purus remanserit et ascenderit spiritus; nobis autem ex fide certum est, quod sacratissimam suam humanitatem una cum vulnerum cicatricibus ad dexteram usque Patris contulerit, ut noster esset apud æternum Patrem suum advocatus. « *Ascendit* « *Christus in cœlum*, » inquit S. Bernardinus, *Ser. II de Asc.*, « scilicet ut nos intromitteret in corpora- « lem possessionem regni cœlorum, ut tam corpore « quam anima glorificaremur in eo. » Et in alio quodam sermone de Ascensione dicit : « Primus « fructus Ascensionis est Patris exoratio. Unde, « *Hebr.*, IX, 24, Apostolus ait : Jesus introivit in cœ- « lum, *ut appareat nunc vultui Dei pro nobis*; quot « vulnera pro nobis suscepit, tot linguas habet, « quibus pro nobis apud Patrem intercedit. »

4. — Cajetanus ingeniose notat differentiam in dicendo : « *Exivi a Patre et reliqui mundum*; non « dixit : Relinquo patrem, quia *exivi a Patre*, quod « non reliquit Patrem, ita junxit sibi carnem passi- « bilem, quod non reliquit divinitatem communem « sibi cum Patre, mundum autem reliquit, quia « conversationem hujus mundi, ad quam venerat, « relinquebat. »

5. — S. Thomas hunc mundi relictionem exponit quoad discessum corporalem, non vero quoad curam et providentiam : « *Relinquo mundum*, non « subtrahendo suæ gubernationis providentiam, « quia simul cum Patre semper mundum gubernat « et semper cum fidelibus est per gratiæ opitula- « tionem, relinquit mundum subtrahendo se a « conspectu corporali mundanorum; » postea vero idem Angelicus Doctor, quo modo et quo fine ad Patrem regredi disposuerit, declarat, dum ait : « *Et* « *vado ad Patrem*, quem nunquam deseruerat; va- « dit autem, in quantum se obtulit Patri in pas- « sione; item in quantum per resurrectionem, « secundum quod homo transfiguratus est Patri in « immortalitate; item in quantum in Ascensione « ascendit ad cœlos. »

6. — Porro in tribus hisce Dominicis, Ascensionis festum præcedentibus, sancta Mater Ecclesia nos in prælectis nobis Evangeliis fideles suos ad vicinum hocce mysterium præparare satagit, ut una cum Christo spiritualiter ascendere possint; et quidem modum, quod id assequi possimus, his verbis tradit : *Relinquo mundum*, hoc enim adimpleto et præmisso, consequens est, quod *vado ad Patrem*; unde bene S. Bernardus, *Serm. de miser. humana*, ait : « O homo, quanto magis ad mundum accedis, « tanto longius a Deo recedis; » quanto enim per affectum et amorem nostrum, bonis hisce terrenis adhæserimus, tanto ad comparandum bona cœlestia inhabiliores efficimur : « Amor meus, pondus meum, « eo feror, quocumque feror; » et ideo si amor noster terram versus nos inclinet, in cœlum nos subvehere nequibimus; verum quidem est, quod quoadusque in carne hac mortali vivimus, mundum hunc omnino deserere non possimus; attamen, ut S. Bernardus in celebri illo sermone, quem super illa verba : *Ecce nos reliquimus omnia*, conscripsit : « Plus concupiscentia mundi, quam substantia « nocet; » neque enim bonorum temporalium possessio, sed nimia ad illa affectio et cupiditas nos condemnat, quia, ut S. Augustinus ait : « Charitas « venenum est, spes adipiscendorum aut retinendo- « rum temporalium, nutrimentum ejus est dimi- « nutio cupiditatis. »

Additio.

a. — *Iterum relinquo mundum et vado ad Patrem.* Relinquendus profecto mundus, si quis in æterna beatitudine ad Patrem ire cogitat; unde ut facilius mundum relinquere possis, oculi in cœlum dirigendi sunt; quisquis enim in cœlum oculum suum dirigit, omnia quibus hic in terris frui potest, facile contemnit, quia in cœlis omne bonum reperitur. Unde quanti valoris unica tantum cœlestis torrentis stilla sit, ponderare licet. Salvator noster regnum cœlorum homini negotiatori simile esse dixit, qui pro margarita quadam comparanda, totam suam substantiam impendit. Eusebius Gallicanus negotiatoris hujus prudentiam et circumspectionem valde commendat, licet aliis videri possit ipsum stulte egisse et dicit : « Callidus negotiator est, quod ex his, « quæ diu possidere non potest, tale aliquid emit « quod nunquam amittere timeat et in quo uni- « versa possideat. » S. Gregorius pariter ait : « Omnia « vendens emit, quia qui cœlestis vitæ dulcedinem, « in quantum possibilitas admittit, perfecte cogno- « verit, ea quæ in terrenis amaverat, libenter « cuncta derelinquit. In comparatione ejus viles- « cunt omnia; deserit habita, congregata disper- « git. »

VERSUS 29.

Dicunt ei discipuli ejus : Ecce nunc palam loqueris, et proverbium nullum dicis.

1. — Christus alias quidem non nisi in parabolis cum discipulis suis loqui consuevit, nunc vero aperte loquitur. Unde Dionysius Carthusianus hanc illorum verborum sensum esse dicit : « Proverbium « nullum dicis, loquendo de exitu tuo a Patre et « adventu in mundum, ipsam veritatem nude, sine « parabola, loqueris. »

VERSUS 30.

Nunc scimus, quia scis omnia, et non opus est tibi, ut quis te interroget, in hoc credimus, quia a Deo existi.

1. — Rupertus Abbas discipulos hanc attestationem : *Scis omnia*, de increata et incarnata Sapientia edidisse dicit : « Venerabilis, » inquit, « et « Sapientiæ Dei condigna hæc professio est, qua « dicitur : *Nunc scimus, quia scis omnia*; omnia « namque scire, solius est Sapientiæ ejus, cujus « non est numerus, quæ attingit a fine usque in « finem fortiter et disponit omnia suaviter, hæc « enim sola scit omnia et omnium scrutatur corda, « et universas mentium cogitationes intelligit. »

2. — S. Cyrillus Alexandrinus discipulos de illa scientia locutos fuisse dicit, per quam Christus eorum cogitationes et intentionem penetrabat; quasi dicerent : « Cum occultas cogitationes agnoscas, et interrogationes, quas ipsi facturi eramus, « præveneris, te exiisse a Deo credimus; mentis « enim penetralia et cordis arcana perspecta ha- « bere, solius Dei est. »

3. — Theophylactus in his verbis, discipulorum imperfectionem considerat, utpote qui tunc, non vero antea dicebant : *Nunc scimus*, cum tamen jam multo tempore in ejus fuissent schola edocti : « Qui « enim tantas audierant doctrinas, dicunt : *Nunc* « *scimus*. » Dionysius vero Carthusianus in horum verborum expositione, ipsos excusare velle videtur, quasi dixissent : « *Nunc scimus* per fidem et expe- « rientiam quamdam, *quod scis omnia*. »

4. — S. Thomas discipulos tria specialiter de Christo confessos fuisse considerat : « Doctrinæ « videlicet claritatem, scientiæ certitudinem et « divinam originem. » Primum quidem, quia dicunt : *Ecce nunc palam loqueris et proverbium nullum dicis*. Et vero, ut Angelicus Doctor optime notat, si attente omnia consideremus verba Evangelii præsentis, in nullo alio sacræ Scripturæ loco, origo Christi adeo manifeste declaratur, quam hic; siquidem ait : *Palam de Patre meo annuntiabo vobis : Exivi a Patre et veni in mundum*, « et ideo creden- « tes hanc promissionem, qua dixit, *palam de Patre* « *meo*, etc., eis completam fuisse, ita ut non alia « manifestatione indigeant, dicunt : *Ecce nunc pa-* « *lam loqueris*. » Secundum vero, id est, scientiæ certitudinem confessi sunt dicentes : *Nunc scimus, quia scis omnia*, « et quidem in superficie verborum « satis evidens argumentum est certæ et perfectæ « scientiæ, quando quis manifestat quæ dicit, sed « tamen hoc Apostoli dicunt, propter aliam inten- « tionem, quia scilicet Dominus scit omnia cordis « eorum secreta et de his quæ dubitant, satisfacit. » Divinam denique originem confitentur, quando manifestis verbis dicunt : *In hoc credimus, quia a Deo existis*, « scire enim omnia et omnia secreta cor- « dium, est proprium divinitatis. »

5. — Dionysius Carthusianus super illa verba : *Non opus est tibi, ut quis te interroget*, subjungit : « Quia tu nosti dubitationes, atque proposita cor- « dium, unde non oportet tibi aliquid notificari. »

DOMINICA INFRA OCTAVAM ASCENSIONIS

EVANGELIUM JOANNIS, CAP. XV, VERS. 26

26. Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.

27. Et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis.

CAP. XVI, 1. Hæc locutus sum vobis, ut non scandalizemini.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

« quia de illo est, in mundum venit, quia corpus « ostendit, quod de Virgine assumpsit. » Albertus Magnus hisce verbis hanc paraphrasin adhibet : « *Exivi* per æternam generationem a *Patre; et veni* » in assumpta carne *in mundum*, visibilis factus « mundo. » Toletus ita explicat : « *Veni in mundum* « homo factus et humilians meipsum usque ad « mortem. »

2. — S. Thomas, *in Joan.*, dicit, quod tam exitus a Patre, quam ejus in mundum adventus localiter minime sit intelligendus : « Sicut exitus a Patre ab « æterno non est localiter, ita nec adventus ejus in « mundum est localis, quia cum Filius sit in Patre; « et e converso, sicut Pater omnia implet, ita et « Filius, nec est, qui localiter moveatur, dicitur « ergo venisse in mundum in quantum naturam « humanam assumpsit, quantum ad corpus, haben- « tem originem ex mundo; non mutando locum. »

Iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem.

3. — Bonaventura citans auctoritatem S. Augustini, dicit : « Relinquit mundum corporali discessione, perrexit ad Patrem, hominis ascensione, « nec mundum deseruit præsentiæ gubernatione. » Albertus Magnus ait : « *Relinquo mundum*, non « tamen relinquo carnem, quam assumpsi de « mundo, *et vado ad Patrem* per Ascensionem. » Apelles Marcionis discipulus Christum corpus assumpsisse docet, non phantasticum, prout ejus credebat magister, nec ex vero carne, ut tradit Evangelium, sed cœleste, affirmans impie, quod Christus in cœlum ascendens, corporis partibus depositis, purus remanserit et ascenderit spiritus; nobis autem ex fide certum est, quod sacratissimam suam humanitatem una cum vulnerum cicatricibus ad dexteram usque Patris contulerit, ut noster esset apud æternum Patrem suum advocatus. « *Ascendit* « *Christus in cœlum*, » inquit S. Bernardinus, *Ser. II de Asc.*, « scilicet ut nos intromitteret in corpora- « lem possessionem regni cœlorum, ut tam corpore « quam anima glorificaremur in eo. » Et in alio quodam sermone de Ascensione dicit : « Primus « fructus Ascensionis est Patris exoratio. Unde, « *Hebr.*, IX, 24, Apostolus ait : Jesus introivit in cœ- « lum, *ut appareat nunc vultui Dei pro nobis*; quot « vulnera pro nobis suscepit, tot linguas habet, « quibus pro nobis apud Patrem intercedit. »

4. — Cajetanus ingeniose notat differentiam in dicendo : « *Exivi a Patre et reliqui mundum*; non « dixit : Relinquo patrem, quia *exivi a Patre*, quod « non reliquit Patrem, ita junxit sibi carnem passi- « bilem, quod non reliquit divinitatem communem « sibi cum Patre, mundum autem reliquit, quia « conversationem hujus mundi, ad quam venerat, « relinquebat. »

5. — S. Thomas hunc mundi relictionem exponit quoad discessum corporalem, non vero quoad curam et providentiam : « *Relinquo mundum*, non « subtrahendo suæ gubernationis providentiam, « quia simul cum Patre semper mundum gubernat « et semper cum fidelibus est per gratiæ opitula- « tionem, relinquit mundum subtrahendo se a « conspectu corporali mundanorum; » postea vero idem Angelicus Doctor, quo modo et quo fine ad Patrem regredi disposuerit, declarat, dum ait : « *Et* « *vado ad Patrem*, quem nunquam deseruerat; va- « dit autem, in quantum se obtulit Patri in pas- « sione; item in quantum per resurrectionem, « secundum quod homo transfiguratus est Patri in « immortalitate; item in quantum in Ascensione « ascendit ad cœlos. »

6. — Porro in tribus hisce Dominicis, Ascensionis festum præcedentibus, sancta Mater Ecclesia nos in prælectis nobis Evangeliis fideles suos ad vicinum hocce mysterium præparare satagit, ut una cum Christo spiritualiter ascendere possint; et quidem modum, quod id assequi possimus, his verbis tradit : *Relinquo mundum*, hoc enim adimpleto et præmisso, consequens est, quod *vado ad Patrem*; unde bene S. Bernardus, *Serm. de miser. humana*, ait : « O homo, quanto magis ad mundum accedis, « tanto longius a Deo recedis; » quanto enim per affectum et amorem nostrum, bonis hisce terrenis adhæserimus, tanto ad comparandum bona cœlestia inhabiliores efficimur : « Amor meus, pondus meum, « eo feror, quocumque feror; » et ideo si amor noster terram versus nos inclinet, in cœlum nos subvehere nequibimus; verum quidem est, quod quoadusque in carne hac mortali vivimus, mundum hunc omnino deserere non possimus; attamen, ut S. Bernardus in celebri illo sermone, quem super illa verba : *Ecce nos reliquimus omnia*, conscripsit : « Plus concupiscentia mundi, quam substantia « nocet; » neque enim bonorum temporalium possessio, sed nimia ad illa affectio et cupiditas nos condemnat, quia, ut S. Augustinus ait : « Charitas « venenum est, spes adipiscendorum aut retinendo- « rum temporalium, nutrimentum ejus est dimi- « nutio cupiditatis. »

Additio.

a. — *Iterum relinquo mundum et vado ad Patrem.* Relinquendus profecto mundus, si quis in æterna beatitudine ad Patrem ire cogitat; unde ut facilius mundum relinquere possis, oculi in cœlum dirigendi sunt; quisquis enim in cœlum oculum suum dirigit, omnia quibus hic in terris frui potest, facile contemnit, quia in cœlis omne bonum reperitur. Unde quanti valoris unica tantum cœlestis torrentis stilla sit, ponderare licet. Salvator noster regnum cœlorum homini negotiatori simile esse dixit, qui pro margarita quadam comparanda, totam suam substantiam impendit. Eusebius Gallicanus negotiatoris hujus prudentiam et circumspectionem valde commendat, licet aliis videri possit ipsum stulte egisse et dicit : « Callidus negotiator est, quod ex his, « quæ diu possidere non potest, tale aliquid emit « quod nunquam amittere timeat et in quo uni- « versa possideat. » S. Gregorius pariter ait : « Omnia « vendens emit, quia qui cœlestis vitæ dulcedinem, « in quantum possibilitas admittit, perfecte cogno- « verit, ea quæ in terrenis amaverat, libenter « cuncta derelinquit. In comparatione ejus viles- « cunt omnia; deserit habita, congregata disper- « git. »

VERSUS 29.

Dicunt ei discipuli ejus : Ecce nunc palam loqueris, et proverbium nullum dicis.

1. — Christus alias quidem non nisi in parabolis cum discipulis suis loqui consuevit, nunc vero aperte loquitur. Unde Dionysius Carthusianus hanc illorum verborum sensum esse dicit : « Proverbium « nullum dicis, loquendo de exitu tuo a Patre et « adventu in mundum, ipsam veritatem nude, sine « parabola, loqueris. »

VERSUS 30.

Nunc scimus, quia scis omnia, et non opus est tibi, ut quis te interroget, in hoc credimus, quia a Deo existi.

1. — Rupertus Abbas discipulos hanc attestationem : *Scis omnia*, de increata et incarnata Sapientia edidisse dicit : « Venerabilis, » inquit, « et « Sapientiæ Dei condigna hæc professio est, qua « dicitur : *Nunc scimus, quia scis omnia*; omnia « namque scire, solius est Sapientiæ ejus, cujus « non est numerus, quæ attingit a fine usque in « finem fortiter et disponit omnia suaviter, hæc « enim sola scit omnia et omnium scrutatur corda, « et universas mentium cogitationes intelligit. »

2. — S. Cyrillus Alexandrinus discipulos de illa scientia locutos fuisse dicit, per quam Christus eorum cogitationes et intentionem penetrabat; quasi dicerent : « Cum occultas cogitationes agnoscas, et interrogationes, quas ipsi facturi eramus, « præveneris, te exiisse a Deo credimus; mentis « enim penetralia et cordis arcana perspecta ha- « bere, solius Dei est. »

3. — Theophylactus in his verbis, discipulorum imperfectionem considerat, utpote qui tunc, non vero antea dicebant : *Nunc scimus*, cum tamen jam multo tempore in ejus fuissent schola edocti : « Qui « enim tantas audierant doctrinas, dicunt : *Nunc* « *scimus*. » Dionysius vero Carthusianus in horum verborum expositione, ipsos excusare velle videtur, quasi dixissent : « *Nunc scimus* per fidem et expe- « rientiam quamdam, *quod scis omnia*. »

4. — S. Thomas discipulos tria specialiter de Christo confessos fuisse considerat : « Doctrinæ « videlicet claritatem, scientiæ certitudinem et « divinam originem. » Primum quidem, quia dicunt : *Ecce nunc palam loqueris et proverbium nullum dicis*. Et vero, ut Angelicus Doctor optime notat, si attente omnia consideremus verba Evangelii præsentis, in nullo alio sacræ Scripturæ loco, origo Christi adeo manifeste declaratur, quam hic; siquidem ait : *Palam de Patre meo annuntiabo vobis : Exivi a Patre et veni in mundum*, « et ideo creden- « tes hanc promissionem, qua dixit, *palam de Patre* « *meo*, etc., eis completam fuisse, ita ut non alia « manifestatione indigeant, dicunt : *Ecce nunc pa-* « *lam loqueris*. » Secundum vero, id est, scientiæ certitudinem confessi sunt dicentes : *Nunc scimus, quia scis omnia*, « et quidem in superficie verborum « satis evidens argumentum est certæ et perfectæ « scientiæ, quando quis manifestat quæ dicit, sed « tamen hoc Apostoli dicunt, propter aliam inten- « tionem, quia scilicet Dominus scit omnia cordis « eorum secreta et de his quæ dubitant, satisfacit. » Divinam denique originem confitentur, quando manifestis verbis dicunt : *In hoc credimus, quia a Deo existis*, « scire enim omnia et omnia secreta cor- « dium, est proprium divinitatis. »

5. — Dionysius Carthusianus super illa verba : *Non opus est tibi, ut quis te interroget*, subjungit : « Quia tu nosti dubitationes, atque proposita cor- « dium, unde non oportet tibi aliquid notificari. »

DOMINICA INFRA OCTAVAM ASCENSIONIS

EVANGELIUM JOANNIS, CAP. XV, VERS. 26

26. Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.

27. Et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis.

CAP. XVI, 1. Hæc locutus sum vobis, ut non scandalizemini.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

2. Absque synagogis facient vos, sed venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo.

3. Hæc facient vobis, quia non noverunt Patrem, neque me.

4. Sed hæc locutus sum vobis, ut cum venerit hora eorum reminiscamini, quia ego dixi vobis.

VERSUS 26.

Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.

Cum venerit Paracletus.

1. — Quia Salvator noster in hodierno Evangelio mentionem facit Spiritus Sancti, quem collegio Apostolico mittere claris verbis promittit, ideo sancta Ecclesia hoc ipsum fidelibus hodie prælegi instituit, ut hac ratione fidelium corda ad eum digne recipiendum disponat et ordinet.

2. — Rupertus Abbas, *lib.* XII *in Joan., cap.* XV, Christum tribus modis Spiritum Sanctum specificasse notat : « Tribus distinctionibus hoc loco persona vel majestas Spiritus Sancti descripta est, « videlicet quia Paracletus, quia Spiritus veritatis « est, quia a Patre procedit. Paracletum vocat, « quia mittendus erat ad consolandum et animandum Apostolos, cæterosque fideles inter odia et « persecutiones. » Divino etenim hoc igne inflammati et accensi in crudelissimis tormentorum carnificinis gaudebant et jubilabant; et ut S. Thomas de Villanova, *Conc. de Pent.*, I, ait : « Inter candentes prunas, et micantes gladios, inter stridentes feras et rugientes leones, inter laniantes « ungulas lætabundi laudem et gloriam Christo « decantabant. »

3. — Hugo Cardinalis quoque glossat hoc verbum : « *Paracletus*, id est, consolator, consolatur « nos in tribulationibus, nobis assistendo, refrigerium præstando, item mentem cœlesti dulcedine « inebriando. » Dydimus similiter causam inquirit, cur Christum Spiritum Sanctum Paracletum denominaverit; dicit enim : « Ab operatione nomen « imponit, reddit enim a perturbatione alienos, et « incredibile gaudium tribuit, sempiterna enim « lætitia in eorum corde versatur, quorum Spiritus « Sanctus habitator est. » Unde in ejus festo sancta Mater Ecclesia canit : « Consolator optime, dulcis « hospes animæ, dulce refrigerium : in labore « requies, in æstu temperies, in fletu solatium. » S. Thomas de Aquino in sermone, quem de Pentecoste habuit, tres modos, quibus Spiritus Sanctus nos specialissime consolatur, his verbis adducit. Primo scilicet : « Cœlestes consolationes largiendo; « I *ad Thessal.*, I, 6 : *In tribulatione multa cum gaudio Spiritus Sancti.* Secundo : Dona charismatum « in tribulationibus augendo : *Tribulatio patientiam « operatur, patientia autem probationem, probatio « vero spem; spes autem non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum « Sanctum.* Tertius modus, quo nos consolatur, « est : Quanta sint gaudia, quæ recipiemus pro « istis modicis tribulationibus, demonstrando : *Ipse « Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod « sumus filii Dei, si autem filii et hæredes*, etc. *Existimo enim quod non sunt condignæ passiones hujus « temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in « nobis.* »

4. — « Paracletus, » inquit Albertus Magnus, « qui et advocatus et consolator, pro me advocabit « in mundo. » Hugo Cardinalis ait : « Advocatus « dicitur, ut sciant quod vincent in causa contra « Judæos. »

5. — Observandum est, quod priusquam Apostolis prædiceret, *Joan.*, XII, 6 : *Absque synagogis facient vos*, etc., prius illis promittat Spiritum Sanctum, ad denotandum quod primo nobis virtutem et gratiam suam conferat, auxilia item et consolationes interiores spiritus, postea vero nobis tribulationem immittat, cujus contrarium mundus facit, is enim primo nobis immittit adversitates, in eodemque tempore nos plane destitit. I *Cor.*, I, 5 : *Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita et per Christum abundat consolatio nostra.*

Quem ego mittam.

6. — Albertus Magnus hisce verbis hanc glossam addit : *Nec mittere posset, nisi ab ipso procederet.* Eamdem quoque consequentiam Toletus exinde deducit, scilicet quod per hanc missionem Spiritum Sanctum ab ipso quoque procedere denotetur : « Si enim missus est a Filio, ab ipso procedit. » Jansenius notat, quod Christus hic brevibus verbis sanctissimæ Triados mysterium manifestet. « Nec tandum, Christum paucis Trinitatis mysterium « complexum, dum Spiritum dicit mittendum, se « missurum, sed a Patre.

7. — Lucas Brugensis verba hæc de Spiritu Sancto explicat, Apostolis invisibiliter, et in signo visibili in die Pentecostes communicato : « *Mittam*, « partim invisibiliter in corda et animos vestros, « partim visibiliter, præsertim in die Pentecostes. »

8. — S. Cajetanus bene observat quod Christus Spiritum Sanctum prius a Patre mittendum dicat, nunc vero eumdem a se quoque mittendum asserat : « Ut eamdem operationem Patris et Filii, in « quantum Deus est, intelligamus, ut indivisa intelligamus opera Trinitatis. Ergo, demonstrat procul « dubio Jesum secundum divinam naturam; solius « enim Dei est mittere Spiritum Sanctum. »

9. — Enimvero id, quod summam in nobis admirationem excitare debet, est circumstantia et conjunctura temporis, quo Apostolis hanc promissionem præstat, paucis nimirum horis ante passionem et mortem suam in celebri illo sermone in ultima Cœna habito, adeoque tunc Christus nobis se ærarium cœli aperturum esse promittit, ut inde nobis expromat, superque nos copiose effundat thesauros donorum et gratiarum Spiritus Sancti, quando nos toti in eo occupati eramus, ut ad ipsum capiendum armaremus adversus eum milites, patibula fabricaremus, decerperemus spinas, clavos acueremus, et ad eum castigandum texeremus flagella; tunc ille nobis nectar et ambrosiam promittebat Paradisi, quando nos ipsi fel præparabamus et acetum ad bibendum. Ita est; hic semper stylus fuit Christi, ut bonum nobis pro malo abunde redderet, nobisque tunc vel maxima impertiatur beneficia, quando nos ipsi exhibemus rebelles et impios. Quod si promissio isthæc ab æterno Patre, et alio tempore facta fuisset, tantam nobis nequaquam causaret admirationem, nunc vero Christus ipse dicit : *Quem ego mittam*, et eo quidem tempore mittam, quo homo carnifices quærit ad me crucifigendum. Quando milites Syriæ impetum faciebant in Eliseum, ut eum caperent et necem illi inferrent, ipse e contra de illis, quos iis minime advertentibus, in Samaria reclusos, in sua potestate habebat, aliam non sumpsit vindictam, quam quod egregium illis prandium ad eos reficiendos instruxerit : *Apposita est eis ciborum magna præparatio*, ideoque typus fuit nostri Redemptoris, qui eadem die, qua ad eum capiendum egressuri erant milites : *In qua nocte tradebatur, accepit panem*, augustissimum illud instruxit sacrosancti Corporis sui convivium, eisque dono dedit thesaurum adeo inæstimabilem, ut ne quidem ipsiusmet Dei omnipotentia dare eis quiverit majorem. Quodnam putas Dei Filium præparasse aut designasse arborem illam, in qua redemptionis nostræ exsolveret litrum? Nimirum in eodem quasi temporis momento, quo protoparentes nostri ipsius legem prævaricando, tanto cum contemptu et ingratitudine ipsum offenderunt; tunc enim Paradisum terrestrem obambulavit, ut arborem sibi designaret et eligeret, in quam configi volebat : « De parentis « protoplasti fraude factor condoleus, quando pomi « noxialis morsu in mortem corruit, ipse lignum « tunc notavit, damna ligni ut solveret. »

Vobis.

10. — Valde considerabilis est hæc dictio, siquidem non Hebræis, non synagogæ, non idololatris Spiritum Sanctum promisit, sed Apostolis, quia non omnes sunt capaces et dispositi ad eum recipiendum. Eisdem dixerat, *Joan.*, XV, 3 : *Jam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis.* In Ezechiele, XXXVI, 27, Deum dixisse legimus : *Spiritum meum ponam in medio vestri*, at vero notandum quod immediate subjungat : *Et faciam ut in præceptis meis ambuletis, et judicia mea custodiatis*; clarius enim aut evidentius signum, unde Spiritum Sanctum liberum in animam quampiam aditum habuisse agnoscere possimus, dari nequit, quam si eamdem in divinorum præceptorum adimpletione zelosam et ferventem esse conspiciamus. B. Petrus Damianus in sermone de Pentecoste sancte gloriatur : « Nos spiritum hujus « mundi non accepimus, sed Spiritum qui ex Deo « est; » mox vero, qualis uterque spiritus sit, distinguit et declarat, dum ait : « Quis est autem « spiritus mundi? Ille profecto est, qui suadet « homines divina præcepta contemnere. » Propheta regius os suum se aperuisse, sicque spiritum recepisse profitetur, quod idem est ac si diceret, per ferventissimam orationem me Spiritus Sancti recipiendi reddidi capacem et dignum, CXVIII, 131 : *Os meum aperui, et attraxi spiritum*; protinus autem subjungit : *Quia mandata tua desiderabam.* Lucas Brugensis dicit : « Vobis in solatium, consilium, et « auxilium loco præsentiæ meæ corporalis. »

A Patre.

11. — Id est, ut Theophylactus exponit, « approbante, Patre, et simul mittente. » Interlinearis dicit : « Ecce quod Pater mittit. »

12. — S. Thomas, *in Joan.*, ait : « Quia scilicet « Filius, quidquid operatur, habet a Patre. » Interlinearis Christum dicere voluisse declarat, quod Spiritum Sanctum ex sinu Patris missurus sit, ad denotandum quod et ipse a Patre procedens erat : « Ecce quod et Filius mittit a Patre, a quo ipse est. » Toletus ait : « Hoc verbum explicat, ita Filium mittere Spiritum Sanctum, ut a Patre accipiat essentiam, qua una cum Patre producat Spiritum « Sanctum. »

13. — S. Joannes de adventu Spiritus Sancti disserens, ait, *Joan.*, VII, 39 : *Nondum erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus*; tunc autem glorificatus fuit, quando ad sanctissimæ Triadis thronum ascendit, adeo dicere voluit quod tunc illum missurus esset, quamprimum ad Patris dexteram sederet.

14. — Considerari etiam hoc loco potest, quod, ex quo Pater Filium in terras miserat, eumque nos crucifixeramus, Pater justissimum motivum habuisse videatur, ut Spiritum Sanctum ad nos mittere detrectaret, et tamen Filius in cœlum ascendit, ibidem tanquam advocatus et mediator noster Patrem placavit, eumdemque ad sanctissimum hunc Spiritum pro nostra salute et consolatione mittendum efficaciter permovit.

Spiritum veritatis.

15. — Notat hoc loco S. Bonaventura, Christum tertiam sanctissimæ Trinitatis Personam, non solum Spiritum Sanctum, sed etiam Spiritum veritatis appellasse : « Quia omnia certissime novit. » Advertit tamen Cajetanus quod Spiritum Sanctum in hac occasione Spiritum vocaverit veritatis : « Ad « significandum quod erit Spiritus solius et totius « veritatis eorum, quæ sunt necessaria ad salutem « æternam. » Enimvero Apostoli prædicationem Evangelicam, intra breve tempus, inter multas oppositiones et persecutionum ærumnas, instituendam aggressuri erant. Merito igitur, inquit Alcuinus, cœlestis hujus Spiritus mentionem fecit, tanquam Paracleti et Spiritus veritatis : « Ut et fidu- « ciam habuissent prædicationis in Spiritu veritatis, « et consolationem gratiæ in eodem Spiritu. »

16. — Quidquid Ecclesia nobis in libris sacræ Scripturæ canonicis credendum proponit, et quæcumque eadem in materia fidei per suum pastorem et fidei vicarium determinat, et fide divina credenda definit, illa omnia indubitata sunt et certa, eo quod præcipuus talis decisionis auctor est Spiritus Sanctus, qui eidem tanta cum infallibilitate assistit, ut nunquam in materia fidei errare possit. Albertus Magnus ad textum illum Joannis, XIV, 16, collectens, ubi dicitur : *Docebit vos omnia, et suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis*, subjungit : « Ideo hunc Spiritum accepisse, didicisse est omnem « veritatem. » *Psalm.* XLIII, 3 : *Emitte lucem tuam et veritatem tuam.* Per hanc etenim lucem Spiritus Sanctus intelligitur, ita enim in prosa, quam in die Pentecostes ad Missam canimus, appellatur : *O lux beatissima.*

17. — Porro hic Spiritus veritatis se subito post suum adventum experimentaliter manifestavit, quando Paganismi errores et ignorantiam, et profanorum numinum falsitatem detexit, et gentiles, qui in conflictis Jovis, Saturni, et aliorum deorum simulacris suis, patrem mendaciorum, dæmonem adorabant, ad sinceram fidem permovit.

18. — Christianus omnis, qui veritatem diligit et mendacium detestatur, et omnem fictionem et cordis duplicitatem abhorret, satis aperte in se Spiritum Dei esse ostendit; e contra vero quando aliquis mendax est, manifestum id est indicium, quod dæmon partem in eo habeat, *Joan.*, VIII, 44 : *Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est et pater ejus.* Super quæ verba S. Thomas ita scribit : « Ponit peccatum dæmonis contra « Deum, quod consistit in hoc quod avertit se a « veritate, quæ Deus est, et primo ostendit eum a « veritate aversum; secundo ostendit eum veritati « contrarium. » Dæmon primus fuit inventor mendacii, cum Deo, qui veritas est : *Ego sum via, veritas, et vita*, nec non Spiritui Sancto, qui Spiritus est veritatis, contrarius existat, quid mirum igitur, si mendax sit, et fallacissimus deceptor? nihil ille aliud cogitat, nihil aliud molitur quam ut totum humanum genus fraudibus suis circumvenire, decipere et seducere possit; hocque venenum nobis instillare satagit, de quo B. Laurentius Justinianus ita nos monet : « Quantum in mendacibus est, im- « mortalem et æternam veritatem, quæ Deus est, « destruere moliuntur, hoc vero dum agunt, illam « in nullo lædunt, illi nequaquam detrimentum « inferunt, sed se perimunt, quemadmodum in « Sapientiæ volumine continetur; sic enim hoc « habet, *Sap.*, I, 11 : *Os quod mentitur, occidit ani-* « *mam.* »

19. — Notat Jansenius quod Christus Salvator noster postquam Spiritum Sanctum appellasset Paracletum, mox illum quoque vocaverit Spiritum veritatis : « Idque apposite, ut, quia illum dixit « perhibiturum testimonium, ostendat eum fide « dignum. » Unde Chrysostomus, *Hom.* XLVI *in Joan.*, ait : « Ille dignus fide erit, veritatis enim est « Spiritus, propterea non Spiritum Sanctum, sed « veritas appellat. »

Qui a Patre procedit.

20. — Id est, ut inquit Toletus : « Consubstan- « tialis est Patri, » qui et S. Ambrosius citat dicentem : « Ac si diceret : Spiritus hic Paracletus, quem « mittam a Patre, non est creatura aliqua, sed « Patri et mihi consubstantialis. »

21. — S. Chrysostomus, *Hom.* LXXVI, ait : « Si « procedit a Patre, omnia novit, ut sit perfectus « Doctor veritatis. »

22. — Lucas Brugensis verbum *procedit* examinans, dicit : « Procedendi vocabula obtinuit « in schola christiana; » adducitque auctoritatem quamdam Dydimi, *lib.* II de Spiritu Sancto, dicentis : « Procedit non ad alia transmigrans, non « enim locorum fine clauditur, cum sit incorpora- « lis; sed manens in Patre, et habens illum in « semetipso, sicut Filius a Patre, non separatur, « nec distinguitur ab eo. »

Ille testimonium perhibebit de me.

23. — Toletus optime observat quam sit hoc testandi officium Spiritui Sancto aptum et congruum : « Si enim missus est a Filio, ab ipso pro- « cedit, eum perfectissime novit. I *Cor.*, II, 11 : « *Nemo novit quæ sunt Dei, nisi Spiritus Dei*; est « autem hoc necessarium in eo, qui perhibiturus « est testimonium de aliquo, ut ipsum optime nos- « cat. »

24. — Adhoc ut Apostoli, inquit Theophylactus, a prædicatione Evangelii et a novæ legis gratiæ promulgatione coram omnibus populis faciendæ se subducere non possent, dicendo : « Quomodo digni « fide erimus? quis ad nos attendet? ideo subdit : « *Cum autem venerit Paracletus, ille testabitur de* « *me.* Bono animo sitis, prædicatio non caritura « est testibus, sed et Spiritus cum signis et prodi- « giis meis testabitur, fidelisque testis erit : est « enim Spiritus veritatis. »

25. — Rupertus Abbas Tuitiensis, *lib.* XII *in Joan.*, proinde ait : « Glorietur fides, exultet spes, « gratuletur charitas, quia videlicet huic Filio « hominis, in quem credimus, in quo speramus, « quem diligimus, non desunt Trinitatis testimo- « nia, nec vacet amplius procacitati Judaicæ dicere : « *Tu de teipso testimonium perhibes, testimonium* « *tuum non est verum.* »

26. — Toletus convenientiam et necessitatem considerat, qua Apostoli testimonio Spiritus Sancti, ad testimonium suum corroborandum, opus habebant : « Magno et plane divino consilio factum est, « ut testimonio a discipulis reddendo præmitteretur « et promitteretur testimonium Spiritus Sancti. » Illic namque divinus Spiritus per suum adventum e medio sustulit omne obstaculum, quod illos deterrere poterat, quo minus Christum, tanquam Dei Filium et Redemptorem mundo annuntiarent. Et quidem idem Toletus multa impedimenta adducit, quæ huic fidei admittendæ obstaculo erant. Primum enim erat, humilitas Christi, siquidem paulo ante a Judæis crudeli et infami morte interemptus fuerat et ideo unicuique contemptibilis esse videbatur. Secundum, difficultas persuadendi, quod is, qui paulo ante tanquam latro crucifixus fuerat, verus Dei Filius esset. Tertium, erat periculum, cui se exponebant, ne et ipsis mors similis subeunda esset, utpote qui ejus, quem totus Judaismus acerrimo odio prosequebatur, sequaces et discipuli erant, maxime cum ipsemet Christus ipsis perspicuis verbis prædixisset, quod suam pro illo vitam daturi essent. Quartum, erat illorum ruditas et ad prædicandum illorum inidoneitas, utpote qui vilibus natalibus oriundi, idiotæ, illitterati professione abjecti erant omnique auctoritate, aut favorum humanorum subsidio destituti. Qua igitur ratione per universum tantum mysterium prædicare auderent? Et tamen omnes hæ difficultates, quantumvis alias humanitus insuperabiles, per hanc promissionem superabantur et evanescebant? « *Testimonium per-* « *hibebit Spiritus Paracletus veritatis, qui a Patre* « *procedit et quem ego vobis mittam.* Primo quidem, « ne videatur vobis vile et contemptum officium et « testimonium, quod ille, qui a Patre procedit et « ipsi est consubstantialis, est perhibiturus. Rur- « sus, ne timeatis non posse vos arduam veritatem « persuadere; ille enim Spiritus veritatis, qui om- « nia scit, qui quæcumque vult, docet et persuadet « vobiscum et per vos reddet testimonium. »

27. — Ad hoc ut testis aliquis plene testificetur, ejusque depositio recipiatur, tria præcipue requiruntur; scientia nimirum, integritas et auctoritas. Spiritus Sanctus autem omnium rerum scientiam habet, *Sap.*, I, 7 : *Spiritus Domini replevit orbem terrarum et hoc quod continet omnia scientiam habet.* Habet quoque integritatem, siquidem bonitas ei specialissime ascribitur. Denique auctoritatem habet, quia est Deus æque omnipotens et potestatis æque supremæ, ac est illa, quam habent Pater et Filius, a quibus procedit.

28. — Lucas Brugensis dicit quod Spiritus Sanctus divinitatem Christi testificaturus erat, per miram illam mutationem, quæ in Apostolis facta fuit : « Per vos enim subito mutatos in viros alios, « ex rudibus sapientes, ex infantibus disertos, ex « idiotis loquentes linguis omnium gentium, ex « imbellibus et meticulosis fortes et constantes « redditos. » Denique idem Spiritus non solum Apostolis, sed post hoc multis aliis dona sapientiæ, eloquentiæ, linguarum, prophetiæ, miraculorum, etc., communicavit, quæ omnia evidentia divinitatis Christi signa erant *contestante Deo signis et prodigiis*, inquit Apostolus, *Heb.*, II, 4, *et variis Spiritus Sancti distributionibus.* S. Cyrillus Alexandrinus ait : « *Perhibebit autem testimonium*, sed « quomodo? operando nimirum in vobis et per vos « miracula, testis erit justus ac verax divinæ meæ « potestatis atque majestatis. »

29. — S. Thomas, *in Joan.*, aliud quoddam Spiritus Sancti testimonium, intrepidum Apostolorum animum fuisse dicit : *Fiduciam eis præbente ad testificandum. Matth.*, X, 20. *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus*, etc.

30. — Toletus conveniens fuisse dicit, ut Spiritus Sanctus interveniret, ad hoc ut Christus innotesceret mundo, quia Spiritus Sanctus quodammodo causa fuit quod Christus hanc nostram sibi assumeret mortalem carnem, ut constat ex *Joan.*, III, 16, ubi dicitur : *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*; hic autem amor, quo Deus mundum dilexit, est Spiritus Sanctus. Adhæc cum Spiritus Sanctus per os Prophetarum locutus fuerit, ipse utique fuit, qui Christum omnibus superioribus sæculis promiserat, quique eum, posteaquam in terram venisset, omnibus donis et gratiis suis repleverat. *Act. Apost.*, X, 38 : *Unxit eum Spiritu Sancto.* Quibus addi potest, Spiritum Sanctum, beatissimam Virginem divino hoc partu fœcundasse : « Incarnatus est de Spiritu Sancto, natus ex « Maria Virgine. » Unde Toletus concludit : « Debuit « ergo de ipso post adventum testimonium red- « dere. »

31. — Lucas Brugensis Christus dicere voluisse inquit : « *Testimonium perhibebit de me*, quia ego « sum et quam iniquo odio illi me prosequantur; « testabitur me esse Christum Filium Dei, ab ipsis « quidem injuste occisum, a Deo Patre autem « resuscitatum, exaltatum, atque ad dexteram « ipsius in cœlis collocatum. »

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS

32. — Beda quoque effectum hujus a Spiritu Sancto perhibiti testimonii, tot obstinatorum et induratorum Hebræorum, ad fidem Christi conversionem fuisse notat, quem paulo ante crucifixerant : « Compuncti corde conversi sunt et tanti sanguinis, « tam impie atque immaniter effusi indulgentiam « perceperunt, ipso redempti sanguine, quem fu- « derunt. Tanquam diceret : Odio me habuerunt « et occiderunt videntes, sed tale de me testimo- « nium Paracletus perhibebit, ut eo faciat in me « credere non videntes. »

Additiones.

a. — *Cum venerit Paracletus quem ego mittam vobis a Patre.* Paracletus idem est ac advocatus et orator. Secundo idem valet ac exhortator et incitator. Tertio idem est ac consolator. Et optime quidem dicitur consolator; ille enim est effectus Spiritus Sancti proprius, consolari : ita ut illo dotati, nedum quaslibet vincant adversitates, aut illis terreantur, sed potius in illis et per illas maximas præbet consolationes. Maxima enim est divinarum dulcedinum abundantia, quibus Deus dilectas sibi animas demulcere solet. Quam inappretiabilem suavitatis, dulcedinis et consolationum spiritualium multiplicitatis exuberantiam, regius exhibiturus vates, eam torrenti, mox sacrosanctæ cuidam ebrietati assimilare non dubitat, *Psal.* xxxv, 9, inquiens : *Torrente voluptatis tuæ potabis eos; inebriabuntur ab ubertate domus tuæ.* S. Hieronymus exponit : « A « pinguedine gratiæ Spiritus Sancti, » qui per *domum* intelligit Ecclesiam : *Domus tuæ, sanctæ Ecclesiæ.* Per deliciarum voluptatumque torrentem, affluentiam designans Spiritus Sancti, cujus fructus dum varios enumerat Apostolus, secundam inter eos sedem gaudio tribuit et lætitiæ, inquiens, *Gal.*, v, 12 : *Fructus autem Spiritus, charitas, gaudium.* « Torrens voluptatibus Dei Spiritus Sanctus est, » inquit hic S. Doctor, « qui irrigat omnem animam « spiritualis fluentis, ut fructum exhibeant sancti- « tatis. » Cui Glossa et illa consonat præceptoris Angelici, dum ait : « Hic est amor Spiritus Sancti, « qui facit impetum in anima sicut torrens volup- « tatis; quia voluptatem et dulcedinem in anima « facit. » Vel ut magister ejus Albertus Magnus explanat : « *Torrentem voluptatis*, id est, amore tuo « delectabili et voluptuoso, et indeficienter abun- « danti. » Cajetanus legit : *Satiabuntur de pinguedine domus tuæ et torrente deliciarum tuarum potabis eos;* propter cum Deo familiaritatem et conversationem : « Quia domestici Dei erunt, *satiabuntur de* « *pinguedine domus tuæ.* » An non multis ante sæculis, hanc consolationum spiritualium abundantiam, in gratiæ et legis Evangelicæ statu conferendam spoponderat Dominus, *Isa.*, lxvi, 12, inquiens : *Ecce ego declinabo super eam quasi fluvium pacis, et quasi torrentem inundantem?* Imo vero, quoniam *fluminis impetus lætificat civitatem Dei.*

S. Franciscum Xaverium, novi mundi conversorem, medias inter persecutiones, labores et sudores, tanta spiritualium illecebrarum ebruit copia, ut vel invitus exclamare coactus fuerit : « Satis est, Do- « mine, satis est. » Quidam temporum nostrorum orator, in sermone panegyrico, in Sancti hujus laudem composito : Cur, inquit, clamas, o Seraphim : satis est, Domine, satis est? Ergone pectus illud, cujus amplitudo vastam mundi hujus transcendit immensitatem, exilis subito implet, satiatque flamma? Cælestibus igitur gratiis cor illud occludis, quod ultro citroque gladiis patefecisti barbarorum? Ergone tu, qui medias inter gravissimas tribulationes, dispendia, mortes, nunquam dixisti : Satis est; tu inquam, vel unicæ victus cœlis sentitiæ? Igiturne sinum illum amplissimum, qui incredibili cum charitate, omnes concludere gestiebat animas, divini favores incapacem adeo, angustumque reddiderunt? Ita sane. Animum humanum, ut ait quidam Sanctus, res mundanæ occupare possunt, non replere; cum enim divinitatis effectus sit capax, solus eum Deus seipsos satiare potest. Huc usque citatus auctor. Vere utique in S. nostro Philippo Nerio, prout in vita ejus traditur fusius, illud Apostoli legimus adimpletum assertum : *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio.* Qui proinde merito, ut alii astruunt, cum Ephremo, dicere poterat : « Contine, Domine, undas « gratiæ tuæ et recede a me, quia non possum « sustinere magnitudinem dulcedinis tuæ. »

b. — Mittebat Dominus discipulos suos ad prædicandum Evangelium per totum mundum, dicebatque eis, *ut fructum plurimum afferatis.* Ex quo maxime turbari poterant discipuli et dicere : Domine, si te non audierunt, qui fecisti tot et tanta signa, quæ nemo alius fecit, quomodo nos audient, qui multo te sumus inferiores? Conceptus hic est D. Chrysostomi, *Hom.* lxxiv *in Joan.* Unde inquit, ne igitur hæc cogitantes turbentur, consolationem inducit, dicens : *Cum venerit Paracletus.* Quia adversitatibus pulsandi erant, hinc consolationem promittit. Consolationes enim spirituales, quæ se ad voluntariam omnium aliarum contradictionum extendunt tolerantiam, relationem habent ad passiones quas quis subit ob amorem Dei, et non ob alios respectus.

Ne fides nostra in mediis contradictionum tempestatibus titubaret, anchoram Apostolis nos jacere jubet indubitatæ spei, fore ut si propter Deum patiamur, divinarum quoque consolationum participes evadamus : *Spes nostra firma sit pro vobis, scientes quod si socii passionum estis, sic eritis et consolationis.* II *Cor.*, i, 7. Circa quæ verba, Cajetanus particulam *scientes*, considerans, ait : « Certi « simus, quod quemadmodum in nobis abundan-

« tiam afflictionum comitatur abundantia consola- « tionis, ita in nobis participatio afflictionum comi- « tatur participationem consolationis. » Id quod Apostolus in seipso expertus fuit dum maximas inter angustias cœlestium abundat consolationum suavitate, prout sæpe sæpius ipsemet attestatur, quemadmodum S. Lucas de Apostolis tractans, *Act. Ap.*, v, 41, scribit : *Ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt, pro nomine Jesu, contumeliam pati.* « Consolantur in ipso corde, » inquit Carthusianus, « copiosam exultationem con- « citando ex contemplatione divinorum, sic ut tri- « bulationis acerbitas vix sentiatur. » Ad eamdem nos fiduciam animaturus Apostolus Petrus, I *Epis.*, iv, 3, ait : *Communicantes Christi passionibus, gaudete ut in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes.* Circa quem textum Hugo Cardinalis discurrit : « Primo oportet, ut simus fratres Christi ex parte « Matris, ut tandem simus fratres ex parte Patris. « Mater Jesu est Maria, quæ interpretatur amara; « hæc est tribulatio, vel pœnitentia. Pater ejus est « Deus : *Ego dixi : Dii estis*, id est, Domini. Si vis « habere secundum, scilicet ut sis frater in gloria, « necesse est ut habeas primum, scilicet, ut sis « frater in pœnitentia. »

c. — Non sine mysterio Christus Dominus mentionem facit hic de Spiritu Sancto mittendo. Illud pulchre pandit Cajetanus, dicens : « Ad cumulum « inexcusabilitatis persecutorum nominis mei acce- « det multiplicatio testium; nam ultra prædicatio- « nem meam et opera mea, superveniet Spiritus « Sanctus testis; adjungemini et vos testes. » Demonstravit Christus Dominus divinitatem suam, sua admirabili prædicatione, multis ac magnis operibus et miraculis, quæ nullus alius fecit; insuper nunc adhibet testimonium ex Spiritu Sancto adveniente, ac ex ipsismet Apostolis, ut omnino esset inexcusabilis malitia Judæorum, qui jam ante erant inexcusabiles; ac proinde hæc una ex causis est, cur Christus Dominus Judæis se in eum crediturus, si de cruce descenderet, promittentibus, descendere noluit. Promittebant autem quod adimplere nolebant, ideoque per derisum et ludibrium dicebant : *Si Rex Israel est, descendat nunc de cruce, et credimus ei.* Subdit vero S. Hieronymus, *in Matth.* : « Quid « est plus, de cruce adhuc descendere viventem, an « de sepultura mortuum resurgere? Resurrexit et « non credistis : ergo si etiam de cruce descen- « deret, similiter non crederitis. » Omnino utique inexcusabilis erat malitia Judæorum. Quid ergo dicendum de malitia multorum Christianorum, qui inter tot prædicationes, tot visa miracula, nomine Christianorum quidem insignantur, sed sine fructu.

d. — Christus Dominus ideo promissionem hanc facit Apostolis, mittendi Spiritus Sancti, paucis horis ante Passionem, illius enim mos semper hic fuit ut bonum nobis pro malo abundanter redderet, nobisque tunc vel maxime sua impertiatur beneficia, quando nos ipsi exhibemus rebelles et impios. S. Anselmus, super illa verba Apostoli, *Rom.*, ii, 4 : *Divitias bonitatis ejus, et patientiæ, et longanimitatis*, pulchre nobis, qua in re divinæ bonitatis et longanimitatis divitiæ consistant, exponit dicens : « Divitiæ bonitatis Dei in hoc manifestantur, quod « tanta quotidie in terris mala faciunt homines, et « tamen eis Deus solem suum producit, et pluvias « ministrat, aliaque multa bona largiatur, blan- « diens, ut ad pœnitentiam per beneficia provocet. » Neque Deus solum in gratiis suis, etiam illis, qui ipsum offendunt communicandis, liberalis solum est erga nos fideles, qui Christianorum charactere signati sumus, verum etiam erga illos qui dæmones in falsis numinibus adorant, ut bene observavit S. Bernardinus inquiens : « Admiranda est benignitas « Salvatoris, quod talibus vitam et largiatur, et « conservat, aliaque multiplicia dona perfectissima « largitate præstare non cessat, qui non solum vita « ipsa indignissimi erant, sed etiam omni alio bono, « præsertim cum ipsis bonis, quæ ab ipso Creatore « accepisse illos manifestum est, non solum execra- « biliter abutuntur, sed etiam Creatorem benignis- « simum nequissime impugnant. »

e. — Non sine magna ratione mysterii Christus Dominus, hoc in loco Apostolis prædicit adventum Spiritus Sancti, cum enim mittendi essent in universum mundum, prædicare Evangelium et simul perhibere testimonium de Christo, voluit illos ostendere unde etiam inter litterarum ignorantiam hæc illis virtus superveniret, nempe non ab homine, qui sicut fallax est, sic et prædicata fides ejus fallere potest; sed a superveniente virtute Spiritus Sancti qui cum Spiritus sit verax, docens Apostolos optime concluditur evidentissimum veræ fidei argumentum esse, quod illa in tam brevi temporis spatio, per homines idiotas et illitteratos tanto cum fructu, ad omnes populos extensa sit. Hoc enim clare fidem probat esse veram, quando ejus propagatio omnem humanam excedit facultatem.

S. Bernardinus in quodam sermone de fide, disserens, tria hæc ponderanda esse dicit, scilicet : « Primo, quinam hanc fidem prædicaverint; se- « cundo, quid prædicaverint; tertio, quibus præ- « dicaverint. » Hæc enim tria, inquit Sanctus, si attente considerentur, clare totum mundum non sine miraculis ad Christum conversum fuisse apparebit, quamvis, inquit, maximum hoc miraculorum fuerit; citatque auctoritatem S. Augustini dicentis : « Non minus incredibile est, homines ignobiles, « infirmos, paucissimosque, atque imperitos, rem « tam incredibilem tam efficaciter mundo et in « illo etiam doctis, persuadere potuisse, ut mundus « illa credat, sicut et credidisse videtur. » Hi qui prædicaverunt fidem primitus, non fuerunt philosophi, nec oratores, sed piscatores rudes et igno-

rantes, litterarumque expertes. Unde S. Bonaventura S. Ambrosium citat, *lib. de fide*, v, dicentem : « In his quæ fidei sunt, piscatoribus creditur, non « dialecticis. » Etenim a cœnaculo duodecim egressi sunt piscatores, ut ad plantandam Ecclesiam per totum se mundum diffunderent, viri humillimis oriundi natalibus, qui non tam calamis, quam remis tractandis assueti, libros nunquam pervolverant, sed lacera potius retia reparare noverant, et tamen prædicatione sua cunctos mundi sapientes ad fidem compararunt.

Quid prædicaverunt? Ubique idololatria, superstitiones, magiæ incantationes et atheismi inundabant : *Dominus de cœlo prospexit super filios hominum, ut videat si est intelligens aut requirens Deum. Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt.* Inter ipsos denique Judæos, non solum Cæsar, sed et Barrabas Messiæ præferebatur. In quavis ætate, sexu, statu et professione, impietates, incestus, sacrilegia, rapinæ, stupra et strages impune regnabant : *Totus mundus in maligno positus erat.* Hæc autem erroum, ignorantiæ, malitiæ et sacrilegiorum perniciosa lolia, et stirpes duodecim istorum pauperum prædicatione eradicanda erant. At vero quænam, obsecro, doctrinam per illos tradenda erat? Difficillima profecto, omnemque exsuperans intellectus humani capacitatem, longeque difficilior voluntati ut eam amplexaretur.

Illi autem nudipedes et pauperculi piscatores philosophis, oratoribus, aliisque terræ hujus sapientibus persuaserunt, ut illum qui in monte Calvario crucifixus fuerat, verissimum mundi Creatorem, nec non et Judicem supremum firmiter crederent, qui in judicio finali, in tremendo tribunali universum judicaturus est genus humanum, qui ad gloriam electos prædestinat et ad infernum condemnat reprobos; qui voce sua omnibus cadaveribus resurgendi impertitur facultatem. Hæcque eorum prædicatio eo usque prævaluit, ut pro profitenda, quam ipsis præconizabant legem, integra meri sanguinis Christiani flumina manare fecerunt; siquidem martyres certatim ad carnificinas et tyrannorum lamiennas properabant, ut vel feris objicerentur in theatris, vel vivi flammis Vulcani consecrarentur, aut aliis atrocissimis dilaniarentur suppliciis.

f. — Dixerat aliquando Christus Dominus agens de Spiritu Sancti adventu, *Joan.*, xiv, 26 : *Paracletus autem Spiritus quem Pater mittit in nomine meo*; sed quid est mysterii quod in præsenti hanc missionem sibi adscribat? *Quem ego mittam vobis a Patre?* Ratio est ut ex tanto dono hominibus concesso, homines sibi quoque habeat devictos et obligatos vinculo gratitudinis : quod Deus semper et omni tempore ab hominibus postulavit. S. Bernardus, *Serm.* I *in Cant.*, optime considerat quod ad testificandum per omnia sæcula erga Deum benefactorem nostrum debitam gratitudinem, varia composita fuerint hymnorum et carminum genera. « Cecinit, » inquit, « Israel carmen Domino, quando « gladium pariter et jugum evasit Pharaonis, ge- « mino magis mirabiliter liberatus simul et vindi- « catus obsequio; cecinit Debora; cecinit et Judith; « cecinit et mater Samuelis; cecinerunt, ne ingrati « divinis beneficiis invenirentur, juxta illud : *Confi- « tebitur tibi cum beneficeris ei.* » Nullum Deus huic populo præstitit eximium beneficium, quin debitam semper ab eo exigeret vicissitudinem. Unde pro eo quod eos ab Ægypti fornacibus eripuerit, quovis anno in recepti beneficii memoriam, agnum paschalem sacrificari voluit. Quando manna depluit, ad perpetuam hujus beneficii memoriam vas conservari jussit in Arca, dicto manna refertum.

Longe autem exactius hanc gratitudinem Deus in lege exigit Evangelica, quæ non sine causa, lex gratiæ denominatur, Isaia ita prophetante : *Invenietur in ea gratiarum actio et vox laudis.* » Et hoc « notandum, » inquit S. Hieronymus, « quod in « Sion, quæ comparatur Paradiso Dei, » aliud esse non debeat, nisi gaudium et lætitia, confessio et vox laudis, ut quod in cœlis acturi sunt Sancti, et cum Angelis Dei, hoc etiam in terra, « jugiter in « Domini laude meditentur. » Quapropter etiam quotidianus apud nos viget incruenti usus et ritus sacer sacrificii, in quo Sacerdos omnes fideles, ut se Ecclesiæ triumphanti conforment, invitat his verbis : « Gratias agamus Domino Deo nostro. » Cui per ministrum populus respondet : « Dignum et justum est. » Quod confirmans Sacerdos addit : « Vere dignum « et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper « et ubique gratias agere, » etc. Postquam ergo continuarum quas Angeli divinæ Majestati exhibent, laudum, gratiarumque meminit Sacerdos, nostram quoque reverenter subjicimus supplicam, in hæc verba : « Cum quibus et nostras voces, ut admitti « jubeas deprecamur, supplici confessione dicentes : « Sanctus, Sanctus, Sanctus, » etc. Hoc quoque ipsum specialiter tributum a primis fidelibus novimus exigisse Apostolum, dum ait, *Ephes.*, v, 19 : *Implemini Spiritu Sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis, et hymnis, et canticis spiritualibus, cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino : gratias agentes semper pro omnibus.*

g. — *Spiritum* dicit *veritatis : Quem ego mittam vobis a Patre Spiritum veritatis*, quia est quoque Spiritus sanctitatis, quam sanctitatem non inani fuco palliatam, sed in veritate Apostolos docebit; cum e contra diabolus in Angelum lucis se transformans, multas per hypocrisis falsitatem seducat animas. Certissimum est Satanam sub horribilis draconis nomenclaturam nobis repræsentari a S. Joanne, *Apoc.*, xii, 9, dum ait : *Projectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus et Satanas, et projectus est in terram.* Ex Empyreo namque in terram tanto corruit impetu, ut ejus

aperuerit et penetraverit centrum, ubi abyssus est, dicente Spiritu Sancto : *Tenebræ erant super faciem abyssi.* Infernus igitur caligine, tenebris et igne lucis experte repletus est; et nihilominus transfigurat se in angelum lucis. Quo autem titulo eumdem spiritum infernalem cœlestis affecit Magister? Titulo fulgoris, dum ait : *Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem*, quia scilicet totum studium et industriam suam in eo collocat ut suam occultet malitiam; unde Venerabilis Beda dicit : « Quod « autem ait : *Sicut fulgur*, vel præcipitem de « supernis ad ima lapsum significat, vel quia de- « jectus adhuc transfigurat se in Angelum lucis. » Cui simillimus est hypocrita, dæmonis indissolubiliter confœderatus, quem Bellovacensis proinde sequenti depingit colore : « Similis est Angelo « Satanæ qui se transfigurat in angelum lucis, « quia hypocritæ extra sunt homines, sed intus « sunt dæmonia; Angeli sunt in exteriori appa- « rentia, sed interius sunt angeli Satanæ in lucis « Angelos transformati, ut decipiant homines simu- « lata sanctitate. »

Certo certius si primi parentes nostri sibi Luciferum consultorem esse intellexissent, nunquam nec pomum attrectare, nec aures suggestui præbere præsumpsissent, utpote quem Dei et hominis noverant inimicum; delusi itaque fuerunt, quia consilium hujusmodi credebant sincerum, et a bono derivatum amico; ideoque S. Bernardus ait : « Quam « incongrue simplicitati duplicitas admiscetur? « quam indigne tali fundamento talis structura « committitur? Hujusmodi sibi versutiam serpens « induerat, cum se, ut deciperet, consiliarium « exhibebat, simulabat amicum. »

Enimvero si prima principia examinare voluerimus omnium hæresium, quæ in Ecclesiam Dei introductæ fuerunt, easdem ut plurimum, a talibus personis seminatas et nutritas esse inveniemus, quæ sanctitatem et catholicæ religionis zelum simulatorie præ se tulerunt. S. Bernardus, *Serm.* xxx *in Cant.*, illud propheticum oraculum de Ecclesia adimplens dicit : « *Ecce in pace amaritudo mea « amarissima.* Amara prius in nece Martyrum, « amarior post in conflicto hæreticorum, amaris- « sima nunc in moribus domesticorum. » Hæc enim ultima persecutio omnium aliarum est truculentissima, alluditque ad eos, qui sub perfectionis et sanctitatis specie, suam occultant malitiam; hæc enim tempestas et stratagema est insigne dæmonis contra fidem. Unde idem mox subjungit Sanctus : « Sed inquam *in pace?* Et pax est et non est pax : « pax a paganis et pax ab hæreticis, et non profecto « pax a filiis. Vox plangentis in tempore isto : *Filios « enutrivi et exaltavi; ipsi autem spreverunt me.* Spre- « verunt et maculaverunt me a turpi vita, a turpi « quæstu, a turpi commercio, *a negotio* denique « *perambulante in tenebris*, quod est hypocrisis. »

h. — *Ille testimonium perhibebit de me.* Unicus fere Christus Dominus et in vita et in morte fuit injuriarum scopus, et jam ad illas injurias vindicandas Pater Christo dederat testimonium, dum in Jordane et Thabore, Patris vox super eum intonuit : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui; ipsum audite. Matth.*, iii, 17. Filius de seipso testimonium dedit, dum dixit : *Ego testimonium perhibeo de meipso. Joan.*, viii, 18. Ergo consentaneum erat ut Spiritus Sanctus quoque suo testimonio adesset, juxta illud, *Joan.*, I *Epist.*, v, 7 : *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo : Pater, Verbum et Spiritus Sanctus.* Sed cur hi tres dant testimonium? Ad hoc ut juxta debitum juris ordinem, istæ injuriæ divinitati et humanitati irrogatæ detegerentur, et injuriatores acriter convicti magis confunderentur. Simili enim periculo, aliisque damnis injuriatores ordinarie exponuntur. Præter infamiam quæ resultare potest in eum, qui alteri affert injuriam, sæpe etiam, ut quotidiana nos docet experientia, eidem correspondeatur per ultionem, non solum quæ in verbis, sed etiam quæ in factis consistat; attrahit sibi inimicitiam et odium, non solum eorum qui injurias acceperunt, verum etiam omnium aliorum illis adhærentium. « Non iis qui « injuriam accipiunt, » inquit S. Isidorus Pelusiota, « sed iis qui inferunt, periculum omne impendet, « eosque trepidare atque contremiscere oportet. « Quod si ita est, injuriam perpeti malum non « est, sed eam inferre, nec illatas injurias perferre « scire. »

Qui profert contumeliam, insipiens est, dicit Sapiens, *Prov.*, x, 18. Injuriator enim suum nititur evomere furorem, suasque explere vindictas, non se reflectens, quod adversum se Dei provocet iram et supplicia, seque ipsum in parte nobiliori, id est, anima, mortaliter sauciet : « Quæ pœna gravior « est, » inquit S. Ambrosius, « quam interioris « vulnus conscientiæ? Quod severius judicium, « quam domesticum, quo unusquisque sibi est « reus, seque ipse arguit, quod injuriam fratri « indigne fecerit? » D. Chrysostomus, *Hom.* xii *in Act. Ap.*, miseram considerat injuriantis conditionem, inquiens : « Vide, oro, quemdam qui contu- « melia affecit, et non supplicio affectum, non « propter hoc solum debet lacrymari, quia non « contumeliæ dat pœnam, sed etiam propter aliam « causam ut lugeat, dignum. Et qualis hæc? Quia « impudentior facta est anima. Nam unumquodque « peccatum, ubi patratum fuerit et ad finem perve- « nerit, relinquit in anima venenum. » Neque enim solum in corde venenum recludit, quod in proximum effundit, verum etiam causa est, quod in injuriato aliud sæpe regeneretur venenum odii et vindictæ. S. Antoninus proinde monet, magna cum cautela et circumspectione in hac materia procedendum esse, ne quidem suos cuipiam naturales

exprobrando defectus : « Debet quis abstinere, » inquit, « ab improperio, seu convicio defectus na- « turæ, videlicet non vocando illegitimum, vel « cæcum, vel hebetem, vel stultum, vel hujus- « modi; » idque in Phenenna exemplificavit, inquiens : « Phenenna quæ multos habebat filios, « quia exprobravit Annæ et improperabat, seu con- « viciabatur ei, quod Dominus concluisset vulvam « ejus et quod sterilis esset, punita est quia filios « amisit. »

Michol verbis injuriosis derisit Davidem, qui ex mentis devotione, in conspectu totius populi in processione arcæ saltaverat, inquiens : *Nudatus est, quasi nudetur unus ex scurris*; paulo post vero sacer textus subjungit : *Igitur Michol filiæ Saul non est natus filius, usque in diem mortis suæ.* Hæc autem filiorum orbitas, una erat ex probrosioribus maledictionibus sexus illius. Pueri item qui Elisæum conviciabantur, clamantes : *Ascende, calve, ascende, calve* per experientiam didicerunt quam exacte divina justitia in sua bilance improperia trutinet, etiam illa, quæ a linguis proferuntur eorum qui ob teneram ætatem malignitate interna peccare nondum poterant : *Nam egressi sunt duo ursi de saltu et laceraverunt ex eis quadraginta duos pueros.*

1. — Multis Christus, et in vita et in morte, infestatus est calumniis, sed, *tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum et Spiritus Sanctus*, ad hoc ut juxta debitum juris ordinem, falsissimæ istæ calumniæ Christi humanitati et divinitati impositæ detegerentur; Deus enim calumnias earumque falsitatem detegere solet.

Nonnulli haud immerito observant et causam inquirunt, cur Naboth os suum non aperuerit, neque causam suam per preces et supplicationes divinæ justitiæ tribunali recommendaverit, cum Suzanna e contra dixerit : *Deus æterne, qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia antequam fiant, tu scis quoniam falsum testimonium tulerunt contra me et ecce morior, cum nihil horum fecerim.* Respondetur Deum in duabus hisce personis demonstrasse voluisse calumnias patientium effectus; aliqui enim se Deo recommendant, in eumque solum totaliter confidunt, siquidem *saleos faciet filios pauperum. Psal.* LXXI, 4. Ita Suzanna fecit. Alii vero calumnias patienter et sine querela, aut lamento sustinent, et *in silentio et spe est fortitudo eorum. Isa.*, XXXII, 25. Talis fuit innocens Naboth, qui tyrannidem Jezabelis adeo violentam esse dicebat, ut nullus apud eam se defendendi locus sibi relictus esset. *Erat cor ejus fidens in Domino.*

Eccli., LI, elegans illa et efficax Jesu filii Sirach oratio describitur, ex qua eximia illius erga divinam Majestatem gratitudo egregie relucet, eo quod calumniarum falsitatem detegendo, ipsum a congestis in eum imposturis clementer et provide defendisset : *Confitebor tibi, Domine Rex*, inquit, *et collaudabo te Deum Salvatorem meum; confitebor nomini tuo, quoniam adjutor et protector factus es mihi, et liberasti corpus meum a perditione.* Ipsum vero ibi de calumniis loqui, quas patiebatur, verbis sequentibus declarat : *A laqueo linguæ iniquæ, et a labiis operantium mendacium.* Et paulo post dicit : *In medio ignis non sum æstuatus*; quibus verbis, pestilentialem hanc zizaniam ignem appellat.

Versus 27.

Et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis.

Et vos testimonium perhibebitis.

1. — Enimvero tametsi videri potuisset, divinam Spiritus Sancti de Christo factam attestationem debuisse sufficere, attamen Salvator noster humano quoque testimonio uti voluit, ab Apostolis perhibito, utpote qui oculati sanctitatis suæ testes fuerant : « Ut concurrentibus undique, » inquit Lucas Brugensis, « omnis generis testimoniis divinis et huma- « nis opprimerentur refractarii Judæi et judice « universo mundo damnarentur perfidiæ erga « Christum; » inexcusabiles enim erant, neque se justificare poterant, dicendo, se illum non cognovisse, ac proinde tanquam rei projici merebantur et derelinqui.

2. — Porro Apostoli adimpleverunt quidquid Magister ipsorum Christus eis prædixerat, siquidem uti in S. Joanne, I *Ep.*, I, 3, legimus : *Quod audiemus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus et manus nostræ contrectaverunt de Verbo vitæ et vita manifesta est, et vidimus, et testamur, et annuntiamus vobis.* S. Petrus, II *Ep.*, I, 8, pariter ait : *Hanc vocem nos audivimus de cœlo allatam, cum essemus cum ipso*, etc. *Hunc suscitavit Deus a mortuis et hujus nos testes sumus : Act. Apos.*, II, 32. Et alibi in iisdem Actibus Apostolorum, IV, 33, legimus : *Virtute magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Domini nostri Jesu Christi.*

3. — S. Augustinus, *tract.* IX *in Joan.*, ait : « Perhibuit Spiritus Sanctus, perhibebitis et vos, « quia enim ab initio mecum estis, potestis prædi- « care quod nostis, quod ut modo non faciatis, « illius Spiritus plenitudo non adest vobis; dabit « vobis fiduciam testimonium perhibendi : *Charitas Dei diffusa est in cordibus vestris per Spiritum « Sanctum*, qui dabitur vobis, quæ utique Petro « adhuc defuit, quando mulieris ancillæ interro- « gatione perterritus, non potuit verum testimo- « nium perhibere, sed contra suam pollicitationem « timore magno compulsus est ter negare; timor « autem iste non est in charitate, sed *perfecta cha- « ritas foras mittit timorem.* » Idem quoque S. Doctor comparationem inter S. Petrum ante adventum Spiritus Sancti et eumdem prout post Pentecosten

constitutus erat, his verbis instituit : « Quem negan- « tem doluerat, stupeat prædicantem, ibi linguam « illam videat ad fiduciam a diffidentia et ad liber- « tatem a servitute translatam, tot linguas inimico- « rum convertere ad Christi confessionem, quarum « non valendo unam ferre, versa fuerat in negatio- « nem. Quid plura? Tantus in illo fulgor gratiæ, « tanta spiritus plenitudo apparebat, tanta de ore « prædicandi pretiosissimæ veritatis pondera pro- « cedebant, ut ingentis multitudinis adversarios « interfectores Christi Judæos, faceret pro illo pa- « ratos mori, a quibus cum illo formidabat occidi. »

4. — Jansenius proinde hoc testimonium Apostolorum Spiritui Sancto attribuendum esse existimat; siquidem miracula, quæ faciebant, in hujus Sancti Spiritus virtute fiebant : « Testificabatur « Spiritus per Apostolorum ora de Christo, non « enim ipsi erant, qui loquebantur, sed Spiritus « Patris, qui erat in eis. »

Quia ab initio mecum estis.

5. — Porro hoc nequaquam ita intelligendum est, ut Lyranus, *in Joan.*, notat, quasi Apostoli a primis annis vitæ ejus cum ipso fuerint, « sed ab « initio prædicationis, quando incœpit docere et « miracula facere. » S. Thomas intelligendum esse dicit : « Ab initio prædicationis et operationis mira- « culorum, ut possint testari de viso et auditu. » S. Petrus quando electionem alterius Apostoli in locum Judæ faciendam proposuit, *Act. Ap.*, I, 21, dixit : *Oportet ex his viris, qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, quo intravit et exivit inter nos Dominus Jesus, incipiens a baptismate Joannis.*

Caput XV, Versus 1.

Hæc locutus sum vobis, ut non scandalizemini.

1. — S. Cyrillus Alexandrinus dicit causam, cur Christus id quod Apostolis evenire debebat, prædixerit, non fuisse, ne forsitan ipsos perterrefaceret, sed ut eos in fide sua solidius stabiliret. « Nec « enim prædixi, » inquit in persona Salvatoris, « ut « vim et robur mentis vestræ enervarem, sed neque « ut præmaturum vobis futurorum malorum terro- « rem incuterem; sed ut anticipatam potius eorum « vobis cognitionem traderem, quo duplicem hinc « fructum reportaretis. » Explicat deinde quænam ex hac anticipata prædictione utilitates in eos manare possint, videlicet primo, rememorando id, quod vobis postea evenit, diu ante a Christo prædictum fuisse : « Manifestissimum certe fidei vobis « erit argumentum; nam qui futura novit, quomodo « non erit secundum naturam Deus? » Alia utilitas, quam ex illa prædictione habetis, hæc erit, quod vulnus prævisum et prædictum minus dolebit : « Qui « enim præparatus est et aliquid sibi eventurum « antea novit, leviori metu afficietur et quodcum- « que grave esse videtur, facile superabit et incon- « cussum in ipsis laboribus animum est habiturus; « præter spem enim aliquid pati, pungit acrius, « quocirca Psalmista, *Psal.* CXVIII, 60, ait : *Paratus « sum et non sum turbatus.* » Ex hac quoque præscientia, inquit idem Sanctus, alius natus est sequi effectus, nimirum quod non solum in fide divinitatis Christi confirmabuntur, verum etiam viva quædam spes in illis suscitabitur, qua se ab illo protegendos et ab illis adversitatibus liberandos esse confidere possunt.

2. — Lucas Brugensis vocem *scandalizemini* ita explicat, ut sensus sit : « Ut non impingatis, offen- « datis a fide in me, aut patientia excidatis, vel ab « officio testificandi de me desistatis. » Lyranus ait : « Scandalizare dicitur a *scandalon* græco, quod « significat impactionem pedis, per quam homo « ruit, et ad similitudinem hujus, in spiritualibus « dicitur quis scandalizare in tribulatione, quando « est ei occasio cadendi per impatientiam. »

3. — Albertus Magnus ita exponit : « Ut non con- « turbemini, cogitantes apud vos, quod ea voca- « tione nihil, nisi passiones et mortes habeatis. » Porro Apostoli ab illo tempore, quo a Redemptore nostro in ejus sequelam et disciplinam vocati fuerant, nil nisi paupertatem, persecutiones, probra, passiones et labores experti fuerant, unde operæ pretium esse videbatur, ut spem in illis excitaret, qua post ærumnas, consolationes subsecuturas esse confidere possent, *Tob.*, III, 22 : *Post tempestatem tranquillum facis*; cujus spei signum ediderunt, quando ab eo sciscitati sunt, *Act. Ap.*, I, 6, dicentes : *Quando restitues regnum Israel?* Et tamen simul illis indicare voluit necessum esse, ut ad hoc se præpararent, ut nimirum ab Apostolatu contradictiones, ærumnas carcerum et supplicia tantum reportent. Et ideo S. Petrus primis fidelibus, in quonam ipsorum ad fidem vocatio consisteret, his verbis intimavit : *In hoc enim vocati estis, quia et Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* Sciendum enim nobis est, quod in sua ad cœlos ascensione, vestigio pedum suorum petræ illi, in qua stabat, impressa reliquerit et quonam alio mysterio id factum esse putatis, quam ut nobis insinuaret, necessum nobis esse, ut ejus vestigiis insistamus? *Ego sum via, veritas et vita.* Et primo quidem nos monet, se viam esse per quam nobis ad ipsum perveniendum est; deinde se veritatem et vitam æternam esse asserit; nihil enim viatori alicui majorem afferre potest consolationem, maxime illi, qui viam incognitam ingredi debet, quam aliorum eamdem viam tenentium videre vestigia; omnes viatores sumus, qui in hac vita præsente, per viam nobis ignotam, nec unquam usurpatam, ad patriam cœlestem proficiscimur; Christus autem per sua vestigia viam nobis ostendit, I *Petr.*, II, 21 : *Passus est, vobis relinquens exem-*

plum, ut sequamini vestigia ejus. Unde S. Hieronymus, vel quisquis Commentariorum super Marcum auctor existit, dicit : « In monte Oliveti Christus « tenetur et inde cœlos ascendit, ut nos sciamus, « quia inde ascendimus ad cœlos, unde vigilamus « et oramus, et ligamur. »

4. — Porro nostra ad fidem vocatio, a tribulationibus et contradictionibus inseparabilis existit. Et ideo S. Augustinus ait : « Si putas te non habere « tribulationes, nondum cœpisti esse Christianus; et « ubi est vox Apostoli : *Omnes, qui volunt in Christo « pie vivere, persecutionem patientur?* Si ergo non « pateris pro Christo ullam tribulationem, vide ne « nondum cœperis in Christo pie vivere. » S. Hieronymus optime textum illum Apostoli ponderat, in quo dicit : *Nemo moveatur in tribulationibus istis, ipsi enim scitis, quod in hoc positi simus.* Quibus verbis S. Paulus eos, qui ad fidem Christi venerant et legem profitebantur Evangelicam, consolatur, ne ab obviis sibi persecutionibus et ignominiis illatis deterreantur, eo quod hæ infallibilis fidei et religionis nostræ character et nota sint : « Ac si eis « aperte dicat, » inquit S. Doctor : « Quid in hoc « tempore vulnera nostra miramini, qui, si æterna « gaudia quærimus, huc ad hoc venimus, ut feriamur. » S. Cyprianus Martyrum cor et animum in supplicii, quæ patiebantur, erecturus, ita eos alloquitur. « Nec nova aut repentina sunt, quæ nunc « accidunt Christianis, cum boni et justi semper et « Dei innocentiæ lege, ac veræ religionis timore « devoti per pressuras et injurias, et graves, et « multiformes infestationum penas angusti itineris « difficultate gradiantur. » Christus Apostolis suis dixerat, *Joan.*, xv, 20 : *Si me persecuti sunt et vos persequentur; non est major servus Domino suo.* Apostolus quoque de æterno Patre ita scribit, *Rom.*, viii, 29 : *Quos præscivit et prædestinavit conformes fieri imagini Filii sui.* Et ideo B. Laurentius Justinianus ait : « Nemo servorum Christi sibi adscribat ad « dedecus, si easdem, quas Dominus perferat con« tumelias; non decet omnino, non decet Christia« num, opprobriis Christi esse exsortem. Ipsum audi « quid dicat : Mementote sermonis mei, quem ego « dixi vobis, *non est servus major Domino suo*; non « est unde quæraris, si opprimaris a sæculo, dum « eadem ipsum perpessum fuisse cognoveris. »

Additiones.

a. — *Hæc locutus sum vobis, ut non scandalizemini*, seu ut habet Syriacus, *non offendamini.* Scandalizari autem dicitur, qui in offendiculum incurrens impingit et cadit. Volebat Christus dicere : Cum videritis odia et persecutiones mundi insurgere in vos, ne scandalizemini, aut offendemini in me, minus bene de me sentientes, quia præmoneo vos de periculo. Ecce quanta cura et sollicitudine Dominus præoccupat a discipulis suis avertere scandalum, quo accepto, potuissent a Christo deficere : est enim scandalum fons omnis malitiæ.

« Scandalum, » ut Tertullianus ipsum definit, « malæ rei exemplum est, ædificans ad delictum. » Si quam personam laudare velimus, eamque exemplarem nominare, eam appellare solemus personam ædificationis. Qualiter igitur Tertullianus astruit quod homo scandalosus ædificet ? potius destruit et præcipitat. Nihilominus dicitur *ædificans*, non quomodocumque, sed addita particula, *ad delictum.* Scandala enim præter lapides sunt cementum et bitumen quæ turrim ædificant Babylonicam, *ædificans ad delictum.* Ideoque omnibus scandalosis merito exprobrari potest : *Vos ex patre diabolo estis et desideria patris vestri vultis facere : ille homicida erat ab initio*, qui primam machinam movens, in discrimen adduxit, ruinaque oppressit, primitus innumerabiles Angelos, deinde protoparentes, cumque illis totum genus humanum, mortem omnibus inferens spiritualem. Cujus monstri infernalis imitatores sunt scandalosi, quia malo exemplo suo malitiæ venenum transfundunt ad alios. S. Bruno Carthusianorum Patriarcha, textum illum Apostoli, in quo Corinthiis persuadet ut scandalosum illum mœstuosum e medio societatis suæ auferant et amoveant, *ut tollatur e medio vestrum, qui hoc opus fecit*; hunc inquam textum exponens, subjungit : « Hunc et omne malum de medio vestrum; » quasi dicere vellet scandalum centrum esse et omnis malitiæ nidum. Christus Redemptor noster, adversus scandalosos indignatus, his illos minis percellit : *Væ mundo a scandalis.* Circa quæ verba Abulensis ad nostram eruditionem ita scribit : « Pronuntiat « hic Christus malum, quod sequitur mundo, id « est, mundanis hominibus, propter scandala, quæ « faciunt, quia non curant cavere a scandalis, quæ « faciunt, quasi nihil esset scandalizare homines, « cum tamen valde malum sit. »

b. — Singularem Christus Dominus semper curam gessit, ne pusillis aut inferioribus scandalum quodquam præberet. Legitur, *Matth.*, xviii, 6 : *Qui scandalizaverit unum ex pusillis istis, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus et demergatur in profundum maris.* In eodem S. Matthæi Evangelio, vi, 23, legimus quod postquam Christus S. Petrum ob insignem illius de sua divinitate factam confessionem præmiaturus ad summum totius Ecclesiæ Pontificatum sublimasset, consignando in illius manus claves regni cœlorum, paulo post eumdem Satanæ turpissimo nomine appellavit : *Vade post me, Satana; scandalum es mihi, quia non sapis ea quæ Dei sunt.* At vero dicat forsitan aliquis, quomodo Redemptor noster id de S. Petro asserere poterat, qui paulo ante ex æterni Patris revelatione dixerat : *Tu es Christus Filius Dei vivi?* Vultisne hujus reprehensionis et indignationis Christi causam? Ea nimirum hæc est : S. Petrus

Christum a redemptione et passione, et consequenter a salute hominum procuranda impedire et divertere conatus fuerat, ac proinde ex humanæ affectionis teneritudine dixerat : *Absit a te, Domine.*

VERSUS 2.

Absque synagogis facient vos, sed venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo.

Absque synagogis facient vos.

1. — Albertus Magnus dicit Christum indicare velle his verbis, quod Judæi illos habituri sint tanquam excommunicatos et exleges. Etenim, *Joan.*, *cap.* ix, refertur, illos jam ante legis condidisse decretum, quo statuebatur, ut omnes, qui fidem et disciplinam profiterentur Christi, e synagogis turpiter ejicerentur, vel idem futuri essent, ac si inter nos interdicti essent et excommunicati.

2. — S. Augustinus idipsum in Apostolorum laudem et præconium cedere interpretatur; dicit enim : « Quid enim mali erat Apostolis expelli de « Judaicis synagogis, quasi non fuerint inde exituri « etiamsi eos nullus expelleret? sed voluit denun« tiare, quia Judæi Christum non fuerant recepturi « a quo isti non fuerant recessuri. »

3. — Porro Hebræorum synagogæ succedere debebat Ecclesia, merito igitur Apostoli ab illa fuere exclusi, qui fundamenta et capita futuri erant Ecclesiarum Christianismi, synagogam deserendo; unde denominantur : *Ecclesiarum Principes; plantaverunt Ecclesiam sanguine suo.*

4. — Tuletus dicit, quod ex quo Christus illis Spiritum Sanctum promiserit, *cum venerit Paracletus*, et subjunxerit : *Ut non scandalizemini*, videri merito possit, Christum illis e contra debuisse Apostolos potius ad synagogas invitandos, et ab ea comiter excipiendos esse : « Quis non exspectasset post « promissum Spiritum Sanctum, tantæ potentiæ, et « scientiæ, et bonitatis; et post verbum : *Non scan« dalizemini*, dicturum Christum : In synagogis vos « recipient, omnes ad vos proclives current, bene« volentia et obsequio afficient? » Et tamen prædicit, promittit, imo quoad videtur, desiderat illis omnino contrarium : *Absque synagogis facient vos; veniet hora, ut omnis qui interficit vos*, etc. Cur autem id facit? « Multo aliter divina Sapientia de « rebus judicat, quam mundana. Majus beneficium, « et majus opus fuit, discipulos fortes facere in « morte subeunda, et lætos aggredi pericula, omnia « hujus mundi bona contemnere, quam impedire, « ne occiderentur; illud Apostolos fecit beatos, non « hoc; illud reges terræ facere potuerunt, non autem « istud, plus igitur Spiritus Sancti virtus splendet « in morte contemnenda, quam impedienda, in « sustinendis læto animo afflictionibus, quam in « avertendis. »

5. — In præcedenti Evangelio Dominicæ quintæ post Pascha, egregium legimus affectus Dei Patris erga Apostolos testimonium; dicit enim ibidem Salvator noster : *Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis.* Idipsum Christus quoad semetipsum eisdem dixit : *Jam non dicam vos servos, sed amicos*; at vero ubinam hæ paterni affectus sunt demonstrationes? » Probatio dilectionis, exhibitio est ope« ris. » Imo non solum Apostolis nullus reipsa fuit favor exhibitus, quin potius in ipsis adimpletum fuit, quod postea S. Apostolus scripsit, *Heb.*, xii, 36, nimirum : *Ludibria et verbera experti, insuper et vincula, et carceres, lapidati sunt, secti sunt, in occisione gladii mortui sunt*, etc. Et quod amplius est, non solum Filius Dei gavisus est, videndo illos dilaniari, excoriari, crucifigi, verum insuper idem, licet boni Pastoris titulum sibi vendicarit, de se tamen, quod illos tanquam totidem innocentes oviculas, in ipsas luporum fauces adegerit, protestatus fuit, dum ait, *Matt.*, x, 16 : *Ecce ego mitto vos, sicut oves, in medio luporum.* Respondendum est igitur, totum hoc verum esset, ita tamen quod illos Spiritu Sancto, veluti impenetrabili lorica armatos, leonino quodam corde donarit, tantisque Paradisi consolationibus ac deliciis cumularit, ut eosdem inter medios acerbissimorum tormentorum cruciatus jubilare et exultare fecerit, ut proinde sacer textus de illis expresse dicat, *Act. Ap.*, v, 41 : *Ibant Apostoli gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati.* Ili ergo sunt eximii illi favores et gratiæ, quas Deus dilectis suis Apostolis contulit. Prius ergo dicit : *Cum venerit Paracletus*, et postea præsagiendo subjungit persecutiones et aerumnas, quibus pro ipsius nomine exagitandi deinceps erunt. Et ideo, ut Chrysostomus, *de Pent.*, notat, non dicit Apostolis : « *Ite in « medium luporum*, sed, *ecce ego mitto vos*, etc. « Timorem illorum uno sermone abstulit : Non « dicit, *ite*; nec enim propria ipsorummet virtute « mittebat eos; sed, *ecce*, inquit, *ecce ego mitto vos*; « infirmi quidem vos, sed qui mittit, potens est. »

6. — Etenim Apostoli, postquam a Christo in ejus Ascensione apertus esset Paradisus, universum genus humanum ad beatam æternamque vitam comparandam, animare et invitare debebant, ideoque opus erat, ut unicam hanc illi ostenderent eo perveniendi viam, scilicet pati pro Christo, proque eodem torqueri, cruciari et mori.

7. — S. Ambrosius de Martyribus dicit : « Num« quam hanc vitam tam constanter expenderent, « nisi esse alteram incomparabiliter beatiorem, « perfecta definitione sentirent. » Eusebius Emissenus eorum tormentorum, quæ servi Dei veritatis Evangelicæ luce illuminatissimi, sustinuerunt, atrocitatem considerans, ait : « Clamat utique Christia« norum cordibus sanguis piorum, sanguis spiri« tualium bellatorum, quantum debeat amari

« Deus, » et paulo post subjungit : « Ut vel sic « intelligamus, quantum debeat desiderari vita illa « quam per cruciatus, per vulnera, per intoleran- « dos labores videmus inquiri, quam cognoscimus « pretio sanguinis comparari. »

8. — S. Cyrillus Alexandrinus hanc persecutionem, et mortis prædictionem, ad majus Apostolorum solatium, animique firmitudinem inserendam, ordinatam fuisse his verbis asserit : « Vim et ratio- « nem sermonis utiliter convertit ad præparandos « et muniendos adversus ingruentes casus, animos ; « nam quod repente ac præter spem ingruit, etiam « constantem animum turbare potest, præsum- « vero, et certo spe expectatum, levius ferit. »

Venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo.

9. — Lyranus hæc verba duobus modis intelligi posse observat : nimirum vel de vero Deo, adeo ut Judæi perfidia sua totaliter excæcati, se acceptum illi sacrificium immolaturos esse, sibi persuaserint, dum Apostolos sæve ac crudeliter tractarent, mortemque eisdem inferrent, quamvis ignorantia isthæc illos excusare minime potuerit ; vel etiam intelligi potest de diis gentilium, qui Christianos crudeliter dilaniando, et e mundi medio totaliter auferendo, se Jovis, Saturni, aut aliorum profanorum numinum gratiam sibi acquisituros esse existimabant.

10. — In Actibus Apostolicis, XXIII, 12, quadraginta Judæi simul inter se conjurasse leguntur, quod ex quo Paulum legi veri Dei contumaciter rebellem esse credebant, nec manducare vellent, nec bibere, donec eumdem reipsa occidissent. S. Lucas autem hanc historiam describens hac phrasi utitur : *Devoverunt se*, quia per hanc conjurationem se divini honoris zelo accensos esse probare voluerunt, prouti ex illa, quam coram summo Sacerdote fecerunt, protestatione clarius liquet ; dicebant enim : *Devotione devovimus nos*. Idem S. Paulus, etiamnum Saulus existens, magnum se apud Deum meritum comparatum esse credebat, si Apostolos et discipulos Christi, crudeli, ut coperat, persecutione infestaret, *Gal.*, I, 13 : *Supra modum persequebar Ecclesiam Dei, et expugnabam illam, abundantius æmulator existens paternarum mearum traditionum. Saulus adhuc spirans minarum*, etc.

11. — « Sed qualiter ait : *Venit hora*, in præ- « terito ? » quærit S. Bonaventura, et respondet Christum ita locutum fuisse ob temporis brevitatem, quod illorum persecutionibus interjiciebatur ; citatque S. Augustinum de gentilibus dicentem : « Quando persequebantur Apostolos gentes, arbi- « trabantur obsequium se præstare diis suis, sed « Judæi putabant obsequium se præstare Deo. »

12. — Rupertus Abbas, *lib.* XII *in Joan.*, *c.* XV, verbum illud, *arbitretur*, examinans, dicit : « Judi- « ces rem quamlibet suo judicio metientes, dicun- « tur arbitrari ; revera inimici Christi, et Patris « ipsius Dei interficiendo discipulos ejus, arbitrantur « obsequium se præstare Deo, id est, judicabant, « quamvis contra scientiam suam, sic placitum esse « Deo, scilicet prætendendo quasi necessariam loci « vel gentis causam ; ita enim in Christi condemnatione fecerunt, quando in causa ejus discussione, inter se consilia agitarunt, *Jo.*, XI, 48, dicentes : *Si dimittimus eum sic, venient Romani, et tollent locum nostrum, et gentem.*

13. — Cajetanus observat, quod, tametsi « mors « est ultimum terribilium, » nihilominus « horribi- « lius valde redditur, quod tanquam inimici non « deorum, qui dæmones sunt, sed veri Dei, inter- « fectio imminens pronuntiatur, usque adeo, ut in- « ter religionis opera, quibus Deus colitur, haben- « dum sit interficere vos ; » at vero hoc, quod vel maxime Apostolos affligere poterat, erat, quod scribit Albertus Magnus : « *Ut omnis qui interficit* « *vos*, tanquam maleficos homines, et nocivos ; » nimirum incarnata Sapientia Apostolis, qui ipsi dilectissimi erant, omnibus illis motivum aliquod consolationis relinquere voluit, qui hic in terris tanquam Deo rebelles et perversi calumniis asperguntur, infamantur, et persecutiones patiuntur, licet revera fideles ipsius servi sint, et magna vitæ sanctitate coram Deo effulgeant, *Matt.*, V, 12 : *Beati estis cum maledixerint vobis homines, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos, mentientes propter me ; gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.*

14. — S. Cyrillus Alexandrinus ex eo, quod tyranni se tanto majorem conciliaturos esse gratiam et amicitiam Dei credebant, quanto Apostolos magis torquebant, infert, ad quantam sævitiem tormenta et persecutiones Apostolorum pervenerint : « Impietatem illorum eo processuram prædicat, ut « summam in eos crudelitatem, pietatis erga Deum « iter esse putent ; eo improbitatis erumpet illorum « audacia, ut mortem vobis intentare, cultus divini « loco habeant ; » at vero Deus noster, de quo S. Augustinus ait : « Melius judicavit de malis bene « facere, quam mala nulla esse permittere, » persecutorum impietatem et atrocissimam tormentorum carnificinam, in sublimiorem servorum suorum gloriam convertere novit, adeo ut in supplicii, craticulis, equuleis, patibulis, haud secus ac in curribus triumphalibus exultarint. Unde de S. Laurentio S. Leo scribit : « Quid non ad victoris gloriam « ingenium tuum reperit, quando in honorem trans- « ierunt triumphi, etiam instrumenta supplicii ? » quando tormenta atrociora erant, tanto magis in Martyribus resplendebat divinæ gratiæ efficacia, tantoque gloriosior erat palma, et pretiosior ac ditior, quæ capiti Martyris imponebatur corona. Unde S. Cyprianus, *de Epiphan.*, ait : « Sic Sancto- « rum persecutionibus tyrannus crudelis illuditur,

« qui, dum putat perdere quos occidit, melioris « vitæ statum eis procurat, quod ille in perditio- « nem molitur, hi utuntur pro beneficio. » Et Eusebius Emissenus de S. Blandina, *Hom.* IV, scribit : « Ecce profanus hostis, nequaquam ei tantum « prodesse potuisset obsequio quantum profuit gla- « dio ; » et paulo post subdit : « Quantas suscepe- « runt in corpore pœnas, tantas in spiritu per- « ceperunt coronas. » Quis non videt tyrannos, nolentes, nec scientes quid facerent, Martyres pro fide et religione Christiana dilaniando et comburendo, Deo obtulisse sacrificia, imo et holocausta ? Per sanguinem, quem effundebant, simul Evangelium diffundebant per universam terram. Unde S. Hieronymus ait : « Cum quis viderit, tanta « perseverantia stare Martyres, atque torqueri, et « in suis cruciatibus gloriari, odor notitiæ Dei « disseminatur in gentes, et subit tacita cogitatio, « quod nisi verum esset Evangelium nunquam san- « guine defenderetur. »

15. — Considerandum insuper, quod Christus prius mentionem faciat Spiritus Paracleti : *Cum venerit Paracletus*, et paulo post tormenta prædicat, et martyrium, ad denotandum, futurum esse, ut, dum ipsi dilaniantur a carnificibus, Deus illos interius sit confortaturus, eosque glorificaturus in cœlo et in terra. Eusebius S. Romanum martyrem hunc in modum nobis describit : « Magnanimus et intre- « pidus, ferens secum in ore quidem judicium « mortis, sed in corde pretium immortalitatis. Quæ « ista rerum, et quam stupenda diversitas est ? Cor- « pus pro anima expositurus unus atque idem, et « pœnæ secum causam portat et gloriæ, extrinsecus « affligendus, intrinsecus coronandus. » Quænam, obsecro, causa fuit, quod Spiritus Sanctus per Apostolos descendens, capitibus eorum insederit, *seditque supra singulos eorum?* S. Cyrillus Hierosolymitanus dicit : « In specie linguarum ignearum « sedit super illos, ut novæ coronæ spirituales per « linguas igneas imponantur capiti eorum, » ita tamen, ut diademata ista tormentis et martyriis mediantibus sibi acquirant.

16. — Nullus adeo sollicite Filio Dei inservivit, aut erga eum adeo obsequiosus et obediens fuit, sicut universum Apostolorum collegium ; in eo namque si uspiam alibi vera vigebat perfectio et sanctitas vitæ, et tamen Apostolorum amantissimus Magister, qui discipulos suos tenerrime amabat, hodie illis remunerationis et præmii loco, strages, supplicia et mortem annuntiat. Vult enim, ut exinde videamus, quod, quantumvis quis divini honoris zelo exarserit, aut præceptorum divinorum et Ecclesiæ, Evangelicorumque consiliorum exactissimus executor fuerit, non tamen propter hoc honoribus, sed potius ærumnis, Deo ita disponente, subjacebit. S. Bruno de mundi sequacibus scribit, quod idem de electis quoque dicere possumus : « Hæc est ejus propria et singularis consuetudo, « ut, qui plus ei inserviunt, et majora ac graviora « tormenta ab eo patiantur : *Quoniam acceptus erat* « *Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te. Tob.*, XII. » Eodem tempore, quo sanctus Apostolus vas electionis declaratus fuit, passio quoque et mors illi intimata fuit : *Ego ostendam illi, quanta oporteat pro nomine meo pati. Act. Ap.*, IX, 16.

17. — Quod si sanctos Apostolos et Martyres cum Judæis pertinaciter incredulis, cumque impiis et sceleratis comparaverimus, inveniemus quidem hos servis Dei semper fuisse superiores, utpote qui ab illis misere dilaniati et cruciati fuere ; verumtamen, ut bene S. Augustinus, *Serm.* LXXVII *de temp.*, advertit : « Mali serviunt bonis non obsequendo, « sed persequendo, quomodo limæ vel mallei auro, « quomodo molæ serviunt tritico, quomodo in « fornace aurificis palea servit auro, ubi sine dubio « palea consumitur, aurum probatur.

18. — Enimvero certum est, Judæos minime se excusare potuisse, dicendo quod Christum verum Messiam esse minime agnoverint ; siquidem ipsemet Salvator de ipsis dicit, *Joan.*, XV, 22 : *Nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Et quidem divina dispositione utique factum est, quod Pilatus malitiam eorum perspicue detexerit, prout Evangelista haud obscure indicat, dum ait, *Matt.*, XXVII, 18 : *Sciebat enim, quod per invidiam tradidissent eum.* Unde clare licet colligere, quod verba illa Salvatoris : *Arbitretur se obsequium præstare Deo*, idem significent, ac si clarius diceret : Mundo persuadere satagunt, se ad mortem Apostolis inferendam, per prætextum et zelum religionis moveri, cum tamen revera in multis eorum adimpletum fuerit, quod communiter dicitur : « Passione movemur, et zelum « putamus ; » ideo merito Deus lamentari de illis poterat, dicendo, *Isa.*, XLIII, 24 : *Servire me fecistis in peccatis vestris ;* siquidem divini cultus prætextu utebantur, ad invidiam et malignitatem suam celandam et abscondendam. Et ideo S. Augustinus hæc eadem Evangelii verba glossando, eos reprehendit, dicens : « Obsequium se putant præstare « Deo, interficiendo famulos Dei. O error horren- « dus ! Itane ut placeas Deo, percutis placentem « Deo, et templum Dei vivi te feriente prosternitur, « ut Dei templum lapideum deseratur ? »

Additio.

a. — *Absque synagogis facient vos.* Præmissa jam admonitione et tanto Spiritus Sancti auxilio promisso, clarius Christus Dominus refert persecutiones futuras : *Absque synagogis facient* vos ; id est, ejicient vos. S. Augustinus, *tract.* XCIII, *a synagogis ejicient vos* æstimat dictum ad consolationem Apostolorum, ac si diceretur : Judæi vos ejicient ex invidia nominis mei et doctrinæ vestræ ; sed ego vos colligam in novum populum mihi electum. Hæc est

divina bonitas, ut ex malis, quæ impii et mundani contra justos machinantur, præclara bona in eorum gloriam et exaltationem eliciat.

Divinæ justitiæ severitas detestabilem fratrum Josephi, ipsum pro vili pretio vendentium, excessum castigare volens, nullam aliam illis pœnam imposuit, præterquam Josephi ad regnum sublimationem et exaltationem, ut scilicet viderent impletum esse somnium, quod unicum fuerat livoris ipsorum motivum : « Solet enim Deus invidos « torquere, » inquit Oleaster, « augendo bona in « quibus invident. Non sit fuit ei Joseph ampliori « dilectione facere dignum, sed ostendit fratribus « fore eum eis præponendum in regno. » Divina enim et infallibilis cœli providentia iisdem mediis quibus ipsi uti statuerant ad evanidanda Josephi somnia, ipsa ad eum exaltandum, et ad somnia Josephi ad majorem ipsorum rabiem et tormentum adimplenda usa fuit. Enimvero, postquam in Ægypti carcere constricti hærebant, malæ conscientiæ quidem confessi sunt cruciatum qui eos tot annis interius torserat. Unde dicebant : *Merito hæc patimur quia peccavimus in fratrem nostrum.* Ultra hanc tamen pœnam aliam experti sunt, longe intensiorem, illam videlicet quam livor iis accersebat; « nam gravis hæc afflictio est, » inquit S. Chrysostomus, de eodem Josepho loquens, « et quando « animam invaserit, non prius eam relinquit, do- « nec in extremam absurditatem eam inducat; et « lædens animam, a qua nata est, omnino aliter « eum cui invidet afficit, quam vult, nempe clario- « rem, nobiliorem, illustriorem reddit. Unde ite- « rum plaga gravior invido nascitur. »

VERSUS 3.

Et hæc facient vobis, quia non noverunt Patrem, neque me.

1. — Rupertus Abbas Tuitiensis hæc verba de odio exponit, quo Judæi erga ipsum et Patrem suum æternum ferebantur, quasi Salvator clarius dicere vellet, hoc unicum futurum esse, persecutionis in Apostolos movendæ motivum : « Ac si « dicat : Idcirco vos non solum absque synagogis « facient, sed etiam interficient, quia oderunt me, « et Patrem meum; cum enim supra dixerit : « *Nunc autem viderunt et oderunt me, et Patrem* « *meum;* itemque : *Nunc autem excusationem non* « *habent de peccato suo,* non utique ignorantiam « excusat, sed odium cognoscere nolentium con- « demnat, dicendo : *Quia non noverunt Patrem,* « *neque me.* »

2. — Chrysostomus, *Hom.* LXXVI *in Joan.*, ut discipulos ad quamvis adversitatem constanter tolerandam excitet, rationem satis potentem et efficacem in persona Salvatoris, his verbis adducit : « Hoc vos satis soletur, quod propter me et Patrem « hoc patiamini; si quis pro charissimis aliquid « passus est, gloriatur; si quis propter Deum quid « toleret, quam sentire molestiam putandum est. »

3. — Per hoc verbum, *noverunt*, agnitionem interpretari possumus, *Exod.*, I, 8 : *Surrexit Rex, qui ignorabat Joseph,* id est, se erga beneficia illi regno collata, gratum in ipsum non exhibuit : eodem modo de Judæis dicere possumus, qui immensa a Deo recepta beneficia per ingratitudinem summam semper compensarunt, prouti ipsemet in principio prophetiæ Isaiæ graviter conqueritur.

4. — Unica causa, ob quam Deus adeo temere et faciliter offenditur, est, quia non cognoscitur; non cognoscitur autem, quia lumen et notitia ejus plane negligitur. Si enim anima aliqua hanc notitiam haberet, utique eum mortaliter offendendo, adversus eum non armaretur. Prima præda, quam Antiochus verus inimicus infernalis, e templo Hierosolymitano sustulit, fuit candelabrum luminis, I *Mach.*, I, 25 : *Accepit candelabrum luminis,* ut exinde intelligemus, quod primum, quod dæmon facit, postquam in mysticum animæ nostræ templum aditum accepit, hoc sit, quod videlicet hoc lumen notitiæ Dei ab eadem auferat; corvus pariter hanc habet proprietatem, quod mox, ut cadaver aliquod depascendum invasit, oculos ejusdem erutos devoret. De protoparentibus nostris, a tortuoso serpente in ipsorum prævaricatione seductis Spiritus Sanctus dicit, quod, postquam in conspectum Dei venerunt, *Aperti sunt oculi amborum,* quia, ut optime Origenes meditatur : « Quos prius habuerunt perpicuos « animæ oculos, fruentes Deo, et Paradiso, eos, ut « opinor, propter peccatum clauserunt. » *Lux obtenebrescet,* inquit Job, XVIII, 7, de homine Deo rebelle, *in tabernaculo illius, et lucerna, quæ super eum est, extinguetur,* quid autem ex hac obscuritate tandem consequitur, lapsus enormes in præcipitia horrenda, quia nullum deinceps est peccatum adeo enorme, quod non committat : *Et præcipitabit eum consilium suum.*

5. — Apostolus Hebræis veram personæ Christi notitiam defuisse existimat, I *Cor.*, II, 8 : *Nemo principum hujus sæculi cognovit, si enim cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Plurimas quidem habebant occasiones credendi ipsum vere esse Dei Filium, attamen in ignorantia et cæcitate sua persistere maluerunt, ut tanto liberius suam adversus ipsum conceptam invidiam et malignitatem evomere possent, et ideo ignorantia eorum plane affectata fuit, impossibile enim est, quod qui divinitatis et majestatis illius supremæ lumen et notitiam habet, eamdem offendere possit. Et hæc est causa, cur peccatum erroris et ignorantiæ titulo appellietur : *Delicta juventutis meæ, et ignorantias meas ne memineris; delicta quis intelligit?* S. Ambrosius legit, *lapsus.* S. Hieronymus vertit, *errores.* Aquila habet, *ignorantias.* Davidem, quæso,

tum in statu peccati, tum in statu gratiæ et amicitiæ Dei consideremus : dum enim Regis huic adulterii peccato immerso annuntiaretur totum ejus dissipatum esse exercitum, et inter cæteros fideles ejus milites etiam occubuisse Uriam, cujus ipse homicida fuerat, parum inde conturbationis persensit : *Non te frangat ista res;* at vero quando Dei lumine illustratus pro vitæ suæ defensione Saulem occidere poterat, non solum id non fecit, sed cum regiæ vestis lymbum, seu fimbriam duntaxat præscidisset, statim *percussit cor suum, eo quod abscidisset oram chlamydis Saul*; et ideo de statu peccati, in quo erat, loquens, ait : *Dereliquit me virtus mea, et lumen oculorum meorum, et ipsum non est mecum.* Hugo Cardinalis circa illa verba : *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum,* dicit : « Hoc lumen relinquit « hominem propter peccata ejusdem. » Semper mihi visa sunt valde admiranda illa Josephi verba, quibus se dominæ suæ, cum ad secum peccandum non tam exstimulanti, quam violenter cogere volenti, opposuit; ita enim eam alloquebatur, *Gen.*, XXXIX, 9 : *Ecce dominus meus omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo sua, nec quidquam est, quod non in meo sit potestate, præter te, quæ uxor ejus es; quomodo ergo possum hoc malum facere, et peccare in Deum meum?* Imitetur quælibet anima hanc Josephi pro tuenda innocentia conscientiæ suæ generositatem, proponat sibi ob oculos immensa et infinita, quæ a Deo Creatore et Redemptore suo recepit beneficia; reflectat se ad divinam ejus omnipotentiam, bonitatem, majestatem, justitiam, infinitatem et æternitatem, omniaque alia divina attributa illius, hoc enim si serio fecerit, certo experietur, quod mox, ubi aliqua ei ipsum offendendi suggestio in mentem obvenerit, apud se in corde dicturus sit : *Quomodo possum,* etc. Quanto enim hoc lumen majus fuerit, tanto major quoque timor et reverentia erit, quam erga Deum homo concipiet.

Additiones.

a. — *Hæc facient vobis quia non noverunt Patrem neque me.* Nulla ratione certe mirandum est quod Judæi tam fuerint credules in discipulos Domini, quia scire noluerunt Patrem Christi esse Deum, neque Christum esse Filium Dei. Quod tamen tantis miraculis ac Prophetarum vaticiniis ac rationibus ipsis probatum fuit. Ita quoque mirandum non est quod plerique homines tam sint in animas suas crudeles, ut illas pro levi voluptacula æternis mancipare non vereantur incendiis; siquidem non sciunt, aut cum possent, nolunt scire quantum sit animæ etiam unius pretium. Modica enim æstimatio qua animam apprietiamur, ex modica oritur notitia quam ex defectu applicationis nostræ de ipsa habemus. Vir ille qui secundum cor Dei erat, ille ipse est qui ait : *Anima mea in manibus meis semper. Psal.* CXVIII, 103. Animam coram se positam esse et in manibus a se portari dicebat, ad eum modum quo rem aliquam pretiosam nobisque unice charam in manibus portare solemus, seu quod idem est, seriam valde circa animam proprium reflexionem habebat, atque ideo tantopere gratus acceptusque erat, ut de eo diceret : *Inveni virum secundum cor meum.* Idem quoque universo generi humano summa qua poterat cum eloquentia inculcare nitebatur, ut tantum thesaurum qualis est anima, toto animi conatu consideraret, eique custodiendæ incumberet, ideoque omnes ad se auscultandum convocabat dicens : *Venite et narrabo, omnes qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ;* ubi Albertus Magnus ait : « *Narrabo quanta fecit animæ meæ,* ut scia- « tis quid faciat vestræ, nisi per vos steterit. »

Terribilis est illa a Sponso sponsæ suæ in sacris Canticis, intentata comminatio : *Si ignoras te, o pulcherrima, inter mulieres,* inquit, *egredere, et abi post vestigia gregum et pasce hædos tuos;* quasi dicere vellet, anima quæ sui pretium, valorem, nobilitatem et dignitatem non agnoscit, eo tandem prolabitur, ut sensualitati et brutalibus appetitibus suis in prædam cedat. Et certe unica hæc causa est, cur tot innumerabiles animæ perdantur. Unde S. Leo merito exclamat dicens : « Expergiscere, o « homo, et dignitatem tuæ agnosce naturæ. »

Porro causa cur protoparentes adeo velociter ex dignitate adeo sublimi, qualis status innocentiæ et justitiæ originalis erat, prolapsi fuerint, hæc unica fuit, quia videlicet inæstimabilem illum animæ suæ thesaurum non agnoverint, nec pro dignitate sua et merito æstimarint; siquidem illa ad imaginem et similitudinem Dei creata fuerat, ut proinde illis dici potuerit : *Estis sicut dii.* Unde David, Ps. XLVIII, 13, postquam dixisset : *Homo cum in honore esse non intellexit,* mox præcipitium, in quod turpiter corruit, subjungit dicens : *Comparatus est jumentis insipientibus et similis factus est illis.*

b. — Hoc verbum, *noverunt,* importat beneficiorum cum gratitudine recognitionem; sic enim dicitur de Pharaone : *Surrexit rex, qui non noverat Joseph.* Utique cognoscebat illum, cum adeo publica esset ejus famæ notitia, sed indicat quod beneficia non considerarit, quæ regnum illud a Joseph perceperat; atque hoc modo potest Christus de multis conqueri quod non noverunt Patrem, neque ipsum; nam etiam hodie, quod Pater nobis suum tradidit Filium, et Filius suam nobis tradidit vitam, et sanguine suo nos redemit, non attendunt, nec considerant; unde etiam ad alia beneficia percipienda inhabiles reddimur. Ingratitudo enim gratiarum Dei arefacit fontem, dum ingratum iis recipiendis fruendisque indignum facit. Ratio autem, quare ingratitudo steriles faciat, cæteroquin benignos nimis, beneficentiæ divinæ influxus, consistit in eo

quod debita in nobis deficiat correspondentia et recognitio; quis enim unquam super infœcundam seminavit arenam? Aut super saxa sufficienti ad sementem nutriendum aut fructificandum, humore destituta? Sane Salvator noster se Filium professus est Patris illius, qui hanc agriculturæ professionem optime callebat : *Pater meus agricola est.*

VERSUS 4.

Sed hæc locutus sum vobis, ut, cum venerit hora eorum reminiscamini, quia ego dixi vobis.

1. — S. Augustinus, *tract.* XCIII *in Joan.*, ait : « Hora eorum, hora tenebrosa, hora nocturna, sed « in die mandavit Dominus misericordiam suam et « in die declaravit, quando nox Judæorum separa- « tum a se diem Christianorum nulla confusione « fuscavit, et quando carnem occidere potuit, fidem « tenebrare non potuit. »

2. — Porro hæc futurorum eventuum ipsorum prædictio, non solum eo ordinata fuit, ut se patientia obarmarent, sed etiam, ut quam ex illis persensuri erant animi angustiam in eis, per eamdem sublevaret. Unde Albertus Magnus ait : « Continen- « tia verborum Domini confirmat fidem in ipsum, « et immobilitat cor a dictis, et facit, ut ea etiam, « quæ ab hostibus fiunt, minus lædant; » adducit S. Gregorii auctoritatem, dicentis : « Jacula prævisa « minus feriunt et nos tolerabilius mundi mala sus- « cipimus, si contra hæc præscientiæ clypeum præ- « munimur. » S. Cyrillus Alexandrinus similiter ita scribit : « Optima et utilissima est illa prædictio, « quæ gravium malorum metum præmollit et quasi « jam ea expertos ad animi virtutem revocat, re- « frigescit enim quodammodo periculi æstus ante « prævisus, et lenius invadit. »

3. — S. Thomas, *in Joan.*, prædictionem hanc ad duo præcipue magnopere conduxisse scribit. Primo enim, dum in tribulationibus positi, ea, quæ iis a Christo prædicta fuerant, mente recoluerunt : « Cognoverunt ejus divinitatem et magis confisi « sunt de ejus adjutorio. » Secundo, ob præscientiam, quam habuerunt de malis imminentibus, minus ex iisdem perpessi sunt afflictionis : « Sic ergo « duplici de causa, tribulationes prænuntiat, ad « spem eorum sublevandam de ejus adjutorio et ad « tristitiam minuendam. »

4. — Hugo Cardinalis verba illa in hunc modum explicat : « Prædixi, ne ignoretis, et ut ab his etiam « cætera credibilia æstimetis, quia ego dixi vobis, « ut credatis me esse Deum, qui hæc præscivi, et « ut sit vobis consolatio, ea præscivisse. » Tametsi enim illis persecutiones et strages tam ab Hebræis, quam a Gentilibus inferendas prænuntiarit, simul tamen eodem tempore illos consolatus est, tum per anticipatam illam prædictionem, tum per communicatam illis de divinitate sua, fidei certitudinem et securitatem, I *Cor.*, x, 13 : *Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.* Mundus vero illius, quod benignissimus Salvator noster præstitit, omnino oppositum facit. Hic enim rosam exhibet, id est, gaudia, delicias et voluptates, quæ nobis blandiendo nos decipiunt; sed spinas periculorum et adversitatum, quas annexas habet rosa illa, abscondit. Christus e contra prædicit adversa, at vero exitum promittit et prædicit favorabilem et Spiritus Sancti auxilium.

5. — Salvator noster laboriosam et ærumnosam Apostolorum vitam, horam appellat : *Ut cum venerit hora eorum*, etc., quia verissimum est, quod si illa cum vita æterna et cœlesti beatitudine comparetur, omnis tribulatio, quantumcumque gravis, aut longa fuerit, brevis et momentanea esse unicuique videbitur, II *Cor.*, IV, 17 : *Momentaneum et leve tribulationis nostræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.*

FESTUM SACRATISSIMUM PENTECOSTES

EVANGELIUM JOANNIS, CAP. XIV, VERS. 23

23. Si quis diligit me, sermonem meum servabit; et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.

24. Qui non diligit me, sermones meos non servat. Et sermonem quem audistis non est meus, sed ejus, qui misit me Patris.

25. Hæc locutus sum vobis apud vos manens.

26. Paracletus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis.

27. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis : non quomodo mundus dat, ego do vobis. Non turbetur cor vestrum, neque formidet.

28. Audistis quia ego dixi vobis : Vado et venio ad vos. Si diligeretis me, gauderitis utique, quia vado ad Patrem : quia Pater major me est.

29. Et nunc dixi vobis, priusquam fiat; ut cum factum fuerit, credatis.

30. Jam non multa loquar vobiscum. Venit enim princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam.

31. Sed ut cognoscat mundus quia diligo Patrem, et sicut dedit mihi Pater, sic facio.

Explanatio hujus Evangelii desideratur.

VERSUS 23.

Si quis diligit me, sermonem meum servabit; et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.

Additiones.

a. — *Si quis diligit me*, etc. Difficultas hic est, quod cum fide catholica pro certo tenendum sit, quod Deus nos prius amat, quam ipsum amemus, juxta illud Joannis, I *Epis.*, IV, 19 : *Ipse prior dilexit nos;* nam per suum eximium amorem, Deus nos prævenit, intellectum illuminando, voluntatem accendendo, ipseque per auxilium suum nos excitat, ac promovet, ad fidem, charitatem, pœnitentiam, ac contritionem, ipseque ad eliciendum actum fidei, charitatis, pœnitentiæ, nos adjuvet. Cum ergo prius sit amor divinus, cur ergo Christus amorem, de illo instituens, suum erga nos non exprimit, sed prius nostrum apponit? Morali ratione respondetur. Ille primus Dei amor est donum mere gratuitum, ex summa ejus liberalitate, ac pietate in nos descendens : *Ipse gratis dilexit nos.* At noster amor, obsequii ac famulatus rationem induit. Illius nos igitur volens reddere memores, ad gratitudinem excitare voluit, ut illa, quæ ingratis destinata sunt, supplicia evadamus. Quo enim majora sunt beneficia, eo severiora sunt supplicia ingratorum.

Inter omnes mundi nationes, nulla est, quæ excellentioribus a Deo beneficiis affecta fuerit, quam natio Hebræorum. Unde David inquit, *Psal.* CXLVII, 20 : *Non fecit taliter omni nationi.* At vero quia se erga Deum ingratissimam exhibuit, merito est, et erit in finem usque sæculorum omnium miserabilior et vita perosior : « Judæi enim ingra- « tissimi de beneficiis Christi, » inquit S. Antoninus, « ut eum crucifigerent, capta tandem Jero- « solyma, post mortem innumerabilium, ferro, « peste et fame dispersi sunt per orbem. » Legatur Psalmus CV. Ibi namque David innumerabilia refert bona, quibus Hebræos adauxit, quibus detestabilem eorum contra ponit ingratitudinem. S. Antoninus insuper considerat quod tametsi Dei iram multis criminibus horrendis irritarint, nimirum murmurando contra ejus providentiam, adorando vitulum aureum et alia idola, etc., nihilominus sive per intercessionem Moysis, sive per supplicia de eis a principibus extraneis, cui subjecti fuerunt, desumpta, vel per alia severa flagella eos percutiendo, non taliter exterminati sunt. At vero quando beneficia ad summum usque excreverunt, adeo ut Deus illis Unigenitum Filium suum miserit, tunc, « addentes summam ingratitudinem, Deus disper- « sit in universum in servos et ancillas, destructa « usque ad fundamenta civitate Jerusalem. » Subdit vero idem Sanctus : « Hæc autem facta sunt propter « nos, ait Apostolus, I *Cor.*, x. Fuit enim iste po- « pulus figurativus populi Christiani. Unde ita « domum evenient Christianis et pejora, si ingrati « fuerint inventi. » Tum enim severissimum merito timere debemus supplicium quando multis ab eo cumulati beneficiis, conscientia nos ingratos fuisse redargueriit.

Davidem considerare libet, solius adulterii et homicidii reum, et nihilominus gravi propterea subjectum punitioni, prout Nathan Propheta ex parte Dei illi denuntiavit; quamvis enim, dum rex proferret verbum *peccavi*, audire meruerit : *Dominus quoque transtulit peccatum tuum;* hoc tamen de culpa, non vero secundum pœnam intelligitur; siquidem postmodum adimpletæ fuerunt pœnæ sequentes : *Non recedet gladius de domo tua usque in sempiternum : suscitabo super te malum de domo tua, tollam uxores tuas in oculis tuis*, etc. Nonne plures alii execrabiliores, pluresque admiserant excessus; et nihilominus justitia divina suum contra eos non exerui mucronem adeo severum? Quæ itaque tam differentis supplicii est ratio? Audite D. Chrysostomum, qui illi Psalmistæ confessioni : *Tibi soli peccavi et malum coram te feci*, intentus ita discurrit : « Multa et ampla beneficia a te accepi; contrariis « autem rebus vicem tibi rependi. » Moxque subjungit idem S. Doctor, inquiens : « Maxima iniqui- « tas adversum ipsummet Deum a quo electus, ac « rex effectus fuerat; recte autem adjunxit : *Malum* « *coram te feci.* »

b. — Non tantum de dilectione hic nos monet Dominus, ut ad gratitudinem excitet, sed etiam illud insinuat, per quod grati esse possimus, dicens, *sermonem meum servabit;* quia si amorem Dei erga te reciproco amore in vicem gratitudinis recompensare volueris, mandata ejus infallibiliter observabis; nam beneficiorum divinorum recognitio legis divinæ observantiæ cooperatur; modo eum

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quod debita in nobis deficiat correspondentia et recognitio; quis enim unquam super infœcundam seminavit arenam? Aut super saxa sufficienti ad sementem nutriendum aut fructificandum, humore destituta? Sane Salvator noster se Filium professus est Patris illius, qui hanc agriculturæ professionem optime callebat : *Pater meus agricola est.*

VERSUS 4.

Sed hæc locutus sum vobis, ut, cum venerit hora eorum reminiscamini, quia ego dixi vobis.

1. — S. Augustinus, *tract.* XCIII *in Joan.*, ait : « Hora eorum, hora tenebrosa, hora nocturna, sed « in die mandavit Dominus misericordiam suam et « in die declaravit, quando nox Judæorum separa- « tum a se diem Christianorum nulla confusione « fuscavit, et quando carnem occidere potuit, fidem « tenebrare non potuit. »

2. — Porro hæc futurorum eventuum ipsorum prædictio, non solum eo ordinata fuit, ut se patientia obarmarent, sed etiam, ut quam ex illis persensuri erant animi angustiam in eis, per eamdem sublevaret. Unde Albertus Magnus ait : « Continen- « tia verborum Domini confirmat fidem in ipsum, « et immobilitat cor a dictis, et facit, ut ea etiam, « quæ ab hostibus fiunt, minus lædant; » adducit S. Gregorii auctoritatem, dicentis : « Jacula prævisa « minus feriunt et nos tolerabilius mundi mala sus- « cipimus, si contra hæc præscientiæ clypeum præ- « munimur. » S. Cyrillus Alexandrinus similiter ita scribit : « Optima et utilissima est illa prædictio, « quæ gravium malorum metum præmollit et quasi « jam ea expertos ad animi virtutem revocat, re- « frigescit enim quodammodo periculi æstus ante « prævisus, et lenius invadit. »

3. — S. Thomas, *in Joan.*, prædictionem hanc ad duo præcipue magnopere conduxisse scribit. Primo enim, dum in tribulationibus positi, ea, quæ iis a Christo prædicta fuerant, mente recoluerunt : « Cognoverunt ejus divinitatem et magis confisi « sunt de ejus adjutorio. » Secundo, ob præscientiam, quam habuerunt de malis imminentibus, minus ex iisdem perpessi sunt afflictionis : « Sic ergo « duplici de causa, tribulationes prænuntiat, ad « spem eorum sublevandam de ejus adjutorio et ad « tristitiam minuendam. »

4. — Hugo Cardinalis verba illa in hunc modum explicat : « Prædixi, ne ignoretis, et ut ab his etiam « cætera credibilia æstimetis, quia ego dixi vobis, « ut credatis me esse Deum, qui hæc præscivi, et « ut sit vobis consolatio, ea præscivisse. » Tametsi enim illis persecutiones et strages tam ab Hebræis, quam a Gentilibus inferendas prænuntiarit, simul tamen eodem tempore illos consolatus est, tum per anticipatam illam prædictionem, tum per communicatam illis de divinitate sua, fidei certitudinem et securitatem, I *Cor.*, x, 13 : *Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.* Mundus vero illius, quod benignissimus Salvator noster præstitit, omnino oppositum facit. Hic enim rosam exhibet, id est, gaudia, delicias et voluptates, quæ nobis blandiendo nos decipiunt; sed spinas periculorum et adversitatum, quas annexas habet rosa illa, abscondit. Christus e contra prædicit adversa, at vero exitum promittit et prædicit favorabilem et Spiritus Sancti auxilium.

5. — Salvator noster laboriosam et ærumnosam Apostolorum vitam, horam appellat : *Ut cum venerit hora eorum*, etc., quia verissimum est, quod si illa cum vita æterna et cœlesti beatitudine comparetur, omnis tribulatio, quantumcumque gravis, aut longa fuerit, brevis et momentanea esse unicuique videbitur, II *Cor.*, IV, 17 : *Momentaneum et leve tribulationis nostræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.*

FESTUM SACRATISSIMUM PENTECOSTES

EVANGELIUM JOANNIS, CAP. XIV, VERS. 23

23. Si quis diligit me, sermonem meum servabit; et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.

24. Qui non diligit me, sermones meos non servat. Et sermonem quem audistis non est meus, sed ejus, qui misit me Patris.

25. Hæc locutus sum vobis apud vos manens.

26. Paracletus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis.

27. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis : non quomodo mundus dat, ego do vobis. Non turbetur cor vestrum, neque formidet.

28. Audistis quia ego dixi vobis : Vado et venio ad vos. Si diligeretis me, gauderitis utique, quia vado ad Patrem : quia Pater major me est.

29. Et nunc dixi vobis, priusquam fiat; ut cum factum fuerit, credatis.

30. Jam non multa loquar vobiscum. Venit enim princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam.

31. Sed ut cognoscat mundus quia diligo Patrem, et sicut dedit mihi Pater, sic facio.

Explanatio hujus Evangelii desideratur.

VERSUS 23.

Si quis diligit me, sermonem meum servabit; et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.

Additiones.

a. — *Si quis diligit me*, etc. Difficultas hic est, quod cum fide catholica pro certo tenendum sit, quod Deus nos prius amat, quam ipsum amemus, juxta illud Joannis, I *Epis.*, IV, 19 : *Ipse prior dilexit nos;* nam per suum eximium amorem, Deus nos prævenit, intellectum illuminando, voluntatem accendendo, ipseque per auxilium suum nos excitat, ac promovet, ad fidem, charitatem, pœnitentiam, ac contritionem, ipseque ad eliciendum actum fidei, charitatis, pœnitentiæ, nos adjuvet. Cum ergo prius sit amor divinus, cur ergo Christus amorem, de illo instituens, suum erga nos non exprimit, sed prius nostrum apponit? Morali ratione respondetur. Ille primus Dei amor est donum mere gratuitum, ex summa ejus liberalitate, ac pietate in nos descendens : *Ipse gratis dilexit nos.* At noster amor, obsequii ac famulatus rationem induit. Illius nos igitur volens reddere memores, ad gratitudinem excitare voluit, ut illa, quæ ingratis destinata sunt, supplicia evadamus. Quo enim majora sunt beneficia, eo severiora sunt supplicia ingratorum.

Inter omnes mundi nationes, nulla est, quæ excellentioribus a Deo beneficiis affecta fuerit, quam natio Hebræorum. Unde David inquit, *Psal.* CXLVII, 20 : *Non fecit taliter omni nationi.* At vero quia se erga Deum ingratissimam exhibuit, merito est, et erit in finem usque sæculorum omnium miserabilior et vita perosior : « Judæi enim ingra- « tissimi de beneficiis Christi, » inquit S. Antoninus, « ut eum crucifigerent, capta tandem Jero- « solyma, post mortem innumerabilium, ferro, « peste et fame dispersi sunt per orbem. » Legatur Psalmus CV. Ibi namque David innumerabilia refert bona, quibus Hebræos adauxit, quibus detestabilem eorum contra ponit ingratitudinem. S. Antoninus insuper considerat quod tametsi Dei iram multis criminibus horrendis irritarint, nimirum murmurando contra ejus providentiam, adorando vitulum aureum et alia idola, etc., nihilominus sive per intercessionem Moysis, sive per supplicia de eis a principibus extraneis, cui subjecti fuerunt, desumpta, vel per alia severa flagella eos percutiendo, non taliter exterminati sunt. At vero quando beneficia ad summum usque excreverunt, adeo ut Deus illis Unigenitum Filium suum miserit, tunc, « addentes summam ingratitudinem, Deus disper- « sit in universum in servos et ancillas, destructa « usque ad fundamenta civitate Jerusalem. » Subdit vero idem Sanctus : « Hæc autem facta sunt propter « nos, ait Apostolus, I *Cor.*, x. Fuit enim iste po- « pulus figurativus populi Christiani. Unde ita « domum evenient Christianis et pejora, si ingrati « fuerint inventi. » Tum enim severissimum merito timere debemus supplicium quando multis ab eo cumulati beneficiis, conscientia nos ingratos fuisse redargueriit.

Davidem considerare libet, solius adulterii et homicidii reum, et nihilominus gravi propterea subjectum punitioni, prout Nathan Propheta ex parte Dei illi denuntiavit; quamvis enim, dum rex proferret verbum *peccavi*, audire meruerit : *Dominus quoque transtulit peccatum tuum;* hoc tamen de culpa, non vero secundum pœnam intelligitur; siquidem postmodum adimpletæ fuerunt pœnæ sequentes : *Non recedet gladius de domo tua usque in sempiternum : suscitabo super te malum de domo tua, tollam uxores tuas in oculis tuis*, etc. Nonne plures alii execrabiliores, pluresque admiserant excessus; et nihilominus justitia divina suum contra eos non exerui mucronem adeo severum? Quæ itaque tam differentis supplicii est ratio? Audite D. Chrysostomum, qui illi Psalmistæ confessioni : *Tibi soli peccavi et malum coram te feci*, intentus ita discurrit : « Multa et ampla beneficia a te accepi; contrariis « autem rebus vicem tibi rependi. » Moxque subjungit idem S. Doctor, inquiens : « Maxima iniqui- « tas adversum ipsummet Deum a quo electus, ac « rex effectus fuerat; recte autem adjunxit : *Malum* « *coram te feci.* »

b. — Non tantum de dilectione hic nos monet Dominus, ut ad gratitudinem excitet, sed etiam illud insinuat, per quod grati esse possimus, dicens, *sermonem meum servabit;* quia si amorem Dei erga te reciproco amore in vicem gratitudinis recompensare volueris, mandata ejus infallibiliter observabis; nam beneficiorum divinorum recognitio legis divinæ observantiæ cooperatur; modo eum

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

corde puro et mundo tributum hunc exsolvamus.

Quamnam existimatis esse causam, quod faciliter adeo perversis appetitibus nostris frena laxemus? Audite Jeremiam, II, 12 : *Desolatione desolata est omnis terra, quia nullus est qui recogitet corde*; nullus qui oculum, multoque minus mentem et memoriam, ad beneficentiam divinam continuo in beneficium nostrum adeo prodigam, intentam habeat; et hinc fit, quod conscientia omni culparum genere sine metu coinquinetur. Vultisne scire quisnam conscientiam puram et mundam retineat? Is nimirum qui gratias a Deo receptas in corde suo jugiter commemorat. Vultisne hujus evidens exemplum? Ne Davidem prætereamus, considerandum, quod hic ex industria nocte diesque immensa bona, quibus anima ejus a Deo cumulata fuerat, per ferventem orationem fuerit meditatus, unde ait, *Psal.* LXXVI, 6 : *Cogitavi dies antiquos; meditatus sum nocte cum corde meo*; « id est, » ut Genebrardus exponit, « præterita tempora et ea quæ olim Deus « beneficia præstitit. » Nimirum quod a pecorum custodia abreptus, ad regnum sublimatus fuerit, a tot periculis evaserit, totque gloriosas victorias ab hostibus suis retulerit. At vero quidnam ex hac consideratione consecutum fuit? Exactissimum nimirum conscientiæ examen : *Exercitabam*, inquit, *et scopebam spiritum meum*; id quod cum his aliis verbis, *Psal.* CXVIII, 112 : *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas, propter retributionem*, optime convenit; nam ut D. Chrysostomus, *in Hom.* XXVI *super Genesim*, inquit : « Dum nos non videmur « indigni ejus beneficiis, statim vitam egregiam « instituemus et malitiæ periculum effugiemus; « beneficiorum enim memoria idonea nobis est « magistra ad vitam virtute præditam. »

Porro ad hoc ut tributum laudum et gratiarum actio Deo grata sit, sequens conditio necessario requiritur, scilicet ut linguæ et voci cor purum et mundum conjungatur. Unde D. Chrysostomus, super illa verba Psalmi XLIX : *Laus ejus in Ecclesia sanctorum*, ita scribit : « Vides quomodo ante verba, « requirit gratiarum actionem, quæ fit per vitam et « bona opera? Non sufficit enim verbis solum gra- « tias agere, nisi etiam factorum virtus concurrat; « nam *laus ejus in Ecclesia sanctorum*. » Et in Psalmum XLIX ait : « Ita vivas ut Dominus tuus glo- « rificetur, juxta illa Christi verba : *Sic lucent luce « vestra coram hominibus ut videant opera vestra « bona et glorificent Patrem vestrum*. Sit vita tua « ejusmodi ut tuus laudetur ac celebretur Dominus « et perfectum obtulisti sacrificium. » Idem quoque, in Psalmum CXII, ita scribit : « Oportet vitam suam « recte instituentem hymnos Dei canere; non est « enim pulchra laus in ore peccatoris; secundo non « verbis solum sed etiam factis laudare oportet et « hanc laudem Deus maxime requirit. » Idem quoque S. Doctor, Psalmistam Psalmum illum ab his verbis ordiri observat : *Laudate Dominum de cœlis, laudate eum in excelsis; laudate eum omnes Angeli ejus, laudate eum omnes virtutes ejus*; cujus hanc assignat rationem : « Ideo cum præcipit laudes « offerre, incipit a superioribus potestatibus sic di- « cens : *Laudate Dominum de cœlis, laudate eum in « excelsis*; oportet enim ita Angelum fieri et ita « laudare. Ne ergo hanc laudem rem esse levem « existimemus, sed ante os nostrum vita nostra « ipsum sonet, atque ante linguam conversatio cla- « met; ita enim vel tacenter Deum laudare possu- « mus. »

c. — Verum et infallibile veræ dilectionis Dei signum est, in vera fide legis ejus ac mandatorum observantia. Et illi abominabiles et veluti Dei hostes habentur, qui fidem quidem exterius profitentur veluti amici Dei, cum tamen eamdem per vitia et peccata, quæ legi suæ repugnant, negent. S. Apostolus Paulus Titum exhortans, ut Christianos illos, quos recenter ad legem Evangelicam comparaverat, bonis operibus mediantibus in fide confirmaret his eum verbis affatur : *Increpa illos dure, ut sani sint in fide*. Demum vero abusum quemdam inter Christianos novitios irrepisse indicat, qui deinceps per omnia sæcula, in Ecclesiam, cum ingenti illius præjudicio dimanavit, illum videlicet quem his verbis denuntiat : *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant. Tit.*, I, 16.

Observat S. Bonaventura rem aliquam quæ non vere, sed ficte talis est, non mœreri nomen quod illi attribuitur; sic enim, verbi gratia, leo depictus non est verus leo, scutum æneum non est aureum, licet tale esse videatur : « Tales autem, » inquit, « falsi sunt et ficti Christiani de quibus dicitur : « *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* » Porro Salvianus culpam Christiani aggravari dicit ex arctiori obligatione, qua Christiani strictius adstringuntur ad hoc, ut tanto fideliores sint in divino servitio, quanto magis gloriosum hoc fidelium præseferunt : « Ideo, » inquit, « hoc ipso Chris- « tiani deteriores sunt, quia meliores esse debe- « rent; non probant quod confitentur et impugnant « professionem suam moribus. Magis damnabilis « est malitia, quam titulus bonitatis excusat et « reatus impii est pium nomen. » S. Jacobus Apostolus Christianum bonis operibus destitutum, antidatis velim quo nomine expresserit : *Vis scire*, inquit, *o homo inanis, quoniam fides sine operibus mortua est?* Ac proinde S. Ephrem de eisdem scribit : « Vere mortui sunt omnes qui Deum nosse « profitentur, factis autem negant, cum sint exe- « crabiles et increduli et ad omne opus bonum « reprobi. »

S. Isidorus Pelusiota, in epistola quadam, de fide quæ profitenda erat, disserens, modum illam profitendi tradit, ut professio talis æternæ saluti comparandæ proficua sit; dicit enim breviter : « Fides « operibus potius quam sermonibus prædicari de- « bet; » ad idque probandum illum S. Pauli textum supra citatum adducit : *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant*, et demum subjungit : Divinum oraculum clamat : *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me*. Quale autem damnum ex ejusmodi professione secundum exteriorem tantum apparentiam facta resultet, protinus subjungit Deus, inquiens : *Frustra colunt me*, quasi dicere vellet : Tales inutiliter et sine fructu fidelium nomine insigniuntur, nam « ex operibus et non ex « sermonibus quæ abdita sunt, indicari debent. » S. Bernardus quidam solo nomine Christiano, malis autem moribus gentili, acriter sed convenienter his verbis improperat : « Confiteris te nosse Deum, « factis autem negas? Non recte plane, sed impie, « linguam Christo, animam dedisti diabolo. » At vero, ut idem mellifluus Doctor ait : « Quænam est « stulta hæc divisio, qua lingua Deo datur, fidem « ejus confitendo, animam vero quæ Creatori et « Redemptori suo mille titulis debetur, dæmoni « ceditur. »

d. — Dominus, in opere dilectionis nostræ erga ipsum, primum oculos conjicit in amorem cordis; tanti namque facit opera, quantus est amor et intentio bona, quæ ad ea impellit; et ita quamvis opera sint in se bona, sine hac intentione cordisque rectitudine, inutilia erunt et mortua. Sanctus Apostolus probe sciens quantam Deus in servitio, quod illi exhibetur, cordis et intentionis rectitudinem desideret et quantum alia ex parte hypocrisim detestetur, eumdem Deum in testem advocat, quod eidem in toto spiritu et sine fictione servierit, dicens, *Rom.*, I, 9 : *Testis mihi est Deus, cui servio in spiritu meo*. Unde S. Anselmus hunc textum exponens inquit : « *In spiritu meo*, id est, in affectu « mentis meæ, quia non per simulationem illi fa- « mulatum exhibeo, sed quicquid foris erga servi- « tutem ejus operor, hoc intus in voluntate cordis « similiter facio. »

Illa Dei Sponsi sui amore flagrans anima, de semetipsa dicit : *Nigra sum, sed formosa, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis*. Circa quorum verborum intelligentiam sciendum est tabernacula Cedar intus pulchra, speciosa et elegantia; quoad aspectum vero exteriorem vilia fuisse. Similiter pelles quibus Salomon arcam contegi fecit, intus auro splendebant, gemmisque et margaritis locupletissime distinctæ erant, foris autem rudes, viles turpesque cernebantur. Unde hisce verbis Sponsa cœlestis insinuare vult quod anima Regi gloriæ in hac præsenti vita se desponsare volens, hanc in se virtutem habere debeat, quod scilicet non sit apparenter et extrinsecus in oculis hominum, sancta, sed interius et in divino conspectu; quia sancta esse non vero apparere debet.

Apud S. Marcum, VII, reprehenduntur Pharissei, ob quosdam illorum ritus superstitiosos : *Pharisæi et omnes Judæi nisi crebro laverint manus, non manducant, tenentes traditionem seniorum; et a foro nisi baptizentur, non comedunt, et alia multa sunt, quæ tradita sunt illis servare, baptismata calicum et æramentorum et lectorum*. Circa quæ verba Albertus Magnus inquit : « Hæc observantia exterioris mun- « ditiæ non vituperatur, nisi per comparationem « ad interiorem immunditiam, quæ non curabatur « ab eis. » Ac proinde cœlestis Magister noster eos monuit, dicens : *Pharisæe cæce, munda prius quod intus est calicis et paropsidis, ut fiat id quod deforis est mundum*. Ubi idem Albertus Magnus ait : « Ca- « licis, hoc est cordis, a quo propinanda est sapien- « tia. » Unde Jeremias, IV, 14, ait : *Lava a malitia cor tuum Jerusalem*. Hugo Cardinalis, *in Matth.*, XXIII, similiter inquit : « *Munda prius, quod intus « est calicis*, quasi dicat : Utrumque mundari opor- « tet, et corpus, et animam, sed mundatio hæc « debet incipere ab interiori. »

e. — Sicuti ex fumo dignoscitur adesse ignem, sic ex observantia mandatorum dignoscitur quod quis Deum vere amet. Præcipua autem signa hunc amorem indicantia, sequentia sunt : nimirum, quod sit operativus; quod omni nos exuat affectu terreno, Deum per omnia desideret et cogitet, legem ejus adimpleat, tribulationes et adversa patiatur et non sentiat; denique quod sine ullo interesse aut commodo quæsito amet.

Amorem quo Deum prosequimur, in dubium merito revocare possemus an verus sit atque sincerus, cum sit actus quidam mere internus, qui sub oculorum aciem minime cadit, nisi S. Joannes opera nostra exteriora infallibilia interioris amoris signa esse diceret. Vulgatum est illud sancti cujusdam Patris dictum : « Probatio dilectionis, exhibi- « tio est operis. » S. Augustinus, *tract.* V *in Epis.* I *Joan.*, III, 18, ait : « Dilectio sola discernit inter « filios Dei et filios diaboli. Signent se omnes signo « crucis; respondeant, amen; cantent omnes, Alle- « luia; baptizentur omnes; intrent Ecclesias; an- « reos faciant parietes Ecclesiarum, non discernun- « tur filii Dei a filiis diaboli, nisi charitate. Magnum « indicium, magna discretio; quidquid vis habe, « hoc solum non habeas, nihil tibi prodest. Alia si « non habeas, hoc habe et implesti legem. » Idem, *tract.* VII *sup. Joan.*, dicit : « Omnes qui non dili- « gunt Deum, alieni sunt, Antichristi sunt. » Pergit ulterius idem sanctus Doctor, et dicit, mali quoque fidelium nomine appellari, sancto Baptismatis lavacro regenerati, spiritum prophetiæ habere, corpore et sanguine Salvatoris nostri cibari possunt : « Habere autem charitatem et mali esse non « possunt. » Sed audi S. Bernardum : « Tunc vere « Deum diligis, si pro amore illius bona quæ potes « operaris. » Porro amor in igne præfiguratur, quia hic in continuo motu existit, estque elemen-

tum maxime activum : *Iguem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur.* Itaque S. Gregorius ait : « Nunquam amor Dei est otiosus, operatur « enim magna, si est, si vero operari renuit, amor « non est. »

f. — Amor Dei est operativus. Sed quid hoc importat quod cum loquitur de amore dicit : *Si quis diligit me, sermonem meum servabit,* in singulari, cum autem de contrario, id est, non diligente loquitur, dicit : *Qui non diligit me, sermones meos non servat,* in plurali ? Ratio est, quod diligenti Deum, quæcumque a Deo præcipiuntur, parva et minima videntur; præceptorum enim observantia amore, quia omnia quantumvis aspera facilitat, suavis efficitur.

Omnia tam in antiquo quam novo Testamento, a divino Legislatore promulgata præcepta et leges, unicum duntaxat sibi propositum objectum habent, Dei nimirum dilectionem et amorem. Unde Apostolus ait : *Plenitudo legis est dilectio. Rom.,* XIII, 10. Hoc autem dilectionis præceptum omnia alia nobis facillima reddit, adeo ut viribus nostris superiora nequaquam existant : *Non supra te est, neque procul positum, nec in cœlo situm, ut possis dicere : Quis nostrum valet ad cœlum ascendere, ut deferat ad nos, ut audiamus atque opere compleamus? Neque trans mare positum, ut causeris et dicas : Quis ex nobis poterit transfretare mare, et illud ad nos usque deferre ? Sed juxta te est, in corde tuo.* Et hoc quidem Salvator noster forsitan insinuare voluit, dum ait : *Regnum Dei intra vos est,* id est, ut S. Thomas de Villanova ait : « Non a te maria intranda, non « terræ lustrandæ, non orbis terrarum circumcun- « dus tibi est; intra in corde tuo; in visceribus tuis « invenies. »

Porro si præceptorum, quæ nobis observanda incumbunt, substantiam consideremus, illa nequaquam gravia esse deprehendemus, sed potius summe facilia. Unde S. Joannes expresse dicit, II *Epis.,* V, 3 : *Hæc est charitas ut mandata custodiamus, et mandata ejus gravia non sunt.* Qua eadem de re S. Thomas de Villanova hunc in modum discurrit : « Audite fratres charissimi ; attendite et videte « qualia præcepta nobis injungit Deus noster, non « aspera, non difficilia, non gravia et impossibilia, « non lacerare carnes verberibus, non pedibus nu- « dis super ferreos tribulos ambulare, sed quid ? « *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et « ex tota anima tua.* »

Cur iterum, obsecro, incarnata Sapientia, sub numero singulari præcepta sua complectitur, non vero plurali, cum tamen revera plura sint quam unum ? Non enim dixit : *Sermones meos.* Nequaquam id vobis mirum videatur, quia tametsi antiquæ legis præcepta in universum sexcenta tredecim fuerint, attamen David qui vir secundum cor Dei fuit, dicebat : *Quomodo dilexi legem tuam, Domine! Tota die meditatio mea est;* quibus verbis omnia legis præcepta unum duntaxat esse insinuat. Similiter sancta illa anima, *Cant.,* I, 12 : *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi; inter ubera mea commorabitur.* Tametsi totus ille mandatorum Dei cumulus ingens et prægrandis atque ex myrrha, quæ amarissima est, compositus esset, sponsa tamen illum sinui suo adstringebat, interque ubera sua magna cum suavitate reconditum tenebat; scitisne causam ? S. Petrus Damianus ait : « Propterea non « fascem, sed fasciculum dicit dilectum, quod leve « pro amore ipsius ducat, quidquid laboris immi- « neat et doloris. » Idem quoque de Davide dicere possumus, quod videlicet propter excessivum, quo Deo prosequebatur, amorem, tot ei præceptorum observantia et perfecta adimpletio, unicum tantum ei visum fuerit præceptum. « Onus Christi leve « est, » ait S. Bernardus, « leve tamen amanti. » S. Chrysologus ait : « Fortem faciat vis amoris, « quia nil durum, nil amarum, nil grave, nil le- « thale computat amor verus. Quid ferrum ? quæ « vulnera ? quæ pœna ? quæ mortes amorem præ- « valent superare perfectum ? »

S. Augustinus veritatem hanc per pulchram quamdam a venatore deductam similitudinem deducit : hic enim magnam in corporis sui laboribus et defatigationibus recreationem positam habet, tum ob spem, qua prædæ inhiat, tum ob nimium quo in venatione fertur, affectum : « Nullo modo « sunt onerosi labores amantium, sed et ipsi delec- « tant, sicut aucupantium, venantium, piscantium. » Tandem vero magnam quam Deo turpiter irrogamus, nobis in faciem exprobrat, injuriam, dum ob venationis affectum, nullum sentimus laborem, et tamen tantum nobis in solo Dei servitio, laborem imaginamur, quod utique manifestum nimis est indicium, quod minime ipsum vere diligamus : « Vide quam pudendum sit, si delectat labor, ut « fera capiatur, et non delectat ut Deus acquira- « tur. »

g. — Remedium quoddam singulare, his verbis : *Si quis diligit me, sermonem meum servabit,* et Apostolis et nobis præscribit Dominus, quo imbecilles, omnia ejus præcepta et consilia, quantumvis ardua, opere exsequi possimus et in ejus famulatu diligenter permanere; si nimirum ejus procuremus amorem, eumque impensius amemus. Qui enim impensius amat, immetata quodammodo potentia ultra vires evalet. Jacob, *Genes.,* XXIX, longo itinere lassus sedet supra puteum, qui erat juxta urbículam Haran. Et ecce Rachel veniebat, cum ovibus patris sui; nam gregem ipsa pascebat : *Quam cum vidisset Jacob et sciret consobrinam suam, ovesque Laban avunculi sui, amovit lapidem, quo puteus claudebatur et adaquato grege, osculatus est eam.* Unus Jacob itineris longinquitate pedibus confecta lassatus, grandem de ore putei amovet lapidem, quem multa pastorum turba

amovere vix evalet. Unde nunc Jacobi tantus inest roboris vigor? Expende Moysis verba : *Quam,* Rachelem scilicet, *cum vidisset Jacob, amovit lapidem.* Vidit et amovit et ideo arcanæ animositatis vigore ultra vires audax, ejus honorem zelatur et confusionem avertit. O amantium officiositas ! Sit arduus licet Dei sermo, ament saltem et eumdem inviolatum zelabunt et servabunt; zelus enim qui suam radicem infixam amori Dei habet, iste maxime zelotem constituit et defensorem honoris Dei. *Dura sicut infernus æmulatio,* legitur in sacris Canticis. Anima amans et zelans honorem Dei, si videret infernum apertum, atrocitatemque omnium suarum pœnarum, non propterea cessaret aut formidaret, spretum Dei, quem amat, honorem et gloriam tueri ac defendere. Oritur ab amore zelus; sicut infernus nullis pœnis, nullis tormentis fatigatur ac mitescit sed semper valde obfirmatus consistit, ut ait Cassiodorus, ita æmulatio ac excellens zelus honoris Dei nullo timore nec aliquo vitæ vel mortis periculo frangitur, sed semper valde firmus persistit. Vel, ut ait D. Anselmus, « sicut infernus insatiabilis est in « recipiendo et in damno inferendo, ita zelus nun- « quam satiatur, ut pro honore dilecti patiatur. » Et ideo Christi zelus omnia devorabat, ut illæsa templi revera servaret.

Magdalena, sancto zelo pari amori, quem erga Christum gerebat, accensa, quia timebat, ne sacratissimum Christi corpus, post mortem, quando Judæorum adhuc expositum erat furori, surriperetur, omni studio illud investigabat, inquirebat, ut salvaret et ab omni injuria ulterius inferenda tueretur illud. Sed quomodo sola, sexu debilis et infirma, omni destituta auctoritate, alteriusque adminiculo, corpus tanti ponderis, quod Joseph ab Arimathea nobilis decurio a Præside ex summa gratia impetraverat, loco quovis dimovere et tollere poterat? Quomodo tantum onus humeris fœmineis impar sufferre potuisset ? *Et ego cum tollam,* ait illa : « O admira- « bilis mulieris audacia, » exclamat S. Thomas de Villanova; « o mulier non mulier ! Nullum locum « excipit, nihil anteponit, sine timore dicit, abso- « lute promittit : *Dicito mihi ubi posuistis eum et ego « eum tollam.* O mulier, magna est constantia tua, « magna est fides tua; sed quomodo mulier quæ « valetudine, quibus viribus, quo ingenio corpus « tam grave posses portare sola, cum una fueris « de portatoribus ad sepulchrum? Numquid tecum « tuas socias habere te credis? recesserunt. » Audite quomodo sanctus hic Prælatus concludat, loquendo in persona illius : « *Et ego cum tollam,* « amor enim impossibile ad possibile sua opinione « reducit et quod nequit efficere, posse se credit. »

Connexionem quæ reperitur inter zelum et amorem Dei, tangit quoque S. Bernardus, *Serm.* XLIV *in Cant.,* dicens : « Si amas Dominum Jesum, toto « corde, tota anima, tota virtute tua, numquid si « videris ejus injurias contemptumque, ferre ulla- « tenus æquo animo poteris? Minime, sed mox « arrepto spiritu judicii, et spiritu ardoris, et tan- « quam potens crapulatus a viro, repletus zelo Phi- « nees, dices cum David : *Tabescere me fecit zelus « meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei;* et « cum Domino : *Zelus domus tuæ comedit me.* »

h. — Nunquam amor Dei est otiosus. Vehementi amore Magdalena ardens, stans devolvitur ad pedes Jesu, eosque lacrymis rigare cœpit et capillis capitis sui tergere, eosque osculabatur ac unguento ungebat, ita ut dicat Christus : *Ex quo intravit, non cessavit osculari pedes meos. Luc.,* VII, 45. Ex quonam principio hæc mulier incessabiliter obsequia præstat, rigando, tergendo, osculando? Unde illi tantus ardor, ut ab opere non quiescat? De illo testatur Christus Dominus statim : *Dilexit multum.* Cum amor esset multus, nequivit esse otiosus et ab operibus justis non potuit cessare. Talis quoque est amor Dei erga nos, vi cujus semper in continuo est agendi exercitio, semperque operatur tum per Angelos, tum per naturam, prout in cœlis, elementis, arboribus et animalibus experimur, omnia ad nostram dirigendo utilitatem; sed excellentior est amor ille, qui varios excogitavit modos, quibus magis pro nobis pati posset.

Per omnium sæculorum experientiam liquido constat, humanam naturam nostram naturaliter mortem supra modum exhorrescere, ut proinde Ecclesiasticus dicat : *O mors, quam amara est memoria tua.* Et ideo unusquisque mortem pro viribus fugere satagit. Et tamen Redemptor noster, licet fragilem et mortalem carnem nostram assumpsisset, in se tamen verissimum esse ostendit, quod scilicet, *fortis est ut mors dilectio;* quia nihil adeo quæsivit aut desideravit, quam pati et torqueri pro nobis. Atque ideo sciens quod si talis inter nos comparuisset, qualis erat, scilicet, *splendor paternæ gloriæ,* eum utique homines nullis gravaturi fuissent injuriis : *Si enim cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent;* quamnam igitur existimalis ardentissimum ejus amorem cogitasse inventionem? S. Laurentius Justinianus inquit : « Ignitus amor « semper meditatur nova et insueta componit. Im- « patiens namque cum sit, cogitare non desinit, « quomodo ardentius diligat. » Hic igitur amor eum docuit excogitare modum induendi hominem, seque servili amictu accingendi, dicente Apostolo : *Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo. Humiliavit semetipsum usque ad mortem, mortem autem crucis.* Cumque præsens hæc vita nostra sedes sit belli, dicente Jobo : *Militia est vita hominis;* in eam hostilis exercitus partem, quæ densior et potentior erat, penetravit, seque incognitum Judaicæ impietatis ensibus et lanceis

immiscuit, ut per pœnosissimæ mortis suæ holocaustum condignam divinæ Justitiæ, ob nostra peccata exasperatæ, offerret satisfactionem et suam in nos ostentaret dilectionem.

i. — *Et Pater meus diliget eum.* Ingens certe amoris nostri præmium : *Et Pater meus diliget eum.* Loquebatur quondam Dominus de Beatitudinibus et unicuique assignat suum præmium : regnum cœlorum pauperibus, terra possidenda mitibus datur. At vero charitati, quæ omnium virtutum major est, non aliud præmium designatur, nisi amor : *Et Pater meus diliget eum.* Cur Domine non aliud præmium charitati est? Ecce diligenti, quamvis multa et ampla dones ad plenum, quæ ipsi debentur, non satisfacis, nisi ipsum amore reciproco prosequaris.

Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in ipsum non pereat. Ad exaggerandum amorem, quem erga aliquem gerimus, consuevimus dicere : Darem libram sanguinis mei pro vita ejus. Quid igitur dicemus aut quem conceptum de infinita Christi charitate faciemus, qui totum sanguinem suum pro nostra redemptione fudit? Hic amor a sanctis viris serio meditatus, eosdem in divino amore et in compassione erga Redemptorem ardentius semper accendebat. Unde S. Bernardus inquit, *Serm. xx in Cant.* : « Super « omnia reddit te amabilem mihi, bone Jesu, calix « quem bibisti, opus nostræ redemptionis. » Cui consonat sequens S. Augustini meditatio, dicentis : « Magna et multa, imo certe innumerabilia sunt, « quæ mihi Domine Deus contulisti beneficia, pro « quibus mihi diligendus et semper es laudandus. « Unum autem est, quod me plus omnibus accen- « dit, urget, movet et promovet ad te diligendum « super omnia, amara mors quam sustinuisti, opus « nostræ redemptionis. Hoc totum, vel hoc omnino « totam vitam nostram, totum laborem nostrum, « totum obsequium nostrum, amorem denique nos- « trum facile sibi vendicat. Totum hoc est quod « devotionem nostram et excitat melius et quærit « suavius et auget amplius. Multum quidem in hoc « opere laboravit Auctor mundi, nec in omni fabrica « mundi tantum fabricationem sustinuit. De mundo « enim et de his quæ in mundo sunt, dixit et facta « sunt; at vero pro reparatione generis humani, « magnos et multos, et diuturnos labores et dolores « sustinuit. » Quanto igitur profundius mentem nostram in contemplationem Passionis defigemus, tanto magis divini amoris flamma in cordibus nostris accendetur.

j. — Magna profecto Dei in dilectione facilitas, ita ut si quis etiam blasphemator ac summus inimicus ejus extitisset, statim ac quis diligat eum, diligatur ab eo. Cur hoc? Ecce dixerat Dominus, injurias in ipsum illatas, a Patre suo esse judicandas, ac puniendas : *Est qui quærat et judicet. Joan.*, VIII, 50. Inde etiam ait, obsequia ei exhibita, a Patre suo esse remuneranda ejus amore. Æquum est enim, ut qui habet manum ad supplicia infligenda, habeat et manum ad præmia largienda. Pater castigat injurias contra eum commissas, Pater eum diligit qui mandata ejus servat. Et ita profecto in Deum se res habet; sicut enim per amorem misericors est, et clemens, sic per rigorem, justus est ac severus.

Deus nullum profert judicium, nec ullam pronuntiat sententiam, nisi primo suum habuerit locum misericordia; postquam vero hæc præcessit, tunc et succedit justitia. S. Hieronymus super illa verba Oseæ, II, 19 : *Sponsabo te mihi in justitia, et in judicio, et in misericordia et miserationibus*, ita scribit : « De his sponsalibus in diversis locis Psalmista « decantat : *Misericordiam et judicium cantabo tibi, « Domine*, et *misericordia et veritas obviaverunt sibi*; « et *justitia et pax deosculatæ se sunt*, quos duos « calices in Psalmo LXXIV, legimus : *Calix in manu « Domini, vini meri plenus mixto, et inclinavit ex hoc « in illum.* De justitiæ calice, in calicem miseri- « cordiæ et rursum de calice misericordiæ in cali- « cem justitiæ. » Et ideo cavendum est ne miseri- cordiæ Dei ita innitamur, ut obliviscamur justitiæ. Quin potius ob oculos statuenda est illa Venerabilis Bedæ doctrina, S. Pauli textum, *ad Rom.*, II, 4, glossa sua illustrantis : *An divitias bonitatis ejus, et patientiæ, et longanimitatis contemnis?* Dicit enim : « Intendant qui amant in Domino mansuetudinem, « et timeant veritatem, etenim dulcis et rectus « Dominus. Ama quod dulcis est, time quod rectus « est. Tanquam mansuetus dixit : *Tacui*; sed tan- « quam justus : *Numquid semper tacebo? Misericors « et miserator Dominus.* Ita plane; adhuc adde, *et « multum misericors*; sed tunc quod est in novis- « simo : *Et verax.* Qui enim modo sustinet peccan- « tes, judicaturus est contemnentes. »

k. — *Et ad eum veniemus et apud eum mansionem faciemus.* In omni loco, juxta theologorum communem doctrinam, tribus modis Deus reperitur; per essentiam, præsentiam et potentiam. Per essentiam omnem locum ipse implet et occupat; per præsentiam omnibus rebus assistit, cuncta videns et intuens; per potentiam omnia sustentans, dansque illis esse, eaque conservans. Cum jam omnes viæ viderentur interclusæ, quibus mediantibus ulterius homini adesse posset, divinus amor hodie novam invenit, qua per gratiam ac flatum divini Spiritus invisibilem, ad animam venit, eamque gratia ac consolatione sua ditat ac replet. Est enim hic Spiritus Sancti accessus internum illud animæ gaudium, nostris sæpe incognitum oculis, quod non delectabilibus hujus vitæ bonis, sed divinæ gratiæ, virtuti, bonæque innititur conscientiæ.

Priusquam Psalmista diceret, *Psal.* IV, 7 : *Dedisti lætitiam in corde meo*, præmisit : *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Ubi Hugo Cardinalis

inquit : « *Lumen hujus vultus est gratia.* Divina gra- « tia satians, replens animam, oculi corporalis « sphæram excedit : *Dedisti lætitiam in corde meo*; « non extra in vanis, quia *omnis gloria filiæ Regis « ab intus*; sed illi multi qui dicunt, *quis ostendit « nobis bona?* exterius gaudent in hoc, scilicet quod « *fructu frumenti, vini et olei multiplicati sunt*, sci- « licet numero possessionum, personarum, militia- « rum, curarum et ærumnarum. » Longe aliter illuminatissimus operatus est Propheta Regius : « Sed ego, dicit justus, alium finem intendo, hunc « scilicet : *In pace in idipsum, dormiam et requies- « cam*; in pace pectoris. » David omnes suos thesauros, triumphos, sceptra, cunctasque alias prosperitates humanas, hunc unica in scopum dirigebat, ut cordis sui gauderet quiete et consolatione, id est, conscientia bona et gratia divina.

l. — Dum audis *mansionem faciemus*, intellige stationem militarem non absimilem stationibus, seu mansionibus, peractis ab exercitu Israelitico, cum ab Ægypto egrederetur. Ubi enim manendum erat, firmabatur statio, tentoria figebantur et locus firmabatur prorsus hostibus inaccessibilis. Sic in dilectoribus suis Deus stationem suam firmat, mansionem facit, hostibus inaccessam et horribilem. Nescit Deus in dilectoribus suis apparere, nisi militaria in illis propugnacula efficiens et reddens hominem militaribus spiritualibus copiis communitum et prorsus inaccessum inimicis.

m. — Miranda venit eorum qui timent Deum felicitas. Etenim requiescit Spiritus Sanctus in illis per gratiam, qui realiter et vere in animabus eorum sibi sedem collocat. Apud illos scilicet, qui in Dei timore vivunt, quia ipse est Spiritus sapientiæ. Timor autem Dei radix sapientiæ. Advertendum est quod Propheta Isaias faciens mentionem septem donorum Spiritus Sancti et inter ea enumerans donum intellectus, sapientiæ et scientiæ, ultimo loco nominet timorem Domini, dicens : *Et replebit eum spiritus timoris Domini*; ac si hoc sufficiens sit, ut eodem suffragante sacram scientiam ac veram sapientiam comprehendere valeamus. Unde Chrysostomus, *Hom.* I *in Matth.*, scribit : « Oportuerat « quidem, nihil nos indigere auxilio litterarum, sed « tam mundam in nobis exhibere vitam, ut libro- « rum vice gratia Spiritus Sancti uteremur et sicut « atramento illi, ita corda nostra inscriberentur « Spiritu. » Notat insuper Angelicus Doctor, quod cum S. Joannes requiesceret supra pectus Domini et ad Petri instantiam secreto peteret, quis esset proditor : « Mystice per hoc datur intelligi, quod « quando magis homo vult divinæ sapientiæ secreta « capere, tanto magis conari debet, ut propinquior « fiat Jesu, secundum illud, *Psal.* XXX : *Accedite ad « eum et illuminamini*; nam divinæ sapientiæ secreta « illis præcipue revelantur, qui Deo juncti sunt per « amorem. » Porro ad obtinendum hunc amorem vel maxime viam nobis sternit timor. « Aliud est « multas divitias scire, » ait S. Bernardus, « aliud « est possidere; nec notitia divitem facit, sed pos- « sessio. Sic prorsus aliud est nosse Deum et aliud « timere; nec cognitio sapientiam, sed timor facit. « Bene initium sapientiæ timor Domini, quia tunc « primum Deus animæ sapit, cum eam afficit ad « timendum, non cum instruit ad sciendum. Times « Dei justitiam, times potentiam et sapit tibi justus, « potens Deus, quia timor sapor est. Porro sapor « sapientem facit, sicut scientia scientem, sicut « divitiæ divitem. »

n. — De Spiritus Sancti adventu hic agitur, ideo mansio commemoratur, quia cum ipse sit Paracletus, id est, consolator, in homine quem diligit mansionem facit, tanta eum replens consolatione, ut jam quis principio gloriæ frui videatur; ipse enim singuliter titulo *suavis* gloriatur qualem se exhibuit suo in terras adventu. Deus enim noster, Rex regum et Dominus dominantium, ante cujus conspectum sublimissimæ tremunt coeli potestates, quonam gloriatur titulo? Audite Prophetam regium, virum secundum cor Dei : *Dulcis Dominus*; *suavis est Dominus*; *laudate nomen ejus quoniam suavis est Dominus, psallite nomini ejus quoniam suave*; *suavis Dominus universis.* Id quod filius ejus Salomon attestatur dum inquit, *Sap.*, XII, 1 : *O quam bonus est, Domine, spiritus tuus?* Et, *Sap.*, XV, 1 : *Tu autem Deus noster suavis es.* Ideoque postmodum incarnatus Deus, legem gratiæ insinuaturus mundo, eam quidem jugum, ast suave appellat, dicens : *Jugum meum suave est. Matth.*, XI, 13.

o. — Ita libenter manet Deus in iis qui diligunt illum, eique serviunt, ut timere non deheas illum ex parte sua discessurum, nisi contra voluntatem suam. Anima enim justi est locus deliciarum Dei, ejusque Paradisus et templum; delectatur item Deus incolatu animæ justæ, utpote quæ pulcherrima est, ipsumque Deum ad sui sponsalitium rapit.

In dubium revocari nequit, quia Deus magnopere erga animam nostram propendeat, illamque permagni æstimet, imo suam in illa delectationem positam esse habeat; hoc enim adeo verum est, ut ipsemet hanc unicas suas esse delicias protestetur, dicens : *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum. Prov.*, VIII, 31. Porro Deus humanam, non vero angelicam naturam elegit, quia animam nostram, quam ad imaginem et similitudinem suam creaverat, assumere voluit, quia in illa omne suum gaudium et delicias repositas habuit, totoque corde ei addictus fuit, de quo S. Job non immerito cum stupore interrogat allonitus : *Quid apponis erga eum cor tuum?* Verumtamen id nequaquam mirum videri debet : « Potius sunt ejus deliciæ esse cum filiis hominum « quam cum Angelis, » inquit Hugo Cardinalis, « quia de his quæ aucupio, vel venatione capium-

« tur, fiunt deliciæ ciborum, non de domesticis. » Qua aptissima similitudine idem purpuratus Doctor declarat Deum venatione perditurum animarum nostrarum, utpote quæ sapidissimus ejus cibus sunt quam maxime delectari : « Et ipse quidem vena- « tione prædicationis, et aucupio crucis capit « homines. »

Ita libenter manet Deus in iis qui diligunt illum, eique serviunt, ut timere non debeas illum ex parte sua discessurum, nisi contra voluntatem suam. Anima enim justi est locus deliciarum Dei, ejusque paradisus et templum. Qua de re S. Augustinus, postquam dixisset : « Nobilis creatura est anima, « civitas namque Dei est, de qua tam gloriosa « dicta sunt. Hæc civitas Jerusalem merito appel- « landa est, quæ ad fruendum visione illius creata « est ; » paulo post subjunxit : « Estque templum « Spiritus Sancti per sanctificationem. » Hanc quoque animæ dignitatem, nimirum quod templum Dei sit, S. Thomas de Villanova, concione in Dedicatione Ecclesiæ, his verbis insinuat : « Sanctæ « animæ, » inquit, « verissima et sacratissima Dei « templa sunt ; » unde Apostolus : *An nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Sanctus habitat in vobis?* Quod si non creditis, credite illi qui dixit : *Si quis diligit me, sermonem meum servabit et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* Hanc quoque veritatem non in uno, sed pluribus locis apud Apostolum videre licet : *An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti qui in vobis est? Glorificate et portate Deum in corpore vestro.* Alibi pariter ait : *Vos estis templum Dei vivi, sicut dicit Deus; quoniam habitabo in illis et deambulabo inter eos.* Psalmista quoque, *Psal.* x, 5, ait : *Dominus in templo sancto suo; Dominus in cœlo sedes ejus.*

Et quidem varias Hugo Cardinalis inter templum Dei et animam humanam proportiones his verbis addicit, dum ait : « Dicitur anima templum Dei, « multis rationibus. In templo Deus adoratur, « similiter in anima fideli. In templo offeruntur « sacrificia ; similiter in anima fideli : *Sacrificium « Deo spiritus contribulatus; cor contritum et humi- « liatum Deus non despicies.* In templo sunt cruces, « intus et extra ; ita in anima debent esse cruces « per memoriam Passionis, et exterius per imita- « tionem. In templo reponuntur reliquiæ Sancto- « rum ; sic anima fidelis debet semper recolere « exempla Sanctorum. In templo est aqua benedicta, « quæ fugat dæmones ; ita in templo spirituali « nostro debet esse aqua lacrymarum, qua fugatur « diabolus. »

p. — Illi sanctissima Trinitas constantem sui pollicetur conversationem et familiaritatem, qui sermonem seu præceptum servaverit Christi ; hoc est autem præceptum ejus ut diligamus invicem. In amore itaque proximi tota consistit ratio beatitudinis nostræ. In libro Ecclesiastici, in principio capitis vigesimi quinti, Deus manifeste sese aperit, dicendo quænam illa sint, in quibus vel maximam habuerit complacentiam, sive in quidnam genus ipsius, vel maxime inclinaret, et dicit : *In tribus placitum est spiritui meo, quæ probata sunt coram Deo et hominibus.* Vatablus legit : *Tria me exhilarant, et coram Deo simul et hominibus condecorant.* Quanam autem illa sint quæ divinæ Majestati præ cunctis aliis tantopere placent, increata Sapientia ulterius exponit, dicens : *Concordia fratrum et amor proximorum, et vir et mulier bene sibi consentientes.* Hæc autem tria pronti perspicuum est, ad dilectionem fraternam reducuntur. Notandum vero est, quod præcipua prærogativa quæ tribus hisce in prædictis verbis attribuitur, in eo consistat, *quod probata sunt coram Deo et hominibus*, quia nihil gratius aut acceptius esse potest tam Deo quam hominibus, quam mutua inter nos unio, pax et fraterna dilectio, adeo ut eadem illa Sapientia æterna, quæ Spiritum Sanctum ad tot sacræ Scripturæ volumina dictanda permovit, omnia sacra dogmata, prophetias, oracula, leges et quicquid in universo volumine sacro continetur, ad hanc charitatem ordinari voluerit : *Omnia ergo quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, et vos facite illis ; hæc est enim lex et Prophetæ. Matth.*, vii, 12.

Didacus Stella immensum illum honorem considerans, quo Deus amorem nostrum dignatus est privilegiare, dicit : « Nimis videtur Deus proximi « dilectionem commendare, siquidem suo ipsius « amori proximi amorem conjunxit. Dei amor « proximi amori est conjunctus et copulatus, ut « eodem amore Deum et proximum prosequaris. »

Versus 24.

Qui non diligit me sermonem meum non servat. Et sermonem quem audistis non est meus, sed ejus, qui misit me Patris.

Additio.

a. — *Qui non diligit me*, etc. O quam paucos Deus in mundo amicos habebit, si ex hoc indicio judicandi sint quod Deum dicantur non diligere, quia mandata ejus non servant. Quam enim multi sunt qui Deum pecunis post ponunt; ita ut pro modica summa Dei mandata transgrediantur? Hoc enim proprium est avidæ divitiarum concupiscentiæ, ut fides, cultus et justitia Dei plurimum labefactetur. Apostolus, 1 *ad Tim.*, vi, 10, ait : *Radix omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt a fide.* S. Ambrosius, in sermone de S. Alexio, hoc S. Pauli testimonium adducens, dicit : « Vides ergo quia qui pecuniam appetit « fidem perdit, qui aurum redigit, gratiam prodi- « git; avaritia enim cæcitas est et errorem reli- « gionis inducit. » S. Augustinus pluribus in locis eamdem de avaris quærimoniam habet, innumerabilium enim animarum deplorat miseriam, qui aurum pluris quam fidem faciunt. Imo auri cupiditatem et fidei sinceritatem, adeo parum se comparari posse existimat ut dicere non verecatur : « Qui aurum non habet fidem habet. » Et revera ita esse experientia comprobat, videmus enim quod religiosi, qui paupertatis voto constricti, ab hac auri cupiditate liberi sunt et immunes, fidei et fidelitatis erga Deum zelosissimi sunt promotores et propagatores. Alibi quoque idem sanctus Doctor, avarum quemdam temporalium bonorum studiosum conquisitorem his verbis alloquitur : « Ut lucrum « faceres, Deum offendisti; ut augeres pecuniam, « fides diminuta est et aurum crescit. Quid perdi- « disti et quid acquisisti? Quod acquisisti aurum « vocatur; quod perdidisti fides vocatur : compara « fidem auro. »

Versus 25.

Hæc locutus sum vobis apud vos manens.

Versus 26.

Paracletus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis.

Additiones.

a. — *Paracletus autem Spiritus Sanctus*, etc. *Paracletus* idem est quod consolator. Dicitur autem Spiritus Sanctus consolator propter continuas et frequentes Apostolorum afflictiones. D. Chrysostomus inquit : « Frequenter eum *Paracletum* vocat, « propter eorum tristitiam. » Toletus autem in commentario de utroque nomine, sic ait : « Spiritus « Sanctus *Paracletus* nominatur, quia eos consola- « bitur et confortabit. *Sanctus* vero, quia perfectio- « nem sanctitatis operabitur et docebit, et illustra- « bit omnia. » Quos vero consolabitur? Tristes, non tristitia sæculi, sed tristitia sancta, qualis producit lacrymarum imbres aut compassionis, aut pœnitentiæ motivo elicitas; illos inquam tristes consolatur. S. Ambrosius ait : « Fletus refrigerant pectus et « mœstum solantur affectum. » Evidens est illa Salvatoris in tertia beatitudine facta promissio : *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur*; qui enim ex motivo et instinctu superiori lacrymantur, interiores semper participant consolationes. S. Augustinus verba illa Davidis : *Lavabo per singulas noctes lectum meum*, ingeniose ponderans, ait : « Lectus est hoc « loco appellatus, ubi requiescit animus æger et « infirmus, id est, in voluptate corporis et in omni « delectatione sæculari constitutus, quam delecta- « tionem lacrymis lavat, qui sese ab illa conatur « extrahere. » Possumus et nos dicere, quod sicut lectus est locus quietis in quo corpus defatigatum dulciter refocillatur, eodem modo, planctus animam mœstam refrigeret et confortet. Quando Salvator noster abivit ut Lazari quatriduani fœtens cadaver resuscitaret, S. Joannes illum conturbatum fuisse scribit : *Infremuit spiritu, turbavit semetipsum.* Imo in copiosas quoque lacrymas prorupit, quia subdidit : *Et lacrymatus est.* S. Augustinus, in meditationibus suis, lacrymas a Deo postulabat; sed quo fine id eum fecisse existimatis : « Ut « cœlesti jucunditate semper repleant animam « meam. » S. Hieronymus, verba illa Davidis exponens : *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo*, etc., inquit : « Hoc est, quod dicit : « Quoties egi pœnitentiam, toties me consolatus « es. Unam fudi lacrymam, unam merui consola- « tionem; decem fudi lacrymas, decem merui con- « solationes. »

b. — Cupis, mi Christiane, Spiritum Sanctum hodie experiri Paracletum, id est, consolatorem? Cupis divinum hunc Spiritum ad te trahere? Hoc cura ut largos fundas imbres lacrymarum; nihil enim magis columbam pellicit, quam gemitus, nihil magis requirit ignea lingua, quam aquam. Unde D. Augustinus, *tract.* vi *in Joan.*, sic monebat : « Columbam meam video super caput Christi, lin- « guas video in toto orbe terrarum : idem Spiritus « per columbam, idem per linguas. Si per colum- « bam idem Spiritus et per linguas per totum orbem « terrarum datus est, a quo te præcidisti, ne gemas « cum columba? » Aliquis fortasse, ut gemitus et lacrymas fugeret, non ad columbam, sed ad igneas respiceret linguas, et ex igne sese ad gaudia compararet : « Hanc esse fallaciam, » ait Augustinus, « ubi enim, vel in igneis linguis, vel in columba « Spiritus apparet, nihil est quod nos a gemitu « excuset, quandoquidem et columba, et ignea lin- « gua rivos ament plenos lacrymarum. » Sunt enim lacrymæ ad Deum erga nos reddendum propitium efficacissimæ.

Postquam Joel in progressu Prophetiæ suæ, severissima divinæ justitiæ flagella intimasset, rebelli Judæorum populo desolationes prædicendo et ruinas, deinceps ostendit Deum iratum nullo alio meliori modo mitigari posse, quam per lacrymas et planctum; unde dicit : *Nunc ergo dicit Dominus : Convertimini ad me in fletu et in planctu; scindite corda vestra; convertimini ad Dominum Deum vestrum, quia benignus et misericors est, patiens et multæ misericordiæ. Joel.*, ii, 13. Ac proinde S. Gregorius Nazianzenus optimum his verbis nobis tradit consilium : « In lacrymis animas vestras possedite; « divinam iram reprimite, vestra vitæ studia et « instituta in melius commutantes. » Consideratione quoque digna sunt illa S. Augustini, *Ser.* xi *ad fratres*, verba, quibus et ipse lacrymarum expressit efficaciam, in ordine ad Deum propitiandum, inver-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

tendamque divinam ejus sententiam; dicit enim : « Punge oculum mentis, ut lacryma prodeat com- « punctionis. O compunctio, quam sancta et mira- « bilis prædicaris! Tu spirituale lavacrum es; tu « flagellum Dei es, per quod Deus mutatur; tu « stimulus per quem Deus ad hominem inclina- « tur. » Tametsi enim contra nos promulgata sit funesta mortis sententia, attamen si apud Deum quantumvis juste iratum lacrymæ nostræ interveniant, hæ ad illam revocandam et obliterandam abunde sufficiunt. Unde divus Chrysologus ait : « Delent in omne facinus latam sententiam. » Soli quidem peccatores sunt qui vindicativam Dei exacerbare possunt justitiam; attamen sibi per lacrymas abolentur, Deus a fulminibus suis exarmatur. Nam ut Petrus Cellensis ait : « Demergit « lacryma populum criminum, rupiumque nostri « pectoris solvit duritiem, judicis emollit iram, « jam intentatæ iræ humili ausu flectit minas, « vibratas resupinat acies, erecta jam resupinat « supplicia, exundantes irrotat flammas, profundit « de silice aquas. »

Rex Ezechias in mortali illa infirmitate sua, ex divinæ Majestati expresso mandato, suæ mortis intimationem intellexerat ab Isaia, ita eum alloquente : *Hæc dicit Dominus : Dispone domui tuæ quia morieris tu et non vives. Isa.*, XXXIII, 1. Et nihilominus paulo post contrarium idem Isaias attulit nuntium. Et quidem credibile est, prout ex textu sacro colligi potest, Prophetam ex regio palatio nondum egressum fuisse, quando mox redux ex ejusdem Dei jussu, ad Ezechiam ait : *Adjiciam super dies tuos quindecim annos*. Undenam repentina adeo mutatio, quando quidem tam prima quam secunda vice, ex commissione ejusdem, a quo mittebatur, mortem vitamque annuntiavit? In prompto est responsio : *Flevit Ezechias fletu magno;* moxque subdit Spiritus Sanctus : *Et factum est Verbum Domini ad Isaiam dicens : Vade et dic Ezechiæ : Hæc dicit Dominus Deus David patris tui : Vidi lacrymas tuas : Ecce ego adjiciam super dies tuos quindecim annos;* quia scilicet ut Ecclesiasticus, XXXV, 18, ait : *Lacrymæ vidiæ ad maxillam descendunt, a maxilla enim ascendunt usque ad cælum.*

c. — Non inutile erit hic inquirere quonam præcipue tempore Spiritus Sanctus super Ecclesiam in Sion coadunatam a Christo post suam in cœlos ascensionem demissus fuerit? Certo non alio, quam eo quo jejuni erant; hoc enim S. Petrus insinuare voluit, quando Apostolos a calumnia ebrietatis eisdem imposita justificavit et defendit, dicens : *Non sicut vos existimatis, hi ebrii sunt, cum sit hora diei tertia. Act.*, II, 15. Similiter quando idem Spiritus Sanctus alia quadam vice, una cum gratiarum suarum thesauris super Paulum et Barnabam descensurus erat, dicit sacer textus : *Ministrantibus autem illis Domino et jejunantibus, dixit Spiritus Sanctus : Segregate mihi Saulum et Barnabam, in opus ad quod assumpsi eos. Tunc jejunantes*, etc. *Act.*, XIII, 2. Non parum inde commendatur sobrietas et abstinentia, quæ tunc quasi quædam ad Spiritum Sanctum recipiendum dispositio fuit. Gula vero Dei et gratiarum ejus est inimica; Spiritui Sancto opponitur.

Apostolus Paulus, quamvis in diverso proposito hoc Romanis dederit monitum : *Noli propter escam destruere opus Dei; Rom.*, XIV, 20; nos nihilominus ipsum ad irreparabilia applicare possumus gulæ damna, utpote cui proprium est opponi muneribus Dei, divinumque negligere honorem et salutem nostræ. Ideoque S. Antoninus de gulæ vilio tractans, ait : « Aufert Deum, » idque ex illo probat Jobi textu : *Non invenitur in terra suaviter viventium;* id est, ut exponit hic Sanctus, « gulosorum. » Postquam enim domus Jobi considerasset ruinam, quæ septem ejus oppressit filios et filias, septem Spiritus Sancti dona, quæ vitium hoc in anima nostra annihilat, significantes, ita discurrit : « Sep- « tem dona Spiritus Sancti ex gula ruunt; quod « figuratum fuit, *Job.*, I, quando septem filiis convi- « vantibus in domo primogeniti, domus percussa a « vento ruens oppressit omnes; figurant enim, se- « cundum Gregorium, septem dona Spiritus Sancti, « septem filii Job. »

d. — Si verum sit quod legitur, Spiritum Sanctum nonnisi tempore jejunii Ecclesiam et Apostolos visitasse, non parum inde commendabitur sobrietas et abstinentia, quæ tunc quasi quædam ad Spiritum Sanctum ejusque charismata recipienda dispositio fuit, siquidem sobrietas et abstinentia seu temperantia victus ad divinorum mysteriorum, cœlestiumque revelationum notitiam nos disponit, mentemque ad Deum elevat atque ad acquirendam sapientiam, beneque faciendam orationem auxilia præstat.

De populo illo a Christo in deserto liberalissime cibato dicitur, *Marc.*, VIII, 8 : *Manducaverunt et saturati sunt;* quia Deus per jejunium et abstinentiam copiose nos satiat, si non quoad corpus, saltem quoad animam, per refectionem spiritualem. Unde dicitur : *Esurientes implevit bonis.* Ideo quoque Ecclesia in collecta quadam quadragesimali dicit : « Sanctificato hoc jejunio, Deus, tuorum corda « fidelium miserator illustra, et quibus devotionis « præstas affectum, præbe supplicationibus pium « benignus auditum. » Ingrediamini, obsecro, religiosorum rigide viventium claustra, in quibus in tantis jejuniis et abstinentiæ rigoribus vivitur, et invenietis veram ibi reguare pacem et satietatem internam, abundantiam ibi communicari donorum, gratiarum, virtutumque cœlestium, ibi florere devotionem et spiritum, copiamque a Deo inibi revelationum, exstasum, et si quæ sunt alia divinorum favorum genera. In Actibus Apostolorum, XIV, 11, dicitur quod quando Apostoli se ad eligendos eos, qui animabus convertendis, gubernandique Ecclesias operam navaturi erant, volebant disponere, id fecerint mediante jejunio, quod præmittebant : *Et cum constituissent illis per singulas Ecclesias presbyteros et orassent cum jejunantibus, commendaverunt eos Domino.* Et hinc credibile est, in Ecclesiam derivatam esse laudabilem illam in quatuor temporibus jejunii præmittendi consuetudinem, priusquam celebrentur ordinationes presbyterorum, aliique conferantur ordines sacri.

VERSUS 27.

Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis; non quomodo mundus dat, ego do vobis. Non turbetur cor vestrum, neque formidet.

Additiones.

a. — *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Verba omni consolatione plena, hucusque locutus erat Dominus; nunc idem consolationis argumentum prosequitur dicens : *Pacem relinquo vobis.* Quid est hoc : *Pacem relinquo vobis?* Relinquo hæreditatem indicat, ut videtur exponere S. Cyprianus, *de unitate Eccles.*, legens, *pacem dimitto.* Discedens igitur Dominus ex hoc mundo, suis pacem tanquam propriam hæreditatem delegavit. Pulchre S. Augustinus, *Serm.* CLXVI *de temp.*, ait : « Proficiscens « voluit dare quæ desiderabat rediens in omnibus « invenire. Hanc suis hæreditatem dedit; dona « omnia suæ pollicitationis et præmia in pacis con- « versatione promisit, atque ideo fratres, si hære- « des Christi esse volumus, in ejus pace esse et « manere debemus. » Hanc igitur pacem in ultimo vale suis dedit tanquam maxime pretiosam et valde commendabilem.

Et quidem ut hujus legati nobis facti, scilicet pacis et concordiæ, excellentia, necnon quantum Christus Salvator noster eamdem desiderarit et amarit plenius innotescat : *Ipse est pax nostra*, ait S. Paulus, *Eph.*, II, 14, *qui fecit utraque unum*, et hoc quidem ad Ephesios scribit. Ad Corinthios, II, V, 18, sic loquitur : *Omnia ex Deo qui nos reconciliavit sibi per Christum, et dedit nobis ministerium reconciliationis, quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi.* Propheta Evangelicus, multis sæculis antea prædixerat : *Parvulus natus est nobis et vocabitur nomen ejus Princeps pacis; multiplicabitur ejus imperium et pacis non erit finis. Isa.*, IX, 6. Alibi quoque idem Propheta ita vaticinatur : *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis.* In alio autem loco principalem quemdam divinitatis suæ effectum denotare volens, Deum ita loquentem introducit : *Ego Dominus et non alter, formans lucem et faciens pacem.* Denique in ultimo Prophetiæ suæ capite, felicitatem qua Ecclesia Christi tempore gavisura erat, exprimere satagens, ita ex ore Dei loquitur : *Ecce ego declinabo super eam quasi fluvium pacis.*

Christo vix in hanc terram nato, aperiebantur cœli qui nectare et ambrosia Paradisi terram hanc irrorabant : « Hodie per totum mundum melliflui « facti sunt cœli, eo quod hodie nobis de cœlo pax « vera descendit. » Angelorum quoque exercitus per aera resonantes dulciter et certatim canebant : *Et in terra pax hominibus.* In prima antiphona vigiliæ Nativitatis, Ecclesia pariter ita canit : « Rex pa- « cificus magnificatus est, cujus vultum desiderat « universa terra. » Et S. Bernardus ait : « Filius a « Patre processit et venit in mundum, ut qui prius « erat cogitationes pacis in corde Patris, fieret ut « ipse pax nostra in utero matris. »

b. — Quæreret hic forte aliquis quid nomine pacis intelligatur? Communiter recentiores tenent, quod nomine pacis Hebræi olim significabant omne bonum, salutem, tranquillum hominis statum et prosperitatem. Christus Jesus auctor gratiæ et totius vitæ spiritualis, cum a discipulis suis discedit, eis etiam Judæorum more dat pacem, non tamen eo sensu quo homines terreni dabant, sed valde supernaturali ac sublimi modo, de quo loquitur Apostolus ad Philippenses, IV, 17 : *Pax Dei quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra et intelligentias vestras.* Et hæc pax includit summam animi serenitatem et tranquillitatem, in bona conscientia fundatam.

c. — Mundus signis exterioribus pacem præbet, sed vere nihil aliud clamat, quam illud Prophetæ : *Pax, pax, et non est pax*, cum ea quæ sub specie pacis exhibet, veluti sunt divitiæ, honores, voluptates, plena sint anxietatibus, curis, cruciatibus, persecutionibus. De Jacobo Patriarcha, qui adeo illuminatus fuit, ut ob luminis communicati abundantiam, hoc nomen *Israel*, quod idem est quod *videns Deum*, a Deo illi impositum fuerit; de hoc inquam, in Genesi, XLIII, 11, legimus quod filiis suis, quos in Ægyptum amandabat, parum mellis secum in Ægyptum deferre suaserit : *Sumite de optimis terræ fructibus in vasis vestris, et deferte viro munera, modicum mellis*, etc. Possibilene igitur est, quod in regno tam fertili et copioso quod mundum præfigurabat, mellis suavitas defuerit : *Omnia in figura contingebant.* Per hoc enim denotabatur, quod sub terrenorum et mundanorum bonorum rosis, mero lateant puncturæ spinarum, nec ulla subsit vera lætitia. Nam ut S. Augustinus, in *Psal.*, LXXXV, optime dicit : « Quocumque cor se converterit in ter- « renis rebus, amaritudinem invenit; unde dulces- « cat non habet, nisi se levet ad Deum. »

Nullam tam apud sacros quam profanos historiographos, invenio historiam, quæ malitiam, instabilitatem et infelicem exitum mundi vivacius exprimere aut repræsentare possit, quam illa, quæ de

Absalone in sacris Litteris recensetur. Comæ namque ejus aureæ, quæ carissimo pretio vendebantur, divitias præsignificabant; venustas autem et speciositas vultus ejus, voluptates et delectationes carnales, quibuscum tot animæ misere irretiuntur; ejus contra patrem rebellio, inordinatam præfigurabat ambitionem; Ammonis occisio, vindictas et odia innuebat; ficti amplexus aliaque benevolentiæ signa, quibuscum subditis omnibus occurrebat, deceptiones, adulationes et stratagemata fraudulentorum; at vero quis tandem infelicis hominis istius exitus fuit? *Accidit autem ut occurreret Absalon servis David, sedens mulo; cum ingressus fuisset mulus subter condensum quercum et magnam, adhæsit caput ejus quercui, et illo suspenso inter cœlum et terram, mulus cui insederat pertransivit.* II *Reg.*, XVIII, 9. Qua de re Drogo Hostiensis sequentem elicit doctrinam, scilicet : « Pendet Absalon per « comam capitis sui, et mulus cui insederat transit, « quia mundus transit et concupiscentia ejus. » Et S. Augustinus inquit : « Lætitia sæculi vanitas est, « cum magna expectatione speratur ut veniat, et « non potest teneri cum venerit; iste dies qui læ- « tus, eras utique non erit; transeunt omnia, evo- « lant omnia et sicut fumus evanescunt. »

d. — Fidem quidem pollicetur mundus; nulli tamen eam, ne ipsis quidem amatoribus suis servat. Surius, in vita S. Sebastiani martyris, refert quod inter alia motiva quibus gloriosus hic Martyr, sanctos Marcum et Marcellianum in fidei certamine vacillantes hortabatur ad constantiam, eos quoque sequentibus verbis affatus fuerit : « Hoc præsens « vita fugacissima est et usque adeo infida, ut nec « suis amatoribus fidem servare potuerit unquam. « Ab ipsa enim mundi origine in se fidentes fefel- « lit, omnes sui cupidos delusit, cunctos de se « præsumentes irrisit, et ita nullum omnino cer- « tum reddidit, ut omnibus probetur fuisse men- « tita. » Hugo Cardinalis prosperitatem mundanam osculo Judæ comparavit dicens : « O quam fraudu- « lentum osculum, quo traditur Jesus! Tale est « osculum mundi; illum enim solum prodit quem « osculatur. » Advertamus proinde ad proverbium istud quod auribus nostris sæpe insinuat, quo dicitur : « Non omne quod splendet, aurum est. » Unde S. Augustinus monet dicens : « Vincula hujus mundi « asperitatem habent veram, jucunditatem falsam, « certum dolorem, incertam voluptatem, durum « laborem, timidam requiem, rem plenam mise- « riæ, spem beatitudinis inanem. » Et ideo Joab mundi hujus typus fuit, qui Amasiam obvium habens, mox amicabiliter amplexatum osculatus est et salutavit, sed non alio fine quam ut necem ei inferret.

e. — Christus pacem dat stabilem, mundus vix temporalem et hanc ipsam æternis recompensandam tumultibus. S. Bernardus, *Serm.* I, ait : « Spa- « tiosa est via quæ ducit ad perditionem, per hanc « enim abundantiam deliciarum in bonis deficiunt « et in malis proficiunt multi; defectum bonorum « ipsa rerum natura ostendit, nam ad maturitatem « non venit nimia fœcunditas fructuum et pomorum « segetem etiam nimia pinguedo destruit. »

f. — Bonorum omnium compendium est pax. Verum quæstione dignum est : Quare cum dicit, *do*, pacem appellat suam, cum vero ait, *relinquo*, suam non appellat? Hoc dubium nullatenus effugit subtiliorem S. Augustini sagacitatem, qui sic ad ea verba fatur : « Sed quid est, quod ubi dicit : *Pacem* « *relinquo vobis*, non addit, *meam*; ubi vero ait : « *Do vobis*, addit *meam*? Utrum subaudiendum est « *meam*, ubi dictum non est? Forte et hic aliquid « latet. » Cui tamen dubio ipse S. Augustinus digne satisfacit, sic fatus : « Pacem nobis Christus relin- « quit in hoc sæculo, in qua manentes, hostem « vincimus. Pacem suam nobis dabit in futuro sæ- « culo, quando sine hoste regnabimus, ubi nun- « quam dissentire possumus. » Scilicet Christus Deus, illam duntaxat pacem appellavit *suam*, qua in cœlo Beati sine hoste, aut periculo amissionis fruuntur; in hoc autem sæculo, ubi pax oppugnatur, passiones tumultuant, concupiscentia rebellat, appetitus subsultat et hostes intus et foris oppugnant, magno concordiæ detrimento et sæpe pacis jactura, *suam* non appellat. Hanc enim voluit per contradictiones acquiri et conservari, vincendo passiones nostras et corpori bellum movendo.

g. — Christus non reliquit discipulis suis pacem mundi sed suam pacem : *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis; non quomodo mundus dat, ego do vobis.* Salvator noster per illum loquendi modum nobis insinuare voluit quod pax sua a pace mundi distinguatur, quia quando inter duos exercitus res eo devenit, ut de pace mutua tractare incipiant, utrinque arma deponuntur; et ideo non est talis pax mea, quam ego fidelibus meis impertior, inquit Christus : *Non quomodo mundus dat, ego do vobis; non veni pacem mittere sed gladium.* Semper enim nobis cum inimicis nostris domesticis pugnandum est et præliandum, si bonæ conscientiæ tranquillitate gaudere velimus; ac proinde versio Syriaca legit : *Non prout mundus dat, ego do vobis.* S. Bonaventura S. Augustini citans auctoritatem, hunc textum pariformiter interpretatur, inquiens : « Pa- « cem relinquit, in qua manentes, hostem vinci- « mus; pacem dabit quando sine hoste regnabi- « mus. » S. Thomas dicit : « Pax præsens est cum « contradictione. »

h. — Cur discessurus ab Apostolis, solam pacem donat Dominus? Numquid poterat eis largam impertire benedictionem, qualem Isaac moriens dedit Jacob filio suo, dicens : *Det tibi Deus de rore cœli*, etc. *Gen.*, XXI; hoc enim Apostolis et toti Ecclesiæ summe necessarium et utile foret, ne tantis persecutionibus in futurum atterentur? Verum solam pacem, ut rem omnium opulentissimam et pretiosissimam, in testamento donat. Amici enim amicis in morte magis pretiosa donant. Apostoli per S. Petrum, *Matth.*, XIX, 27, veluti Apostolici collegii caput, coram Christo protestati fuerunt : *Ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te.* Et tamen licet omnes illorum facultates ad paucula restringerentur, cariosa ligna, rupta retia et pauculos remos, hic tamen adeo opulentus, ipsisque supra modum addictus testator, de quo scribitur : *Spirituum ponderator est*, hæreditatis loco, illis pacem legavit, dicens : *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* « Superius dixerat, » ut notat Cajetanus : « *Manda-* « *tum novum do vobis, ut diligatis invicem*; modo « non dicit : Pacem mando vobis, sed legat testa- « menti jure dicendo : *Pacem relinquo vobis.* Relin- « quitur tanquam pretiosissima hæreditas; hoc est « enim testamentum Jesu. » Quisquis hanc hæreditatem possidet, is neque in hac, neque in altera vita, quidquam pretiosius desiderare poterit. Nam ut in *Summa* Prædicantium dicitur : « Quanta sit « pacis excellentia ostendit Christi donum. Cum « enim in fine maxime suos diligeret, hanc quidem « dilectionem dono pacis ostendere voluit et docuit. « Ex quo argui potest, quod post seipsum, pax sit « maximum quod dari potest. Certum est quod « maxime dilectis maximum donum daret, sed suos « maxime dilexit, ergo eis maximum donum dedit, « in crastino ab eis recessurus, dicens : *Pacem re-* « *linquo vobis, pacem meam do vobis.* » Nec mirum auctorem hunc dicere : « Post seipsum, pax maxi- « mum est quod dari potest; « siquidem ipsemet Christus pax est : *Ipse est pax nostra.* Unde S. Cyrillus Alexandrinus notat, Christum dicere : « *Pacem* « non simpliciter, neque quamlibet, sed *meam do* « *vobis.* Id autem nihil aliud est, quam Spiritum « eis dare et per eum in eis habitare. Pax enim « Christi, Spiritus ejus est, quod etsi longa ora- « tione, ut probetur non egeat, illud tamen liquido « patet, ipsum Filium Dei pacem esse. Quomodo « igitur spiritus ejus pax non erit? Beatus enim « Paulus ait : *Pax Christi quæ exuperat omnem sen-* « *sum.* »

VERSUS 28.

Audistis quia ego dixi vobis : Vado et venio ad vos. Si diligeritis me, gauderetis utique quia vado ad Patrem, quia Pater major me est.

Additio.

a. — *Quia vado ad Patrem.* Ut affectus noster facili negotio separetur a terrenis et in adversis non deficiamus, cum Christo ascendente, cordis nostri oculum in cœlestia defigeamus oportet. S. Paulus ad Philippenses, III, 8, ita scribit : *Existimo omnia detrimentum esse, propter eminentem scientiam Jesu Christi Domini mei.* Ingens namque lumen notitiæ Christi sibi comparaverat, ac proinde omnia terræ hujus bona pro nihilo ducebat. Propter quem omnia detrimentum feci et arbitror ut stercora. Igiturne honores, dominia, thesauros, monarchias et quidquid hic mundus in se pulchri continet, ipse velut vile quoddam reputat sterquilinium? S. Thomas super illa verba quæ idem S. Paulus de se asserit, scilicet : *Mihi mundus crucifixus est*, ex illis manifestum fieri dicit quam fuerit sanctus hic Apostolus, affectibus et corde suo, ab omnibus hujus vitæ bonis alienus : « Manifestum est autem quod mundus et « omnia quæ in mundo sunt mortua erant in corde « Pauli. » Nemo nos ad terrena contemnenda et inquirendum cœlum efficacius hortari poterat S. Paulo Apostolo, utpote qui penetravit cœlos, cuique in ipsam cœli pulchritudinem et majestatem, suos defigere oculos licuit. Et quidem, ut bene Theophylactus notat, Apostolus non erat contentus, quod nos ad bona cœlestia requirenda hortatus fuisset, sed subjunxit insuper : *Ubi Christus est ad dexteram Dei Patris sedens* : « Non contentus fuit superna « dicere, neque ubi Christus est, sed adjecit : In « dextera Dei sedens, ut magis a terra animum « nostrum abducat. » Addit Apostolus : *Quæ sursum sunt sapite.* De hac autem superna Sapientia quæ nobis jubente Apostolo specialiter inquirenda est, S. Jacobus Apostolus loquitur, dum ait : *Quæ autem de sursum est sapientia.* Et S. Anselmus super illa verba : *Quæ sursum sunt sapite*, dicit : « *Sapite*, id « est, habete sapientiam de cœlestibus et æternis, « non de temporalibus et caducis. »

VERSUS 29.

Et nunc dixi vobis, priusquam fiat, ut cum factum fuerit credatis.

VERSUS 30.

Jam non multa loquar vobiscum. Venit enim princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam.

Additio.

a. — *Venit enim princeps hujus mundi et in me non habet quidquam.* D. Ambrosius legit : *Et in me invenit nihil.* Quomodo fieri potuit, ut in omnium bonorum infinito quasi thesauro nihil inveniatur? In Jesu omnium divitiarum plenitudo inhabitat corporaliter et tamen princeps hujus mundi nihil invenit. Pulchre et moraliter in hunc locum commentatur D. Ambrosius : « Avaritiæ damno dives « urgetur, pater dispendio filiorum, homo dolori- « bus, corpus ulceribus. » Unde Dominus noluit habere quod perderet et ideo pauper huc venit, ne haberet diabolus quod auferret. Ipsum Dominum dicentem audi : *Venit princeps hujus mundi*; et *in*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

me invenit nihil, sciens divitiarum possessionem specialem dæmonis laqueum esse, eumque specialissime in hoc veluti in suo centro residere.

Tametsi quidem certum sit, quod Ecclesiasticus, VI, 20, ait : *In medio laqueorum ingredieris*, verumtamen Apostolus divitiarum cupiditatem specialiter dæmonis laqueum esse Timotheo discipulo suo declarat, dicens : *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et in laqueum diaboli.* I *Tim.*, VI, 9. Quis nostrum argentum et aurum, temporalesque prosperitates, quas tantopere absentes concupiscimus et in quibus habitis tantopere nobis complaceamus, laqueos esse crederet? Quis non videt quod omnes et singuli se hujus laquei nexibus magis, magisque irretire desiderent, omnique studio satagant : « Ecgone, » inquit Hugo de S. Victore, « laqueus diaboli sunt divitiæ mundi hujus? Heu me, quam « pauci sunt qui volunt ab isto laqueo liberari? « Quam multi sunt qui dolent quod tam parum sunt « irretiti! »

VERSUS 31.

Sed ut cognoscat mundus quia diligo Patrem, et sicut dedit mihi Pater, sic facio.

DOMINICA PRIMA POST PENTECOSTEN

EVANGELIUM LUCÆ, CAP. VI, VERS. 36

36. Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est.

37. Nolite judicare, et non judicabimini; nolite condemnare, et non condemnabimini; dimittite, et dimittemini.

38. Date, et dabitur vobis, mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, et supereffluentem dabunt in sinum vestrum; eadem quippe mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis.

39. Dicebat autem et illis similitudinem : Numquid potest cæcus cæcum ducere? nonne ambo in foveam cadunt?

40. Non est discipulus super magistrum, perfectus autem omnis erit, si sit, sicut magister ejus.

41. Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem, quæ in oculo tuo est, non consideras?

42. Aut quomodo potes dicere fratri tuo : Frater, sine, ejiciam festucam de oculo tuo, ipse in oculo tuo trabem non videns? Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, et tunc perspicies, ut educas festucam de oculo fratris tui.

VERSUS 36.

Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est.

Estote misericordes.

1. — Dionysius Carthusianus ita hanc virtutem definit : « Misericordia virtus est, qua quis alterius « miseriæ condolet; » distinguit autem duo genera miseriarum, pœnæ scilicet et culpæ, quarum hæc major est illa : « Multo major miseria est culpæ, « quam pœnæ, ideo potissimum misericordes esse « debemus, succurendo proximis, ut a peccatis suis « purgentur, ipsos hortando, corripiendo, docendo, « pro iis orando et peccantibus etiam dum peccant « in nos, condolendo, non mox indignando, aut « irascendo, aut ulciscendo. » Considerat Theophylactus, ideo Christum hanc virtutem specialiter Apostolis inculcare voluisse, quia illos ad prædicandum Evangelium, in universum mundum missurus erat, ubi innumerabiles passuri erant persecutores, multasque recepturi ignominias, contumelias et probra : « Si in persecutione sua dolentes, ad vin« dicandum eos, qui se offenderant, conversi fuis« sent, silnissentque et non doluissent, extinctus « utique fuisset sol Evangelii; » hæc enim causa fuit, cur in patibulo crucis Patrem suum pro crucifixoribus reconciliandis orarit, ut scilicet idipsum Apostolos facere, non vero inimicis suis irasci doceret.

2. — Nonnulli hoc monitum idem fuisse credunt cum illo, quod, *Matth.*, V, 48, dederat, dum ait : *Estote perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est*, quia ad hoc, ut misericordes fiant, perfecti et sancti ut sint, necessum fuit; unde ubi Vulgata nostra legit, I *Reg.*, II, 9 : *Pedes sanctorum suorum servabit*. Cajetanus ex Hebræo vertit : *Pedes misericordium suorum custodiet*; siquidem magna opus est charitate, ut quis inimicis suis condonet injurias receptas, iisque benefaciat, aut miseriis alienis subveniat.

3. — Dionysius Carthusianus verbum *Misericors* idem quod in Hebraismo *Beneficus* significare existimat.

4. — Toletus dicit : « Hoc in loco misericordia « dilectionem et beneficentiam complectitur. » Lucas Brugensis similiter ait : « *Misericordes*, id « est, benigni, benefici, humani, ad gratificandum « faciles, scilicet erga omnes amicos et inimicos, « bonos et malos, divites et inopes. »

5. — Albertus Magnus, *in Luc.*, multos insinuat modos, quibus hanc erga proximum virtutem practicare et exercere valeamus. « Primo, in miseros « corporaliter vel spiritualiter viscera compassionis « effundendo. Secundo, miseris de vestris donando. « Tertio, si quid debet miser, condonando. Quarto, « miseriam ejus, quantum potestis, portando. « Quinto, miserum a miseria revocando. Sexto, si « etiam redire non vult, sed miseriis multiplicat, « eum exspectando. Septimo, revertentem sine im« properio, benigne suscipiendo. Octavo, quantum « in nobis est, multa quibus miseria sua tegatur, « largiendo. Nono, etiam pœnam suam secum por« tando. Decimo, etiam si aliud esse non potest, « satisfactionem pro miseris suscipiendo. »

Sicut et Pater vester misericors est.

6. — S. Cyprianus, *Epist.* LIII *ad Antonian.*, legit : *Sicut Pater vester misertus est vestri*. Pater enim æternus nos, utrumque in inferno pedem positum habentes, dæmonis mancipia esse, ligna, metalla et marmora, deorum loco adorare et in tot aliis irreparabilibus miseriis constitutos esse videns, compassione intima erga nos motus, pro nostra redemptione et reconciliatione proprium Filium suum nobis dedit et in crucis patibulo affigi voluit.

7. — Magnum profecto divinæ misericordiæ conceptum et æstimationem nobis ingerere debet illa Alberti Magni ponderatio, dicentis : « Qui nulli « subjacet miseriæ, qui est in cœlis, tamen pro solo « pietatis affectu misericors est, seipsum in nostris « miseriis miserabiliter conturbando, miserias nos« tras suscipiendo; multa pro nostris miseriis a « miseris sustinendo, sua se nobis communicando, « omnem nostram miseriam, si permittimus, ab« stergendo; *Joel.*, II, 13 : *Benignus et misericors*, « *patiens et multum misericors, et præstabilis super* « *malitia.* »

8. — S. Dorotheus ad hanc a Christo dilectissimis discipulis suis propositam invitationem se reflectens, ita scribit : « Non dixit, jejunate, ut « Pater vester cœlestis jejunat; non dixit, pauperes « estote, ut Pater cœlestis inops est, sed quid ait? « *Estote misericordes, sicut et Pater cœlestis miseri*« *cors est*; proprie enim virtus ista imitatur Deum, « ipsum exprimit et significat. » Chrysostomus, *Hom.* XXXVI *in Matt.*, similiter ait : « Nihil nos « usque ad similitudinem Dei sic effert atque extol« lit, quemadmodum libera, et benefica, et copiosa « collatio. »

9. — Hugo Cardinalis observat, quod non fuerit discipulos suos hortatus ad sapientiam vel potentiam Patris sui imitandam : « Hoc enim libenter « audiretur, sed *estote misericordes*. » Angelorum omnium pulcherrimus, qui Deo in potentia similis esse voluit, eidem rebellis fuit; et ideo Didacus Stella super hæc verba ita scribit : « Nec vult ut « similes ei simus in sapientia, ut voluit Eva cui « serpens dixit : *Eritis sicut dii, scientes bonum* « *et malum*; nec vult, ut miraculis eum imitemur, « nec in creatione et gubernatione mundi; in quo « igitur? utique in misericordia, hanc potius vult « quam sacrificium. » Utilissimum profecto nobis hac in re monitum S. Bernardus, in *Sermone de S. Victore*, his verbis præscribit, dum ait : « Tutius « sane æmulanda solidiora quam sublimiora, et « quæ magis virtutem redoleant; studeamus mori« bus conformari » de Sanctis loquitur, « cui in « mirabilibus similiari, etsi volumus, non valemus. « Æmulemur in viro sobrium victum, devotum « affectum, mansuetudinem spiritus, castimoniam « corporis, oris custodiam, animi puritatem, po« nere frenum iræ, modum linguæ, dormire par« cius, orare frequentius. »

10. — Albertus Magnus ait Christum ita nos hortari : « Ut notetur similitudo, quia Pater cœlestis « nihil habet miseriæ, in seipso; et sic est nobis « faciendum, ut alteri misericordiam faciamus, « *Eccl.*, XIV, 5 : *Qui sibi nequam est, cui est bo*« *nus.* »

11. — S. Bonaventura observat quod Christus in hisce verbis circumstantiam quamdam tangat, quam nobis in hujus misericordiæ exercitio requirit : *Sicut Pater*, etc., « quia ipse non tantum « amicis, sed adversariis condescendit, » adducitque textum illud, *Matth.*, XVIII, 33 : *Nonne oportuit et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum?* « Unde illam misericordiam exiget, quam « ipse impendit; » nam ut S. Jacobus, II, 13, Apostolus ait : *Judicium sine misericordia illi, qui non facit misericordiam.*

12. — Theophylactus Christum nos, per motivum aliquod valde efficax, ad hanc virtutem exercendam obligare voluisse considerat; dicit enim : « Alia necessitate nos urget : Si diligitis eos, qui « vobis benefaciunt, similes estis peccatoribus et « gentilibus; si diligitis eos, qui vobis malefaciunt, « similes estis Deo, qui est bonus ingratis et malis. « Utrum igitur Deo vel peccatoribus similes fieri « vultis?

Additiones.

a. — *Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est.* Divina Sapientia in variis nos virtutibus instruere volens, jam nos ad columbam remittit ad

me invenit nihil, sciens divitiarum possessionem specialem dæmonis laqueum esse, eumque specialissime in hoc veluti in suo centro residere.

Tametsi quidem certum sit, quod Ecclesiasticus, VI, 20, ait : *In medio laqueorum ingredieris*, verumtamen Apostolus divitiarum cupiditatem specialiter dæmonis laqueum esse Timotheo discipulo suo declarat, dicens : *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et in laqueum diaboli.* I *Tim.*, VI, 9. Quis nostrum argentum et aurum, temporalesque prosperitates, quas tantopere absentes concupiscimus et in quibus habitis tantopere nobis complaceamus, laqueos esse crederet? Quis non videt quod omnes et singuli se hujus laquei nexibus magis, magisque irretire desiderent, omnique studio satagant : « Ecgone, » inquit Hugo de S. Victore, « laqueus diaboli sunt divitiæ mundi hujus? Heu me, quam « pauci sunt qui volunt ab isto laqueo liberari? « Quam multi sunt qui dolent quod tam parum sunt « irretiti! »

VERSUS 31.

Sed ut cognoscat mundus quia diligo Patrem, et sicut dedit mihi Pater, sic facio.

DOMINICA PRIMA POST PENTECOSTEN

EVANGELIUM LUCÆ, CAP. VI, VERS. 36

36. Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est.

37. Nolite judicare, et non judicabimini; nolite condemnare, et non condemnabimini; dimittite, et dimittemini.

38. Date, et dabitur vobis, mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, et supereffluentem dabunt in sinum vestrum; eadem quippe mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis.

39. Dicebat autem et illis similitudinem : Numquid potest cæcus cæcum ducere? nonne ambo in foveam cadunt?

40. Non est discipulus super magistrum, perfectus autem omnis erit, si sit, sicut magister ejus.

41. Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem, quæ in oculo tuo est, non consideras?

42. Aut quomodo potes dicere fratri tuo : Frater, sine, ejiciam festucam de oculo tuo, ipse in oculo tuo trabem non videns? Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, et tunc perspicies, ut educas festucam de oculo fratris tui.

VERSUS 36.

Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est.

Estote misericordes.

1. — Dionysius Carthusianus ita hanc virtutem definit : « Misericordia virtus est, qua quis alterius « miseriæ condolet; » distinguit autem duo genera miseriarum, pœnæ scilicet et culpæ, quarum hæc major est illa : « Multo major miseria est culpæ, « quam pœnæ, ideo potissimum misericordes esse « debemus, succurendo proximis, ut a peccatis suis « purgentur, ipsos hortando, corripiendo, docendo, « pro iis orando et peccantibus etiam dum peccant « in nos, condolendo, non mox indignando, aut « irascendo, aut ulciscendo. » Considerat Theophylactus, ideo Christum hanc virtutem specialiter Apostolis inculcare voluisse, quia illos ad prædicandum Evangelium, in universum mundum missurus erat, ubi innumerabiles passuri erant persecutores, multasque recepturi ignominias, contumelias et probra : « Si in persecutione sua dolentes, ad vin« dicandum eos, qui se offenderant, conversi fuis« sent, silnissentque et non doluissent, extinctus « utique fuisset sol Evangelii; » hæc enim causa fuit, cur in patibulo crucis Patrem suum pro crucifixoribus reconciliandis orarit, ut scilicet idipsum Apostolos facere, non vero inimicis suis irasci doceret.

2. — Nonnulli hoc monitum idem fuisse credunt cum illo, quod, *Matth.*, V, 48, dederat, dum ait : *Estote perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est*, quia ad hoc, ut misericordes fiant, perfecti et sancti ut sint, necessum fuit; unde ubi Vulgata nostra legit, I *Reg.*, II, 9 : *Pedes sanctorum suorum servabit*. Cajetanus ex Hebræo vertit : *Pedes misericordium suorum custodiet*; siquidem magna opus est charitate, ut quis inimicis suis condonet injurias receptas, iisque benefaciat, aut miseriis alienis subveniat.

3. — Dionysius Carthusianus verbum *Misericors* idem quod in Hebraismo *Beneficus* significare existimat.

4. — Toletus dicit : « Hoc in loco misericordia « dilectionem et beneficentiam complectitur. » Lucas Brugensis similiter ait : « *Misericordes*, id « est, benigni, benefici, humani, ad gratificandum « faciles, scilicet erga omnes amicos et inimicos, « bonos et malos, divites et inopes. »

5. — Albertus Magnus, *in Luc.*, multos insinuat modos, quibus hanc erga proximum virtutem practicare et exercere valeamus. « Primo, in miseros « corporaliter vel spiritualiter viscera compassionis « effundendo. Secundo, miseris de vestris donando. « Tertio, si quid debet miser, condonando. Quarto, « miseriam ejus, quantum potestis, portando. « Quinto, miserum a miseria revocando. Sexto, si « etiam redire non vult, sed miseriis multiplicat, « eum exspectando. Septimo, revertentem sine im« properio, benigne suscipiendo. Octavo, quantum « in nobis est, multa quibus miseria sua tegatur, « largiendo. Nono, etiam pœnam suam secum por« tando. Decimo, etiam si aliud esse non potest, « satisfactionem pro miseris suscipiendo. »

Sicut et Pater vester misericors est.

6. — S. Cyprianus, *Epist.* LIII *ad Antonian.*, legit : *Sicut Pater vester misertus est vestri*. Pater enim æternus nos, utrumque in inferno pedem positum habentes, dæmonis mancipia esse, ligna, metalla et marmora, deorum loco adorare et in tot aliis irreparabilibus miseriis constitutos esse videns, compassione intima erga nos motus, pro nostra redemptione et reconciliatione proprium Filium suum nobis dedit et in crucis patibulo affigi voluit.

7. — Magnum profecto divinæ misericordiæ conceptum et æstimationem nobis ingerere debet illa Alberti Magni ponderatio, dicentis : « Qui nulli « subjacet miseriæ, qui est in cœlis, tamen pro solo « pietatis affectu misericors est, seipsum in nostris « miseriis miserabiliter conturbando, miserias nos« tras suscipiendo; multa pro nostris miseriis a « miseris sustinendo, sua se nobis communicando, « omnem nostram miseriam, si permittimus, ab« stergendo; *Joel.*, II, 13 : *Benignus et misericors*, « *patiens et multum misericors, et præstabilis super* « *malitia.* »

8. — S. Dorotheus ad hanc a Christo dilectissimis discipulis suis propositam invitationem se reflectens, ita scribit : « Non dixit, jejunate, ut « Pater vester cœlestis jejunat; non dixit, pauperes « estote, ut Pater cœlestis inops est, sed quid ait? « *Estote misericordes, sicut et Pater cœlestis miseri*« *cors est*; proprie enim virtus ista imitatur Deum, « ipsum exprimit et significat. » Chrysostomus, *Hom.* XXXVI *in Matt.*, similiter ait : « Nihil nos « usque ad similitudinem Dei sic effert atque extol« lit, quemadmodum libera, et benefica, et copiosa « collatio. »

9. — Hugo Cardinalis observat, quod non fuerit discipulos suos hortatus ad sapientiam vel potentiam Patris sui imitandam : « Hoc enim libenter « audiretur, sed *estote misericordes*. » Angelorum omnium pulcherrimus, qui Deo in potentia similis esse voluit, eidem rebellis fuit; et ideo Didacus Stella super hæc verba ita scribit : « Nec vult ut « similes ei simus in sapientia, ut voluit Eva cui « serpens dixit : *Eritis sicut dii, scientes bonum* « *et malum*; nec vult, ut miraculis eum imitemur, « nec in creatione et gubernatione mundi; in quo « igitur? utique in misericordia, hanc potius vult « quam sacrificium. » Utilissimum profecto nobis hac in re monitum S. Bernardus, in *Sermone de S. Victore*, his verbis præscribit, dum ait : « Tutius « sane æmulanda solidiora quam sublimiora, et « quæ magis virtutem redoleant; studeamus mori« bus conformari » de Sanctis loquitur, « cui in « mirabilibus similiari, etsi volumus, non valemus. « Æmulemur in viro sobrium victum, devotum « affectum, mansuetudinem spiritus, castimoniam « corporis, oris custodiam, animi puritatem, po« nere frenum iræ, modum linguæ, dormire par« cius, orare frequentius. »

10. — Albertus Magnus ait Christum ita nos hortari : « Ut notetur similitudo, quia Pater cœlestis « nihil habet miseriæ, in seipso; et sic est nobis « faciendum, ut alteri misericordiam faciamus, « *Eccl.*, XIV, 5 : *Qui sibi nequam est, cui est bo*« *nus.* »

11. — S. Bonaventura observat quod Christus in hisce verbis circumstantiam quamdam tangat, quam nobis in hujus misericordiæ exercitio requirit : *Sicut Pater*, etc., « quia ipse non tantum « amicis, sed adversariis condescendit, » adducitque textum illud, *Matth.*, XVIII, 33 : *Nonne oportuit et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum?* « Unde illam misericordiam exiget, quam « ipse impendit; » nam ut S. Jacobus, II, 13, Apostolus ait : *Judicium sine misericordia illi, qui non facit misericordiam.*

12. — Theophylactus Christum nos, per motivum aliquod valde efficax, ad hanc virtutem exercendam obligare voluisse considerat; dicit enim : « Alia necessitate nos urget : Si diligitis eos, qui « vobis benefaciunt, similes estis peccatoribus et « gentilibus; si diligitis eos, qui vobis malefaciunt, « similes estis Deo, qui est bonus ingratis et malis. « Utrum igitur Deo vel peccatoribus similes fieri « vultis?

Additiones.

a. — *Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est.* Divina Sapientia in variis nos virtutibus instruere volens, jam nos ad columbam remittit ad

discendam ab ea simplicitatem, jam ad serpentem amandat ad comparandam prudentiam, mox ad corvos, ut in providentia edoceamur, alias ad formicam ad concipiendum fervorem : *Vade ad formicam, piger. Estote prudentes sicut serpentes et simplices sicut columbæ. Considerate corvos.* At vero quia opera misericordiæ perfectissima sunt et nobilissima, ideo quando de iis exercendis agebatur, nullam adinvenire potuit aptiorem similitudinem, ad quam nos remitteret, quam cœlestis et æterni Patris sui. Unde ait : *Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est.* Nam ut D. Chrysostomus ait : « Nihil nos « usque ad similitudinem Dei sic effert, atque « extollit, quemadmodum libera, benefica et co- « piosa collatio. » Bellovacensis, in *Speculo morali*, hanc ab eodem Deo factam invitationem considerans ait : « Deus qui summe misericors est et super « omnia vult de misericordia prædicari, ad miseri- « cordiam nos invitans, semetipsum proponit in « exemplar evidentissimum, verissimum et perfec- « tissimum, per quod habeamus doctrinaliter in- « formari, per quod habeamus deiformiter trans- « formari. Ait enim : *Estote misericordes, sicut et « Pater vester misericors est.* » Quid vero nobis dignius imaginari possumus, quam quod per hujus virtutis exercitium Deo conformemur : « deiformiter « transformari? » Apostolus, *Ephes.*, v, 1, sic ait : *Estote ergo imitatores Dei, sicut filii charissimi.* Sed in quonam putatis hanc ab Apostolo collocatam fuisse imitationem, ut spem concipere possent Ephesii dictæ adoptionis filialis? Ipse respondet, dicens *Ambulate in dilectione.*

b. — Nescio an aliquando reflexeritis ad illa S. Pauli verba : *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ.* Quo enim fine Altissimi Dei Filius humanum genus redimere volens, cum hoc fragili humanæ naturæ luto hypostatice unire se voluit? Cur non potius naturam sibi angelicam astrinxit, maxime quando Luciferum cum tertia cœlestis curiæ parte lapsurum esse prævidit, per rebellionem, dum hominem adeo vilem creaturam, *quæ putredo et vermis est*, in unione hypostatica sibi præferri tolerare non potuit? Dubium hoc idem Doctor gentium, qui *audivit arcana verba*, his verbis resolvit : *Debuit per omnia fratribus assimilari, ut misericors fieret.* II *Cor.*, XII, 4. Non enim adeo tenere nostris potuisset compati miseriis, nisi illas sibi assumpsisset, nostram induendo mortalitatem; Angeli enim impassibiles sunt. Unde Albertus Magnus ait : « Qui nulli subjacet miseriæ, qui est in cœlis, « tamen pro solo pietatis affectu misericors est, « seipsum in nostris miseriis miserabiliter contur- « bat, miserias nostras suscipiendo. » Bellovacensis alio in loco illum ponderat Apostoli textum : *Voluit per omnia fratribus assimilari*, etc., « id est, » ut ipse ait, « qui ex divinitate essentialiter est miseri- « cors ab æterno, ex infirmitatibus et passionibus « nostris assumptis in carne, debuit esse misericors « experimentaliter sustinendo. »

c. — Ecclesiasticus, IV, 11, multa enumerat misericordiæ opera, ad eaque nos exhortatur et remunerationis loco excelsam hanc et sublimem nobis promittet dignitatem : *Et eris tu velut Filius Altissimi.* Porro Filius est imago Patris, dicente Apostolo : *Qui est imago Dei.* Hæc autem Filii imago, hæc unigeniti Filii Dei effigies, si S. Leoni Magno credimus, in iis præcipue exprimitur, a quibus misericordiæ opera exercentur. Ait enim S. Leo, *Serm.* x *in Quadr.* : « Ubi curam misericordiæ inve- « nit, ibi imaginem suæ pietatis agnoscit. »

d. — Regius Psalmista in principio, *Psal.* CXLV, linguam suam in laudes Dei laxare, eumque quoad poterat, magnificare satagit, dicendo : *Laudabo anima mea Dominum; laudabo Dominum in vita mea, psallam Deo meo quamdiu fuero.* Observandum vero est, quod in progressu ejusdem Psalmi, nullas adducat majores aut specialiores prærogativas, quam eas, quæ a beneficentia et operibus misericordiæ desumuntur : *Dat escam esurientibus; Dominus solvit compeditos; Dominus illuminat cæcos; Dominus erigit elisos, Dominus custodit advenas; pupillam et viduam suscipiet;* quasi dicere vellet : In his operibus præ cunctis aliis, divinitas et magnificentia summi Numinis elucet. Ingeniosus profecto et utilis est ille discursus, quem Didacus Stella super hæc verba : *Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est*, in hunc modum instituit : « Non vult ut cum « potentia referamus, quia ob hanc causam a cœles- « tibus regnis cecidit Lucifer; nam dixit in corde « suo : *Ascendam in cœlo et ero similis Altissimo.* Nec « vult, ut similes ei simus in sapientia, ut voluit Eva, « cui serpens dixit : *Eritis sicut dii, scientes bonum « et malum.* Nec vult, ut miraculis eum imitemur, « nec in creatione, nec in gubernatione mundi. In « quo igitur? Utique in misericordia. » Paulo post vero, ut in quo hæc similitudo consistat, demonstrat, hæc verba subjungit : « Aliquis alicui similis « dicitur esse, non pedibus, nec manibus, sed « facie, quæ certior pars hominis est. Ita quod in « Deo magis altum et profundum est erga nos, est « sua misericordia, juxta illud Jacobi : *Misericordia « ejus super omnia opera ejus.* »

e. — P. Michael de Aygnanis Carmelitanus, super illa verba Psalmi XXXVI : *Tota die miseretur et commodat*, de homine justo disserens, inquit : « Osten- « dit quod justus Deum imitatur; inter omnia « enim, quæ Deo appropriantur, est aliis misereri. « Unde cantat Ecclesia : Deus cui proprium est « misereri semper. » Nazianzenus in oratione de pauperum amore, ita scribit : « Nulla omnino re « perinde ut misericordia, Deus conciliatur, quando « quidem nec aliud quidquam Deo magis proprium « est, quippe quem misericordia et veritas præce- « dant. »

S. Thomas, II, II, *qu.* XXX, articulum quemdam habet, in quo quærit an misericordia omnibus aliis sit major virtutibus; hacque occasione sequens format argumentum : « Tanto aliqua virtus est me- « lior, quanto facit hominem Deo similiorem; quia « per hoc melior est homo, quod Deo est simi- « lior. » At hoc maxime facit misericordia, quia de Deo dicitur in Psalmo : *Quia miserationes ejus sunt super omnia opera ejus.* Unde et *Luc.*, VI, Dominus dicit : *Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est.*

f. — Advertendum est quod sicut cœlestis Magister noster ad hanc nos exhortatus est virtutem, ut nos æterno Patri suo et sibi similes efficeret, ita quoque summa cum diligentia eamdem exercuerit. Enimvero Apostoli illum Magistri titulo indigitarunt; Pharisæi similiter, cum dicebant : *Magister scimus quia verax es et viam Dei in veritate doces.* Magdalena illum *Rabboni* nomine salutavit. Videamus igitur quam cœlestis hic Magister et incarnata Sapientia, postquam hic in terris veræ et sanæ doctrinæ cathedram erexit, primam præ cæteris lectionem fideles docuerit : *Discite*, inquit, *Matth.*, XI, 29, *a me, quia mitis sum.* Et alibi, *Matth.*, IX, 13 : *Euntes discite, quid est, quia misericordiam volo et non sacrificium.* Unde Bellovacensis ait : « Attende « quod signanter dicit : *Discite*; quasi dicat : Hanc « lectionem vobis specialiter super omnes com- « mendo et in cordibus vestris indelebiliter imprimi « volo. »

Christus Dominus per altissimam suam sapientiam disposuit, ut Evangelistæ specialissime illa describerent miracula, quæ ad sublevandas aliorum miserias, ab illo patrata fuerant. Unde S. Joannes Evangelium suum concludit, dicendo : *Sunt et alia multa quæ fecit Jesu, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos qui scribendi sunt libros.* Porro semel tantum in Thabor transfiguratus fuit, semel tantum super Jordanem cœlos aperiri fecit et sic de aliis memorabilibus factis discurrere licet. At vero ubi agitur de patratis a Christo misericordiæ operibus, tam corporalibus quam spiritualibus, sacri Chronistæ seu Evangelistæ promptum semper ad manum habuerunt calamum, nec quidquam eorum omiserunt. Nimirum voluit, ut de se propheticum illud Isaiæ verificaretur oraculum : *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me, ad annuntiandum mansuetis misit me, ut medeer contritis corde, et prædicarem indulgentiam, et clausis apertionem.* Quibus verbis Propheta Dei Filium eo fine in terras venturum prædicit, ut se in hisce misericordiæ operibus continuo exerceret.

g. — Observandum quoque est quod Baptista, dum ex hac vita paulo post egressurus, certam discipulis suis de adventu Messiæ vellet dare notitiam, duos de discipulis suis ad Christum mittens, dixerit illis : *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Et respondens Jesus ait illis : *Euntes renuntiate Joanni quæ audistis et vidistis : cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur.* Quasi dicere vellet : Ex hoc indicio me verum Dei Filium et promissum Messiam esse evidenter intelligitis, quia scilicet, mundo leprosos, erigo claudos, illumino cæcos, ignorantes eruditio, etc. Adhæc cum priusquam in cœlos ascenderet, suam Apostolis, præcipue ad miracula patranda, delegasset omnipotentiam, specialiter hæc miracula in sanandis infirmis ab illis patrari volebat. Unde sacer textus ait, *Marc.*, XVI, 18 : *Super ægros manus imponent et bene habebunt.* Unde liquet quod priusquam ex hoc mundo recederet, nullam habuerit majorem curam quam ut animis Apostolorum, misericordiæ opera inculcaret. Et hoc forte fuit mysterium, propter quod Bethaniam versus iter suum instituerit, ubi a duobus sororibus sæpe hospitio charitative exceptus fuerat, atque unde versus montem Oliveti se receperit, indeque in cœlos ascenderet; siquidem olivæ veracissimum sunt hujus virtutis symbolum. Præterea quando suas, erga homines miserabiles, impertiturus erat gratias, alatis quasi pedibus occurrere solebat. Unde quando a Centurione ei dictum fuit : *Puer meus jacet in domo paralyticus*, subito et sine mora respondit : *Ego veniam et curabo eum.*

h. — Contemplativus quidam de Salvatore nostro perhibet quod Jerosolymam ingrediens, postquam ante omnia templum visitasset, mox ad hospitale se contulerit, id est, ad probaticam piscinam, *ubi erat multitudo languentium.* Porro S. Joannes hunc locum *Bethsaida* appellat. Quod nomen ut linguæ hebraeæ periti dicunt, idem significat quod *domus misericordiæ.* Salmeron super illa verba : *Nonne ergo oportuit et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum?* ita scribit : « Nam hic servus non « poterat remittere conservo, si prius dominus sibi « non dimisisset; nam cum deberet satisfacere « domino suo, æquum erat exigere a suis debitori- « bus, ut ex eo satisfaceret domino. Aut certe « oportebat debitorem assignare domino. Sed et « postquam remissum est, tunc oportuit et ipsum « misereri conservi sui. Juxta quam rationem, « postquam Christus venit et liberavit nos ab omni « culpa et pœna, oportet et nos proximis nostris « remittere, quia hoc ipso quod remissionem acci- « pimus, per Dei gratiam habemus, ut possimus « per eamdem remittere debitoribus nostris. » Idem quoque quoad opera misericordiæ corporalia dicere possumus. Cum enim Christus venerit ad nos redimendos, quis excusare se poterit, quo minus erga proximos, qui ejus fratres sunt, beneficum se exhibeat, quando Christus pro vilissimo terræ vermiculo, qualis homo est, *exinanivit semetipsum et propter nos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia nos divites essemus.* Atque insuper mi-

serabili homini Filius Dei quoad corpus et animam, ut Ecclesia in hymno canit : « Se nascens dedit « socium, convescens in edulium, se moriens dat « pretium, se regnans dat in præmium. »

1. — Valde efficax motivum ut charitatem pauperibus prompte et libenter exhibeamus, si consideremus quod hoc faciendo, Dei erga nos amorem et benevolentiam comparamus; dicit enim Scriptura : *Hilarem datorem diligit Deus.* Et profecto, « si similitudo amorem generat, » inquit S. Leo, « ubi Deus curam misericordiæ invenit, ibi imagi- « nem suæ pietatis agnoscit. » *Deus* enim « *dando* dicitur, quem benefici existentes perfecte imitamur, et ideo a Deo diligimur, quia nos ei similes efficere satagimus : *Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est.* Et S. Gregorius Nazianzenus de pauperibus fovendis inquit : « Nihil adeo divinum « homo, quam beneficare. » Clemens Alexandrinus quoque de viro eleemosynario inquit : « Dei imago « est homo benefaciens; » et ideo S. Maximus nos monet, dicens : « Simus imitatores Domini Dei « nostri; si enim ille pauperes in cœlesti gloria « voluit esse nobis consortes, cur nobis non sint in « terrena substantia consortes? Nec extranei sunt « alimoniis, qui fratres sunt Sacramentis. » Eleemosynæ igitur nos Dei amorem acquirere faciunt, quo mediante unum idemque cum ipso efficimur : *Deus enim charitas est, et qui manet in charitate, in Deo manet et Deus in eo.* I *Joan.*, IV, 16. Unde Divus Chrysostomus ait : « In eleemosyna similis efficeris « Deo, quantum homini possibile est. » S. Leo priusquam Deum in eleemosynario vivam suam effigiem expressam agnoscere dicat, conclusionem quamdam valde notabilem, magnique ponderis præmittit, dicens : « Nulla devotione fidelium magis « Dominus delectatur, quam ista quæ pauperibus « ejus impenditur; » nec immerito id dicit, quia, miserationes ejus super omnia opera ejus; *major autem horum est charitas;* eleemosynam autem faciendo, Dei imitamur misericordiam, charitatem et amorem, qui sui ipsius bonorumque suorum erga creaturas est communicativus. Unde D. Nazianzenus dicit : « Fac calamitoso sis Deus, Deum imi- « tando; ille majora dat, to minora, uterque pro « viribus suis. »

VERSUS 37.

Nolite judicare, et non judicabimini; nolite condemnare, et non condemnabimini; dimittite, et dimittemini.

Nolite judicare.

1. — Albertus Magnus duo judicii genera distinguit : « Est judicum rationis et judicium jurisdic- « tionis; judicium rationis est, quo facta nostra, « vel aliena apud nos discutimus; » hoc autem judicium iterum distinguit et dicit, quod judicium hoc, de quo solo hic sermo est, fieri possit vel de nobis ipsis, aut vero de aliis; si de nobis ipsis fiat, jam conscientiam testis loco habet : « Habet con- « scientiam testem de facto et de causa facti; et de « intentione facti, et ideo in illo judicio optime « proceditur, et suadet tali judicio conscientiam « discutere Apostolus, » qui proinde Corinthios, I *Epist.*, XI, 31, ita monet : *Quod si nos ipsos judicaremus, non utique judicaremur;* demum vero ad judicium quod fit de aliis, descendens monet : « Si « facta alienæ conscientiæ curiosius investigo, non « debeo ante tempus judicare, I *Cor.*, IV, 5 : *Nolite « ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, « qui*, etc.; *mihi pro minimo est, ut a vobis judicer, « aut ab humano die;* dies autem humanus est hu- « manæ cognitionis illustratio, quæ sæpe nebulosa « et fallax est; dies autem Domini est divinæ cogni- « tionis illustratio et manifestatio. » Ut autem melius quandonam judicium istud prohibitum sit, intelligatur, considerandum est quod discursus nostri judicium, vel versatur circa actiones, vel circa operantem; si opera evidenter culpabilia sint, v. g. adulterium, furtum, vel alia peccata similia, non est error, malum de illis formare judicium, similiter tunc culpa caret judicium malum de operante conceptum, si tamen actualiter peccet; cæterum namque : « Cavendum est, ne judicetur de perma- « nentia in peccato, ut dicamus, quod nunquam « erit bonus, quia qui hodie est malus cras forte « bonus erit. » Quod si vero opera ad bonum vel malum indifferentia existant, quale est, bona temporalia acquirere, cum muliere loqui, vel similia : « Aut judicator de opere, aut de operante. Si de « opere, non debet fieri judicium humanæ diei, « quia de opere non judico, nisi de causa, vel « intentione operis; sicut si dicam, quod tempora- « lia ex avaritia congregat, et tenet, ut in deliciis « vivat, et turpiter expendat, hoc est judicium « temerarium et humanæ diei, quia opus non « ostendit malum; et de quolibet præsumendum « est bonum, nisi probetur contrarium; similiter « autem si hoc modo judico de operante. »

2. — Toletus rationem reddit, cur sapientissimus Magister noster de hac materia judicandi alios, in præsenti Evangelio tractaverit; cum enim dixisset eos, qui adoptivi sunt filii Dei, ejus quoque exemplo misericordes et compassivos esse debere, mox subjungit, quid Deus ex motivo misericordiæ suæ faciat, ut idipsum nos quoque facientes, perfectam erga proximos nostros dilectionem nos habere probemus : « Deus hominem peccantem non statim « judicavit, nec usus est sua justitia adversus eum, « sicut fecerat contra Angelos peccantes, quos sta- « tim judicavit, et condemnavit; at vero hominum « misertus est, et ad pœnitentiam expectavit, et « remedia salutis obtulit, Filium enim suum in « mundum non ad judicandum nec ad damnan-

« dum, sed ad salvandum misit, *Joan.*, III, 17 : *Non « enim misit Deus Filium*, etc. »

3. — Lucas Brugensis de quonam judicio Salvator noster hic locutus fuerit, his verbis declarat : « Non agitur de publico judicio sed privato, eoque « non quovis, sed temerario ac maligno, quo quis « vel sinistre interpretatur alterius dicta, aut facta « dubia, vel exaggerat delicta levia, vel divulgat « crimina, vel calumniis impetit benefacta, vel « desperatæ salutis delinquentem judicat. »

4. — Euthymius ait : « Hic sermo non ad eos, « qui præsunt, dirigitur, sed ad subditos, monens, « ne qui propria debent, inspicere, ac seipsos diju- « dicare inspiciant aliena, ut dijudicent alios, nam « et Paulus dicit : *Si nos ipsos dijudicaremus, ne- « quaquam dijudicaremur.* » Hoeque unum est ex motivis, quibus Jansenius, *cap.* LV *concord.*, ad nos ab hoc offendiculo deterrendos, utitur, dum ait : « Quod conveniat eum sua facta et dicta diligentius « attendere, atque in his suos lapsus, errata et de- « fectus perspicere, ut non libeat ei aliena curiosius « observare, aut observata carpere. »

5. — Euthymius, *Matth.*, VII, 3, dicit : « Diri- « gitur quoque sermo et ad eos, qui cum in majo- « ribus offendant, condemnant eos, qui in pravis « labuntur; » in cujus probationem considerat, quod Dominus noster paulo post subjungat : *Quid inspicis festucam in oculo fratris tui, trabem autem, quæ in oculo tuo est, non consideras?* Chrysostomus quoque hoc monitum iis datum esse dicit, *Hom.* XXIV *in Matth.*, quia alios de peccatis judicant levibus, cum ipsi ad fauces usque enormibus excessibus noscantur esse immersi : « Cum flagitiis « abundent innumeris, alios de levissimis quibus- « que delictis tota temeritate condemnant; » id quod Jansenius in Scribis et Pharisæis exemplificat, qui in censurandis aliorum levibus defectibus rigorosissimi erant, cum ipsi gravissimorum præceptorum essent transgressores : « Ea calumniantes, quæ « recta erant, sinistre interpretantes, quæ erant « dubia, exaggerantes quæ erant levia, sic et inge- « nio vulgi inter reliqua vitia penitissime insitum « est, in alienis factis curiosum esse, eaque censere, « a quo morbo suos docet hic Dominus debere esse « alienissimos. »

6. — Porro alios temere judicare, idem est quod jurisdictionem soli Deo propriam usurpare, *Rom.*, XIV, 4 : *Tu quis es, qui judicas alienum servum? Domino suo stat, aut cadit.* S. Climacus quoque ait : « Judicare est impudens direptio divinæ dignita- « tis. » Et S. Job, XIII, 18, ait : *Numquid faciem ejus accipitis? et pro Deo judicare nitimini?* quasi vellet dicere, quod, dum alios judicare volumus, idem faciamus, ac si falcem nostram alienæ messi immitteremus, officiumque præsumeremus exercere, quod ad Deum solum spectat : *Quis enim hominum scit, quæ sunt, hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? Scrutans corda et renes Deus*, ad quorum discretionem et notitiam homo nunquam pertingere valet.

7. — Jansenius ejus, qui proximum judicare non dubitat, temerariam arrogantiam et injustitiam, ab inconvenienti quodam deducere contendit, scilicet, quod hoc sit auctoritatem talem in eum sibi usurpare, quam nec habet, quæque illi nulla ratione debetur : « Quod agnoscere se debeat proximi sui « conservum esse, non judicem; » unde enim nobis illa potestas venit, quod proximum nostrum parem et æqualem nobis censurare, judicare et condemnare non dubitemus?

8. — S. Jacobus, IV, 11, ait : *Nolite judicare alterutrum fratres, qui detrahit aut judicat fratrem suum, detrahit legi*, quibus verbis pari passu de detractione et judicio temerario loquitur, quia per hoc, personam illam, quam judicamus, in conceptu nostro famam, quam apud nos habere debet eidem auferimus, eamque infamamus.

9. — Toletus in decursu hujus capitis VI S. Lucæ, e quo præsens Evangelium desumptum fuit, observat, quod Christus in eo, duo præcipue impedimenta, quæ proximi et maxime inimicorum dilectioni opponuntur, submovere voluerit, impatientiam videlicet et avaritiam, præter quæ, in hisce verbis aliud quoddam obstaculum e medio tollere intendit, nimirum judicium temerarium : « Hoc « enim sæpe causa est, ut inimicos multos nobis « faciamus, qui vere non sunt, dum dubia eorum « verba et facta, quæ in bonam et in malam partem « accipi possunt, sinistre interpretamur, sæpeque « decepti opinamur tales esse homines, quales non « sunt. » D. Chrysostomus in hujus pestis detestationem, aptius ad propositum nostrum loqui non poterat, quam dum ita de hoc vitio scribit, *Hom.* XI *in* I *ad Cor.* : « Ob id Dominus hoc dilectionis « venenum, quod amicitias interimit et inimicitias « multiplicat, fovet et auget, de medio tollit, « dicens : *Nolite judicare.* »

10. — Porro bonitas et malitia operis, ab intentione recta vel iniqua dependet, hæc autem soli Deo est manifesta. Unde Glossa ait : « Sunt « quædam media et incerta, quo animo fiant, quia « bene et male possunt fieri; » quæ verba ex Beda fuere desumpta, qui ulterius progreditur dicens : « De quibus temerarium est judicare, maxime ut « condemnemus; horum veniet tempus, ut judice- « tur, cum Dominus illuminabit abscondita tene- « brarum, et manifestabit cogitationes cordis. Duo « autem sunt, in quibus temerarium judicium « cavere debemus, cum incertum est, quo animo « quidve factum sit; vel cum incertum est, qualis « futurus sit, qui nunc vel bonus, vel malus appa- « ret. » Prudens ille paterfamilias Evangelicus servis suis vetitum esse voluit, ne zizania ex agro eradicarent, cujus hanc rationem subjunxit, *Matth.*,

XIII, 29 : *Ne forte colligentes zizania, eradicetis cum eis simul et triticum*; hæc enim inutilis herba, quoad apparentiam exteriorem, magnam habet cum tritico similitudinem; hac autem prohibitione docere nos voluit, ut ait S. Hieronymus : « Ne, ubi « quid ambiguum est, cito sententiam proferamus, « sed Deo judici reservemus. » Notandum quoque est ad præsens propositum, quod hi servi, utpote qui prudenti admodum et timorato Domino inserviebant, dum agrum zizaniis respersum viderent, nemmem ausi fuerint in particulari, hujus infidelitatis et malitiæ arguere, male de aliquo in particulari suspicari, sed tantum in genere dixerint : *Inimicus homo hoc fecit*, neque enim majori cum modestia et circumspectione loqui poterant. Optime igitur S. Augustinus monet, dum ait : « Si ergo « quispiam conquestus de stomacho, jejunare noluerit, et tu id non credens, edacitatis vitio tribuerit, « temere judicabis ; non ergo reprehendamus ea, « quæ nescimus, quo animo fiant. » Quando S. Carolus Borromæus, in optimo ætatis suæ flore, eo tempore Ecclesiæ navicula gubernantis Papæ nepos existens, nocturno tempore e sacro Palatio cum paucis quibusdam egressus occulte et in personato habitu, Romam perambulabat, maligni homines idipsum videntes, et eum ex facie vel famulitio agnoscentes, pro innata ipsis malitia, facile de ipso sinistre suspicati, et judicium valde temerarium et iniquum de ipso formare potuissent, et tamen ipse solum ut omnibus ignotus et occultus esset, in tenebris, collem Esquilinum sanctæ Mariæ-Majoris flexis genibus eo tempore conscensurus exibat.

11. — Dionysius Carthusianus aliud quoddam, hunc temerarii judicii scopulum fugiendi, motivum his verbis subministrat : « Quoniam debiles sumus « in ratione, quia faciliter fallimur et erramus, « pronique sumus ad passiones, et vitia rectum « judicium pervertentia. » *Mendaces filii hominum in stateris*, inquit David, *Psal.* LXI, 10, *ut decipiant*; imo ut decipiantur, et ratio est, quia *homo videt in facie*; neque enim homo aliud quam ex apparentia et specie exteriori sibi objecta, judicium formare potest, quod tamen, ut sæpe numero experimur, cum interiori hominis animo et intentione multoties minime consentit. Et ideo mirum non est, quod sæpissime, et ut plurimum decipiamur. Quis sibi de generosa illa heroina Juditha, honestissima vidua non formasset iniquum conceptum, si quis illam rara pulchritudine decoram, mundo muliebri elegantissime exornatam, pretiosissimis odoriferisque unguentis delibutam in medium usque exercitum, imo in ipsa impii et lascivi Holofernis belli ducis tentoria penetrare conspexisset? et tamen quantum unusquisque in suo judicio hallucinatus fuisset, exitus ipse tandem comprobavit; quis de S. Paphnutio Abbate, in habitu et specie mercatoris, Thaidis meretricis domum ingrediente, et cum ea liberaliter conversante, sinistrum aliquid non suspicaretur? et tamen ut animam meretricis illius Deo lucraretur, domum illam adierat.

12. — Porro quam facile homines, maxime passione aliqua turbati, ad hunc scopulum allidant, idem Doctor Carthusianus his verbis optime demonstrat : « Quod utique passionatis summe periculosum est, et præsertim cavendum est eis, ne « proni sint judicare eos, ad quos minus bene affi« ciuntur seu inclinantur. » Assuerus post conceptam adversus Aman gravem indignationem, eumdem super lectulo Reginæ jacentem videns, protinus de ipso temere judicare cœpit, quasi in ejus conspectu honestati Estheris Reginæ insidiari moliretur, et tamen valde in eo errabat, siquidem is regia se gratia excidisse videns, et dolore et cordis anxietate oppressus, præ nimio animi deficientis deliquio, in lectulum protinus etiam invitus corruit.

13. — Jansenius ait : « Prohibetur judicium, « quo quis hominem, quædam aperte mala com« mittentem condemnat, velut desperatæ salutis. » Contra quod Glossa hoc nobis tradit salutare monitum : « Nescimus qualis futurus est, qui nunc « apparet malus, de cujus correctione desperare, « eumque quasi abjectum reprehendere temerarium « est. » Quis unquam credere potuisset de Saulo, quando eorum, qui S. Stephanum protomartyrem lapidabant, vestimenta custodiebat : *Et erat spirans minarum et cædis in discipulos Domini*, quod is aliquando futurus esset Apostolus, et talis quidem, qui universum mundum ad ejusdem Christi fidem conversurus esset?

14. — Quod si tamen in aliquo casu obvio, ad aliquod de proximo formandum judicium urgeremur, id magna cum cautela et circumspectione formandum erit. Deus olim in Levitico lepræ judicium per septem dierum spatium suspendi præcepit, etiamsi lepra manifestata esset; varios quoque summo Sacerdoti præscripsit modos, quo se in hujus lepræ judicio, ab omni errore immunem faceret : *Omnia in figura contingebant illis*; nimirum per hoc insinuare nobis voluit, quam cauti et circumspecti esse debeamus quando nobis de lepra animæ proximi nostri judicandum est : « Sunt « homines, » inquit Oleaster, « qui ea facilitate alios « de malo judicant, ac si quæ in corde eorum sunt, « eo acumine viderent, quo Deus scrutatur renes « et corda, quos locus iste arguere videtur, qui « non permittit Sacerdotem facile hominem lepro« sum judicare, sed prius multis diebus recludere, « et judicium suspendere. »

15. — Multum quoque tribuendum est debilitati, aut ignorantiæ, vel inadvertentiæ illius, qui erravit : « Excusa intentionem, » inquit S. Bernardus, *Serm.* XL *in Cant.*, « si non potes opus, puta « ignorantiam, puta subreptionem, puta casum. »

Et non judicabimini.

16. — Dionysius Carthusianus ait : « Christus mul« tis periculis et peccatis nos eripit, præservat, dum « judicare nos prohibet. » Sententia Spiritus Sancti, est, dilecto Christi discipulo ad calamum dictata, quæ sequitur : *Qui non diligit, manet in morte*; judicium vero temerarium dilectioni proximi et charitati directe est contrarium ; et ideo S. Bonaventura illud pestem appellat, quæ ad cor usque serpere non cessat : « Occulta pestis, » inquit, « sed gravis« sima, quæ Deum fugat, et fraternam lacerat « charitatem ; » nam ut Apostolus, I *Cor.*, XIII, 5, perspicuis verbis dicit : *Charitas non cogitat malum*, et S. Petrus, I *Epist.*, IV, 8, similiter ait : *Charitas operit multitudinem peccatorum*; et ideo vera animam aliquam charitate imbutam esse, hoc indicio manifeste declaratur, si nimirum alienos defectus obtegere, semperque in meliorem æquioremque partem interpretari satagat. Nam ut Jansenius ait : « Fraternæ charitatis est aliena vitia occultare, « eaque extenuare, dubia vero candide interpre« tari; » cui consonat Didacus Stella dum ait : « Charitas et misericordia vetant, ne quid mali de « proximis suspicemur, neve fratres nostros temere « judicemus, imo potius semper omnia potiori « parti tribuamus. »

17. — Porro exosos Deo illos esse, qui ad temere judicandum proximos suos proclives existunt, ex illo sacræ Scripturæ testimonio liquide satis apparet in quo dicitur, *Prov.*, XV, 13 : *Et qui justificat impium, et condemnat justum, abominabilis uterque est apud Deum*. In *lib. Num.*, *cap.* XVI, legitur, quod quando Chore, Dathan et Abiron, aliique ipsorum complices, adversus Moysen et Aaronem insurrexerunt, judicando illos temere, quasi ex ambitionis motivo populum Dei non tegere, sed tyrannida quadam sibi despotice subjicere vellent, dicentes, *Num.*, XVI, 3 : *Cur elevamini super populum Domini?* Mox ut Moyses causam suam coram Deo defensurus, in terram se prostravit, terra sub eorum pedibus dehiscere, et hos temere adeo judicantes ad infernum usque absorbere cœpit. Sed inquies, cur divina justitia per adeo insolitum et horrendum supplicium in illos animadvertit. S. Isidorus ait : « Ob temeritatis audaciam. » Reprobi similiter inter præcipua damnationis suæ capita temeraria judicia pariter recensebunt, *Sap.*, V, 4 : *Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam*. Nam ut S. Gregorius ait : « Stulti tanto intensius « de aliis judicant, quanto sua profundius igno« rant. » Et ideo S. Dorotheus optime monet : « Curemus quo possumus studio et diligentia, sus« piciones omnes a nobis abigere, nihil enim adeo « hominem a Deo segregat, ut nullam vitiorum « suorum curam habere curet, et scrutari semper, « quæ nihil ad se attinent. »

18. — Didacus Stella judicium temerarium radicem suam in malevolentia et odio habere dicit : « Hæc temeraria judicia resiliunt ex odio et mala « voluntate, nam solum ob hoc, quia quis alium « odit, vel invidet ei, vel etiam ex levissimis signis « male de illo judicavit, quia unicuique facile per« suadetur id quod desiderat. »

19. — Apostolus, *Rom.*, II, 4, dicit : *In quo judicas alium, teipsum condemnas, eadem enim agis quæ judicas*. Nemo est, qui nesciat quam mitis et patiens Jacob fuerit, et tamen sacer textus illum adversus Laban iratum fuisse memorat : *Tumensque Jacob cum jurgio ait : Quam ob culpam meam, et ob quod peccatum meum sic exarsisti?* Sciendum est autem, quod Laban Jacobum de furto commisso suspectum habebat, ideo universam ejus suppellectilem scrutando, susque deque inverterat, ideo Jacob injuste se apud illum infamatum videns, in sua se animi tranquillitate ita continere non poterat, quin graviter ei indignaretur. Unde Dionysius Carthusianus ait : « Juste indignans Jacob quoniam « contumeliosum fuit, ita de furto impeti, et repre« hendi et examinari. » Cur autem hic Laban adeo temerarium sibi formavit judicium de viro hoc adeo irreprehensibili et sancto, quem adeo sibi fidelem tot annis expertus fuerat? nimirum quia homo vilis, idololatra, omnis timoris et notitiæ Dei, imo et conscientiæ expers, avarus, rapinisque et extorsionibus deditus erat, ac proinde omnes alios sibi similes existimabat : « Si aliquis malus est, » inquit Didacus Stella « ideo credit alios esse ei similes; « nam homo non potest melius de alio, quam de « seipso sentire. » Idem quoque notat Jansenius, dum ait : « Qui omnium censores se faciunt, et « citra æquitatem, ii plane et aliorum judiciis ini« quioribus sese reddunt obnoxios, » ac proinde optime Toletus observat, quod quando Christus dixit : *non judicabimini*, non voluerit per hoc dicere aut insinuare, eos, qui non judicant a judicio et tribunali Dei eximendos esse, quia certum est quod *omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi*, etc. « Sed quod nunc dicitur, illud est; qui aliena « facta aut dicta judicat, propria sua si similia « faciat aut dicat, eo ipso judicat, a Deoque suo « proprio judicio judicabitur, » juxta illud S. Apostoli ad Romanos, II, 1 : *In quo judicas alium*, etc. Plerumque vulgus hominum ex suo animo, inquit D. Chrysostomus, *Hom. de David et Saul.*, « de aliis « judicat, veluti qui sæpe inebriatur, non facile « credere possit, esse quemquam hominem sobrie « frugaliterque viventem; qui scortis indulget, « etiam pudice viventes habet pro incontinen« tibus. »

20. — Toletus ex adducta D. Chrysostomi et S. Augustini auctoritate ita scribit : « Non solum qui « judicat alium, eum esse judicandum, sed acrius « judicandum, juxta regulam, qua ipse alios acriter

« judicavit. » Id quod Euthymius in expositione horum verborum super cap. VII S. Matthæi expresse confirmat, dum ait : « Eadem condemnatione, qua « condemnabis fratrem, condemnaberis et tu, hoc « est, si levem ejus lapsum curiose inquisieris, « etiam et tu condemnaberis, et levia errata tua « anxie disquirentur, ac tempore tremendi judicii « condemnabuntur. » Lucas Brugensis ait : « Tale « subeundum vobis erit apud Deum judicium, quali « vos usi fueritis in alios, exactum, severum, rigi- « dum, si exacti, rigidi, et severi fueritis; contra « si candidi fueritis, et benigni alienæ vitæ judices, « Deum quoque erga vos candidum et benignum « judicem sentietis. »

21. — D. Chrysostomus, *Hom.* XXIV *in Matth.*, super illa verba : *In quo enim judicio judicaveritis, judicabitur de vobis*, scribens advertit quod judicium temerarium, quod facturi de fratre nostro sumus, non ipsum, sed nos condemnabit : « Non « enim illum condemnas, sed temetipsum, et facis « tibi terribilius esse judicium. » Anastasius Abbas montis Synai refert, quemdam sui monasterii Monachum fuisse, qui, dum a norma vitæ communis paulisper recederet, licentiosius nonnihil vivebat. Idem vero dum in articulo mortis constitutus, hilarem præ se faciem ferret, ideoque ab Anastasio, ad vitæ ipsius mores sese reflectente, corriperetur, eidem intrepide Deum sibi Angelum quemdam submisisse respondit, qui animam suam salvam futuram esse prædixit, eo quod Deus in ipso promissionem his verbis factam, *Luc.*, VI, 37 : *Nolite judicare, et non judicabimini; dimittite te dimittemini*, adimplere et exequi statuerit, tametsi enim partim propria culpa sua, partim ob malam sanitatem, qua semper affligebatur, a regulari observantia deflexisset, illis tamen, qui ob id illum pœnis debitis castigarant, maleque tractarant, ex animo id condonasset, nec unquam sinistrum de illis habuisset judicium, quin potius id quod sibi factum aut dictum fuerat, in meliorem semper fuisset interpretatus partem.

Nolite condemnare, et non condemnabimini.

22. — Toletus verba hæc in hunc sensum interpretatur, quod videlicet Christum per illa insinuare voluerit, quod non solum dicta et facta aliorum alicujus culpæ insimulare, aut sinistrum de iis judicium ferre debeamus, sed nec etiam pœna digna censere, quod est condemnare, ne eadem pœna vos ipsos propter eadem dignos esse faciatis, qui enim alterius facta digna morte censet, sua profecto eadem damnat pœna.

23. — S. Augustinus super hæc verba ait : « Temeritas, qua punis alium, ipsa te puniet, nocet « semper iniquitas injuriam facienti. » Id quod in Pharisæo adimpletum fuisse perspicue videtur, qui se de bonis operibus suis jactans, Publicanum, qui eodem tempore in gratiam et amicitiam Dei repositus fuerat, temere judicabat. Unde S. Augustinus ait : « Sic sæpe judicandi temeritas nulli plus nocet, « quam ipsi judici, » ille enim reprobatus et condemnatus abscessit, Publicanus autem justificatus in domum suam abivit.

Dimittite et dimittemini.

24. — Hugo Cardinalis ait : « Dimittite injurias « illatas vobis et dimittetur vobis peccatum vestrum « a Deo, cui frequenter fecistis injurias. » Cajetanus quoque de illatarum injuriarum remissione intelligit : « Dimittite offensas et injurias vestras offen- « dentibus et injuriantibus vos; » additque præceptum hoc affirmativum esse et consequenter suo loco et tempore, ubi id poposcerit necessitas obligare : « Et consulens quando expedit, etiamsi non « oporteat. Adverte tamen quod in hoc præcepto « claudantur duæ negationes, scilicet non habere « odio offendentes et injuriantes, et non judicare « privata potestate injurias et offensas acceptas. » Quodsi vero præceptum istud adimplevimus, Christus omnium offensarum nostrarum remissionem nobis quoque vicissim promittit : « Merebimini ut « dimittantur vobis injuriæ et offensæ vestræ. » Paulo ante nos æternum Patrem suam in misericordia imitari jusserat; at vero « Deus non solum, » inquit Toletus, « non judicavit me, nec condemnavit « mundum peccantem, sed etiam dimisit peccatum, « veniamque præbuit, mittens suum Filium ad sal- « vandum; ad hoc igitur dimittendi exemplum nos « quoque invitamur. »

25. — Porro quando Deus veniam et remissionem promittit : *Dimittemini*, non vult dicere, ut explicat idem Toletus, quod condonando nobis illatas injurias, peccatorum nostrorum veniam absolute recepturi simus, absque eo, quod aliud quid faciamus, sed hic est sensus illius : « Si eos pœniteat, « facile veniam impetrare et, ut ad pœnitentiam « convertantur, auxilium a Deo ipso facilius obti- « nere. »

Videatur super hæc verba Evangelium Feriæ sextæ post Cineres.

Additiones.

a. — *Nolite judicare, et non judicabimini*, etc. In Annalibus ecclesiasticis de monacho quodam legitur, qui negligenter vixerat, quod dum ad mortem usque infirmaretur, vultu semper sereno permanserit, atque sine ulla perturbatione suum ad alam vitam transitum imminentem expectarit haud secus ac si litteras securitatis de Paradiso possidendo habuisset; videbaturque velut alter quidam S. Laurentius jamjam dicturus esse : « Gratias tibi ago, « Domine, quia januas tuas ingredi merui. » Cum ecce unus monachorum ad eum accessit, monens illum, ut timeret et toto corpore contremisceret potius, memor videlicet, quantum disciplinam monachorum abhorruisset, quamque vitam regularem duxisset negligenter, qui moribundus respondit : Verum quidem est, me valde inter vos negligenter conversatum fuisse, vobis tamen manifestum esse velim, Angelos Domini in hac ipsa hora chartam ad me tulisse, in qua peccata mea scripta erant, iisque mihi prælectis, me interrogasse, num ea a me commissa fuisse ultro faterer et agnoscerem, quibus affirmative respondi, monens tamen ut pariter memores essent, nunquam me aliquem temere judicasse, neque illius receptæ injuriæ diuturnam fovisse memoriam aut vindictam; ac proinde indubitatum mihi esse futurum fore, ut circa me adimpleretur illa æternæ veritatis promissio, qua dicitur : *Nolite judicare, et non judicabimini; dimittite, et dimittemini.* Quibus dictis Angeli folium in quo peccata præscripta fuerant, dilacerarunt, ac proinde ego lætus et securus ad cœlum me recipio : iisque verbis dictis expiravit.

b. — S. Fulgentius, in sermone cui titulus est *de charitate Dei et proximi*, utilitatem quam inimicis ignoscendo, eosque tolerando, et benefaciendo illis haurimus, considerat fusius, inter cætera ita inquiens : « O charitatis debitum bonum, debitum « sanctum, debitum cœlestibus refertum commo- « dis, debitum sempiternis plenum omnino divitiis! « Magna, fratres, hoc debito lucra conquirimus, « immensa commoda tali fœnore comparamus, « dum enim charitas a nobis redditur, et debetur, « omnis nostra iniquitas remittitur et deletur. » Sane si nullum aliud ex inimicorum dilectione emolumentum haberemus quam nostrorum peccatorum condonationem, annon hoc ipsum omnibus aliis præponderare deberet.

c. — *Dimittite et dimittemini.* Isidorus Clarius, in quadam oratione, illa Christi pertractans verba : *Pater noster, dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*, ita commentatur : *Quem desperatissimum animum non erigat ad spem ingentem hæc similitudo; quem supremis involutum sceleribus non animet ad sperandam veniam solum sed etiam ad maxima expectanda præmia?* Necessum est credere Publicanum illum cui Pharisæus insultabat, magno fuisse penes divinam justitiam debito obnoxium, quia percutiebat pectus suum dicens : *Deus propitius esto mihi peccatori*; et tamen modico tempore atque intra horas valde modicas totum hoc debitum diluit, quia *descendit justificatus in domum suam.* Unde D. Chrysostomus de odio et inimicitia disserens, inquit : « *Descendit justificatus* : « vidisti quam subito ? » At vero quamnam putatis hujus fortunæ, quæ Publicano accidit, fuisse causam? Nimirum quia improperiis et injuriis a superbo et elato Pharisæo supra modum oneratus fuit. Unde Chrysostomus ait : « Accepit probrum « et abstersit probrum, agnovit delicta et deposuit « delicta. Hostis etiam invitus fit benefactor. Quid « quæso isto beatius fuerit? Quid ad remissionem « peccatorum facilius? Quantum laborandum Pu- « blicano fuisset, jejunando, vigilando, humi en- « bando, facultates pauperibus erogando, longoque « tempore in cinere et sacco sedendo, ut peccata a « se amoliri posset? Jam vero nihil horum fecit; « convicia illius qui ei insultare videbatur, absque « sudore et labore, longaque mora, justitiæ coro- « nam ei attulerunt. Ideo etiam Deus pro inimicis « orare præcepit, ut non solum illis debita condo- « nemus, sed inter præcipuos quoque amicos eos « numeremus. » Illum utique inter charissimos totius mundi amicos numerares, qui ad solvendam summam quamdam inexpiabilem, ob quam in carcere mori cogereris, integrum tibi auri millionem gratuito donaret; jam vero inimicus tuus, per illatas tibi injurias, occasionem tibi præbet lucrandi, modo volueris; imo et omnia peccatorum tuorum exsolvendi debita. Annon itaque ratio sufficientissima est ut ipsum inter amicos tuos annumeres? Verumtamen lectionem hanc a Publicano injuriato plenius addiscamus, qui ut S. Doctor ait : « A longe « stans, illum non vicissim contumelia affecit, non « maledicta regressit, nec absurdum quid dixit, « qualia in dies nos mutuo convicianles dicimus. »

d. — D. Chrysostomus, *Serm.* LXXI, ad illa se quoque verba reflectens : *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*, in nostra facultate positum esse dicit, debita nostra extinguere eorumque condonationem a Deo obtinere : « Homo, penes te est potestas veniæ, » inquit, « in te est indulgentiæ jus; tu tibi remis- « sionis auctor es constitutus. Gratis petis veniam, « qui tibi a alio indulgere contemnis. Homo, tu « misericordiæ factus es ipse mensura, quantum « quæris misericordiæ, fac tantum. » Verum enimvero sanctus hic Doctor, in ultimis hisce verbis excessive nimis loqui videtur, siquidem inter infinitum debitum, cujus nos debitores sumus ob injurias ei illatas, et inter illas, quæ nobis a proximis nostris irrogantur nulla est proportio, et consequenter non potest procedere ex paritate utriusque debiti condonatio. Pro cujus resolutione notatu dignus est discursus quem Cornelius a Lapide ad propositum nostrum his verbis efformat : « Hominis in homi- « nem qui nonnisi vanitas est, offensa levis est, « tum quia in parem, parvum et abjectum, tum « quia parvi parva sunt omnia; quare quidquid ei « per injuriam auferis vel infers, parvum est. Ho- « minis vero in Deum offensa infinita est, quia « contra Deum infinitum; peccato enim offendi- « tur infinita Majestas, eaque divina, imo tota Tri- « nitas, Pater, Filius et Spiritus Sanctus. Ergo si « quantus est offensus, tanta est ejus offensio, cum « Deus sit immensus, ejus quoque offensio erit « immensa. Homo vero cum sit pusillus et quasi « nihil, ejus quoque offensio erit pusilla et quasi

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

« nihil. Igitur quis non stupeat, si videat eum do-
« nantem nobis in Christo omnia debita gravissima
« et delentem quod contra nos erat chirographum
« condemnationis? Quis audeat injurias suas ser-
« vare vel vindicare, sciens se hac ratione Dei in
« se vindictam gravissimam, utpote gravissimorum
« peccatorum, provocare? Quis non ultro omnia
« condonet, ut a Deo tantorum condonationem ac-
« cipiat. » Si daretur casus quod quis unius scuti
creditum habens, ex altera vero parte integri mil-
lionis auri in eadem charta instrumentali debitor
existens, hanc fortunam haberet, ut ei per pactum
promitteretur, quod si remitteret et condonaret
unicum illud scutum, vicissim a creditore suo
obtenturus esset totius immensi debiti sui absolu-
tionem, numquid talis unicum scutum illud remit-
tendo excessivum quoddam lucrum facturus esset?
Ecce igitur tibi hic *cesum in terminis* oblatum, si-
quidem offensæ quæ nobis irrogantur, qui vilissimi
sumus terræ vermiculi, nec quidquam considerabi-
les sunt, si comparentur cum offensis innumeris et
gravissimis, quas quotidie contra Deum committi-
mus, et tamen hic tale nobis pactum offert : Si
amore mei condonaveris offensas, quas a proximis
tuis accepisti, contentus sum tibi remittere et con-
donare omne debitum, quo mihi propter offensas
tuas mihi irrogatas obstringeris; hoc enim sonant
verba illa : *Dimittite, et dimittemini.*

e. — Ingeniosa est ratio illa, quam S. Thomas
de Villanova assignat, cur videlicet sancta Mater
Ecclesia, a Spiritu Sancto gubernata, in primis
Quadragesimæ diebus, Evangelium de dilectione
inimicorum fidelibus proponat; hoc enim eo mys-
terio fieri dicit, quia eum eo tempore specialiter
Deum nobis per pœnitentium pro peccatis commis-
sis placare contendamus, modum facilem docere
nos voluit, quo placationem hanc obtinere valea-
mus, nimirum si inimicos nostros dilexerimus.
« Ad hoc forte, » inquit, « canitur hoc Evangelium
« in principio Quadragesimæ, ut si quæritis ve-
« niam a Deo, primo dimittatis proximo, ne frustra
« laboretis. O Domine, quam bona et utilis est hæc
« conventio! Libenter accepto pactum, ut pro tan-
« tillo, mihi tanta dimittantur. » D. Chrysostomus
ut utilitatem ex dilectione inimicorum in nos re-
dundantem melius intelligamus, sequentem format
discursum : « Cum rei istorum facinorum, » de
vindicativis per justitiam vindicativam loquitur,
« ad judicium trahebantur ac flamma intus incen-
« debatur, circumstantibus carnificibus ac latera
« discerpentibus, si quis ibi assistens, ita eos ex
« transverso allocutus fuisset : Si habetis inimicos,
« omittite simultatem et ex isto supplicio vos libe-
« rabo; quid putas? An non cum osculis ad illius
« pedes se devoluissent? Imo quid de pedibus lo-
« quor? Si quis servitutem illis proposuisset, non
« eam conditionem aspernati fuissent? » Quod si
humana pœna, quæ terminum habet, quaslibet
iras superat, multo majus futurum supplicium, si
memoria ejus perpetuo nostras mentes teneret, non
solum simultates, sed omnes pravas cogitationes ab
animo excluderet. Enimvero, ob peccatorum nos-
trorum demerita, infernalium pœnarum rei sumus,
utpote ad quas, secundum præsentem justitiam
sumus condemnati; securus vero has pœnas eva-
dendi modus est, amplexari inimicum, eique nos
reconciliare, quia *dimittite et dimittemini.* Et qui-
dem quis est aut inveniri poterit, qui Deum non
offenderit, inquit Nazianzenus? Contentus sum ut
injurias vestras nequaquam remittatis, dummodo
vos nullam Deo injuriam intuleritis; at vero, quis
est qui se excusare poterit dicendo se nunquam
Deo ullam offensam, ad minus venialem, intulisse?
« Tu leve ne dixeris, » inquit S. Bernardus, « in
« quo offenditur. » Et Nazianzenus inquit : « Si tu
« non affecisti Deum injuria, nec tu remittas
« proximo. At quis est iste qui non affecerit Deum
« injuria, velitque remitti sibi? » S. Leo, vel quis-
quis est auctor sermonis ultimi *de Martyribus*, inter
ejus opera relati, ita ad propositum nostrum dis-
currit : « Sed dicit aliquis : Tanta mala me inimi-
« cus meus compulit sustinere, ut illum nulla
« ratione possum diligere. Attendis quid tibi fece-
« rit homo, et non attendis quid tu feceris Deo? Si
« conscientiam diligenter discutis et inquiris, sine
« ulla compensatione majora tu commisisti in
« Deum peccata quam in te commiserit homo, et
« qua fronte vis ut Deus tibi dignetur dimittere
« multum, cum tu non acquiescis dimittere pa-
« rum? »

f. — S. Joannes dicit : *Advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum.* I *Joan.*, II, 1. Hic igitur probe sciens nos propter offensas Deo irrogatas penes divinam justitiam reos factos esse mortis æternæ, memoriale quoddam nos facere docuit, quod coram ejus tribunali præsentemus, ut a reatu absolvamur. Inter alias vero illius petitiones hæc quoque continetur : *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* « Qui te
« docuit orare, » inquit S. Augustinus, *Hom.* CLXX *de temp.*, « ipse pro te allegat preces quia tu reus
« eras. Gaude quia ille erit tunc judex tuus, qui
« modo advocatus tuus est. Ideo ergo quia oratu-
« rus es, acturus es causam tuam, paucis verbis
« venturus ad illa verba : *Dimitte nobis debita*
« *nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.*
« Dicit enim tibi Deus : Quid mihi das, ut ego
« dimittam tibi debita tua? Quale munus offers?
« Quale sacrificium conscientiæ tuæ imponis alta-
« ribus meis? Continuo docui te, quid petas et
« quid offeras. Petis, *dimitte nobis debita nostra*;
« et tu offers quid? *Sicut et nos dimittimus debito-*
« *ribus nostris.* Debitor es ei qui falli non potest.
« Habes et tu debitorem. Dicit tibi Deus : Tu

« debitor meus es, ille debitor tuus; hoc facio
« ergo tibi debitori meo, quod tu feceris debitori
« tuo. Rogas me pro misericordia tua, noli esse
« piger in misericordia. Attende quod Scriptura
« dicit : *Misericordiam volo magis quam sacrificium.*
« Noli offerre sacrificium sine misericordia, quia
« non remittuntur tibi peccata tua, nisi offeras
« cum misericordia. » Euthymius valde efficax
nobis insinuat motivum, ut nostram inclinemus
rebellem voluntatem ad inimicorum dilectionem;
dicit enim : « Considera mihi, obsecro, humanita-
« tis magnitudinem : in nostra constituit potestate
« peccatorum nostrorum remissionem. At dices
« fortasse, quod in multis delinquens, injuria te
« affecerit. Verum tu in pluribus et majoribus; et
« ille quidem in conservum, tu vero in Dominum.
« Tu indigens remissione remittes; Deus vero nul-
« lius indigens est. » Principes hujus mundi leges
suas sæpissime sub pœna capitis injungere et præ-
scribere solent, easque sine ulla remuneratione aut
præmio observari volunt. Longe vero benignior est
Deus noster. Verum quidem est quod nobis præci-
pit, dicens : *Dimittite; diligite inimicos vestros*; at
vero simul etiam nobis promittit remunerationem,
videlicet peccatorum nostrorum remunerationem :
Et *dimittemini*; atque insuper : *Ut sitis filii Patris*
vestri qui in cœlis est. Poterat quidem hoc de dilec-
tione inimicorum præceptum præscribere cum im-
positione pœnæ, quod tamen non fecit, sed potius
præmium promisit, ut nos spe remunerationis et
specialiter spe hujus remissionis et indulgentiæ
peccatorum nostrorum, ad dimittendum inimicis
nostris promoveret. Nec contentus fuit hanc pro-
missionem in uno duntaxat Evangelii loco insi-
nuari, quia præter adductum in principio textum
S. Lucæ, insuper apud S. Matthæum, VI, 14, post
orationem Dominicam, hæc verba leguntur : *Si*
enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et
vobis Pater cœlestis delicta vestra, si autem non dimi-
seritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis pec-
cata vestra. Ubi Cajetanus observat cœlestem Ma-
gistrum nostrum non dixisse : Sicut remiseritis
hominibus offensas vobis irrogatas, ita et Pater
vester vobis condonabit, sed claris verbis dixisse :
Si remiseritis, et similiter, *si non remiseritis*, « ut
« omnem spem auferat consequendæ veniæ a Deo
« si non remittimus aliis offensas, et similiter ple-
« nam præbeat fiduciam consequendi veniam si
« aliis remittimus offensas. »

g. — Verum inquies ergone homo aliquis forni-
carius, simoniacus, usurarius, perjurus, sacrilegus,
spem concipere poterit omnia sibi dimittenda esse
scelera, licet aliud non faciat quam quod inimicis
suis illatas sibi injurias condonet? Movet hoc idem
dubium S. Bernardinus et in terminis scholasticis
hoc modo respondet, nimirum vere ita esse, « de
« congruo et dispositive. Nam absque dubio tenen-
« dum est, quod in mortali existens, indulgendo
« aliis, multum ad se trahit misericordiam Dei; et
« seipsum ad charitatem vehementer præparat et
« disponit. » Etenim inter octo beatitudines hæc
quoque legitur : *Beati misericordes, quoniam miseri-*
cordiam consequentur. Remittere autem aliis offen-
sas est actus misericordiæ, in quo imitamur Deum
qui se nobis misericordem exhibet, quando offen-
sas sibi irrogatas liberaliter condonat. Cajetanus
quoque ad propositam difficultatem respondet, spe-
rare posse hominem indulgentiam peccatorum suo-
rum, etiam gravissimorum et innumerabilium ple-
nariam, dummodo condonet male sibi facientibus,
siquidem Christus, ad quem hæc spectat remissio
indefinite de quovis loquitur peccato. Hoc tamen
intelligendum esse dicit, dummodo nos ex parte
nostra nullum ponamus obicem, habeamusque
veram de peccatis pœnitentiam, firmumque emen-
dationis propositum. Moxque subjungit : « Hæc
« responsio secundum theologici juris regulas pro-
« cedit; crediderim tamen ego, hominem qui
« tanto Dei amore agitur, ut hominibus offenden-
« tibus ipsum, remittat ex corde propter Deum,
« etiamsi in fornicatione perseveret, tandem a Deo
« converti, ita quod Deus remittat ei omnia peccata
« sua, convertendo cor ejus ad veram pœniten-
« tiam. Unde Dominus non dicit quod vobis remit-
« tentibus Deus remittit, sed dicit in futurum,
« *remittet.* » Ut vero assertum hoc efficacius
confirmet, subjungit : « Novit enim solus Jesus
« quam acceptum, gratumque sit Deo, remittere
« aliis offensas, et ideo ipse solus potuit hoc reve-
« lare. »

h. — Idem ipse Dei Filius, cui post sanatum
paralyticum, primo loco omnium delictorum suo-
rum indulgentia donatum, *remittuntur tibi peccata*
tua, applaudebant turbæ, *glorificantes Deum qui*
dedit potestatem talem hominibus, idem, inquam, in
oratione Dominica modum nos docuit, quo ab om-
nibus offensis, quæ continuo adversus æternum
Patrem suum committimus, absolvi valeamus, si
nimirum petamus : *Dimitte nobis debita nostra, sicut*
et nos dimittimus debitoribus nostris. Ubi advertendum est quod hanc peccatorum nostrorum veniam, nos per modum imperativum petere præceperit : *Dimitte nobis*, quasi vellet dicere quod dum ex amore Dei nobis illatas injurias nos contumeliantibus remittimus, tunc certo, quodam modo veniam injuriarum, quas Deo irrogavimus, auctoritative prætendere possimus. In Evangelium S. Matthæi, V, 48, Christus post promulgatum dilectionis inimicorum præceptum, ad æterni Patris sui nos invitat imitationem dicens : *Estote ergo perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est.* At vero in hac petitione orationis Dominicæ quam nos ore suo docuit, jubet ut Patri suo quodammodo concurrere valeamus, utpote cui inseparabiliter proprium est,

misereri semper et parcere. Omnis homo verissime dicere potest : *Ecce ego in iniquitatibus conceptus sum; in peccatis natus sum totus; septies in die cado;* ac proinde unicuique hominum magnopere æstimandum est infinitum hoc beneficium, quo nobis Deus tam promptum et facile culparum nostrarum expiatione dignatus est præbere remedium, quale est offensas contra nos factas, ejus amore libenter remittere : « Modum veniæ nos ipsi definimus, » inquit Cajetanus, « ut sic Deus dimittat nobis quod « illi debemus, quemadmodum nos dimittimus « debitoribus nostris. » Notandum vero est Christum nequaquam nos docuisse, ut in tempore futuro diceremus : *Sicut nos dimittemus*, sed in tempore præsenti : *Sicut nos dimittimus*; sult enim ut quando coram æterno ejus Patre comparemus ad implorandam plenariam peccatorum nostrorum indulgentiam, prius impositum nobis de dilectione inimicorum adimpleverimus præceptum; quid enim Deo retribuemus pro eo, quod infinitum quo obstringebamus, debitum nobis remiserit? Certe non aliud quam debitorum remissionem, id est, condonationem injuriarum nobis illatarum : « Petis : « *Dimitte nobis debita nostra*, » inquit S. Augustinus, « et offers, *sicut et nos dimittimus debitoribus* « *nostris*. » Ac proinde merito desiderare deberemus ab aliis injuriis et contumeliis affici, ut præsto nobis sit moneta ejus valoris, ut per eam excessivam delictorum nostrorum apud eum contractorum summam diluere valeamus : « Si debito res, « gratulare te habere debitorem, in quo facias quod « fiat in te. »

1. — S. Jacobus Apostolus, II, 13, sequentem tradit terribilem sententiam, videlicet : *Judicium sine misericordia fiet illi, qui non fecit misericordiam.* Deus enim tanquam severus judex nos castigabit, si sine pietate et compassione erga offendentes nos primos coram illo compareamus. Divus Chrysologus super illa verba : *Dimitte nobis debita nostra*, ita nos monet : « Sic dicendo, o homo, indul- « gentiæ modum, mensuramque veniæ tu tibi « dedisti; qui « Domino Deo tantum tibi potis « dimitti quantum dimiseris ipse conservo. Dimitte « igitur delinquenti in te totum, si vis ipse vindi- « cem vitare sententiam. » Quod si a Deo severe condemnareris, eo quod in cupidine vindictæ pertinax perseveres, nullam utique haberes lamentandi occasionem. « Ipse igitur tibi sis judex, » inquit S. Gregorius Nyssenus, « ipse te tua sententia absolve « ac serva. Remitti tibi a Deo debita desiderans, tu « dimitte. » Idem quoque Sanctus, in ejusdem orationis X *in Or. Dominicali* progressu, vindictæ cupidum ita monet : « Ne a justo judice ejusmodi quis « audiat : *Medice, cura teipsum*; nec ad humanita- « tem hortaris quam tu proximis non impertiris. « Remissionem debitorum petis, quo fit ergo ut tu « suffoces obæratum? Tuus debitor est in carcere, « et tu in oratorio; ille ob debita cruciatur, et tu « remitti tibi debitum vis? Exaudiri oratio tua non « potest, superat enim sonus et strepitus vocis ejus « qui cruciatur; si tu corporale debitum dimiseris, « solventur tibi animæ vincula. »

VERSUS 38.

Date et dabitur vobis; mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, et supereffluentem dabunt in sinum vestrum. Eadem quippe mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis.

Date et dabitur vobis.

1. — Venerab. Beda verba hæc de illis, qui erga inimicos, beneficos se exhibent, exponit : « Dimit- « tere nos injurias, dare beneficia jubet, ut et nobis « peccata dimittantur et vita detur æterna; qua « sententia brevi, sed eximia, cuncta, quæ latis- « sime, quæ conversando cum inimicis mandave- « rat, comprehendendo concludit. »

2. — Toletus ad prima hujus Evangelii verba respicit, quibus ad imitandam æterni Patris sui misericordiam invitabamur : *Estote misericordes, sicut Pater cœlestis* : « Hoc est quartum, quod ad « imitationem et similitudinem Dei Patris, qui non « solum non judicavit, nec damnavit mundum pec- « cantem; sed dimisit per misericordiam et adhuc « beneficentia inexhausta bona ei contulit, immen- « saque largitate subvenit. » Unde idem Doctor, Christum hæc verba non solum de eleemosyna, pauperumque subventione, sed omnia alia re ad dilectionem ordinata intellexisse censet, « omne « officium dilectionis et misericordiæ complectitur. « His enim Deus misericordem et beneficum se « exhibet. »

3. — « Date proximis ea quibus opus habent, » inquit Lucas Brugensis, « et dabitur vicissim vobis « a Deo Patre, quod prodesse vobis queat et beatos « vos reddere. » Hugo Cardinalis ait : « Date pau- « peribus temporalia et dabitur vobis a Deo vita « æterna, oratione pauperum; quando etiam cum « vita æterna dabitur abundantia temporalis, cum « expedit. » Lyranus hanc quam recepturi sumus remunerationem dilatat et ad alia bona extendit : « Dabitur bonum naturæ, fortunæ, gratiæ et glo- « riæ, dum tamen datio fiat ex charitate. » D. Chrysostomus quod lucrum, quod pauperibus largiendo nobis comparamus, ita scribit, *Hom.* XXXV : « Eleemosyna est ars omnium quæstuosissima, vera « et sacra usura est, in rebus profanis crimen est, « apud Deum laus est; da pauperibus, ut Deum « habeas debitorem. » Sapiens, *Prov.*, XIX, 17, ait : *Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis.* Unica duntaxat usura reperitur, quæ opulenta est et dives, et non solum est permissa et licita, sed Deus ipse quoad usurarii lucrum, se constituit debitorem.

Unde S. Paulinus, *Ep.* XII *ad Severum*, ait : « Da ad « usuram pecunias tuas, sed Christo, et salutaris « usura est, » quævis alia usura perniciosa est, ideoque ab omnibus legibus naturali, divina et humana proscripta et condemnata. Porro immensæ fuerunt divitiæ mulieris illius, cujus in Proverbiis, XXXI, 29, hisce verbis fit mentio : *Omnes filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas.* Nec est, quod dicat hic aliquis, facultates hujusce viraginis fuisse hæreditarias; quia *quæsivit lanam et linum, et operata est consilio manuum suarum; digiti ejus apprehenderunt fusum, panem otiosa non comedit*, quonam igitur modo ad tantam divitiarum excessivam copiam pertingere potuit?

4. — Mercatura et negotiatio, quia ingentes hasce divitias sibi comparavit, hæc fuit : *Gustavit et vidit, quia bona est negotiatio ejus*; at vero, in quo hæc ejus negotiatio consistebat? In erogatione facultatum suarum in eleemosynam, in eo quod prodiga in pauperes erat : *Manum suam aperuit inopi et palmas suas extendit ad pauperem.* Ea igitur quam verum sit quod D. Chrysostomus ait : « Elee- « mosyna est ars omnium quæstuosissima. » *Simul in unum dives et pauper*, inquit Psalmista, *Psal.* XLVIII, 3, id quod in S. Francisco adimpletum fuit; qui totum id, quod, licet mendicus existens habebat, erogando, religionem suam tamen, quam instituit, omnibus bonis necessariis optime provisam habet, et habuit semper.

Mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, et supereffluentem dabunt in sinum vestrum.

5. — « Mensuram bonam bonorum tempora- « lium, » inquit Hugo Cardinalis, « secundo confer- « tam bonorum naturæ. Tertio coagitatam bono- « rum gratiæ. Quarto supereffluentem bonorum « gloriæ in sinum vestrum, o plena et secura pos- « sessio! » vel etiam in sinum non tunicæ sed animæ; « sinus autem animæ est intellectus, qui « implebitur gloria visionis apertæ, et affectus, qui « implebitur lætitia delectationis perfectæ. »

6. — Dionysius Carthusianus existimat, Sapientiam incarnatam nobis per hanc phrasim, abundantem illam recompensationem voluisse describere, quam recepturi sunt, qui charitatis et beneficentiæ Christianæ operibus dediti erunt : « Per omnem « hanc circumlocutionem insinuatur, quod ineffa- « biliter copiosa erit retributio operum charitatis, « ac pietatis in cœlo, quæ retributio per mensuram « exprimitur, quoniam præmium merito corres- « pondet, ac proportionatur. » S. Bonaventura, *in Luc.*, dicit : « Ponit quatuor dictiones, secundum « quatuor conditiones beatitudinis. » Prima est in gaudio interno beatitudinis animæ et denotatur per verba illa : *Mensuram bonam.* Unde Psalmista, *Psal.* CII, 5; ait : *Tunc replebitur in bonis desiderium tuum*; tunc enim anima beata una cum Petro dictura erit : *Bonum est nos hic esse.* Secunda erit gaudium inferius, id est, glorificatio corporis, significata per vocem *confertam.* Tertia erit gaudium exterius, id est, consortium Sanctorum, ac proinde additur *coagitatam.* Quarta gaudium superius, quod in clara Dei visione consistit. Unde subjungit : *Supereffluentem.* Merus hic est Doctoris Seraphici discursus, qui addit : « Dabunt in sinum vestrum, id « est, in animæ capacitatem stabilem et intrinse- « cam : *Reposita est hæc spes mea in sinu meo.* » Lucas Brugensis ait : « *In sinum vestrum*, id est, in « vobis ipsis firmiter, æternumque a vobis ipsis « possidendam, nam quod in sinum nobis datum « fuerit nostrum, non facile nobis perit, quippe « quod ita teneamus, ut facile sit nobis in locum « tutum transferre. » Toletus hoc loquendi modum, phrasim quamdam Hebraicam esse dicit, idemque significare quod « *dabitur vobis ipsis*, non aliis pro « vobis, idque in recompensationem vestrorum « operum; hæc enim duo ea locutio significat, « juxta illud Psalmi LXXVIII, 12 : *Redde inimicis* « *nostris septuplum in sinu eorum.* »

7. — Lyranus operum misericordiæ præmium etiam in hac præsenti vita, præter bona æterna, insuper ex naturæ et fortunæ bonis accumulandum esse opinatur : « Subditur *mensuram bonam*, quan- « tum ad bona fortunæ et naturæ, sicut sanitas et « hujusmodi, quæ etiam aliquando conferuntur « propter opera pietatis, » per quotidianam namque experientiam, in multis eleemosynariis videmus quod in hac quoque præsenti vita, prosperitatibus gaudeant; at vero quod æternam spectat veritas est infallibilis, quod, qui opera exercent misericordiæ, pignus habituri sint securissimum, quod cœlesti sint præmiandi gloria, qua de re præ cunctis aliis securissimi esse possunt, quia in examine et processu, quem Christus, dum in judicio tanquam judex considebit, formaturus est, ipsos ad dexteram se collocare declarabit, ex eo præcipue merito, quod ipsum cibarint famelicum, nudum vestierint, etc. *Matth.*, XXV, 35 : *Esurivi enim et dedistis mihi manducare, nudus eram*, etc. « Itaque « ut nobis commendet, » inquit Didacus Stella, « maximum illud præmium uberem retributionem, « quam Dominus reddet eis, qui fuerint in paupe- « res misericordes, illa verborum ambage utitur : « Idee in Proverbiis, III, 9, dicitur : *De primitiis* « *fruguum tuarum da pauperibus, et implebuntur* « *horrea tua satietate.* » Apostolus quoque, II *Cor.*, IX, 6, dicit : *Qui parce seminat, parce et metet; et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet.* Et ideo curandum nobis non est, quod is, qui beneficium nostrum accipit, sit pauper et mendicus, quia ut Venerabilis Beda advertit, Christus est, qui munus nostrum accipit, qui etiam in persona miserabilis hominis illius, debitor noster efficitur. Dicit enim præfatus Beda : « Huic simile est, quod

« alibi dicit : *Ut et ipsi recipiant vos in æterna taber-* « *nacula*; non enim pauperes ipsi, sed Christus « mercedem his, qui eleemosynam fecere, redditu- « rus est. »

8. — Unde Chrysologus, *Serm.* VIII, ait : « Manus « pauperum est gazophylacium Christi, quia quid- « quid pauper accipit, Christus acceptat. » Nota est illud de S. Martino vulgata historia, quod dum ille etiamnum miles existens, pauperi præ frigore rigescenti, militaris chlamydis suæ medietatem ex compassione Christiana elargiretur, Christus eamdem coram toto cœlesti Paradiso spectandam præbens, dixerit : « Martinus adhuc Catechumenus hac « me veste conlexit; » me, inquit, pauperis nullam faciens mentionem. Idem Chrysologus, *Serm.* XIV, super illa verba : *Esurivi et dedistis mihi manducare*, ait : « Non dixit : Esurivi pauper, dedistis illi « manducare; sed, *esurivi ego et dedistis manducare* « *mihi*. Ah, quid agit amor pauperis? gloriatur in « cœlo Deus, unde pauper erubescit in terra. » D. Chrysostomus similiter scribit : « Pauper manum « extendit et accipit Deus. » Quotiescumque igitur eleemosyna datur, porrigiturque egeno, vitæ sustentandæ subsidium, duo sunt qui recipiunt, pauper scilicet, quem oculis corporeis videmus, et qui ei socius adstat, Christus, quem non corporis, sed fidei oculo conspicimus, siquidem Evangelica veritas est, ab ipsomet Christo sub jurejurando promissa et confirmata, *Matth.*, XXV, 40 : *Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.*

Eadem quippe mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis.

9. — Lyranus ait : « Quia secundum quod opera « pictatis sunt majora, ita et retributio divina. » Hæc autem majoritas non secundum exteriorem operis apparentiam dimittenda venit, sed attendenda est intentio et affectus interior, quo tale opus charitatis pauperi exhibemus. Cujus exemplum in paupercula illa vidua videmus, quæ a Christo, qui scrutatur renes et corda, in duobus illis minutis prælata est opulentæ illi contributioni viri divitis, siquidem ut S. Cyrillus in Glossa ait : « Non parvi- « tatem oblati, sed copiam effectus intuitus est « Deus. »

10. — D. Chrysostomus in *cap.* VII S. Matthæi scribens, textum hunc de judicio temerario explicat, in cujus detestationem Christus in primis æternam comminatur condemnationem, dicens : *Nolite judicare et non judicabimini, nolite condemnare et non condemnabimini*; ac demum ut ab illo nos dehortetur, mox aliud subjungit motivum, dicens : *In qua mensura*, etc. Dicitur igitur præfatus S. Doctor : « *In quo enim judicio judicaveritis, judicu-* « *bitur de vobis*; non enim illum condemnas, sed « temetipsum profecto condemnas et facis tibi ter- « ribilius esse judicium, cogisque adversus te dili- « gentissimam fieri etiam de minimis ultionem. »

11. — Theophylactus a S. Thoma in *Catena* citatus, sequens movet dubium : « Si superefluen- « ter redditur, quomodo eadem est mensura? Ad « quod dicimus, quod non dixit : *In tanta mensura* « *remetietur vobis*, sed *in eadem*, qui enim benefacit, « benefiet ei, quod est remetiri eadem mensura; « sed superefluentem mensuram dicit, quia millies « benefiet ei. »

12. — Cajetanus verba hæc de retributione tam gloriæ quam pœnæ, meritis vel demeritis uniuscujusque proportionatæ intelligit; dicit enim : « Ne « crederet puniendos aliquos supra condignum, « declaratur quod mensura, qua mensi fueritis « bene vel male operando, eadem proportionaliter « retributio tam pœnæ quam præmii. »

13. — S. Bonaventura idipsum de pœnis exemplificat, dum ait : « Scilicet nocendo, vel male « agendo, sive demerendo, remetietur vobis, juxta « illud, *Deut.*, XXV, 2 : *Pro mensura peccati erit et* « *plagarum modus*; » et in Apocalypsi, XVIII, 7 : *Quantum glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum*; et hoc est quod comminatur Dominus, *Joel.*, III, 4 : *Cito velociter reddam vicissitudinem vobis, super caput vestrum.*

14. — Idem quoque Seraphicus Doctor, ut sequenti respondeat objectioni, nimirum, quomodo verba illa : *Eadem mensura*, etc., verificentur, cum videamus culpam a nobis in brevissimo tempore committi, pœnam vero, quæ ei correspondet æternam esse, sequentem adducit S. Augustini auctoritatem, dicentis : « Non actus temporalis, facit, ut « peccatum mortale æternaliter puniatur, sed cir- « cumstantia illius in quem peccatur, qui cum sit « æternus, implentibus mandata, præmia æterna « promittit, peccantibus vero pœnam comminatur « æternam. » Quod si ulterius quis interroget, quænam sit inter cogitationem et desiderium sive lascivum, sive vindicativum, vel inter verbum aliquod, vel aliud simile peccatum mortale, quod vix alicujus ponderis vel momenti esse videtur et inter pœnam, quam annexam habet, quantitatis proportio? Aptius illi responderi nequit, quam per illa Psalmistæ verba, *Psal.* XVIII, 13 : *Delicta quis intelligit?* neque enim intellectus aliquis sive humanus, ad peccati alicujus gravitatem et pondus infinitum, condigne ponderandum vel æstimandum, valet pertingere.

15. — S. Thomas, III *p.*, *qu.* I, *art.* 2, ait : « Pec- « catum habet quamdam infinitatem, ex infinitate « divinæ majestatis, tanto enim offensa est gravior, « quando major est ille, in quam delinquitur. » Quæ Angelici Doctoris propositio in dubium vocari nequibit, si ex una parte consideretur, quod homo peccatum committens, vilis sit terræ hujus vermiculus; ex altera vero parte is, in quem peccatum illud committitur, Deus quidam sit infinitæ et immensæ majestatis, qui tamen hunc vilem hominem, ad summos honores extulit, maximisque beneficiis affecit. Panygarola in oratione quadam, in laudem S. Caroli Borromæi habita, Sanctum hunc de peccato dicere solitum fuisse refert : « Quid inveniri « aut excogitari uspiam potest Deo magis exosum « aut magis homini damnosum, peccato? Numquid « enim bonitas infinita id, quod malum est, infinito « debet prosequi odio? aut quomodo justitia infi- « nita castigare posset peccatum pœna infinita, id « est, æterna, nisi illud infinito modo detestare- « tur? » Theologi communiter dicunt, pœnam, qua Dei justitia unicum duntaxat mortale peccatum mulctare solet, sit citra condignum, quia tametsi anima aliqua propter unicam cogitationem mortaliter peccaminosam, visione Dei mille millionibus sæculorum in inferno privata fuerit, non tamen ideo vel minimam transgressionis suæ satisfactionem datura erit; cujus ratio est, quia satisfactio valorem suum a dignitate personæ eam offerentis accipit, hæc autem cum extra Dei gratiam, ut hostis illius, posita sit, ejus consequenter satisfactio accepta non erit; ex alia vero parte offensa gravitatem suam ex dignitate personæ offensæ sortitur, quod in hoc casu infinita esse noscitur. Ad hæc certum est, quod inter Creatorem et creaturam, sive inter Deum et hominem nulla prorsus sit proportio, unde deducitur, quod pœna, qualiscumque et quantumcumque gravis, pro peccato, quantocumque tempore tolerata, semper sit inferior culpa, quia infiniti ad finitum nulla est proportio. Et insuper alia hujus assertionis ratio, nimirum quod damnatus per totam æternitatem eamdem retineat perversam voluntatem, in qua moritur, adeoque cum peccatum semper usque et usque duret, semper quoque vigebit ejusdem peccati supplicium. Denique impii semper voluissent vivere, ut Deum semper offendere possent, siquidem quoadusque vixerunt, actus suos peccaminosos nunquam per pœnitentiam revocarunt, ideoque justum est ut port mortem pariter semper castigentur, ut pœna culpæ respondeat.

16. — S. Gregorius sequens movet dubium, priori difficultati valde affine; dicit enim : « Scire « velim quomodo justum sit, ut culpa, quæ cum « fine perpetrata est, sine fine puniatur? » Et respondet, rationem hanc pondus habituram esse, si Deus solum actum peccati, non vero voluntatem, a qua præcedit, consideraret; actus enim finem habet, voluntas autem adeo est perversa, ut ab offensa nunquam vellet desistere : « Respondeo, « hoc recte diceretur, si districtus judex non corda « hominum, sed facta pensaret; iniqui enim ideo « cum fine deliquerunt, quia cum fine vixerunt, « nam voluissent utique si potuissent, sine fine « vivere, ut possent sine fine peccare : ad magnam « ergo justitiam judicantis pertinet, ut nunquam « careant supplicio, qui in hac vita nunquam « voluerunt carere peccato. » His adde, quod tametsi voluptas peccati momentanea fuerit, inde tamen non sequatur quod pœna similiter momentanea esse debeat, imo peccator tanto magis infinitum promeritus est supplicium, quod Christianus existens pro unica brevissima voluptatula, sciens et volens se privare voluerit boni alicujus infiniti, quale Deus est et gloria ejus, quæ est status omnium bonorum aggregatione perfectus, in gaudio æterno. Unde S. Augustinus, *lib.* XXI *de civit. Dei*, c. XLII, ait : « Fac- « tus est malo dignus æterno, qui hoc in se pere- « mit bonum, quod esse posset æternum. »

Additiones.

a. — *Date et dabitur vobis, mensuram bonam*, etc. In dubium revocari nequit, quin usura ab omni lege condemnetur et execretur, tam naturali quam positiva, vel divina, omnes quoque canones, concilia, bullæ, nihil adeo sollicite curant quam ut usuram e mundo eradicare possint. Et tamen Sapiens, *Prov.*, XIX, 17, ex instinctu Spiritus Sancti usuram nobis præcipit dum dicit : *Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis*. De avaritia, vitio cæteroquin valde detestabili, philosophus quidam ait, dari quoddam avaritiæ genus virtuosum et laudabile : « Unius temporis avaritia, » inquit, « honesta « est. » Ita quoque in præsenti dicere possumus, usura quæ ab eleemosyna nascitur, non solum licita est, sed insuper a Deo magna cum sollicitudine suadetur et commendatur. S. Paulinus qui ut proximo suo misericordiam exhiberet, semetipsum pro illo, cuidam domino, in servitutem perpetuam vendidit, dicit : « Da ad usuram pecuniam tuam, sed « et Christo salutaris usura est. » D. Chrysostomus, hanc Salomonis sententiam ponderans dicit : « O « verbum sapientissimum, *qui miseretur pauperis* « *fœneratur Domino!* Quare ergo non dixit : *Qui* « *miseretur pauperis* dat *Deo*, sed *fœneratur?* Scrip- « tura nostram avaritiam novit, attendit diligenter, « insatiabiliter cupiditatem nostram ad avaritiam « urgere et additamentum quærere. Si Deo fœne- « ramur, is ergo nobis debitor erit. Quem ergo tibi « esse velis? Debitorem vel Judicem? Debitor vene- « ratur fœnerantem. » Idem quoque S. Doctor alibi inquit : « Vidisti fœnoris naturam novam et admi- « rabilem; alius est qui accipit et alius est qui « fœnoris debitorem seipsum constituit. Quare non « dixit : Qui miseretur *dat* Deo, sed *fœneratur?* Ne « vulgarem retributionem existimares. » Philo de charitate disserens ait : « Donemus gratis indigen- « tibus, cogitantes gratiam esse genus fœnoris « ultro ad nos redditurí feliciori accipientis tem- « pore. » S. Basilius eleemosynam donum pariter et mutuum contractum esse dicit : « Cum pauperi « dare voles propter Dominum, idem et donum « est, et mutuum; donum quidem quia non speras « receptionem, mutuum vero propter Domini mag-

« nificentiam, qui pro ipso persolvit, qui paucis « per pauperem acceptis, magna pro ipsis reddet. »

b. — Observastine aliquando, illam Sapientis, *Prov.*, xi, 24, sententiam inquientis : *Alii dividunt propria et ditiores fiunt?* Qualiter obsecro, ditescere poterit qui centum scuta, præter quæ nihil possidet, totaliter erogaret? Responderi potest : Pecunia reclusa manet infructifera; dum autem impenditur, fructum affert, capitalem summam assecurat, et consequenter Dominum ditat, mirumque locupletat. Ita pariter in præsenti nummus in arca reclusus, infructifer manet, sed pauperibus datus ex amore Dei, fructum affert centuplum. Unde S. Leo, *Serm. in Quadr.*, inquit : « Non limeatur in iis expensis defectio facultatum, quoniam ipsa « benignitas magna substantia est, nec potest largitatis deesse matrem, ubi Christus pascit et « pascitur. In omni hoc opere illa intervenit manus, « quæ panem frangendo auget, et erogando multi- « plicat. Securus et hilaris sit eleemosynæ distribu- « tor, quia hunc maximum lucram habebit, quando « sibi minimum reservaverit, dicente Apostolo « Paulo : *Qui autem administrat semen seminanti et « panem ad manducandum præstabit, et multiplicabit « semen vestrum, et augebit incrementa frugum justi- « tiæ vestræ.* »

c. — Observandum est quod Salvator noster, postquam nos ad misericordiam et beneficentiam erga egenos exhortatus fuisset, dicendo : *Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est*, simul etiam expresserit in quonam hæc virtus consisteret; dicit enim : *Date.* At vero quo fructu aut quali cum lucro idipsum fiet? Mox subdit : Et dabitur vobis, mensuram bonam et confertam et coagitatam, et superefluentem dabunt in sinum vestrum. Quæ verba Hugo Cardinalis ita exponit : « Primo, « *mensuram* bonorum temporalium; secundo, *con-* « *fertam* bonorum naturæ; tertio, *coagitatam* bono- « rum gratiæ; quarto, *superefluentem* bonorum « gloriæ. *In sinum vestrum dabunt* plenam et secu- « ram possessionem. » Lyranus eadem verba de bonis fortunæ hoc modo exponit : « *Mensuram* « *bonam*, quantum ad bona fortunæ et naturæ, « sicut sanitas, et hujusmodi, quæ etiam aliquando « conferuntur propter opera pietatis. »

d. — Nemini ignota est pollicitatio illa evangelica : *In qua mensura mensi fueritis, remetietur et vobis.* Unde nullum est, quin juxta proportionem auxiliorum et suffragiorum, quæ animabus Purgatorii subministraverimus, Deus dispositurus sit, ut paria quoque nobis suffragia impendantur, quando aliquando in Purgatorium venerimus. Et hunc credo esse sensum verborum, quæ sapiens illa mulier Ruth, i, 8, protulit dicendo : *Faciat vobiscum Dominus misericordiam, sicut fecistis cum mortuis.* Observandum vero est quod non dicat : *Faciant animæ*, quia si contigeret quod hæ postquam nostris suffragiis fuerint liberatæ, ad imitationem pinceernæ Pharaonis, nostrum obliviscerentur, non tamen nostri oblivisceetur Deus, qui fidejussor noster est : *Faciat vobiscum Dominus misericordiam*, sicut fecistis cum mortuis. Ipse enim suo tempore fidelibus suis inspirabit, ut pro nobis suas offerant satisfactiones. Unde antiquus quidam auctor, qui de hac materia diffuse tractat, in hæc verba scribit : « Sic enim « Deus sæpe disponit quod tantum quis recipiat in « alia vita quantum fecit libenter in hac vita. Nam « juxta Bedam, indignus erit omni suffragio qui « defunctorum immemor fuit in hoc sæculo. » Martinus de Roa in quodam tractatu *de Purgatorio*, hunc in modum discurrit : Qui benefacit animabus purgantibus, bonam sibi procurat usuram, quia opera nostra melius collocare et assecurare non possumus, quam si illa defunctorum animabus applicemus. Qui vero dat satisfactiones suas, etiamnum viventibus, idem facit ac si merces suas periculosissimo itinere transmitteret in Indias; viatores enim in mari toto tempore navigant, quo vivunt. Contingere autem posset, quod per tentationis alicujus tempestatem submergerentur, omniaque abirent in dispersionem, quia per peccatum amittitur omne id quod alias lucrati fuimus. Qui autem bona opera sua defunctorum animabus impendit, ea ad censum erogat, super bonis stabilibus fundatum, siquidem numquam amitti potest, quo pro ipsis offertur, preterquam quod nosmetipsi eorumdem bonorum reddamur participes. Animæ purgantes per nostrum creditum, sive satisfactiones debita sua non infallibiliter in paratis solvunt, donec egrediantur ex illo carcere in Paradisum ad fruendum Deo; nos vero e contra tot apud Deum nobis acquirimus intercessores, quot sunt eorum, qui nostris suffragiis electi sunt in cœlum. Imo non solum fruimur censu intercessionis eorum, pro eo tempore, quo in cœlis existunt, verum etiam pro eo tempore, quando etiamnum detinentur in Purgatorio, ubi intercedere et precari pro nobis possunt, non vero pro seipsis.

e. — Detestanda est nonnullorum spiritualis avaritia qui adeo proprio emolumento adhærescunt, ut adimpletis obligationibus suis, totum residuum satisfactionum suarum sibimetipsis applicent; credunique quod minima satisfactio, quam pro alio offertur ipsis sit defutura, ad eum fere modum, ac si sibi ipsis panem ex ore proprio ademptum aliis darent. Objectio hæc indigna est pectore Christiano et nobili, cui incumbit Christum imitari, de quo scribitur : *Languores nostros ipse tulit et dolores nostros ipse portavit.* Porro Deus injustum ipsorum supplicium permittit, ut hi tales eadem remunerentur moneta, disponendo, ut, si quando ipsi in his flammis fuerint constituti, nullus inveniatur, qui pro ipsis Deum roget, vel suffragia offerat; quia *in qua mensura mensi estis, remetietur et vobis.* In

historiis Franciscanorum de religioso quodam scribitur, qui eo quod dum viveret, orationes pro defunctis ex regula sua ordinatas neglexisset, post mortem alteri cuidam religioso ejusdem ordinis apparuit, eique dixit, horribiles se in purgatorio tolerare pœnas, Deumque omnia sacrificia, aliaque suffragia pro ipso oblata aliis applicasse; idque in pœnam suæ negligentiæ, qua dum viveret, pro illis animabus Deum precari omisit; verumtamen Deum ordinasse, ut quidquid deinceps boni pro ipsius anima offerretur, id in ejus cederet expiationem.

f. — At vero opponere quis poterit et dicere : Quod si ego me propriis satisfactionibus, quibus ipsemet pro me indigeo privavero, quomodo mihimetipsi in majoribus necessitatibus constituto subvenire potero? Numquid prima charitas incipit a seipso? Si quis pecuniam suam qua sustentare familiam suam debet, exponeret pro solvendis aliorum debitis, quomodo talis propriis necessitatibus succurrere poterit? Quod si de hac materia, secundum terminos humanæ providentiæ discurrere velimus, fatendum est, prius succurrendum esse propriis necessitatibus : *Quod superest date pauperibus.* At vero in casu nostro non currit proportio, quia agimus cum Deo, cujus amore, propriis satisfactionibus nos privamus, scientes ipsum liberalissimum esse remuneratorem. Ipse est, qui illas nomine animarum illarum sibi dilectissimarum accepiat. Quapropter nolite timere : *Faciet vobiscum Dominus misericordiam, sicut fecistis cum mortuis.* S. Gertrudis omnia opera sua bona quæ faciebat, illis applicabat animabus quæ acerbiora patiebantur tormenta, idque ut cœlesti Sponso suo per hoc placeret; Deus autem opera ejus animabus illorum magis egenis assignabat. Cumque ad ultimam usque vitæ ætatem pervenisset, inimicus infernalis aliquam ei suggessit de Deo diffidentiam, dicendo quod nunc sibi nulla reliqua essent pro anima propria merita et satisfactiones, utpote quæ se illis omnibus in aliorum exuisset. Unde eidem ob vehementiam pœnarum, quæ in Purgatorio tolerantur esset, anxie apparuit Christus, eique dixit : « Ut videas quam mihi grata et accepta fuerit « ingens illa tua erga animas exhibita charitas, in « illius remunerationem omnes tibi condono pœnas, « quarum debitrix esse potueris; cumque centum « pro uno promiserim, dilatabo manum, teque « ampliori præmio remunerabo, tibique gradus « gloriæ in mea beatitudine adaugebo et multipli- « cabo, atque insuper efficiam ut omnes animæ « suffragiis tuis mediantibus liberatæ, in hora mor- « tis tuæ te recipiant, et ad cœlum usque te comi- « tantes perducant. »

g. — Gratias quas mediante animarum Purgatorii gratitudine recipimus et experimur, eo quod in virtute nostrorum suffragiorum e Purgatorio fuerint liberatæ; has inquam experimur, non solum per hoc, quia in hac vita, eorum interventu, multas evasimus adversitates et æramnas, vel quia copiosis cumulati sumus bonis temporalibus et spiritualibus; verum etiam in ultimo vitæ nostræ articulo efficaciter intercedunt pro nobis. Porro similitudo qua Psalmista utitur dum ait : *Universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus*, ab infirmo quodam desumpta est, cui lectus, qui antea durus erat, volvendo et revolvendo, et plumas interiores extricando, mollis efficitur et delicatus. Deus itaque in ultima infirmitate, suffragia animabus illis sibi dilectis impensa remuneraturus, suavem nobis reddit mortis agoniam, nostrum cum divina sua voluntate conformat arbitrium, ad resistendum et vincendum tentationes vires tribuit, spiritum compunctionis communicat, actus amoris Dei super omnia inspirat, facitque ut ex corde dicant : *Ego dixi : Domine, miserere mei, sana animam meam, quia peccavi tibi.* Nam ut S. Hieronymus ait : « Quantam consolationem defunctis impendimus, « tantam vice versa recipimus. » At vero sanctus hic Doctor parum nimis dicit, quia quisquis miracula et innumeras quas fideles ab hisce animabus recipiunt gratias legerit, fatebitur utique plura esse beneficia, quæ ab illis in nos redundant, quam fuerint suffragia nostra, illis a nobis applicata. *Date et dabitur vobis*, inquit Salvator noster; *mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, et superefluentem dabunt in sinum vestrum.* Ex quo enim per opera nostra a ignis illius vinculis exemptæ et ad gloriam cœlestem receptæ fuerint, « cœlis nostros conspicientes miserias, liberales se exhibebunt, innumeras nobis obtinendo gratias : *Mensuram bonam, et confertam, et coagitatam.*

Versus 39.

Dicebat autem illis et similitudinem : Numquid potest cæcus cæcum ducere? Nonne ambo in foveam cadunt?

1. — Theophylactus verba hæc de illis exponit, qui cum sint ipsimet mali, ad alios tamen temere judicandos facillimi existunt : « Quasi dicat : Si tu « alium judices et ipse in eisdem peccas, nonne « assimilaris cæco cæcum ducenti? quomodo enim « ille a te ducetur ad bonum, cum et tu peccas? »

2. — Interlinearis ait : « *Numquid potest cæcus* « *cæcum ducere*, stultus stultum docere? » Glossa inquit : « Si contra violentum ira te excæcaverit, « si contra potentem avarus eris, numquid vitiata « mente tua, vitium ejus curare poteris? Nec solum « tibi injuriam fecit, sed etiam tu, qui ferre nescis, « reus eris; sed si improbitas illius te tranquillum « invenit, et ille pœnitebit, et tu de patientia coro- « naberis, quia cæcum videnti oculo, id est, « sereno corde ad lumen ducere curasti. »

3. — Lucas Brugensis pariter de malo exemplo

hæc verba exponit, quod a nobis datum et a proximo notatum, non est dux vel comes ad secure ambulandum, sed potius lapsus et offendiculi manifesta occasio : « Imitatus exemplum tuum, non relinquet « vitium, quod in te videret locum habere, vel ex « alio in aliud, ex suo in tuum vitium incurret, et « quo se tutius putabit ambulare duce te, eo cer- « tius peribit. »

4. — Toletus observat verbum illud : *Dicebat*, quod imperfecti temporis expressivum est : « Insi- « nuat Christum multa alia prædicasse, quæ Evan- « gelista prætermisit, nec enim omnia, quæ Chris- « tus dicit, scripta sunt. » Verbis igitur prædictis Salvator Scribas et Pharisæos reprehendere voluit, qui cum ipsi vitiosi et mali essent, alios in bonis moribus et vita virtuosa instruere satagebant.

Videatur Feria Quarta post Domin. tertiam Quadrag., v. 14.

VERSUS 40.

Non est discipulus super magistrum, perfectus autem omnis erit, si sit, sicut magister ejus.

Non est discipulus super magistrum.

1. — Lucas Brugensis ait : « Ineptus esse doce- « tur alienorum vitiorum censor, si suorum est « negligens. » Jansenius ita explicat : « Quasi « dicat : Si igitur tu, qui Doctorem te aliorum « præbes, ipse fueris in vitio, non est spes melio- « rem te posse fieri quem docere paras. »

2. — Discipulus ordinarie magistro suo superior esse non solet, inquit S. Bonaventura : « Qui ergo « magistro subjacente cupit præesse, magistrum « suum contendit præcedere. » Unde Bernardus : « Quoties hominibus præesse desidero, toties Deum « meum præire contendo et tunc non sapio quæ « Dei sunt : Qui vult aliis superefferri, ignorat doc- « trinam Christi, qui ait : *Discite a me, quia mitis « sum et humilis corde. Matth.*, XI, 29. »

Perfectus autem omnis erit, si sit, sicut magister ejus.

3. — Dionysius Carthusianus ait : « Id est, si ei « assimiletur per imitationem, aut conformetur « per æqualitatem, erit perfectus in certo gradu, « statu, seu ordine. »

4. — Albertus Magnus per hunc magistrum, nostrum in via salutis directorem intelligit : « Hoc « est, ductor et Doctor, qui magis persuadet exem- « plo quam verbo. »

5. — Cajetanus ait : « Reprehenduntur, qui vo- « lunt minus sapere tam super leges quam super « prælatos suos; non tam leges quam prælati ma- « gistri locum tenent. »

6. — S. Bonaventura hæc verba de Christo, qui vere humilis fuit, exponit, dicens : « Christus scili- « cet, qui non vult ministrari, sed ministrare et « dare animam suam redemptionem pro multis. »

VERSUS 41.

Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem quæ in oculo tuo est, non consideras?

Quid autem vides festucam in oculo fratris tui.

1. — Beda verba hæc ad id quod paulo ante Salvator dixerat, relationem habere dicit; nimirum, quod cæcus alterius cæci dux esse non possit : « Id est, peccantem a peccatore castigari non posse « præmonuit. »

2. — S. Bonaventura per hoc nomen *festuca*, levem quemdam defectum intelligit, quem quis in aliis reprehendit, dum vitium aliquod valde enorme in seipso emendare non curat : « Ideo addit : « *Trabem autem, quæ in oculo tuo est, non consi- « deras*, id est, magnum peccatum. » Theophylactus similiter dicit : « Modicum criminis in oculo fra- « tris tui vides, *trabem autem, quæ in oculo tuo est*, « id est, peccatum tuum maximum non advertis? » Qui idem ulterius ostendit, qualiter hoc in illis Prælatis et Principibus verificetur, qui in levibus subditorum suorum transgressionibus castigandis severi sunt, cum tamen suas, quæ graves sunt, impune transire permittant. Cajetanus dicit : « Non « est sermo de *videre*, id est, scire, sed de *videre*, « id est, ponderare, damnantur enim, qui magni « pendunt parva aliorum crimina, cum ipsi ha- « beant magna. » In Græco textu habetur : *Quid autem curiose et lynceis oculis intueris festucam in oculo fratris?* Chrysostomus, *Hom.* XXIV *in Matth.*, idipsum in nonnullis exemplificat, qui se adversos religiosos nonnunquam veste aliqua superflua indutos, valde se zelosos exhibent : « Cum millies ipsi « aliena diripiant et quotidie avaritiæ crimen exer- « ceant; » dum nonnunquam religiosos refectione solito liberaliore se restaurare videntes, « accusa- « tores existunt amari, ipsi quotidie erapulati ac « temulenti, ignorantes, quod cum propriis admis- « sis, hinc quoque sibi congregent majus incen- « dium, omnique semetipsos excusatione denu- « dent. »

3. — Interlinearis de illis exponit, qui proprios defectus non emendantes, aliorum defectus censura sua divexant, aliisque improperant : « Non enim « est prius idoneus Doctor aliis mederi, nisi prius « se sanaverit. »

Trabem autem, quæ in oculo tuo est, non consideras?

4. — Albertus Magnus dicit, quod, priusquam alios dijudicemus, nostræque censuræ subjiciamus, necessum sit ut de nobismetipsis severum examen instituamus, juxta illud Ecclesiastici, XXXI, 18 : « *Intellige ea, quæ sunt proximi tui ex teipso*, et nisi « homo ex seipso consideret, non bene judicat « proximum, *Psal.* XVI, 2 : *De vultu tuo judicium « meum prodeat, oculi tui videant æquitatem.* »

5. — « Non quidem quod trabs possit esse in « oculo, » inquit Didacus Stella, « sed ad significi- « candum periculum, quod sequitur hominem « existentem in peccato; nam si quis festucam vel « trabem in pede, vel manu, vel quavis alia parte « corporis habeat, non est manifestum periculum, « in oculo autem gravissimum est : ita dicendum « de peccato, si ad eum conferatur, in quo est, « quod quidem conscientiam destruit. » Oculus non solum non potest sufferre intra se trabem, sed nec paleam, nec minimum pulveris atomum, sed ingentem inde patitur dolorem et tormentum, donec ejiciatur foras et oculus serenetur; eodem quoque modo anima aversionem habere debet non solum a peccatis gravibus et mortalibus, quæ in trabibus denotantur; verum etiam a levibus, quæ per festucas et quemvis minutissimum pulverem designantur, siquidem etiam hæc pupillam offendunt. Unde optime monet S. Bernardus : « Tu ne leve dixeris, « in quo Deo offenditur. » Nequaquam cunctari debemus in liberanda anima nostra a peccatis, maxime quando sunt mortalia, imo aversio infinita, qua oculus omnia illa, quæ illum obscurare possunt, abhorret, odium in nobis cujuslibet etiam minimæ offensæ excitare debet. Unde Didacus Stella ait : « Observabis oculum tenerrimam esse rem et « vel levi re gravissime lædi, ita ut statim lacrymas « diffundat et si festucam habet, nunquam quiescit, « donec illam foras ejiciat; multo ergo tenerior res « est anima, et exiguo peccato offenditur et co- « inquinatur, et sic justi viri anima leves culpas « flet, quasi maximæ sint. »

6. — Lucas Brugensis indiscretum quorumdam zelum redarguit, qui in reprehendendis peccatis alienis severissimi censores existunt, proprios minime considerantes : « Quare tam oculatus et « curiosus es in cernendis atque arguendis alio- « rum vitiis et cæcus indulgensque in tuis, longe « majoribus iis et gravioribus? »

7. — Impossibile quidem est, inquit Didacus Stella, quod quis intra oculum suum trabem habeat, nec tamen id sentiat, aut animadvertat; verumtamen si idipsum forte aliquando fieri posset, idipsum mortui non vero vivi hominis argumentum esset : « Mirum est, ut non sentias trabem, quæ est « in oculo tuo, et credo id non ob aliud esse, quam « quia mortua est anima tua; nam oculus mortuus « facile festucas sustinet et trabes. »

Additiones.

a. — Christus Salvator noster apud S. Lucam, VI, 41, nobis improperat, dicens : *Quid vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem, quæ in oculo tuo est, non consideras?* ubi per trabem, peccatum grave intelligitur, quo obnoxii existentes, leves aliorum reprehendimus defectus. Merito peccatum grave trabis nomine appellatur, quia ex trabibus multa cæduntur ligna igni fovendo deservientia. S. Augustinus circa præfata Christi verba ingeniosam habet observationem; ait enim : « Festuca « initium trabis est; nam trabs quando nascitur, « prius festuca est. Rigando festucam perducis ad « trabem; alendo iram malis suspicionibus perducis « ad odium. » Quod si inquireres undenam processerit inimicitia illa, per quam ditissima illa et nobilissima familia totaliter subversa fuit, invenires utique, hanc ex actu aliquo subsannationis, derisionis et ludibrii quem alter cui derisio illa facta est, digerere non potuit, primordialiter fuisse exortans : *Ecce quam modicus ignis quam magnam sylvam incendit!* Nullum unquam scelus in mundo commissum est, quod execrabilius eo fuerit, quod Judas patravit, tradendo et vendendo Christum verum Dei Filium, in mortem. Hoc autem horrendum scelus derivatum est ex hujus Apostoli avaritia, in primis initiis ab eodem neglecta, prout sacri interpretes observarunt. Non enim constat de commissis per illum furtis, aut extorsionibus, sed quia in sua custodia illas habebat eleemosynas, quæ Christo ad conservandam pauperculam suam familiam tribuebantur a fidelibus, ipse hac commoditate abutens, occulte sibi ex illis pecuniis aliquas reservavit in usus privatos, sicque ab invalescente paulatim in ipso inordinato hoc avaritiæ vitio, ut triginta illos sibi compararet argenteos, cœlestem Magistrum in mortem divendidit. Merito igitur Chrysostomus monet inquiens, *in Psal.* VI : « Ne priora negli- « gamus, ne mala in majus crescant. Judas si « pecuniæ amorem coercuisset, non venisset ad « sacrilegium. Christus non solum fornicationem « et adulterium, sed impudicum etiam obtutum « reprimit; radicem ab imo evellens ut facilius « possit superari vitium. » Idem S. Doctor in progressu ejusdem Psalmi, hanc quoque utilissimam tradit doctrinam inquiens : « Quando parvam « animæ perturbationem susceperis, ne eam ne- « glexeris, quod parva sit, sed consideres, quod id « quod ex ea alitur maxima mala parit. Etenim « postquam in domo aliqua parum stuppæ accen- « sum viderimus, conturbamur et tumultum move- « mus; non enim attendimus initium, sed ex initio « finem considerantes movemus et concurrimus, ut « totum caminum extinguamus. Hoc igne vehe- « mentius animam exedit vitium. Oportet itaque « prævenire, nam si fuerimus negligentes, in cor- « rectu evadit difficilius. »

b. — Regius Psaltes de correctione fraterna disserens, se quamdam Dei vocem audivisse testatur, peccatori dicentem, *Psal.* XLIX, 16 : *Peccatori autem dixit Deus : Quare tu enarras justitias meas et assumis testamentum meum per os tuum?* Quæ verba S. Ambrosius ita exponit : « Usurpas tibi ut de

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

« lege arguas, qui contra legem ipse fecisti. » Et ideo salubriter S. Augustinus hortatur ut prius nosmetipsos examinemus, videamusque an forte iisdem simus vitiis contaminati, quæ aliis improperare, aut in iis emendare contendimus : « Si cogitantes nosmetipsos invenerimus in eo esse vitio, « in quo est ille quem reprehendere paribamus, « non reprehendamus, neque objurgemus, sed « tamen cum gemitu, non illum ad obtemperandum nobis, sed ad pariter cavendum, invitemus. »

6. — Quidnam Job dicere voluisse existimatis, dum ait : *Quare persequimini me sicut Deus?* S. Gregorius ita eum loqui dicit, quod a nonnullis suorum præter ius et æquitatem fuisse reprehensus : « Ac si aperte diceretur, ita me ex infirmitatibus meis affligitis ac si ipsi more Dei nihil « infirmitatis habeatis. » Qui idem sanctissimus Pontifex paulo ante dixerat : « Tanto omnipotens « Deus justius aliena vitia percutit, quanto in « semetipso nihil habet vitiorum. » Idem quoque patientissimus Propheta alio in loco protestatur dicens : *Quod si non ita est, quis me arguere poterit esse mentitum?* quasi diceret : Tametsi quidquid hactenus asserui, verum sit, attamen quis vestrum, etiamsi falsum esset, exprobrare id mihi poterit? Ita namque verba hæc S. Gregorius exponere videtur, dum ait : « Justus namque etsi quid unquam « delinquendo loquitur, dignum non est ut ab in- « justis et prave viventibus judicetur. Unde sanctus « vir amicorum superbiam deprimens, non solum « si ita est, verum etiam si ita non est, ut protulit, « nequaquam se reprehendi posse confudit, quia « nimirum illi recte redarguere falsa possunt, qui « falsa agere nesciunt; nam correptionis ausum « contra fallaciam perdunt, qui adhuc fallaciter « vivunt. »

VERSUS 42.

Aut quomodo potes dicere fratri tuo : Frater, sine ejiciam festucam de oculo tuo, ipse in oculo tuo trabem non videns? Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, et tunc perspicies, ut educas festucam de oculo fratris tui.

Aut quomodo potes dicere fratri tuo : Frater, sine, etc.

1. — S. Bonaventura hisce Christi verbis : *Aut quomodo potes dicere*, hanc glossam adjicit : « Exterius scilicet ipsum alloquendo, qua enim facie « aliquis alium culpæ alicujus redarguere aut con- « demnare vellet, cujus ipse longe magis reus « esset? Quasi dicat : Non potes hoc rationabiliter « dicere ; potest enim tibi dici : *Qui alium judicas, « teipsum non judicas*, et illud : *Medice cura teipsum;* « unde talis monitio merito potius despicitur quam « audiatur, » nam ut S. Gregorius ait : « Cujus vita « despicitur, restat ut ejus prædicatio contemna- « tur. » Albertus Magnus quoque illum ex *III. I Paral.*, XXVIII, 3, textum allegans : *Non ædificabis domum nomine meo, eo quod sis vir bellator et sanguinem fuderis*, Glossam citat dicentem : « Sordes « tergere non valet manus, quæ lutum tenet. » Nihilominus idem Seraphicus Doctor majoris charitatis causa, hanc adhibet distinctionem, dum ait : « Attende autem, quod si Prælatus trabem habeat, « non in oculo, hoc est, in publico, sed in occulto, « ille cum timore, tempore necessitatis corrigere « poterit ; si autem in propatulo, non debet usur- « pare correctionem. Hodie major pars et trabem « portat publice in oculo, vel etiam jactat, et « tamen festucas in oculis subditorum, pœna pecu- « niaria plectunt, non educunt. »

2. — Toletus illis, qui tametsi ipsimet reprehensibiles sint, alios tamen corrigere præsumunt, his verbis respondet : « Hoc repellens Dominus, in- « quit : *Quomodo potes dicere : Sine ejiciam?* qui « enim trabem suam non considerat, difficillime « curabit alterius festucam ejicere. » *Corripiet me justus*, inquit David, sic quoque Samuel, se judicem populi et consequenter in necessitate alios severe reprehendendi positum esse videns, prius vitam suam propriam justificare et inculpabilem ostendere voluit, dicens, *I Reg.*, XII, 3 : *Loquimini de me coram Domino, utrum bovem cujusquam tulerim, aut asinum, si quempiam calumniatus sum, si oppressi aliquem, si de manu cujusquam munus accepi*; cui proinde omnes protinus innocentiæ et sanctitatis suæ indubitatum perhibuere testimonium. At vero dicet fortasse aliquis, hanc Samuelis justificationem, non bene consonare cum illo dicto Sapientis, *Prov.*, XXVIII, 17 : *Justus prior accusator est sui*; sed difficultas ita protinus cessabit, si consideretur Samuelem hoc fecisse, quando jamjam aggressurus et exercitaturus erat correctionis officium. Unde Hugo Cardinalis ait : « Nota prudentiam Samuelis, « ipse volebat peccata objicere Judæis, et ideo prius « se purgavit, et ita tutius potuit eos arguere. » S. Anselmus super illa verba : *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse*, ita scribit : « Qua libertate « alienos filios corripere possumus et docere quæ « recta sunt, cum nobis statim, qui fuerit correptus, « ingerere potest : Ante doce filios tuos. » Postquam Scribæ et Pharisæi adulteram in peccato deprehensam, coram Christo adducentes eumdem, an secundum legis præscriptum lapidanda esset, interrogarunt, Christus iis affirmative respondit, cum hac tamen annexa conditione, ut qui inter eos innocentior esset, primus in eam lapides jaceret, ubi S. Gregorius ait : « Ad aliena quippe peccata pu- « nienda ibant et sua reliquerant; revocantur igitur « prius ad conscientiam, ut prius propria corrigant « et tunc aliena reprehendant. » Quando patientissimo Jobo a propinquis amicis multa, licet falsa et ficta, imputabatur malitia, patientissimus Propheta,

id ægre ferens in hæc fere verba iisdem respondit : *Quare persequimini me, sicut Deus?* Sed quisnam hic est, inquies, loquendi modus, quo Propheta illos, num eum sicut Deus persequi velint, interrogat? S. Gregorius, *lib.* XIV, c. XXIV, hæc ejus verba hoc modo interpretatur : « Ac si aperte diceret : « Ita me ex infirmitatibus meis affligitis, ac si ipsi « de more Dei nihil infirmitatis habeatis. » Idem vero Ecclesiæ Doctor paulo ante de Deo nostro dixerat : « Tanto omnipotens Deus justius aliena « vitia percutit, quanto in semetipso nihil habet « vitiorum. »

3. — Auctor Imperfecti, *Hom.* XVIII, ait : « *Quo- « modo fratri tuo dicis*, id est, quo proposito? Putas « ex charitate cordis, dicis, ut salves proximum « tuum? Non, sed ut te simules justum, si autem « vere ex charitate cordis argueres proximum « tuum, ut salvares, teipsum ante salvares? Num- « quid possibile est, ut benevolentior sis aliis quam « tibi? » Ac tandem concludit, quisquis alios corrigere satagit, non prius emendans seipsum : « Cer- « tum est, quia alloquens in Ecclesia non alios vult « salvare, sed per bonam doctrinam malos actus « suos celare. »

Hypocrita.

4. — S. Bonaventura ait : « Hypocritam vocat, « talem judicem temerarium, qui in judicando « alios ostendit et prætendit zelum justitiæ et se- « ipsum non judicando, habet vitium intus latens « superbiæ ; vel hypocritam vocat, qui exteriora « ponderat, interiora negligit, quæ sunt magis « ponderanda. »

5. — Cajetanus aliam adducit rationem, cur Salvator noster eum, qui cum in semetipso sit reprehensibilis, aliorum vult esse censor et corrector, hypocritam vocet, quia reipsa officium exercet hominis boni, integri et zelosi, cum cæteroquin malus sit et impius : « Quia itaque officio ponderandi et « corrigendi alienos defectus agit virum bonum, et « non est vir bonus, ideo hypocrita dicitur. »

6. — Chrysostomus Dominum nostrum his verbis indignationem suam indicare voluisse dicit, qua ab ejusmodi censoribus est aversus : « Hic iram « vult monstrare plurimam, quam habet in nos, « qui ista committunt. » Notat enim sanctus hic Doctor, quod Dominus noster in aliis quoque occasionibus, quando se ob gravem aliquam transgressionem exhibere voluit subiratum, semper fere similibus verbis fuerit exorsus, unde servi illius, cui decem millia talenta condonata fuerant, quique in conservum et debitorem suum, qui centum ei denarios debebat, adeo crudelis extiterat, æquitiam et malignitatem indicare volens, dixit : *Serve nequam*, etc. « Ita hic quoque ait : *Hypocrita*, non « enim pietatis est tam rigida hæc adversus delicta « sententia, sed inhumanitatis, et personam sibi « quidem dilectionis imponit, opus autem malitiæ « implet extremæ, dum falsa proximo opprobria « affigit, et crimina, et invadit locum magistri, « cum non sit dignus tenere discipuli. »

Ejice primum trabem de oculo tuo.

7. — « Teipsum primo mundum ostendas, » inquit glossando S. Cyrillus, « a magnis peccatis, conse- « quenter consules proximo modica committenti. » Idem quoque S. Bonaventura his verbis monet : « Circa hoc principaliter insistendum, ut trabs, id « est, grave peccatum de interiori oculo ejiciatur. » *Purificate corda duplices animo*, inquit Zacharias, IV, 8. Et Ecclesiastici, XIV, 5, dicitur : *Qui sibi nequam est, cui alii bonus erit?* debet enim charitas esse ordinata, ut primo intendat sibi, et post aliis. Idem quoque Cajetanus observat, dum ait : « Ordi- « nem damnat cœlestis Magister; » non enim delinquentem et transgressorem reprehendere vetat; sed prius vult, ut unusquisque semetipsum reprehendat : « Quia primum debes videre et pur- « gare teipsum, et deinde videre et purgare alios. »

8. — Venerab. Beda per hanc trabem, odii passionem intelligit, quæ judicium et discursum nostrum obfuscat : « Id est, primo abs te expelle odium « et deinceps poteris jam eum, quem diligis, emen- « dare. »

9. — D. Chysostomus, *Hom.* XXIV *in Matth.*, dicit, Christum hic nos exhortari, ut prius nos ipsos emendemus et postea proximorum nostrorum salutem procurare nitamur : « Nam et sua unusquisque « facilius cognoscit, quam utique cæterorum, et « seipsum magis amat quam proximum; itaque si « alterius curam gerens id facis, temetipsum ante « curato, in quo et manifestius invenitur peccatum « et grandius; sin autem temetipsum contemnis « ac despicis, liquet omnino, quod fratrem tuum « ipse odio judices, non studio disciplinæ, nec « emendare illum cupias, sed notare. »

10. — Venerabilis Beda pulchrum nobis modum præscribit, quo officium hoc reprehendendi alios, dum necessitas id exigit, exercere utiliter valeamus : « Primo cogitemus, utrum tale sit vitium, « quod nunquam habuimus, et si nunquam habui- « mus, cogitemus et nos homines esse, et habere « potuisse; si vero habuimus et non habemus, « tangat memoriam communis infirmitas, ut illam « reprehensionem aut objurgationem non odium, « sed misericordia præcedat. »

Et tu perspicies, ut educas festucam de oculo fratris tui.

11. — Toletus bene observat, quod non solum dixerit, *perspicies*, quia hoc etiam trabem in oculis ferentes facere poterant, siquidem hypocritæ et impii, Argi sunt, et lynceos oculos habent in detegendis et censurandis aliorum peccatis : « Sed ejecta

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

« trabe perspicies, ut educas, non ut dicas tantum, « sed ut cum effectu *educas festucam*, id est, tunc erit « utilissimum et fructiferum perspicere festucam, « et dicere fratri, ut ejiciat festucam; plus enim fit « exemplo quam verbo, et verbum vires habet ab « exemplo. » Quia vero Pharisæi idipsum non faciebant ideo illos hypocritas appellavit. S. Apostolus, I *Tim.*, II, postquam Timotheum hortatus fuisset, ut se exemplum præberet eorum operum, quæ aliis persuadere aut præcipere volebat, protinus subjunxit : *Præcipe hæc et doce*. S. Gregorius argute considerat, quod idem Apostolus ad Titum scribit, nimirum : *Hæc loquere, et argue cum omni imperio*; « cum imperio quippe, docetur » inquit, « quod « prius agitur quam docetur. » S. Matthæus efficaciam prædicationis Christi commendare volens, dicit : *Erat docens eos sicut potestatem habens, et non sicut Scribæ eorum et Pharisæi*, idque, quia ut S. Lucas testatur : *Cœpit Jesus facere et docere*.

Additiones.

a. — Postquam increata Sapientia de temerariis disseruisset judiciis, dicendo : *Nolite judicare et non judicabimini*, pergit ulterius quorumdam perstringere arrogantiam et temeritatem, qui cum ad fauces usque vitiis sint immersi, de culpis tamen levibus proximos suos judicare et condemnare non dubitant; eosque similes esse dicit illis, qui cum trabem in oculis suis ferant, ad discernendum tamen festucas in oculis aliorum, Argos se præsumunt exhibere : *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem, quæ in oculo tuo est, non considerasti?* Id est, ut exponit Theophylactus : « Modi« cum criminis in oculo fratris tui vides, trabem « autem, quæ in oculo tuo est, id est, peccatum « tuum maximum, non advertis. » Qua de re S. Thomas ait : « Dicendum quod illi qui sunt in gra« vibus peccatis, non debent judicare eos qui sunt « in iisdem peccatis, vel minoribus. » *Aut quomodo potes dicere fratri tuo : Sine, ejiciam festucam de oculo tuo, ipse in oculo tuo trabem non videns?* Quæ verba S. Bonaventura hoc modo declarat : « Quasi « dicat : Potest tibi dici : *Qui alium judicas, teipsum « non judicas?* Hic revocat a temeritate judicandi, « quod quidem facit ostendendo eum, qui temere « judicat, iniquum in cogitatione, indiscretum in « locutione, inordinatum in operatione. » Nomine igitur trabis, peccatum indicat temere judicantis; hic enim præter peccatum proprium, sibimetipsi culpam adauget; id quod etiam D. Chrysostomus his verbis observavit : « Si relictis rebus tuis, sedes « ad judicandum alios majores te, tibi ipsi colligere « peccatorum sarcinas non sentis. Idcirco, obsecro, « fugiamus omnino, ne condemnemus alios. » Nimis enim arrogans est temeritas, dissimulando peccatum et vitium proprium, quiquis est immersus, oculum suum in domos dirigere aliorum, illorum censurando et judicando defectus. Id quod etiam Petrus Blesensis his verbis indicat : « Teme« rarium est si tuum delictum dissimulas et judicas « alienum. » S. Ambrosius exponens verba illa Psalmi CXVIII : *Secundum judicium tuum vivifica me*, quam periculosum sit aliquis aliena judicare peccata, in quibus et ipse suam partem habet, demonstrat, inquiens : « Grave est de alio judicare; unde « etiam scriptum est : *Nolite judicare et non judica« bimini*. Cum enim unusquisque sit suorum con« scius peccatorum, quomodo potest de alterius « judicare peccato? Judicet de alterius errore, qui « non habet, quod in se ipso condemnet. Judicet « ille qui non agit eadem, quæ in alio putaverit « punienda, ne cum de alio judicat, in se ferat ipse « sententiam. Judicet ille qui ad pronuntiandum « nullo odio, nulla offensione, nulla levitate duca« tur. »

b. — Divus Chrysostomus sensum verborum illorum : *Quid autem vides festucam*, etc, considerans, declarat cœlestem Magistrum non voluisse generaliter prohibere ne quis omnino condemnet et judicet delinquentes, quia nonnulli illorum sunt publici et manifesti, et consequenter detestandi : « Hic non generaliter, » inquit, « omnia peccata « prohibuit judicari, nec prorsus istius rei abstulit « potestatem, sed profecto solis, qui cum flagitiis « abundent innumeris, alios de levissimis quibusque « delictis tota temeritate condemnant. » Quos in progressu ejusdem homiliæ judices amaros appellat, dicens : « Noli judicare, noli effici judex amarus : « *Quid vides festucam*, etc. » In hunc autem errorem multi profecto incidunt. Videbunt, inquit idem S. Doctor, monachum quemdam veste superflua indutum, et subito illi dictum objicient Christi, præcipientis ut unica sint tunica contenti, cum tamen ipsi mille habeant vestes inutiles in armariis suis, vel extorsionibus suis alios spoliare satagant. Videbunt religiosum aliquem sibi in modico cibo solito indulgentiorem esse, et statim sinistram de illo concipient opinionem; cum tamen ipsi quotidie crapulæ indulgeant et inebrientur. Quos idem S. Doctor his verbis monet : « Ut diligentius peccata « examinentur tua, legem primus ipse posuisti, « severius, de his, quæ proximus peccaverit, judi« cando. »

c. — Quando Nathan Davidi exposuit, qualiter dives quidam alteri egeno suam surripuisset oviculam, quam filiæ loco habebat et nutriebat, ut gregi suo copiosissimo parcens, venienti ad se peregrino epulas pararet, David subito iratus, magna cum severitate respondit : *Iratus autem indignatione David adversus hominem illum nimis, dixit ad Nathan : Vivit Dominus quoniam filius mortis est vir qui fecit hoc. Ovem reddet in quadruplum.* II *Reg.*, XII, 5. Neque David cogitabat quod Nathan propheta, de adulterio et homicidio ipsius loqueretur.

In parabola, quam Christus Pharisæis proposuit de vinea, legitur quod postquam Christus vinitores servos, quos Paterfamilias ad fructus ab eis exigendos miserat, sicut et proprium filium occidisse dixisset, Pharisæos interrogarit : *Cum ergo venerit Dominus vineæ, quid faciet agricolis illis?* Qui subito inadvertenter respondentes, condemnarunt seipsos; nam aiunt illi : *Malos male perdet et vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis.* S. Propheta Job ait : *Os meum condemnabit me et pravum me esse comprobabit.* Sed ehen, quot sunt hodie quibus idem accidit, qui cum proprios defectus non considerant, judicando alios, condemnant seipsos?

d. — S. Gregorius, in homilia quadam super Ezechielem, causam cur oculos nostros in defectus aliorum, non vero in proprios dirigamus, his verbis edisserit : « Sunt multa peccata, quæ committimus; « sed idcirco nobis gravia non videntur, quia pri« vato nos amore diligentes, clausis nobis oculis, « in nostra deceptione blandimur. Unde fit plerum« que ut nostra gravia leviter, et proximorum mala « levia graviter judicemus. » Idem quoque rationem explicat, ob quam adeo severi sumus judices quoad alios, cum tamen eamdem judicii severitatem non adhibeamus quoad nos ipsos; dicit enim : « Sed quare hoc grave videtur nobis esse in « proximo, nisi quia nec nos sicut proximum, nec « proximum conspicimus sicut nos? Si enim nos « sicut proximum aspiceremus, nostra reprehensi« bilia districte videremus; et rursum, si proximum « aspiceremus ut nos, nunquam nobis ejus actio « appareret intolerabilis, qui sæpe fortasse talia « egimus. »

DOMINICA SECUNDA POST PENTECOSTEN

EVANGELIUM LUCÆ, CAP. XIV, VERS. 16

16. Homo quidam fecit cœnam magnam, et vocavit multos.

17. Et misit servum suum hora cœnæ dicere invitatis, ut venirent, quia jam parata sunt omnia.

18. Et cœperunt simul omnes excusare : Primus dixit ei : Villam emi, et necesse habeo exire, et videre illam; rogo te, habe me excusatum.

19. Et alter dixit : Juga boum emi quinque, et eo probare illa; rogo te, habe me excusatum.

20. Et alius dixit : Uxorem duxi, et ideo non possum venire.

21. Et reversus servus nuntiavit hæc Domino suo; tunc iratus Paterfamilias, dixit servo suo : Exi cito in plateas et vicos civitatis, et pauperes ac debiles, et cæcos et claudos introduc huc.

22. Et ait servus : Domine, factum est ut imperasti, et adhuc locus est.

23. Et ait Dominus servo : Exi in vias et sepes, et compelle intrare, ut impleatur domus mea.

24. Dico autem vobis, quod nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cœnam meam.

Versus 16.

Homo quidam fecit cœnam magnam, et vocavit multos.

Homo.

1. — Si per eum, qui cœnam hanc magnam instituit, Filium Dei intelligamus, confestim dubium quoddam nascitur, cur hic Dei Filius homo appelletur. Lyranus dicit : « Homo appellatur, id « est, Christus verus homo. » D. Chrysostomus considerat quod Deus in aliis occasionibus justitiæ suæ rigorem demonstrare volens, vel urso, vel pardo, vel leoni, etc., sese similem esse per Prophetas dicat : « Quando vero misericordiam exprimere « vult, dicitur homo. » Similem quoque considerationem Didacus Stella super hæ verba scribens adducit, inquiens : « Homo hic vocatur Deus, quia « benigne et misericorditer nos vocat, et allicit ad « epulas vitæ æternæ. »

Quidam.

2. — Hugo Cardinalis Salvatorem se hoc nomine appellasse censet ex sensu humilitatis et contemptu sui ipsius, et ad superbiæ nostræ confusionem : « Iste *homo quidam*, est Christus Dominus, qui « homo, vel hominis filius vult appellari, cum « tamen sit Deus et Dei Filius, in confusionem « multorum, qui cum sint inferiores genere, volunt « tamen denominari ab accidente; cum enim sint

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

« trabe perspicies, ut educas, non ut dicas tantum, « sed ut cum effectu *educas festucam*, id est, tunc erit « utilissimum et fructiferum perspicere festucam, « et dicere fratri, ut ejiciat festucam; plus enim fit « exemplo quam verbo, et verbum vires habet ab « exemplo. » Quia vero Pharisæi idipsum non faciebant ideo illos hypocritas appellavit. S. Apostolus, I *Tim.*, II, postquam Timotheum hortatus fuisset, ut se exemplum præberet eorum operum, quæ aliis persuadere aut præcipere volebat, protinus subjunxit : *Præcipe hæc et doce*. S. Gregorius argute considerat, quod idem Apostolus ad Titum scribit, nimirum : *Hæc loquere, et argue cum omni imperio*; « cum imperio quippe, docetur » inquit, « quod « prius agitur quam docetur. » S. Matthæus efficaciam prædicationis Christi commendare volens, dicit : *Erat docens eos sicut potestatem habens, et non sicut Scribæ eorum et Pharisæi*, idque, quia ut S. Lucas testatur : *Cœpit Jesus facere et docere*.

Additiones.

a. — Postquam increata Sapientia de temerariis disseruisset judiciis, dicendo : *Nolite judicare et non judicabimini*, pergit ulterius quorumdam perstringere arrogantiam et temeritatem, qui cum ad fauces usque vitiis sint immersi, de culpis tamen levibus proximos suos judicare et condemnare non dubitant; eosque similes esse dicit illis, qui cum trabem in oculis suis ferant, ad discernendum tamen festucas in oculis aliorum, Argos se præsumunt exhibere : *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem, quæ in oculo tuo est, non considerasti?* Id est, ut exponit Theophylactus : « Modi« cum criminis in oculo fratris tui vides, trabem « autem, quæ in oculo tuo est, id est, peccatum « tuum maximum, non advertis. » Qua de re S. Thomas ait : « Dicendum quod illi qui sunt in gra« vibus peccatis, non debent judicare eos qui sunt « in iisdem peccatis, vel minoribus. » *Aut quomodo potes dicere fratri tuo : Sine, ejiciam festucam de oculo tuo, ipse in oculo tuo trabem non videns?* Quæ verba S. Bonaventura hoc modo declarat : « Quasi « dicat : Potest tibi dici : *Qui alium judicas, teipsum « non judicas?* Hic revocat a temeritate judicandi, « quod quidem facit ostendendo eum, qui temere « judicat, iniquum in cogitatione, indiscretum in « locutione, inordinatum in operatione. » Nomine igitur trabis, peccatum indicat temere judicantis; hic enim præter peccatum proprium, sibimetipsi culpam adauget; id quod etiam D. Chrysostomus his verbis observavit : « Si relictis rebus tuis, sedes « ad judicandum alios majores te, tibi ipsi colligere « peccatorum sarcinas non sentis. Idcirco, obsecro, « fugiamus omnino, ne condemnemus alios. » Nimis enim arrogans est temeritas, dissimulando peccatum et vitium proprium, quiquis est immersus, oculum suum in domos dirigere aliorum, illorum censurando et judicando defectus. Id quod etiam Petrus Blesensis his verbis indicat : « Teme« rarium est si tuum delictum dissimulas et judicas « alienum. » S. Ambrosius exponens verba illa Psalmi CXVIII : *Secundum judicium tuum vivifica me*, quam periculosum sit aliquis aliena judicare peccata, in quibus et ipse suam partem habet, demonstrat, inquiens : « Grave est de alio judicare; unde « etiam scriptum est : *Nolite judicare et non judica« bimini*. Cum enim unusquisque sit suorum con« scius peccatorum, quomodo potest de alterius « judicare peccato? Judicet de alterius errore, qui « non habet, quod in se ipso condemnet. Judicet « ille qui non agit eadem, quæ in alio putaverit « punienda, ne cum de alio judicat, in se ferat ipse « sententiam. Judicet ille qui ad pronuntiandum « nullo odio, nulla offensione, nulla levitate duca« tur. »

b. — Divus Chrysostomus sensum verborum illorum : *Quid autem vides festucam*, etc, considerans, declarat cœlestem Magistrum non voluisse generaliter prohibere ne quis omnino condemnet et judicet delinquentes, quia nonnulli illorum sunt publici et manifesti, et consequenter detestandi : « Hic non generaliter, » inquit, « omnia peccata « prohibuit judicari, nec prorsus istius rei abstulit « potestatem, sed profecto solis, qui cum flagitiis « abundent innumeris, alios de levissimis quibusque « delictis tota temeritate condemnant. » Quos in progressu ejusdem homiliæ judices amaros appellat, dicens : « Noli judicare, noli effici judex amarus : « *Quid vides festucam*, etc. » In hunc autem errorem multi profecto incidunt. Videbunt, inquit idem S. Doctor, monachum quemdam veste superflua indutum, et subito illi dictum objicient Christi, præcipientis ut unica sint tunica contenti, cum tamen ipsi mille habeant vestes inutiles in armariis suis, vel extorsionibus suis alios spoliare satagant. Videbunt religiosum aliquem sibi in modico cibo solito indulgentiorem esse, et statim sinistram de illo concipient opinionem; cum tamen ipsi quotidie crapulæ indulgeant et inebrientur. Quos idem S. Doctor his verbis monet : « Ut diligentius peccata « examinentur tua, legem primus ipse posuisti, « severius, de his, quæ proximus peccaverit, judi« cando. »

c. — Quando Nathan Davidi exposuit, qualiter dives quidam alteri egeno suam surripuisset oviculam, quam filiæ loco habebat et nutriebat, ut gregi suo copiosissimo parcens, venienti ad se peregrino epulas pararet, David subito iratus, magna cum severitate respondit : *Iratus autem indignatione David adversus hominem illum nimis, dixit ad Nathan : Vivit Dominus quoniam filius mortis est vir qui fecit hoc. Ovem reddet in quadruplum.* II *Reg.*, XII, 5. Neque David cogitabat quod Nathan propheta, de adulterio et homicidio ipsius loqueretur.

In parabola, quam Christus Pharisæis proposuit de vinea, legitur quod postquam Christus vinitores servos, quos Paterfamilias ad fructus ab eis exigendos miserat, sicut et proprium filium occidisse dixisset, Pharisæos interrogarit : *Cum ergo venerit Dominus vineæ, quid faciet agricolis illis?* Qui subito inadvertenter respondentes, condemnarunt seipsos; nam aiunt illi : *Malos male perdet et vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis.* S. Propheta Job ait : *Os meum condemnabit me et pravum me esse comprobabit.* Sed ehen, quot sunt hodie quibus idem accidit, qui cum proprios defectus non considerant, judicando alios, condemnant seipsos?

d. — S. Gregorius, in homilia quadam super Ezechielem, causam cur oculos nostros in defectus aliorum, non vero in proprios dirigamus, his verbis edisserit : « Sunt multa peccata, quæ committimus; « sed idcirco nobis gravia non videntur, quia pri« vato nos amore diligentes, clausis nobis oculis, « in nostra deceptione blandimur. Unde fit plerum« que ut nostra gravia leviter, et proximorum mala « levia graviter judicemus. » Idem quoque rationem explicat, ob quam adeo severi sumus judices quoad alios, cum tamen eamdem judicii severitatem non adhibeamus quoad nos ipsos; dicit enim : « Sed quare hoc grave videtur nobis esse in « proximo, nisi quia nec nos sicut proximum, nec « proximum conspicimus sicut nos? Si enim nos « sicut proximum aspiceremus, nostra reprehensi« bilia districte videremus; et rursum, si proximum « aspiceremus ut nos, nunquam nobis ejus actio « appareret intolerabilis, qui sæpe fortasse talia « egimus. »

DOMINICA SECUNDA POST PENTECOSTEN

EVANGELIUM LUCÆ, CAP. XIV, VERS. 16

16. Homo quidam fecit cœnam magnam, et vocavit multos.

17. Et misit servum suum hora cœnæ dicere invitatis, ut venirent, quia jam parata sunt omnia.

18. Et cœperunt simul omnes excusare : Primus dixit ei : Villam emi, et necesse habeo exire, et videre illam; rogo te, habe me excusatum.

19. Et alter dixit : Juga boum emi quinque, et eo probare illa; rogo te, habe me excusatum.

20. Et alius dixit : Uxorem duxi, et ideo non possum venire.

21. Et reversus servus nuntiavit hæc Domino suo; tunc iratus Paterfamilias, dixit servo suo : Exi cito in plateas et vicos civitatis, et pauperes ac debiles, et cæcos et claudos introduc huc.

22. Et ait servus : Domine, factum est ut imperasti, et adhuc locus est.

23. Et ait Dominus servo : Exi in vias et sepes, et compelle intrare, ut impleatur domus mea.

24. Dico autem vobis, quod nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cœnam meam.

Versus 16.

Homo quidam fecit cœnam magnam, et vocavit multos.

Homo.

1. — Si per eum, qui cœnam hanc magnam instituit, Filium Dei intelligamus, confestim dubium quoddam nascitur, cur hic Dei Filius homo appelletur. Lyranus dicit : « Homo appellatur, id « est, Christus verus homo. » D. Chrysostomus considerat quod Deus in aliis occasionibus justitiæ suæ rigorem demonstrare volens, vel urso, vel pardo, vel leoni, etc., sese similem esse per Prophetas dicat : « Quando vero misericordiam exprimere « vult, dicitur homo. » Similem quoque considerationem Didacus Stella super hæ verba scribens adducit, inquiens : « Homo hic vocatur Deus, quia « benigne et misericorditer nos vocat, et allicit ad « epulas vitæ æternæ. »

Quidam.

2. — Hugo Cardinalis Salvatorem se hoc nomine appellasse censet ex sensu humilitatis et contemptu sui ipsius, et ad superbiæ nostræ confusionem : « Iste *homo quidam*, est Christus Dominus, qui « homo, vel hominis filius vult appellari, cum « tamen sit Deus et Dei Filius, in confusionem « multorum, qui cum sint inferiores genere, volunt « tamen denominari ab accidente; cum enim sint

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

« filii fabrorum, volunt appellari nepotes Episcopo-
« rum, si aliqui sint in parentela. »

3. — S. Bonaventura hanc dictionem, *Quidam*, encomii loco adjectam fuisse censet : « Christus « dicitur, *homo quidam*; singulariter, conceptus « sine virili semine, natus sine matris dolore, « immunis ab omni peccato, et mortuus pro homi- « num peccato, de quo homine in Psalmo dicitur : « *Homo natus est in ea, ipse fundavit eam Altissi-* « *mus.* »

Fecit.

4. — Valde considerabile et mysticum est verbum istud, *Fecit*; ipse namque in propria persona, cœnam hanc præparavit, neque curam aut executionem ejus, alteri commissam esse voluit; si enim per hanc cœnam gloria cœlestis intelligatur, ipse illam fecit, expresse namque dicit, *Luc.*, XXI, 29 : *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam.* Porro de aliis operibus a Deo factis dicitur : *Fiat lux, fiat firmamentum, germinet terra*; at vero ubi de Paradiso pro nobis fabricato sermo est, dicitur, *Psal.* XXXII, 6 : *Verbo Domini cœli firmati sunt*, ipsumque nobis sanguinis sui pretio comparavit. Quod si vero cœna hæc de incarnatione interpretetur : *Homo factus est*; ad hanc perficiendam in propria persona venit, neque enim ad genus humanum salvandum alios misit, aut adhibere voluit. Denique si per hanc cœnam Sacramentum Eucharistiæ intelligatur, quam in ultima Cœna instituit, hic pariter semetipsum reliquit; et ille ipse est, qui magnam hanc Cœnam præparavit; nec unquam ab ullo Sacerdote instruitur nisi id ab ipso, in ejusdem Christi persona, fiat.

Cœnam.

5. — Lucas Brugensis per hanc cœnam, gloriam intelligit Paradisi, quæ ab initio mundi homini præparata fuit : « Convivium idcirco vocat, quia « mentes hominum dulcissima Dei visione satiabit, « cœnam autem potius quam prandium, quia in « fine vitæ, mundique tanquam in fine diei sic « exhibetur, ut nulla alia refectio sit eam secutura. » Lyranus pariter per cœnam, beatitudinem interpretatur : « *Fecit cœnam*, id est, statuit cœlestem « beatitudinem, quæ vocatur cœna, eo quod est « refectio ultima. » Enim vero Deus adeo est de salute nostra anxius, tantaque cum aviditate nos regni sui participes facere cupit, ut, quod nos ad illud nobis comparandum existimulet, genio et inclinationi nostræ se per omnia accommodet et adaptet, ideoque regnum cœleste nobis sub lauti convivii specie repræsentat, idque non solum hic, sed in multis aliis occasionibus, quando de illo mentionem facit. Præter prædictum enim locum S. Lucæ, in Isaia, XXV, 6, vocat illud, *convivium pinguium, convivium vindemiæ, pinguium medullatorum. Satiabor*, inquit David, *Psal.* XVI, 15, *cum apparuerit gloria tua*, cujus proinde convivii figura, remota licet, fuit solemne illud Assueri convivium, quod ut sacra Scriptura ait, ab illo institutum fuit : *Ut ostenderet divitias gloriæ regni sui, ac magnitudinem atque jactantiam potentiæ suæ.*

6. — « Cœnam, » inquit Theophylactus, « quod « in novissimis temporibus, etenim ad vesperam « sæculi venit Dominus. » — « Cœna est doctrina « Evangelica, » inquit Hugo. Etenim lex Evangelica, lex nova et gratiæ fuit ad gustandum ejus mysteria, ultimo loco instituta, in quo non lumine solis utimur, sed lucernæ, id est, fidei, II *Petr.*, I, 19 : *Quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco.*

7. — Jansenius quorumdam expositorum opinionem refert, qui per hanc cœnam, Incarnationem Verbi intelligunt : « Per cœnam magnam, intelli- « gunt quidam dispensationem Dominicam, per « carnis susceptionem in novissimis temporibus « factam, convivium scilicet, quo in præsenti vita « in novissima mundi ætate pascuntur fideles, quod « constat ex pane Verbi Evangelici et variis Sacra- « mentorum ferculis, et in his potissimum carne et « sanguine Domini. »

8. — Albertus Magnus aliam affert expositionem, quæ huic octavæ sanctissimi Corporis Christi valde adaptatur : « Cœna est Eucharistia recepta ab « altari, et hæc est in gratiæ ubertate, ex qua « Eucharistia nomen accipit, quæ bona gratia in- « terpretatur. » Hæc fuit ultima Cœna, quia fructus hujus fuit, sanctissimi Sacramenti institutio.

9. — Glossa per hanc cœnam suavitatem interiorem intelligi dicit, quam Deus animæ fideli, divinis ejus præceptis obedienti, communicare solet : « Verbum Incarnatum suavitatem internæ dulcedi- « nis mullis præparavit; » de qua in Proverbiis, XV, 15, dicitur : *Secura mens, quasi juge convivium.* Sed quamobrem adeo pauci ex hac cœna participant? « Sed pauci veniunt, quia multi, qui per « fidem ei subjiciuntur, male vivendo ei continuo « contradicunt. »

10. — Vulgatum apud omnes proverbium, quod mundus nunquam alicui bonum prandium exhibeat, quin eidem pessimam in fine cœnam apponat; e contra benignissimus Salvator noster nonnunquam prandium Electorum malum esse permittit, quia in fine sapidissimam et liberalissimam cœnam iisdem instruit. Didacus Stella super hæc verba observat, quod hoc a Christo præparatum convivium, cœnæ nomen retineat, non vero prandium vocetur, quia circa vesperam nobis apponitur; mundus contra ad prandium, nunquam vero ad cœnam invitat : « Solet enim in hac vita suis « amatoribus delicias præparare, sed hora cœnæ, « hoc est, sero et hora mortis eorum relinquit illos « fame dissolutos abire. » Baruch Propheta per os mundi de illius amatoribus dicit : *Nutrivi eos cum*

jucunditate, dimisi autem illos cum fletu et luctu, quia quando tempus est capiandæ quietis, *in puncto ad inferna descendunt*, eo quod *duxerint in bonis dies suos.* Christus e contra Electis suis miserias, tribulationes et ærumnas subministrat, sed in puncto mortis eosdem consolatur; requiem æternam donat eis Dominus : *Cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Christus Apostolis suis cœnam legalem apposuit, ac demum sanctissimo corpore suo illos pavit, pedes eorum abluit, Sacerdotes ordinavit, celebrem ad eosdem sermonem habuit, in quo inæstimabilia illis bona promisit, et innumera alia bona iisdem in ultima Cœna contulit.

Magnam.

11. — Theophylactus per hanc cœnam, incarnationem Verbi interpretatur, per quam nostram fuit operatus salutem; huic autem merito titulum hunc, *Magnam*, imposuit : « Magna autem cœna « hæc, quoniam magnum est salutis nostræ myste- « rium. »

12. Quodsi vero per cœnam hanc, sanctissimum altaris Sacramentum intelligamus, convenientissimum certe fuit, quod hoc cœna magna vocaretur, utpote quod in magna quadam civitate et totius Palæstinæ metropoli, Hierosolymis videlicet, in grandi quodam cœnaculo fuit instructum : *Incenietis cœnaculum grande stratum.* Convivæ illius sunt omnes fideles, qui in hac vita victuri sunt; convivium quoque hoc perpetuum est, quia ad finem usque mundi est duraturum : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi.* Hugo Cardinalis eum, qui convivium hoc apposuit, considerat, qui est *Rex magnus super omnem terram.* Ministri sunt Angeli, qui huic mensæ assistunt : « Ferculæ apposita magna sunt, scilicet « corpus et sanguis Domini. » S. Augustinus ait : « Verbum illud, quo pascuntur Angeli, sempiter- « num, quod est æquale Patri, manducavit homo : « saginantur ergo illo Angeli, sed semetipsum « exinanivit, ut manducaret panem Angelorum « homo. »

13. — S. Cyrillus quoque de hoc convivio ita scribit : « Conditor omnium atque gloriæ Pater « paravit cœnam magnam in Christo peractam; « Dei Filius morte pro nobis sustinens, dedit nobis « proprium corpus comedere. » B. Laurentius Justinianus ait : « Quid se majus dare potuit? » Albertus Magnus dicit : « Magna dona Christi in hoc « convivio, corpus dedit in cibum, sanguinem in « potum, animam in pretium, Deitatem in condi- « mentum. »

14. — *Magnam* profecto per respectum ad cibum in ea præparatum. Lucas Brugensis dicit : « Magnam dicit, quia Deus quo nihil majus aut « melius, cibi erit loco; » vel etiam ut Didacus Stella interpretatur : « Magna est, quia magnus, « qui eam parat : *Magnus Dominus et laudabilis* « *nimis et magnitudinis ejus non est finis.* »

15. — S. Thomas, *Serm. in hac Dom.*, dignitatem et excellentiam personarum, quæ hanc cœnam præparant, considerat : « Pater, et Filius, et Spiri- « tus Sanctus; immensus Pater, immensus Filius, « immensus Spiritus Sanctus, et ideo immensam « faciunt cœnam. Ratione etiam ministrantium, « qui sunt millia millium. *Daniel.*, VII. Ratione « etiam convivantium, qui erunt decies millies cen- « tena millia. » Quodsi aliquod instrueretur convivium, cui milliones Regum, Imperatorum et Monarcharum accumberent, quam esset hoc futurum magnificum et splendidum. Huic supernæ deliciarum mensæ nulli alii accumbent præter eos, quorum capita fulgentissimis diadematibus coronata conspicientur, *Jer.*, XVIII, 25 : *Ingredientur per portas civitatis ejus*, id est, Hierosolymæ cœlestis, *Reges et Principes.*

16. — Magna quoque est respectu amplitudinis, elegantiæ et divitiarum cœnaculi, in quo hæc cœna instruitur, *Baruc.*, III, 25 : *O Israel, quam magna est domus Dei, et ingens locus possessionis ejus, magnus est, et non habet finem.*

17. — S. Bonaventura, *Serm.* I *in hac Dom.*, docet : « Vere magna et immensa est ista cœna, « nam si mica una istius cœnæ non prævalet enu- « merari, multo minus abyssus et tota cœna pote- « rit ab aliquo explicari. »

18. — S. Thomas, *Serm. cit.*, ait : « Dicitur « cœna magna propter ferculorum, quæ ibi dabun- « tur, copiositatem; » *inebriabuntur ab ubertate domus tuæ*, inquit promittendo Spiritus Sanctus, *Psal.* XXXV, 9, *et torrente voluptatis tuæ potabis eos.* David quoque, qui tot sceptris, coronis, lauris et thesauris, cunctisque aliis felicitatibus terrenis a Deo locupletatus fuit, dicit, *Psal.* XVI, 27 : *Satiabor cum apparuerit gloria tua*, quia ut de beatitudine testatur S. Augustinus : « Ibi erit, quidquid voles. » S. Thomas ait : « Ferculæ in vita æterna sunt gaudia, « ibi erunt millia millium ferculorum, » quia ut S. Anselmus pie meditatur, ubi unusquisque beatitudine et gaudio fruetur aliorum : « O quot, o quanta « gaudia quisque obtinebit, qui de tot et tantis « beatitudinibus jubilabit? » Idem S. Thomas ad hujus cœnæ magnificentiam declarandam, perpetuitatem adjungit : « Nunquam terminabitur, nun- « quam a cœnando cessabitur, tota simul mandu- « cabitur. » Longe alio modo mundus nobiscum agit, qui si aliquem nobis in ferculis gustum exhibeat, id magnis nostris sumptibus facit, et quidquid apponit, subito transit et præterit, nunquam appetitum nostrum satiat aut explet : *Famem patientur*; verissimum namque est, quod intime suspirando dicere solebat S. Augustinus : « Creasti nos, « Domine, ad te, et inquietum est cor nostrum, « donec requiescat in te. »

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

Vocavit.

19. — S. Bonaventura, *Serm. in hac Dom.*, ait : « Benignus et misericors Deus noluit esse solus in « cœna gloriæ. » Sceptra et dominia hujus mundi nullos admittunt in gubernando collegas, imo tanquam criminis læsæ majestatis rei puniuntur, qui ad hoc regni participium sive consortium aspirant; e contra vero Monarcha regni cœlestis eos, qui ad hujus regni possessionem pro viribus non anhelat, æternæ mortis pœna afficit. Didacus Stella optime considerat quod Deus nos a prima ætatis nostræ aurora, ad hanc cœnam vocet et invitet : « Vocat, « cum primum incipimus usum rationis habere, « nam statim de cœlo lux quædam descendit, quæ « ad beatitudinem nos naturaliter instruit, et invitat « ad hanc cœnam. » Id quod per illam Davidis textum, in quo, postquam David dixisset, *Psal.* IV, 7 : *Multi dicunt, quis ostendit nobis bona?* Protinus respondet : *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.*

20. — Quod si Rex aliquis sumptuosum quoddam subditis suis appararet convivium, omnibusque mensæ ipsius accubituris, regni sui promitteret medietatem, utique unusquisque omnem adhibiturus esset diligentiam et studium, ut ad illud admitterentur et tamen hic Rex æternæ gloriæ adeo est infortunatus, ut, tametsi nos ad gustandam gloriæ suæ cœnam invitet, nosque regni cœlestis cohæredes facere desideret, nihilominus ut ex hodierni Evangelii decursu clare satis videtur, omnes ad illud venire detrectent, omnesque se ab illo subducendi occasiones studiose invitant, adeoque ipse avidius nos suos commensales habere desideret, quam nos ad illud frequentandum simus ultronei. Unde S. Gregorius, *Hom. LXI in Evang.*, ait : « Offert ergo « Deus, quod rogari debuit; non rogatus dare vult, « quod vix sperari poterat, et tametsi simul omnes « excusant. »

21. — « Vocat nos Deus, » inquit S. Bonaventura, « cum muneribus prævenit, respondemus « vero ejus voci vocationis, cum digne juxta per- « cepta munera deservimus. »

22. — Albertus Magnus duas vocationes et invitationes distinguit, scilicet, *per verbum et inspirationem*, et utroque istorum modorum vocavit. S. Gregorius ait : « Ecce vocat per se, vocat per « Angelos, vocat per Patres, vocat per Prophetas, « vocat per Apostolos, vocat per Pastores, vocat « etiam per nos, vocat plerumque per miracula, « per flagella, vocat aliquando per hujus mundi « prospera, vocat aliquando per adversa; » demum vero instanter nos monet, ne his tam utilibus et proficuis vocationibus surdas aures præbeamus : « Nemo contemnat, ne, dum vocatus excusat, dum « voluerit, intrare non valeat. » Hugo Cardinalis similiter hanc invitationem pluribus modis a Deo fieri docet, « scilicet per inspirationem, prædicatio- « nem, flagella et beneficia. »

23. — Idem S. Gregorius dicit quod esse invitatum ad mundum contemnendum, idem prorsus sit quod esse invitatum ad lautissimam hanc cœnam : « Cum vos admoneo ad contemptum sæculi, « invitare vos venio ad cœnam Dei. »

Multos.

24. — S. Paulus in Epistola prima, IX, 21, quam ad Corinthios scripsit, de se ita dicit : *Omnibus omnia factus, ut omnes facerem salvos*, quod idem de Salvatore nostro vere asserere possumus, de quo idem Apostolus, I *Tim.*, II, 4, hoc perhibet testimonium : *Hoc enim acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire.* Natura quidem angelica et humana ad fruendum hac cœna vocatæ fuerunt, sed magna utriusque pars inde exclusa fuit et dæmoniacus excludetur, idque ex culpa propria ipsarum, non vero ex defectu beneficentiæ divinæ.

25. — « Multos vocavit ad fidem, » inquit S. Bonaventura, *in Luc.*, « de omni statu, gente et « ætate vocat multos, ut ostendat summam libera- « litatem et benignitatem, sed ideo paucos elegit, « ut ostendat judicii severitatem. » Albertus Magnus omnes illos vocatos esse dicit, ad quos vox Dei pervenit : « Multos, quia omnes, ad quos pervenit « sermo auditus et quibus lumen infunditur inspi- « rationis ; *In omnem terram exivit sonus eorum*; *non* « *est qui se abscondat a calore ejus.* »

26. — « Omnes, scilicet Judæos, » inquit Jansenius, Judæorumque primiores, tanquam honora- « tiores concives suos. » Lucas Brugensis ait : « Honoratissimos quosque et dilissimos civium « suorum, id est, primarios ejus populi, quem sibi « elegerat in populum peculiarem, videlicet Ponti- « fices, sacerdotes, levitas, Scribas, Pharisæos, « seniores Judæorum. »

Additiones.

a. — *Homo quidam fecit cœnam magnam.* Non sine mysterio largiens hanc cœnam, non vocatur rex, aut paterfamilias, aut dominus, sed tantum *homo quidam*, quia ut innuit D. Chrysostomus : « Quoties punitivam suam virtutem indicare vult « Deus, ursa, pardus, leo et hujusmodi nuncupa- « tur; quando vero misericordiam exprimere vult, « dicitur *homo quidam*; » quia in hoc Dei attributo, et gloria, et potentia regis, et sollicitudo patrisfamilias, et omnipotentia domini sufficienter denotatur. Hæc enim omnia in misericordia Dei specialiter relucent.

Postquam Moyses sæpius multa cum instantia divinæ faciei intuitu frui desiderasset, dicens : *Ostende mihi gloriam tuam*, tandem responsum accepit a Domino : *Ego ostendam omne bonum tibi.*

Cujus promissi cum paulo post particeps fuisset, ipsemet qui Pentateuchi Chronista fuit, subnectens scribit : *Cum descendit Dominus per nubem, stetit Moyses cum eo, quo transeunte coram eo, ait : Dominator Domine, Deus misericors et clemens, patiens et multæ misericordiæ, qui custodis misericordiam in millia.* Quibus ex verbis, in quo omne Dei bonum consistat, colligitur; Deus namque omne bonum se ei demonstraturum promiserat, et nihilominus Moyses postquam eo gavisus fuisset, nihil nisi misericordiam, clementiam, tolerantiam et nimiam Dei compassionem deprædicare cœpit. Quam proinde promissionem explicans Oleaster, ita scribit : « Dif- « ficilis intellectu locus iste est et obscurus, sed ex « capite sequenti elucidari potest, ubi quæ hic « promittuntur, complentur. Ubi averte quod per « *omne bonum* suum intelligit, quod capite sequenti « dicitur, quod scilicet sit Dominus misericors, et « clemens, et tardus ad iram, et multum miseri- « cordia. Id nostri misereri sit omne bonum ejus. » Unde non immerito misericordiam divinam in variis Scripturæ locis gloriæ titulo circumscriptam reperimus. Et in primis quidem, Isaias, XLVI, 13, novæ Legis Evangelicæ prædicens eventus, in venturi Messiæ persona loquitur, dum ait : *Dabo in Sion salutem et in Jerusalem gloriam meam.* Id quo adimpletum fuit, quando in die resurrectionis suæ, licet paulo ante infami crucis ligno affixus fuisset, nobis extremæ miseriæ nostræ, per infinitam misericordiam suam compatiens, sacramentum instituit Pœnitentiæ, per quod peccata remittuntur et condonantur; *Joan.*, XX, 22 : *Insufflavit et dixit eis : Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata remittuntur eis.* Quis vero dubitat quin hæc gratiæ et supremæ ac cœlestis misericordiæ suæ communicatio, et participium, gloriæ nomen mereatur? S. Paulus ad Romanos, III, 23, ait : *Omnes peccaverunt et egent gloria Dei*, id est, gratia indulgentia et culparum remissione, quæ quidem est pietatis divinæ effectus. S. Augustinus, *lib.* I *de peccati meritis*, ita legit : *Egent gratia Dei.* Dionysius Carthusianus ait : « *Egent gloria Dei*, hoc est, mise- « ratione divina, videlicet gratia per quam Deus « gloriosus apparet, qui ex liberrima sua bonitate « salvat electos. »

Hugo Cardinalis super hæc eadem verba : *Omnes peccaverunt et egent gloria Dei*, dicit : « *Gloria Dei*, « id est, justificatione qua Deus apparet gloriosus : « ibi relucet ejus benignitas; in hoc apparet ejus « potentia, imo omnipotentia, quia ut dicit S. « Augustinus : Majus est de impio facere pium « quam creare cœlum et terram, *Sap.*, XI, 24 : « *Misereris omnium, quia omnia potes*; id est, in hoc « manifestas omnipotentiam tuam quia misereris « omnium. Unde in Collecta dicitur : Deus qui « omnipotentiam tuam parcendo maxime et mise- « rando manifestas. »

b. — Dominus, pro sua pietate liberalitateque exprimenda, dicitur *homo*, et illam vere ostendit in cœna magna quam instituit, sacra nimirum Eucharistia, in qua omnium bonorum est beneficentia et magnificentia divina. S. Apostolus, *ad Hebr.*, XIII, 16, inquit : *Beneficentiæ et communionis nolite oblivisci.* Significantius equidem sacræ communioni appropriari nequivisset epithetum, quam dum beneficentiæ et communionis appellatur; siquidem Salvator noster Eucharistiam instituit, veluti omnium omnipotentiæ et beniguitatis suæ divitiarum epilogum. Unde nec immerito S. Joannes de Eucharistiæ institutione tractans, prinsquam eam commemoret, prius asserit Patrem æternum omnes Christo divinæ potentiæ suæ impertiisse thesauros : *Sciens Jesus quia omnia dedit ei Pater in manus.* Quo concilium Tridentinum respexisse videtur, dum ait : « Sacramentum hoc instituit, in quo divitias divini « sui erga homines amoris voluit effudit. » S. Augustinus ait : « Audeo dicere quod Deus, cum sit omni- « potens, plus dare non potuit; cum sit sapientis- « simus, plus dare nescivit; cum sit ditissimus, plus « dare non potuit. » A qua doctrina nequaquam discrepat illa Alberti Magni dicentis : « Magna dona « Christi, in hoc convivio; corpus dedit in cibum, « sanguinem in potum, animam in pretium, deita- « tem in condimentum. »

c. — Mirum est quod Deus semetipsum hominem tantum appellet, cœnam vero *magnam* dicat. Si consideretur Deus in suis operibus, semper per respectum ad opera ipsa Deus magnus et excelsus visus est, opera vero, attenta Dei majestate, parva et angusta apparent. At vero in angustissimo Eucharistiæ Sacramento, tantum est operis fastigium ut Deus sua infinita Sapientia disponat et ordinet quod Altaris sacramentum semper magnum et excelsum appareat; ad cujus conspectum ipse, qui immensus est et infinitus, velut unus ex vulgaribus hominibus, sine ullo nominis splendore se exhibeat. Eucharistia enim est excessus et stupendium omnium mirabilium. Regius Propheta olim, *Psal.* CX, 4, in spiritu prophetico Altaris Sacramentum prospiciens, idipsum memoriale et epitomen appellabat omnium mirabilium et prodigiorum quæ unquam infinita Altissimi Sapientia et Omnipotentia patravit, dum ait : *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator Dominus; escam dedit timentibus se.* Unde S. Thomas de Villanova inquit : « Christus ipse omnium prodigiorum « supremum est; hoc vero Sacramentum, miracu- « lorum est ab ipso factorum maximum. » Salmeron de miraculis Eucharistiæ disserens, ita scribit : « Si « quis recte perpendat, deprehendet magnam mi- « raculorum multitudinem et varietatem Dominum « in Eucharistia operari, quibus infinita Dei poten- « tia exseritur. Latum habet campum profecto « fides, in quo spatietur, habet unde admiretur si

« Angeli stupent. » Hic enim universa Dei omnipotentia exhauritur; et ideo Propheta Regius circa altare in quo divinus hic panis administratur, in spiritu raptus, dicebat : *Circumdabo altare tuum, Domine, ut audiam vocem laudis et enarrem universa mirabilia tua.* Unde observandum, quod sicut sancta Mater Ecclesia in Adventu, Incarnatione Verbi, ejusque Nativitate, in aliquas antiphonas, affectibus admirationis et stuporis plenas, solet prorumpere, dicendo : « O ineffabile mysterium! O Oriens? O « Sapientia, » etc., ita pariter huic Sacramento, per voces admirationis, divinum exhibet cultum dicendo : « O sacrum convivium! O res mirabilis! « O salutaris Hostia! O quam suavis est, Domine, « Spiritus tuus! » Sacerdos quoque, in canone Missæ, ante consecrationem panis, in hæc verba prorumpit : *Accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas.* Ubi notandum est Christum in hujus Sacramenti institutione, non una tantum manu, sed ambabus usum fuisse, idemque non alio fine, ni fallor quam ut nobis per hoc innueret, quod in hoc mysterio totaliter se exhauriat, ultimumque omnipotentiæ suæ limitem attingat. Quando de cœlo empyreo creando, vel amplissimis cœlorum sphæris extendendis Scriptura loquitur, Spiritus Sanctus omnia illa opera a solis Dei digitis manare testatur, unde Psalmista, *Psal.* VIII, 5, ait : *Quoniam videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum, lunam et stellas quæ tu fundasti;* similiter cum de Verbi incarnatione tractatur, Beata Virgo, in cantico suo ait : *Fecit potentiam in brachio suo,* quasi incarnatio unius dumtaxat brachii divini opus sit : in hujus vero Sacramenti institutione, Christus ambas manus adhibet, quia, *accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas;* ad denotandum quod hoc opus omnibus aliis superius sit et excellentius : *Memoriam fecit mirabilium suorum.*

d. — In quæstionem vocari potest, cur hic homo potius fecit cœnam, quam prandium? Rationem pulcram dat D. Cyrillus in *Catena Græca* : « Con- « ditor omnium atque gloria Patris paravit cœnam « in Christo peractam. Novissimis enim temporibus « et quasi in oceasu nostri sæculi, illuxit nobis Dei « Filius et mortem pro nobis sustinens, dedit nobis « proprium corpus comedere; unde et Agnus in « vespere immolabatur, juxta legem Mosaicam. Me- « rito igitur cœna dictum est, paratum in Christo « convivium. » Nunc vero sicut cœna sine lumine non celebratur, et si lumen absit, fercula non intuentur, sic cœleste hoc convivium, hæc cœna non celebratur sine lumine fidei. Ecclesia sancta, a Spiritu Sancto directa, in verbis consecrationis sanguinis Eucharistici, ipsum nuncupat Sacramentum Altaris, non vero reliqua, per antonomasiam fidei nostræ mysterium : *Hic est calix sanguinis mei, mysterium fidei.* Nostræ quidem fidei mysteria sunt incarnatio, nativitas Christi, passio, resurrectio, ascensio in cœlum; et nihilominus soli Eucharistiæ Ecclesia hoc nomen specialius attribuit; cujus hanc rationem assignat Albertus Magnus, inquiens : « Quamvis multa sint fidei dona, tamen hoc do- « num præ omnibus fidei donum est, in quo tanta « sunt fidei fundamenta, quia in hoc dono et fides « Christi fundatur, et fideles sanctificantur. » Quare idem auctor alio in loco, de hoc Sacramento tractans, ait : « In quo consistit fundamentum fidei; « siquidem nullo non tempore ad stabiliendam Sacramenti hujus fidem, innumerabilia prodigia et miracula operata est omnipotentia Dei, partim ad incredulos convincendos, partim ad eos in verum religionis gremium reducendos.

e. — Dupliciter in hoc Evangelio mentio fit de hac cœna : in primo loco dicitur magna, non vero in secundo. *Homo quidam fecit cœnam magnam.* Ecce *magna* nuncupatur; postea vero paterfamilias loquens introducitur et ait : *Nemo virorum illorum gustabit cœnam meam.* Ubi nomine magni prætermisso, solum cœnæ commemoratur. Ratio esse potest hæc : Cum ad cœnam multi convocantur, magna appellatur : *Homo quidam fecit cœnam magnam et vocavit multos;* non sic vero quando ab illa aliquis excluditur. Tunc enim vera magnitudo splendet, quando de ejus exuberantia multi participant.

f. — Cum Christus Dominus in hunc mundum venerit, non modo ut redemptionis gratiam, sed etiam cœlestis Verbi doctrinam hominibus impertiret, ubi primum hoc munus obire cœpit, vix unquam ab eo conquievit; unde quocumque tempore, quocumque loco, quavis occasione oblata, docendi officium nunquam intermisit. Itaque a Pharisæo quodam invitatus, cum quidam convivii hujus dixisset : *Beatus qui manducat panem in regno Dei,* ipse elegantissimam hanc parabolam proposuit in qua cœlestis regni gloriam et divinæ bonitatis largitatem describit et quinam, et ob quam causam ab hac cœna excludendi sint, parabolice declarat. Ait ergo : *Homo quidam,* id est, unus et singularis, conceptus sine semine patris, natus sine dolore matris, immunis a peccato, mortuus pro peccato. *Fecit,* non mandavit ministris facere, non aliis facienda committit, sed per semetipsum primum omnia conficit, et ea præstat quæ ad hanc cœnam consequendam, et hisce cœlestibus deliciis fruendum, necessaria videbantur, communicans abundantissime divina sua auxilia, nihilque intermittit; et ideo post se mittit et vocat per Angelos, vocat per Prophetas, vocat per Apostolos, vocat per Pastores; imo mandat dicere invitatis, ut venirent, omnia parata esse ad salutem. Negligunt, proh dolor! omnes et rustico modo se excusant : *Non possum venire.* Et quamvis his auditis, Paterfamilias esset iratus, tamen tunc nec aliquod supplicium eis intulit, nec eos comminatus est, nec aliqua verba

dura in eos protulit; sed hæc omnia dissimulans, dixit secundo servo suo : *Exi cito in plateas, et pauperes ac debiles, et cæcos et claudos introduc.* Aliquibus vero eorum etiam contemnentibus, ut justius irasci posset, tamen tertio adhuc omnes vocat, imo jubet : *Compelle intrare.* Quod quidem verbum nullum nostræ voluntariæ libertatis significat præjudicium, sed vehemens Patrisfamilias desiderium, et summa ejus liberalitas notatur cupientis suas dapes quam plurimis communicare, nullius hominis conditionem respuentis. Quam eximiam liberalitatem et singularia Dei auxilia, ubi respuunt obstinati, tunc demum audiunt : *Dico vobis quod nemo virorum illorum gustabit cœnam meam,* id est, manducabit panem in regno Dei, illiusque particeps erit. Reprobi enim auxilia Dei respuendo, ab suam obstinationem, merito damnantur et de libro vitæ delentur.

g. — In Epistola B. Pauli *ad Rom.*, VIII, 29, dicitur Christus *primogenitus in multis fratribus,* qui in hoc Evangelio dicitur, *homo quidam.* Unde Christus regio majoratu prædives, primogeniti jure, quasi tenetur cæteris fratribus alimenta præbere et quidem opulenta, utpote fratribus divina affinitate prænobilibus; ut proinde mirum non sit, quod hanc cœnam magnam suis exhibeat, ideoque digna alimenta elargiatur, ne tanti regis fratres, sic enim homines appellare dignatus est, misera egestate premantur. Num ipse regali majoratu auctus, opipare prandebit in cœlo, regiis gloriæ vestibus indutus, empyrea habitabit palatia, cæteris fratribus congrua mensa et tecto orbatis? Absit; duplicem enim mensam tibi exhibet; nam cum hoc discrimen inter viventia sit quod ea quæ corporea sunt, corporeo, quæ vero spiritualia spirituali cibo alantur; solus autem homo inter omnia quæ vitam habent, ex corpore simul atque spiritu compositus sit, consequens fuit quod duplici egeret alimento, quorum altero corporis, altero spiritus vitam sustentare valeret. Hoc vero abundantissime præstitit, cum non solum corpus et sanguinem suum in cibum et potum dedit, sed et verbum Dei per modum tanti convivii subministravit, quod rationem cibi habet, animam satiantis, nec minorem virtutem alendi corpus.

In oratione Dominica, cœlestis Magister noster nos æternum suum et nostrum Patrem his verbis rogare docuit : *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* S. Thomas Doctor Angelicus, postquam hanc petitionem de corporali pane exposuisset, mox quoque eamdem de spirituali exponens, inquit : « Invenitur et alius duplex panis, scilicet sacra- « mentalis et Verbi Dei. » Hic panis quotidianus spiritualis, prout Baronius in primo tomo *Annalium* suorum testatur, olim primis Christianis, magno fervore, etiamnum succensis, quotidie distribuebatur, prout ex *Actibus Apostolicis* clare deducitur. Hæc autem eadem consuetudo opera S. Philippi Nerii, instituti congregationis Oratorii fundatoris, suis temporibus renovatum est et usque in præsentem diem in Ecclesia romana quæ S. Mariæ in Vallicella, seu Ecclesia nova appellatur, continuata fuit; si quidem in ea quotidie singulis diebus ferialibus, solo excepto sabbato, circa horam vesperarum, quatuor fiunt discursus, unus post alterum immediate, ita ut quilibet per mediam horam extendatur; præmissa tamen ante hosce discursus devoti libri alicujus lectione quæ pariter in mediam usque horam perduret.

S. Augustinus glossando verba illa Psalmi XXXVI : *Non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem,* ita scribit : « Panis est verbum Dei quod « nunquam ab ore justi discedit. Quando Domino « esurienti et famem patienti ait diabolus, *dic* « *lapidibus istis ut panes fiant,* respondit : *Non in* « *solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod pro-* « *cedit de ore Dei.* Panem istum manducas una « hora, et dimittis panem illum verbi die ac nocte. « Quando enim audis, aut quando legis, manducas; « quando inde cogitas, ruminas, ut sis animal mun- « dum, non immundum. » Quibus verbis proportio quædam insinuatur quæ est inter verbum Dei et panem; virtutem enim hujus non experimur dum panem deglutimus, sed postea, quando facta est digestio. Eodem modo sæpe contigit quod efficaciam divini verbi non experiamur pro eo tempore, quando auscultatur, meditatione digeritur et super ea, quæ audivimus, seria fit animi reflexio.

h. — Cœna hæc, ut in præsenti ait Hugo Cardinalis, dicitur magna propter quatuor. 1° Quia Dominus magnus, scilicet Christus. 2° Quia convivæ magni, scilicet omnes fideles, qui digne accipiunt. 3° Quia fercula apposita sunt magna, scilicet corpus et sanguis ipsius Domini. 4° Quia servitores magni, scilicet angeli qui creduntur assistere et servire Sacerdoti et omnibus conviventibus in hac mensa.

i. — Magnitudo convivii merito servatur ostendenda in cœna, quæ fit post finitum diem; semper enim in vitæ fine majores sunt explicandi virtutum sumptus. De felicissima Christi Sponsa, ait Psalmista, XLIV : *Astitit Regina a dextris tuis in vestitu deaurato.* Insuper post pauca addit : *Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus, in fimbriis aureis, circumamicta varietatibus.* Intende quod vestitus dicatur deauratus, fimbria autem non deaurata, sed tota aurea et varietatibus plena. Et cur fimbria, quæ infima pars est vestis et humi reptat, ditior et pulchrior fit cæteris partibus? In fimbria finis vitæ exprimitur, in quo et ditiores, et opulentiores debent esse sumptus virtutum. Ait enim D. Paschasius in citatum Psalmum : « Per fimbriam vita hominum « significatur extrema, quæ non deaurcatam, ut « supra vestis, fuisse monstratur, sed auream esse « totam debere ostenditur. » Quia in fine vitæ tota

perfectio amoris quæritur, *circumamicta* tamen *varietate* propter varias virtutes fidelium. Sic si Christiani vita pluribus virtutum effulserit operibus, eædem in morte magis effulgebunt, quando is qui in vitæ termino Deum ante timuit, omnibus in retributionem gaudebit bonis, tanquam certo signo eximiarum virtutum, magnoque fructu bonorum operum.

j. — Novum hic panditur mysterium, cur Dominus Jesus, hic potius utatur cœnæ vocabulo quam prandii; vulgare enim apud omnes est proverbium, quod mundus nunquam alicui bonum prandium exhibeat, qui eidem pessimam in fine cœnam apponat. E contra, benignissimus Salvator noster, nonnunquam prandium electorum malum esse permittit, quia in fine sapidissimam et liberalissimam cœnam iisdem instruit. Didacus Stella super hæc verba observat quod hoc a Christo præparatum convivium, *cœnæ* nomen retineat, non vero prandium vocetur quia circa vesperam nobis apponitur; mundus e contra ad prandium, nunquam ad cœnam invitat; solet enim in hac vita, suis amatoribus delicias præparare, sed hora cœnæ, hoc est sero et hora mortis ipsorum, relinquit illos fame dissolutos abire. Quis unquam in suaviori nectaris et ambrosiæ mari natavit quam dives epulo? Cui se mundus blandiorem magisque propitium exhibuit quam ipsi? At vero inde quoque fit quod de nullo, per testimonium Scripturæ sacræ certius constet, quod ad infernum sit condemnatus, quam de ipso, siquidem de eo ab increata Sapientia testatur, quod *sepultus est in inferno*. De quo eodem reprobo S. Augustinus, *lib. de Contemp., sæc.* VII, ita ad nostram scribit instructionem : « Qui vult epulari cum « divite, præparat se epulas vermibus gehennæ, in « qua pro gaudio momentaneo ardebit perpetuo, « cum capite suo diabolo. »

k. — Non immerito *cœnam magnam* vocare possumus sacram Eucharistiam, adeoque sacram Missam, quam ad exemplum suum celebrare jussit Apostolos; *magnam* vero, quia victima ibi maxima est, scilicet Christus; offerens item maximus, id est, Christus una cum Sacerdote, qui vices Christi peragit. Mysterium, quod ibi peragitur, in consecratione maximum est et stupendum. Res quæ ibi postulantur, magnæ sunt. Fructus qui ibi percipitur, magnus est. Invitatorum numerus magnus. Tempus quo durabit, magnum quoque, quia usque ad finem mundi perdurabit.

l. — Celebratissimum est Assueri grande convivium, quod instituit primoribus regni sui et deinceps civibus Susan regiæ civitatis, ut ostenderet divitias gloriæ regni sui. Quo in Scripturæ locò, *Esth.*, I, ad longum descriptas habes excellentias hujus convivii; quæ omnia ibidem ostendunt maximas hujus convivii prærogativas; sed multo grandius fuit quod in ultima cœna Christus instituit, in comparatione cujus omnia sacrificia antiqua figuræ et umbræ fuerunt.

m. — In hac parabola Christus Dominus declarat, omnes posse si voluerint gaudere regno cœlorum; illo autem non gaudere, inde proventurum, quia illud noluerint accipere. Nam ut omnes gaudere possint, noluit Salvator noster obligare omnes, ut per eamdem passionis viam ad cœlum transeant, per quam ipse illud obtinuit, sed multas aperuit vias faciles, per quas cujusvis status et professionis homines transire ad salutem æternam possint. Verum quidem est quod Christus unicuique nostrum crucem bajulandam imponit, dum ait : *Qui vult venire post me tollat crucem*. Notandum tamen est quod non dicat : *Tollat crucem meam*, sed *suam*, ut bene S. Thomas de Villanova observat dum ait : « Non meam injungo, ait Dominus : sed tollat « *suam*, levem, facilem. » Venerabilis Beda in cœlestem illum et immarcescibilem hortum oculos dirigens, floridasque illius areolas considerans, ait : « Floribus ejus nec rosæ, nec lilia desunt; in « cœlestibus castris pax et arces habent flores « suos. » Non omnes quotquot in cœlo sunt illibati flores, sanguinis purpura tinctæ rosæ sunt; sunt etiam ibi lilia, sunt hyacinthi, sunt violæ, quia non omnes cœlites martyres sunt; sunt et confessores, sunt virgines, imo sunt in deliciis continuo nati et educati, reges et principes. Hugo Cardinalis super illa verba, *Cant.*, II, 1 : *Ego flos campi*, optime notat quod Salvator noster non dicat : Ego sum flos in horto incluso et custoditus, sed : *Ego flos campi*, id est, publico omnium fidelium usui expositus, imo quo nihil est magis expositum, quia *cuit omnes salcos fieri*, quantum est ex parte sua. Omnibus universim, in omni ætate, in omni tempore, in omni statu et conditione, odorandus et carpendus proponitur, et nulli prorsus absconditur. Advertit idem Hugo Cardinalis insuper quod non specificet qualis flos sit, an rosa, vel narcissus, vel lilium aut viola, etc. : « Quia non unico modo floret in campo « Ecclesiæ, sed, ut ita dicam, rubet in martyribus, « candet in virginibus, viret in confessoribus, pallet « in pœnitentibus. »

n. — *Et vocavit multos*. Vocentur quicumque, non vocantur tamen nisi viri, ad indicandum quod quicumque ad cœnam Eucharisticam vocantur, sive viri, sive fœminæ, alii non debeant esse quam qui masculo sunt robore, firmaque mente virtutem teneant, ab illaque salutari timore perciti nunquam discedant. Sacramentum enim hoc suas impertit gratias timoratis, cumque habitu virtutum et bonorum morum accedentibus.

Divus Joannes Chrysostomus, in laudes Eucharistiæ se diffundens, in specie autem de Agni immaculati sanguine tractans ait : « Hic animarum « nostrarum salus est, hoc lavatur anima, hoc « ornatur, hoc incenditur, hic igne clariorem men-

« tem nostram reddit et auro splendidiorem. » Verumtamen animadvertendum est, quod, tametsi hæc arbor vitæ fructuum, gratiæ, virtutis, sanctitatis et gloriæ ferendorum fertilissima sit, regium tamen oraculum, *Psal.* CX, 5, dicat : *Escam dedit timentibus se*. Unde licet hoc sacramentum ad dandam mundo vitam et salutem a Salvatore institutum fuerit, idem tamen David, *Psal.* LXXXIV, 10, expresse dicit : *Verumtamen prope timentes eum salutare ipsius, ut inhabitet gloria in terra nostra*. Et Ecclesiasticus, II, 20 : *Qui timent Dominum, præparabunt corda sua, et in conspectu illius sanctificabunt animas suas*.

Ut igitur cum fructu panem hunc recipiamus, optimum nobis medium subserviet virtutum exercitium; verumtamen non qualecumque, sed fervens et intensum sit illud oportet.

Versus 17.

Et misit servum suum hora cœnæ dicere invitatis, ut venirent, quia jam parata sunt omnia.

Et misit servum suum.

1. — Theophylactus, a Glossa citatus, per hunc servum, Filium Dei intelligit : « Quis est servus « ille? Is qui forma Dei assumpta Filius Dei homo « factus et ut homo missus esse dicitur; attende, « quomodo non dixerit *servum*, sed cum articulo « *servum suum*; illum proprie dixit, qui juxta for- « mam humanam ei placuit et servivit. »

2. — Cajetanus de Angelis exponit, qui cœlestis Regis servitores sunt et ephebi aulici : « Angelicum « ministerium ad invitandum homines ad cœleste « convivium. »

3. — S. Bonaventura per hunc servum, prædicatores ad Evangelicam gratiæ legem missos intelligit : « *Servum suum*; iste est ordo prædicantium, « qui cum sint multi, intelliguntur tamen nomine « unius servi, pro unitate officii; « dicuntur etiam multi prædicatores unus, propter unitatem fidei et mysteriorum, quæ per universum mundum uniformiter annuntiaturi erant. Sic quoque apud Jeremiam, Prophetæ, qui antiqui Testamenti prædicatores erant, servi appellati fuere : *Misi ad vos omnes servos meos Prophetas*.

4. — Didacus Stella super hæc verba scribens, duo ponderat et primum est, quod is, qui illos misit, eosdem non solum servos, sed et servos suos esse profiteatur : « *Servum suum*, id est, catholi- « cum, nam hæretici et schismatici non Dei, sed « diaboli sunt. » Alterum est, quod dicitur : « Misit « illum, quia qui inutilia vel faceta prædicat, licet « Dei sit et catholicus, non tamen missus est a Deo, « sed a proprio amore ac passione ductus. »

5. — Potest etiam hoc loco considerari quod non milites, nec justitiæ ministros miserit, ad inferendam illis violentiam, quia Deus cum suavitate vocat, quia cor et voluntatem nostram desiderat : *Voluntarie sacrificabo tibi*.

6. — S. Gregorius, *Hom.* XXXVI, monet de dubito respectu, qui huic servo a nobis est deferendus : « Per hunc ergo servum, qui a Patrefamilias ad « invitandum mittitur, prædicatorum ordo signifi- « catur; sæpe enim solet evenire, ut persona potens « famulum habeat despectum; cumque per eum « Dominus aliquid mandat, non despicitur persona « loquentis servi, quia servatur in corde mittentis « reverentia Domini. »

Hora cœnæ.

7. — Per hanc horam cœnæ Glossa finem mundi declarat : « *Hora cœnæ*, finis sæculi; unde Aposto- « lus, I *Cor.*, X, 11 : *Nos sumus*, inquit, *in quos fines* « *sæculorum devenerunt*; in hoc fine mittitur servus, « id est, ordo Prædicatorum ad invitatos per legem « et Prophetas, ut repulso fastidio ad gustandum « cœnam se præparent, quia omnia jam sunt pa- « rata. »

8. — « Veluti enim hora cœnæ erat, » inquit Jansenius, « et est, post Christi mortem, quando jam « cœlum reseratum est, omnia redemptionis nostræ « mysteria propalata sunt. »

9. — Venerabilis Beda per hanc horam, finem mundi interpretans, hanc inde deducit consequentiam : « Si ergo jam hora cœnæ est, cum vocamur, « tanto minus debemus excusare convivio Dei, « quanto propinquasse jam cernimus finem sæ- « culi. »

10. — Didacus Stella ait : « Hæc cœna est spa- « tium vitæ uniuscujusque, qui Dominum inspi- « rantem, vel prædicatorem, vel confessorem audit « docentem Evangelium, doctrinam catholicam. »

11. — Notanda hic est prudentia et circumspectio hujus hominis, qui cœnam præparavit, siquidem servum suum ad convocandum invitatos tempore misit congruo et opportuno, id est, *hora cœnæ*; in quo nobis innuitur, quod Deus noster vocationem et inspirationes suas tempore et loco congruis et in talibus occasionibus et circumstantiis positis immittat, in quibus nos, dummodo velimus, eisdem parituros et responsuros, ac demum profectum reportaturos esse prævidet.

Dicere invitatis, ut venirent.

12. — « Id est, » ut Dionysius Carthusianus scribit, « Deum proximosque amando, et juste ac « timorate vivendo, ad patriam beatorum incessan- « ter appropinquare studerent, nempe amando et « juste agendo, non corporaliter transeundo venitur « et propinquatur ad regnum cœleste. »

13. — Albertus Magnus illud, *venirent*, non de progressu, qui fit progressu, qui fit gressibus corporis, sed de progressu spirituali exponit : « Hoc

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

« est, alloqui eos voluit de præparatione per pœni-
« tentiam; veniunt, qui se per virtutem expediunt;
« non stant, qui semper in virtute proficiunt; ibunt
« de virtute in virtutem. »

Quia jam parata sunt omnia.

14. — Nam ut Glossa ait : « Christo immolato,
« jam introitus regni patet; » id quod Patribus
veteris Testamenti dici nequaquam potuit, quando
nimirum ob colum, undequaque firmiter clausum,
tanta ad habendum in cœlos aditum difficultas erat,
quo etiam tempore non habebant sacramenta, quæ
modo habemus, per quæ gratia, quæ semen est
gloriæ, ex opere operato confertur. Unde per hæc
verba clarius dicere voluit quod pro salute nostra
nihil amplius, neque in præsenti, neque in futura
vita, faciendum supersit, et ideo *omnia parata*, nos-
que in cœlesti nuptiarum triclinio anxie exspectat :
*Vado parare vobis locum; in domo Patris mei mansi-
ones multæ sunt*; in hac quoque vita innumera
nobis subministrantur auxilia et subsidia, quibus ad
aliam vitam acquirendam disponamur et præparem-
mus.

15. — « Pensa nunc, o homo, » inquit S. Bona-
ventura, « si tamen bona a Deo habes in mensa
« tua, in carcere, in exilio; quanta bona habebis in
« mensa Dei, in regno? » Misericors ille pater Evan-
gelicus, ut filium suum discolum, pœnitentem et
resipiscentem lauto quodam exciperet convivio,
vitulum saginatum coqui fecit : « Ad repellendum
« fastidium nostrum, » inquit Venerab. Beda,
« jam *parata sunt omnia*, quia ad abstergendum
« mentis nostræ teporen in cœna Dei, ille nobis
« singularis Agnus occisus est, qui tulit peccata
« mundi. »

16. — Qualis quantusque sanctis veteris Testa-
menti Patribus futurus fuisset jubilus, si felix hoc
faustumque nuntium suis potuissent auribus percipere, nimirum : *Quia jam parata sunt omnia*. Bidacus Stella ait : « Vocabantur quidem illi, sed non-
« dum omnia parata erant, quia Passio Christi
« nondum exhibita erat. O felix tempus, ætatesque
« beata, in qua prædicatores dicere possunt : *Jam*
« *parata sunt omnia*; jam Christus mortuus est pro
« nobis, jam suo sanguine cœlos aperuit, jam cœlos
« ascendit et præparavit vobis mansiones in æterna
« beatitudine. » Hæcque ratio erat, cur Salvator
Apostolis suis dixerit : *Beati oculi qui vident, quæ
vos videtis, dico enim vobis, quod multi*, etc. Beatiores Patribus antiquis, qui jam cœnam præparatam
invenietis.

Additiones.

a. — *Et misit servum suum hora cœnæ*, etc. Non
misit armatos, qui vi adducerent, sed misit servum,
qui illos quasi reinvitaret; nec enim ad ea quæ
commodum nostrum spectant, ullam nobis Deus
vult vim inferre, quia regit nos suaviter; sed potius vult conservare naturæ humanæ leges, nempe
libertatem; sic quoque non cogimur sed invitamur
ad spiritualium experientiam consolationum, quæ
reipsa vitæ divinæ dulcedinem perbibent et suavitatem. Non paucos a Christi sequela et vita devota
timor abstrahit melancholiæ, mœstitiæ atque austeritatis, quas in schola Christi autumant prædominari. Hanc igitur falsam opinionem ut destruat
David mendacemque convincat : *Gustate*, inquit,
*et videte quoniam suavis est Dominus; beatus vir qui
sperat in eo*. Circa quam invitationem Albertus
Magnus sequens movet dubium : « Sed quid est
« quod dicitur : *Gustate et videte?* Numquid prius
« est videre cibum, et postea sumere? Quis un-
« quam comedit quod prius non viderit? » Respondetque auctor per similitudinem a cibo medicinali
desumptam, qui primitus oculos latet infirmi, at
sumptus exercet virtutem, hocque in sensu dici
potest visus : « Sic fit in medicinali cibo spirituali. »
S. Bonaventura differentiam statuens cibum inter
corporalem et spiritualem, ille, inquit, absens appetitur, placet, inque comestionis principio magna
capitur cum aviditate qui in fine fastidium sui ingerit et nauseam; hic vero contrariæ omnino rationis, « cum non sumitur displicet, quia amarus est
« Deus malis; sed sumentibus placet, et quanto
« quis magis sumit de illo cibo, tanto magis ei pla-
« cet. »

b. — *Quia jam parata sunt omnia*. Nobis hæc
verba nullam ingerere deberent consolationem,
dum, quantum est ex parte Dei, omnia quæ ad cœlestis gloriæ convivium spectant, fercula parata
sint, nec aliud quidquam desideretur, quam id
quod tibi faciendum incumbit, ut nempe hoc convivio interesse merearis, quod tamen tantæ difficultatis tantæque molis opus non est; aditus enim
ad cœlum facilis est, cum Christus illud nobis
magna cum aviditate offerat dicendo : *Regnum Dei
intra vos est*. Observastine aliquando quanta cum
aviditate Deus semper ad hoc inclinatus fuerit ut
nos gloriæ faceret participes? Terreni reges non
compatiuntur secum unius, ejusdemque regni vel
dominii esse consortes, sed potius illos semper,
quod possunt, excludunt, « quia regnum non ca-
« pit duos; » filii quoque ab eodem patre progeniti, licet inter se germani sint fratres, in adeunda
tamen hæreditate paterna soli semper esse mallent, ut potentiores, opulentioresque evadant; at
vero Salvator ad cœleste regnum suum ascendens,
nos omnes fratres appellavit, dum ait : *Ascendo ad
Patrem meum et Patrem vestrum*. Apostolus ad Rom.,
VIII, 27, ait : *Si filii et hæredes, hæredes quidem Dei,
cohæredes autem Christi*. Nam ut S. Cyrillus ait :
« Hoc gloriam Unigeniti dilecti accumulat, quod
« beatitudinis suæ non patitur solitariam esse
« magnitudinem, sed addidit fratres, non qui

« minuant quasi in plures divisam excellentiam,
« sed altitudinem dividarum exornent participes. »

Terrenorum regnorum acquisitio ardua est et
difficilis, imo nonnunquam impossibilis, at vero
regnum cœlorum ab unoquoque comparari potest,
simit enim se facile vinci, imo ultro citroque se
unicuique nostrum offert : *Regnum cœlorum vim
patitur, et violenti rapiunt illud*. O quanto facilius
cœli quam terræ gloria acquiritur! Hæc etenim a
voluntate nostra non dependet, imo nec a meritis
nostris aliquando, sed potius a fortuna, ab alterius
dispositione; ambitio, industria et labor, ad illud
acquirendum non semper juvat; non vero sic se
res habet, quod attinet ad æternæ gloriæ consecutionem. S. Valerianus, in Homilia quadam quæ *de
arcta et angusta via* intitulatur, ait : « Facilem se
« volentibus præstat; » sed quando? « Si non aut
« vanitas impediat, aut fallax hujusmodi ornatus
« obsistat. » Superbi quidem mundi gloriam studiose sectantur, sed sæpe, imo ut plurimum, eamdem non assequuntur. Cœlestem vero gloriam
sectantur humiles, nec unquam irrito effectu; nam
ut S. Bernardus ait : « Arcta est janua regni cœlo-
« rum nec recipit nisi parvos; tumidi repelluntur. »
Longe ante facilius est humilem velle esse et ab
aliis contemni, quam ab aliis in veneratione et
reverentia haberi velle, quia illud in nostra positum est voluntate, hoc in aliena; et ideo inter
octo beatitudines nulla est in qua dicatur : Beati
qui ad thesauros, ad imperia, ad voluptates aspirant et anhelant; bene tamen dicitur : *Beati pauperes, beati mites, beati qui persecutionem patiuntur,
beati mundo corde, beati qui lugent*. Valde enim
durum nobis fuisset si ad cœlestem gloriam adipiscendam tale quid a nobis postulasset, quod in
uniuscujusque nostrum non fuisset potestate aut
voluntate; pauper vero, contemptus, mitis, tribulatus, quilibet esse potest.

c. — Quærunt diligenter interpretes per quos-
nam condita et parata sint omnia quæ in epulo
apponenda erant? Pulchre S. Augustinus, *Serm.*
XXXIII *de Verb. Dom.*, respondet : « Illi, » Judæi
inquam, « invitantes acceperunt, cœnam repudia-
« runt, Prophetas legerunt, Christum occiderunt,
« et tunc nobis cœnam nescientes paraverunt. »
Grande ingratitudinis malum ut etiam cœnam
repudiarent et Christum occiderent; sed ex hoc
malo bonum elicuit Deus, ut Judæis nescientibus
nobis cœna præpararetur. Deus enim novit, eique
proprium est, ex malis bona elicere, odinmque dæmonis in nostram convertere salutem. Verum est
Deum posse se opponere hosti infernali, eumque
impedire ne aggrediatur, infestetque famulos et
sequaces suos, cum nonnunquam quorumdam sequatur lapsus; attamen ut bene notat D. Augustinus, « melius judicavit Deus de malis bona facere,
« quam mala nulla esse permittere. » Permisit
David cadere in adulterium, homicidium et scandalum publicum, licet potuisset et novisset eum
præservare, quia ex casu isto magnum intendebat
elicere bonum puta pœnitentiam quam egit, qua et
omnes instruxit pœnitentes. Audiamus S. Ambrosium, in *Apologia*, I, II, quæ legitur inter lectiones
Matutini pro Dom. VI post Pentecosten : « Sancti
« autem Domini, qui consummare pium certamen
« gestiunt et currere cursum salutis, sicubi forte ut
« homines corruerint, naturæ potius fragilitate
« quam peccandi libidine, acriores ad currendum
« resurgunt, pudoris stimulo majora reparantes
« certamina, ut non solum nullam attulisse æsti-
« metur lapsus impedimentum, sed etiam velocita-
« tis incentiva cumulasse. » Nihil Davidi præjudicavit lapsus ille, imo pœnitentiæ suæ suffragio plus
profecit in sanctitate quam si mansisset in sua innocentia; siquidem idem S. Ambrosius ait : « Plus
« acquisivimus, qui plus perdidimus, quia beatio-
« res facit tua gratia quam nostra innocentia. » Non
recusavit Deus huic magno servo suo tribuere illud
eximiæ laudis encomium : *Inveni hominem secundum
cor meum, qui faciet voluntates meas*. Aliam adhuc
subministrat D. Augustinus, *lib.* XIV *de civ. Dei*, 11,
asserens : « Neque enim Deus omnipotens, cum
« summe bonus sit, nullo modo sineret mali esse
« aliquid in operibus suis, nisi usque adeo esset
« omnipotens et bonus, ut bene faceret etiam de
« malo. »

d. — Vocabant servi invitatos, ut venirent, quia
jam parata essent omnia; quod si hic intelligamus
de sanctissimo Sacramento, cibus est de quo proprie cecinit David quod Deus illum præparavit. Et
sicut erat impossibile nobis illo vesci in propria
sua specie, præparavit illum in forma panis.

Versus 18.

*Et cœperunt simul omnes excusare. Primus dixit
ei : Villam emi, et necesse habeo exire, et videre
illam, rogo te, habe me excusatum.*

Et cœperunt simul omnes excusare.

1. — Albertus Magnus dicit : « Hic agitur de
« vocatorum ingratitudine. » Cajetanus ait : « Excu-
« sare sumitur hic pro recusare; » ultra namque
oblatam invitationem acceptare renuebant, quia
vero nullam idipsum abnuendi causam habebant,
ideo oblatum hunc favorem manifeste a se repellere erubescebant, adeoque potius frivolam quamdam excusationem excogitarunt. Albertus Magnus
bene ponderat illud *cœperunt*, ait enim : « Hoc au-
« tem incipiunt, quia semper in hoc peccatores
« sunt novi. »

2. — Consideranda est hoc loco summa Dei
nostri sollicitudo, qua nobis convivis suis occurrere
voluit; ipsemet namque nos in persona propria
invitat, deinde prius unum, mox plures servos

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEÓN

emittit, qui nobis significent, omnia ad cœnam requisita fercula parata esse; mittit eosdem per vicos et plateas, imo et in vias et sepes, ut magna cum anxietate nos quærant et rogent, et tamen unusquisque se subducit et venire renuit; cum tamen alia ex parte clare nobis constet, quanta cum anxietate eumdem Dominum olim sub veteri lege requisierimus, *Cant.*, III, 12 : *Quæsivi quem diligit anima mea; quæsivi illum et non inveni; per vicos et plateas quæram, quem diligit anima mea, quæsivi illum et non inveni.* Undenam obsecro hæc nostra oritur mutatio et mentis socordia? S. Augustinus ait : « Unigenitus in sinu Patris antequam « traheam nostræ carnis assumeret, quærebant eum « desiderantes et non habebant, factus vero homo, « tanquam vermis inter homines, homines quærit « et paucos invenit; » cujus equidem alia causa assignari nequit, quam quod Deus hoc tempore nimis se exhibeat salutis nostræ avidum et cupidum nimisque anxie nos regni sui cœlestis desideret efficere participes, factus enim homo similis nobis, proprii sanguinis sui pretio nos redimere, seque ipsum nobis in cibum et potum dare non abnuit, indeque adeo nobis factus est vilis et contemptibilis, ut manifeste satis nos ipsum nihili facere ostendamus. Etenim per experientiam videmus quod mundus illa tantum desiderare et æstimare soleat, quæ difficulter haberi possunt; alia vero, quæ in sua habet potestate, communiter fastidiat atque contemnat. Unde Venerabilis Beda ait : « Offert Deus, quod rogari debuit; non rogatus « dare vult, quod vix sperari poterat, quia dignare« tur largiri postulatus, contemnitur vero paratus; « delicias refectionis æternæ denuntiat, et tamen « simul omnes excusant. »

3. — S. Gregorius, *Hom.* XXXVI, ut nobis clare ostendat quam sit inconveniens tantam respuere invitationis gratiam, sequenti utitur similitudine, dicens : « Ponamus ante oculos mentis minima, ut « possimus digne pensare majora; si quispiam po« tens ad invitandum quemlibet pauperem mitte« ret, quid ille faceret, nisi de sua invitatione gau« deret? Responsum humile redderet, vestem « mutaret, ire festinaret; » unde per consequentiam deducit, quam sit indigna res, quod Deus ad æternæ beatitudinis cœnam nos invitans, tam frequentem apud nos patiatur repulsam : « Homo ergo « dives invitat et pauper occurrere festinat, ad Dei « invitamur convivium, et excusamus. »

4. — Didacus Stella, postquam eamdem ponderationem adduxisset in medium, tandem subjungit : « Mira res, vocat Deus ad cœnam et venire « recusant; si vocaret ad labores, non mirum si « nollent venire, sed vocantur ad cœnam et no« lunt. »

5. — S. Bonaventura verba hæc de illis interpretatur fidelibus, qui solo nomine tales sunt; operibus vero quibuslibet sunt infidelibus deteriores : « Quia multi veniunt ad fidem, qui tamen nolunt « pervenire usque ad charitatem, propter vitiorum « pronitatem, quam in excusationis velamen assu« munt. »

6. — Theophylactus illa de Judæis explicat, qui Messiam recipere noluerunt : « Omnes enim Princi« pes Judæorum detrectabant regem habere Jesum, « et cœnam non meruerunt, » dixerunt enim manifeste : « Nolumus hunc regnare super nos. »

7. — Glossa dicit : « Ideo excusant, quia nemini « intercluditur regnum, nisi quem suæ vocis pro« fessio excluserit; excusat autem se omnis, qui « plus terrena quam cœlestia diligit, etiamsi ad « cœlestia se tendere dicat. » Enim vero tametsi honores, divitiæ et quævis alia bona temporalia tanta cum difficultate comparentur, nihilominus homo se laboribus, curis et periculis innumeris libenter subjicit, quantumvis de illis consequendis sit incertus, imo cum evidenti æternæ salutis suæ detrimento per multas in hac vita toleratas ærumnas, certam sibi comparat pœnarum infernalium æternitatem. Christus autem cum infinita quadam cura et anxietate, bona nobis offert cœlestia, quæ sempiterna sunt, nec aliud a nobis, nisi cor et voluntatem nostram requirit, *Prov.*, XXIII, 20 : *Præbe, fili mi, cor tuum mihi,* nihil nisi amorem nostrum sibi retribui postulat, et tamen *cœperunt simul omnes excusare.* Porro turpis hæc repulsa, quam Deus a nobis continuo patitur, eumdem movet, ut cœlum pariter et terram ad obstupescendum super hoc invitet, sicut in principio Isaiæ videtur : *Audite cœli et auribus percipe terra : Filios enutrivi et exaltavi,* illos ad beatitudinis æternæ cœnam vocando, illique regnum quoddam infinitæ Majestatis offerendo; *ipsi autem spreverunt me.* Eamdem quoque querelam repetit apud Jeremiam, II, 13, dum ait : *Duo mala fecit populus meus; me dereliquerunt fontem aquæ vivæ et foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas;* quo in loco pariter sicut in Isaia prius cœlos ad stuporem concipiendum invitarat, dicens : *Obstupescite cœli super hoc et portæ ejus desolamini vehementer;* quid enim magis obstupescendum excogitari potest, quam quod homo huic cœnæ, id est, mensæ Paradisi cœlestis, nectare et ambrosia mananti, terga vertat, ut fœtentes et putridas terræ lacunas et paludes consectari possit. Audite Didacum Stellam idipsum egregie ponderantem hisce verbis : « Vocat « mundus ad laborem et omnes sequuntur illum. « Omnis populus secutus est Sebam, filium Bochri, « pauci autem David; vocat mundus ut decipiat, « diabolus ut torqueat, caro ut illudat et omnes hos « sequuntur. Christus autem vocat ad cœnam, ut « gaudeas et cœnes cum illo, et pauci sequuntur. O « si consideraret peccator quod amittit et quare « amittat! »

8. — Porro in hac repulsa verificari videtur, quod Psalmista ait, *Psal.* XLVIII, 13 : *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus et similis factus est illis.* Enimvero si ante jumentum aliquod ex una parte favum mellis, ex alia vero herbam apposueris et fœnum, videbis quod illud calcibus evertet et disperdet, ad fœnum vero et paleam manducandam, magno cum fervore appetitus mox se recipiet; eodem modo videmus quod homines mundani, qui palatum ex peccato corruptum habent, majorem in fœno et paleis, id est, in carnalibus voluptatibus, *omnis caro fœnum,* gustum habent, quam quod cœnam Christi, id est, gratiam et gloriam cœlestem prosequantur et diligant. Legatur id, quod Sapiens, *Prov.*, VII, 6, et IX, 15, scribit, et videbitur quam prompti sint homines ad acceptandum invitationes, ad voluptates mundanas, cum tamen ex alia parte hic, ubi Deus illos ad beneficia, imo ad beatitudinem vocat : *Cœperunt simul,* etc.

Primus dixit ei, etc.

9. — Hugo Cardinalis in sensu allegorico, juxta expositionem S. Ambrosii, per primum, qui villam sibi comparat, interpretatur Gentiles : « Immo« derato affectu temporalibus inhiantes. » Per secundum vero, qui boves emerat : « Judæos, jugo « legis oppressos, in qua lege sunt quinque juga, « id est, mandata decem, vel quinque libri Moysis, « qui duplicantur in spiritu et littera. » Per tertium, qui duxerat uxorem, hæreticos intelligit : « Qui semper attentant rigorem fidei, sicut mulier « prima attentavit virum et seduxit. » Qui idem purpuratus Doctor hosce versus ad præsentem materiam aptissimos adducit :

Uxor, villa, boves, cœlum clausere vocatis,
Mundus, cura, caro, cœnum clausere renatis.

10. — S. Augustinus, *Serm.* XXXIII *de verb. Dom.*, ad hoc reflectit, quod S. Joannes de mundo loquens his verbis ait : « Omne quod est in mundo, concu« piscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, « et ambitio sæculi; ibi cœpit, ubi Evangelium « terminum posuit; concupiscentia carnis : *uxorem* « *duxi*; concupiscentia oculorum : *quinque boum* « *juga emi*; ambitio sæculi : *villam emi.* »

Villam emi.

11. — Non sine mysterio, qui hoc dixit, primus esse dicitur : *Primus dixit ei,* si quidem per villam hanc ambitio denotatur, de qua S. Augustinus ait : « Dominari vitium malum, vitium primum; » ambitio enim primum peccatum est, quod naturam tam angelicam quam humanam coinquinavit : « Notantur superbi, » inquit Lyranus, « per domi« nium villæ emptum, quia superbi volunt aliis « dominari. » Ambitio, politia humana, sive ratio status potius jacturam admittit regni cœlestis, quam ut vel unicum terræ palmum amittat. Principes ad dilatandos dominii sui fines, vel ne illud amittant, armant exercitus, populum subditum aggravant, sanguinis humani flumina effundere, totumque mundum susque deque vertere non dubitant. Unde Hugo Cardinalis verba hæc ita exponit : « *Villam emi*, id est, appetitum dominandi habui, vel « dominatum ipsum multo labore acquisivi, vel « pretio animæ comparavi. Hanc villam emit Lu« cifer, quia pro dominatione, quam appetit, « regnum æternum amisit. » S. Bonaventura quoque, *Serm.* I *in hac Dom.*, ad hanc se stultitiam reflectit, qua homines regno cœlorum renuntiant, ut hic in terra dominari possint : « Ecce fatuitas « maxima, » inquit « quia quod pejus est eligitur « et quod melius recusatur; eligitur enim villa, « recusatur regnum; eligitur dominium villano« rum, recusatur regnum cœlorum. »

12. — In sacris Canticis, VII, 11, Sponsa cœlestis dicit : *Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis.* Cum igitur illis verbis anima sancta cœlestem Sponsum suum in villam invitet, quomodo subsistere potest, quod villa huic cœnæ obstaculum ponat? S. Augustinus dubium istud resolvit, dicens : « In villa empta dominatio nota« tur, ergo superbia castigatur; habere enim « villam, tenere, possidere, homines sibi illa sub« dere et dominari delectat. » Enimvero homo ille ad hanc villam comparandam, ad acquirendum dominium se totaliter eviscerare debebat, adeo ut nihil sibi, quod regno cœlorum comparando impenderet, residuum haberet, et hoc est, quod in illo reprehenditur, non enim honorum possessio damnatur, sed ambitio; homo ille villam hanc non eo fine sibi comparat, ut agros illos coleret, sed ut dominaretur, ut in subditos tyrannidem exerceret. Motivum animæ illius, quæ in Canticis dilectum suum in villas et in agrum invitabat, erat, ut mundanorum negotiorum strepitum effugeret, ut solitudini vacando Deo se per contemplationem arctius unire et conjungere posset. Unde observandum est, quod una et eadem res, quæ electis occasionem præbet, ut se Deo arctius conjungant, seque gloriæ cœlestis capaciores, dignioresque efficiant, reprobis motivum præbeat, ut se ab ea, et a cœlo magis elongent et separent. Unde S. Augustinus, *Serm.* XII *de verb. Dom.*, in alio quodam proposito dicit : « Aurum et argentum malis malum est, bonis, « bonum; non quia eos bonos aurum et argentum « facit, sed quia bonos invenit, in usumque bonum « convertit. »

13. — Lucas Brugensis per hunc illos denotari existimat, qui affectu cordis sui bonis hisce terrenis superflue nimis immersi vivunt et æterna bona negligunt, qui proinde dum, ut mentem suam rebus cœlestibus applicent, monentur et invitantur, ex tali monitione proficere nesciunt, seu potius no-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

lunt : « Hi beatitudinem cœlestem sæpe non con-
« temnunt quidem prorsus, sed negligunt et pos-
« sessionibus post habent, pluris habentes lucrum
« terrenæ possessionis, quam æternæ felicitatis. »
Glossa dicit : « Villa idem est quod terrena sub-
« stantia ; ex tergo videre villam, qui sola exteriora
« cogitat. » Deus olim in cacumine montis legem
Moysi daturus, præcepit, *Exod.*, XIX, 12, dicens :
*Cavete, ne ascendatis montem, ne tangatis fines
illius*, etc. Cujus mysterium S. Gregorius exponens
ait : « Quid est, quod cum lex accipitur, populus a
« monte prohibetur, nisi quia, qui infirmis adhuc
« mentibus terrena desiderant, considerare subli-
« mia non præsumant ? »

Necesse habeo exire et videre illam.

14. — Hugo Cardinalis hanc necessitatem vio-
lentiæ ambitionis attribuit : « Ambitione cogente, »
inquit, « quæ non potest eorum Domino permanere,
« nec in cœlo habitare ; *necesse habeo exire* ab
« æternorum contemplatione et mei considera-
« tione ; omnis enim superbus extra se est, quia
« supra se est ; » pergitque idem Doctor ostendere
huic passioni proprium esse, quod omnem in am-
bitioso affectum et applicationem absorbeat : « Hoc
« est enim superborum, scilicet toto studio laborare
« ad hoc, quod possint dominari. »

15. — Advertendum est autem, quod, quando
villæ emptor se hoc modo excusavit, jam hora
cœnæ aderat, adeoque aer consequenter mox ob-
tenebrandus erat, quo igitur modo se villam videre
velle, dicere poterat ? *Necesse habeo exire et videre
illam.* Respondeo, hæc est multorum hominum
mundanorum cæcitas, quod prinsquam informentur,
aut prinsquam aliquam periculorum, erumna-
rum, laborum, quos dignitates semper annexos
habent, notitiam acceperint, illos cæco quodam
modo temere aggrediantur. S. Hieronymus, post-
quam vitam S. Pauli primi Eremitæ scribendo ab-
solvisset, in fine illius subjungit : « Cui si Dominus
« optionem daret multo magis eligeret, » de semet-
ipso in tertia persona loquitur, « tunicam Pauli
« cum meritis ejus, quam Regum purpuras cum
« regnis suis ; » seu potius, ut contemplativus qui-
dam ait, « cum pœnis suis. » Didacus Stella hic ait :
« Observa hujus stultitiam non solum in eo, quod
« rem inutilem tam care emit, sed etiam in eo,
« quod prinsquam vidisset : emit enim et postea
« exivit videre illam ; quomodo autem emeret, si
« prius vidisset ? Honores, divitias, voluptates et
« quæcumque mundus dare nobis potest, prius
« eminus, quam videamus, nam si prius vidisse-
« mus, nullo modo a nobis emerentur. » Illa au-
tem omnia cum laboribus, sudoribus, periculis, et
quod magis deplorandum, cum dispendio animæ,
cum cœli et Dei nostri ipsius gravissima et irrecu-
perabili coemuntur jactura.

16. — Avarus bonorum suorum instituebat enu-
merationem et ratiocinium, ut proturbaretur ad
infernum : *Anima mea habes multa bona reposita in
annos plurimos, comede, bibe, epulare* ; ac proinde ei
replicatum fuit : *Hac nocte repetent a te animam
tuam.* Ubi S. Ambrosius ait : « *Nocte* anima avari
« reposcitur, quæ a tenebris incipit et in tenebris
« perseverat, avaro semper nox est. »

Rogo te, habe me excusatum.

17. — Glossa ait : « Humilitas sonat in voce,
« dum venire contemnit, superbia in actione. »

18. — Didacus Stella sapienter ponderat, quod
ab hac cœna tam hic, qui villam emerat, quam qui
boves sibi compararat et qui uxorem duxerat, se
subduxerint, non per aliquid, quod in seipso pecca-
minosum aut reprehensibile erat, quia hæc omnia
licite fieri poterant, erantque cum gratia et amicitia
Dei plane compatibilia ; in quo igitur excusationis
ipsorum malitia consistebat, qua ab hac cœna fuere
exclusi, vel per quam se gloria indignos reddide-
runt ? « Unde perspicue infertur, non solum ea,
« quæ mala esse cognoscimus, verum etiam et illa,
« quibus huic mundo indulgemus, licet bona vi-
« deantur, si parce eis non utimur, nos perpetuo a
« gloria cœlesti exterminari. » Unde si verum fateri
volumus, dicit idem auctor, nos Christiani in majori
sumus periculo offendendi ad ultimum hunc scopu-
lum, quia gravia et enormia adulteriorum, homici-
diorum et latrociniorum crimina naturaliter exhor-
rescimus et ideo facilius cognoscimus et declinamus :
« Verum hæc alia mala, quæ operta et palliata
« incedunt et sub prætexta boni, multo periculo-
« siora et faciliora sunt, ut in ea incidamus. Certum
« est, facilius quemvis a re aliena se continere
« posse, quam suis parce et moderate uti. »

19. — Albertus Magnus S. Gregorii auctoritate
affert, dicentis : « Bene dicit : *Rogo te* ; in voce
« humilitatem prætendit, sed superbiam exhibet
« in opere, dum venire contemnit. » Considerat
insuper, quod multi inveniantur de quibus Glossa
advertit, quod, « dum invitantur ad cœnam, servos
« Dei quidem rogant, ut orent pro ipsis, quia pec-
« catores sunt, sed in emendatione operis et devo-
« tione ad cœnam Dei non veniunt. » Cajetanus,
Rogo, de intercessione spirituum Angelicorum,
quam invocant, exponit : « Quamquam isti habeant
« affectum inordinatum, commendant tamen se
« Angelis et Deo, tanquam putantes acceptandam
« esse excusationem suam ; unde et moriuntur, ac-
« ceptis omnibus sacramentis Ecclesiæ, tanquam
« jactantes se divinæ misericordiæ. »

Additiones.

a. — *Et coperunt simul omnes excusare.* Stupen-
dum sane quod ad mundana convivia, quæ propter
excessum in vino et epulis, mortem sæpe accele-

rant, convolemus et ad cœlestem hanc mensam, in
qua vita nobis datur, cum nausea accedamus.

S. Cyrillus Alexandrinus in memoriam nobis
revocat illius cœlestis Protomedici saluberrimum
monitum, dicentis : *Attendite ne corda vestra gra-
ventur in crapula, et ebrietate, et superveniat in vos
repentina dies illa.* Et quidem ut nos idem sanctus
Doctor a crapula efficaciter divertat, sequentem
subjungit gravissimum discursum : « Audistis edic-
« tum Regis æterni et lamentabilem finem ebrieta-
« tis, vel crapulæ didicistis. Si quis vobis peritus et
« sapiens medicus, his ipsis verbis præciperet :
« Attendite vobis ne quis, v. g. de illius vel illius
« herbæ succo avidius sumat ; quod si fecerit subitus
« ei veniet interitus ; non dubito quod unusquisque
« propriæ salutis intuitu præmonentis medici præ-
« cepta servaret ; nam verus animarum et corpo-
« rum medicus simulque dominus jubet ebrietatis
« herbam, et crapulæ vitandam, et nescio si quis
« nostrum non his consumitur, ne dixerim saucia-
« tur. Sola est quæ simul cum corpore et animam
« debilem reddat. In cæteris enim potest fieri, ut
« secundum Apostolum, cum infirmatur corpus,
« tunc magis potens sit spiritus et ubi is qui defo-
« ris est, homo corrumpatur, ille qui intus est
« renovetur ; in ebrietatis vero ægritudine spiritus
« pariter cum carne vitiatur. » Tantam e contra
fidelibus inimicus infernalis indidit panis Eucharis-
tici nauseam ut Pastor supremus compulsus fuerit,
censuræ Ecclesiasticæ baculo gregem Christianum
ad pascuum hoc salutare ad minus semel in anno
frequentandum, adigere sub pœna mortis. Neque
mirum cuipiam videatur, quod infernus contra hoc
Sacramentum suos conglomeret furias et rabiem,
præsertim ut ipsum Christianis odiosum reddat,
quia hoc ipsum contra omnes diabolicas vires præs-
tantissima est armatura. Unde S. Cyrillus ait :
« Cum Satanæ variæ ad decipiendum sint artes, ad
« saniorem mentem eos revocari non sinit ; verum
« postquam eos malis inquinavit, ipsam quoque
« gratiam cogit exhorrescere. » Qui idem sanctus,
eamdem doctrinam repetens, nauseam hanc diabo-
licam rete et laqueum esse docet, dum ait : « Si
« vitæ æternæ amore flagramus, si largitorem
« immortalitatis in nobis habere cupimus, ne quod
« quidem negligentiores facit, benedictionem reci-
« pere recusemus, caveamusque, ne laqueum nobis
« et tendiculam diabolus insigniter fraudulentus
« struat. » Cui et Thomas a Kempis, de sacra Com-
munione tractans, accinit in hæc verba : « Inimicus
« sciens fructum et remedium maximum in sacra
« Communione positum, omni modo et occasione
« nititur, fideles et devotos, quantum prævalet,
« retrahere et impedire. »

b. — Valde mirandum est hoc quod cum mundi
bona vilissima sint, neque ulla ratione appetitum
satient, ad illa tamen mox advolemus ; et cum Dei
bona sint adeo magna gratisque oblata, mille ali-
quando proferamus excusationes ad illa non accep-
tanda. Refert S. Matthæus, VIII, quod postquam
Salvator noster horridam illam maris tranquillasset
tempestatem, Gerasenorumque regionem ingressus
fuisset, duos obvios habuerit dæmoniacos. Cumque
corpora eorum insidentes spiritus se ad hospitia
sua deserenda constringendos esse prævidissent,
*dæmones rogabant eum dicentes : Si ejicis nos hinc,
mitte nos in gregem porcorum. Et ait illis : Ite. At illi
exeuntes abierunt in porcos ; et ecce impetu abiit totus
grex per præceps in mare et mortui sunt in aquis.*
Cumque submersionis hujusmodi porcorum fama in
civitate innotuisset, subjungit Evangelista : *Et ecce
tota civitas exiit coram Jesu.* Sed quo fine ? Num
forte ut adorarent eum, vel ut pro fugatis ab ipso-
rum finibus dæmoniis debitas ei gratias referrent,
aut vero ut pro animarum suarum salute aliquam
ab eo gratiam deposcerent, ob manifesta quæ in eo
manifeste relucebant divinitatis vestigia ? Minime,
sed audite quid ab eo poposcerint : *Et viso eo, roga-
bant, ut transiret a finibus eorum.* Ergone desidera-
bant, ut Dei Filius procul ab illis discederet, cum
tamen Psalmista, *Psal.* LXXII, 27, 28, dicat : *Ecce qui
elongant se a te peribunt. Mihi autem adhærere Deo
bonum est ?* Aut vero ex quodam humilitatis instinctu
id a Christo petierunt, quomodo S. Petrus alibi
dixerat : *Exi a me, Domine, quoniam peccator sum ?
Luc.*, V, 8. Nequaquam hæc eorum mens fuit, sed
quia magnam in hisce porcis submersis jacturam
passi fuerant, Salvatorem a se nitebantur repellere,
quia pluris porcos, quam ipsum Dei Filium et pro-
priam salutem æstimabant. Eheu, quot Geraseni
reperiuntur qui oculos suos nunquam sursum ele-
vant, eo quod omnem spei suæ eventum, omniaque
quæ desiderant bona, a terra et a præsenti vita sper-
rant et expectant ?

c. — *Primus dixit ei : Villam emi*, etc. Per villam,
terrenam substantiam intelligunt sancti Patres, D.
Gregorius, *Hom.* XIII *in Evang.*, Beda, Haymon, D.
Bonaventura ; ex quorum affectu homines maxime
inhabiles ad cœlestia redduntur. In S. Matthæo, XIX,
de divite quodam et in bonis fortunæ copiosissimo
juvene legimus, quod prima quidem facie, adoles-
cens bonus et virtuosus, divinæque legis observa-
tissimus fuerit. Et quidem quod dives fuerit, ex illis
verbis clare deducitur : *Erat habens multas posses-
siones* ; quod vero timoratus et conscientiosus fuerit,
ex proprii oris ejus testimonio constat, quia cum a
Salvatore petiisset, *quid faciendo vitam æternam pos-
sideret ?* eique responsum fuisset : *Serva mandata*,
ipse confestim subjecit : *Omnia hæc custodivi a juven-
tute mea* ; verumtamen contra id quod homo virtuo-
sus fuerit, est quod opponam, quia cum ulterius
interrogaret : *Quid adhuc mihi deest ?* et Christus
subjungeret : *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ
habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo,*

et veni, sequere me; dicit sacer textus : *Cum audisset autem adolescens verbum, abiit tristis.* S. Basilius contra hunc adolescentem solide fundatum format processum, ipsumque his verbis aggreditur : « Si « teneris adhuc in annis, ut affirmas, fraternitatis « charitatem, ac tantum præceptum custodisti, ut « ea proximo, quæ tibi ipsi reddideris, unde quæso « hæc divitiarum copia? Cura nam egenorum, pe- « cuniæ consumptiva est; amans proximum sicut « teipsum nihil plus illo possidebis; at tu posses- « siones multas habere appares. Undenam hæ, nisi « quod propria commoda multorum commodis ha- « bes omnino potiora? Quo enim plus opibus cres- « cis, eo magis a charitate deficis, nam diu istam « pecuniam aliis communicare cogitasses, si proxi- « mus æque ac teipsum amasses. » Pergit idem S. Doctor ulterius evidenter ostendere, quod in corde hujus juvenis exigua erga pauperes charitas et compassio fuerit, siquidem postquam a Salvatore consilium divitias suas in pauperes distribuendi sibi suggeri audiisset, *abiit tristis*, et dolens, eo quod plus hasce divitias quam subsidium in proximi necessitates conferendum diligeret; id quod S. Anselmus pariter in eodem juvene redarguit dicens : « Non est credendum bonam conscientiam eum « habuisse, sed mentitum, quando se dilectionem « proximi confessus est habuisse; non enim vere « diligebat proximum, qui doluit de hoc quod sua « dare proximis præcipiebatur. » Quando ex una parte positum videbat salutare illud Christi consilium : *Si vis perfectus esse, vende quæ habes et da pauperibus*, ex altera vero parte suas considerabat possessiones et facultates, fortissime se hisce adstringens, illud totaliter deseruit, existimando verum esse, *sicut* est verissimum, quod nimirum parum se invicem compatiantur prosperitas sive divitiæ, et virtus seu perfectio Christiana.

Nazianzenus majori cum facilitate adversitatum tempestates sine naufragio sustineri posse putat, quam tranquillitatem prosperitatum, eo quod in hac evidentius et certius incurratur naufragandi periculum : « Profecto facilius esse videtur adversam fortunam ferre, quam secundam conservare. » S. Augustinus ait : « Magnæ virtutis est cum felicitate « luctari, magnæ felicitatis a felicitate non vinci. »

d. — Quid est quod hic primus invitatus a Dei vocatione ac cœlesti mensa, se excusat ob villam emptam, quasi esse in villa et cum Deo simul esse non possit, cum tamen Sponsa suum dilectum ad villam invitet, nam ait illa, *Cant.*, VII : *Veni, dilecte mi, egrediamur in agrum; commoremur in villis?* Respondetur ex sententia S. Augustini, *Serm.* XXIII *de verb. Domini*, quod hic homo vadit ad villam ex superbia, ut multos subditos sibi comparet, sponsa vero divertit in agrum ex multa charitate erga Deum, ut homines agrestes ad Deum adducat, fidemque convertat. Ita varii interpretantur hunc locum. Ex quo patet quam graviter arguendus sit iste homo, qui propter villam a Deo se separat, quem sibi per villam poterat comparare. At certe magna stultitia, per illas res a Deo discedere quarum ope magis licet ad Deum appropinquare. Unde D. Augustinus ait, *Serm.* XII *de verb. Dom.* : « Aurum « vel argentum malis malum est, bonis bonum; « non quia eos bonos aurum vel argentum facit, « sed quia bonos invenit, in usum bonumque con- « vertitur. »

e. — Villa hæc denotat ex S. Augustino, ambitionem et dominandi desiderium. Hic autem homo emerat villam, antequam vidisset; sic multi emunt villam, id est, honorem prælationis et dominationem potestatis, quasi obtenebrato oculo, non videntes ingentia onera et pericula quibus se exponunt. S. Augustinus in sede et throno Episcopali collocatus, suos ut sibi compatiantur potius quam invideant, fideliter admonet dicens : « Sunt qui de nobis ea « sentiunt, quæ ipsi diligunt et in hujus mundi « quasi proprietatibus, quibus ingemiscemus, invi- « dent nobis, ibi nos felices putant, ubi periclita- « mur. » Deus generalem quemdam populi sui adeo sibi dilecti locum tenentem, qui eumdem vice et nomine suo gubernaret, creare volens, Moysen sibi specialiter elegit; ex quo facto dubium quoddam mihi subnascitur, nimirum, ex quo ille Dei vices gerens imperii habenas et sceptra moderaturos, populumque gubernaturus erat, cur non potius illum ex curia Pharaonis regia eligebat, quam e Madianitica solitudine, in qua quadraginta annis pascendis pecoribus operam dederat? Præterea ex quo idemmet Deus, post Synagogam suam intendebat fundare Ecclesiam, cur duodecim elegit viros piscatores et non potius litteratura ac nobilitate conspicuos, vel ad alios imperio moderando assuefactos elegit? Maxime cum Apostoli qui eligendi erant, futuri essent « Ecclesiarum Principes et « sæculi justi judices. » Porro dubium istud ab Oleastro motum et solutum fuit, qui pro hujus dubii observat, quod inter cunctas professiones, nulla sit, quæ pluribus exposita sit incommodis atque periculis, ac pastoria ars esse noscitur. « Pastor enim non dormit, sed fere continuo vigilat, « vix se vestit, maleque vestitur. » Piscatorum quoque considerat labores; dicit enim : « Sic et « piscatores nudi in vigiliis et laboribus semper « sunt; ut ego tam reges quam Pontifices scirent « se non ad quietem, nec ad divitias et delicias « assumptos, sed ad labores, sudores, ac vigilias « hos inter cæteros deligere curavit. »

Innocentius III, *de contemptu mundi* tractans, de inquieto Principum et Prælatorum statu ita scribit : « Sed esto quod sublimetur in altum; statim curæ « succrescunt, sollicitudines cumulantur, vigiliæ « producuntur, ex quibus natura corrumpitur, « spiritus infirmatur, amittitur appetitus, debilita-

« tur virtus, attenuatur corpus et sic in seipso « deficiens, non dimidiat dies suos, sed miserabi- « lem vitam miserabili fine concludit. »

Versus 19.

Et alter dixit : Juga boum emi quinque et eo probare illa; rogo te, habe me excusatum.

Et alter dixit : Juga boum emi quinque.

1. — Lucas Brugensis considerat, quod aliquæ facultates in fundis consistant stabilibus et immobilibus, aliæ vero in rebus aliis mobilibus, quibus apud Orientales armenta et greges annumerari solebant : « Quo circa et hic notantur avari, quales « erant Judaicæ synagogæ proceres. »

2. — « Excusatio istius, » inquit Hugo Cardinalis, « refertur ad concupiscentiam oculorum, « unde curiositas procedit; » considerat enim hic Doctor, multos esse vanitati omnino deditos, qui omnia concupiscunt, quæ illorum oculis objiciuntur et placent, qui a Deo ad æterna alterius vitæ bona invitati, ut plurimum sese excusant, utpote qui potius « solliciti sunt de his, quæ per quinque « sensus administrantur, id est, de exterioribus, « quæ curiositatem faciunt, quam de cœna æterna. « Tales in cœna temporalium quasi sues nutriun- « tur, et Dominicam cœnam fastidiunt, terram cœlo « præferentes. »

3. — S. Augustinus per hæc quinque juga boum, quinque sensus intelligit : « Quinque juga boum, « sensus carnis hujus quinque numerantur : in « oculis visus est, in auribus auditus, in naribus « odoratus, in faucibus gustus, in omnibus mem- « bris tactus; » porro oculi, aures et nares unicuique homini duæ sunt, qui proinde sensus tria paria, seu juga constituunt : « Et in faucibus, id « est, sensu gustandi, geminatio quædam inveni- « tur, quia nihil gustando sapit, nisi lingua et « palato tangatur voluptas carnis, quæ ad tactum « pertinet, occulte geminatur, quia est et forin- « secus et intrinsecus. » Redditque idem Anagogicus Doctor rationem, cur quinque sensus juga boum appellentur : « Quia per sensus istos carnis, « terrena requiruntur; boves enim terram versant, « homines autem remoti a fide, terrenis dediti, « nolunt credere aliquid, nisi ad quod sensu cor- « poris perveniunt quinque partito : non, inquit, « ego credo, nisi quod video. » S. Bonaventura, *Serm. in hac Dom.*, dicit : « Intelligitur superflua « quinque sensuum operatio circa terrena. » Lyranus ait : « Intelliguntur cupidi, terrenis nimis in- « tenti; finem suum ibi constituentes. » Dionysius Carthusianus eamdem illis exhibet explicationem, dum ita scribit : « Per hunc secundum, intelligitur « multitudo avarorum, qui ita circa terrenas divi- « tias congregandas et conservandas intenti sunt, « quod spiritualium ac cœlestium obliviscuntur bo- « norum. »

Eo probare illa.

4. — Albertus Magnus inquit : « Bene dicit, *Eo*, « quia continuo ivit proficiendo in pœnis per delec- « tationem. *Ps.* LXXX, 13 : *Ibunt in adinventionibus « suis. Prov.*, I, 16 : *Pedes eorum ad malum cur- « runt.* » Ecce tibi hic adumbratam mundanorum stultitiam, qui potius propriis appetitibus serviendo, laborare et dæmonis mancipia effici, quam Christi cœna, id est, divinæ gratiæ et rectæ ac innocentiæ gaudio, *secura mens quasi juge convivium*, frui volunt. Quamnam dic sodes, talis terram arando delectationem habere poterat? aut numquid ex lautissima illa cœna habiturus foisset majorem? imo tametsi etiam ad jugum Christi portandum fuerit vocatus, ex hoc tamen se gravatum dicere non potuit; siquidem de hoc nobis ex fide et veritate evangelica, imo ipsismet Salvatoris testimonio constat, dicentis, *Matth.*, XI, 30 : *Jugum meum suave est et onus meum leve.* Qua de re optime S. Gregorius ait : « Quid in hac vita laboriosius, quam terrenis « rebus æstuare? aut quid quietius, quam hujus « sæculi nihil appetere? » Didacus Stella super hæc verba ita discurrit : « Christus dicit : *Tollite « jugum meum super vos; jugum enim meum suave « est;* hic autem, ne se subjiciat jugo suavi, hu- « meris suis quinque gravissima juga subit, quo- « rum quodlibet gravius est centum Christi jugis. « Diaboli quinque sunt juga, quia nullus est sensus, « quem sibi diabolus subjicere non desideret; dicit « etiam, quod emit ea; ego profecto gratis et sine « ullo pretio humeris meis non susciperem quin- « que talia juga, nedum emerem. Certe sic est, « quod emimus cum dispendio animarum nostra- « rum divitias, honores et delectationes hujus « mundi, quæ nobis nihil aliud, nisi onus, dolores, « ingentesque cruciatus afferunt. »

5. — Sunt nonnulli adeo ambitiosi homines, ut quidquid valent, quidquid possunt, id totum impendant et superimpendant ad acquirendum honores et officia, conspicua quidem, sed valde laboriosa, ad comparandas sibi delicias et voluptates, sed tales, quæ rosæ quædam sunt, innumeris quaquaversum spinis pungentissimis circumseptæ. Quis non credidisset, avarum hunc hominem, suas eo præcipue fine expendisse pecunias, ut se potius ab aratro et jugo subeundo eximeret et tamen idem non unum duntaxat, sed quinque jugis se submisit ut statim ad arandum et laborandum se reciperet? Thomas Morus, magnus ille regni Anglicani cancellarius, similium multorum hominum mature consideravit fatuitatem et mentis inopiam, tot labores et curas pro adeundo inferno subeuntium, qui tamen, si medietatem imo multo minus earum, quas pro mundo sustinent pro Deo et anima sua sustinerent,

ad gradus gloriæ valde eminentes ascensuri essent.

6. — Idem Stella super verba *eo probare*, ita discurrit : « O homines modicæ fidei ; non sufficit, « ut de sapientia divina moneamini, quam nihil « subterfugere potest? non satis est, hoc ab homi- « nibus expertis dictum esse? omnes quotquot « mundo inserviunt, asserunt, mundi jugum esse « intolerabile; e contrario autem omnes, qui Deum « colunt; jugum Domini suavissimum testantur. » Id quod lamentabantur mundani illi apud Sapientem, v, 7, dicentes : *Lassati sumus in via iniquitatis, ambulavimus vias difficiles.*

Additiones.

a. — *Et alter dixit : Juga boum emi quinque et eo probare illa.* In primo illo villam emente notatur hominum ambitio et superbia, in hoc vero secundo sugillatur eorum avaritia, qui ob boves, animalia, ac terram excolendam Christi regnum despiciunt. Certum autem est, tales non ituros ad cœnam Domini. Nam sicuti jugum animalia ligat ac constringit, ita avaritia ligat et illaqueat animas. Super hoc textu Apostoli, I *ad Tim.*, vi, 9 : *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et in laqueum diaboli*, Hugo Cardinalis scribens admiratur dum ait : « Quam paucos invenimus qui ab hoc laqueo libe- « rari exultant? Quam multos, qui dolent, quod « parum sibi videntur irretiti? Et quantum ipsi « possunt se involvere et intricare laborant? » S. Anselmus autem mysterium nobis declarat, ob quod divitiæ laquei dæmonis fuerint appellatæ : « Incidunt in laqueum diaboli, id est, in hoc ut « consentiant suggestioni diaboli, amando divitias, « quarum amorem ille suggerit, et illaqueantur ab « eo per consensum iniquæ persuasionis, et per « actionem pravitatis. » Quodnam desiderari poterat evidentius argumentum, ad colligendum quod dæmon laqueos suos tendat suamque sedem in avaris habeat, quam sit quod in Juda factum esse conspicimus? *Cum diabolus jam misisset in cor, ut traderet eum Judas.* Diabolus enim in corde Judæ jam possessionem cœperat, idque sola mediante avaritia, in qua adeo erat tenaciter et profunde immersus, ut Christus eum dæmonem appellare non dubitaret, quia hoc vitio mediante, quasi, ut ita dicam, in diabolum transformatus erat; dum enim Apostolis ait : *Unus ex vobis diabolus est*, de Juda locutus fuit.

b. — Ad deliciosissimam cœnam et lante opiparam mensam humanissime invitatus, quinque sensuum suorum, qui per quinque empta juga boum congrue intelliguntur, voluptatibus deditus peccator, propter modicas transitorias vanitates, æternam mensam despicit aut negligit. O belluinam hominis peccatoris insaniam et fatuitatem ! Siccine rationalis creatura in bestiarum et ferarum naturam mutatur? Nil mirum; bestia enim truculenta est peccatum, peccatorque passim ferarum nomine a Scriptura indigitatur ; « Quis enim dubi- « tet, » ait melliffluus Bernardus, « hominem qui « sibi juga emit jumentorum comparatum jumentis « esse? Nisi quod eo sane ipsis jumentis convinci- « tur esse stolidior et bestialior bestiis comprobatur, « quod juga necessitatis earum, propria ipse subeat « voluntate. » Culpa scilicet sua brutis insipientior effectus. In oculis enim Dei nulla dari potest abominabilior vilitas quam sit hæc quæ a peccato et divinorum præceptorum transgressione procedit : *Qui contemnunt me, erunt ignobiles.* I *Reg.*, ii, 30. Habent vitia hanc naturam quod vitiosis ignominiam et maculam inurant. Unde Basilius Magnus supra Isaiam ita scribit : « Præ omnibus seipsum « injuriis afficit fornicator, corruptelam sibi infe- « rens. Mœchus se contaminat per obcœnum et in- « famo opus. Fur se afficit contumelia, per vilem, « fœdam et illiberalem actionem. Mendax sibi « injurius est, ob negatam veritatem. Qui perjurat « indignis modis se proterit, se abalienans a Deo. « Itaque omne peccatum contumeliosa superbia « est et insolescentes contumeliæ germina sunt « ejus, qui omnium primus contumeliose super- « bivit, conviciatusque est. » Vilitas natalium a parentibus communiter adsciscitur, si scilicet filii e parentibus ignobilibus et infamibus nascantur. Vultisne scire, o peccatores, quam sitis vituperosi? S. Bonaventura, super illa verba, *Joan.*, viii, 44 : *Vos ex patre diabolo estis*, ita scribit : « Ex his « patet ignominiosa hominum peccatorum gene- « ratio, quoad modum vivendi, quia sunt *ex patre* « *diabolo*, et ita filii ejus, scilicet imitando, non « nascendo. *Qui facit peccatum ex diabolo est.* « Frustra ergo gloriantur de humana nobilitate, « qui sunt nati hac generatione ignominiosa. »

c. — Boves verberibus ad jugum trahuntur a pabulo; homo autem sponte sua a cœlesti cœna fugit, ut ad jugum currat; nam « cum sine jugo « esse non possint homines, » inquit S. Bernardus, « quale hoc ipsum est, eligere, potius quinque « quam unum? Quis enim potest servire quinque « dominis, nedum quinque tyrannis, quinque præ- « dominis? » Bos ad unum tantum jugum porrigit collum; at homo plus quam ipsis brutis animalibus stolidior factus, ad quinque juga sustinenda festinat; dum enim ad peccatum spontaneus ruit, servitutem amat et pro suavi Dei jugo, multos sibi eligit tyrannos.

d. — Huc veniant viri pii qui de carnis maceratione gloriantur. Quis justus quinque boum jugis carnem suam domavit? Unum lego jugum a Christo Domino suis sequacibus ostensum, cum ait : *Jugum meum suave est.* Ast iste, ut a Christo fugiat, quinque boum subit juga voluntarius. Et quidem nisi spiritualibus inhiemus, in maceratione carnis etiam strictissimi religiosi a peccatoribus superantur.

S. Paulus, I *Cor.*, vii, inquit : *Circumcisio nihil est et præputium nihil est, sed observatio mandatorum Dei.* Miror Paulum sic circumcisioni injurium, ut dicat illam nihil esse. Nonne circumcisio asperrimum est opus macerationis? Nonne per illam caro Deo mactabatur? Cur illam nihil æstimat Paulus? Dum Paulus in circumcisis nullam videbat esse famem spiritualium, nullum desiderium ad invisibilia tendens, merito despicit carnis circumcisionem, etsi asperam, quando in asperitate carnali etiam ab infidelibus superabantur. Sic quoque negligentia Christianorum in acquirendis bonis æternis, saluti assecurandæ, per mundanorum in bonis terrenis conquirendis et amissis recuperandis laborem et industriam, condemnatur.

e. — Hora cœnæ vocabantur illi et egregiam confingunt excusationem : *Juga boum emi quinque et eo probare illa.* Cœnæ hora dicit se ire probare empta juga boum; quod apertius mendacium? Hora cœnæ rure veniunt homines domum, cum jam non liceat, per noctem, hominibus rusticari ; cum solvuntur juga ad cœnam, vadis tu ad probanda juga? Sed sane mundano homini nil magis familiare quam mentiri. Mendacium enim semper et ubique et apud omnes locum habet, maxime in augendis lucris; Dei vero providentia fit, ut lucra per mendacia comparata disperdantur. Micheas, vi, 10, ait : *Adhuc ignis in domo impii, thesauri iniquitatis et mensura minor, iræ plena.* Ubi Propheta alludit ad illos qui, in rebus comparandis atque vendendis, mensuras, staterasque adhibent ponderis insufficientis; et hujusmodi mendacia, quæ in factis consistunt, loquacibus deteriora sunt mendaciis lingua expressis. Contra quod hominum genus Deus invehitur, dicens : *Numquid justificabo stateram impiam et sacelli pondera dolosa? In quibus divites ejus repleti sunt iniquitate et habitantes in ea loquebantur mendacium et lingua eorum fraudulenta in ore eorum.* Sed quæ tales culpas noxasque consequantur supplicia porro auscultetis velim : *Et ego ergo cœpi*, verba sunt Dei, *percutere te perditione, super peccatis tuis. Tu comedes, et non saturaberis; tu seminabis, et non metes; tu calcabis olivam, et non ungeris oleo; et mustum, et non bibes vinum.* Idem Nahum Propheta minabatur, dicens : *Væ civitas sanguinum universa mendacii dilaceratione plena.* Ast quo palatis suppliciorum successu? *Non recedet a te rapina, vox impetus rotæ, et equi frementis et micantis gladii, et fulgurantis hastæ, et multitudinis interfectæ, et gravis ruinæ.*

VERSUS 20.

Et alius dixit : Uxorem duxi ; et ideo non possum venire.

Et alius dixit : Uxorem duxi.

1. — « Per hos, » inquit Lyranus, intelliguntur « carnales et lascivi. » S. Bonaventura pariter ait : « Hæc est concupiscentia carnis, de qua Ecclesias- « tes, vii, 27 : *Inveni amariorem morte mulierem, « quæ laqueus venatorum est* : dicitur uxor, propter « vehementem libidinis adhæsionem. » Enim vero nequaquam per hæc verba status damnatur conjugalis, sed ut Lucas Brugensis optime advertit : « No- « tantur, qui in voluptate carnis immersi, uxoris « usum cœlesti præferunt beatitudini; uxoribus « malunt placere quam Deo. » Idem quoque laudatissimus Auctor hac eadem occasione egregiam quamdam reflexionem in medium adducit, nimirum, quod in hoc Evangelio non nominentur omnes illi, qui ab æterna gloria certo sunt excludendi; siquidem nulla fit de adulteris, rapacibus, blasphematoribus, aliisque similibus specifica mentio, sed nominantur, « illi soli, qui humanis negotiis, ex « suo genere licitis, ita se implicant, ut ab adeundo « cœlesti convivio revocentur, ita suo vitæ generi « se totos addicunt et captivos tradunt, ut de cœles- « tibus, in quæ tanquam finem respicere oportet, « non sint solliciti; » nimirum solus condemnatur affectus immoderatus, quo homo rebus hisce temporalibus quantumvis alias licitis et honestis adhærescit, hic enim applicationem et cogitationes ad bona spiritualia et æterna totaliter impedit : *Qui habent uxores*, inquit Apostolus, I *Cor.*, vii, 29, *tanquam non habentes sint, et qui emunt tanquam non possidentes, et qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur, præterit enim figura hujus mundi*; « res « temporalis in usu, æterna in desiderio sit, » inquit Gregorius, *Hom.* xxxvi *in hoc Evangelium.*

2. — Cajetanus eamdem habet ponderationem dum ait : « Collige, prudens Lector, nullum istorum « trium vacasse malo operi ex genere, sed omnes « et singulos præposuisse sua, scilicet villam, juga « boum, uxorem, convivio cœlesti. »

3. — Jansenius hoc loco dubium movet, dicens : Ex quo matrimonium ab ipsamet divina providentia ad genus humanum propagandum institutum sit, valde mirandum est, quomodo idem Deus illud ingressui in regnum cœlorum obstaculum esse dicere possit, maxime sub lege nova, in qua idem matrimonium Sacramentum est, conferens gratiam? Mox tamen hanc illius reddit rationem : « Quoniam multi per hoc non prolis fœcunditatem, « sed desideria expetunt carnis, idcirco inquit Gre- « gorius, per rem justam non incongrue significari « potest res injusta. »

4. — Didacus Stella ex his verbis humanam detestatur malitiam, utpote quæ medicinam in venenum convertit : « Quid dicemus, » inquit, « de malitia « humana, quæ eo processit, ut omnia illa, quæ in « ejus salutis medium et auxilium concessa sunt, « in causas condemnationis suæ converterit? » Etenim si nonnemineni exhortari voluero, inquit idem Auctor, ut saluti suæ attendat, et ad bene

sibi de æternitatis beatæ securitate sibi consulendum, in timore Dei vivat, ut ad cœnam nuptiarum Agni se præparet, ut Sacramenta frequenter, mox se, quia uxorem duxit id facere non posse respondebit : « O malum magnum, quod matrimonium, « quod institutum fuit ad cultum Dei, malitia « humana mille incommodis in ejus offensionem « converterit sæpenumero : uxor, quæ remedium « est multorum incommodorum, alia quamplurima « sævitia sua, sumptibus, insaniis, et cultibus cau- « set : verum ad hoc proficiet mariti prudentia, ut « corrigat. »

Et ideo non possum venire.

5. — Ponderat hoc loco Jansenius, alios duos invitanti se, respondisse : *Rogo te, habe me excusatum*, hunc vero aperte et sine ulla verecundia dixisse : « *Non possum venire*, per quem accipiuntur, « qui voluptati carnis operam dant, » per hunc etenim, qui uxorem duxerat, ii, qui voluptatibus carnalibus immersi vivunt, significantur, qui proinde suam allegabat impossibilitatem. « Ut intelligamus, « nihil ita obruere animum, ut lascivia carnis, quæ « fastidium, imo oblivionem parit rerum divina- « rum. » Majorem vero terrorem mihi incutit Cajetani super hæc verba : *Uxorem duxi*, expositio dicentis : « Iste carnalibus delectationibus, licitis « tamen et honestis, subjectus, non rogat, sed « impotentiam veniendi pro ratione affert, quia « animus carnalibus delectationibus deditus, tam « est a ratione alienus, ut non roget rationem sui « haberi, omnino elongatur a spiritualibus, hoc « enim sonat : *Et ideo non possum venire*; » Unde sic arguo : Quod si voluptas carnalis, per viam matrimonii licita, sed cum excessu quodam et superfluitate tantum usurpata, ad cœnam cœlestem aditum prohibet, quanto igitur majus obstaculum delectatio carnalis illicita et divina lege prohibita censenda erit? Etenim luxuriosus effrænatis moribus suis adeo fortiter adstringitur et illaqueatur, ut omnem salutis suæ spem sibimetipsi detruncet : *Non possum*; alii quidem honeste se excusarunt, non tamen impossibilitatem allegarunt, nec mirum, quia veridicus Spiritus Sancti calamus de homine carnali scribit : *Hoc autem scitote, intelligentes, quod omnis fornicator aut immundus non habet hæreditatem in regno Christi.*

6. — Idemmet Deus, qui hanc cœlestis gloriæ cœnam præparavit, carnales homines a Spiritu Sancto penitus deserendos esse, expresse profitetur : *Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est*, quam veritatem utique tyrannus ille bene agnovit, qui S. Luciam martyrio affecit, qui proinde ad eam dixit : *Jubebo te ad lupanar duci, ut te Spiritus Sanctus deseret.* In vita S. Francisci Salesii refertur, quod is a Clemente VIII Pontifice Maximo, qui eum eximium Dei servum esse sciebat, monitus, cum evidenti vitæ periculo se Genevam, tam hæreseos Calvinianæ sentinam, in habitu personato receperit, ut famosum illum hæresiarcham Bezam, ad veræ fidei agnitionem et Ecclesiæ sanctæ gremium revocaret, qui licet ab eodem viro sancto de errore suo penitus fuisset convictus, adeo ut veritatem Religionis Catholicæ clare agnosceret, nihilominus sibi ad eamdem relicto errore reverti, impossibile esse dixit; cumque ab hoc Dei servo, qui pro ejus ad orthodoxam fidem transitu pontem aureum straverat, causam hujus impossibilitatis edicere rogatus fuisset, is confestim speciosissimam quamdam juvenculam coram sancto Præsule accersivit, eamque unicam impossibilitatis resipiscentiæ suæ causam esse fassus fuit; nec mirum, quia « ubi cœperit quis luxuriari, » inquit S. Ambrosius, « incipit deviare a vera fide : *Sedit populus « manducare et bibere, et fieri sibi Deos poposcit.* »

7. — Hugo Cardinalis ait : « Excusatio istius « refertur ad concupiscentiam carnis, iste etiam « non rogat excusari, quia solum peccatum carnis « non palliatur in confessione. » Idipsum quoque S. Bonaventura ante Hugonem his verbis scripserat, dum ait : « Nec addit, *habe me excusatum*, quia « solum peccatum carnis est, quod minime palliat « se sub specie virtutis, et minime excusatur. »

8. — Idem quoque sanctus et Seraphicus Doctor, illum vere mentitum fuisse ostendit, dicens : « Quia « talis, etsi sit concupiscentiæ servus, potest facere, « quo facto habeat gratiam, per quam habet posse « domandi concupiscentiam. Unde *ad Rom.*, VII, 24 : « *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mor- « tis hujus?* et respondens continuo : *Gratia Dei per « Jesum Christum Dominum nostrum.* » Hæc quoque ad Eucharisticam Christi cœnam invitatio ab eodem acceptata, ad diminuendum in eo concupiscentiæ fomitem sufficere potuisset, quia ibi accepisset *Frumentum electorum, et vinum germinans virgines.* Sic enim S. Augustinus, qui triginta trium annorum spatio huic carnalitatis suæ luto ad fauces usque immersus fuerat, purissimam S. Ambrosii vitam admiratus, sciensque quod in virtute hujus mensæ, Angelorum puritatem adæquaret, post suam conversionem et ipse hujus ejusdem cœnæ Eucharisticæ commensalis factus, deinceps ad decrepitam usque ætatem, puritatem et innocentiam suam baptismalem conservavit. S. Hieronymus de hac mystica cœna ita scribit : *Calore Spiritus Sancti exsiccat fontes libidinum*; hic etenim est ignis ille, qui panem hunc coquit cœlestem. Unde S. Ambrosius ait : « In carne Christi, quæ nostrarum æstus « refrigeravit cupiditatum, quæ compescuit inso- « lentiam vitiorum, quæ extinxit ignes libidinum. » Et quidem ad hunc ignem in juvenibus extinguendum, in quibus concupiscentiæ ardor, ratione annorum, aliorumque incentivorum, vehementior existit, remedium istud vel maxime est necessarium. Unde ubi Vulgata nostra legit : *Panem Angelorum manducavit homo*, ex Hebræo legitur : *Panem juvenum*; quam equidem singularem communionis frequentatæ virtutem eradicandi *obscænum amorem*, S. Gregorius specialiter agnovit.

Additiones.

a. — *Et alius dixit : Uxorem duxi, et ideo non possum venire.* Erant primus et secundus adhuc nonnihil urbani; rogabant enim ut haberentur excusati; ast hic tertius non rogat ut excusatus habeatur, sed absolute respondet : *Non possum venire.* Quid aliud causæ subesse poterit nisi quam D. Gregorius, *Hom.* XXXVI, insinuat : « Quid per « uxorem, » inquit, « nisi voluptas carnis accipi- « tur? » Cum ergo homo esset deditus luxuriæ ac carnis voluptati, nescit habere modum, sed plane in carnis voluptate absorptus, ita rustice nec non inurbane respondit. Nec mirum! vitium enim carnis, intellectum, mentem et animam nostram ita absorbet, ut illum de nulla re alia quam voluptate et libidine cogitare permittat. Didacus Stella, *in Luc.*, verba illa Salvatoris de filio prodigo dicta ponderans, scilicet : *Dissipavit substantiam suam vivendo luxuriose*, eadem in sensu morali aptissime explicat, dicens : Omnia bona dissipavit in luxuria, quod quidem vitium consumit omnia bona gratiæ et naturæ, quia naturales vires corporis enervat, rationem turbat et ingenium hebetat, pecunia, honore, bonis temporalibus, et quod plus est, seipso spoliat. Ideo Salomon ait : *Qui nutrit scortum, perdit substantiam. Prov.*, XXIX, 3. Homo enim lascivus tanta tenacitate et vehementia objecto amato adhærescit, ut nihil cogitet quam hoc, non operatur, nisi ut illi per omnia placeat, omnia ejus consilia, omnes labores, sudores et actiones eo duntaxat diriguntur ut objecti amati affectum lucrari possit et ad nihil aliud.

b. — Invitabatur hic ad panem sanctum corporis et sanguinis Christi, et ideo recte respondit : *Non possum venire.* Quare non potest? Nonne matrimonii licitæ sunt voluptates? Licitæ quidem sunt et si dignam Eucharistiæ non impediant, obstant tamen ne illa animi puritate sumatur, quæ Angelos decet. Unde ait : *Non possum venire*, id est, non possum sumere, non suscipere panem Eucharisticum. Honor enim et munditia corporis Christi debita id requirit. In ultima Cœna, Christus Petro ait : *Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus.* Quod si lotionem hanc pedum requirebat, quanto magis illam requiret in conscientiis fidelium, qui ad hoc Sacramentum, in quo ipse, Agnus immaculatus, pro peccatis abolendis sacrificatus, sunt accessuri. Advertant etiam hic Sacerdotes quanta eos deceat continentia et puritas. S. Brigittæ Christus de malis Sacerdotibus verba sequentia revelavit : « Corpus meum amarius cru- « cifigunt quam Judæi. Ecce amici mei quos elegi, « et sic dilexi quomodo mihi rependunt. » Et alio in loco : « Pungunt me quasi acuto ferro, quod « intrat per viscera, quando Sacerdos accedit ad « altare et cogitat se peccasse, et pœnitet, habens « tamen firmam voluntatem peccandi iterum per- « acto officio, cogitando secum : Bene pœnitet qui- « dem de peccato, sed non relinquam illam a me, « cum qua peccavi ita, quod non amplius faciam. « Isti quasi ferro acutissimo me pungunt. »

Versus 21.

Et reversus servus nuntiavit hæc Domino suo; tunc iratus Paterfamilias dixit servo suo : Exi cito in plateas et vicos civitatis, et pauperes, ac debiles, et cæcos, et claudos, introduc huc.

Et reversus servus nuntiavit hæc Domino suo.

1. — Hugo Cardinalis per hunc servum in sensu morali Prædicatores Evangelicos intelligit : « Post « invitationem, id est, prædicationem, debet reverti « ad Dominum per gratiarum actionem; et ad se, « per sui considerationem. » Quonam vero modo id exequendum sit, his verbis declarat : « Debet « reverti ad Deum, ut ei, non sibi attribuat fructum « prædicationis, ad se vero debet reverti, ne de « fructu suæ prædicationis superbiat.

Tunc iratus Paterfamilias.

2. — « Id est, Christus, » inquit Dionysius Carthusianus, « per tantam hominum ingratitudi- « nem; » demum vero declarat, quod ita non sit passio, quæ Christo prædominari possit « secundum « suam Divinitatem, quantum ad passionum affec- « tus, sed quantum ad similitudinem operis. Porro « ira per zelum, quæ est appetitus vindictæ secun- « dum rationis dictamen, fuit in Christo secundum « suam humanitatem. » Cajetanus per hanc Patrisfamilias iram divinæ justitiæ effectus intelligendos esse dicit : « Ira Dei punitio est justa; » vel etiam, ut Albertus Magnus advertit : « In hoc iratus dicitur « Deus, quia ad modum irati et provocati facit, « repellendo vocatos ad cœnam. Irascitur de pecca- « torum ingratitudine et de laboris servorum suo- « rum frustratione. » Lucas Brugensis motivum hujus irati Patrisfamilias fuisse scribit : « Quod sua « cœna despiceretur, et posthaberetur rebus tam « levibus; nihil æque ad iracundiam provocat Deum « ut contemptus beneficiorum, quæ ultro nobis « offert. » Eodem tempore, quo populus Dei electus, cibo à Deo pascebatur cœlesti : *Panem Angelorum manducavit homo*, idem mox carnes manducare desiderabat; quas equidem Deus iratus iisdem dedit, sed caro nimis pretio carnis hoc ferculum illis constitit, siquidem divinæ vindictæ gladium in eosdem protinus exeruit : *Adhuc escæ eorum eran*

in ore ipsorum, et ira Dei ascendit super eos. Psal. LXXVII, 31.

Exi cito.

3. — Dionysius Carthusianus ait : « Quia periculum est in mora, et sine dilatione providendum « est animarum saluti; quo verbo redarguuntur « Prædicatores et Prælati ignavi, et tardi, qui « facili occasione prædicationem omittunt, aut differunt. » S. Bonaventura dicit : « Exitus iste ad « exercitium prædicationis, secundum illud : *Exiit « qui seminat seminare semen suum.* » Ubi de salute animæ agitur, cunctandum non est, hoc enim est *momentum unde dependet æternitas;* ideoque opus est præsentaneis uti occasionibus et opportunitatibus, et quando anima ad Dei lumina et inspirationes recipienda disposita est, nequaquam occasio illa negligenda erit.

4. — Albertus Magnus ait : « Exi ab intimo tuæ « contemplationis ad ea, quæ sunt circa proximum « exterioris actionis. »

5. — Didacus Stella, hoc loco, summam Dei nostri nos tam humaniter invitantis admiratur bonitatem : « Quia non quomodocumque eos vocat, sed cito, et « sine ulla mora; nunquam Deus piger est, ut « nobis benefaciat, sed diligentissimus valdeque « solitus, ut nos vocet, gratiamque suam concedat. »

In plateas.

6. — S. Ambrosius, *in Luc.*, ait : « Misit ad plateas, quia misit ad peccatores, ut de latioribus « viis ad angustam viam venirent, quæ ducit ad « vitam. » Hugo Cardinalis ait : « Id est, ad illos, « qui sunt in via lata et spatiosa, quæ ducit ad mortem. » Deus nulla premitur majori sollicitudine, quam ut peccatores pœnitentes ad mensam gloriæ suæ considere faciat; et hinc est, quod Dei Filius ad eos convertendos se recipiens, ad nuptias se abire, lautisque epulis se reficiendum esse credebat; unde in conversione Zachæi, ab eodem fuit invitatus ad prandium; in conversione Magdalenæ, Pharisæi Simonis convivio accumbebat. S. Matthæus conversus : *Fecit convivium magnum.* Ideo pariter de ipso dicebatur : *Cum publicanis et peccatoribus manducat.*

7. — Dionysius Carthusianus : « Per plateas « quoque significantur multitudines hominum ma« jores; vel notatur, qui in prosperis quasi in lati« tudine erant. »

Et vicos.

8. — Glossa ait : « Mittit ad vicos, dum illos vocat, « quos temporalium rerum coarctat inopia. » Hugo Cardinalis eamdem expositionem adducens, exemplificando subjungit : « Per eos, qui vocantur de « vicis, moraliter intelliguntur illi, qui penuria « necessariorum aretati, intrant claustrum, et ita « ad Deum convertuntur. » Albertus Magnus rationem reddit, cur illi, qui in angustia bonorum temporalium sunt constituti, de via stricta vocari dicantur : « Quia vicus est via stricta inter domos, et « sunt, qui in angustia sunt salutis, et expedientem « se nullum habent, sicut quidam ex naturæ indagatione immortalem animam esse scientes, sed « nescientes, quia justitia salvaretur anima, et ideo « in arcto erant positi. »

9. — Dionysius Carthusianus ait : « Per vicos, « multitudines minores, quia non multis tantum, « sed et paucis est prædicandum; » qui idem exstaticus Doctor aliam quamdam expositionem subjungit, dum per *vicos*, intelligit, « qui in adversitatibus « premebantur; per *civitatem* hoc loco significatur « synagoga, quæ fuit aliquando civitas Dei, sicut « nunc est Ecclesia. »

10. — Voluit quoque Deus nobis insinuare, quod, dum de nobis ad regni sui, per hanc cœnam præfigurati, possessionem et fruitionem, invitandis agitur, nullum habeat sive ad tempus, sive ad locum, sive ad personarum conditionem vel professionem, respectum, sed unumquemque admittat, tametsi ad ipsum ex plateis, viculis aut sepibus veniat, imo tametsi sub tardam noctem accedat : nullus enim ab inde exclusus erit, nisi qui invitationem ad convivium spreverit et renuerit. Unde S. Ambrosius ait : « Invitat pauperes, debiles, cæcos, « quo ostendit nobis, vel quod nullum debilitas « corporis exclusit a regno. »

Et pauperes.

11. — S. Gregorius quænam convivantium genera ad hanc cœnam Regis gloriæ admissa, imo quæsita fuerint considerat, dum ait : « Peccatores « superbi respuuntur, humiles eliguntur; hos ita« que elegit Deus, quos despicit mundus, quia « plerumque ipsa despectio hominem revocat ad « semetipsum, et tanto celerius vocem Dei aliqui « audiunt, quanto in hoc mundo non habent ubi « delectentur. » S. Ambrosius quoque dicit : « Quod « rarius delinquat, cui desit illecebra peccandi. » Lyranus Principes synagogæ, Scribas, Pharisæos, et alios populi primores, ob duritiem et infidelitatem suam ab hac cœna repudiatos fuisse dicit : « Pauperes autem et simplices, et publicani illius « populi sunt vocati, ut patet in Apostolis. »

12. — S. Augustinus, *Ser.* XXXIV *de ver. Dom.* ait : « Non venerunt divites sani, quasi bene ambu« lantes, et acute cernentes, multum de se præsu« mentes, et ideo desperatiores quanto superbiores; « veniant mendici, quia ille invitat, qui propter « nos pauper factus est, cum dives esset, ut illius « paupertate mendici ditaremur. »

13. — Advertendum porro est quod per hoc verbum, *pauperes*, non excludantur divites illi, qui affectu et corde ab his terrenis bonis alieni vivunt. Unde Albertus Magnus ait : « Quem enim divites in « villis et bobus contemnunt, oportet ut pauperes « vocet; sunt autem pauperes qui, quantumlibet « divites sint, tamen se in præsenti mendicos « reputant, nisi æterna bona adipiscantur. »

14. — S. Bonaventura ait : « Ad litteram pau« peres admittuntur ad regnum Cœlorum. I *Cor.*, I, « 26 : *Videte vocationem vestram, fratres, quia non « multi sapientes secundum carnem, non multi nobi« les sed quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, ut con« fundat fortia, et ignobilia mundi et contemptibilia « elegit;* » idem quoque ex mente S. Augustini per pauperes illos intelligendos esse subjungit, qui tales sunt per virtutem : « Ut illos intelligamus pauperes, « qui non confidunt de nimia opulentia, de quibus « in Proverbiis, XIII, 7, dicitur : *Est quasi pauper « cum in multis divitiis sit.* »

15. — Valde profecto peregrinum esse videtur, quod convivii illius, cui sublimiores cœli Dominationes et Potestates inserviunt, commensales et convivæ futuri sint pauperes fœtentes et miserabiles, quorum vel solus aspectus nauseam provocare possel; et tamen verissimum est, quod *esurientes replet bonis, fastidiosos divites dimittens inanes. Edent pauperes et saturabuntur.* Et Hugo Cardinalis ait : « Quia non comedent eum spiritualiter, nisi « pauperes contemptores divitiarum, » in thesauros Dei, sive ad mensam illam æternalibus deliciis redundantem, illi soli admittentur, qui in hac præsenti vita præ nimia fame fuerint extenuati, humiles et contemptui habiti. Lyranus ait : « Per paupe« res intelliguntur vere humiles, qui sunt pauperes « spiritu, » ut exponit Augustinus : « *Beati pauperes « spiritu*, id est, non habentes instantem spiritum. » S. Gregorius tam illos, qui invitantem ad cœnam repudiarunt, quam alios, qui ad cœnam admissi fuere, peccatores fuisse notat, cum hac tamen differentia : « Peccatores superbi respuuntur, ut paupe« res humiles eligantur. »

Debiles.

16. — « Id est, » inquit Lyranus, « nihil sibi vir« tutis attribuentes, » quod ipsum S. Bonaventura aliis verbis expressit, dum illos debiles dicit, « qui « non confidunt de sua virtute. »

17. — Albertus Magnus per hos debiles et infirmos eos interpretatur, qui omnem animi sui vigorem divino servitio consecrant : « Isti sunt, qui ad « terrenos labores vires non habent, sed ad spiri« tualia vires exhibent et impendunt. » *Ps.* LVIII, 10 : *Fortitudinem meam ad te custodiam.* Et S. Augustinus ait : « Veniant debiles, quia non est opus « sanis medico, sed male habentibus. »

Et cæcos.

18. — « Per *cæcos*, » inquit Lyranus, « visum sibi « ab illicitis reprimentes. » S. Bonaventura similiter in *Serm.* I in hanc Dominicam, per *cæcos* intelligit « illos, qui oculos suos cefrænaverunt, ne vanita« tem mundi videndo, concupiscerent. » Albertus Magnus verba illa Psalmistæ, CXVIII, 37, adducit dicentis : « *Averte oculos meos ne videant vanitatem;* « cæci sunt, ea, quæ fulgent in mundo, non viden« tes. »

19. — S. Bonaventura super Lucam ait illos intelligi, « cæcos, qui non confidunt de sua scien« tia. »

20. — S. Augustinus ait : « Veniant cæci, qui « dicant : *Illumina oculos meos ne unquam obdor« miam in morte.* »

21. — Hugo Cardinalis *cæcos* illos hoc modo exponit : « Id est, simplices et idiotas, qui lumen « ingenii non habent, vel qui se reputant nihil « scire. »

Claudos.

22. — Lyranus per *claudos* intelligit, « defectus « proprios considerantes. »

23. — Hugo Cardinalis dicit : « Qui bona sciunt, « sed mala faciunt, vel qui simul bona et mala « faciunt. » S. Augustinus modum explicat, quo hi claudi se ad huic mensæ accumbendum adaptant : « Veniant claudi, » inquit, « qui ei dicant : *Com« pone gressus meos in semitis tuis.* »

24. — S. Bonaventura illos intelligit *claudos*, « qui non confidunt de sua rectitudine. »

Introduc huc.

25. — « Id est, » inquit Dionysius Carthusianus, « ad regnum cœleste perducere stude, prædicando, « orando, exemplariterque vivendo. »

26. — Considerari etiam hoc loco potest, quod divites et potentes, propria culpa ab hac cœna exclusi sint, in eorumque locum pauperes, claudi et cæci subintroducti; sicut tertia pars stellarum Cœli propter superbiam suam præcipitata fuit in abyssum, et vilissimum hujus nostræ naturæ lutum ad Thronorum, Virtutum, Potestatum, Dominationum, Principatuum, Cherubinorum, Seraphinorumque thronum fuit assumptum.

27. — Lucas Brugensis ait : « Primoribus Judæo« rum ejicientibus Evangelium et contemnentibus « sibi prædicatum regnum Cœlorum, oblatum est « illud plebeis et vulgaribus, idiotis, indoctis, con« temptis, adeoque infamibus publicanis et pecca« toribus; » vel illis, ut Titus Bostrensis ait : « Qui « ex Judaica multitudine habebantur infirmiores, « vilibus nimirum piscatoribus et idiotis. »

28. — Quod si fortasse non nemo quærat, quo modo hi claudi, cæci et infirmi ad huic convivio accumbendum sese capaces reddiderint et dignos? Huic S. Ambrosius respondet : « Qui vocantur ad « cœnam, prius vocando sanantur; si claudus fuit, « gradiendi facultatem, ut veniret, accepit; si lu« mine oculorum privatus domum utique Domini, « nisi refulgente luce, intrare non poterat. » Euse-

bius Emissenus quoque, *Hom. in hac Dom.*, considerat, eos, qui antea pauperes fuerant, postquam tanquam commensales huic cœnæ accubuissent, divites factos esse et locupletes : « Invitati ad « convivium Christi, divites et fortes facti sunt et « interius illuminati jam in via non errant; sed « recto tramite gradiuntur. »

29. — Didacus Stella Dei nostri admiratur benignitatem, utpote qui omnes in Cœli tabernacula recipit, suique regni participes efficit : « Neminem « despicit, nulli claudit januam suæ misericordiæ; « non contemnit Dominus Æthiopem, aut Indum « in Mexicum usque delatum, nemoque est, quan- « tumvis miser et abjectus, qui illa pietatis viscera « operata non inveniat; » etenim tametsi eorum, qui ab ipso intimatam ad cœnam invitationem rejecerant et contempserant, ingratitudinem probe satis animadvertisset, attamen non destitit, quin alios pari pietate ad eamdem invitaret : « Minime « defatigatus priorum ingratitudine, posterioribus « benefacere non desistit, non exhauritur divina « misericordia tam cito ut perfidia et ingratitudo « aliquorum, beneficia Dei in alios conferenda im- « pediat. »

Additiones.

a. — *Tunc iratus paterfamilias, dixit servo suo : Exi cito in plateas*, etc. Pervestigant interpretes quinam fuerint illi, qui primo invitati fuerant, et inurbane regalis convivii honorem respuerunt. Cyrillus, in *Catena*, putat fuisse Judæorum præsides et primates. Satis enim est verisimile, virum principem et prædivitem, primates et præsides ad lautum epulum invitasse. Sed quid est quod cum magnifici convivii delicias et honores refutassent magnates, non alios urbis proceres, sed pauperes ac debiles, et cæcos, et claudos, in illorum locum suffecerit. Annon alii supererant e prima nobilitate, quos denuo invitaret? Forte non omnes nobilitate præstantes ea inurbanitate squallerent. Saltem potest advocare quospiam ex honestis civibus, quos convivii sui honore sublimaret. *Pauperes ac debiles* duntaxat invitat? O sordidos viri principis convivas! Belle S. Gregorius, *Hom.* XXXVI *in Evang.*, naturæ humanæ fastum hinc opportune perstringit, sic fatus : « Quia ergo venire superbi renuunt, « pauperes eliguntur. *Deus enim superbis resistit* « eosque detestatur. Superbia est signum reproba- « tionis e regno cœlorum hac cœna adumbrato. »

Cum sanctissima et præcelsa Dei Mater a prædicto Filio suo destinata esset ad instruendos fideles in nova lege Evangelica, quamvis sacri Evangelistæ eam nonnisi septem in toto vitæ suæ decursu locutam fuisse commemorent; nihilominus vix in utero suo virginali Verbum æternum conceperat, cum in cantico suo speciatim in superbiæ detestationem prorupit, dicens : *Fecit potentiam in brachio suo; dispersit superbos.* Voluit, videlicet, nobis notum esse quod Deus sua, ut ita loquar, extenderit brachia ad disperdendos superbos; quo modo loquendi intendit simul exprimere infinitam aversionem et odium, quo Deus persequitur superbiam. *Deposuit potentes de sede*; nobilissimos nimirum spiritus, Angelos, Archangelos, Thronos, Principatus, Dominationes, Potestates, Virtutes, Cherubim, Seraphim; omnes quotquot in superbiam elati fuere deposuit et extrusit e sublimibus et cœlestibus illis sedibus, in imum inferni barathrum, et ad illas e contra exaltavit humiles, id est, nos mortales.

b. — Cum iratus Deus ostenditur, jam putabit aliquis convivium dissolvendum, imo mensas ipsas evertendas, obserandas fores, ne ulli patcat locus roganti. Sic facere solent homines irati. Nesciunt iracundi homines moderationem servare, sed ubi irascuntur in aliquem, prorsus inaccessibiles manent. Non sic Deus irascitur, quin potius inter iras non obliviscitur benefacere.

c. — Ait Dominus servo : *Exi cito per vicos et plateas*: non mandat vocari homines domi absconditos, sed in plateis ac vicis commorantes. Misit enim ad plateas, quia misit ad peccatores, ut de latioribus vicis ad angustam viam venirent, quæ ducit ad vitam. Latior via est hujus sæculi, de qua vocavit peccatores ad hoc sacramentum, quod vere ducit ad vitam, dum illud nobis conferi indulgentiam et propitiationem Dei. Misericorditer ergo invitat peccatores Deus ad hanc viam angustiorem, ut se tot eximant periculis, in dulcedine legis ejus securi delectentur. Dei enim servitium et legis ejus, quæ amor est, observantia, ingentem affert lætitiam, auxilium et consolationem ad portandum jugum Evangelicum.

Versus 22.

Et ait servus : Domine, factum est ut imperasti, et adhuc locus est.

1. — « Quasi diceret, » inquit Glossa : « Multos « tales ex Judæis ad cœnam tuam collegimus, sed « isti locum convivii tui non implent, superest « locus, ubi gentium numerositas suscipiatur. » Major etenim populi Hebræi pars, ob quem speciaiter cœna hæc præparata et instituta fuerat, se excusavit, et a Christi sequela se subduxit, ac proinde opus erat, ut ad restaurandas Angelorum ruinas, populus quoque gentilis invitaretur, et hoc fine præceptum hoc a Domino datum fuerat.

2. — Lucas Brugensis servi hujus, in congreganda tanta, qua poterat gente, sollicitudinem observat, qua Domini sui, quem ad habendos in cœna sua multos commensales avidissimum esse sciebat, imperio satisfacere satagebat : « Neminem « quantumvis abjectum, quæ ejus humanitas est, « sua opera indignum habentis. »

Versus 23.

Et ait Dominus servo : Exi in vias et sepes, et compelle intrare, ut impleatur domus mea.

1. — « *In vias et sepes*, id est, extra Judæam, » inquit Lyranus, « discurrendo ad populum gentilem, sicut fecerunt Apostoli. » Jansenius per illos, qui foris extra civitatem, per vias et sepes congregati fuerunt, Gentiles denotari : « Ad quos sine lege « Dei viventes vitam plane incompositam, et in « viarum varietate errantes, post Judæorum voca- « tionem missi sunt Apostoli. »

2. — Albertus Magnus ait : « *Viæ* autem sunt hic « vocatæ omnis modus vivendi, quo quilibet sine « lege aliqua vixit pro libitu suæ voluntatis. » Et quidem in hasce vias Doctor gentium egressus est, qui ad Corinthios, I *Epist.*, IX, 21, ita scribit : *His qui sine lege erant*, etc.

3. — S. Ambrosius dicit : « Per illos, qui vocan- « tur de viis, significatur illi, qui licet adhuc sint « extra viam quæ ducit ad vitam, tamen quodam- « modo in viam se præparant, nam prope viam « est, qui habet voluntatem benefaciendi. »

4. — Glossa ita explicat : « Mittit ad vias, cum « illos vocat, qui jam in bona voluntatis tramite « constituti sunt, nullis cupiditatibus temporalium « occupati. »

5. — Hugo Cardinalis optime considerat, quod prius invitarit illos, qui ibant per vicos et plateas : *In plateas et vicos civitatis*, postea vero miserit invitatores quoque ad illos, qui in viis publicis et inter sepes morabantur, ut exinde denotaret duo genera hominum, civium videlicet et rusticorum : « Ut per « illos, qui vocantur de vicis et plateis intelligantur « Judæi, tanquam cives, id est, legem ac Prophetas, « ac eloquia Domini habentes; per eos, qui de viis « et sepibus, intelligantur Gentiles, quasi inculti et « agrestes, id est, legem et Prophetas, et eloquia « Domini ignorantes. »

Et sepes.

6. — Glossa ita scribit : « Mittit ad sepes, cum « eos vocat qui culta ab incultis secernunt, et « incursus arcent bestiarum, id est, bona a malis « distinguunt, et munimenta fidei adversus diaboli « testamenta obtendunt. »

7. — S. Bonaventura per has vias et sepes, quæ foris extra civitatem consistunt, peccatores interpretatur : « Per vias et sepes, quæ sunt extra « urbem, intelliguntur peccatores qui sunt extra « Ecclesiæ unitatem. »

8. — Albertus Magnus per hasce sepes, sectas intelligit antiquorum philosophorum : « Sepes au- « tem sunt modi vivendi, legibus et statutis quasi « quibusdam sepibus obfirmati, sicut antiquitus « quidam vivebant in legibus Pythagoræ, quidam « Solonis, etc. »

9. — Jansenius per hos, ultimo loco vocatos, antipodas nationesque magis barbaras et remotas vult posse intelligi : « Intelligendi quilibet obscuri « populi in extremis orbis angulis commorantes, « ad quos deinde Prædicatorum ordo extrusus est, « et in finem usque sæculi extrudetur, quousque « impleatur electorum numerus. » Pro cujus meliori evidentia advertendum est, quod hi non tam invitentur, quam cogantur : *Compelle intrare*, quia priusquam religio Christiana in multas novi mundi partes introduci posset, easdem per exercitus armatos, Principibus Christianis subjugare necessum fuit.

Et compelle intrare.

10. — Dionysius Carthusianus monet, non esse absolute intelligendum, quod Deus homini violentiam inferat, siquidem de homine certum est quod *reliquit illum in manu consilii sui*, « ita quod ait : « *Compelle intrare*, non intelligitur de coactione « absoluta, atque omnimoda, quia sic liberum « arbitrium cogi non potest, nec Deus vult habere « coacta obsequia, sed aliquali et inductiva. » Ex modo, quo Deus nonnullas animas convertit, inquit Cajetanus, videtur secundum nostrum modum judicandi, quod Deus certo quodam modo cogat, adducatque Sauli exemplum inquiens : « Considera con- « versionem Pauli, et videbis compellere intrare; « si sciremus, quibus viis Deus aliquos convertit, « videremus pluries impleri, quod compellantur « intrare, non quod compellatur voluntas, sed « mutantia voluntatem talia sunt, ut compellatur « quis mutare voluntatem. » Lucas Brugensis quoque modum declarat, quo arbitrii libertatem salvat, ipsaque anima per amabilem quamdam et suavem violentiam a Deo inducitur : « Non quod aliqui « inviti adducantur, sed quod per hujusmodi exte- « riora adhibita fiat, ut ex nolentibus reddantur « volentes, gratia Christi intus cooperantes. » Didacus Stella alios quosdam modos, ab infinita illa Sapientia et pietate, quæ *vult omnes salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire*, excogitatos nobis insinuat. « *Primo*, ostendendo voluntati nostræ tan- « tum bonum ut ipsa non possit non appetere « illud. *Secundo* removendo et abscondendo omne « malum, et cum objectum voluntatis sit bonum « tantum bonum potest voluntati repræsentare, ut « non possit non amare illud, quod videt bonum « et, isto modo, liberum hominis arbitrium subjici- « tur Deo, quod compellere voluntatem non est. » S. Augustinus ait : « Abstrahantur a sepibus, a « spinis, sed cogi nolunt; voluntate, inquiunt, « nostra intremus. » Idem quoque sanctus Pater bene observat, quod hic Paterfamilias non jussit, ut aliquam ad cœnam frequentandam inferrent violentiam, sed supposita hac angustia, qua inter sepes et spinas anxii erant, sequebatur, quod invitati suam essent ad cœnam inclinaturi volun-

tatem : « Non hoc Dominus imperavit, *cogé*, » inquit, « *intrare*; sed foris inveniatur necessitas, » nascitur inde voluntas. »

11. — Non defuere Expositores, qui hanc compulsionem de adversitatibus sunt interpretati, utpote qua sæpenumero reducimur ad pœnitentiam : « Hoc quoque notandum, » inquit Dionysius Carthusianus, « quod Deus interdum vocat inspira« tione interna, interdum prædicatione externa, « aliquando beneficiis, aliquando flagellis. » Quo etiam spectat celebris illa S. Gregorii sententia, dicentis : « Mala quæ nos hic premunt, ad Deum « ire compellunt. » Glossa insuper notat, quod Paterfamilias hac ultima vice non jusserit servo suo, ut invitaret, sed dixerit : *Compelle intrare* : « Qui enim hujus mundi adversitatibus fracti, ad « Dei amorem redeunt, atque a præsentis vitæ « desideriis corriguntur, illi non nisi compulsi « intrant. » Ejusdem quoque sententiæ Hugo Cardinalis fuit, dum ait : « Dominus quosdam compel« lit, quos scilicet adversitate vel infirmitate, vel « paupertate, vel tentatione ad pœnitentiam vocat; » adducitque illud S. Augustini dictum : « Felix ne« cessitas, quæ nos ad meliora compellit; » Deus etenim interdum nostris se opponit consiliis et conatibus, vel, ut spem conceptam, aut longæ alicujus servitutis merita amittamus, efficit, ne prosperemur in hac vita; diversa nobis in viam, qua tendimus impedimenta objicit, ne ad concupitam pertingere valeamus carnalem delectationem; vel etiam in pœnam illius incurabili nos infirmitate punit, *Ose.*, II, 6 : *Sepiam viam tuam spinis*, ut a malis viis nostris redeuntes et resipiscentes ad hanc æternæ beatitudinis cœnam aditum habere valeamus, *Psal.* LXXXII, 17 : *Imple faciem eorum ignominia, et quærent nomen tuum, Domine.*

12. — Adhæc S. Augustinus, *Serm.* CCIV, observat, quod Paterfamilias quoad primos invitatos servis suis jusserit : *Introduc huc*, non vero item quoad ultimos, sed circa hos præcepit, dicens : *Compelle intrare*; « ita significata sunt Ecclesiæ pri« mordia adhuc crescentis, ut essent vires etiam « compellentis. »

13. — Verbum hoc, inquit Jansenius, « indicat « ardens desiderium, et summam liberalitatem « Domini, cupientis suas delicias quamplurimis « communicare, » vult enim, ut ita dicam, vim nobis inferre ad recipiendos et acceptandos ejus favores et gratias.

14. — Idem quoque in hisce verbis denotatam esse considerat prædicationis Evangelicæ efficaciam : « Quæ effectura erat, ut Ethnici, qui belluino « potius quam humano more degebant tam subito, « ac in tanta multitudine ad tantam philosophiam « eveherentur, ut videri possint coacti, et vis quæ« dam illis illata, I *Cor.*, II, 4 : *Non in persuasibili« bus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione « spiritus et virtutis. Thessal.*, I, 5 : *Evangelium « nostrum non fuit ad vos in sermone tantum, sed « in virtute, et in Spiritu Sancto, et plenitudine « multa.* » Motiva porro, quæ illos constringebant ad credendum in Christum, seu quod idem est, ad acceptandam hanc cœnam, multa erant. Idem Jansenius ex illis multis pauca quædam enumerat, dicens, id factum esse « in miraculorum opera« tione, in prædicationis et doctrinæ assiduitate et « constantia, in vitæ sinceritate et integritate. » Compulsio ista, inquit Albertus Magnus, « fit vir« tute veritatis; » nostræ etenim fidei veritas valde evidenter apparebat. Unde Propheticum illud verificabatur oraculum, *Psalm.* XCI, 5 : *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis*, huic quoque jungebatur legis, quæ annuntiabatur intemerata sanctitas, *Psal.* XVIII, 8 : *Lex Domini immaculata convertens animas, testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis.* Valde etiam efficax ad credendum motivum erat omnium Prædicatorum Apostolicorum mutua inter se unio et concordia, exemplaritas item et heroicarum virtutum, quæ in illis eminebant, specimina, et specialiter unitas dogmatum, quæ omni in loco prædicabant, denique sanguinis, qui passim ab innumeris effundebatur fidelibus, ad ejusdem, quam annuntiabant, fidei veritatem testificandam.

15. — *Compelle*, etc., id est, ut Dionysius Carthusianus explicat : « Quasi importune, et per « comminationes damnationis æternæ instiga illos, « ut convertantur, prout ait Apostolus : *Prædica « verbum opportune*, etc. *Argue, obsecra, increpa*, « etc. » S. Bonaventura pariter sic exponit : « *Com« pelle* comminatione æternorum suppliciorum et « ostensione præsentium. »

16. — Theophylactus a Glossa citatus, eos, qui ad cœnam invitati erant, pauperes et egenos fuisse consideraus, hoc inde elicit salutare monitum : « Docet nos parabola hæc simplicibus, pauperibus, « et debilibus potius, quam divitibus dandum; « discimus et aliud, debere nos esse alacres et « liberales ad pauperum susceptionem, atque etiam « ita nolentes cogamus eos ut participes fiant bo« norum nostrorum. » Discipuli qui in Emmaus contendebant Salvatorem quem pauperem peregrinum esse existimabant, invitarunt, ut se una cum ipsis manducando, reficeret : *Et coegerunt illum dicentes : Mane nobiscum, Domine.* Hujus autem hospitalitatis, eidem suavi quadam cum violentia exhibitæ fructus fuit, quia *cognoverunt eum.* Ubi S. Gregorius ait : « Ex quo nimirum exemplo colligi« tur, quia peregrini ad hospitium non solum « invitandi sunt, sed etiam trahendi. »

Ut impleatur domus mea.

17. — S. Bonaventura *Serm.* II *in hac Dom.*, ait : « Domus Domini implebitur, quando ruinæ « Angelorum implebuntur. » *Psal.* CIX, 6 : *Implebit ruinas*; citatque S. Bernardum, qui animas ad beatam hanc cœnam hisce verbis invitat : « Currite, « fratres, currite, nam non solum Angeli, sed ipse « Creator Angelorum vos exspectat; nondum plena « est domus, adhuc exspectantur, de quibus nuptiæ « impleantur. »

18. — Albertus Magnus immensam Dei nostri ad communicandum bona sua æterna aviditatem, his verbis ponderat : « Hoc totum studium, tota « cura est istius magni Patrisfamilias, ut bonis suis « non solus perfruatur, sed multi. » *Psal.* LXIV, 5 : *Replebimur in bonis domus tuæ.*

Additio.

a. — *Exi in vias et sepes, et compelle intrare.* Non hoc dicit quasi vocatione minuatur libertas, solus enim hæreticus hoc astruet, sed hoc loquendi methodo utitur, ut parabolæ metaphora retineatur. Sermo enim erat ad homines tanquam belluinos et sylvestres, et ideo ait quod more bellnarum compellere debeat intrare in ovile Christi, illæsa eorum libertate; variis tamen mediis quidem compellit Deus, maxime tamen tribulationibus, quæ nos angustent et mala cogant mutare itinera.

VERSUS 24.

Dico autem vobis, quod nemo virorum illorum, qui invitati sunt, gustabit cœnam meam.

Dico autem vobis.

1. — « Hoc est, » ait Albertus Magnus : « Ego qui « sum veritas hoc dico, unde alibi dicitur, quod « juravit. » *Ps.* XCIV, 11 : *Quibus juravit in ira mea, si in requiem meam introibunt.*

Nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cœnam meam.

2. — Non est hoc ita intelligendum, quasi nullus ex Judaismo futurus sit salvus, inquit Lyranus : « Sed quia pauci comparative, sicut communi modo « loquendi dicitur : Nemo est in Ecclesia, vel in « foro, quando sunt ibi pauci. Paucissimi enim de « Judæis, » inquit Albertus Magnus, « gustaverunt, « ita quod numerum inter vocatos non fecerunt. »

3. — « Valde est tremenda sententia, » inquit Venerabilis Beda. « Ecce per se vocat, per Angelos « vocat, per pastores vocat, aliquando per mundi « hujus prospera vocat, aliquando per adversa; » at tandem concludit, hoc nobis saluberrimum monitum tradens : « Nemo contemnat; ne, dum vocatus « excusat, cum voluerit intrare non valeat; » nam in Proverbiis, I, 23, dicit : *Vocavi et renuistis, ego quoque in interitu vestro ridebo.* Multi sunt adeo impii homines qui nonnunquam ad tantam perveniunt impudentiam, ut etiam ipsas res fidei in ludibrio habeant, rideantque illos, qui in timore Dei integerrime vivunt; in eodem quoque Proverbiorum capite Deus protestatur, dicens : *Tunc invocabunt me, et ego non exaudiam, mane consurgent, et non invenient me.* Stultæ virgines Evangelicæ, magna quidem cum instantia et contentione precum, ad nuptias admitti rogabant, sed dictum illis fuit : *Nescio vos*, ostiumque reperiunt firmiter obseratum : *Clausa est janua. Matth.*, XXV, 10.

4. — Unum ex atrocioribus tormentis, quæ damnatis inferenda sunt, erit non solum pœnarum infernalium atrocitas et æternitas, sed quod ab hac cœlestis gloriæ cœna semper exclusi remanebunt, quam pœnam Isaias, LXV, 13, hisce verbis prædixit : *Ecce servi mei comedent et vos esurietis; ecce servi mei bibent, et vos sitietis; ecce servi mei lætabuntur, et vos confundemini.* De iisdem quoque David, *Psal.* LVIII, 7, scribit : *Famem patientur ut canes.* De facto jam elapsi sunt anni mille sexcenti et amplius, a quibus dives epulo unicam duntaxat suspirat aquæ stillulam, quam tamen in æternum non obtinebit.

DOMINICA TERTIA POST PENTECOSTEN

EVANGELIUM LUCÆ, CAP. XV, VERS. 1.

1. Erant appropinquantes ei Publicani et peccatores, ut audirent illum.
2. Et murmurabant Pharisæi et Scribæ, dicentes : Quia hic peccatores recipit, et manducat cum illis.
3. Et ait ad illos parabolam istam, dicens :
4. Quis ex vobis homo, qui habet centum oves : et si perdiderit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta novem in deserto, et vadit ad illam, quæ perierat, donec inveniat eam?
5. Et cum invenerit eam, imponit in humeros suos, gaudens.
6. Et veniens domum, convocat amicos et vicinos, dicens illis : Congratulamini mihi, quia inveni ovem, quæ perierat?

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tatem : « Non hoc Dominus imperavit, *cogé*, » inquit, « *intrare*; sed foris inveniatur necessitas, » nascitur inde voluntas. »

11. — Non defuere Expositores, qui hanc compulsionem de adversitatibus sunt interpretati, utpote qua sæpenumero reducimur ad pœnitentiam : « Hoc quoque notandum, » inquit Dionysius Carthusianus, « quod Deus interdum vocat inspira« tione interna, interdum prædicatione externa, « aliquando beneficiis, aliquando flagellis. » Quo etiam spectat celebris illa S. Gregorii sententia, dicentis : « Mala quæ nos hic premunt, ad Deum « ire compellunt. » Glossa insuper notat, quod Paterfamilias hac ultima vice non jusserit servo suo, ut invitaret, sed dixerit : *Compelle intrare* : « Qui enim hujus mundi adversitatibus fracti, ad « Dei amorem redeunt, atque a præsentis vitæ « desideriis corriguntur, illi non nisi compulsi « intrant. » Ejusdem quoque sententiæ Hugo Cardinalis fuit, dum ait : « Dominus quosdam compel« lit, quos scilicet adversitate vel infirmitate, vel « paupertate, vel tentatione ad pœnitentiam vocat; » adducitque illud S. Augustini dictum : « Felix ne« cessitas, quæ nos ad meliora compellit; » Deus etenim interdum nostris se opponit consiliis et conatibus, vel, ut spem conceptam, aut longæ alicujus servitutis merita amittamus, efficit, ne prosperemur in hac vita; diversa nobis in viam, qua tendimus impedimenta objicit, ne ad concupitam pertingere valeamus carnalem delectationem; vel etiam in pœnam illius incurabili nos infirmitate punit, *Ose.*, II, 6 : *Sepiam viam tuam spinis*, ut a malis viis nostris redeuntes et resipiscentes ad hanc æternæ beatitudinis cœnam aditum habere valeamus, *Psal.* LXXXII, 17 : *Imple faciem eorum ignominia, et quærent nomen tuum, Domine.*

12. — Adhæc S. Augustinus, *Serm.* CCIV, observat, quod Paterfamilias quoad primos invitatos servis suis jusserit : *Introduc huc*, non vero item quoad ultimos, sed circa hos præcepit, dicens : *Compelle intrare*; « ita significata sunt Ecclesiæ pri« mordia adhuc crescentis, ut essent vires etiam « compellentis. »

13. — Verbum hoc, inquit Jansenius, « indicat « ardens desiderium, et summam liberalitatem « Domini, cupientis suas delicias quamplurimis « communicare, » vult enim, ut ita dicam, vim nobis inferre ad recipiendos et acceptandos ejus favores et gratias.

14. — Idem quoque in hisce verbis denotatam esse considerat prædicationis Evangelicæ efficaciam : « Quæ effectura erat, ut Ethnici, qui belluino « potius quam humano more degebant tam subito, « ac in tanta multitudine ad tantam philosophiam « eveherentur, ut videri possint coacti, et vis quæ« dam illis illata, I *Cor.*, II, 4 : *Non in persuasibili« bus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione « spiritus et virtutis. Thessal.*, I, 5 : *Evangelium « nostrum non fuit ad vos in sermone tantum, sed « in virtute, et in Spiritu Sancto, et plenitudine « multa.* » Motiva porro, quæ illos constringebant ad credendum in Christum, seu quod idem est, ad acceptandam hanc cœnam, multa erant. Idem Jansenius ex illis multis pauca quædam enumerat, dicens, id factum esse « in miraculorum opera« tione, in prædicationis et doctrinæ assiduitate et « constantia, in vitæ sinceritate et integritate. » Compulsio ista, inquit Albertus Magnus, « fit vir« tute veritatis; » nostræ etenim fidei veritas valde evidenter apparebat. Unde Propheticum illud verificabatur oraculum, *Psalm.* XCI, 5 : *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis*, huic quoque jungebatur legis, quæ annuntiabatur intemerata sanctitas, *Psal.* XVIII, 8 : *Lex Domini immaculata convertens animas, testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis.* Valde etiam efficax ad credendum motivum erat omnium Prædicatorum Apostolicorum mutua inter se unio et concordia, exemplaritas item et heroicarum virtutum, quæ in illis eminebant, specimina, et specialiter unitas dogmatum, quæ omni in loco prædicabant, denique sanguinis, qui passim ab innumeris effundebatur fidelibus, ad ejusdem, quam annuntiabant, fidei veritatem testificandam.

15. — *Compelle*, etc., id est, ut Dionysius Carthusianus explicat : « Quasi importune, et per « comminationes damnationis æternæ instiga illos, « ut convertantur, prout ait Apostolus : *Prædica « verbum opportune*, etc. *Argue, obsecra, increpa*, « etc. » S. Bonaventura pariter sic exponit : « *Com« pelle* comminatione æternorum suppliciorum et « ostensione præsentium. »

16. — Theophylactus a Glossa citatus, eos, qui ad cœnam invitati erant, pauperes et egenos fuisse consideraus, hoc inde elicit salutare monitum : « Docet nos parabola hæc simplicibus, pauperibus, « et debilibus potius, quam divitibus dandum; « discimus et aliud, debere nos esse alacres et « liberales ad pauperum susceptionem, atque etiam « ita nolentes cogamus eos ut participes fiant bo« norum nostrorum. » Discipuli qui in Emmaus contendebant Salvatorem quem pauperem peregrinum esse existimabant, invitarunt, ut se una cum ipsis manducando, reficeret : *Et coegerunt illum dicentes : Mane nobiscum, Domine.* Hujus autem hospitalitatis, eidem suavi quadam cum violentia exhibitæ fructus fuit, quia *cognoverunt eum.* Ubi S. Gregorius ait : « Ex quo nimirum exemplo colligi« tur, quia peregrini ad hospitium non solum « invitandi sunt, sed etiam trahendi. »

Ut impleatur domus mea.

17. — S. Bonaventura *Serm.* II *in hac Dom.*, ait : « Domus Domini implebitur, quando ruinæ « Angelorum implebuntur. » *Psal.* CIX, 6 : *Implebit ruinas*; citatque S. Bernardum, qui animas ad beatam hanc cœnam hisce verbis invitat : « Currite, « fratres, currite, nam non solum Angeli, sed ipse « Creator Angelorum vos exspectat; nondum plena « est domus, adhuc exspectantur, de quibus nuptiæ « impleantur. »

18. — Albertus Magnus immensam Dei nostri ad communicandum bona sua æterna aviditatem, his verbis ponderat : « Hoc totum studium, tota « cura est istius magni Patrisfamilias, ut bonis suis « non solus perfruatur, sed multi. » *Psal.* LXIV, 5 : *Replebimur in bonis domus tuæ.*

Additio.

a. — *Exi in vias et sepes, et compelle intrare.* Non hoc dicit quasi vocatione minuatur libertas, solus enim hæreticus hoc astruet, sed hoc loquendi methodo utitur, ut parabolæ metaphora retineatur. Sermo enim erat ad homines tanquam belluinos et sylvestres, et ideo ait quod more bellnarum compellere debeat intrare in ovile Christi, illæsa eorum libertate; variis tamen mediis quidem compellit Deus, maxime tamen tribulationibus, quæ nos angustent et mala cogant mutare itinera.

VERSUS 24.

Dico autem vobis, quod nemo virorum illorum, qui invitati sunt, gustabit cœnam meam.

Dico autem vobis.

1. — « Hoc est, » ait Albertus Magnus : « Ego qui « sum veritas hoc dico, unde alibi dicitur, quod « juravit. » *Ps.* XCIV, 11 : *Quibus juravit in ira mea, si in requiem meam introibunt.*

Nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cœnam meam.

2. — Non est hoc ita intelligendum, quasi nullus ex Judaismo futurus sit salvus, inquit Lyranus : « Sed quia pauci comparative, sicut communi modo « loquendi dicitur : Nemo est in Ecclesia, vel in « foro, quando sunt ibi pauci. Paucissimi enim de « Judæis, » inquit Albertus Magnus, « gustaverunt, « ita quod numerum inter vocatos non fecerunt. »

3. — « Valde est tremenda sententia, » inquit Venerabilis Beda. « Ecce per se vocat, per Angelos « vocat, per pastores vocat, aliquando per mundi « hujus prospera vocat, aliquando per adversa; » at tandem concludit, hoc nobis saluberrimum monitum tradens : « Nemo contemnat; ne, dum vocatus « excusat, cum voluerit intrare non valeat; » nam in Proverbiis, I, 23, dicit : *Vocavi et renuistis, ego quoque in interitu vestro ridebo.* Multi sunt adeo impii homines qui nonnunquam ad tantam perveniunt impudentiam, ut etiam ipsas res fidei in ludibrio habeant, rideantque illos, qui in timore Dei integerrime vivunt; in eodem quoque Proverbiorum capite Deus protestatur, dicens : *Tunc invocabunt me, et ego non exaudiam, mane consurgent, et non invenient me.* Stultæ virgines Evangelicæ, magna quidem cum instantia et contentione precum, ad nuptias admitti rogabant, sed dictum illis fuit : *Nescio vos*, ostiumque reperiunt firmiter obseratum : *Clausa est janua. Matth.*, XXV, 10.

4. — Unum ex atrocioribus tormentis, quæ damnatis inferenda sunt, erit non solum pœnarum infernalium atrocitas et æternitas, sed quod ab hac cœlestis gloriæ cœna semper exclusi remanebunt, quam pœnam Isaias, LXV, 13, hisce verbis prædixit : *Ecce servi mei comedent et vos esurietis; ecce servi mei bibent, et vos sitietis; ecce servi mei lætabuntur, et vos confundemini.* De iisdem quoque David, *Psal.* LVIII, 7, scribit : *Famem patientur ut canes.* De facto jam elapsi sunt anni mille sexcenti et amplius, a quibus dives epulo unicam duntaxat suspirat aquæ stillulam, quam tamen in æternum non obtinebit.

DOMINICA TERTIA POST PENTECOSTEN

EVANGELIUM LUCÆ, CAP. XV, VERS. 1.

1. Erant appropinquantes ei Publicani et peccatores, ut audirent illum.
2. Et murmurabant Pharisæi et Scribæ, dicentes : Quia hic peccatores recipit, et manducat cum illis.
3. Et ait ad illos parabolam istam, dicens :
4. Quis ex vobis homo, qui habet centum oves : et si perdiderit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta novem in deserto, et vadit ad illam, quæ perierat, donec inveniat eam?
5. Et cum invenerit eam, imponit in humeros suos, gaudens.
6. Et veniens domum, convocat amicos et vicinos, dicens illis : Congratulamini mihi, quia inveni ovem, quæ perierat?

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

7. Dico vobis, quod ita gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentia?

8. Aut quæ mulier habens drachmas decem, si perdiderit drachmam unam, nonne accendit lucernam, et evertit domum, et quærit diligenter, donec inveniat?

9. Et cum invenerit, convocat amicas et vicinas, dicens : Congratulamini mihi, quia inveni drachmam, quam perdideram.

10. Ita dico vobis, gaudium erit coram Angelis Dei, super uno peccatore pœnitentiam agente.

VERSUS 1.

Erant appropinquantes ei Publicani et peccatores, ut audirent illum.

Erant appropinquantes.

1. — Ex quo, ut habet, axioma a Spiritu Sancto Psalmista dictatum, *Psal.* CXVIII, 155, *Longe est a peccatoribus salus*, quomodo igitur S. Lucas asserere potuit : *Erant appropinquantes*, etc. ?

2. — Salmeron super hæc verba, ita respondet : « Ad Jesum accedere, non est peccatoris, ut talis « est, quemadmodum nec tenebrarum est accedere « ad lumen, vel infirmitatis ad salutem. » Prius Deus peccatori, per gratiam excitantem et auxilia sua, appropinquat, ut peccator ad ipsum appropinquare possit : « Quod ergo venirent ad Jesum, Dei « trahentis erat, qui bonam naturam et a se condi- « tam, per spiritualem quamdam suavitatem et « internam dulcedinem juvantibus Angelis et ipsa « lenocinante humanitate, ad Jesum invitabat. »

3. — In libro Judith, VIII, 21, dicitur : *Et nunc fratres, quoniam vos estis presbyteri in populo Dei, et ex vobis pendet anima illorum.* Quis obsecro adeo futurus fuisset præsumptuosus et arrogans, ut Deo irato millenisque modis a nobis offenso auderet appropinquare? maxime cum de ipso legamus, *Job.*, XXII, 14 : *Circa cardines cœli perambulat*; ut igitur peccatoribus facile esset peccatorum suorum accipere veniam, disposuit, ut appropinquemus ad ipsum, ad Sacerdotes, qui ipsum repræsentant, appropinquando. *Ne dixeris in corde tuo, quis ascendet in cœlum?* Ad hoc enim non adstringimur : *Sed quid dicit Scriptura? Prope est verbum in ore tuo et in corde tuo.* Etenim Deus noster per peccatorum veniam vicinissimus nobis est et proxime adstat; in corde quidem, per viam contritionis, in ore vero per confessionem sacramentalem : *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Rom.*, XXX, 10.

4. — Hugo Cardinalis ait : « Appropinquantibus « autem Christo, corde et corpore, veniam postu- « lando, appropinquat et ipse, gratiam infun- « dendo. » Lyranus hanc approximationem fieri dicit, per conceptum a peccatore, emendationis et resipiscentiæ propositum : « Ex proposito emenda- « tionis vitæ. » Salmeron ait : « Appropinquabant « peccatores Deo per pœnitentiam et Christus eis « appropinquabat per gratiam. » Lucas Brugensis monet, ne quispiam sibi persuadeat publicanos et peccatores ad Salvatorem appropinquasse, veluti ad vitiorum et scelerum suorum fautorem : « Non « accesserunt ad Jesum, ut ad fautorem scelerum « ac peccatorum suorum, sed ut ægroti ad medi- « cum, ut sanarentur. »

5. — S. Augustinus illos ad Salvatorem, per ejus imitationem et similitudinem appropinquasse dicit : « Propinquare illi, est similem illi fieri, « recedere ab eo, dissimilem illi fieri. »

Ei.

6. — Peccatores sub tenebris in abyssum inferni abeunt; peccata enim per tenebras figurantur : *Abjiciamus opera tenebrarum*; ad hasce autem tenebras depellendas, necessarium est, appropinquare ad lucem illam, quæ est *lux vera, quæ illuminat omnem hominem*; ac proinde saluberrime David, *Psal.* XXXIII, 6, monebat : *Accedite ad eum et illuminamini et facies vestræ non confundentur.*

7. — S. Jacobus Apostolus hoc quoque nobis suggerit consilium, *Jacob*, IV, 8 : *Appropinquate Deo et ipse appropinquabit vobis*; quisnam autem in hac appropinquatione modus observandus sit, immediate post declarat, dum ait : *Emundate manus peccatores, et purificate corda*; et quidem vox *corda*, hoc loco non vacat mysterio, siquidem necessum est, ut per dolorem et contritionem internam, « nobis emundetur conscientia; unde olim de qui- « busdam populi sui conquerebatur, per os Isaiæ, « XXII, 13, ita dicens : *Appropinquat populus iste ore suo, cor autem ejus longe est a me.* In Zacharia, I, 3, legimus; *Convertimini ad me et ego convertar ad vos.*

8. — Et quidem nos, qui sumus peccatores, in lege gratiæ hanc habemus præ cæteris veteris legis peccatoribus prærogativam, quod Christus suum de facto sanguinem fuderit, id quod illo tempore nondum factum fuerat et tamen, ut S. Hieronymus, *cap.* II *ad Ephes.*, testatur : *Absque cruore Domini Jesu, nemo appropinquat Deo.*

Publicani et peccatores.

9. — Ecce tibi societatem et famulitium et comitatum, de quo singulariter sublimis ille Monarcha gloriatur, in cujus femore scriptum legitur

Rex Regum et Dominus dominantium; qui in eo suam præcipue omnipotentiam manifestat, quod titiones inferni, in Seraphinos transmutet Paradisi, *Isa.*, XIII, 20 : *Glorificabit me bestia agri, dracones et struthiones*, id est, ut Lyranus exponit : « Illi qui « ante conversionem bestialiter et crudeliter vive- « bant. » Enormissimi peccatores tandem conversi, majus obsequium et gloriam attulerunt Deo, de quo nos cum Ecclesia Dei protestamur : « Deus, qui « omnipotentiam tuam parcendo maxime et mise- « rando manifestas. » Et ideo Dei Filius, ut suum de morte, peccato et inferno gloriose reportatum triumphum, gloriosiorem efficeret, magisque conspicuum, latronem quemdam conversum secum conducere voluit quem præ cunctis aliis regni sui participem effecit : *Hodie mecum eris in Paradiso*; « non conculcans Paradisum istius pietatis opere, « sed honorans, » ait S. Augustinus, « et illustrans; « honor namque Paradisi est, talem habere Domi- « num, qui etiam latronem dignum facere possit « Paradiso deliciarum; » et ideo sceleratissimi peccatores, tandem ad pœnitentiam reducti, regni ejus principes atque magnates existunt.

10. — Sciendum quoque est, quod Christus in hoc eodem capite, præter duas parabolas Pastoris et mulieris, drachmam suam amittentis, aliam quoque tertio loco de filio prodigo adjiciat, idque, ut S. Ambrosius advertit : « Ut triplici remedio provo- « cati, vulnera nostra curemus, Deus Pater, Chris- « tus Pastor, mulier Ecclesia. Christus suo corpore « vehit, qui tua in se peccata suscepit; quærit te « Ecclesia; recipit Pater. »

Ut audirent illum.

11. — Ecce tibi finem, quem habuere, qui sequebantur Christum, nimirum ut aures et multo magis cor divinæ ejus voci, divinisque inspirationibus aperirent, non enim sequebantur illum ad continuandam culpam, sed ad consequendam veniam : « Non ob curiositatem alendam, ut multi, » inquit Salmeron, « nec ob malitiam, ut caperent eum in « sermone, quemadmodum Pharisæi, sed ut audi- « rent ad salutem; » quem proinde finem adeo rectum Cajetanus in hominibus, antea impiis et sceleratis, maximopere admiratur : « Sanctus finis, » inquit, « impertiendus omnibus. »

12. — Valde admirandos, in ordine ad impiorum conversionem verbi Dei, in sacra Scriptura legimus effectus. Psalmista inquit, *Psal.* CVI, 20 : *Misit verbum, et sanavit eos; eripuit eos de interitionibus eorum*, et apud Jeremiam, XXIII, 29, Deus dicit : *Nonne verba mea quasi ignis sunt et quasi malleus conterens petras?* Famosa est illa Poetarum fabula, in qua refertur, quod Amphion harmoniæ suavitate, ad ædificanda Thebarum mœnia, ligna, silices et marmora, post se traxerit; sed solidior longe est veritas ista Catholica, qua civitatem Dei ex lapidibus, id est, animabus, lapidis instar in peccatis suis induratis, demum vero in virtute vocis Dei ad pœnitentiam reductis, ædificatam esse novimus : « Con- « stituitur in cœlis vivis ex lapidibus, » canit de cœlesti Jerosolyma sancta Mater Ecclesia. Et S. Petrus ait ad Christum : *Verba vitæ æternæ habes*, quod liquido satis in hisce visum est verum esse Publicanis, siquidem hi in unico momento, ad unicam Christi vocem transmutati sunt in Apostolos, *Matth.*, IX, 9 : *Vidit hominem sedentem in telonio et ait illi : Sequere me, et surgens secutus est eum.* Similiter alius ille Publicanorum princeps, ejusdem Christi vocem vix audierat, dicentis : *Descende*, cum ecce repente factus est sanctus, non solum ipse, sed et universa familia ejus : *Hodie huic domui salus a Deo facta est, venit enim Filius hominis quærere et salvum facere quod perierat. Luc.*, XIX, 9.

Additiones.

a. — *Erant appropinquantes ei Publicani et peccatores, ut audirent illum.* Clare hic Dominus ostendit adventus sui finem, qui juxta Apostolum erat peccatores salvos facere. Ideo namque cum tanta patientia et longanimitate illos expectat, æternæ condemnationis executionem suspendendo, multaque auxilia et gratias conferendo. Nulla dari potest divinæ erga nos beneficentiæ major et evidentior demonstratio, quam si Deus nos, postquam illum mortaliter offendimus, a pœnarum infernalium æternitate eximat. Ac proinde David aduiterii et homicidii a se commissi memor, videnque se ab imminenti æternæ perditionis supplicio præservatum, inquit, *Psal.* XCIII, 17 : *Nisi quia Dominus adjuvit me, paulo minus habitasset in inferno anima mea.* Enimvero ut omnes theologi docent, in eodem momento quo anima mortalis culpæ rea constituitur, gratiam et amicitiam Dei amittit, tanquam exul a cœlo proscribitur, omnium meritorum et bonorum operum patitur jacturam, velut mancipium dæmoni subjicitur, et ad ignem sempiternum condemnatur; quæ sententia a spiritibus rebellibus utique, sine ulla dilatione executioni mandaretur. Sed quis est qui pro hujus gravissimi supplicii executione suspendenda se interponit? Idem ille qui utpote injuriatus et offensus, idem supplicium quam maxime deberet accelerare. Et tamen Psalmista ait : *Nisi quia Dominus adjuvit me, paulo minus habitasset in inferno anima mea.* Ille inquam, Dominus, cui postea dicit : *Tibi soli peccavi, et malum coram te feci*, Deus ab hoc vermiculo, ab hoc ex luto formato homine injuriatur et offenditur, et tamen pro nobis ab inferno eximendis se interponit. Unde idem David alibi ait : *De abyssis terræ reduxisti me.* Quia quando animam suam adulterio coinquinaverat, jam de facto, uno quasi pede, in inferno constitutus erat, unde illum Deus eripuit, potentis et efficacis gratiæ manum ei porrigendo :

« Ego te offendebam, » inquit S. Augustinus, « et tu « me defendebas; inimico meo me exhibebam, et « tu ipsum ne me arriperet deterrebas. Quoties ego « peccavi et ille stabat paratus ut me raperet? » Quot animæ justo Dei judicio in barathrum delapsæ inextinguibiliter ardent, ob unicam duntaxat culpam mortalem commissam, et tamen is *qui bene omnia fecit*, et qui *omnia quæ fecit, in vero judicio fecit*, tot mensibus et annis me innumeris peccatis onustum æquanimiter sustinuit, et in statum salutis perduxit? S. Bonaventura fidelem quamdam animam his verbis alloquitur : « Heu quanto tempore « te in peccatis tuis toleravit; et quot et quantos « ante tuam conversionem in peccatis damnavit, et « te semper peccantem misericorditer expectavit? » S. Antoninus inquit : « Ab interitu infernali redimit « Deus hominem toties quoties mortale remisit. » Deus beatæ Mechildi quondam dixit : « Bonum est « homini, bonum est, ut sæpe recogitet quam bene « de ipso cogitaverim, quamque amanter illum « respexerim, etiam cum in peccatis jaceret, et « quam benigne mala ejus in bonum converte- « rim. » Imo non morti solum, dæmonio, totique inferno, ne nostram ream Deoque rebellem animam deglutiat, se opponit Deus, sed insuper refrenat omnesque continet creaturas, ne impios nostros, in Creatorem factos, vindicent insultis. « Cum ergo « te Deum omnium Creatorem offendi, » ait S. Augustinus, *Medit.*, XII, « omnem creaturam quan- « tum spectat ad meritum meum, in iram commovi, « ita ut merito pro te pugnaret adversum me totus « orbis terrarum. Posset enim terra dicere mihi : « Non debeo te sustinere, sed potius absorbere, « quoniam a Creatore meo non timuisti peccando « recedere, et inimico, scilicet diabolo adherere. « Posset dicere sol : Non debeo tibi ad salutem « lucere, sed ad vindictam Domini mei qui est « lux et fons luminis, penitus tibi radios meos « abscondere. Sic etiam cuncta quæque creatura « ad ulciscendum tantam injuriam sui Creatoris, « nisi impetum cohiberet ipse qui eas condidit. »

b. — Cum taurus, carcere quo detinetur, solutus, in forum, vel in arenam vi maxima erumpit, nemo propius accedere audet; qui vero prope taurum sunt retorquente tauro caput, statim maximo territi pavore fugiunt, in vallumque seu quæcumque alia receptacula se conjiciunt, ut vim incedentis tauri devitare possint. Verum si postea taurus curru fortiter astringatur, vel jugo subjiciatur, quilibet impune cominus accedit, ut vel etiam puer cornu audeat tenere. Hoc igitur modo, in lege veteri, nemo Deo appropinquare audebat, nam, quasi taurus ferus, temere accedentem interficiebat. Accessit ad Deum Oza, arcamque tetigit et statim interiit. Verum posteaquam amore victus, se humanitati tradidit, naturæque humanæ jugum subiit, hominum charitate devictus, tanquam agnus mansuetus factus est, adeo ut publicanos, peccatores, meretrices, latrones, claudos, cæcos et paralyticos, leprosos et mendicos, cæteramque miserorum hominum turbam, facillimo animo accipiat, summoque amore complectatur. Neminem Filius Dei rejicit, nullius plagæ, aut miseriæ, illi nauseam movere possunt, sed cum sit summa bonitas et munditia, facili, alacrique vultu, luxuriosos et abominabiles peccatores accipit, qui ab eo, non modo morte, aut aliquo supplicio non afficiuntur, verum vitam consequuntur. Sic summum zelum pius Redemptor circa salutem animarum demonstrat.

c. — Quanti Deus animas nostras etiam peccatis immersas fecerit, ex hoc patet textu, quando tam amice ac familiariter agit cum ipsis peccatoribus. Patet hinc, quanta cura et custodia Deus animam prosequatur, quantoque gaudio ob salutem ejus perfundatur.

S. Chrysostomus, *Hom.* XC *in Matth.*, hanc quam Deus gerit pro anima sollicitudinem sequentibus, paucis quidem, sed gravibus verbis exponit dicens : « Tanto studio, tantaque cura Deus dignam esse « animam ostendit, ut neque Filio suo pepercerit : « *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigeni- « tum daret, ut omnis qui credit in illum non pereat, « sed habeat vitam æternam.* » Dicitur de cura et labore, quo Deus animam hominis quæsivit, S. Bernardinus, *Serm.* LI, in hæc verba scribit : « O « quanto labore et quam ferventi amore quæsivit « animam amorosus Jesus! Virginis utero vix egres- « sus est, et dilectam animam more infantium « vocat A, A, A, id est, anima mea, anima mea, « anima te quæro. »

S. Matthæus parabolam illam refert de Rege qui præparavit nuptias filii sui, ad quas inter multos qui ad easdem convenerant, præsumptuosus ille qui, sine veste nuptiali, nuptiale triclinium ingredi præsumpserat, ad ignem condemnatus fuit : *Mittite eum in tenebras exteriores.* Quo facto sapientissimus Magister noster parabolam illam in his verbis concludit : *Multi enim sunt vocati, pauci vero electi.* Circa quæ verba merito inquirendum venit, quomodo intelligenda, cum enim unus tantum convivarum condemnatus fuerit, cæteris omnibus mensæ imperturbato animo accumbentibus, contrarium potius dicendum fuisse videtur, scilicet : *Multi electi*, non vero *pauci electi*, siquidem ex multis unus tantum periit? Ad quam difficultatem alia nequit dari responsio, quam quod Deus, unius duntaxat animæ salutem tanto in pretio et æstimatione habeat, ut dum illam perdit, innumeras perdidisse se arbitretur. Unde S. Augustinus, *Serm. de Nupt.*, ait : « Certe unus erat ille, qui non habebat « vestem nuptialem; quare dicit : *Multi sunt vocati, « pauci vero electi?* Quia in unius perditione sic « afficitur, quasi multos perderet. » Quod si nonnullas in Scripturis sacris recensitas rerum gestarum

historias examinemus, videbimus utique Deum non minus de animarum jactura dolere et tristari, quam de ipsarum lucro et salute gaudere. S. Bernardinus hac de re ita scribit : « Vir sapiens non ingemiscit « propter parvæ rei amissionem; magna profecto « est, propter quam Dei Sapientia plorat. Sed quia « Deus plorare non potest, assumpsit humanam « naturam, ut plorare possit. Semper dum in mor- « tali corpore fuit, dolnit super culpis animæ nostræ « et pro ejus curatione suspiravit ad Patrem. » Similiter dum ex eminenti quodam loco Jerosolymam in die Palmarum prospexit, amarissime flevit : *Videns civitatem, flevit super illam;* idque non tam ob desolationem et exterminium murorum, sive mœnium, siquidem integros mundos unico tantum verbulo in unico momento creare prævalebat, sed potius : « Hæc civitas animam mystice præfigurat, « et de illa Propheta inquit : *Gloriosa dicta sunt de « te civitas Dei.* Videns igitur hanc civitatem obsti- « natam in sceleribus et surdam, ex compassione « flevit. Multi et magni thesauri in mari, et alibi « amissi sunt, milleque civitates combustæ sunt « atque destructæ et tamen non legimus pro eis « Christum flevisse, sed pro anima tantum. »

d. — Nescio num vos aliquando ad id reflexeritis, quod Redemptor noster ait, dum semetipsum grano frumenti comparavit, dicens : *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet.* Hoc enim granum, ipsiusmet Dei Filium significat, qui frumentum electorum dicitur. Hoc granum frumenti, ab æterno in sinu paterno, seu potius in Cœlorum granario reconditum fuit, donec veniret hora qua ad electorum utilitatem in terram descendens in terra virginali seminatum, seu plantatum fuit. Id vero quod vel maxime admirandum venit, sunt verba illa : *Ipsum solum manet*; quasi diceret : Quamdiu granum istud de cœlo non descendit, se solum in cœlo empyreo degore arbitrabatur. Sed quomodo *solum* in cœlo *manet?* Numquid tribus in novem choros distinctis hierarchiis quaquaversum cinctum erat? Numquid cum ipso millionum innumerabilium Principatuum, Dominationum, Seraphinorum, Cherubinorum, omniumque aliorum infinitorum spirituum angelicorum cum ipso in cœlis regnabant? Pro hujus mysterii intelligentia, in memoriam revocanda est parabola illa qua Salvator ipsemet de pastore proponit, qui nonaginta novem oves in deserto reliquit et vestigia insecutus est ovis erraburndæ, quæ hominem peccatorem significabat. Scitisne causam ob quam id fecerit? Nimirum quia hominem in comparatione naturæ Angelicæ longe pluris æstimat, imo tanti illam facit ut animam humanam inter delicias suas recenseat : *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum.* Innumerabiles Thronos, Principatus, Virtutes et Dominationes, Cherubinorum et Seraphinorum exercitus, in perpetuæ puninionis barathrum præcipitari permisit, nec quicquam se pro eorum redemptione movit; non vero eodem modo animam perire permisit, quin potius dum etiamnum vix adhuc perdita esset, quod in manducatione pomi vetiti contigit, in eodem fere momento *ambulabat ad auram post meridiem.* Quonam putas hoc id fecit? Quia, « Ipse « lignum tunc notavit, damna ligni ut solveret. » Unde pluris æstimare videtur unicam solam animam, in eaque sibi complacere magis quam in omnibus Angelis simul et collective sumptis, siquidem sine animabus redemptis, Paradisum triumphantem ingredi noluit.

e. — Optime sciebat Dominus Jesus quod Scribæ et Pharisæi de ipso murmurabant, observantes eum, eo quod Publicanis et peccatoribus se ita amicabile præberet; tamen ob hanc calumniam ab opere charitatis non desistebat Dominus, tales peccatores recipiens, et admittens in sui societatem et colloquium, ut eos ad pœnitentiam invitaret, attendens magis hominum saluti, quam sui nominis claritati, ad nostrum exemplum, ut calumnias fortiter et patienter feramus; magnum siquidem eorum est meritum.

Salvator noster de semetipso ait : *Ego sum via*, et ideo errare aut deviare a cœlo non possumus, quoadusque viatores ad tanquam cœlestem patriam properamus, per Christi vestigia et semitas, progressi fuerimus. S. Augustinus, super illa verba : *Non calumnientur me superbi*, de cruce Redemptoris nostri dicit : « Hanc intuentes salutiferam crucem, « omne calumniantium superborum virus expelli- « mus. » Christus enim, quoadusque nobiscum hic in terris vixit, et præcipue in passione et morte sua falsis calumniis et accusationibus impetitus raro se defendit, adeo ut ejus hac in re taciturnitas Pilatum in non modicam rapuerit admirationem : *Et non respondit ei verbum, ita ut miraretur Præses vehementer.* Aperte namque illa de quibus Hebræi eum accusabant, evidentem in se falsitatem continere videbat, a quibus se proinde facillimo negotio purgare poterat. S. Paschasius ait : « Mirabatur « constantiam ejus; fortior namque erat in eo « virtus, quam humana natura in se habeat, et ideo « poterat non solum admirari Pilatus, verum etiam « vehementer, quoniam taceret, sine ulla defen- « sione sua. »

Tertullianus proinde suam Hebraismo improperat cæcitatem, siquidem ex hac tolerantia ipsum vere Deum esse agnoscere poterat : « Hinc maxime, « Pharisæi, Dominum cognoscere debuistis; patien- « tiam hujusmodi nemo hominum perpetraret. »

f. — Ecce tibi societatem, famulitium et comitatum de quo singulariter sublimis ille Monarcha gloriatur, in cujus femore scriptum est : *Rex regum et Dominus dominantium. Erant appropinquantes ad Jesum Publicani et peccatores.* Siquidem in eo suam præcipue omnipotentiam manifestat, quod titiones

inferni, in Seraphinos transmutet Paradisi. Ad quam conversionem valde admirandos Verbum Dei lectum habet effectus. Sed non loquitur hodie Deus nobis ore ad os; loquitur per sacram Scripturam, aut per alios libros spirituales, quorum lectio est quasi instrumentum æternæ nostræ salutis. Ille ipse qui dixit : *Ego sum ostium; per me si quis introierit salvabitur*, nos in transitu ad vitam beatam securrissimum in libris sacris, eorumque studio et lectione salvum conductum habere insinuat, dum ait : *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere*. Unde S. Chrysostomus quoque inquit : « Scripturarum lectio, cœlorum est rese- « ratio. » S. Bonaventura in sermone quodam, in sacris Litteris quantumvis forinsecus aridæ appareant, vitam tamen gratiæ latere ostendit, dicens : « Sacramenta Scripturæ quæ exterius videntur « arida, intus sunt viva; et hoc dixit Salvator « Judæis : *Scrutamini Scripturas, in quibus vos « putatis vitam æternam habere*. Nulla alia scriptura « vitam dat nisi hæc, unde Psalmista ait : *Vivifica « me secundum eloquium tuum*. » Idem quoque Seraphicus Doctor, in progressu ejusdem sermonis ulterius declarat sacram Scripturam, quatuor præcipue ob fines, a divina Providentia esse concessam, ex quibus ultimus præsenti proposito nostro apte deservit. En verba Seraphici Doctoris : « *Primo*, ad « gratiam commendandam. *Secundo*, ad introdu- « cendam fidem. *Tertio*, ad reserandam sapientiam. « *Quarto*, ad restaurandam salutem, quæ in illa « solummodo est et in nulla alia scientia est salus. » Enimvero omnes alii libri, cunctæque scientiæ naturales intellectum quidem pascunt, in auribus quoque et professionibus variis œconomicis, politicis, historicis, moralibus, astrologicis, aliisque similibus nos erudiunt. At vero sola sacra Scriptura inter omnes alios libros dux nobis est et magistra ad vitam immortalem et beatam; et ideo Seraphicus Doctor inquit : « In nulla alia scientia est salus. » Præsens hæc vita nostra quoddam est a cœlesti patria exilium, in quo viatores sumus. Unde a via recta facile declinare possemus, nisi securum viæ ducem haberemus : talis autem est lectio spiritualis. Nam ut S. Isidorus ait : « Lectio docet quid caveas; « lectio ostendit quo tendas. » Anima nostra ad gloriam cœlestem creata, aliud nequit habere obstaculum, quoniam illam ingrediatur quam culpam, quia *non intrabit in eam aliquod coinquinatum*; per Scripturas autem, a nobis attente lectas et practicatas, ab omni nævo mundamur; unde S. Augustinus in quodam sermone ait : « Labor hones- « tus est lectionis, et multis ad emundationem « animi proficit. »

Versus 2.

Et murmurabant Pharisæi et Scribæ, dicentes : Quia hic peccatores recipit, et manducat cum illis.

Et murmurabant Pharisæi.

1. — Pharisæi, totius universitatis populi Dei melior pars erant, ad eum fere modum, quomodo inter nos religiosi, maxime reformati, esse solent; et tamen murmuratores facti sunt et quidem quod maxime in iis reprehensibile erat, adversus eum, qui verus Dei Filius erat, murmurabant : *Posuerunt in cœlum os suum*; quia sanctissimum illius opus calumniabantur, quale erat, animas errabundas in statum salutis reducere : « Tanta hujus mali libido « mentes hominum invasit, » scribit ad Celantiam S. Hieronymus, « ut etiam qui procul ab aliis vitiis « recesserunt, in istud tamen, quasi in extremum « diaboli laqueum incidant. » De quibus proinde Chrysologus quoque, *Serm.* CXLVIII, dicit, quod fuerint : « Non minus invidi, quam superbi, » et quidem utraque hæc passio adeo eos excæcabat, ut intelligere nequiverint, quod murmur illorum simile fuerit, ac si quis murmuraret contra medicum, quod visitet infirmum; vel adversus divitem, eo quod subveniat pauperi et egeno : « Malitiam de Domini « bonitate capiebant, de pietate Dei impii redde- « bantur, fiebant de Christi miseratione crudeles, « sumebant de cœlesti curatione languorem et « pœnitentium veniam vertebant Judicis in rea- « tum. » S. Bonaventura malis proprium esse dicit, quod per operum bonorum ab aliis patratorum conspectum, crescat eorum malitia : « Mos est im- « piis impietatem suam augere de visis operibus « pietatis. »

2. — Lucas Brugensis hanc murmurationem apud populum, qui Christum sequebatur, clam contra eumdem factam esse dicit : « Id reprehen- « debant, quod laudare oportebat et gratulari pec- « catoribus pœnitentiam. » Didacus Stella eorum, qui in dignitate positi sunt, proprium esse observat, quod scopus sint, in quem aliorum murmurationes collimant, adducitque pulchram S. Hieronymi in prologo libri Job auctoritatem, dicentis : *Nullus utique contra me murmuraturus esset* : « Si fiscel- « lam junco texerem, aut palmarum folia compli- « carem, sed qui munera ardua exercent, multorum « detractionibus sunt obnoxii. »

3. — Observat S. Ambrosius, *lib.* V *in c.* VI *Luc.*, benignissimum Salvatorem pati potius voluisse, ut pharisaica malitia sinistrum de se illis conceptum imprimeret, quam ut ipsemet a benefaciendo et peccatoribus recipiendis desisteret : « Periclitari « magis judicium quam affectum voluit. »

4. — Chrysologus, *Serm.* CLXVIII, superciliosis et passionatis hisce Pharisæis, ipsorum improperat ignorantiam et cæcitatem; dicit enim : « Pharisæus, « non quales venerant, sed quales redibant, videre « debuit; certe Paulum, quem persecutorem miso- « rant, prædicatorem videant mox rediisse; recipit « peccatores Deus, sed Deus peccatores esse non « sinit, quos recipit; peccator Deum non violat « appropinquans; Deus peccatores sanctificat; » facile decipiuntur murmurando de rebus vel factis, quæ pondere sanctuarii trutinata, opera videntur esse virtuosa et meritoria, cui accedit alia ejusdem nervosi Doctoris in alio quodam sermone expressa sententia, dicentis : « Quo medicus nisi ad ægro- « tum? Ubi Evangelicus pastor, nisi ad ovem per- « ditam? Qui pretiosam perdidit margaritam, loca « squalida non dedignatur intrare. »

Quia hic peccatores recipit.

5. — S. Bonaventura ait : « Ad affabilitatem « colloquii et familiaritatem convivii; in quo vole- « bant ipsum redarguere, tanquam fautorem malo- « rum et contemptorem præceptorum. »

6. — Salmeron distinguendo ostendit, quonam modo cum impiis licite quis conversari valeat, nimirum non ut illos in peccatis foveat, nec cum periculo coinquinationis, qua ab eadem ipsorum pice inficiantur, hoc enim idem esset, ac si ab infirmo, qui curandus erat, ejusdem contrahatur infirmitatis contagium; multo minus cum illis conversari quis potest, qui ab illis grave patitur scandalum : « At vero cum talis quis est, ut non polluatur « macula aliena, sed potius id agit, ut a macula « contracta purget, et sine scandalo, profecto bene « facit et charitatem Evangelicam profitetur. » Sciendum tamen est, nequaquam convenire, ut quis se periculo exponat, qui minime radicatus est in virtutum praxi et studio. Deus quidem populi sui malitiam penitissime cognoscebat, dum Ezechielem, III, 7, ad illius correctionem submitteret; verumtamen eidem Prophetæ dixit : *Domus Israel atrita fronte est, ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum*. Sic quoque Jeremiæ, XV, 19, quem, ut conversando cum illis, eosdem converteret, ipsemet miserat, omnem perversionis et corruptelæ suæ metum deponere jussit, dicendo : *Convertentur ipsi ad te, et tu non converteris ad eos*. Aristippus ab antiquis philosophis, quod in domibus hominum divitum et opulentorum, crebro nimis videretur, objurgatus, medicis domus illas creberrime visitandas esse respondit, in quibus languent infirmi, tametsi illas sine ullo contagionis contrahendæ periculo visitent, etenim qui virtute et vitæ perfectione conspicui sunt, cujus modi illi esse debent, quibus animas ad pœnitentiam revocare *ex officio* incumbit, extra omne positi sunt perversionis periculum, eo quod Deus illis tanquam protector potens adsistat.

7. — Ex hoc, inquit Cajetanus : « Magna Jesu « comitas relata ad fructum verbi divini significa- « tur; » egregius namque fructus, quem Christus ex prædicatione sua reportavit, fuit peccatorum conversorum et pœnitentium ad eum confluens et ab ipso perbenigne recepta turba.

8. — Inter alias causas, ob quas Redemptor potius ad Crucem affigi, quam aliud supplicium subire elegerit, una hæc est, ut scilicet brachia sua ad peccatores excipiendos et amplectendos extensa et late expensa haberet, nobisque per hoc insinuaret, quod : *Non est abbreviata manus Domini, ut salvare nequeat*; super quæ verba Isaiæ, LV, 1, Oleaster ita scribit : « Quæ enim major potest esse « misericordia, quam manum semper extensam « habere ad levandum et dandum? » et quidem clavis in crucem suffigi voluit, ut illas ad nos recipiendos et amplexandos semper haberet extensas et apertas, easque utpote inclavatas, nunquam posset claudere.

Et manducat cum illis.

9. — Chrysologus, *Serm.* L, hic ait : « Venit ad « convivium vita, ut secum faceret convivere mor- « tuos; » porro Redemptor noster post duas hasce parabolas, aliam protinus subintroduxit de filio prodigo, qui a parente peramanter susceptus, lauto insuper convivio honoratus fuit : *Occidite vitulum saginatum*. S. Bernardus, *Serm.* XI *in Cant.*, proinde ait : « Cibus ejus, pœnitentia mea. » Quando Apostoli Christo in conversione Samaritanæ peccatricis laboranti, prandium in urbe Samariæ coemptum attulerunt, ipse manducare fastidiens se excusavit, dicendo, *Joan.*, IV, 32 : *Cibum habeo manducare, quem vos nescitis*; ubi D. Chrysostomus ait : « Homi- « num salutem hic cibum vocavit, ostendens quan- « tum desiderium habeat nostræ salutis, sicut enim « nobis concupiscibile est comedere, ita ei salvare « nos, » ac proinde nulla potuissent Christo apponi fercula delicatiora aut lautiora, quam illa, quæ eidem a Publicanis apparabantur. Unde Didacus Stella, tractans de Simone Pharisæo, qui Christum commensalem suum habebat, ita scribit : « Phari- « sæus invitat Christum, sed ecce mulier stetit ad « pascendum et epulandum Christum; » sed dices fortasse, ubi ergo sunt missus et fercula? ubi cibi invententur a Magdalena allati? nimirum : *Lacrymis cœpit rigare pedes ejus*; hæ erant paradisi nectar et ambrosia, quam gustabat : « Neque enim acce- « bant pocula saporata melle, floribus odorata « sumpturus, » inquit Chrysologus, *Serm.* XCIII, « sed pœnitentis lacrymas ex ipsis oculorum fon- « tibus potaturus; Deus delinquentium gemitus « esurit, sitit lacrymas peccatorum. » Albertus Magnus super hæc verba scribens, illum Psalmistæ, *Psal.* XLI, 6, textum adducit : *In voce exultationis et confessionis sonus epulantis*; quem ad propositum nostrum adaptans, subjungit : « Qui exultat in con- « versione et pœnitentia peccatoris. »

Additiones.

a. — *Et murmurabant Pharisæi et Scribæ*, etc. Nullum alium ob finem Pharisæi dicebant de Jesu : *Quia hic peccatores recipit et manducat cum illis*, nisi ut Christo detraherent, eumque vituperarent, illumque ex hoc motivo verum Messiam non esse ostendere volebant; sed et contra se argumentabantur, et Christi gloriam augebant, nam Scriptura pluribus in locis hanc veram Messiæ notam futuram indicat, quod peccatores recipiat; sic contingit ut detractores nulli amplius inferant damnum quam sibi ipsis. Ecclesiasticus, XXI, 31, ait : *Susurro coinquinabit animam suam, et in omnibus odietur*. Per hunc susurratorem sacri interpretes detractorem intelligunt occultum. Hugo Cardinalis inquit : « Id est, occul« tus detractor. » Dionysius Carthusianus scribit : « Id est, murmurator seu silens detractor, susur« rans in aure alterius; » qui dum suis maledictis obfuscare nititur alienæ candorem famæ, suam ipsemet denigrat, contaminatque animam. « Ex tener« rima Mariæ Prophetissæ lepra, » inquit S. Ephrem, « docemur quam grave, ac detestabile « vitium sit obtrectatio. Corpus enim quod lepra « infectum cernebatur, velut speculum quoddam « fuit animæ, quæ non perspiciebatur, cujus indi« cabat maculam. Ex illa carnis corruptione pate« factum est, quomodo hominis detractoris cor« rumpatur anima. » S. Augustinus ad eamdem murmurationis pœnam sese reflectens ait : « Sicut « lepra corpus proprium devorat et sibi adhærentes « inficit, sic et murmurator non solum seipsum « destruit, sed etiam cunctos audientes inficit et « perimit. » S. Franciscus dicere assolebat : « De« tractores sunt de generatione Cham, qui verenda « patris non operuit, sed discooperuit, propter « quod Dei maledictionem merebuntur. » Eusebius Gallicanus inquit : « Qui detrahit eradicabitur, id « est, a radice sua, qui Christus est, evelletur. « Peccatum quod alter incurrit operando, tuum « facis obloquendo. »

b. — *Et murmurabant Pharisæi.* O stulti et tardi corde ad credendum! Cur murmuratis quia Christus peccatores recipit, nisi quia impotes judicii estis, nescientes pœnitentiæ et lacrymarum virtutem? Ignorat nemo gravissimum peccatorum onus, sub quo gemebat Evangelicus Publicanus, fex quodammodo abominabilis peccatorum omnium nihilominus, brevissimo temporis spatio sanctitatem assecutus, Pharisæo integram jejuniorum, eleemosynarum, orationum, aliorumque bonorum operum seriem texenti, præpositus fuit : *Discedit hic justificatus in domum suam ab illo*. Cujus proinde in laudes sese diffundens S. Chrysostomus ait : « Cri« minum accusatio facta est illi criminum remis« sio. Quot labores erant Publicano subeundi, jeju« nando, humi dormiendo, vigilando, bona sua « egenis impertiendo, longo tempore in sacco et « cinere sedendo, ut illa tam multa peccata posset « deponere? » Nihilominus per cordis ictus, id est, per interni doloris et pœnitentiæ actus, toto hoc onere indilate sese exoneravit : *Descendit justificatus*. Auscultemus S. Augustini resolutionem : « Pœnitentia vera, » inquit ille, « non annu« rum numero censetur, sed amaritudine animæ, « quamvis sit exigui temporis; si intima cordis « amaritudine agitur, non despicitur apud judicem « justum Deum, qui cordis secreta considerat. »

Percutiebat Publicanus *pectus suum*, qua actione, ut idem existimat Sanctus, cor suum veluti infamem traditorem castigare et affligere intendebat, ideoque mox subdit : « Tundere autem pectus, quid est, « nisi arguere, quod latet in pectore et evidenti « pulsu occultum castigare peccatum? » Diversum nihilominus ab eo hujus percussionis mysterium S. Zeno assignat, arbitrans Publicanum suum pugnis præcise cædisse pectus « a quo procedunt « universa genera peccatorum, » conformiter illi Veritatis asserto : *De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ*. Omne peccatum influxum participat cordis et voluntatis : « Pectoris percus« sio, » inquit Cornelius Jansenius, « interioris « pravitatis seria est redarguatio. » Hugo Victorinus assignat tria doloris genera, nulli non pœnitenti animæ necessaria : « Dolor cordis triplex, acer, « acrior, acerrimus, » quorum unusquisque requiritur : « Acer quia Creatorem offendisti, cujus « legem cum cœlestia et terrestria conservent, in « tanta republica Dei, tu solus peregrinus es, impe« ratoriæ majestatis dexteram contemnens. Acrior, « quia cum Creatore, patrem etiam ad iram pro« vocasti, qui tibi ministrat siderum cursum et « fructuum ubertatem. Acerrimus, qui pertranseat « animam, quod beneficium contempseris qui do« lorem crucis sustinuit, ne dolorem amplius susti« neres inferni. » Si crimen est proprium offendere patrem, quidni flagitium erit ipsum provocare Deum, Creatorem, Redemptorem et beneficientissimum patrem nostrum? qui, ut cum S. Augustino loquar, « sic curat unumquemque nostrum, tan« quam nostrum solum curet. Deum qui te genuit « dereliquisti, et oblitus es Domini Creatoris tui. »

c. — S. Matthæus, primo die quo pedem suam scholæ Christi intulit, lautissimum paravit convivium, ad illud, sicut antea solitus erat, suos convocando sodales, et vitæ prioris collegas; idque Christus non solum approbavit, verum etiam sua præsentia decoravit. Quod Christus huic interfuerit convivio, ad hoc ipsum non allexerunt servitia mensæ, variis et delicatis epulis instructæ, et onustæ, adeo ut *convivium magnum* appellari meruerit, sed potius convivantium societas, qui ex potiori parte Publicani erant

et peccatores. « Nullum cibum lautiorem Christo « appones, » inquit Paulus de Palatio, « quam « Publicanos si convertantur; et idèo ea ratione « convivium grande fuit, quia fuere Publicani « convivæ. « *Meus cibus est*, ait Dominus, *ut faciam voluntatem Patris*. Est autem voluntas Patris : Publicanorum et meretricum sanctificatio.

d. — Murmurabant Scribæ et Pharisæi ad hanc Domini benignitatem; sed quare murmurabant? Glossa Interlinearis, ad illa verba : *Hic peccatores recipit*, sic habet : « Contrarius est legi, quæ hoc « prohibet. » Sed tamen in lege veteri hoc esse prohibitum cum peccatoribus conversari, nullus locus assignabitur, in quo talis prohibitio extet. Sed objicitur hoc dictum Apostoli Pauli, I *Cor.*, V, 15 : *Si is qui frater nominatur inter vos, est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum ejusmodi nec cibum sume*. Sed si attenduntur rationes Apostoli non contrariabitur hæc prohibitio consuetudini Christi, et bene fecisse Christus, et præcepisse judicabitur Apostolus. Nam Christus conversatus est cum peccatoribus ut converteret, Apostolus vero hoc præcipit, ut peccatores tali pœna afficiantur ac proinde in suorum delictorum supplicium ab eis fugiamus; ad eumdem modum, quod Ecclesia mandat excommunicatos vitare, maxime quando sunt manifesti, quia tunc sunt quoque scandalosi, qui omni modo sunt fugiendi; sunt enim causa ruinæ multorum. Mala scandalosorum exempla, laquei et retia sunt dæmonis, quibus animas deprædatur, quæque naturæ nostræ depravatæ facillime imprimuntur.

Alias inter rationes cur astutus serpens ad deprædandas animas malum potius exemplum quam quemcumque alium adhibeat laqueum et gluten, hæc assignatur principalis, quia nimirum optime novit depravatam corruptamque naturam nostram, magis ad malum quam ad bonum exemplum inclinari; in cujus probationem accommode subservit illa S. Hieronymi propositio, qua sanctus hic Doctor spiritualem filiam suam Lætam instruit in hæc verba : « Proclivis est malorum imitatio et quorum « virtutes assequi nequeas, certe imitaris vitia. » Id quod etiam in naturalibus patet, siquidem mala herba et lolium naturaliter crescit; bonam vero cum industria et cultura producere necessum est. Quæ proinde veritas nec ipsos etiam gentiles latere potuit, reliquos inter ita discurrente Seneca : « Unum exemplum aut luxuriæ, aut avaritiæ mul« tum mali facit; convictor delicatus paulatim « enervat et emollit; vicinus dives cupiditatem « irritat; malignus comes, quamvis candido et « simplici rubiginem suam affricuit. »

e. — Publicani et Pharisæi dicebant, ex invidia, de Christo : *Quia hic peccatores recipit*, ut hunc vituperarent, unde tamen maximam Christi gloriam publicabant. Hoc enim frequenter fit, quod Deus eorum qui aliorum invidia exagitantur, felicitates adaugeat. Divina justitia Heli castigare volens, ob nimiam erga sacrilegos aliisque gravibus transgressionibus obnoxios filios indulgentiam, pœnam ei qua puniendus erat, prædixit dicens : *Videbis æmulum tuum in templo, in universis prosperis Israel;* quasi dicere voluisset : hæc est justissimi furoris divini indoles quod majori felicitate cumulet æmulos, ut tanto magis augeatur acerbum invidi supplicium. Esau Jacob fratri suo invidebat, eo quod ipsum a matre tenerius diligi videret, paternamque benedictionem præoccupando ei eripuisset; ac proinde, dum fratrem ad mortem usque persequeretur, hic ad fugam capiendam, inque Mesopotamiam ad Laban peregrinandum coactus fuit. Deus autem ad invidum hunc fratrem acerbius torquendum, Jacobum bonorum ingenti cumulo, aliisque prosperitatibus adauxit, adeo ut laudabiliter gloriatus fuerit, dicens : *In baculo meo transivi Jordanem istum et nunc cum duobus turmis repredior.*

Versus 3.

Et ait ad illos parabolam istam, dicens :

1. — Dominus noster, qui murmuratores illos acerrime increpare debuisset, e contra injuriam ab iis acceptam dissimulando, cœlestem et salutarem suam doctrinam iisdem communicavit : « Benignus « Magister, » inquit Albertus Magnus, « etiam in« gratis inferens suas illuminationes, *Joan.*, I, 5 : « *Lux in tenebris lucet*, quando etiam tenebrosos « illuminat. » Didacus Stella similiter ad bonitatem divinam sese reflectens, quæ bonum pro malo reddere voluit, similem habet considerationem, dum ait : « Diligenter considerandum, qualem, quan« tamque doctrinam Dominus noster Christus et « Redemptor a Pharisæorum murmurationibus eli« ciat, quo enim malitia humana magis crescit et « augetur, eo divina misericordia effusius abun« dat. »

2. — Porro qualem Christus in hujus parabolæ propositione finem habuerit, Jansenius his verbis declarat, dum ait : « Ut intelligentes omnes, quanta « cura peccatores sint ad resipiscentiam invitandi, « quantaque benignitate recipiendi, cum resipis« cunt. »

Versus 4.

Quis ex vobis homo, qui habet centum oves, et si perdiderit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta novem in deserto, et vadit ad illam, quæ perierat, donec inveniat eam?

Quis ex vobis homo.

1. — Hugo Cardinalis existimat, Christum, sapientissimum Magistrum nostrum, hanc parabo-

lam adduxisse in medium, non solum ut peccatores animaret ad pœnitentiam, verum etiam ut Pharisæorum fastum et superbiam reprimeret, utpote qui « dicentes, proximos errare, dedignabantur a « via erroris eos revocare. » Hos igitur hac parabola perstringit, in qua illis ostendit, quænam esse debeat boni pastoris erga commissum sibi gregem charitas et sollicitudo; siquidem is reliquum gregem dimittit, ut ovem perditam recuperaturus insequatur, eamque inventam et in humeros suos sublatam ad ovile perducit. « Qua similitudine ipsis « indicare voluit, » inquit Hugo, « quod longe magis ipsi debent proximos erantes revocare. »

2. — S. Bonaventura super illa verba : *Quis ex vobis*, etc., dicit : « Homo iste inter homines est « Dei Filius, oves istius hominis sunt rationales « creaturæ. »

Qui habet centum oves.

3. — Glossa in hoc numero centenario perfectionem agnoscit : « Deus centum oves, id est, perfec« tum numerum habuit, cum Angelorum et homi« num substantiam creavit, sed una periit, quando « homo pascua vitæ peccando reliquit. » Similiter S. Gregorius ait : « Una ovis tunc periit, quando « homo peccando pascua vitæ reliquit; in deserto « autem nonaginta novem remanserant, quia ratio« nalis creaturæ numerus, Angelorum videlicet et « hominum, qui ad videndum Deus conditus erat, « peremto homine erat imminutus; unde sequi« tur : *Nonne dimittit*, etc., quia scilicet Angelorum « choros reliquit in cœlo. Tunc autem homo cœlum « deseruit, cum peccavit et ut perfecta summa « ovium integraretur in cœlo, homo perditus quæ« rebatur in terra. »

4. — Hugo Cardinalis per hunc hominem, Filium Dei, hominem factum intelligit, cujus grex integer tum ex Angelis, tum ex nobis conflatur, qui omnes in hoc centenario numero congruæ figuramur, utpote qui supra nonaginta novem adhuc complectitur. Porro nonaginta novem oves sunt novem chori spirituum Angelicorum, qui numerum quemdam innumerabilem constituunt; una autem reliqua est natura humana : « Deserti nomine signifi« catur cœlum, qui ab Angelo peccante derelic« tum. » Ex his centum ovibus una deperiit, quando homo prævaricatus fuit; quæ ovis perdita ut inveniretur, Filium Dei de cœlis descendere necessum fuit : « Figuram Christi expressit, » inquit de hoc Pastore Evangelico S. Isidorus, « qui relictis milli« bus Angelorum in cœlo, ovem quæ perierat in « Adam, ut bonus Pastor, quæsitam in gentibus, « atque crucis suæ humeris ad Paradisum reporta« vit. »

5. — Theophylactus per nonaginta novem oves, quæ sub ducatu et custodia Pastoris stabiles permanserunt, animas justas, per ovem vero errabundam, peccatorem intelligit : « Justos dicit per oves « nonaginta novem et peccatorem per unam; » et quidem similitudo isthæc ob varias analogias aptissima sane est; etenim ovis perdita, per se ad ovile redire nescit, neque viam, qua domum versus eatur, ut alia animalia, novit; idem quoque peccatori accidit, hic enim ex se quidem in peccatum labitur et a via recta per devia et avia inter montium prærupta aberrat, se tamen in viam rectam denuo recipere ignorat, nisi Deus compassione erga eamdem motus, auxilietur ei : *Ex te perditio tua, tantummodo in me auxilium tuum. Ose.*, XIII, 9. *Erravi sicut ovis quæ periit*, dicebat David, *Psal.* CXVIII, 176, in peccatum collapsus, *quære servum tuum.* Ovis, quæ a grege se disgregat, multa pericula incurrit; siquidem per montium prærupta, arduaque præcipitia divagatur; idem quoque peccatori contingit, quia ut S. Gregorius, *lib.* XXV *Mor.*, ait : « Peccatum, quod pœnitentia non dilui« tur, ipso suo pondere mox ad aliud trahit; abys« sum invocat. » Ovis perdita et errabunda valde periclitatur ne lupis in prædam cedat, quippe quæ nec pastorem habet, nec canes, qui eam defendant, ipsaque de se inermis est et imbellis, utpote quæ nec cornua habet, ut taurus, nec ungues ut leo, nec sicut ursus dentes, nec venenum habet, sicut serpentes; eodem quoque modo peccator præda fit lupi infernalis; unde David ait, *Psal.* LXX, 10, 11 : *Dixerunt inimici mei mihi, consilium fecerunt in animam, dicentes : Deus dereliquit eum, persequimini et comprehendite eum, quia non est qui eripiat. Deus ne elongeris a me.* Præterea sicut ovis perditur, quando aliarum deserit societatem, eodem modo anima ut plurimum a via bona deflectit, quando a bonorum consortio recedit; ita S. Thomæ evenit, quando a collegio Apostolico se sequestravit; nec non et S. Petro, quando *sequebatur eum a longe*, seque discursibus et conversationi cum Caiphæ servis immiscebat.

6. — Considerandum hic est, quod, tametsi nos a via recta declinemus, attamen benignissimus Salvator noster, nos inter oves suas recensere non dedignetur, quia salutis nostræ spem ipse nunquam deponit. Didacus Stella ait : *Discamus oves esse, ut Christum habeamus Pastorem.* Christus autem non est Pastor animalium immundorum, boum, leonum, vel aliarum ferarum similium, sed ovium tantum : « Vide et tu, ut non sis lupus per voracitatem, leo « per rapacitatem, porcus per immunditiam, canis « per mordacitatem, sed esto ovis per mansuetudi« nem, simplicitatem et obedientiam. »

Et si perdiderit unam ex illis.

7. — Hugo Cardinalis pulchre declarat, qualiter discretus et perbenignus hic Pastor, majori erga unicam solam oviculam sollicitudine prematur, quam erga omnes, idque apta satis explicat similitudine matris cujusdam, quæ e decem filiis unum habet periculose infirmantem : « Sicut mater decem « habens filios, si decimus ægrotat, magis est solli« cita de eo quam de aliis novem, non tamen plus « eum diligit; ideo distingue inter affectum chari« tatis et effectum; non enim de affectu charitatis « est, quod de ægro magis est sollicita, quin majori « affectu diligat aliquos aliorum; de effectu tamen « charitatis est, quia licet aliquos aliorum majori « affectu charitatis diligat, charitas tamen id efficit, « ut, quia videt hunc ægrotantem, magis de eo sit « sollicita. »

8. — « Perditio fit per peccatum, » inquit Albertus Magnus, « et per reatum, qui peccatum conse« quitur, ad diaboli et inferni captivitatem. *Isaiæ*, « LIII, 6 : *Omnes nos quasi oves erravimus.* » Euthymius ait : « Perditur ratione ovis, cum a divinis « præceptis longe separatur, inventur autem cum « per pœnitentiam resipiscit. » Salmeron hoc optime advertit, quod hæc ovicula non per Pastoris, qui vigilantissimus erat, negligentiam deperierit, quia *non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel*, sed ex propria culpa amissa fuerit : *Perditio tua ex te Israel; omnes nos quasi oves erravimus.* « Et potius Deum homo amisisse dici potest, cui « infinitum est damnum; ille autem, etsi nos om« nes peremus, nihil perdit. Pastor tamen hic adeo « bonus est, ut celet iniquitates ovis et in se ejus « culpas transferat. » Et ideo se ovem illam amisisse simulat, neque illam per propriam culpam a grege suo aberrasse dicit; unde ingens Dei erga nos amor colligitur, qui dissimulat errores nostros eosque abscondit. *Charitas operit multitudinem peccatorum*; imo errores nostros super se sumit, sibique vendicat : *Peccata nostra ipse portabit.* I *Pet.*, II, 14.

9. — Dubium quoddam hoc loco nascitur, scilicet cur Christus universam naturam humanam, unius duntaxat oviculæ nomine, in singulari numero exprimat? « Dicitur homo una ovis, » inquit S. Bonaventura, « quia omnes ex uno homine proces« serunt, in quo et peccaverunt, » juxta illud ad Romanos, V, 12 : *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit.* Chrysologus similiter quærit : « Quare non quatuor, quare non quinque, sed « unam? » De centum enim unam tantum periisse dicit, cur non plures nec pauciores? « Ut ostenderet « non ex damno fuisse, sed ex numero plus doloris, « namque amissio unius totum dissipaverat centena« rium numerum, totum ex dextera redegerat ad « sinistrum. Unus solus origo et causa fuit præci« pitii et lapsus omnium aliorum. »

10. — Ex hisce verbis, imo ex totius hujus Evangelii decursu, clare satis educitur, quanti Deus animas nostras æstimet; siquidem pro unius solius salute, humanam operaturus fuisset redemptionem, si id necessum fuisset; et quidem hunc esse verum hujus parabolæ sensum ex eo sufficienter colligitur, quod in S. Matthæo, XVIII, 4, legimus, ubi postquam eamdem Pastoris similitudinem Evangelista adduxisset, quod scilicet ob unicam oviculam nonaginta novem oves deseruerit, tandem concludit : *Sic non est voluntas ante Patrem vestrum, qui in cœlis est, ut pereat unus de pusillis istis.* Jansenius quoque notat, quod per ovem et drachmam, quæ in singulari numero perdita dicitur, non tota natura humana, sed unus tantum peccator intelligatur : « Quo satis « significatur per unam ovem, aut drachmam per« ditam se significasse unumquemque peccatorem « potius quam totam naturam humanam. » Tertullianus quoque ait : « Erat et una Pastoris ovicula, « sed grex una charior non erat, una illa requiri« tur, præ omnibus desideratur. » Non minori amore prosequebatur unam, nec minoris unam æstimabat, quam totum gregem, adeo unaquæque anima causam habeat, sanctam quamdam concipiendi vanam gloriam, dum videt quod Deus, qui illam creavit et redemit, eamdem quoque pari in pretio habeat, quo omnes Angelos beatos, vel quo omnes creatas animas. S. Thomas, *de Beatitud. Opusc.*, considerans ea omnia, quæ Deus pro omnibus simul operatus fuit, de anima ait : « Propter se « solam quælibet anima reputat illa omnia esse « facta; » estque hæc opinio conformis menti Apostoli, ad Galatas, II, 20, ita scribentis : *In fide vivo Filii Dei, qui dilexit me et tradidit semetipsum pro me*, super quæ verba Os aureum disserens, hunc in modum exclamat, dum ait : « Quid facis, o Paule, « cum communia proprie tibi vendicas, quæque « pro toto terrarum orbe facta sunt, tibi facis pecu« liaria? Non enim dixisti : *Qui dilexit* nos, *sed qui « dilexit me?* » Numquid tu, o Apostole, idem ipse es, qui ad Romanos scripsisti : *Proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit?* Qui idem ad præsens propositum nostrum optime respondet, dicens : « Declarat hoc quoque par esse, ut « quisque nostrum non minus gratias agat Deo, « quam si ob ipsum solum advenisset; neque « enim recusaturus erat, vel ob unum tantum exhi« bere dispensationem, adeo singulum quemque « hominem pari charitatis modo diligit, quo diligit « orbem universum. » Hanc quoque veritatem S. Augustinus, ni fallor, meditabatur, quando ad Deum conversus, dicebat, *Medit.*, VII : « Ego sum « tui causa doloris, ego tuæ culpæ occisionis, ego « tuæ mortis meritum, ego tuæ Passionis livor, tui « cruciatus labor. » S. Bernardus quoque in sermone XIII super Cantica, idipsum insinuat, dicens : « *Tradidit semetipsum pro me*, quia eadem chari« tate, qua mortuus est pro omnibus, mortuus est « pro singulis; » etenim si vel unicam solum animam redempturus fuisset, non fuisset effusurus vel unicam sanguinis stillam minus eo, quem pro universo hominum genere effuderat, adeo ut cum

Apostolo dici possit : *Est Deus omnia in omnibus.* S. Thomas, III p., q. 1, *art.* IV, ait : « Totum quod « omnibus est impensum, unusquisque debet sibi « adscribere; » nec est quod redemptionem omnibus communem fuisse dicas, quia unaquæque anima in particulari ex redemptione beneficium quoddam nacta est, adeo perfectum et integrum, ac si illius nullus præter ipsam alius factus particeps fuisset : « Quid enim interest, si et aliis præstitit, cum quæ « tibi sunt præstita, ita integra sunt et ita perfecta, « quasi nulli alii ex his aliquid fuerit præstitum. »

Nonne dimittit nonaginta novem in deserto?

11. — « Hoc fecit unigenitus Filius Dei, » inquit Dionysius Carthusianus, « dum cives cœlestes, « puta Angelicos spiritus in cœlo, quod homo dese- « ruit peccando, reliquit. » S. Bonaventura aliam assignat rationem, ob quam Paradisum Dominus desertum appellarit; dicit enim : « Quod desertum « fuit ab Angelis, et hominibus, et nullus jam ibi « poterat introire. » Cajetanus ait : « Desertum « autem cœlum est separatum omnino a turbis. » Albertus Magnus ait : « Desertum est; ubicunque « mundi frequentia non est, in eis qui dicere pos- « sunt, *ad Philipp.*, III, 20 : *Nostra conversatio in « cœlis est.* » Beda item dicit : « Cur autem cœlum « desertum vocatur, nisi quod desertum dicitur « derelictum? Tunc autem homo cœlum deseruit, « cum peccavit. »

12. — Idem Venerabilis Beda observat, quod in cœlorum deserto nonaginta novem oves remanserint, quando cœlestis ille Pastor, unam illam, quæ a grege declinarat, hic in terris industrie sectabatur, quia numeris creaturarum intellectualium, id est, Angelorum et hominum, quæ ad fruendum Dei visione creatæ fuerant, per hominis lapsum diminutus erat, ideoque « ut perfecta summa ovium « integraretur in cœlo, homo perditus quærebatur « in terra. »

Et vadit ad illam, quæ perierat.

13. — « Non Angelum, non legatum misit, » inquit Dionysius Carthusianus, « sed in propria « venit persona, assumpta in unitate personæ « natura humana, quæsivitque genus humanum, « pro illius conversione, reductione, salvatione, « orando, prædicando, moriendo, miracula fa- « ciendo, Spiritum Sanctum mittendo, Apostolos, « ceterosque discipulos destinando : *Eratis sicut « oves errantes, sed conversi estis nunc ad Pastorem.* » I *Pet.*, II, 25.

14. — Enim vero convenientissime hoc loco quæri potest, quanam ratione boni Pastoris prudentia, ejusque erga gregem suum bonus affectus salvari possit, dum eumdem in sylva aliqua seu loco deserto, mille periculis expositum deserit, ut ovem unam perditam per tot adhibitos labores et sudores quærere possit? Chrysologus, *Serm.* CLXVIII, ait : « Hæc parabola plus divinæ pietatis, quam consue- « tudinis humanæ loquitur et exprimit veritatem. « Magna relinquere, amare minora, Dei potestatis « non capiditatis humanæ, quia Deus et quæ non « sunt, facit esse et perdita sic sequitur, ut teneat « ea quæ relinquit, et amissa sic invenit, ut, quæ « servata sunt, non amittat; ergo non terrenus « Pastor ille, sed cœlestis. »

15. — Considerat S. Augustinus, in *Ps.* CXXVIII, hanc ovis perditæ industriam inquisitionem, valde huic Pastori arduam fuisse, siquidem hinc inde in corpore suo a vepribus et spinis discussus et laceratus fuit : « Propter ovem perditam Pastor ejus « nonaginta novem dimisit in montibus et eam « quærens Judaicis laceratus est vepribus. » Cajetanus ait : « Adventus ad quærendam ovem perdi- « tam, incarnatio est Filii Dei. »

16. — Albertus Magnus verbum *vadit*, ita in sensu morali exemplificat : « *Vadit*, passibus admo- « nitionum, vocationum, promissionum, comminationum, visitationum, « adducitque toxtum illum Ezechielis, XXXIV, 11 : *Ecce ego ipse requiram oves meas, sicut visitat Pastor gregem suum.*

17. — Didacus Stella ad Pastores et Prælatos Ecclesiasticos se reflectens, efficax hoc stringit in illos argumentum : « Si Pastor pro una ove errante « tantum operæ ponit, ut rupes, montes et valles « percurrat, quantum tu facere debes, qui curam « animarum geris, pro anima, ad imaginem et « similitudinem Dei creata, Christique sanguine « redempta? » S. Carolus in propria persona per asperas et vix pedem hominis sustentantes, montium vias, manibus reptando et in locis sublimissimis, inter montium prærupta glacie et nivibus undique rigescentia, ut pedem in lubrica glacie figere posset, in calceis, subtus aculeis ferreis communitis, totoque corpore sudore madidus, circuire diœcesim suam solebat, ut perditam hanc oviculam studiose inquireret, quem proinde sancta Ecclesia speciali hoc encomio illustrat, quod scilicet illum « Pastora- « lis sollicitudo gloriosum reddidit. » Idem quoque die quadam, Cardinalem quemdam, Episcopali cura onustum, ad residendum in suo Episcopatu cohortans, cum hoc ab eo retulisset responsum, pauculas illas animas, quas in Episcopatu suo recensebat, a solo ipsius vicario commodo et sufficienter satis gubernari posse, dignam hanc tanto Prælato reposuit sententiam : « Non solum multa animarum « millia, sed etiam unica solum anima, magni « cujusdam Pastoris meretur præsentiam atque « custodiam. » Porro inter alia honorifica epitheta et titulos, quibus sapientia incarnata Episcopos et Prælatos Ecclesiasticos condecoravit, etiam hic est, quo sal terræ sibi commissæ illos appellavit, dicens, *Matth.*, V, 13 : *Vos estis sal terræ*; sal autem inter multas alias proprietates, quas habet, hanc quoque

obtinet, quod videlicet cibi alicujus, pro cujus condimento adhibetur, partes intimas penetret, quod tamen facere nequit, nisi totaliter prius in seipso resolvatur et colliquescat; eodem quoque modo Pastor aliquis de numero illorum est, quales Christus requirit, ad loca inaccessa et alpestria diœcesis suæ penetrare et accedere debet, ut ovibus suis ibidem degentibus, doctrinæ, admonitionum, bonorum exemplorum, eleemosynarum, aliorumque omnium, quæ ad spirituale et temporale gregis sui bonum spectant, salutare condimentum adhibeat, semetipsum etiam, si ita postulaverit necessitas, per labores, sudores, curas et anxietates consumendo, siquidem : *Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis.*

Donec inveniat eam.

18. — Deus etenim noster pro salute animæ nostræ laborare nunquam desinit; unde S. Bonaventura, *in Luc.*, ait : « Ad istam ovem, scilicet ad « hominem salvandum, venit Deus, nec desistit ab « inquisitione ante salutem; » et ideo, ut Salmeron ait, « hisce verbis significatur perseverantia quæ- « rendi. »

Additiones.

a. — *Quis ex vobis homo qui habet centum oves; et si perdiderit unam, etc.* Cur tot myriades hominum uni assimilat ovi? Pulchre D. Chrysologus, *Serm.* CLXVIII, ait : « Ut inveniret in una omnes. » Quasi nihil sibi acquirere noverit Dominus, in quo unitas non effulgeat; tantopere concordiæ et pacis amans est, ut nihil magis Deum ostendat, quam unitas; nihilque magis Deo contrarium, quam divisio, adeo ut ex divisione, veræ Deitatis absentia significetur. Hinc pax nescio quid divini in se habere probatur, ut ab illa sibi Filius Dei nomen sumat et vocetur *Princeps pacis.* Hinc Ecclesiasticus, XLIII, 25, de creaturis elementorum locutus, dicit quod fecit Dominus : *Omnia duplicia, unum contra unum.* Cur unum contra unum? S. Chrysostomus, *in Psal.* II, attingit rationem, aiens : « In creatione « quidem mundique opificio, quæ sunt inimica « natura, concordiam amplexa sunt et mundum « perfecerunt, nutui opificis parentia; in universi « autem providentia sunt sibi invicem infesta, « impium multorum deorum cultum refellentia, « ut omnes sciamus, quod quæ bello impetunt et « impetuntur, dii esse non possunt. « Nusquam Deus in divisione est; et ideo in mundi exordio, quæ etiam natura inimica sunt, ad concordiam reduxit ut pacem et concordiam homini persuadeant. Omnes enim creaturæ in bonum universi, pacem inter se conservando, homines ad pacem exstimulant.

b. — Murmurationi Pharisæorum occurrit Dominus, tribusque parabolis, de ove, drachma perdita ac prodigo, ostendit gratissimam Deo esse peccatoris conversionem ac pœnitentiam. *Quis ex vobis homo?* Hæc est prima parabola de ove perdita, qua Pharisæorum obtrectationem efficaci refutat argumento, ut ait Hugo, ac si dicat : Quis vestrum, quamvis multas habeat oves, si tamen errantem reducere laborat ad ovile, non reprehenditur; multo magis nec ego debeo reprehendi qui hominem errantem reduco, multo meliorem ove. Ex quo, inquam, argumento gratissimum Deo ostendere voluit esse pœnitentiam, cujus quidem una ex partibus essentialibus, a Christo Domino instituta confessio, per quam veluti ad Christum appropinquamus, tam est Deo grata, ut sit species quædam sacrificii, Deum placet, nos a temporalibus eripiat quandoque supplciis, nos ditet gratiis, secura ad cœlum velut ovile Christi sit semita.

c. — Pulchre Tertullianus, *lib. de Pœnitentia, cap.* VIII, ait : « Errat et una pastoris ovicula, sed « grex una charior non erat; una illa requiritur, « præ omnibus desideratur. » Nonaginta novem oves habebat sub custodia pastor, et cum una esset deperdita, sic pro ea comparanda insudat ac laborat, velati si totum gregem amisisset. Quidquid enim Deus pro omnibus animabus fecit, etiam pro una sola facturus fuisset. Salvator noster animæ pretium quod pro ejus redemptione exsolverat indicare volens, non in plurali, sed in singulari numero dixit, *Psal.* LXVIII, 8 : *Propter te sustinui opprobrium, operuit confusio faciem meam.* Et quidem ne id casualiter, aut fortuito dixisse videretur, eamdem protestationem paulo post confirmat dicens : *Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.* Non dixit *vobis*, qui tametsi totius generis humani peccata in cruce portaverit, pondus tamen istud haud aliter considerandum est, quam si illud pro solis peccatis meis sustinuisset : « Neque « enim recusaturus esset vel ob unam tantum exhi- « bere dispensationem, adeo singulum quemque « hominem pari charitatis modo diligit, quo diligit « orbem universum, » ait S. Chrysostomus. S. Augustinus qui rem hanc optime intelligebat, ita de ea meditabatur : « Ego sum tui causa doloris, ego « tuæ culpa occisionis, ego tuæ mortis meritum, « tuæ vindictæ flagitium, ego tuæ passionis livor, « tui cruciatus labor. »

Considerate obsecro paternam illam Dei nostri providentiam et curam, quam habet cujuslibet animæ in particulari. Nota passim sunt omnibus affectuosa illa S. Augustini verba dicentis : « Cum « cunctis præsideas, cunctorum curam geras, sic « gressus meos semitasque consideras et super « custodiam meam vigilas, veluti si totius creaturæ « tuæ, cœli et terræ oblitus sis; tantum me solum « consideras, ut nihil sit tibi curæ de aliis. » Neque hanc protestationem in solis facit Soliloquiis suis, verum etiam alibi, in libro *de diligendo Deo*, ubi Deum ita se erga ipsum habere dicit, ac si nihil aliud quod faceret aut curaret haberet : « Sic certe

« mihi videtur, dum ejus miserationes circa me « attendo, quod si fas est dicere, nihil aliud agit « Deus, nisi ut meæ saluti provideat et ita totum « ad meam custodiam occupatum video, quasi « omnium oblitus sit et mihi soli vacare velit. »

In sacris Canticis illa erga Sponsum suum amore flagrans anima, hunc in modum Sponsum suum affectuosissime alloquitur : *Dilectus meus mihi et ego illi*; quasi dicere vellet : Totus ejus amor et dilectio in me solam dirigitur, eoque illi pariter correspondens, in ipso solum totum cor meum in ipso defixum habeo. *Dilexit me*; non loquitur in communi, sed in singulari. Paginnus legit : *Dilectus meus est meus, et ego sum illius.*

d. — Ubi homo vidit in grege ovem perditam, non moratur, sed charitate vulneratus, ingentique dolore affectus, eam diligenter per campos, ac montes quærit; charitatem enim quam mente conceperat, totius corporis labore ac sudore demonstrat; vera enim charitas non retinetur mente tantum, sed etiam ad manus et pedes transit, id est, opera nostra charitate vestita esse debent. Hanc Deus primo omnium loco requirit.

Divus Chrysologus examinans illam a Christo discipulis suis traditam doctrinam, videlicet : *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus*, diversitatem assignat, quæ est inter opera Deo accepta et alia ob vanam ostentationem elicita, dicitque : « Justitia quæ per se sibi abundat « ad gloriam, spectaculum populi, vulgi laudes, « favores hominum, mundi gloriam non requirit. « A Deo genita cœlum spectat, in oculis agit divi- « nis, supernis virtutibus mixta, semper a Deo « solo, ut glorificetur expectat. Hæc est justitia, « quæ ex Deo est. Illa vero justitia, quæ est hypo- « crisis, justitia non est, mentitur oculis, fallit « aspectum, videntibus illudit, decipit audientes, « seducit turbas, trahit populos, famam vendit, « emit clamorem, fit sæculo, Deo non fit, merce- « dem rapit præsentem, Deum non quærit in « futuro. » Salubriter nos monet Apostolus, *Heb.*, x, 22, inquiens : *Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, aspersi corde a conscientia mala et ablati corpus aqua munda, teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem.* Circa quæ verba observandum quod primo loco requirat quod interius est, postea vero quod est exterius : *Cum vero corde*, inquit, *in plenitudine fidei.* Unde Salomon in principio libri Sapientiæ nos monet dicens : *In simplicitate cordis quærite illum*; moxque subjungit : *Spiritus Sanctus disciplinæ effugiet fictum.*

e. — *Et si perdiderit unam ex illis*, etc. Ecce quanto dolore torquetur benignissimus Jesus ex unius oviculæ jactura cum cæteras relinquat hanc indagaturus et tanto quidem labore indefatigabilis. Te præservet Deus ne sis ille, qui eam perdis per scandalum; non enim invenies quidquam majori punitum supplicio. Dicit enim Salvator noster, *Matth.*, XVIII, 6 : *Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris.* Cui textui Venerabilis Beda subjungit : « Hoc dicit utilius quam ut unum scanda- « lizet et de pusillis istis, quia longe minor est « ista, quam illa, quam scandalizando proximum « meretur. Vere utilius, innoxium gravissima pœna « vitam finire, quam lædendo fratrem, mortem « mereri perpetuam. »

Sacra Scriptura plena est comminationibus, quas contra malitiam horum sacrilegorum intentat, qui animas pretiosissimum Dei thesaurum eidem Deo eripiunt. Porro quando in Scriptura de aliis peccatis sermo est, ex modo, quo de illis loquitur, satis colligitur quod eorum sperot emendationem, unde et pro illis pietas cœlestis imploratur; at vero de scandalosis loquitur tanquam de hominibus a Deo separatis, vel tanquam de membris a corpore præcisis, unde hisce nulla spes vitæ reliqua esse poterit. S. Paulus, ad *Gal.*, v, 12, de hac peste sub titulo fermenti disserens, ait : *Modicum fermentum totam massam corrumpit*; et paulo post subjungit : *Qui conturbat vos portabit judicium, quicumque ille est. Utinam abscindantur qui vos conturbant.* Clarius autem eodem capite S. Matthæi, XVIII, Christus loquitur dum ait : *Si manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eam et projice abs te.* S. Thomas de Villanova in sermone de S. Michaele, hæc verba sic commentatur : « Non ad litteram suffodiendum « oculum aut præscindendam manum, vel pedem « intelligas, sed spiritualem oculum, aut manum « aut pedem, id est, amicum, qui tibi pro oculo est « in consilio, aut pro manu in auxilio, aut pro « pede in lucro; etiamsi dexter sit et ad bonum te « induxerit, si alias te in peccatum trahit, projice « abs te, declina ab eo, fuge, fuge illius societa- « tem. » At vero quænam est pœna illius qui scandalosum a se non separat, aut projicit? Nimirum ut simul cum ipso submergatur in abyssum æternæ perditionis : *Bonum tibi est ad vitam ingredi debilem, vel claudum, quam duas manus, vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum.*

Versus 5.

Et cum invenerit eam, imponit in humeros suos gaudens.

1. — S. Gregorius Nyssenus opportune circa hæc verba considerat, quod benignissimus hic Pastor, postquam oviculam hanc, propria culpa perditam invenit, eamdem non castigarit, aut dure tractarit, sed summa cum benignitate exceperit : « Non « punivit, non duxit ad gregem urgendo, sed « superimponens humero, et portans clementer, « annumeravit gregi; » et ideo saluberrimum est illud S. Ambrosii consilium, quod omnibus, animarum regimini gerendo admotis suggessit, *lib.* I *de pœnit.*, XI, dum ait : « Qui studet humanæ infirmi- « tatis emendare vitia, ipsam infirmitatem suis « debet sustinere, et quodammodo pensare hume- « ris, non abjicere, nam Pastor ille Evangelicus « lassam ovem vixisse legitur, non abjecisse. » Christus in hoc eodem capite S. Lucæ, filii prodigi, ut diximus, prosequitur parabolam, qui substantiam seu facultates suas cum meretricibus consumpserat, adeoque turpiter a Patre suo recesserat, et tamen, dum resipiscens ad Patrem revertitur, ne vel minimo verbo aspero a Patre reprehensus fuisse legitur, quin potius immenso cum jubilo ab eodem receptus fuit, quia peccatoribus pœnitentibus pons sternendus est aureus, ut accedere ausint et possint. Unde S. Ephrem, *de pœnit.*, ad præsens propositum nostrum optime ait : « Cernis, non primum, quod « austerum est, offerre peccantibus, verum quod « gratum ac placidum est, simulque suave ac « facile, non mox jejunium imposuit, non tempe- « rantiam poposcit, non vigiliam demonstravit, « sed a confessione ipsum appellavit, a levioribus « duxit principia. »

2. — Albertus Magnus per duos hosce humeros, duo præcipua a Deo peccatoribus in subsidium et fulcrum concessa, auxilia intelligit, ut iis innixi et suffulti, in pœnitentia firmiter persistere possint. « Duo jumenta peccatorum, quorum unum est sup- « portatio infirmitatum, et alterum est sublevatio « Sacramentorum : *Ego quasi nutritius Ephraim,* « *portabam eos in brachiis meis.* » *Oze.*, XI, 3.

3. — Didacus Stella Dei nostri, in reducendis animabus in statum salutis, longanimitatem considerans, idem esse existimat, ovem hanc portare in humeris, quod peccatores, donec emendentur, patienter tolerare : « In humeris portat, cum eorum « mores et molestias patienter tolerat. »

4. — Redemptor noster nondum lignum crucis conscenderat, ideoque Passionem suam prædicendo, dicere voluit quod omnia peccata nostra humeris portaturus esset; unde Glossa ait : « Ovem « in humeris posuit, qui humanam naturam suscipiens, peccata nostra ipse reportavit; unde hu- « meri Christi, crucis brachia sunt, illis peccata « nostra deposuit, in illa nobili patibuli cervice « requiescit. » Cajetanus, *in Luc.*, ait : « Impositio « ovis in humeros, redemptio est humani generis « in proprio corpore. » S. Bonaventura auctoritatem adducit S. Ambrosii, et dicit : « Humeri isti, ut « dicit Ambrosius, sunt brachia crucis; in hos hu- « meros ovem perditam imposuit, quia ibi peccata « nostra portavit. »

5. — Porro quanti unica dumtaxat anima valeat, ab hac ove, quam hic pastor humeris suis imposuit, arguere licet. S. Bernardus, *Epist.* LIV, ait : « Magna res anima quæ Christi sanguine redempta « est; » quod coincidit cum illa D. Chrysostomi ponderatione, dicentis : « Unius animæ salus tanti « est, ut ob hanc Filius Dei fuerit homo, tantaque « pateretur. » Redemptor noster vere est negotiator ille Evangelicus, qui bonas quærit margaritas, inventaque una dedit omnia sua, ut eam sibi compararet, *Matt.*, XIII, 46 : *Inventa una pretiosa margarita, abiit, et vendidit universa quæ habuit, et emit eam.* Quodnam vero putas fuisse pretium, quod pro hac anima sibi comparanda exsolvit? totum suum sanguinem, animam denique et divinitatem suam, *universa quæ habuit*; huic animæ dat, quidquid habet, id est, regnum suum cœleste, et semetipsum; neque hunc negotiatorem imprudentem, aut fatuum fuisse dicere possumus, ac proinde gemmæ hujus pretium aut valorem ignorasse : « Quia magnum, » inquit S. Augustinus, *Medit.*, IV, « non decuit, ut parva daret, nec pro parvo magna « sapiens dedisset, » ipse autem Sapientia increata erat : *Ipse sciebat quid esset in homine*; *spiritum ponderator erat.* Pro hac igitur anima in patibulo crucis semetipsum donavit, pro ejus habitatione cœlum creavit empyreum, humanitatem et divinitatem suam ei in cibum erogavit, sanctissimam denique Triadem eidem in præmium et fruitionem æternam cessit : *Dedit universa quæ habuit.* S. Augustinus ad solos hujusce Pastoris humeros, discursum suum adstringens, dicit : « Nemo fallit « redemptorem tuum, nemo circumvenit, nemo « premit : egit hic commercium, jam pretium solvit, « sanguinem fudit; o anima erige te, tanti vales. »

6. — S. Eucherius, *Hom.* II *de symb.*, oviculam hanc, in cruentis et exulceratis Christi humeris positam, considerans, inde animæ alicujus ingens pretium his verbis deducit : « In trutina ergo crucis « non aurum vel argentum, non aliquid Angelicum, « sed semetipsum passus est auctor salutis appendi, « ut homini, qui a statu degeneraverat, naturæ « suæ dignitatem vel ipsa ostenderet pretii magni- « tudo. »

7. — Hæc redemptio nostra, hoc emptionis nostræ litrum et pretium cum infinito Redemptoris nostri jubilo exsolutum fuit. *Imposuit in humeros suos gaudens.* Unde Basilius Seleucus, *Orat.* XXVI, ait : « Subjiciens humeros proprio labore oviculam « curat laborantem, et gaudet ipsa fatigatione, ovis « inventionem, ratus lassitudinis esse levamen- « tum. » Nicetas commentator Nizianzeni ait : « Nostram naturam inventam minime neglexit, « sed præ insigni honore complexus est, iisdem « enim humeris eam suscepit, quibus et crucis « lignum tulit, » adducitque illum ex Isaiæ prophetia, IX, 6, textum : *Cujus principatus super humerum ejus.* — *Proposito sibi gaudio*, inquit Apostolus, *Heb.*, XII, 2, *sustinuit crucem.* — *Hymno dicto exierunt in montem Oliveti*, ait Matthæus, XXVI, 30; alii legunt : *Cantato*; tripudiabat et exsiliebat

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

præ gaudio, quando in horto sanguinem fudaturus, et a carnificibus et lictoribus capiendus, et vinculis ferreis onerandus, cœnaculum egressus fuit. Et quidem in toto tringinta trium annorum, quibus hic in terris nobiscum vixit, nunquam cantasse Dominus noster legitur, nisi quando jam in procinctu erat, ut amaram suam passionem inchoaret, *Psal.* XVIII, 6 : *Exultavit ut gigas ad currendam viam*; traditori quoque dixit : *Quod facis, fac citius.* Adhæc quando ad iniquam hanc negotiationem complendam egressus fuit, præ lætitia exultans dixit : *Nunc clarificatus est Filius hominis, et Deus clarificatus est in eo.* Denique, ut hic Romæ in multis vetustissimis Ecclesiis videtur in specie Pastoris, oviculam in humeris suis deferentis, depingi et effigiari voluit, quasi illam velut in triumpho portaret, deque nostra redemptione gloriaretur et intime gauderet.

Additio.

a. — *Et cum invenerit eam, imponit in humeros suos gaudens.* Ovis illa opimis ac uberrimis pascuis cum toto grege deliciis affluebat, erat inter choros Angelorum, omni labore vacua, florida ac perjucunda vita gaudens, spiritualium fructuum dulcedine fruens; et tamen hæc omnia cœlestia dona contemnit et ab electarum ovium societate deficit, mundanos labores exoptat, mundanas fatigationes per montes requirit, quibus infrangitur, ut pene erecta nec gradum facere valeat, sed humeros portantis expostulet : « Quia multum « errando laboraverat, » dicit Tertullianus, *lib. de Pœnitentia.* Ecce ut hic depingitur peccatorum miseria, qui dum suis satisfaciunt appetitibus, laborare et fatigari se sentiunt. Fassi sunt idipsum ipsimet impii in libro Sapientiæ, V, 7, dicentes : *Ambulavimus vias difficiles.* At vero quænam causa erat difficultatis viarum illarum? Nimirum, quia *viam Domini ignoravimus.* Porro quænam sint hæ viæ difficiles Hugo Cardinalis declarat, inquiens : « Esse vias peccatorum, quæ ducunt ad infernum. » At vero paulo post hanc movet difficultatem, interrogans : « Quomodo dicuntur viæ difficiles, « cum dicat Poeta : Facilis descensus Averni? Et « Dominus, Matthæi septimo : *Lata porta et spatiosa « est via quæ ducit ad perditionem?* » Respondetque : « Via inferni facilis est in superficie, quia « floribus divitiarum est cooperta; et hoc tantum « in principio; sed postea ulterius procedentibus « est magis difficilis, in fine difficillima et amaris- « sima, quia tunc deficiunt flores, quibus tecta erat « in principio. Quod satis evidenter ostendit mulier « vaga, *Prov.*, VII, dicens juveni vecordi : *Intexui « funibus lectulum meum, stravi tapetibus pictis ex « Ægypto, aspersi cubile meum myrrha et aloe et « cinnamomo.* Dicitur etiam via infernalis difficilis « quia tenebrosa. Unde, *Prov.*, IV, 19 : *Via inferni « tenebrosa* : nesciunt ubi corruant. Item lapidosa « est; unde, *Eccli.*, XXI, 11 : *Via peccantium com- « planata est lapidibus, et in fine illorum inferi, et « tenebræ, et pœnæ.* Et propter hoc dicit Psalmista : « *Contritio et infelicitas in viis eorum*; et Eccle- « siastes, X, 15 : *Labor stultorum affliget eos, qui « nesciunt in urbem pergere.* Et Jeremias, IX, 5 : *Ut « inique agerent laboraverunt.* » Verissime affirmari potest, quod impii, eo ipso quod appetitibus suis indulgent, laborem sudent et fatigentur. Unde Dionysius Carthusianus inquit : « O quam difficiles « ac molestas vias, occupationes, labores incidunt « ambitiosi et lubrici? Quot resistentias patiuntur, « quoties cassatur eorum conatus et frustratur fine « intento? Quam multi e regione contra eos inci- « dunt, a quibus multoties opprimuntur; ita quod « recte in libro Job dictum est : *Incolatæ sunt semitæ « gressuum ejus.* »

Versus 6.

Et veniens domum convocat amicos, et vicinos, dicens illis : Congratulamini mihi, quia inveni ovem, quæ perierat.

Et veniens domum.

1. — S. Bonaventura ait : « Domus ista est « Jerusalem superna. » Similiter Cajetanus exponit, dum ait : « Reditus domum, resurrectio et ascensio « ea in cœlum. » Dionysius Carthusianus super illa verba Apostoli, *ad Ephes.*, IV, 8 : *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem*, ita scribit : « Tunc convocavit, hoc est, sibi occurrere fecit « amicos et vicinos, hoc est, Angelicos spiritus. » De hac domo postea in ultima cœna Apostolis suis dixit, *Joan.*, XIV, 2 : *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* Idem Cajetanus ait : « Sic Christus in « die Ascensionis revertens, secundum naturam « humanam ad cœlum empyreum, de quo ait « Apostolus, II *Cor.*, V, 1 : *Quam ædificationem habe- « mus ex Deo non manufactam.* »

Convocat amicos et vicinos, dicens illis.

2. — Glossa ait : « Reparato homine, ad cœlum « redit Pastor, ibi Angelorum choros invenit; « porro spiritus Angelicos, vicinorum et amicorum nomine appellat, quia adeo ei vicini existunt, ut inter creaturam et creatorem, major unio dari non possit : « Qui amici, qui in stabilitate sua volunta- « tem ejus continuo custodiunt, qui vicini, quia « claritate visionis ejus fruuntur. » S. Bonaventura Angelos, amicos appellari dicit, propter secretorum divinorum eis factam communicationem : « Ibi « convocat Angelos, qui dicuntur amici, propter « familiaritatem in cognoscendo secreta, et vicini « propter propinquitatem. » Salmeron ait : « Ami- « cos quia habent idem velle et nolle cum eo; vicini « vero dicuntur ob naturam Angelicam, quæ pro- « pinquior est Deo quam humana. »

Congratulamini mihi, quia inveni ovem, etc.

3. — S. Gregorius, *Hom.* XXIV *in Evang.*, motivam jubili cœlestis hujus Pastoris, per sequentem considerat similitudinem : « Sic agricola illam am- « plius terram amat, quæ post spinas, uberes fruc- « tus profert, quam eam, quæ nunquam spinas « habuit, et nunquam fertilem messem produxit. » Omnes labores et ærumnæ, ut Albertus Magnus observat, quas pro ove perdita, in securitatem salutis reponenda, sustinuerat, videbantur illi suaves : « Omnia facilia et parva reputavit, ut ovem perdi- « tam recuperaret, et quod Deus tantum reputavit, « mirum et miserabile est, nos pro minimo repu- « tare, ut non tantum oves, sed etiam oves Christi « non solum perdamus, sed etiam cum pelle, et « carnibus, et ossibus devoremus. »

4. — Idem quoque Venerabilis Præsul animadvertit, quod lætitia hæc potius ex parte ovis inventæ, quam ex parte Pastoris esse debuerit, maximo si quoad mysterium, loqui velimus, siquidem Psalmista de Deo ait, *Psal.* XV, 2 : *Dixi Domino : Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges :* « Hoc inventio ad utilitatem ovis est potius quam « Pastoris; est enim inventa, quando a periculo « erroris est salvata. » Venerabilis Beda ait : « Non « dicit congratulamini ovi inventæ, sed mihi, quia « scilicet ejus gaudium est vita nostra, et cum nos « ad cœlum reducimur, solemnitatem lætitiæ ejus « implemus. » Hugo Cardinalis aliam rationem affert, cur Pastor potius quam ovis inventa gaudeat, videt enim Deus noster labores suos, in consummationem salutis nostræ adhibitos, optime collocatos esse, eo vel maxime cum ille ad hanc inventionem solus operatus fuerit, ovis autem active ad eamdem minime concurrit : « *Mihi* non ovi, quia « ipsa se sua culpa perdidit, ego mea gratia ipsam « inveni, et propterea salus nostra gaudium ejus « est. » Nullus Monarcha tantopere ob novum sibi regnum paratum gaudet quantum Deus ob unicam animam ad pœnitentiam et vitæ conversionem perductam, quia anima regnum Dei est, *Apoc.*, V, 10 : *Fecisti nos Deo nostro regnum. Luc.*, XVII, 21 : *Regnum Dei, quod estis vos; regnum Dei intra vos est.*

5. — Postquam æternus hic Pastor cum hac humanæ naturæ oricula, e luporum infernalium faucibus eropta et redempta, alias vero in idololatriæ præcipitiis errabunda, in cœlos pervenisset Angelos confestim ad congaudendum invitat, quia eo fine illam ad cœleste ovile perduxerat, ut per eam ruinæ Angelicæ instaurarentur, quod beatis illis spiritibus ingens esse debebat causa lætitiæ. Adhæc, inquit S. Benaventura : « Quasi dans eis « materiam congratulandi, de consecutione tanti « beneficii, et amoris charitativi, quem Deus osten- « dit homini. »

6. — « Ubi adnotandum est, » inquit Salmeron, « Deum singulari affectione adeo nobis esse affec- « tum, ut bona nostra sua esse existimet. » Et quidem, si veritatem fateri volumus, quis de salute hujus animæ nostræ plus est sollicitus, nosne an vero potius Deus? Væ nobis, nisi Deus de nobis esset sollicitus et anxius, siquidem major pars hominum ad quævis alia potius attendit, et cogitat, quam de æterna sua salute; ac proinde S. Cyprianus, ut nos propriæ salutis penitus oblitos, ab hoc exitioso nobis lethargo excitet, « et ut pigros desi- « des, et nihil circa fructum salutis operantes ma- « gis pudeat, » quoddam Christum inter et dæmonem pro hac anima habitum certamen iisdem ob oculos ponit : « Ponat unusquisque ante oculos « suos, diabolum cum servis suis prosilire, plebem « Christi, præsente et judicante ipso, compara- « tionis examine provocare dicentem : Ego pro « istis, quos mecum vides, nec alapas accepi, nec « flagello sustinui, nec crucem pertuli, nec sangui- « nem fudi, nec familiam meam pretio passionis et « cruoris redemi, sed nec regnum illis cœleste pro- « mitto. » Summa animæ confusio erit, quando clare et evidenter videbit, quantum cœlestis hic Pastor ipsa, ad cœli ovile reducenda, passus fuerit, et sudaverit, ipse vero, ut infernali lupo de perditione sua gaudium et lætitiam crearet, in inferni præcipitium usque, ab eo aberrare et discedere maluerit.

Additio.

a. — *Et veniens domum, convocat amicos et vicinos*, etc. Quæsitam diu et inventam ovem gaudens bonus pastor suscipit, et gaudens refert domum, et convocat amicos et vicinos, et congratulationes sibi fieri postulat, totus plenus lætitia. Quo tot gaudia de inventa ove spectant? Ait : *Ita gaudium erit in cœlo.* Cœlestia et quæ a Deo sunt gaudia exprimuntur, non carnalia et temporalia, quæ potius inventis rebus desideratis et anxie quæsitis, festinatissime perdunt. Sola quæ ex cœlesti desiderio quæruntur bona, solent invento longas parturire lætitias : quæ autem ex carnali desiderio inveniuntur bona nil citius pariunt, quam despectum et fastidia. *Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes, vanitas vanitatum et omnia vanitas. Eccle.*, I, 2. Seriam hæc Ecclesiastis protestatio meretur ponderationem, siquidem rex Salomon fuit, cui mundus adeo fuit prosper et propitius, ut nullus in omnibus retro sæculis pari cum illo felicitate bonorumque abundantia fuerit perfruitus; qui proinde de semetipso testatur inquiens : *Omnia quæ desiderave- rent oculi mei, non negavi eis, nec prohibui cor meum quin omni voluptate frueretur.* De hoc felicissimo rege doctissimus Salmeron ita discurrit : « Si hæc « verba essent ab aliquo paupere et egente pro-

« fecta, et qui non habuisset divitias, negligi pote-
« rant; at vero dixit ditissimus rex Israel, cujus
« tempore præ copia auri, non erat in pretio
« argentum. Si rursus dicta fuissent ab aliquo
« idiota et rerum ignaro contemni potuissent.
« Dicta sunt a sapientissimo Salomone, qui sapien-
« tia omnes ante se reges et posteriores superavit.
« Ad hoc si aliquis deliciarum carnis expers illa
« protulisset, cogitari posset, illum qui corporis
« voluptates non degustasset, insipienter locutum
« fuisse; sed dixit Salomon, qui septingentas regi-
« nas habuit et trecentas concubinas. Si denique
« aliquis de media plebe depromptus et privatus
« dixisset, possent merito haberi suspecta, ut qui
« non novisset nec gloriam regnandi, vel magnifi-
« centiam fabricandi, vel dulcedinem imperandi,
« propter quam si violandum esset unquam jus,
« ejus rei gratia censuit quidam tyrannus Romanus
« esse violandum. Dixit autem hæc Salomon rex
« potentissimus, gloria insignis et fama per univer-
« sum orbem celebris; ad quem omnes sui sæculi
« principes et reges mittebant munera, nuntios
« destinabant et ænigmata solvenda ob ejus in-
« signem sapientiam proponebant. Ad quem regina
« Saba, a finibus terræ spectandum et audiendum
« profecta est, cum magno comitatu et camelis
« portantibus aurum infinitum nimis, et gemmas
« pretiosas. Construxit templum amplissimum, toto
« orbe celebratum; ædificavit domos, hortus po-
« maria, et omnium deliciarum Paradisos. Hic
« tamen talis, ac tantus, ac tanta Sapientia prædi-
« tus, qui mundi medullam degustarat, ausus est
« cum tanta asseveratione pronuntiare : *Vanitas*
« *vanitatum.* »

Versus 7.

Dico vobis, quod ita gaudium erit in cœlo, super uno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentia.

1. — Porro sacri Expositores verum nobis horum verborum sensum, per varias similitudines conati sunt declarare. Et quidem Cajetanus in primis ait : « Nec propterea pœnitentia istius præfertur justitiæ « illorum; sed nova ratio gaudendi significatur, « non major; » ad eum modum, quod si quis imminens sibi evasisset mortis periculum; vel si infirmus aliquis pristinam recuperasset sanitatem, talis utique non præferretur illis, qui semper sani remansurant, sed novam habet gaudendi materiam, quam is, qui continuo sanus remansit, non habet.

2. — S. Gregorius, *Hom.* xxxiv, militis cujusdam similitudinem, adducit; sicut enim is, qui post fugam reversus, generose et strenue pugnando, suum vincit inimicum, magis a duce suo diligitur, quam alius, qui nunquam fugit quidem, sed nec unquam aliquod generositatis suæ specimen edidit, ita hic in præsenti. S. Cyprianus, *lib. de duplici mart.*, ait : « Non hoc sic accipiendum est, quasi « Deo et Angelis ejus gratius sit post lapsum redire « ad pietatem quam citra lapsum perseverare in « innocentia, sed Scriptura suo more loquitur se- « cundum affectus humanos; » quo loquendi modo, inquit sanctus hic Pater, vult ut intelligamus, quam grata Deo sit conversio peccatorum. Atque interdum piorum hominum lapsus, quamvis enormes, divina dispensatione vertuntur in summum Ecclesiæ profectum, ut videre est in S. Petro negante et S. Paulo, Christianorum persecutore, sicut et in S. Maria Magdalena peccatrice, de quibus Ecclesia modo gloriatur, et festivos eorum celebrat dies, non propter eorum lapsum, sed ob resurrectionem et resipiscentiam illorum, tanta cum fidelium utilitate peractam : « Quorum lapsus cesserunt in stabili- « mentum ac solatium domus Dei. »

3. — Salmeron hanc difficultatem examinans, tandem concludit, quod Deus non quidem plus animam aliquam diligat pœnitentem, quam nonaginta novem innocentes, sed magis de illius conversione gaudere dicatur, eo quod novum illi inde accrescat gaudii motivum : « Sed quod homo id, « quod salvum habet, non deputat tanquam lucrum, « nec habet quidquam novi, quo excitetur in gau- « dium; at qui perditum invenit, gaudet, quia denuo « sibi lucrari videt. » Labor et cura, qua res amissa quæritur, auget lætitiam tunc cum invenitur, tantoque studiosius retinetur, quanto in ejus inquisitione majores labores adhibuit; unde Chrysologus ait : « Semper quidem cum perdita reperimus, novum « capimus cumulum gaudiorum, et est jucundius « nobis invenisse perdita, quam non perdidisse « servata. »

4. — S. Thomas in sermone II in hanc Dominicam, dicit, ideo Deum magis gaudere de peccatore vere pœnitente quam de multis innocentibus : « Quia isti frequenter magis negligentes sunt, illi « ferventiores, » citatque S. Gregorium ita scribentem : « Plerumque, qui se oppressos nullis peccato- « rum molibus sciunt, pigri remanent et e contrario « omnes ii, qui se illicita aliqua egisse meminerunt, « ipso suo dolore compuncti, in amorem Dei imar- « descentes, sese in magnis virtutibus exercent, « cunctaque difficilia sancti certaminis appetunt, « omnia mundi derelinquunt, honores fugiunt, ac- « ceptis contumeliis lætantur, ad cœlestem patriam « anhelant et quia se errasse a Domino considerant, « damna præcedentia lucris sequentibus compen- « sant. »

5. — S. Bonaventura, *in Luc.*, ita hac de re scribit : « Non quia melior sit peccator pœnitens, « quam nonaginta novem justi, sed quia in redemp- « tione humani generis, majora operatus est Deus, « quam in conservatione totius multitudinis cœles-

« tis, » quia in remissione peccatorum et justificatione eorumdem, majorem omnipotentiæ, sapientiæ et misericordiæ suæ ostentationem edit.

6. — Glossa, per nonaginta novem justos, spiritus Angelicos, qui constanter in gratia Dei perseverantes non deviarunt, intelligens ita scribit : « Magus « videtur impios justificare, quam justos creare et « conservare, quia etsi utrumque æqualis potentiæ « sit, hic tamen majoris misericordiæ et majoris « gaudii est motivum. »

7. — Paradisus quidem majoris lætitiæ, quam sit illa, quam ex Dei fruitione et plena beatitudine percipit, incapax esse videtur, præterquam quod intelligi vix possit, qualem homo, qui vilissimus est vermis, jubilum Deo et Angelis afferre possit : *Quid est homo, quia innotuisti ei, aut filius hominis, quia reputas eum? Homo vanitati similis factus est*; et tamen idem ille Deus qui Paradisum beatum facit, omnesque cœlites vultus sui visione lætificat, expresse dicit : *Gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente, quam*, etc.

8. — Enimvero quod Deus majoribus benevolentiæ signis pœnitentes quam innocentes prosequatur, Dominus noster in hoc eodem capite unde præsens desumptum est Evangelium, demonstrare nititur in parabola filii prodigi, in qua videmus quod Pater majores paterni affectus et benevolentiæ demonstrationes exhibeat illi, qui post enormes excessus suos, resipiscens et superioris vitæ pœnitens ejus pedibus advolvebatur, quam alteri, qui semper se erga illum exhibuerat morigerum, magnaque cum integritate et innocentia vixerat, qui profunde lamentabatur, dicens, *Luc.*, xv, 29 : *Ecce tot annis servio tibi et nunquam mandatum tuum præterivi, et nunquam dedisti mihi hædum, ut cum amicis meis epularer, sed postquam*, etc. Cui Pater respondit : *Epulari et gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat et revixit, perierat et inventus est.* Chrysologus, *Serm.* III, ab hoc patre datum ordinem sive præceptum considerat, nimirum : *Cito proferte stolam primam et date*, etc. Quo fine enim, dicit, jubet novas hasce, easque pretiosas adduci vestes iisque eum indui? Ad significandum quod pœnitentia innocentiam non solum adæquet, verum etiam longe quoad excellentiam superet : « Videtis, quia delicta non videt vis amoris; paterna « pietas contenta non est, innocentiam reparare « solam, nisi pristinum restituat et honorem, » at vero S. Ambrosius super illa verba, *Psalm.* I, 4 : *Amplius lava me ab iniquitate mea*, excellentius quid hac de re scribit : « Plus acquisivimus, » inquit, « qui plus peccavimus, quia beatiores facit tua « gratia, quam nostra innocentia. » Recepta est inter Theologos hæc conclusio, quod scilicet non solum merita, quæ antea per peccatum mortificata fuerant, per pœnitentiam denuo reviviscant, verum insuper novi nobis sanctificantis gratiæ gradus conferantur, adeo ut pœnitens majora sibi sanctitatis incrementa acquirat, quam antea in statu innocentiæ non habebat. S. Bernardus in osculo forsitan, quod pater filio suo prodigo impressit, modo observans, quem Deus olim animam primo homini infundendo servavit, ingeniosum hunc conceptum inde deducit, *Serm.* XVI *in Cant.* : « Os ori applicuit, « iteratio spiratus in faciem ejus spiraculum vitæ, « sed sanctioris quam primo. »

9. — Qualis autem hæc pœnitentia esse debeat, Venerab. Beda hisce verbis declarat : « Pœniten- « tiam agere est et perpetrata mala plangere et « plangenda non perpetrare, nam qui sic alia « deplorat, ut tamen alia committat, adhuc pœni- « tentiam agere ait ignorat, aut dissimulat. Quid « enim prodest, si peccata quis luxuriæ defleat et « tamen adhuc avaritiæ æstibus anhelet? Aut quid « prodest, si iræ culpas jam lugeat et tamen adhuc « invidiæ facibus tabescat? » S. Gregorius similiter in hodierna homilia super hæc verba ita scribit : « Pœnitentiam ardenter agente, honisque operibus « insudante, quam super nonaginta novem justis, « qui pigri remanent ad exercenda bona opera. »

10. — Euthymius vocabulum illud, *super uno*, observans, dicit : « Gaudium erit non solum super « multis, sed etiam super uno; id autem ostendit, « Deum vehementer sitire cujusvis peccatoris pœni- « tentiam. » Opulentæ illæ cortinæ purpureæ, quibus tabernaculum obtegebatur et adornabatur, in minori numero erant, quam cortinæ asperæ et e rudi cilicio factæ : *Omnia in figura contingebant*, ad denotandum videlicet, quod in cœlestis gloriæ tabernaculo major sit numerus animarum pœnitentium, quam innocentum.

11. — Venerabilis Beda ex hac parabola deducit, quantum Deo accepti et quantum sibi paternam ejus gratiam et benevolentiam illi concilient, qui pro reducendis ad pœnitentiam animabus peccatricibus strenue operam suam impendunt : « Rem « Deo cœlestibusque jucundissimam faciunt, qui « instar ovium perditarum, quæsitos ad Deum « conantur reducere, quod præcipuum munus obit « Filius hominis, qui venit quærere et salvare quod « perierat. »

Additio.

a. — *Ita gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente*, etc. Gaudent Angeli de pœnitentia ac conversione peccatoris, quia per pœnitentiam ab immunditia et nequitia peccator transit ad puritatem et sanctitatem. Dici quoque potest causam jubili Angelorum quo de nostra conversione exultant, esse, quia Angelorum plurimum interest, quod nos resipiscentes ad Deum toto corde convertamur. Unde S. Thomas de Villanova ait : « Hæc « custodiæ munus propter seipsos exequuntur, « nempe quia sciant civitatis suæ ruinas non ali- « ter quam per homines reparandas. Lapides ergo

« vivos, ut boni artifices, ad structuram suæ civita-« tis expoliunt. » Hoc ipsum quoque S. Ambrosius forte dicere voluit, quando ita scribit : « Angeli « super uno peccatore pœnitentiam agente lætan-« tur, quia lucrum suum putant hominis redemp-« tionem. » Petrus Blesensis discurrens de motivis ob quæ Angeli ad nos defendendos nobisque minis-trandum tanta sollicitudine et zelo perurgentur, hæc tria tangit : « Propter nos, quia naturam « nostram, in animabus nostris quæ sunt rationales « spiritus recognoscunt, nosque sibi conjunctos « conformitate naturæ et quadam cognatione in-« telligunt, quia sunt participes et capaces beatitu-« dinis ; propter Deum, cujus viscera videnl effusa « circa nos, diligunt nos ; » ac tandem ultimo loco utilitatem, quæ ex nostra custodia in ipsos redundat adducit, dum ait : « Propter se, quia de nobis « tanquam de lapidibus rationabilibus et vivis « restaurandum est suæ civitatis excidium atque « cœlestium ruina murorum. » S. Augustinus, *Sol.*, XXVII, similiter ait : « Diligunt concives suos, per « quos suæ ruinæ scissuras instaurari expectant ; « ideoque magna cura et vigilanti studio adsunt « nobis, omnibus horis et locis, succurrentes et « providentes necessitatibus nostris et solliciti dis-« currentes inter nos et te, Domine. »

Abulensis causam exponit cur Sapientia incarnata beatos illos spiritus Angelos nostros appellarit : *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei.* Potius enim dicere debuisse videtur *Angeli mei*, siquidem familiarissimi ejus aulici et cives sunt patriæ cœlestis : *Angeli eorum* vocantur, id est, concives eorum, quia concives sunt et futuri sunt in vita æterna concives hominum beatorum.

VERSUS 8.

Aut quæ mulier habens drachmas decem, si perdiderit drachmam unam, nonne accendit lucernam, et everrit domum, et quærit diligenter, donec inveniat?

Aut quæ mulier habens drachmas decem.

1. — Glossa per hanc mulierem, divinam Sapientiam intelligit quæ decem habebat gemmas, sive drachmas, scilicet novem Angelorum choros et naturam humanam : « Dei Sapientia decem drachmas « habuit, cum homines et Angelos ad suam imagi-« nem creavit, sed unam perdidit, cum homo a « similitudine Creatoris recessit. » Idem quoque scribit Lyranus, qui tamen ultimis Glossæ verbis addit : « Perdita per peccata primorum paren-« tum. »

2. — Per hanc quoque mulierem, intelligi potest sanctissima Virgo Maria, quæ ad reinveniendam naturæ humanæ innocentiam, a protoparentibus nostris deperditam, vel etiam ad reinveniendam Dei a nobis amissam gratiam, accendit lucernam, id est, Verbum æternum in virginali suo utero concepit, de qua David, *Psal.* CXVIII, 105, ait : *Lucerna pedibus meis verbum tuum*; totam quoque domum Dei susque deque vertit, quando Creator factus est creatura, homo Deus, quando virgo facta est mater, quando Verbum æternum vili alicui vermi unitum fuit, quando mulier quædam a Spiritu Sancto fecundata concepit, tempusque æternitati conjunctum fuit : « Longitudinem fecit brevem, latitudi-« nem angustam ; altitudinem humilem, Verbum « infantem, panem esurientem. » S. *Bern.*, *Hom. sup. missus est.*

Si perdiderit drachmam unam.

3. — Hugo Cardinalis ait : « Per drachmam vero « significatur quælibet anima Dei imagine insi-« gnita, quæ etsi per peccatum deturpatur, non « tamen annihilatur. » Interlinearis ait : « Drachma « est numerus certæ quantitatis, habens imaginem « Regis ; » ratio enim, cur anima in moneta repræ-sentetur, est, quia sicut hæc impressam sibi habet Principis effigiem, a quo jussa est cudi, ita anima creata est ad imaginem et similitudinem Dei illius, qui eam creavit. Unde Venerabilis Beda ait : « Quia « imago exprimitur in drachma ; mulier drachmam « perdidit, quando homo, qui conditus ad imagi-« nem Dei fuerat, peccando a similitudine sui con-« ditoris recessit ; » Albertus Magnus dicit, quod drachmæ amissio, « idem sit, quod imaginis ad « similitudinem Dei creatæ deturpatio et perditio. »

4. — Salmeron hanc perditionem duobus præ-cipue modis fieri posse notat : « Vel latronis dæmo-« nis furto, vel negligentia ipsius drachmæ, quæ « libertate prædita est, ut per se perire possit. » Qui idem Auctor similiter, quænam hæc moneta sit, ita declarat : « Homo est peccator recedens a « gratia, in quo imago Dei pulvere terrenorum « operitur, luto carnis inquinatur et inscriptio « divinæ gratiæ aboletur. »

Nonne accendit lucernam?

5. — Glossa ait : « Dei Sapientia lucernam ad « quærendum accendit, cum in carne apparuit, « quia lucerna est lux in testa, id est, Verbum in « carne, quod ubi inter homines claruit, domum « evertit, quia conscientias hominum de statu suo « perturbavit et sic drachma reperitur, dum in « homine conditoris similitudo reparatur. » Jansenius quoque incarnationem Verbi, per accensam lucernam intelligendum esse existimat : « Divinam « sapientiam per assumptam humanam naturam, « quam luce suæ divinitatis implevit, et fugavit « tenebras hujus mundi, » adeoque adimpletum fuit illud, quod scriptum est, *Luc.*, I, 79 : *Illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent*, siquidem per incarnationem, mundus lumine et notitia

veri Dei illustratus fuit. Venerabilis Beda quoque ait : « Accendit mulier lucernam, quia sapientia « Dei apparuit in humanitate. » Eamdem quoque sententiam Albertum Magnum tenuisse reperio, qui per hanc mulierem, incarnatam interpretatur Sapientiam : « Lucernam accendit, » inquit, « quando « in incarnatione Filii Dei, testam humanæ naturæ « flamma suæ deitatis implevit. »

6. — S. Bonaventura, *Serm.* II *in hac Dom.*, per hanc lucernam, Evangelium intelligit, quod animabus per peccatum perditis, annuntiatum, gratiam denuo adinvenit : « Homo perditus, per lucernam « Evangelii invenitur, de qua in Psalmo dicitur : « *Lucerna pedibus meis verbum tuum*; adhuc certe « indiget lumine sapientiæ, qui in tenebris culpæ « perdidit drachmam animæ suæ. » Hugo Cardi-nalis per decem hasce drachmas, multas intelligit animas : « Has aliquis Prælatus habens sibi com-« missas ad regendum, si perdiderit drachmam « unam, id est, animam unam sibi commissam, « nonne accendit lucernam prædicationis, orando, « meditando, sancte vivendo ! oratio enim et sancta « conversatio, ac pia meditatio, accensio est præ-« dicationis, evertit domum ad litteram, circuit « parochiam suam prædicando et quærit diligen-« ter, donec inveniat eam, id est, reducat animam « peccatoris ; » dicit insuper, quod in hac parabola, boni cujusdam Prælati diligentia describatur, ut scilicet sollicitum se vel pro unius duntaxat animæ salute exhibeat, et subjungit : « Quid mirum ? Domi-« nus pro eo sanguinem suum fudit. »

7. — Albertus Magnus per mulierem istam, Ecclesiam intelligit : « Hæc lucernam accendit, « quando Prælatum, sicut Patremfamilias domus, in « testa corporis facit castitatis perspicuæ, et in intel-« lectu animæ facit radiantem in veritatis fulgore, « et in mente et visceribus facit pietatis et miseri-« cordiæ oleo fluere, et in affectu igne charitatis et « zelo animarum ardere. *Joan.*, V, 35 : *Ille erat « lucerna ardens et lucens.* »

Et everrit domum.

8. — « Potius legendum esset, » inquit Jansenius, « *everrit domum*; » et quidem hanc opinionem quod scilicet verbum *everrit* per scriptorum errorem fuerit adulteratum, Cajetanus expressius tenet, dum ait : « Errore scriptorum mutatum est r, in t, legen-« dum est *everrit*, quod est purgare scopis, » quo etiam modo legit Lucas Brugensis.

9. — « Ista domus fuit synagoga, » inquit Lyra-nus, « quæ fuit eversa, ut inveniretur natura hu-« mana. »

10. — S. Gregorius, *Hom.* XXXIV *in Evang.*, ait : « Accensa autem lucerna evertit domum, quia mox, « ut ejus divinitas per carnem claruit, omnis se « nostra conscientia concussit. »

11. — Hugo Cardinalis per lucernam, prædica-tionem et doctrinam Evangelicam interpretatur. Unde in *Prov.*, VI, 23, dicitur : *Mandatum lucerna est et lex lux*; hæc accensa est, quando lex gratiæ promulgata fuit ; pergit postea ulterius explicare qualiter scopis domum expurgarit et susque deque verterit : « Domum autem evertit, quando corda « hominum prædicando de peccatis suis turbavit et « sic drachma reperitur, dum similitudo Dei in « homine reparatur. »

12. — Albertus Magnus, per domum, conscien-tiam intelligit : « Est domus conscientiæ interioris, « quam totam oportet evertere in compunctione et « confessione. I *Cor.*, IV, 5 : *Illuminabit abscondita « tenebrarum et manifestabit consilia cordium.* »

13. — Origenes, *Hom.* XIII *in Gen.*, hanc drach-mam non foris extra domum, sed intus inventam fuisse observat : « Tu ergo si accendas lucernam, « si adhibeas tibi illuminationem Spiritus Sancti et « in lumine ejus videas lumen, invenies intra te « drachmam, intra te est collocata imago Regis « cœlestis, » ac proinde anima drachmam hanc perditam invenire volens, ex proposito et ex indus-tria thesaurum hunc meditetur absconditum, qui in fictili hoc vase carnis nostræ includitur, consideret-que serio animæ suæ propriæ nobilitatem, pretium, valorem et æternitatem. *Venite, audite et narrabo omnes, qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ*; hac enim ratione fiet, quod, tametsi eamdem culpa nostra perdiderimus, eam nihilominus vera quadam pœnitentia mediante, reinventuri simus, claretque, quanti salus illius æterna æstimanda sit, intelligé-mus. Quod si hic thesaurus a dæmone possessus fuerit, non quiescamus, donec Deus vicissim, repulso dæmone, in illius possessionem fuerit immissus, evertamus domum nostram, conscientia examine-tur, tollatur e medio omnis peccandi occasio, iniqui rescindantur contractus, restitutio fiat inique adempti honoris et facultatum, injuste ablatarum, omnes inimicis nostris remittantur injuriæ, sensus-que rationi pleno jure subjiciantur. *Psal.* XI, 3 : *Si ascendero in lectum strati mei, si dedero somnum oculis, donec inveniam locum Domino*; neque ulla ratione hac in re cunctandum tibi erit : *Quærit diligenter donec inveniat.*

14. — S. Hieronymus ad locum se reflectit, ubi drachma hæc, dum inveniretur, jacebat, nimirum inter sordes et domus immunditias et stercora : « Drachma periit, sed in stercore inventur ; » neque enim rerum terrenarum possessio causa est, quod animam nostram perdamus, sed nimius ad bona terrena affectus, ac proinde optime dicebat Aposto-lus : *Omnia arbitror ut stercora*, vel ut habetur in Græco, *ut paleas.* Et ideo Christus Redemptor me-morabilia verba illa nobis tantopere inculcabat : *Quid prodest homini si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur ? Matth.*, XVI.

15. — Verba sunt S. Bernardi, *Serm.* XXIV *in*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

Cant., ad uniuscujusque hominis animam directa, quæ sequuntur, nimirum : « Erubesce volutari in « cœno, quæ de cœlo es. » Per quotidianam experientiam videmus qualiter hæc anima, per affectus suos hisce bonis terrenis, voluptatibus, divitiis, honoribus totaliter immersa hæreat. Artifex autem, qui hujus animæ habitationem manibus suis plasmavit, tametsi illam de terra, quæ jacens quoddam elementum est, non vero stans, formaverit, admirabili tamen artificio eamdem cœlum versus erexit, quia *os homini sublime dedit, cœlumque tueri jussit, et erectos ad sidera tollere vultus*; sed quonam fine id factum fuisse putas? Nimirum, inquit idem sanctus et mellifluus Doctor : « Ut decor limi deformitatem argueret animi, » animæque nostræ continuo exprobraret, quod quæ cœlo obtinendo creata fuit, quæque purus est spiritus, omnem suum affectum in terram declinet, cum tamen corpus, licet sit de terra plasmatum, attamen quamdiu animatum est, facie tenus tum in cœlum, tum in artificem et creatorem suum, qui illud plasmavit, erectum sit et elevatum : « Erubesce volutari « in cœno. »

16. — Berchorius in suo dictionario refert, quod ad Alexandrum Magnum lapis quidam allatus fuerit, ejus naturæ et conditionis, ut ipse in una bilancis parte positus, alteri gravissimo et ponderosissimo corpori, imo vasto cuidam monti in altera bilancis parte posito præponderaret; quam tamen virtutem totaliter amittebat, quando eidem lapidi vel minimus pulveris atomus, aut minima palea superimponebatur. Lapis porro iste vera fuit lapidis istius pretiosi, id est, animæ nostræ figura, quæ in semetipsa majoris est æstimationis, valoris et pretii, quam sit totus mundus, quia tantumdem valet quantum Deus, siquidem de hac pretiosa margarita dicitur : *Dedit universa quæ habuit et emit eam*, quia Dei Filius, qui est negotiator ille Evangelicus, ad eam sibi comparandam semetipsum impendit, ex altera vero parte quilibet pulveris atomus, id est, unicus affectus terrenus inordinatus ad totum hunc valorem et pretium destruendum abunde sufficit. Unde Chrysostomus, *Psal.* XLVIII, ait : « Vis scire, « quantum sit pretium animarum nostrarum? « Redempturus eam Unigenitus, non mundum « dedit, non hominem, non terram, non mare; sed « suum pretiosum sanguinem. »

Et quærit diligenter, donec inveniat.

17. — Contraponenda hoc loco est mulieris hujus diligentia, pigritiæ et socordiæ ejusdem mulieris, qua antea pretiosam hanc gemmam perdiderat; de qua Origenes ait : « Mundavit domum « sordibus et immunditiis, quas longi temporis « ignavia et hebetudo congesserat. »

18. — Albertus Magnus ait : « Hæc diligentia « est in discussione conscientiæ, peccatorum, quas « dicta lucerna illuminat, et vias, et actus, et causas, et circumstantias peccatorum ostendit et ante « oculos ponit. »

19. — Enimvero pigritia et negligentia in via Dei et in procuratione salutis animæ commissa, scopulus est, qui solus sufficit, ut ad eumdem allidentes, naufragemur usque in profundum inferni, ideo quando de cœlo sermo est, dicitur : *Regnum cœlorum vim patitur et violenti rapiunt illud*. Magnus ille Dei servus, Thomas de Kempis ait : « Promittit « mundus temporalia et parva, et servitur ei aviditate magna : Christus promittit summa et æterna, « et tepescunt mortalium corda. » Quapropter sufficeret utique, si ad comparanda bona æterna et ad animæ salutem promovendam, eamdem adhiberemus diligentiam et curam, quam ad terrena bona acquirenda impendere solemus, imo medietas dimidiæ curæ ad bona æterna acquirenda sufficeret.

Additiones.

a. — *Aut quæ mulier habens drachmas decem, si perdiderit drachmam unam*, etc. D. Petrus Chrysologus in hunc textum scribens, sic habet : « Christus est plenum Divinitatis numisma; » maxime autem in venerabili Eucharistia. Mulier vero, quæ perdidit nummum, non præstolatur diurnam lucem, sed accensa candela, verrit domum et quærit. Perdidit anima salutis drachmam, gratiam, ut Christum non mereatur recipere; tantisper non immoretur, nec differat in aliud tempus, sed quamprimum advertat a se salutis bonum delapsum; et si nox sit, ac profunda se delictorum objiciat densitas, non procrastinandum, sed accensa fidei devotione præmissa confessione verrat, ac mundet conscientiæ domum, ut salutis drachmam, id est, Christum in Eucharistia mereatur recipere.

b. — « Juxta drachmæ exemplum, » ait Tertullianus, *lib. de Pudicitia*, « etiam intra domum Dei « Ecclesiam, licet esse aliqua delicta, pro ipsius « drachmæ modulo, ac proinde mediocria, quæ « ibidem delitescentia, mox ibidem et reperta, statim ibidem cum gaudio emendantis transigantur. » Et ideo mulier quæ drachmam perdidit, non statim a Domino rejicitur ac damnatur, sed potius laudatur, quod accensa lucerna, perditam diligenter inquirat ac recuperet. Non enim est præsentis temporis omnino peccatis carere; attamen præter præservativa, quibus efficitur ne in illa cadamus, multa quoque ad manum sunt remedia iis qui in illa lapsi sunt. Quod vero illa attinet remedia, quibus peccata venialia jam commissa abolentur, de his S. Bonaventura in hæc verba scribit : « Quoad indulgentiam, nota quod sicut « veniale multipliciter incurritur, ita multipliciter « purgatur. Modi autem purgationis his versibus « continentur :

« Confiteor, tundo, conspergo, conteror, oro,
« Signor, edo, dono, per hæc venialia pono.

« Id est, depono et tollo. Remittuntur ergo, per « generalem confessionem; per pectoris tunsionem; per aquæ benedictæ aspersionem; per cordis contritionem; per Dominicam orationem; per « confirmationem ac Episcopalem benedictionem; « Eucharistiæ sumpsionem, offensæ condonationem; Extremam Unctionem, levem pœnitentiam, compassionem fraternam. »

Doctor Angelicus, III *p.*, *quæst.* LXXXVII, *art.* I, quærit : « Utrum peccatum veniale possit remitti « sine pœnitentia? » Et in hæc verba respondet : « Non potest venialium peccatorum aliquod sine « pœnitentiæ virtute remitti, etsi non tantum a « Deo separet, quantum mortale. » Concedit tamen sanctus Doctor quod ad hanc venialium remissionem, non sit necessarius actus tam intensus pœnitentiæ, sicut ad remissionem peccati mortalis : « Exigitur enim ad remissionem peccati mortalis « perfectior pœnitentia, ut scilicet homo actualiter « peccatum mortale detestetur, quantum in ipso « est, ut scilicet adhibeat diligentiam ad rememorandum singula peccata mortalia, ut singula « detestetur; sed hoc non requiritur ad remissionem venialium peccatorum. »

c. — Hæc parabola clara est quia eadem est cum illa de pastore et ove perdita. Hanc autem ideo Christus proposuit, ut indicet quantam Deus diligentiam adhibere soleat, ut peccatores convertantur et reducantur ad viam salutis, ac si diceret : Si mulier adeo lætatur quod inveniat drachmam amissam, ut universam domum suam everterit, ut eam inveniat; quare ego non dabo operam, in perditis peccatoribus quærendis, ut ex illis reductis gaudium percipiam? Per hanc ergo mulierem, communi sententia interpretamur Dei sapientiam, quæ dicitur mulier, ex affectu pietatis et misericordiæ; drachma vero deperdita est genus humanum, seu homo, qui in prima sui creatione fuit innocens et sine peccato; atque ideo in prima parabola assimilatur ovi, quod animal innocens est, simplex et mansuetum. Fuit etiam creatus ad imaginem Dei, et ideo significatur per drachmam, in qua est imago regis impressa; per peccatum autem perdit homo innocentiam et deformat imaginem Dei; reperitur vero per lucernam. Lucernam enim accendit Christus, quando sua doctrina hos peccatores traxit. Lucerna enim pedibus nostris verbum Domini, lucerna lucens et illuminans. Hanc lucernam itaque accendit Dei Sapientia, cum Jesus cœpit prædicare; subvertit domum, quando obstinatorum peccatorum dura corda prædicando emollivit. Maximam enim virtutem emolliendi duritiam obstinatorum peccatorum habet verbum Dei. *Jerem.*, XXIII, 29 : *Numquid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus, et quasi malleus conterens petram?*

S. Vincentius Ferrerius ad malleum alludens cujus Deus apud Jeremiam mentionem facit, ita scribit : « Sicut enim verbum Dei dicitur ignis quia inflammat cor in Dei amore, ita dicitur malleus conterens petram duram cordis in amore proximi. Multi « habent cor lapideum dicentes : Non parcerem « inimicis; sed malleo verbi Dei frangitur cor, et « faciunt pacem pro amore Dei et hominum, in « salvationem animarum. »

d. — Super parabolam drachmæ perditæ sic commentatur Origenes, *Hom.* XIII *in Gen.* : « Mulier « quæ perdidit drachmam non illam invenit extrinsecus, sed in domo sua, posteaquam accendit « lucernam et mundavit domum a sordibus et « immunditiis, quas longi temporis ignavia et « hebetudo congesserat, ibi invenit drachmam. « Hæc enim videri non poterat, quia domus tota « sordida erat, immunditiis et ruderibus plena. » Non inter gazas et arcas quærit mulier drachmam; sed verrit ac abstergit domum, a minutissimo quoque pulvere, ut eam inveniat. Perdidit homo nummum in quo erat descripta effigies supremi Regis, ut eam perfectissime ac valde consummate inveniat ac obtineat, non solum mundet domum suam, animam suam, a magno squalore peccati, sed etiam a quolibet illius exiguo pulvere ac vestigio, ut omnium virtutum ornamento, id est, perfectione induatur ex alto. Imago enim in nummo impressa exiguis etiam sordibus obruitur, ne appareat. Amovendus est ergo quilibet levis etiam pulvis, ut universus illius decor irradiet, ut simus perfecti et integri, in nullo deficientes, etiam minima curantes.

Versus 9.

Et cum invenerit, convocat amicas et vicinas, dicens : Congratulamini mihi, quia inveni drachmam, quam perdideram.

1. — Hugo Cardinalis ait : « Amicæ et vicinæ « sunt supernæ seu Angelicæ potestates, quæ de « vicino Deum contemplantur et ei amicabiliter « famulantur. »

Additio.

a. — *Et cum invenerit, convocat amicas et vicinas.* Per has vicinas intelligi animas sanctas, auctor est D. Bonaventura, inter quas procul dubio duplex intercedit discrimen; aliæ enim gloriosæ sunt, atque in statu ab omnibus hisce humanis incommoditatibus alienissimæ, et quibus nihil amplius nobiscum est, nisi in eis quæ lex requirit amicitiæ et charitatis Christianæ; aliæ vero sunt nostræ vicinæ, in Purgatorio detentæ, quibus nostris tenemur subvenire suffragiis, precibus et sacrificiis. Hanc vero mulierem, intelligit S. Petrus Chrysologus, Ecclesiam, quæ vere mulier benigna est et misericors materfamilias, quæ dum redemptionis

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

nostræ pretium, Dominum nostrum Jesum Christum, innocentissimum agnum, omni auro et argento pretiosiorem suis videt in manibus constitutum, ut gaudium habeat plenum et integrum ex sanguine Christi reportet solatium, convocat amicas, animas in Purgatorio detentas, tanquam vicinas, ut congaudeant, dum eas illius sacratissimæ carnis et sanguinis, in Eucharistia reddit participes; præstantissimum enim lytrum ad animas liberandas Eucharistia est.

VERSUS 10.

Ita dico; Gaudium erit coram Angelis Dei, super uno peccatore pœnitentiam agente.

Gaudium erit coram Angelis Dei.

1. — S. Bonaventura, *in Luc.*, hujus jubili in Angelis Dei hæc motiva esse dicit : « Quia destruitur culpa, restituitur justitia, confutatur damnum « superbiæ, efficax efficitur Angelorum custodia, « reparatur Ecclesia, placatur ira divina et restauratur Jerusalem superna. »

2. — Lucas Brugensis quoque multos considerat esse posse stimulos, quibus curia cœlestis ad gaudendum, propter pœnitentiam nostram, permoveri possit : « Quare cœlestes gaudent de peccatore converso? An quia ipsi erga homines benigni sunt? « Quod ait Euthymius : An quia peccator qui fuerat, « ipsis similis redditur, justus ac sanctus? Vel quia « numerus ipsorum restauratur? An quia dilatatur « Dei gloria ac regnum? » et quidem tametsi omnia hæc motiva ipsos ad gaudendum de conversione nostra exsimulare posse concedat, attamen aliud quoddam motivum adducit in medium, quod opinione præ cæteris est maxime præcipuum : « Hæc « omnia vera sunt, » inquit, « sed quæ huc potissimum spectat, ratio est, quia sciunt peccatoris « conversionem, rem esse Deo gratissimam, qui « omnes homines tenere diligat, tanquam oves « pascuæ suæ, nec quempiam eorum perire velit. »

3. — S. Thomas in quodam sermone, qui in ordine primus est in hanc Dominicam, tres allegat causas hujus gaudii in Angelis. « Primo, propter « sui ministerii impletionem; sunt enim ministri « ut moneant nos ad pœnitentiam : *Hebr.*, I, 14. *In « ministerium missi propter eos, qui hæreditatem « capiunt salutis*; secundo, propter dæmonum con« fusionem; tertio, propter Dei honorem. »

4. — S. Bonaventura, *Serm.* IV in hanc Dominicam, Angelos gaudere dicit : « Propter benevo« lentiæ et charitatis latitudinem; latitudo enim « charitatis facit, quod tantum gaudeat Angelus de « bono proximi, quantum de proprio, quia superna « civitas non coangustatur multitudine desiderau« tium, quia nulli diminuitur de suo proprio præ« mio; propter multitudinem præsidentium, imo « inde cuilibet sua gloria crescit, » quia ut S. Augustinus, *lib. de spir. et anim.*, affirmat, « tan« tum unusquisque gaudebit de beatitudine alte« rius, quantum de suo ineffabili gaudio, et quot « socios habebit, tot gaudia habebit; » adeoque in commune cœli emolumentum cedit, quod augeatur multitudo beatorum.

5. — Proprium nostrum interesse et commodum nos movere debet, ut nos Angelis exhibeamus obedientes et obsequiosos, quia hoc faciendo, operamur bonum nostrum. « Angeli quia rationales, » inquit Glossa, « gaudent de reconciliato sibi homine, quod intendit nos ad prohibitam ut agamus « quod illis gratum sit, quorum et affectare patro« cinium et offensam timere debemus. »

6. — Hugo in eumdem textum sequens valde stringens facit argumentum, dicit enim : « Sed si « Angeli ita gaudent de conversione unius pecca« toris, quanto magis nos gaudere debemus, qui « homines et peccatores sumus. »

Super uno peccatore pœnitentiam agente.

7. — Albertus Magnus addit : « Condignam, » juxta illud Lucæ, III, 8 : *Facite ergo dignos fructus pœnitentiæ*, « et hoc est valde rarum; » adducitque S. Ambrosii testimonium, dicentis : « Facilius inve« nies, qui teneat innocentiam, quam qui con« dignam agat pœnitentiam; unum enim de mira« bilibus Dei est, quod homo aversus revertatur, et « quod de faucibus inferni extrahatur ad sinum « Abrahæ; et tamen fit, et est de gloriosis operibus « misericordiæ Dei. »

DOMINICA QUARTA POST PENTECOSTEN

EVANGELIUM LUCÆ, CAP. V, VERS. 1

1. Cum turbæ irruerent in eum, ut audirent verbum Dei, et ipse stabat secus stagnum Genesareth.

2. Et vidit duas naves stantes secus stagnum, piscatores autem descenderant, et lavabant retia.

3. Ascendens autem in unam navim, quæ erat Simonis, rogavit eum a terra reducere pusillum, et sedens docebat de navicula turbas.

4. Ut cessavit autem loqui, dixit ad Simonem : Duc in altum, et laxate retia vestra in capturam :

5. Et respondens Simon, dixit illi : Præceptor, per totam noctem laborantes, nihil cepimus; in verbo autem tuo laxabo rete.

6. Et cum hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem copiosam, rumpebatur autem rete eorum.

7. Et annuerunt sociis, qui erant in alia navi, ut venirent et adjuvarent eos, et venerunt et impleverunt ambas naviculas, ita ut pene mergerentur.

8. Quod cum videret Simon Petrus, procidit ad genua Jesu, dicens : Exi a me, quia homo peccator sum, Domine.

9. Stupor enim circumdederat eum, et omnes qui cum illo erant in captura piscium quam ceperant.

10. Similiter autem Jacobum et Joannem filios Zebedæi, qui erant socii Simonis. Et ait ad Simonem Jesus : Noli timere, ex hoc jam eris homines capiens.

11. Et subductis ad terram navibus, relictis omnibus secuti sunt eum.

VERSUS 1.

Cum turbæ irruerent in eum, ut audirent verbum Dei, ipse stabat secus stagnum Genesareth.

Cum turbæ.

1. — *Cum simplicibus sermocinatio ejus*; tametsi enim Scribæ, Pharisæi et Principes synagogæ, arrectis auribus illum auscultarent, id tamen non alio fine faciebant, quam ut verba ipsius suis possent censuris convellere, *ut caperent eum in sermone. Matth.*, XXII, 15.

2. — Interlinearis ait : « Conventus turbarum, « fidem designat populorum. »

3. — Glossa ordinaria ait : « Nec tempore, nec « loco, turba a studio audiendi cohibetur; vesper « incumbit, et tamen sequitur, stagnum occurrit, « et turba urget. »

4. — Didacus Stella populi hujus in audiendo Christum, devotionem magnam admirans, dicit : « Non solum in templo et synagoga, intra mœnia « civitatis audiebant verbum, sed per montes ac « deserta properabant; » ac profunde nostram nobis exprobrat pigritiam et desidiam, per quam a divino verbo auscultando nos continuo subducimus : « Nos « juxta Ecclesiam habitantes, parum itineris ambu« lare nolumus. »

5. — Hugo Cardinalis varios declarat fines, ob quos multi ex hac turba concurrebant : « Quidam « currebant, ut miracula nova viderent : hi curiosi; « alii ut sanarentur : hi providi; alii ut observent : hi « invidi; alii ut audirent, sicut hic dicitur : hi stu« diosi. »

Irruerunt in eum.

6. — Ex hoc Evangelio, ut S. Ambrosius, *Serm.* LXII, notat, satis manifeste colligitur, qualia et quanta Salvator noster, ad uniuscujusque utilitatem, miracula operatus fuerit : « Describit tanta « per eum beneficia in populum fuisse collata, ut « provocatæ hominum turbæ, ad audiendum illum « magis irruerent, quam eum rogarent, et medici« nam salutis non sperarent per humilitatis gra« tiam, sed per importunitatis injuriam; ita ut « irruentes non reverentiæ Divinitatis parcerent. »

7. — Jansenius in hoc verbo *irruerent*, immensam quamdam, Evangelicam prædicationem audiendi aviditatem, descriptam et expressam esse observat : « Notat Evangelista maximum turbarum « desiderium audiendi verbum Dei. » Ex alia vero parte, Christi erga turbam hanc admodum benefici, vim mire attractivam considerat, utpote, quem sancta hæc turbæ importunitas, non offendit, sed summo gaudio affecit, ut Evangelista insinuat : « Christi benignitatem et ad docendum cupidos « promptitudinem nobis commendat, dum enim « testatur nihil offensum improbitate urgentis tur« bæ, sed illorum desiderio satisfacere volentem, « navim conscendisse. »

8. — S. Ambrosius insuper ad spem harum turbarum sese reflectit, qua se ab infirmitatibus suis sanandas esse confidebant, unde singuli coram se eo certatim sistere contendebant : « Hæc enim « consuetudo infirmantium, ut dum sperant suis « ægritudinibus medicinam ab importuna petitione « non loco prohibeantur, non tempore, sed quanto « plus medetur ille, qui sanat, tanto amplius ille « importunus est, qui laborat. »

Ut audirent verbum Dei.

9. — Ecce tibi hic clare insinuatam causam urgentis et copiose confluentis turbæ : « Vehementi « desiderio movebantur, » inquit S. Bonaventura, « ideo irruebant, considerantes magis Domini bo« nitatem quam majestatem; unde dicit quidam « Expositor : Magni meriti est apud Deum, deside-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

nostræ pretium, Dominum nostrum Jesum Christum, innocentissimum agnum, omni auro et argento pretiosiorem suis videt in manibus constitutum, ut gaudium habeat plenum et integrum ex sanguine Christi reportet solatium, convocat amicas, animas in Purgatorio detentas, tanquam vicinas, ut congaudeant, dum eas illius sacratissimæ carnis et sanguinis, in Eucharistia reddit participes; præstantissimum enim lytrum ad animas liberandas Eucharistia est.

VERSUS 10.

Ita dico; Gaudium erit coram Angelis Dei, super uno peccatore pœnitentiam agente.

Gaudium erit coram Angelis Dei.

1. — S. Bonaventura, *in Luc.*, hujus jubili in Angelis Dei hæc motiva esse dicit : « Quia destruitur culpa, restituitur justitia, confutatur damnum « superbiæ, efficax efficitur Angelorum custodia, « reparatur Ecclesia, placatur ira divina et restauratur Jerusalem superna. »

2. — Lucas Brugensis quoque multos considerat esse posse stimulos, quibus curia cœlestis ad gaudendum, propter pœnitentiam nostram, permoveri possit : « Quare cœlestes gaudent de peccatore converso? An quia ipsi erga homines benigni sunt? « Quod ait Euthymius : An quia peccator qui fuerat, « ipsis similis redditur, justus ac sanctus? Vel quia « numerus ipsorum restauratur? An quia dilatatur « Dei gloria ac regnum? » et quidem tametsi omnia hæc motiva ipsos ad gaudendum de conversione nostra exsimulare posse concedat, attamen aliud quoddam motivum adducit in medium, quod opinione præ cæteris est maxime præcipuum : « Hæc « omnia vera sunt, » inquit, « sed quæ huc potissimum spectat, ratio est, quia sciunt peccatoris « conversionem, rem esse Deo gratissimam, qui « omnes homines tenere diligat, tanquam oves « pascuæ suæ, nec quempiam eorum perire velit. »

3. — S. Thomas in quodam sermone, qui in ordine primus est in hanc Dominicam, tres allegat causas hujus gaudii in Angelis. « Primo, propter « sui ministerii impletionem; sunt enim ministri « ut moneant nos ad pœnitentiam : *Hebr.*, I, 14. *In « ministerium missi propter eos, qui hæreditatem « capiunt salutis*; secundo, propter dæmonum con« fusionem; tertio, propter Dei honorem. »

4. — S. Bonaventura, *Serm.* IV in hanc Dominicam, Angelos gaudere dicit : « Propter benevo« lentiæ et charitatis latitudinem; latitudo enim « charitatis facit, quod tantum gaudeat Angelus de « bono proximi, quantum de proprio, quia superna « civitas non coangustatur multitudine desiderau« tium, quia nulli diminuitur de suo proprio præ« mio; propter multitudinem præsidentium, imo « inde cuilibet sua gloria crescit, » quia ut S. Augustinus, *lib. de spir. et anim.*, affirmat, « tan« tum unusquisque gaudebit de beatitudine alte« rius, quantum de suo ineffabili gaudio, et quot « socios habebit, tot gaudia habebit; » adeoque in commune cœli emolumentum cedit, quod augeatur multitudo beatorum.

5. — Proprium nostrum interesse et commodum nos movere debet, ut nos Angelis exhibeamus obedientes et obsequiosos, quia hoc faciendo, operamur bonum nostrum. « Angeli quia rationales, » inquit Glossa, « gaudent de reconciliato sibi homine, quod intendit nos ad prohibitam ut agamus « quod illis gratum sit, quorum et affectare patro« cinium et offensam timere debemus. »

6. — Hugo in eumdem textum sequens valde stringens facit argumentum, dicit enim : « Sed si « Angeli ita gaudent de conversione unius pecca« toris, quanto magis nos gaudere debemus, qui « homines et peccatores sumus. »

Super uno peccatore pœnitentiam agente.

7. — Albertus Magnus addit : « Condignam, » juxta illud Lucæ, III, 8 : *Facite ergo dignos fructus pœnitentiæ*, « et hoc est valde rarum; » adducitque S. Ambrosii testimonium, dicentis : « Facilius inve« nies, qui teneat innocentiam, quam qui con« dignam agat pœnitentiam; unum enim de mira« bilibus Dei est, quod homo aversus revertatur, et « quod de faucibus inferni extrahatur ad sinum « Abrahæ; et tamen fit, et est de gloriosis operibus « misericordiæ Dei. »

DOMINICA QUARTA POST PENTECOSTEN

EVANGELIUM LUCÆ, CAP. V, VERS. 1

1. Cum turbæ irruerent in eum, ut audirent verbum Dei, et ipse stabat secus stagnum Genesareth.

2. Et vidit duas naves stantes secus stagnum, piscatores autem descenderant, et lavabant retia.

3. Ascendens autem in unam navim, quæ erat Simonis, rogavit eum a terra reducere pusillum, et sedens docebat de navicula turbas.

4. Ut cessavit autem loqui, dixit ad Simonem : Duc in altum, et laxate retia vestra in capturam :

5. Et respondens Simon, dixit illi : Præceptor, per totam noctem laborantes, nihil cepimus; in verbo autem tuo laxabo rete.

6. Et cum hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem copiosam, rumpebatur autem rete eorum.

7. Et annuerunt sociis, qui erant in alia navi, ut venirent et adjuvarent eos, et venerunt et impleverunt ambas naviculas, ita ut pene mergerentur.

8. Quod cum videret Simon Petrus, procidit ad genua Jesu, dicens : Exi a me, quia homo peccator sum, Domine.

9. Stupor enim circumdederat eum, et omnes qui cum illo erant in captura piscium quam ceperant.

10. Similiter autem Jacobum et Joannem filios Zebedæi, qui erant socii Simonis. Et ait ad Simonem Jesus : Noli timere, ex hoc jam eris homines capiens.

11. Et subductis ad terram navibus, relictis omnibus secuti sunt eum.

VERSUS 1.

Cum turbæ irruerent in eum, ut audirent verbum Dei, ipse stabat secus stagnum Genesareth.

Cum turbæ.

1. — *Cum simplicibus sermocinatio ejus*; tametsi enim Scribæ, Pharisæi et Principes synagogæ, arrectis auribus illum auscultarent, id tamen non alio fine faciebant, quam ut verba ipsius suis possent censuris convellere, *ut caperent eum in sermone. Matth.*, XXII, 15.

2. — Interlinearis ait : « Conventus turbarum, « fidem designat populorum. »

3. — Glossa ordinaria ait : « Nec tempore, nec « loco, turba a studio audiendi cohibetur; vesper « incumbit, et tamen sequitur, stagnum occurrit, « et turba urget. »

4. — Didacus Stella populi hujus in audiendo Christum, devotionem magnam admirans, dicit : « Non solum in templo et synagoga, intra mœnia « civitatis audiebant verbum, sed per montes ac « deserta properabant; » ac profunde nostram nobis exprobrat pigritiam et desidiam, per quam a divino verbo auscultando nos continuo subducimus : « Nos « juxta Ecclesiam habitantes, parum itineris ambu« lare nolumus. »

5. — Hugo Cardinalis varios declarat fines, ob quos multi ex hac turba concurrebant : « Quidam « currebant, ut miracula nova viderent : hi curiosi; « alii ut sanarentur : hi providi; alii ut observent : hi « invidi; alii ut audirent, sicut hic dicitur : hi stu« diosi. »

Irruerunt in eum.

6. — Ex hoc Evangelio, ut S. Ambrosius, *Serm.* LXII, notat, satis manifeste colligitur, qualia et quanta Salvator noster, ad uniuscujusque utilitatem, miracula operatus fuerit : « Describit tanta « per eum beneficia in populum fuisse collata, ut « provocatæ hominum turbæ, ad audiendum illum « magis irruerent, quam eum rogarent, et medici« nam salutis non sperarent per humilitatis gra« tiam, sed per importunitatis injuriam; ita ut « irruentes non reverentiæ Divinitatis parcerent. »

7. — Jansenius in hoc verbo *irruerent*, immensam quamdam, Evangelicam prædicationem audiendi aviditatem, descriptam et expressam esse observat : « Notat Evangelista maximum turbarum « desiderium audiendi verbum Dei. » Ex alia vero parte, Christi erga turbam hanc admodum benefici, vim mire attractivam considerat, utpote, quem sancta hæc turbæ importunitas, non offendit, sed summo gaudio affecit, ut Evangelista insinuat : « Christi benignitatem et ad docendum cupidos « promptitudinem nobis commendat, dum enim « testatur nihil offensum improbitate urgentis tur« bæ, sed illorum desiderio satisfacere volentem, « navim conscendisse. »

8. — S. Ambrosius insuper ad spem harum turbarum sese reflectit, qua se ab infirmitatibus suis sanandas esse confidebant, unde singuli coram se eo certatim sistere contendebant : « Hæc enim « consuetudo infirmantium, ut dum sperant suis « ægritudinibus medicinam ab importuna petitione « non loco prohibeantur, non tempore, sed quanto « plus medetur ille, qui sanat, tanto amplius ille « importunus est, qui laborat. »

Ut audirent verbum Dei.

9. — Ecce tibi hic clare insinuatam causam urgentis et copiose confluentis turbæ : « Vehementi « desiderio movebantur, » inquit S. Bonaventura, « ideo irruebant, considerantes magis Domini bo« nitatem quam majestatem; unde dicit quidam « Expositor : Magni meriti est apud Deum, deside-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

« rium verbi Dei, quod ipsam quoque irreverentiam turbæ irruentis in eum excusat. »

10. — Erant quidem alia quoque in unoquoque calcaria, quibus ad Christi sequelam exstimulabantur; nimirum Christi liberalitas, qui multa hominum millia, pauculis panibus et piscibus miraculose sustentabat, miracula quoque, quæ ad omnium occurrentium utilitatem operabatur; insigniis denique, quem sibi omnes de ejus sanctitate et Divinitate formaverant conceptus; et tamen Spiritus Sanctus, qui *sciebat quid esset in homine*, hæc omnia præteriens, causam, cur turba tanta cum importunitate in Christum irrueret, hanc fuisse dicit, *Joan.*, vi, 69 : *Ut audirent verbum Dei*; siquidem hoc præ quavis alia re, nos ad Deum debet attrahere. Unde S. Petrus ait : *Ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes*; hoc unicum ad vitam beatam comparandam sufficit. Porro Chrysostomus, *Hom.* ii *in laud. Paul.*, brevius quidem, sed valde emphaticis verbis multos verbi Dei auscultati fructus exponit : « Quomodo « non admirabile hoc videtur, cum ex tenera lin« gua sermo prosiliens mœrtem fugat, peccata dis« solvit, tenebras cæcitatis illuminat et mutatione « miritica terram convertit in cœlum? » Unde notandum, quod in Psalmo lxvii, 12, dicatur : *Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multa*, quod quidem intelligi potest non solum quoad energiam et efficaciam, qua illud ministri Evangelii insinuant; verum etiam de virtutibus, quas his verbum Dei cum fructu auscultantibus, communicant, quia verbum Dei multas animabus nostris virtutes inserit.

Et ipse stabat secus stagnum Genesareth.

11. — « Ut, qui miracula fecerat in terra, » inquit S. Bonaventura, *in Luc.*, « faceret etiam in « aquis. » In illis vero aquis multa stupenda miracula patravit, prout videre fuit in illa nimium copiosa piscium captura, in tranquillitate illa maris subitanea et in eo, quod firmos in liquido mari ambulando gressus fecerit.

12. — Venerabilis Beda ait : « Stagnum, præ« sens sæculum designat, Dominus autem non jam « in stagno, quasi in carne passibili; sed secus « stagnum, quia in ea carne, qua passus est, stabi« litatem perpetuæ quietis adiit. »

Additiones.

a. — *Cum turbæ irruerent in Jesum ut audirent verbum Dei.* Turba irruit importuna, ut audiret verbum Dei, primariis et ditioribus domi residentibus, aut temporalibus suis lucris inhiantibus, quia scilicet felicitas corporalis impedit ne vocem Dei audiamus. Moyses Propheta, in Deuteronomio, cum stupore, ne dicam, an cum furore, ingratitudinem populi Dei, qui tot ab eodem Deo beneficiis cœlitus datis, bonorumque terrenorum abundantia superabundanter locupletatus fuerat, reprehendit dicens : *Constituit eum super excelsam terram, ut comederet fructus agrorum, ut sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo; butyrum de armento et lac de ovibus, cum adipe agnorum, et arietum filiorum Basan, et hircos cum medulla tritici, et sanguinem uvæ biberet meracissimum.* At vero quisnam tandem hujus fertilitatis, omniumque bonorum, licet fragilium et caducorum abundantiæ finis ultimatus extitit? *Incrassatus est dilectus, et recalcitravit, dereliquit Deum; in abominationibus ad iracundiam concitaverunt. Deut.*, xxxii, 13, 14, 15.

Porro eadem esset Deo de nobis conquerendi necessitas. Si enim totam hominum circumspicimus universitatem, multos videbimus homines pessimos et tamen adeo fortunatos, ut omnia illis pro voto et animi sententia felicissime succedant; *Psal.* x, 3 : *Laudatur peccator in desideriis animæ suæ et iniquus benedicetur.* At vero quonam hæc cum vita impia summa conjuncta felicitas spectat? Numquid bonum signum esse censebis, si equo indomito frena laxentur, ut pro suo possit libitu discurrere et vagari? prout iis fiebat, de quibus Deus ipse dicit, *Psal.* lxxx, 13 : *Dimisi eos secundum desideria cordis eorum; ibunt in adinventionibus suis.* Utique si sane judicare velis, id idem esse dices, ac si equus effrenis in præruptæ se præcipitia deturbare, aut homo divinam justitiam asperrime irritare et exasperare permitteretur. Unde Psalmista postquam dixisset : *Laudatur in desideriis animæ suæ*, immediate subjungit : *Exacerbavit Dominum.* At vero Deus hoc modo ab ejusmodi exacerbatus, quonam in illos supplicio animadvertet? *Secundum multitudinem iræ suæ non quæret*; quasi diceret : Alia illos pœna non multabit quam permittendo illis desideria cordis eorum adimplere, et prosperrime illis omnia in hac vita evenire; unde prosequitur dicendo : *Inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore*; ubi S. Augustinus ait : « Multum irascitur dum non requirit, dum « quasi obliviscitur, et non attendit, » cujus ratio est, quia tandem aliquando terribilis illa et decretoria, audientur sententia dicentis Judicis : *Quantum glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum. Apoc.*, xviii, 7.

b. — Vide quomodo hæc turba quæ ex plebeiis constabat, non tantum accedat, sed etiam fortiter irruat in Jesum. Sic quandoque etiam inferiores in zelo et fervore superant præpositos, qui tamen obligati sunt suis nunquam non bono prælucere exemplo. Incarnata Sapientia, postquam in terram descendisset, ut hominem doceret, prius per triginta annorum decursum operari voluit, et tandem ultimos tres annos eruditioni impendit; id quod hisce verbis insinuatur : *Cœpit Jesus facere.* Ut scilicet nos instrueret, quod potius facere, quam dicere debeamus, si efficaciter persuadere velimus : « Pensandus est ordo verborum, » inquit Dionysius

Carthusianus, « in eo quod scriptum est : *Cœpit* « *Jesus facere et docere*, ita quod primo exorsus est « operari, deinde quod fecit et docuit. » Nihilominus Chrysostomus observat, quod licet Filius Dei diuturnum servaverit silentium, nihilominus per exemplarem adeo sanctamque vitam efficaciter prædicabat. Ideoque S. hic Doctor, Lucæ Evangelium interpretans ait : « Indicavit, quod Jesus « faciendo docuerit; considera quo pacto Christus « dictis suis, per opera, fidem conciliaverit. » Quando namque, discursus est S. Doctoris, ad mansuetudinem auditores exhortabatur, primum hujus virtutis exemplar semetipsum assignabat. Paupertatem docuit, sed prius eam ipsemet practicavit, veraciter dicens : *Filius hominis non habet ubi caput reclinet.* Dilectionem inimicorum recommendavit, ast et ipse in cruce pro crucifixoribus oravit. Consilium dedit ut tunicam violenter auferenti daremus et vestem; ast iste cum vestimentis totum elargitus est sanguinem. Ita D. Chrysostomus qui tandem subnectit dicens : « Idem ut facerent et discipulis « præcipit; unde et Paulus dixit : *Quemadmodum* « *habetis formam ex nobis*; nihil enim Doctore frigi« dius qui verbis dumtaxat philosophatur, neque « enim hoc Doctoris est, sed histrionis et hypo« critæ; ideoque Apostoli prius vitæ exemplis doce« bant, deinde verbis; quin potius neque verbis « quidem erat opus, cum clamarent opera. » Quantumvis namque Apostoli donum linguarum accepissent, et admirabilis eloquentiæ lumine inebriati essent, nihilominus certissimum est eorumdem prædicationis energiam, plus in sanctorum et admirabilium operum exemplaritate, quam in verborum efficacia fundatam fuisse; siquidem ut S. Gregorius ait : « Ad amorem Dei et proximi, ple« rumque corda audientium, plus exempla quam « verba excitant. »

Cum S. Petrus Antiochiæ demoraretur, conversando cum Gentilibus, noviter Evangelio comparatis, quemvis cibum indifferenter cum eis manducabat; quem tamen vivendi modum, cum Hebræis neophytis minime servabat, ne etiam illis scandalum daret, a cibis per antiquam legem prohibitis abstinebat. Quod observans S. Paulus, zelo fidei stimulatus, acriter eum reprehendit : *Restiti ei in faciem quia reprehensibilis erat. Gal.*, ii, 14. Quod vero hac in re vel maxime proposito nostro deservit, est quod Paulus de semetipso asserat : *Dixi Cephæ coram omnibus : Si tu cum Judæus sis, gentiliter vivis et non judaice, quomodo gentes cogis judaizare?* At vero dicet fortasse nonnemo : qua ratione intelligendum est quod Petrus Gentiles ad ritus Hebraicos consectandos violenter coegerit? Num igitur contrarium facientibus, carceris, vel censurarum pœnas imposuit? Aut si id non fecit, quomodo verbum illud, *cogis*, intelligendum erit? Audiamus S. Thomam ad hoc respondentem : « *Cogis*, inquit, « non imperio, sed exemplo, quia Principis et « Prælati validiora sunt exempla quam verba. »

Apud S. Joannem, x, 4, Christus Salvator noster de bono pastore, id est, de bono Prælato disserens, ait : *Oves vocem ejus audiunt; cum proprias oves emiserit, ante eas vadit et oves illum sequuntur, quia sciunt vocem ejus.* Ecce tibi in hisce verbis clare expressam in bono Prælato relucentis salutaris exempli efficaciam; pastor enim vitæ suæ exemplaritate præcedit, quia *ante oves vadit*; et quid inde sequitur? *Et oves illum sequuntur.* At vero ex quo nulla verborum prolatorum fit mentio, qualis est vox illa, quam oves auscultant? Respondeo, exemplum est vox viva, quod proinde locum verbi supplet; nam ut S. Leo ait : « Validiora sunt exem« pla quam verba. »

c. — Non attenta ea, quæ Domino debebatur reverentia, turbæ irruunt in Jesum; et tamen Centurio, cum pro sanitate pueri rogaret, et Dominus in domum suam ire vellet, dicebat : *Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum. Matt.*, viii, 8. Valde autem mirum, quod turbæ irruunt in Jesum et veluti inter se urgent, Centurio tamen ob magnam reverentiam, cum maxime præsentia Christi æstuaret, Dominum ne in domum suam iret, avertebat. Causam vero tantæ in Centurione reverentiæ assignat D. Augustinus, *Serm.*, cxv *de diversis.* « Sic « Centurio, » ait, « interius præsentem corde tene« bat, cujus a suo tecto præsentiam honorifice « revocabat. » Hoc enim certum est, quod quanto quis majorem de Deo cognitionem habet, tanto ei majorem præstat reverentiam et venerationem; quæ cognitio, si in ullo aliquo, saltem in S. Eucharistia necessaria est, cui proinde semper antequam sumatur, attenta consideratio præmittatur.

d. — Haymon hunc locum : *Et ipse stabat secus stagnum Genesareth*, pulchra moralitate illustrat. Mare, inquit, mortalem ac caducam hanc vitam designat, quia sicut mare in fluctuatione est, sic præsens hæc vita semper est in altercatione. Littus autem, seu statio significat immortalitatis gloriæ permanentiam; quia Dominus, post suam resurrectionem habuit fixam suæ æternæ quietis permanentiam, talemque beati habebunt. Inter alias hujus miserabilis vitæ nostræ miseriis, quas S. Job deplorat, una hæc est : *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis; qui quasi flos egreditur, et conteritur, et fugit velut umbra, et nunquam in eodem statu permanet. Job.*, xiv, 1, 2. Continuam namque in ætate, in vultu, in valetudine, in aliis naturæ et fortunæ bonis instabilitatem et mutationem hic in terra cernimus. Unde S. Anselmus ait : « In hac vita quis potest habere unde « securus valeat esse? Sub eodem enim momento « pauper ex divite, mortuus ex vivo potest exis« tere. » E contra vero, de anima beata idem scribit : « Quidquid voluerit habebit et nihil ex eo se

« amissurum timebit. » Hanc quoque mutabilitatem D. Chrysostomus his verbis considerat : « Velut somnium sunt omnia sensibilia et generationi supposita sunt, et corruptioni. Licet enim corporis fortitudinem habeamus, ipsam dejicit ægritudo, lætitiam excipit tribulatio, pulchritudini succedit senectus. Si mensa lauta fruamur, superveniens vesper voluptatem dissolvit, et præsentia sunt aranea imbecilliora, et somnis fallaciora. »

e. — Cardinalis Hugo alludens ad proprietatem illius stagni, quod fluentibus aquis, auram quamdam generabat, sic ait : « Stagnum Genesareth significat divitiarum terrenarum abundantiam, quæ auras inanis gloriæ, superbiæ et rixæ atque discordiæ ex se generat. » Avaritia enim et divitiarum cupiditas omnis mali maximeque odiorum et rixarum inter proximos est origo. Sixtus Papa III, vel quisquis auctor est libri illius, in quo sub ejus nomine de divitiis diffuse tractatur, longum quemdam malorum culpæ et pœnæ ex viliata humanæ cupiditatis radice provenientium texit catalogum dicens : « Quis sapiens dubitet cupiditatem fontem omnium malorum, radicem scelerum, culparum fomitem, propter quam nec terra, nec maria, nec ullus omnino locus, aut secure inhabitatur, aut sine pavore transitur? Hujus concupiscentiæ causa, prædones in fluctibus, in itineribus latrones, in vicis et urbibus fures; propter hanc circumventiones, rapinæ, mendacia, perjuria, falsa testimonia, fraudes, impietates; hujus causa innocentium sanguine quotidie terra polluitur, spoliatur pauper, miser opprimitur, nec viduis, aut orphanis parcitur; propter hanc omnibus pene momentis lex divina contemnitur; hujus causa nonnunquam expugnatur pudor, castitas vincitur, et per illicitas voluptates impudens libido vagatur; per hanc sæpe parricidia partim votis, partim operibus perpetrantur. »

Has tamen divitias quas stagnum significat Genesareth, natura labiles, defectui subjectas, peccatorum procellis expositas, qui assecurare cupit, bene constructæ navi, id est, manibus pauperum consignet. D. Chrysostomus ad præceptum illud Christi : *Vendite quæ possidetis et date eleemosynam*, se reflectens, *Serm.* XXIII, his verbis scribit : « Tali providentia Dominus, consilio tali, vilia et caduca jubet ut vendamus, ut largiamur, ut donemus, qui in cœlesti regno omnia, quæ in cœlo et quæ in terra sunt, volumus possidere. Sed si vis servare tuorum pretia prædiorum et sæculorum forte condita te delectant, fac tibi sacculos, quales ille præcepit, qui jam cupiditatis tuæ custos est et provisor. Denique ut vidit quia duriter dixit : *Vendite quæ possidetis*, mox adjecit : *Facite vobis sacculos qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cœlis.* » Idem quoque Sanctus, motivum efficacissimum suggerit, quo ad bona nostra pauperibus audacter confidenda permoveamur; dicit enim : « Iterum contristatus es, quia quod habes, in cœlis cogeris collocare? Rogo, crede Deo tuo, qui servo credis et magis Deo quam homini commenda. Sed si times, ne quid inde præsumat, ne quid disperdat pietas largitoris, signa fidei annulo sacculos tuos, ut tali custode dormias securus, quia ubi ille est, ibi locus nullus est furi. »

Versus 2.

Et vidit duas naves, stantes secus stagnum, piscatores autem descenderant et lavabant retia.

Et vidit duas naves stantes secus stagnum.

1. — Albertus Magnus per duas hasce naves, duas denotari Ecclesias existimat, quæ mutuis inter se nexibus conjungendæ erant, scilicet Ecclesiam Circumcisionis et Gentilium Ecclesiam, utrumque enim populum inter se coadunavit. Idipsum quoque S. Bonaventura, *Serm.* II *in hac Dom.*, his verbis dicit : « Scilicet Ecclesiam de gentibus et de Judæis; vel prima navis est innocentia secunda pœnitentia. » Idem quoque Albertus dicit, ita scribens : « Innocentiæ et pœnitentiæ salutaris duas tabulas præparans. »

Piscatores autem descenderant.

2. — Qualiter hæc verba in sensu morali intelligenda sint, Albertus Magnus optime declarat, dum per hosce piscatores, Prælatos et Prædicatores intelligendos esse dicit, utpote quibus piscatio imposita est animarum, *Jer.*, XVI, 16 : *Mittam eis piscatores multos et piscabuntur eos*; hi a navibus descendunt, cum ab utilitate proximi, cui per curam et prædicationem intendunt, ad considerationem sui humiliter redeunt.

Et lavabant retia.

3. — Dicat fortasse hic aliquis : Ex quo per totam noctem piscando ne vel minimum ceperint pisciculum : *Per totam noctem laborantes, nihil cepimus*, quo igitur fine retia lavabant, quæ jamjam satis lota ex aquis extraxerant? *Omnia in figura contingebant.* Etenim Prædicatores Evangelici sæpenumero sibimetipsis causam adscribere debent, quod nullum ex prædicationibus suis animarum lucrum reportent, quia retia sua non lavant, id est, animam propriam ab omni vitio, imo ab omni culpæ nævo abluere et purificare non student.

4. — Glossa ait : « Lota retia plicat, qui intermisso prædicandi officio, quod alios docuit, ille implere satagit. »

5. — Haymo Halberstadiensis in alio sensu illud exponit, dicendo, quod tunc piscatores retia lavent, quando « Prædicatores sanctæ Ecclesiæ, post expletam prædicationem lacrymis abluunt, quod in prædicatione, aut forte per jactantiam, aut negligentiam deliquerunt. »

6. — Albertus Magnus hanc lotionem interpretatur, quoad defectus contractos ab illis, qui regimen animarum administrant : « Quæ ex cura pastorali vel doctrina adhæret; debet autem lotio ista maxime esse de tribus; a sermone videlicet adulationis, a limo turpis quæstus et a turbatione inanis gloriæ. »

7. — Lucas Brugensis lotionem hanc in sensu litterali exponit, dicens : « Lavabant a limo et cæteris sordibus, quas nocturno usu contraxerant, ut mandata complicarent et reponerent in aliud tempus, nulla jam cum esset prædæ capiendæ spes; » at vero in hac eadem occasione usitatus divinæ providentiæ stylus mire eluxit, hæc enim, quando secundum modum discurrendi nostrum procul a nobis remota esse videtur, tunc vel maxime est propinqua et vicina, plurimumque superabundabat; siquidem *Concluserunt piscium multitudinem copiosam; juxta est Dominus his, qui tribulato sunt corde.*

Additiones.

a. — *Et vidit duas naves stantes secus stagnum.* Dominus oculis suæ misericordiæ vidit duas naves, unam Petri et Andreæ, alteram filiorum Zebedæi; et vidit has duas naviculas, licet in se humiles, ad magna tamen mysteria destinatas. Per has duas naves Haymon et Hericus intelligunt duos populos, Gentilem et Judaicum, quos mirabili prorsus modo, et etiam inter persecutiones gravissimas in una fide adunavit, ex quo probatur veritatem fidei Dei solius opus esse, quia semper inter tot persecutionum fluctus perseveravit.

b. — Per has duas naves, apte intelliges amorem Dei et proximi, in virtute cujus sine naufragio per hujus mundi pelagus, ad portum navigamus beatitudinis æternæ. D. Thomas, in *opusculo* LXI, *cap.* XXVII, loquens de charitate, per auctoritatem quamdam S. Hieronymi, asserit : « Quilibet motus ejus valet regnum cœlorum; » idque per quamdam in Evangelio assertam promissionem, optime probat, nimirum : *Quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantum, in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam. Matth.*, X, 42; adeo unica duntaxat illius ignis scintilla ad Paradisi possessionem capiendam sufficit. Salvator noster jure merito nos exhortatur ut de thesauro in cœlis expectando solliciti simus : *Thesaurisate vobis thesauros in cœlo.* Hoc enim fiet si divino amori totaliter dediti fuerimus; nam ex mente S. Thomæ Villanovani, thesaurus indeficiens est amor divinus : « Hic ille thesaurus in agro absconditus, *quem qui invenit, dedit omnia sua et emit agrum illum.* » Et tamen hoc non obstante, per quotidianam experientiam, proh dolor, videmus quod amor cordis humani non dirigatur in Deum, sed prosequatur aurum, non obstante quod illud e profundis terræ visceribus, quæ sua cum inferno vicina confinia habent, erui videamus, hacque ratione e cœli via turpiter aberramus.

c. — Dominus Jesus ad stagnum Genesareth oculos convertens, vidit duas naves; et quid aliud cerni potest in vastissimo pelago mundalis vitæ? Nihil mundus exhibere potest præter naves. Navis est quivis homo, furentibus fluctibus undequaque cinctus. Psalmus CVI ejus miserias apprime describit : *Qui descendunt mare in navibus, facientes operationem in aquis multis; ipsi viderunt opera Domini et mirabilia ejus in profundo.* Sed quæ opera quæ mirabilia Dei vident isti in mari? Jam explicat dum ait : *Dixit et stetit spiritus procellæ, et exaltati sunt fluctus ejus. Ascendunt usque ad cœlos et descendunt usque ad abyssos. Anima eorum in malis tabescebat; turbati sunt et moti sunt sicut ebrius; et omnis sapientia eorum devorata est.* Ecce tibi cujusmodi vita humana in mundo est, nimirum navis commendata fluctibus tempestate actis.

d. — *Piscatores autem descenderant, et lavabant retia.* Glossa hic sic habet : « Lavabant retia ut ea plicarent. Lota vero retia plicat Doctor qui intermisso prædicationis officio, quod alios docuit, ipse implere satagit, » quia plus persuadent opera quam verba. Ingeniosa est S. Petri Chrysologi, in ordine ad philosophos morales antiquos, consideratio, qui vivis quidem rationibus et argumentis convincentibus contemptum mundi, sequelam virtutis et vitii fugam persuadebant; nec tamen quidquam inde apud auditores proficiebant. « Audiant, » inquit Chrysologus, « qui de bono mortis veterum vetusta volumina detriverunt, nihil tamen inde capere virtutis aut consolationis aliquid invenire voluerunt, quia etsi totis eloquentiæ viribus ad tolerantiam mortis armarunt animos, siccarunt lacrymas, suspiria sustulerunt, nihil tamen, aut de spe certa, aut de perpetua vita, aut de vera suis lectoribus salute conquisierunt. » Deinde Doctor causam examinat, cur doctrinæ illorum, cæteroquin ad intellectum convincendum efficaces, ad voluntatem tamen movendam, nec quidquam effecerint. Dicit igitur : « Sed hæc talia cum dixerint, dicunt totum de sententia, non de vita. » Non vero sic fuere Doctores sacri, scilicet S. Augustinus, S. Gregorius, S. Ambrosius, S. Joannes Chrysostomus, et similes alii, qui nullam in scriptis suis suaserunt virtutem, quin prius in semetipsis camdem practicarint. Si propriæ vitæ contemptum pro salute proximi, in scriptis suis docebant, ipsi primi fuerant qui vitam pro salute proximi, in scriptis suis docebant, ipsi primi fuerant qui vitam pro salute gregis sui, vel pro defensione honoris Dei contumeliati, vel denique pro

fidei confessione, constanter exponerent. Optime igitur S. Hieronymus Nepotianum, *Epis.* x, monet, dicens : « Non confundant opera tua sermonem « tuum, ne cum in Ecclesia loqueris, tacitus qui« que respondeat : Cur ergo hæc quæ dicis, ipse « non facis ? Delicatus magister est, qui pleno ven« tre de jejuniis disputat; accusare avaritiam et « latro potest : Sacerdotis Christi, os manusque « concordent. » Celebre est factum illud quod in sancti et Seraphici Francisci Assisinatis vita legitur ; hic enim die quadam socio suo ait : « Exea« mus ad prædicandum. » Quo dicto, aliquot civitatis plateas obibat, moxque ad conventum denuo rediit ; cui socius ait : « Ergone Pater sancte, non « prædicabimus ? » Cui Sanctus subintulit : « Jam « de facto prædicationem nostram perfecimus. » Illa namque religiosa morum compositio et modestia, qua per plateas eundo hominibus præluximus, salutaris quædam prædicatio fuit; qua omnes ad devotionem et compunctionem permoveri debuerunt.

VERSUS 3.

Ascendens autem in unam navim, quæ erat Simonis, rogavit eum a terra reducere pusillum, et sedens docebat de navicula turbas.

Ascendens autem in unam navim.

1. — Tametsi duæ tantum naves ibi præsto fuerint, Dominus tamen noster non nisi unicam solam ingressus fuit, alia autem fortunam hanc nequaquam habuit, ut a sacris ejus contingeretur aut calcaretur plantarum vestigiis; id quod non sine mysterio factum fuit. Albertus Magnus ait : « In « *unam*, una est enim Ecclesia, uno Spiritu vivificata, « mota et communicata. » S. Ambrosius, *Serm.* xi, unam vacuam mansisse notat : « Una relinquitur ad « terram, inanis et vacua; altera producitur in altum « onusta et plena; vacua enim synagoga relinquitur « in littore, quia Christum cum Prophetarum amisit « oraculis ; onusta autem Ecclesia in cœlum assu« mitur, quia Dominum cum Apostolorum doctrina « suscipit. »

2. — Quæri hoc loco posset, cur dominus naviculæ istius se non opposuerit, quando Christum navem suam occupare vidit? Theophylactus respondet : « Dominum navis non reliquit irremuneratum, « sed bifariam ei benefecit, quia et multitudinem « piscium ei donavit et discipulum suum fecit. »

3. — Albertus Magnus se ad verbum *ascendens* inflectit, dicitque : « Quilibet Prælatus in conside« ratione sui debet esse humilis, in regimine « autem debet ascendere culmen auctoritatis ; » citatque auctoritatem S. Augustini, in Regula de communi vita clericorum, ita scribentis : « Honore « coram vobis Prælatus sit vobis, timore coram « Deo, substratus sit pedibus vestris, quo enim « altior est in auctoritate, eo debet esse humilior « in sui consideratione. »

4. — Sed dices fortasse, cur Sapientia incarnata Evangelium annuntiare volens, hoc usa est pergamo? cur non sublimiori aut excellentiori quadam usus est cathedra? Nimirum ut nos doceret, quod nullus locus ad loquendum de Deo, seu divinum ejus verbum prædicandum improprius sit aut inopportunus; unde Cajetanus ait : « Nullus locus inep« tus ad docendum, quæ Dei sunt, censetur; modo « in synagoga, modo in campo, modo de navi « secus stagnum prædicat Jesus. » Jansenius desiderium considerat, quod Christus habebat, tunc sine dilatione satisfaciendi populis istis ad prædicationem ejus audiendam avide anhelantibus; unde dicit : « Illorum desiderio satisfacere volentem, « navim conscendisse, e qua a tumultu et com« pressione populi liber, tranquillus docere et me« lius audiri posset. »

Quæ erat Simonis.

5. — Ambrosius, *Serm.* xi, ait : « Ergo Petri « navem eligit, Moysis deserit, hoc est, spernit « synagogam perfidam, fidelem assumit Eccle« siam; » alia navis prope terram inanis et vacua remansit, hæc vero in altum mare perducta fuit. Idem S. Ambrosius ait : « Synagoga remanet ad « terram, quasi terrenis inhærens operationibus : « Ecclesia autem in altitudinem revocatur, tan« quam cœlorum profunda Sacramenta discutiens. »

6. — S. Bonaventura, *Serm.* I *in hac Dom.*, ait : « Navis Simonis est Ecclesia, Simoni commissa. » Jansenius non solum hanc navis Petrinæ electionem considerat, verum etiam, quod Simoni et non aliis dixerit : *Duc in altum*, et paulo post : *Noli timere, ex hoc jam eris homines capiens*, quæ omnia primatum ejus manifeste insinuabant : « Petri in Ecclesia « prærogativam et primatum a Domino dandum « indicant, quodque primum ab eo faciendum esset « rete Evangelicum in mundo et Ecclesia, cujus « Petrus caput esset, deberet esse, quicumque jussu « Domini rete esset jactatus. »

7. — S. Bonaventura in Lucam ait : « Ipsum « tanquam pauperem et humilem præeligendo, « secundum illud : *Nonne Deus elegit pauperes in* « *hoc mundo. Jac.*, II, 15. »

Rogavit.

8. — Toletus specialiter ponderat, quod benignissimus Salvator summa cum civilitate et modestia cum Petro egerit, eum scilicet rogando : *Rogavit* : « Potuisset quidem omnium Dominus « imperare et compellere, sed suæ humanitatis et « mansuetudinis voluit exemplum exhibere omni« bus, præsertim majoribus, ut in iis, quæ a mino« ribus impetrare humanitate possunt, vim potes« tatis suæ deponant. »

9. — Enimvero quæri hoc loco potest, cur Salvator S. Petrum rogarit, ut a terra pusillum reducat, cum tamen nec verbum quidem illi locutus fuerit, priusquam navim ejus ingrediens, possessionem illius acciperet? Idem Cardinalis cum S. Ambrosio, *Serm.* xi, respondet : « Cum ab « irruentibus turbis semotus, in terra esse non « posset, aspiciens in mari duas naviculas, unam « Petri navim omni festinatione conscendit, ut im« portunitatis injuriam aquarum natura depelle« ret; » hæc autem subita festinatio ad hoc, ut navim ejus ingrediendi licentiam peteret, tempus ei non indulsit; jam vero intra navim constitutus, omnem defectum antecedentem, si tamen talis commissus fuisset, hoc verbo *Rogavit*, emendat; hac tamen ratione admissa, potius dicendum videtur, hoc totum factum fuisse causa mysterii.

10. — Idem quoque verbum a Carthusiano his verbis ponderatur : « Ex hoc ostenditur maxima « Christi dignatio, mansuetudo, et pietas quod Pe« trum pro tam parva re tam modeste, humiliter« que rogavit, etsi præcipere potuit ; docens Præla« tos, ut proniores sint ad monendum, quam ad « præcipiendum, magisque cupiant diligi quam « timeri, II *Thess.*, IV, 1 : *Non dominantes*, etc. « *Rogamus vos et obsecramus in Domino.* »

11. — S. Bonaventura quoque hanc eamdem humilitatem admiratur, dum ait : « Nota hic humi« litatem Domini, quia rogabat Petrum servum « suum. » Qui idem testimonium citat S. Ambrosii advertentis, quod Deus sibi a nobis servitium præstari velit, non per violentiam, sed libera voluntate : « Coacta servitia Deo non placent, tum quia, ut « dicit Seneca : Generosus est animus hominis et « facilius ducitur, quam trahitur. »

12. — Didacus Stella in ea est opinione, quod Salvator noster non solum hac urbanitate usus fuerit erga Petrum, dum illum, ut a terra pusillum reduceret, rogavit, sed etiam quando navim ejusdem conscendit; tametsi S. Lucas idipsum non referat, qua in re nos docere voluit : « Nullum « esse opus Deo acceptum, nisi sit voluntarium; « nam opus bonum ex dilectione pensatur, nam « *hilarem datorem diligit Deus*; quanto plus dilec« tionis opus habuerit, tanto magis Deo erit accep« tum et meritorium. »

A terra reducere pusillum.

13. — « Qui enim vult alios docere, » inquit S. Bonaventura, *in Luc.*, « debet interiori affectu « terrena contemnere. » Quotquot enim animo ab his terrenis rebus magis alieno hic in terris vixerunt, efficaciora semper fuerunt in prædicatione Dei instrumenta, innumerasque et admirabiles fecerunt animarum conversiones, prouti in SS. Dominico, Francisco, Bernardino Senensi et aliis videre licet : *Et ego, si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum. Joan.*, XII, 12. Sic quoque Apostolus, qui Gentium Doctor fuit, cuique totius mundi conversio attribuitur, hunc terrenarum rerum contemptum in summo gradu professus fuit, dum ait, *Phil.*, III, 8 : *Omnia arbitror ut stercora*; non vestra sed vos. De Apostolis quoque dicitur : *In omnem terram exivit sonus eorum et in fines orbis terræ verba eorum*, idque, quia hæ tubæ Apostolicæ intus in animo suo omnibus erant terrenis cupiditatibus inanes et vacuæ. Nam, ut Hugo Cardinalis ait : « Tuba, per quam designatur Prædicator, non re« sonat, nisi vacua, et Prædicator debet esse vacuus, « per rerum terrenarum contemptum. »

14. — Albertus Magnus in sensu mystico optime dicit, doctrinam Evangelicam tribus potissimum modis, a terra, id est, ab effectibus terrenis pusillum abduci ; nimirum : « In sensu verbi, in con« versatione audientis, et in affectu verbum capien« tis. In sensu verbi, quia novellus auditor profunda « non intelligit, sed ea, quæ juxta terrenas simili« tudines dicuntur, melius sapit ; in conversatione, « quia talibus non sunt imponenda gravia, sed « levia ; non multum a conversatione civili elon« gata, et tunc melius portant ; in affectu autem « carnali non longe sunt removendi, quin relin« quantur eis temporalia, et ordinetur dispensatio, « *Prov.*, XXX, 8 : *Mendicitatem et divitias ne dederis* « *mihi, tantum victui meo tribue necessaria.* Medio « modo eundum est cum auditoribus. »

15. — Venerabilis Beda similiter hinc colligi dicit, quod Prædicatores erga auditores suos mediocritatis viam tenere debeant ; dicit enim : « Signi« ficat vel temperate utendum verbo ad turbas, ut « nec terrena eis præcipiantur, nec sic a terrenis « in profunda Sacramentorum recedatur, ut ea « penitus non intelligant. » Ejusdem quoque sententiæ Hugo Cardinalis fuit, quod scilicet non subito Prædicatores suis in sermonibus auditores suos ad bona temporalia deserenda hortari debeant : « Sed pusillum, hoc est, paulatim ab amore « terrenorum retrahendi sunt. » Præterea his verbis Christus dicere voluit, quod primo a rebus facilibus, minorisque ponderis et momenti inchoandum sit, et sic paulatim ad graviora descendere possunt.

16. — S. Gregorius ait : « Etiam a terra paulu« lum reduci jubet, quam nec in altum duci, et « tamen a terra præcipit removeri, profecto signi« ficans, Prædicatores suos rudibus debere populis « nec alta nimis de cœlestibus, nec tamen terrena « prædicare. »

Et sedens.

17. — Toletus sessionis hujus mysterium his verbis enucleat : « Sedens autem docet, ut prædi« cationis gravitas et docentis majestas indicentur. »

18. — S. Thomas in sensu morali, *Serm. in hac Dom.*, ita scribit : « Per naviculam intelligitur sanc-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

« titas vitæ, in qua debet sedere, qui alios vult « docere. »

19. — Didacus Stella dicit : « Sedit, ut non « perfunctorie et velut aliud agens, sed summa « cura et maximo conatu infirmitatibus animæ tuæ « medeatur, admirabilis doctrinæ excellentia. »

20. — Considerandum quoque est, quod Spiritus Sanctus, de quo Christus Apostolis suis dixit, *Joan.*, XVI, 13 : *Docebit vos omnem veritatem*, quando super illos descendit, ut ipsos Magistros et Ecclesiæ faceret prædicatores, *sedit supra singulos eorum*, idque, ut Theophylactus ait : « Quia orbis « terrarum Doctores designabantur et ordinaban- « tur. » Dici quoque potest per hanc Christi in navi Petri sessionem, auctoritatem et potestatem indicatam fuisse, quam ipse suæ impertiebatur Ecclesiæ, omnes in rebus ad mores et dogmata fidei et religionis catholicæ spectantibus erudiendi, navis igitur cathedram figurabant D. Petri. Interlinearis super præfatum locum Actuum Apostolicorum scribens, dicit : « Quod sedet, regia potestas est. » Œcumenius dicit, quod sessio illa erat « stabilitatem signi- « ficans, dictio enim *sedit*, idem significat quod « *permansit*; » et ideo per sessionem illam monstrare nobis voluit, quod doctrina illa, quæ in navi Petri annuntiabatur, ut futura esset stabilis, nec unquam defectura; quidquid enim Christus prædicavit in Ecclesia, manet, manebitque deinceps in finem usque sæculorum. « Sedendi verbum, » inquit pariter D. Chrysostomus in Acta Apostolorum, « stabi- « litatem declarat. »

Docebat de navicula.

21. — Quævis alia doctrina, quæ foris extra hanc navim prædicatur, potest esse suspecta, solum illa, quæ ex hac navicula, id est, ex cathedra D. Petri docetur, infallibilis ipsissimaque veritas est.

22. — Didacus Stella ait : « Sedit docens in na- « vicula Petri, uti insinuet, se Ecclesiæ suæ semper « assistere, quæ navicula Petri est; nunquam dere- « linquit, semper eam docet et erudit. De navicula « docet, ut insinuet, neminem posse docere, qui « extra naviculam Petri sit, nam qui extra Eccle- « siam docet, is non bene docet, sed potius se- « ducit. »

23. — S. Lucas quidem, quænam hujusce prædicationis Christi materia fuerit, non exprimit nec declarat; Lucas tamen Brugensis dicit : « Prima « Christi concio, *Matth.*, IV, 17 : *Pœnitentiam agite*, « *appropinquavit enim regnum cœlorum*, diligentis- « sime observanda est; hæc enim est compendium « et summa omnium Christi concionum. »

24. — S. Ambrosius Salvatoris nostri admiratur benignitatem, utpote qui voluntati devotorum suorum condescendit, a quibus tametsi corpore procul remotus esset, mediante tamen salutari doctrina, quam illis ministrabat, intime conjunctus erat : « Videte misericordiam Salvatoris; separatur, qui- « dem ab hominibus corpore, doctrinæ tamen iis « utilitate conjungitur, ubique miseretur, ubique « prodest; in terra positus, per tactus languores « corporum sanat, in mari constitutus per doctri- « nam vulnera curat animarum. » Nazianzenus ait : « Cunctis condescendens, ut a profundis « extrahat piscem, hominem scilicet, natantem in « mobilibus rebus et amaris hujus vitæ procellis. »

Turbas.

25. — Hugo Cardinalis considerat, quod non principes synagogæ, non Scribas et Pharisæos docuerit, sed populares. S. Bonaventura ait : « Id est, « simplices et humiles : *Cum simplicibus sermoci-* « *natio ejus; quia abscondisti hæc a sapientibus et* « *prudentibus, et revelasti ea parvulis.* »

Additiones.

a. — *Ascendens autem in unam navim, quæ erat Simonis*, etc. D. Ambrosius, *Serm.* LII, has duas, quid significent nobis explicat naviculas. Zebedæi navis synagogam designat, in qua Deus olim per mare Rubrum navigavit. Et quia synagoga Judæorum multis injuriis ac obdurationibus lacesserat Dominum, merito hæc navis vacua contemnitur et derelinquitur. At fidelis navicula Petri, scilicet Ecclesia efigitur, at multis sit donis repleta. Qui enim, ut synagoga pro beneficiis datis injurias rependit et solvit, merito deseritur ac repellitur. Et quo majora sunt beneficia, eo severiora sunt supplicia ingratorum.

Inter alia beneficia quibus Deus honorat quandoque ingratos, licet mysterii nescios, est gratiarum divinarum subtractio, ne majorem sibi comparent et adsciscant suppliciorum severitatem; dicente S. Joanne Damascena : « Deus eorum, quos beneficio « afficit, salutis vehementius consulens, interdum « non statim dona sua ipsis impertit, atque infun- « dit, idque utilitatis ipsorum causa; ne scilicet « majori supplicio obnoxii reddantur, qui divinas « gratias proculcarint. » Ita Nazareni Christi improbabant in miraculis apud ipsos perpetrandis, aliisque beneficiis in eos conferendis raritatem, cum tamen apud alios prodigus esset, dicente Scriptura : *Pertransiit benefaciendo et sanando omnes.* Sed non attendebant miseri, hanc ipsam parcitatem, eorum esse beneficium; cognoscens itaque Christus eorum ingratitudinem, a severioribus subsecuturis eos volebat eximere suppliciis. Licet enim de toto genere humano vereficetur, quod *Deus in propria venit, et sui eum non receperunt*, nihilominus culpæ hujus, vel maxime rei extiterunt proprii populares. Nazareth enim Dominus inter omnes mundi civitates solemni illa cœlitus missa legatione, Reginæ cœlorum natalibus atque, incolatu diurno, ipsiusmet Christi incarnatione, educatione et supra triginta

annos apud ipsos demoratione honoravit. Numquid plura hominibus istis præstare poterat Deus beneficia? Et nihilominus ingratissimi præsentem Messiam agnoscere non laborarunt, imo adversus ipsum concitati, e civitate ejecerunt, supraque montis verticem, ut præcipitaretur deorsum conduxerunt. Tantam itaque Judæorum invidiam, malitiam et ingratitudinem probe sciens Deus, majora iis beneficia exhibere detrectavit. « Considera post quantam « signorum manifestationem, » inquit D. Chrysostomus, *Hom.* XLIX *in Matth.*, « ad ipsos venerit et ne « sic quidem rursus sustinuerit; quin rursus odio « inflammarentur, quocirca nec fecit signa multa, « ne majus supplicium illis accresceret. » Lamentabantur illi dicentes : *Qualia fecisti in Capharnaum, fac et hic in patria tua.* Ast quia Capharnaum ex beneficiis receptis fructum non tulerat, merito et contra hanc sibi datam injuriam exclamavit Christus, *Marc.*, XI, 23 : *Et tu Capharnaum, numquid usque in cœlum exaltaberis? usque in infernum descendes; quia si in Sodomis factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in te, forte mansissent usque in hanc diem. Verumtamen dico vobis, quia terræ Sodomorum remissius erit in die judicii quam tibi.* Ideoque S. Bernardus, *Serm. contra ingrat.*, ita scribit : « Nec « reprehensibile, quod instanter petimus, sed plane « petitioni negat effectum, quod invenimur ingrati. « Et forte hoc etiam clementia videtur ingratis « negare, quod postulant, ne contingat nobis ut « tanto gravius de ingratitudine judicemur, quanto « magis accumulatis beneficiis ingrati probabimur « extitisse. »

b. — Christus e navi docens turbas, non longe a terra volebat reduci navem, sed pusillum. Quia Prædicator docens populum, non omnino debet a mundo separari, ita ut non conspiciatur; quinimo convenit, ut bona opera ejus videat; magna enim est Ecclesiasticorum obligatio, ut proximis sæcularibus bonum præbeant exemplum, ut quod verbis docent, operibus confirmetur. Ideoque Salvator noster illos speciali præcepto ad hoc obstringit, dicens : *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est. Matth.*, V, 16. Ubi S. Chrysostomus ait : « Sic illuminate docentes, ut non vestra « tantum audiant verba, sed ut opera videant. Per « illos, qui docent et faciunt, magnificatur Deus, « nam disciplina domini ex moribus familiæ de- « monstratur. » Familia autem sunt Clerici et Sacerdotes, utpote qui divino ipsius ministerio dedicati sunt et consecrati. Ac proinde a S. Paulo domestici Dei appellantur.

S. Paulus qualitates, quæ in iis, qui ad regimen animarum sunt destinati, concurrere debent, præscribens, ait, I *Tim.*, III, 2 : *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse; oportet illum et testimonium habere ab iis qui foris sunt.* Alibi pariter ad Titum, I, 7, ita scribit : *Oportet Episcopum sine crimine esse, non superbum, non iracundum, non vinolentum, non turpis lucri cupidum, sed hospitalem, benignum, sobrium, justum, sanctum, continentem, amplectentem, qui secundum doctrinam est fidelem sermonem.* Moxque rationem reddit, cur illum tot virtutibus tantaque exemplaritate dotatum esse desideret, scilicet : *Ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt arguere.* Vultisne scire quænam vere doctrina sana censenda sit? Interlinearis super illa verba : *Luceat lux vestra*, inquit : « Vere docet « qui facit quod docet. » E contra vero male docet, qui exhortatur, admonet et præcipit bona, ipse vero doctrinæ suæ propriis operibus minime correspondet. « Male doces, si male agens bene loquaris, » inquit Petrus Blesensis; « fortior enim vox operis, « quam oris. » Idem quoque insignem habet observationem circa Sacerdotum ordinationem : « In « ordinatione Sacerdotis, » inquit, « labia et manus « Domino consecrantur. » Cum enim officium Sacerdotum sit animas in timore instruere et erudire, easque in viam bonam præceptorum divinorum dirigere, eo ipso, quo sæculares malis operibus suis scandalizant, doctrinæ a se traditæ fidem adimunt, tametsi alias a veritate non discordet. Ac proinde salutare est illud S. Prosperi consilium, dicentis : « Sancte vivendum est Sacerdoti, ne dicta « sua repugnantibus factis evacuet, si, quod præ- « dicat fieri debere, non faciat, aut si, quod non « facit, prædicare præsumpserit; si autem aliter « egerit, nihil apud eos, qui ejus vitam novere, « proficit. »

c. — Stabant turbæ, Christus vero sedebat, ostendens auctoritatem et reverentiam, qua sæculares tenentur colere et revereri Sacerdotes in recognitionem magnorum beneficiorum quæ ab illis recipiunt. S. Apostolus, *Heb.*, XIII, 17, monitum quoddam salutare tradit, ad Sacerdotes magis honorandos seita utilissimum : *Obedite præpositis vestris et subjacete eis*, inquit. Quodnam vero hujus subjectionis et obedientiæ motivum esse existimas? Subdit Apostolus : *Ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant et non gementes.* Honorandi itaque sunt Sacerdotes, quia illis salutis nostræ, non corporalis spiritualis et æternæ sollicitudo incumbit; adeo ut honores et obsequia, quorum illis debitores sumus, a nobis titulo oneroso recipiant. Majori atque cum gaudio et voluptate onus ministerii sui in beneficium nostrum portabunt, si nos illis obedientes et subjectos esse experiantur, videntes sudores et labores, quos nostri causa subeunt, non esse inutiles. Sic quoque agricola gaudet, quando terram quam aratro et ligone suo excoluit, abundantem fructum reddere conspicit. Audismus S. Carolum Borromæum hac de re loquentem; quando enim Parochus præscribit, ut subjectæ sibi plebi, debitum Ecclesiasticis

a sæcularibus deferendum respectum insinuare satagant, ita scribit : « Fidelibus ostendet, quanta sit « cleri dignitas et quo honore digni Ecclesiæ minis- « tri; proinde graviter paterneque eos arguet, qui « clericos Sacerdotesque negligunt vel aspernantur. « Proponet illis molestiam, curas, vigilias, quas « populi causa illi sustinent, usque adeo, ut isti « intelligant honorem, quem ipsi clericali, sacer- « dotalive dignitati præstant, non tanti esse qui « dignitati officii et laborum sacerdotalium, cleri- « catiumque magnitudinem adæquet. » Quot et quam insignia sunt, quæ sæculares ab Ecclesiasticis quotidie accipiunt beneficia? Confessiones nimirum sacramentales, verbum Dei prædicatum, conferentiæ spirituales, consilia, admonitiones, orationes, sacrificia, ac denique sacramentorum administratio. In præambulo Concilii Chalcedonensi, Flavius Episcopus Constantinopolitanus ad Leonem Papam ita scribit : « Nihil honorabilius Sacerdotibus; omnis nostra « spes atque salus et repromissio promissorum bo- « norum, in iis est. »

In Annalibus Ecclesiasticis præceptum quoddam refertur, quod Carolus Magnus Ludovico filio suo, a se jam coronato imperatori, imposuit; præcepit enim ei, ut omne studium suum in Dei timorem, Ecclesiarum defensionem, Sacerdotesque tanquam patres suos a se honorandos et respiciendos collocaret. Theodosius et Valentianus Augusti, in quadam lege imperiali circa Sacerdotes honorificentissima hæc verba rescripserunt : « Quibus, « scilicet Sacerdotibus, « omnis terra caput inclinat. « Basilius Imperator Leoni filio suo suasit, ut si ab aliis honorari cuperet, Ecclesiam, ejusque ministros venerabundus honoraret : « Honora Ecclesiam Dei, » inquit, « ut « te vicissim a Deo in honore habearis et Sacerdotes « ejus reverere, tanquam spirituales patres, et de- « precatores pro nobis apud Deum. »

d. — Sacer Evangelista refert quod Jesus docebat de navicula turbas et non explicat, quid de navicula doceret; sane quia ea docebat, quæ manifestissime nos docent universæ naves. Quis nesciat doctrinam et philosophiam navium quæ nimis onerate pereunt, et evacuatæ ocissime navigant? Audi D. Basilium in *cap.* II *Isaiæ* sic loquentem : « Quem- « admodum enim naves onere immodico degravatæ « ad portum multo cum negotio provehuntur, ac « facile subeunt naufragium; pari ratione corpora, « quæcumque tandem multa ac redundanti ali- « monia ad obesam carnulentiam devergunt, per « voluptatum illecebras, in imam voraginem perdi- « tionis natando immerguntur. » Æmulemur naves in periculis, dum cupiditatum oneribus pressi et gravati, aut in perditionis voragines mergimur, aut hæremus in salebra, aut ægre et difficulter portum attingimus felicitatis. Sit igitur nobis portus pretiosior omni alia re. Navis ut portum attingat, nullis bonis, nulli auro parcit; omnium rerum jacturam patitur, quo superet tempestates. Sic et nos pro anima nihil non contemnamus. Quisquis enim nimium per affectum suum bonis terrenis est immersus, iisque oneratus, ab omni lumine et cognitione Dei est alienus.

Versus 4.

Ut cessavit autem loqui, dixit ad Simonem : Duc in altum et laxate retia vestra in capturam.

Ut cessavit autem loqui.

1. — « Doctrinæ adjungit opera, » inquit Toletus, « quæ ad persuadendum plus ponderis habent, « et quos verbis non moverat, miraculo obstupes- « cere facit. » Quatuor quidem facti sunt in hoc Evangelio Christi discipuli, sed, postquam præsens viderunt miraculum, non vero quando illum audierunt prædicantem. Et quidem, hac in re, utilissimum omnibus Prædicatoribus post se reliquit documentum, inquit idem, qui Prædicator fuit Apostolicus, « ut post prædicationem otiosi non maneant, sed « sanctis operibus vacent, ut, quod docuerunt verbo, « confirment opere, et quos prædicatione non va- « luerunt ad virtutem excitare, vita ipsa pertra- « hant. »

2. — Didacus Stella, Christum se ad miracula patranda accingere voluisse existimat, ut veritatem confirmaret, quam prædicaverat : « Ut vera esse « ostendat, quæ antea dixerat post prædicationem « miraculum operatur, sic et Apostoli *profecti præ- « dicaverunt ubique, Domino cooperante et sermonem « confirmante sequentibus signis.* »

Dixit ad Simonem.

3. — « Cui mundi et maris cura committenda « erat, » inquit Albertus Magnus; S. Ambrosius notat quod Salvator noster omnibus quidem in plurali numero præceperit, dicens : *Laxate retia vestra;* at vero in singulari numero soli Petro sapientissimus Magister dixerit : *Duc in altum.* Soli Petro dicitur : *Duc in altum.* Porro per hanc piscationem in alto mari factam, sublimissimorum mysteriorum intelligentia denotatur; de hac nave idem S. Doctor ait : « Ecclesia in altitudinem re- « vocatur, tanquam cœlorum profunda discutiens. » Scribæ, Sacerdotes et Doctores synagogæ litteratissimi et expertissimi, de Christo dixerunt, *Matth.*, XIII, 55 : *Nonne hic est filius fabri?* Petrus, ad quem felicissima illa navicula spectabat, cui mandatum fuerat : *Duc in altum*, dixit, *Matth.*, XVI, 16 : *Tu es Christus Filius Dei vivi;* ad Empyreum usque pervenit, *quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater cœlestis.* S. Dionysius Areopagita piscatorem hunc, paulo ante simplicissimum idiotam glorioso hoc titulo honorat, quo illum appellat *antiquissimum Theologorum culmen.* Idem quoque D. Chrysostomus attestatur, *Hom.* IV *in Act.*, dum ait : « Doctrina « sua instituit omnes, ipse præcipuus catechista « habetur, et primus extitit verbi concionator. » S. Ambrosius, *Serm.* XLIII *in Dom.* III *post Pentec.*, ait : « Ecclesia in altitudinem revocatur, tanquam cœlo- « rum profunda Sacramenta discutiens, in illam « scilicet altitudinem, de qua Apostolus ait : *O « altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei!* Prop- « terea dicitur Petro : *Duc in altum*, hoc est, in « profundum disputationis generationis divinæ. « Quid tam profundum, quam quod ait Petrus ad « Jesum : *Tu es Christus Filius Dei vivi.* » Idem quoque sanctissimus Præsul alio loco, *lib.* III *de Virg.*, in memoriam revocat id, quod Samaritana Salvatori opposuit, dum ait : *Puteus altus est* : « In arena erat, quando in synagoga erat; alta non « erat aqua Judææ. Denique Samaritana et puteum « altum putabat, dicens : *Puteus altus est; unde « dare mihi habes aquam vivam?* non ergo ducere « in altum poterat, quando cum Judæis credebat, « qui etiam de puteo aquam haurire non poterant; « ideo dicitur Petro : *Duc in altum*, id est, duc in « Christum, *altum* enim est Christus, de quo dici- « tur : *Et tu Propheta Altissimi vocaberis.* »

4. — Albertus Magnus per hoc altum mare, magnates et potentes sæculi hujus, quod in mari symbolizatur, *Psal.* CIII, 25 : *Hoc mare magnum et spatiosum*, intelligendos esse dicit : « Altitudo maris « est altitudo sæcularis dignitatis, in qua sunt « reges, duces et principes, qui se reti debent « inclinare, » adducitque illum Isaiæ, LX, 12, textum, ubi prædictum fuit : *Gens et regnum, quod non servierit tibi, peribit; suges lac gentium et mammilla Regum lactaberis;* at vero quando pisces grossiores rete ingressi sunt, alii quoque minores consequenter ingrediuntur : « Tali piscatione capti sunt Constan- « tinus et alii, qui Ecclesias fundaverunt. »

5. — Venerabilis Beda notat, quod Christus prius turbis illis prædicaverit, postea vero retia in altum ut jacerentur, præceperit; ad denotandum, quod Evangelium prius annuntiandum sit populis vicinis, postea vero extendendum ad loca remotiora magisque distantia : « Ut quod dicit idem Petro : « *Duc in altum, et laxate retia vestra in capturam*, « ad remotiores gentes, quibus postea prædicatum « est, pertineat. »

6. — Albertus Magnus ait : « Spiritu præeunte, « auctoritate Scripturæ confirmante; » citatque librum quemdam, de animalibus tractantem et dicit, quod vastiores pisces in altissimo mari ut plurimum commorentur : « Altum maris, altum « intelligentiæ spiritualis, conversationis, contem- « plationis. »

7. — Poterat quidem Dominus noster facere, ut copiosa illa piscatio in littore, ubi simul erant, non vero in alto mari fieret, quo etiam modo facta, miraculum emicuisset longe prodigiosius; at vero tunc discipuli nullum obedientiæ meritum habituri fuissent; tametsi enim paulo ante retia sua sine ullo prorsus fructu per totam noctem ejecissent : *Per totam noctem laborantes, nihil cepimus*, nihilominus modo sine ulla contradictione, ad solum Christi nutum, dum nondum illorum esset Magister, eadem retia denuo in altum mare jacere non omittunt : « Captivantes intellectum in obsequium ejus, » redeunt ad altum mare, suaque retia explicant, idque tempore diurno, quod ad piscandum inopportunius et minus commodum est nocturno : *Et concluserunt*, etc.

8. — Advertendum quoque est, quod Petrus tunc præcipue concluserit piscium multitudinem copiosam, quando Christus ei, naviculam suam, a littore in altum mare reducere præceperat, ubi validissima spirabant venti adeoque navicula ab undis et procellis periculose jactabatur; quia quanto Ecclesia amplius a persecutoribus infestata fuit, tanto fidelium numerus in vehementius crevit. Unde S. Leo ait : « Non minuitur persecutionibus « Ecclesia, sed augetur, et semper Dominicus ager « segete ditiori vestitur, dum grana, quæ singula « cadunt, multiplicata nascuntur. »

Et laxate.

9. — Cardinalis Toletus hoc loco interrogat, quare Christus, postquam soli Petro dixerat : *Duc in altum*, postea omnes alios simul retia sua laxare jussit, et respondet, id duas præcipue ob rationes factum fuisse; quarum hæc prima est et litteralis, quia clavo sive temoni navis gubernando, unicus tantum sufficiebat, qui navim in altum ducere poterat; at vero ad explicanda retia plures longe desiderantur; alia vero ratio mystica est : « Quia « ducere navim, ad specimen regiminis spectat, « significabatur autem solus Simon totius Ecclesiæ « rector futurus; retia vero laxare ministerii est, « quod ad multos spectat; unde in Ecclesia unum « caput est, multi autem verbi prædicatores. »

Retia vestra.

10. — Prinsquam ad copiosam illam piscationem faciendam dimitteret, illos primo verbum divinum attente auscultare voluit, ut nos doceret, quod omnia opera nostra tunc vel maxime prosperum sint habitura progressum, si devotio congrua, obsequium, item et cultus divinus ejusmodi operibus præmissus fuerit, *Luc.*, XII, 31 : *Quærite primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis.* Ad hæc Salvator noster nunc piscationem quamdam spiritualem instituere, id est, quatuor simul Apostolos uno tractu in retia sua adigere volebat; et ideo cum illi piscatores essent, eosdem quoque piscatione mediante ad se pertraxit; « Con- « descendens nam hominibus, » inquit Chrysostomus, « sicut Magos per sidus vocavit, sic et piscatores « per piscatoriam artem. »

11. — S. Ambrosius super hujusce piscationis instrumentis, retibus nimirum, ingeniosam quamdam affert considerationem; de industria igitur retibus uti voluit, quibus pisces vivi capiuntur, et vivi manent, non vero talibus instrumentis, quæ mortem conciliare alicui possent : « Bene Apostolica instrumenta piscandi retia sunt, quæ non « captos perimunt, sed servant, et fluctuantes de « infimis ad superna traducunt.

12. — S. Bonaventura notat quod Christus non rogando, sed imperando dixerit : *Laxate retia*, ut se Dominum et patronum maris esse declaret : « Imperando dicit, ut ostendat quod omnia subje- « cit Deus pedibus ejus, *volucres cœli, et pisces « maris*; » unde in principio Matutini canimus : *Quoniam ipsius est mare, et ipse fecit illud.*

13. — Memorandum quoque quod Salvator alia quadam vice, Joan., XXI, 6, alium diversum, retia explicandi modum, discipulis præscriperit, dum ait : *Mittite in dexterum navigii rete*, et ideo merito inquirenda est hujus diversitatis ratio. S. Gregorius, *Hom.* XXIV *in Evang.*, apte ad hoc respondet, dum ait quod piscatio, quæ post resurrectionem ejus facta est, numerum præfiguret electorum, non vero item illa, quæ in hodierno Evangelio memoratur, de qua idem S. Pontifex ita scribit : « Illa piscatio, « in qua specialiter, in quam partem rete mitti « debeat, non jubetur, præsentem Ecclesiam desi- « gnat, quæ bonos simul et malos colligit, nec « eligit, quos trahat, quia et quos eligere possit, « ignorat. Hæc autem piscatio post Domini resur- « rectionem facta, in solam dexteram missa est, « quia ad videndam claritatis gloriam, sola electo- « rum Ecclesia pertingit, quæ de sinistro opere « nihil habebit. »

In capturam.

14. — Per hoc verbum, utilissimum quoddam Evangelii ministris insinuatur documentum, nimirum quod facundiæ et doctrinæ suæ retia minime extendere ant explicare debent ad vanam ostentationem, sive ad acquirendos sibi applausus humanos, seu in adsciscendam sibi penes mundum, viri ingeniosi et sapientis famam et conceptum, sed finis illorum unicus hic esse debeat, ut animas Deo piscari possint : *In capturam laxate retia*, secus enim si fecerint, adimplebitur in illis, quod Petrus ait : *Præceptor, per totam noctem laborantes, nihil cepimus*; quod igitur Christus Petro dixit : *Duc in altum*, idem quoque Prædicatores Evangelici sibi dictum esse censere debent; conari etenim debent, ut auditorum suorum mentes ad alterius vitæ bona, ad Dei notitiam, ad æternitatis et immortalitatis animæ considerationem, ad mysteriorum bonorumque cœlestium amorem et intelligentiam erigere possint.

Additiones.

a. — *Ut cessavit autem loqui, dixit ad Simonem : Duc in altum*, etc. Non multum moratur Dominus uno in loco, sed continuo jubet vela ventis dare et pergere in altum, condemnans eos qui, sic incumbunt mundanis et terrenis, ut toti ibi inhæreant. Plane licet bonis temporalibus uti, sed pertranseunter, nec in illis diutius immorari. *Psal.* CIII Regius Propheta inquit : *Hoc mare magnum et spatiosum manibus, illic reptilia, quorum non est numerus; animalia pusilla cum magnis; illic naves pertransibunt.* Ecce felicitas navium præ reptilibus, præ maris animantibus. Et hæc et illæ in mari sunt, sed reptilia morantur ibi, nigroque incumbunt profundo; naves autem nunquam morantur, sed pertranseunt, et dum transeunt, maribus perfruuntur, unde maxime illæ commendantur. Ita ex omnibus commendabiles sunt, qui quidem fruuntur bonis mundanis, sed non penitus illis immerguntur, sed qui illa pertranseunt, Deo eadem non anteponentes.

b. — Notanter imperat Dominus Simoni, navim in altum ducere, ut subdi et obedire sciat qui ad Ecclesiæ eligebatur præfecturam. Quando melius imperare discis, quam ubi perfectum subditum agis? Quis aptior ad regni clavum, quam qui obedire et esse subditum scivit? Apud Joannem, V, 27, de Jesu dicitur : *Et potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est.* Expende ob quam rationem Dominus accepit a Patre judiciariam potestatem, ob eam nimirum, quia Filius hominis erat. Et quidem Filius hominis citius præseferebat formam servi quam domini. De illo item dicebatur, *Luc.*, II, 51 : *Et erat subditus illis*; eumdemque ante videres, quod instar rei apud judices erat, quam quod Judex super reos. Cur ergo ad imperium, ad præfecturam eligitur, qui formam servi et subditi, imo et rei præseferebat? Sane nullus melior præfectus quam subditus, qui bene obedire didicit. Obedientia enim nobilitatem quamdam sibi annexam habet, Deusque in hac vita exaltat et glorificat eos, qui in hac virtute exacti sunt, quibus quandoque, ipsas etiam creaturas subjicit efficitque obedientes.

c. — D. Ambrosius, *Serm.* XXII *in Dom.* V *post Pent.*, dicit : « Ecclesia in altitudinem revocatur, « tanquam cœlorum profunda Sacramenta discu- « tiens; in illam scilicet altitudinem, de qua Apo- « stolus ait : *O altitudo divitiarum!* Propterea « dicitur Petro : *Duc in altum*, hoc est, in profun- « dum disputationis divinæ. » Magna certe et ingens est altitudo mysteriorum fidei et arcanorum sacræ Scripturæ, quæ in synagoga latuerant; et ita Judæi appellabant Christum fabri filium. Petro autem ut gubernatori navis Ecclesiæ Christi dicitur : *Duc in altum*, hoc est, ut cum divina illaminatione aperiat altitudinem mysteriorum fidei.

Unde quoque dicitur : *Non caro et sanguis revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est.* Nam fidei nostræ veritas, testimonio divino, ex Prophetarum oraculis, ex conciliorum et sacrorum Doctorum, cum sacra Scriptura consonantia, clare deducitur.

S. Bonaventura, *Serm.* IX *in Heum.*, ex quatuor præcipue capitibus indubitatam catholicæ fidei firmitatem deducit, nimirum : « Ex testificantium « notitia certa, fama præclara, concordia plena, « sententia firma; quia si sit notitia, certa autem « non sit fama bona, non credimus; si quando « bonus est homo, scitur quod veritatem dicit, et « si habet certam notitiam et famam claram. Sed « si multi sibi contradicunt, adhuc potest esse du- « bitatio. Si autem hæc tria habeat, et notitiam et « famam, et concordiam, et tamen non habet sen- « tentiam firmam, dubitatio esse potest. » Hæc autem omnia in probatione fidei nostræ concurrere evidenter probat; et primo quidem loco dicit : « Lex per Angelos ordinata, manu mediatoris. » Secunda certitudo fidei fuit « in mentibus prophe- « tiis; » citatque auctoritatem S. Petri dicentis, *Epist.* II, I, 19 : *Habemus firmiorem propheticum sermonem.* « Tertia in mentibus Apostolicis, » quam probat per verba S. Joannis dicentis : *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostræ contrectaverunt de Verbo vitæ, et vidimus, et testamur, et annuntiamus.* I *Joan.*, I, 1. Qui idem Apostolus, in alio Evangelii sui loco testatur, dicens : *Qui vidit testimonium perhibuit.*

d. — Tota nocte laborantes Simon et socii ejus, nihil ceperant; venit autem Christus et jubet in altum ducere rete, et copiosam accipiunt piscium multitudinem. Quid non nisi synagogam significat, in qua per difficillimas leges, earumque observationes, continuo laborare cogebantur homines, et cum exiguo fructu? Venit autem Christus, imponens legem gratiæ suaviorem, et copiosior et suavior fit animarum piscatio.

e. — *Laxate retia vestra in capturam.* Hic merito deberet esse finis Prædicatorum, pisces Deo capere, cum nullus fastidiendus sit labor, licet etiam ille pro una tantum anima fuerit impensus. S. Carolus in concione quadam quam, in synodo undecima, ad clerum habuit, hisce eumdem verbis allocutus fuit : « O si videremus quid sit e fauciibus inferni « animam unam liberare, non dubito profecto quin « hodie plurimi ad nos accederent, qui se oblatos « fieri postularent. Et non modo montes transi- « rent, sed etiam apertissimis et maximis quibus- « cumque vitæ periculis, sese exponerent ubi spes « aliqua esset, vel unius etiam animæ recupe- « randæ. » Verum quidem est quod sacrificia solidissima sint nostri erga Deum obsequii et religionis argumenta; verumtamen, ut S. Gregorius, conformiter ad traditam a S. Joanne Climaco sententiam, dicit : « Nullum omnipotenti Deo tale est « sacrificium, quale est zelus animarum. » Referunt Annales Ecclesiastici, quod S. Hilarius Pontifex quibusdam Episcopis qui pro dilatandis diœcesium suarum confinibus, magnificandisque fimbriis suis admodum solliciti erant, sanctissime et prudenter responderit, quod lucra quæ supremus Pastor ab illorum sollicitudine unice requirit, solum istud esset quod in animabus ad Deum adducendis, consistit : « Expectatio fructus nostri ministerii, non « in latitudine regionum, sed in acquisitione poni- « tur animarum. » Sic quoque dum S. Vincentio Ferrerio una cum purpura cardinalitia Archiepiscopatus Valentinus a summo Pontifice oblatus fuisset, is utrumque renuens respondit majorem se honorem æstimare, si animam aliquam ad peccata deserenda excitare posset, quam sit is qui ex omnibus quæ a mundo præsentari possent dignitatibus ei obvenire posset. In Lectionibus S. Ignatii Loyolæ fundatoris societatis Jesu legitur : « Inde- « fessus lucrandis Deo animis instabat, auditus « aliquando dicere, si optio daretur, malle se bea- « titudinis incerte vivere et interim Deo inservire, « et proximorum saluti quam certum ejusdem « gloriæ statim mori. »

f. — Jubet divinus fidei nostræ plantator laxare retia in capturam piscium, scilicet hominum; multi enim laxant rigorem Scripturæ, non in capturam, sed in deceptionem, vel si in capturam laxant retia, id est, explicant Scripturas, hoc faciunt, non in capturam piscium, id est, hominum, sed ranarum, id est, divitiarum, vel dignitatum, de quibus dicit Isaias, LIX, 5 : *Telas aranæ texerunt.* Unde Ecclesiastici quorum potissimum est officium verbo prædicationis, aliisque ministeriis sacerdotalibus laxare retia in capturam hominum, solum Deum præ oculis habere, neque divinum aliquod servitium ex motivo lucri temporalis persolvere debent. Jeremias Propheta, inter alias lamentationes, hanc, *cap.* IV, adducit : *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarii?* ubi per hos sanctuarii lapides, sicut per aurum, sacri altaris ministri sine dubio intelliguntur. Unde Glossa ait : « Hi Sacerdotes Christi et « ministri altaris sunt. » Sed cur hos lapides dispergi dicit : *In capite omnium platearum? Filii Sion inclyti et amicti auro primo, quomodo reputati sunt in vasa testea?* Nimirum in capite platearum, emitur, venditur, negotia tractantur, mundanique homines continuo oberrant; ac proinde ecce tibi causam, cur Ecclesiastici bonum nomen amittant, alios scandalizant, et a sua vocatione deficiant, quia videlicet divino servitio minime intenti, sed potius in mundi hujus negotia et lucra ultro se ingerunt. Unde S. Gregorius ait : « *Aurum* quippe *obscuratum* « *est*, quia Sacerdotum vita, quondam per gloriam « virtutum clara, nunc per actiones infimas, osten-

« ditur reproba. *Color optimus est mutatus*, quia « illi sanctitatis habitus, per terrena et abjecta « opera, ad ignominiam despectionis venit. *Dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum*; ecce jam pene nulla est sæculi actio « quam non Sacerdotes administrent. *In capite « omnium platearum dispersi sunt*, quia et jacent « per ministerium operis, et honorari volunt de « imagine sanctitatis. »

Ingeniosum Origenes, Pharaonis inter Deique veri Sacerdotes instituit distinctionem, illorum quam in Ægypto obtinebant a terreno tributo hæc in verba adducens exemptionem : « Vis scire quid « intersit inter Sacerdotes Dei et sacerdotes Pharaonis? Pharao terras concedit sacerdotibus suis; « Dominus autem Sacerdotibus suis partem non « concedit in terra, sed dicit eis : *Ego sum pars « vestra*. Observate ergo qui hæc legitis, omnes « vos Domini Sacerdotes, et videte quæ sit differentia Sacerdotum; ut forte qui partem habent « in terra, et terrenis cultibus ac studiis vacant, « non tam Domini quam Pharaonis esse videantur. »

8. — Theophylactus in hunc textum scribens pulchre observat : « Postquam autem turbam e « navi docuit, dominum navis non reliquit irremuneratum, sed benefecit, quia et multitudinem « piscium ei donavit et discipulum suum fecit. » Forsitan misericordia corporalis, aut quasi eleemosynæ loco Dominus hoc concessum navis acceperat obsequium, et ideo duplici remunerat beneficio, ut nos edoceret eleemosynam quamdam sanctæ et lucrosæ usuræ speciem esse.

Versus 5.

Et respondens Simon, dixit illi : Præceptor, per totam noctem laborantes, nihil cepimus, in verbo autem tuo laxabo rete.

1. — « Quasi dicat, » inquit Albertus Magnus, « congruum quidem ad capiendum tempus pertransivit. » Lucas Brugensis quoque notat, Petrum non sine causa, noctis mentionem fecisse, quam nihil prorsus capiendo consumpserant : « Quæ ad « capiendum oportunior est quam dies. »

2. — S. Job, VII, 3, dicit : *Habui menses vacuos, et noctes laboriosas enumeravi mihi*. Hugo Cardinalis per hanc noctem, legem Mosaicam interpretatur, ut sensus sit : « Per veterem legem laborantes; « nomine noctis enim lex vetus intelligitur. Unde « habetur, *Genes.*, I, 16 : *Posuit Deus duo luminaria « magna in firmamento cœli, scilicet luminare majus, « ut præesset diei*, id est, Christum, ut præesset « Evangelio. Mystice ergo dicit Petrus : *Per totam « noctem laborantes, nihil cepimus*, id est, cæremonialia inutiliter executi sumus, nihil cepimus, id « est, nihil duximus ad vitam. »

3. — Quamdiu sine ulla Christi directione retia explicarunt, in vanum laborarunt, unde dicunt : *Nihil cepimus*, et tamen strenue laborarunt, *laborantes per totam noctem*. Multi quidem sunt, qui verbum Dei ministrant, sed an dependenter a Deo, quia vel ex propria inclinatione, vel ex alicujus lucri motivo, vel propter applausum humanum, absque eo quod vel semel de servitio Deo præstando, vel de lucro animarum acquirendo cogitent; de his vere dici potest : *Per totam noctem laborantes, nihil capiunt*. Venerabilis Beda verba illa Psalmi CXXVI, 1, citat, in quibus dicitur : *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui ædificant eam*; dicitque ex hoc textu clare deduci, quam necessum sit ad hoc, ut per hoc adeo sublime mysterium aliquis nascatur profectus, ut Deus eidem suo favore assistat. Jansenius ait : *Significat eos, qui sine jussu et virtute Domini in docendo populos sudaverunt*.

4. — Didacus Stella ad hoc se reflectit, quod in nocte illa, in qua inaniter laboraverant, Christum secum non habuerint : « Ubi Christus abest, ibi « maximus labor et calamitas est; et advertendum, « hunc laborem inutilem esse et inanem. » Deus olim populo suo per Jeremiam, XVI, 13, comminatus fuit, dicens : *Servietis diis alienis, qui non dabunt vobis requiem die ac nocte*. E contra quando Deus nobiscum est, omnis labor suavis est et tolerabilis, *Matth.*, XV, 30 : *Jugum meum suave est, et onus meum leve; venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos*. Et ideo Albertus Magnus locum illum explicans ex libro Sapientiæ, V, 7 : *Lassati sumus in via iniquitatis*; ita scribit : « Temporalia enim cum labore vix tamen acquiruntur, et raro cum timore, et quasi sine fructu « possidentur, cum dolore præter voluntatem quo« tidie perduntur. »

5. — Venerabilis Beda optime considerat quod, tametsi quis magnis cum sudoribus, laboribus, et summa cum industria verbum Dei prædicet, per hoc tamen parum sit perfecturus, nisi Deus ex sua parte, cor potius quam aures eorum, qui illum auscultant, aperiat : « Nisi Dominus cor illustraverit « auditorum, Doctor in nocte laborat. » De Lydia illa, quæ sonoram illam Spiritus Sancti tubam, S. Paulum inquam, audiendo, conversa fuit, S. Lucas scribit, *Act. Ap.*, XVI, 14 : *Cujus Dominus aperuit cor, intendere his, quæ dicebantur a Paulo*; quæ omnia perfecte cum eo consonant quod S. Ambrosius dicit, dum hanc prædictorum assignat rationem : « Quia non hoc humanæ facundiæ opus, « sed supernæ vocationis est munus. »

Nihil cepimus.

6. — Hi, qui in infidelitatis nocte vivunt et tamen vitam suam in moralium virtutum exercitio, bonisque moribus transigunt, prouti tot veteres fecerunt philosophi, pro salute æterna acquirenda nullum penitus fructum reportant, quia sine fide in Christum, hæc omnia opera moraliter bona, ad æternæ vitæ lucrum, nihil penitus conducunt : *Sine fide impossibile est placere Deo*; infideles enim de nocte, id est, in ignorantiæ et infidelitatis tenebris laborant.

7. — Sunt quoque nonnulli, qui per totam præsentis vitæ noctem laborant, dum continuis tributationibus, ærumnis, infirmitate et paupertate exercentur et infestantur, et tamen nihil inde fructus aut emolumenti capiunt. Et ratio est, quia non habent patientiam, similes cruces, sibi immissas, a Deo proficisci minime considerant, ac proinde vel in desperationem, vel in saltem gravem quamdam redigantur impatientiam, sortemque a Deo sibi assignatam detestantur, eidemque maledicant : *Nihil capiunt*.

8. — Quodsi vero hæc verba mundanis hominibus applicare volnerimus, certum esse comperiemus, quod *per totam noctem laborant*, utpote qui se pro bonorum temporalium lucro per totum vitæ suæ decursum fatigant; hæc etenim bona temporalia, vel ad voluptates, vel ad divitias, vel ad honorum fastigia reducuntur, pro quorum consecutione, plurimis quidem se homo sudoribus et laboribus conflicit, revera tamen nihil omnino capit; et quidem in primis nihil homines de voluptatibus carnalibus capiunt, quia momentanee transeunt; et ideo Tertullianus de nonnullis, quos post transactas voluptates conscientia remordebat, eosdem post decerptas rosas, spinarum puncturas sentire, « postquo libidi« num vaporata momenta, cœlum suspirasse, » scribit; imo vero de nonnullis illorum dici non potest : *Nihil capiunt*, quia sæpenumero infirmitates piscantur incurabiles, mortalesque inimicitias contrahunt. Quodsi vero de divitiis sermo sit, Psalmista de illis adeo clare loquitur, ut nulla prorsus glossa opus habeat; dicit enim, *Psal.* LXXV, 6 : *Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis*; idemmet quoque Jobus, XXVII, 17, affirmat, dum ait : *Dives cum dormierit, nihil secum auferet, aperiet oculos suos, et nihil inveniet*. Similiter is, qui præ cunctis hominibus summa in terris prosperitate usus fuit, in libro *Sapientiæ*, VII, 8, protestatur manifeste, dicens : *Divitias nihil esse duxi*. Denique si humanas consideremus et examinemus dignitates, de his superbus illo Aman, qui ab Assuero, centum viginti septem Provinciis sub sceptro suo numerante, ad supremum honorum culmen evectus fuerat, aperto ore fatetur : *Cum hæc omnia habeam, nihil me habere puto*. Salomon quoque, qui ab ultimis mundi finibus potentissimas in sui venerationem evocabat reginas, tandem concludit dicens, *Eccle.*, II, 11 : *Vidi in omnibus vanitatem et afflictionem animi, et nihil permanere*. Et ideo Justo Lipsio familiaria adeo semper fuere verba sequentia, ut illa in sepulchrali lapide incidi jusserit, nimirum : « Humana cuncta fumus umbra, « vanitas, et scænæ imago, et verbo ut absolvam, « nihil. »

In verbo autem tuo laxabo rete.

9. — Petrus se in virtute verbi Christi retia sua explicuisse protestatur, cujus proinde prompta obedientia, locupletissima remuneratione honorari meruit. Et ideo Didacus Stella ait : « Discamus a B. « Petro protinus ut aliquid ex parte Domini fuerit « præceptum, illud opere complere, nulla facta « mora; paruit, quamvis contra artem piscandi « præcepit, sicque meruit innumeram piscium « multitudinem colligere. » Tota nocte Petrus sine fructu ullo sudaverat, assiduisque laboribus se confecerat; at vero Christo obediens, tempus antea inutiliter consumptum fructuose recuperavit et resarcivit. Nimirum hoc facto Christus ostendere voluit, quod homo sine obedientia frustra laboret, siquidem ut plurimum propria voluntas nos omni apud Deum merito destituit : « At si obedientiæ « mandato laboraveris, ingenti retributione dignus « eris. »

10. — Hugo Cardinalis ex Venerabili Beda et Ambrosio dicit, quod « retia sunt verborum com« plexiones, et dicuntur quasi retinentia; unde « verba Prædicatorum bene dicuntur, retia, quia in « eis, quasi quibusdam laqueis, capiuntur homines « et tenentur. »

11. — Didacus Stella ad idem mysterium, quod scilicet per rete prædicatio Evangelica intelligatur, alludens dicit, quod S. Petrus, dum se in verbo Domini rete suum ejecisse protestatur, simul quoque omnibus Prædicatoribus salutare monitum tradat : « Ne in Philosophorum argutiis, aut Poetarum « nugis retia prædicationis Evangelicæ laxent, sed « in verbo Christi, quod in sanctis voluminibus « abundat. »

12. — S. Antonius de Padua, *Serm. in Dom. V post Tri.*, dicit : « In verbo Christi laxat rete, qui « nihil sibi, sed totum illi tribuit. » Et merito : *Non enim vos estis, qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis*. Idem quoque Didacus Stella expresse monet, dum ait : « Docet etiam prædica« tores, ut laxent rete prædicationis in verbo Do« mini, non ad gloriam suam, neque ad quæstum; « non ad aliquod humanum desiderium, sed ad « salutem eorum, qui capiuntur. »

13. — S. Bonaventura quoque verba illa de prædicatione Evangelica exponit, dicit enim : « Non « immerito, quia ipse dicit : *Verbum meum, quod « egredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum, « sed faciet quæcumque volui, et prosperabitur in his, « ad quæ misi illud. Isa.*, LV, 11. »

14. — Albertus Magnus observat quod, priusquam Petrus se in verbo Domini rete ejecturum

esse diceret, jam de facto Christi prædicatio præcesserit : « Jam cordibus per auditum verbi sui « præparatis; » unde deducit quod frustra laboret lingua dicentis : « Quia frustra laborat extra lingua « Doctoris, nisi intus adsit gratia Salvatoris, et ideo « pisces, qui ante sermonem Domini reti Simonis « se subduxerant, modo post verbum Domini, « quasi undique certatim venientes reti se certatim « injecerunt, et hoc notat, cum dicit : *In verbo tuo « laxabo rete.* »

15. — Per totam noctem frustra laboraverant atque sudaverant : *Per totam noctem laborantes, nihil cepimus*; mox vero dum ad unicum Christi nutum nihil aliud faciunt quam quod retia explicant : *Concluserunt*, etc. Ubi Didacus Stella ait : « Docemur autem, quod Christi potentia et virtute « labor noster, licet parvus, utilissimus, est; omnis « labor noster, ubi Deus nobiscum non operatur « inutilis est; ubi Christus assistit, gloriosus est « fructus. »

Additiones.

a. — *Præceptor, per totam noctem laborantes, nihil cepimus.* Tota nocte illa isti piscatores jactabant retia in mare, sub spe capturæ piscium; extracta iterum laxabant. Interim vero nihil, per totam noctem laborantes ceperunt, nec unum quidem gobium; ita ut pertæsi operis, naves ad littus reducerent et animum piscandi abjicerent. Hinc enim rursum piscari jussi, aiunt : *Per totam noctem laborantes, nihil cepimus.* Sed non ipsi soli sortem illam subeunt, omnes quotquot sequuntur mundum et ejus bona hoc idem experiuntur. Mundus iste mare est tumens et fluctuens, scopulis et piscibus plenum. In hoc plerique hominum, magno suo periculo, vix digito a gehenna distantes, piscantur.

b. — Quam multi cum Petro ingeminare possunt : *Per totam noctem laborantes, nihil cepimus?* quia non laborarunt in verbo Dei, id est, in charitate, sine qua nullum opus bonum quidquam valet. Hæc autem res etiam minimas pretiosas facit, et sola cœlo comparando sufficit. Nullus actus virtuosus aut natura sua meritorius, nullaque fidelium opera quantumvis sublimia et heroica, accepta sunt Deo, aut ab eo respiciuntur, nisi amoris sui charactere consignata fuerint. Cum enim is qui illa operatur gratus et acceptus non sit, multo minus quæ ab eo exercetur actio, grata aut accepta erit. Sicut enim homo non tenetur alicujus æstimare ea, quæ ob ejus amorem non fiunt, ita quoque Deus nullam habet in operibus suis complacendi causam, quantumvis illa etiam excellentia sint, v. g. in oratione, abstinentia, vel eleemosyna, vel corporali quavis austeritate, quando illa ex Dei amore facta non sunt. Quot fuerunt gentiles philosophi qui divitias mundi hujus contempserant, virtutumque moralium, continentiæ, mansuetudinis et similium exercitio totaliter fuere dediti, et nullum tamen inde meritum reportarunt, quia illa non eo fine ut Deo placerent, operati fuerant?

Nullus in toto mundo reperiri thesaurus posset adeo magnus et potens, quo lapis ille comparari posset hac virtute præditus, ut omne id quod ab eo tangitur in aurum convertere possit. Imaginemini vero vobis talem lapidem esse margaritam illam, unionem et gemmam illam, quam providus ille mercator Evangelicus sibi comparavit. Hæc est margarita pretiosa charitas. Unicus calix aquæ frigidæ prout ex fonte vel puteo haustus fuit, proximo egenti ex amore Dei subministratus, meretur et valet ingens quoddam regnum cœlorum, quod longe præstantius est auro. Unicum panis mucidi frustulum, ab hac gemma contactum, dignos nos facit, qui ad æternales cœlestis convivii delicias admittamur, de quo scribitur, *Luc.*, xiv, 25 : *Beatus qui manducabit panem in regno Dei.* E contra vero, si, sine hac gemma, *distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* I *Cor.*, xiii, 3. Hugo Cardinalis, adducta Glossæ cujusdam auctoritate ait : « Dilige « et fac quodvis. Sive taceas, dilectione tace; sive « clames, dilectione clama; de hac radice non « potest exire nisi bonum. » Quisquis fructuose fabricare intendit, prius de bono fundamento jaciendo, quod magnæ est considerationis, sollicitus est. S. Augustini doctrina est : « Non valde attendas « quid homo faciat, sed quid cum facit inspiciat. » Deus non opus, sed intentionem, sed amorem quocum illud facis, pensitat.

c. — Dicant merito, *nihil cepimus*, omnes cosmophili, qui post exantlatas innumeras curas et ærumnas, nihil capiunt, quandoquidem mundus est purum nihil, secundum hæc Jeremiæ, iv, 23, verba : *Aspexi terram, et ecce vacua erat et nihil.* Ubi Hugo Cardinalis ait : « *Terram*, id est, temporalia, « quæ revera vacua sunt et nihil. »

d. — Multi certe hoc cum S. Petro, sed in alio sensu ingeminare possunt : *Præceptor, per totam noctem laborantes, nihil cepimus*; maxime vero et verissime idipsum dicere potuerunt hypocritæ, qui veluti in nocte diabolicæ fraudis laborantes, nihil meriti capiunt, imo etiam sæpe cum periculo damnationis æternæ omnia amittunt. Spiritus veritatis, adhibito in testimonium Jobo magno illo innocentiæ speculo, spem hypocritarum tandem disperdendam esse monere volens, inquit : *Spes hypocritarum peribit*; atque in hujus confirmationem aptas quasdam similitudines subjungit : *Sicut tela aranearum, fiducia ejus; innitetur super domum suam et non stabit.* De hisce vero aranearum telis S. Gregorius hunc in modum discurrit : « Bene hypocritarum « fiducia aranearum telis similis dicitur, quia omne « quod ad obtinendam gratiam exsudant, ventus « vitæ mortalis dissipat, nam quoniam æterna non « quærunt, bona temporalia cum tempore amittunt.

« Aranearum tela studiose texitur; sed subito venti « flatu dissipatur, quia quidquid hypocrita cum « labore peragit, aura humani favoris tollit. »

Postquam Ezechias rex corporis salutem miraculose recuperasset, nonnulli ad eum Jerosolymam e Babylonia amandati fuere legati; quibus ipse, ostentationis causa, quidquid in thesauris suis reconditum erat, jactabunde ostendit : *Non fuit quod non monstraret eis Ezechias in domo sua, et in omni potestate sua.* IV *Reg.*, xx, 13. At vero quis tandem ostentationis hujus eventus fuit? Nimirum Deus indilate ad eum Isaiam Prophetam misit, qui ei diceret : *Ecce dies venient et auferentur omnia, quæ sunt in domo tua; non remanebit quidquam.* Verum, inquies, quanam culpa bonus hic rex tam rigidum promeruit supplicium? Numquid mundi hujus principibus passim usitatum est, ut e longinquo advenientibus legatis, quicquid in palatio raritatum, deliciarum, rerumque pretiosiarum possident, ostentare soleant? Cur igitur Deus adversus hunc regem adeo bene meritum divinique cultus sui zelosum servum suum tam acriter animadverterit? Vix aliud ad hoc responderi potest, quam quod *omnia in figuris contingebant illis.* Hic namque Ezechias in hac actione repræsentabat illum, qui in spiritualis operum bonorum et gratiarum cœlestium, comparatorumque meritorum thesauros aliis publice ostentat, solo hoc fine motus ut inde mundi sibi applausum comparet. Talis autem, justo Dei judicio, omnibus hisce bonis spoliari meretur.

e. — Sedulus piscator Petrus et piscandi maxime gnarus, totis noctibus occupatus, nihil capit et inutili labore consumitur. Diuturnus labor sic frustratur optato effectu. Quæ causa? Peccator erat Petrus, ut ipse fatetur : *Exi a me, Domine, quia homo peccator sum.* Peccata laboris magni causa erant. Heu quam multi retia sua in mari hujus mundi tendunt et per totam noctem assidue laborantes nihil capiunt! Sic avarus, ut suis lucri desideriis satisfaciat, impense totis noctibus inquietatur et laborat. Idem misero ambitioso, qui honores adipisci contendit; idem carnali homini qui voluptates ac delicias captat; idem denique illi, qui illatas injurias ulcisci vult, aliisque hujus generis perditis peccatoribus contingit. Peccatores enim, dum suis appetitibus satisfaciunt, se pariter laborare et fatigari sentiunt.

f. — *In verbo autem tuo laxabo rete.* Petrus in virtute verbi Christi retia sua explicuisse protestatur; si enim obedientiæ mandato laboraveris, ingenti retributione dignus eris. Thomas a Kempis de obedientia ita scribit : « Sive obediens orat, sive « laborat, sive vigilat, sive dormit, sive loquitur « aut tacet, sive stat aut ambulat, sive scribit aut « comedit, omnia ex virtute obedientiæ, in bonum « et meritum ipsi convertuntur. » S. Bernardinus idipsum sequenti hac insigni confirmans similitudine inquit : « Sicut qui est in navi, comedendo, « bibendo, dormiendo et quiescendo progreditur, « quia movetur alieno motu; sic verus obediens in « religione, ad litteram, comedendo, bibendo, dor« miendo et quiescendo, et alia bona opera ope« rando, meretur. Hic est panis, qui in obedientiæ « navi ad æternam vitam portat, quem quotidie a « Domino postulamus. » Ne quis autem obedientiæ amator, vel ad dexteram vel ad sinistram, per defectum, vel excessum declinet, hanc salutarem accipiat S. Basilii instructionem, in quodam sermone de institutione Monachorum, ita discurrentis : « Vera perfectaque subjectorum adversus modera« torem ordinis obedientia, in eo cernitur si quis « ex ejus consilio, non a rebus modo flagitiosis « abstineat, sed ne ea quidem, quæ laudabilia sunt « et sine sententia illius faciat. » Quod idem et S. Bonaventura in regulis fratrum Minorum in hæc verba tradit : « Obedientia dicit statum obedientem « hujus virtutis, quando aliquis non tantum obedit « Deo, verum etiam homini propter Deum. Item « Deo obedit, non tantum in necessariis, verum « etiam in omnibus supererogatoriis, et divinis « inspirationibus universis. » Tunc autem obedientia adeo ardua suum consequetur meritum, quando eam aliena approbaverit directio, atque concilium.

Versus 6.

Et cum hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem copiosam, rumpebatur autem rete eorum.

Et cum hoc fecissent.

1. — Verbum hoc *fecissent*, mysterio non vacat; postquam enim S. Jacobus, i, 22, nos monuisset, dicens : *Suscipite insitum verbum*, quasi idipsum non sufficiat, protinus subjungit : *Estote factores verbi, et non auditores tantum, fallentes vosmetipsos, quia si quis auditor est verbi, et non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suæ in speculo, consideravit enim se, et abiit, et statim oblitus est qualis fuerit.* Ideo ergo Petrus et alii, qui cum eo piscabantur, ex audito Christi verbo profecerunt, quia executi fuere quod illis per verbum Christi mandatum fuerat.

Concluserunt piscium multitudinem copiosam.

2. — « Salutaris conclusio, » inquit Albertus Magnus, « ad salutem concludi in reti Apostolico. » *Eccli.*, vi, 25 : *Injice pedem tuum in compedes illius; et in torques illius cor tuum.*

3. — Jansenius miraculum istud a sapientissimo Salvatore nostro ideo patratum fuisse existimat, ut per illud in sequelam suam, piscaretur quatuor illos Apostolos, de quibus in Evangelio fit mentio : « Voluit hos animare ad sequendum se pauperem, « ut ne metuerent inopiam, quod relictis omnibus « pauperem sequerentur, quando eum talem esse « cognoscerent, qui suo jussu omnia posset. »

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

4. — Toletus scribit, quod in hac adeo copiosa piscatione, immensam animarum multitudinem denotare voluerit, quam Evangelicæ prædicationis retibus ab Apostolis in omnibus mundi partibus explicatis et extensis, piscaturi erant.

5. — Ex hoc facto, quam Salvator noster in compensandis sibi præstitis obsequiis liberalis sit, clare perspicitur, siquidem Petro mutuate sibi naviculæ naulum sive mercedem abundanter et copiose solvere voluit; qua in re illos qui sua spe et arrha beneficentiæ ipsius ei serviunt, animare et inescare voluit, specialiter autem se liberalissimum exhibet erga illos, qui prædicatione mediante animas errabundas ad ipsum reducunt.

6. — Apostoli *per totam noctem laborantes*, omnino defatigati erant, adeoque somno summe indigebant; per totum præteritæ noctis decursum, ne vel unicum pisciculum piscati fuerant, et tamen Christus illis, ut in altum mare ubi antea nihil ceperant, renavigarent; idque tempore diurno, quod ad piscationem ineptius est quam nocturno et tamen quia sine ulla contradictione obedierunt; ecce tibi remunerationem : *Concluserunt*, etc. Quando ex propria voluntate piscati sunt, *nihil ceperunt* : ita quoque multis aliis accidit, qui sine ullo cum confessario præhabito consilio, sine ulla directione aut dependentia ab alio, imo et sine vocatione Dei, vitæ austeritates et rigores, aliaque pœnitentiæ opera in statu religioso vel sæculari aggrediuntur. Deoque minime grati existunt, quia spiritus et virtus obedientiæ illis deest : *Quare jejunavimus et non aspexisti? humiliavimus animas nostras et nescisti? Ecce in die jejunii vestri inventur voluntas vestra. Isa.*, LVIII, 3.

Rumpebatur autem rete eorum.

7. — Glossa idipsum de hæresum et errorum scissuris interpretatur, quibus divastatur Ecclesia : « Rumpitur rete præ multitudine piscium, quia « modo cum electis tot reprobi intrant, qui ipsam « Ecclesiam hæresibus scindunt; rumpitur rete, sed « non labitur piscis, quia Dominus suos servat, « etiam inter persequentium scandala. » Eamdem sententiam tenet S. Augustinus dum ait : « Significat hominum carnalium multitudinem tantam « futuram in Ecclesia, ut etiam disruptione pacis, « per hæreses et schismata scinderentur. »

8. — Quæri hoc loco haud incongrue potest, cur rete rumpatur hic, non vero in illa piscatione, quæ post resurrectionem facta fuit? *Cum tanti essent, non est scissum rete.* Toletus per adductam S. Gregorii auctoritatem respondet, dicens : « Hic præsens Ecclesia, quæ bonos et malos complectitur, « illic futura tantum bonorum significatur. »

9. — Lucas Brugensis ne vel unum piscem ex dirupto reti elapsum fuisse existimat, adeo ut hic multiplicata miracula fuerint : « Nec tamen elabe« rentur pisces; » aliud vero miraculum fuit, quia, « pisces, qui ab hoc longe aberant, imperio Jesu « subito adnatarunt et in rete coacti sunt; testimo« nium manifestum obedientiæ, quam rerum na« tura Jesu exhiberet. »

10. — Alius quoque hic considerari potest sapientiæ et omnipotentiæ divinæ effectus, dum mediante reti quodam rupto et lacero, quale erat S. Paulus persecutor Ecclesiæ, S. Augustinus olim pertinacissimus hæreticus, Matthæus alias publicanus, Magdalena paulo antea meretrix, tot animas ad fidem et notitiam sui convertit.

Additio.

a. — *Et cum hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem*, etc. Qui per totam noctem, absente Domino, nullum piscem prendiderunt, eo præsente et mandante, brevissimo tempore ingentem piscium multitudinem capiunt. Hæc sunt Dei dona, quæ cumulate et sine mora conferuntur, per quod innuebatur, ex reti, seu ex prædicatione Evangelica, ad quam erant mittendi, magnamque mercedem esse percepturos, scilicet tunc cum assistentia Domini gauderent. Unde Albertus Magnus, *in Joan.*, ait : « Jam cordibus per auditum verbi sui præpa« ratis, quia frustra laborat extra lingua Doctoris, « nisi intus adsit gratia Salvatoris. Et ideo pisces, « qui ante sermonem Domini, reti Simonis se « subduxerunt; modo post verbum Domini, quasi « utique certatim venientes reti se certatim injece« runt. » Enimvero quando Deus assistit illi qui prædicat, tunc longe efficacior et copiosior prædicationis fructus exundat.

Observastisne quibus verbis cœlestis Agricola prædicationem Evangelicam describat? *Semen*, inquit, *est verbum Dei.* Porro ad seminandum labore opus est, sudoribus et industria agricolæ; at vero ut semen hoc in terram excultam dispersum, fructum offerat, hæc omnia non sufficiunt, nisi etiam cœlum per benignas influentias cooperetur. Eadem proportione de verbo Dei asserere possimus; is namque cui illius ministrandi cura et officium incumbit, necessario antecedenter, per studium, laborem, mentisque applicationem se præparare debet, ut illud cum convenienti dignitate, ut par est, annuntiare possit. At vero totum hoc parum juvabit, nisi divina gratia, et influxus superni tam Prædicatori, quam auditoribus pariter assistant : *Non enim vos estis qui loquimini.* Et quidem, ni fallor, hoc idem Apostolus asserere voluit, quando ait : *Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* Et paulo post idipsum confirmat, subjungendo : *Dei sumus adjutores.* A manu namque omnipotenti incarnatæ Sapientiæ velut instrumenta adhibemur : *Dei agricultura estis.*

VERSUS 7.

Et annuerunt sociis, qui erant in alia navi, ut venirent et adjuvarent eos, et venerunt et impleverunt ambas naviculas, ita ut pene mergerentur.

Et annuerunt sociis, qui erant in alia navi, ut venirent et adjuvarent eos.

1. — Toletus duas hujus rei causas affert; prima est, ut multi præsto essent, tanti miraculi oculati testes, ut sic velocius divulgaretur et spargeretur per orbem; alia est propter mysterium, quod inde denotabatur : « Simul ut significaret Apostolos, in « piscatione hominum futura, multos etiam habi« turos comministros. Ecclesiæ ergo Pastores, cum « ipsi per se imposito aut suscepto oneri non suffi« ciunt, alios, a quibus juvari possint, advocare « debent. » Similem quoque ponderationem Didacus Stella habet, dum super hæc verba ita scribit : « Quo facto docemur neminem in Ecclesia sibi « sufficere, sed alterum alterius opera et ope indi« gere, ut sic invicem nos adjuvantes humilie« mur. » Qui idem Auctor simul ad illos se reflectens, quia a Petro in subsidium fuere vocati, hoc inde pro Prælatis Ecclesiasticis deducit documentum : « Docet etiam Petrus Episcopos aut Prælatos « Ecclesiæ, ne vocent in ministerium et opem scur« ras aut ignaros, sed viros theologos et sapientes, « similes Jacobo et Joanni. »

2. — Albertus Magnus similiter ex hoc facto, iisdem Prælatis valde proficuam elicit doctrinam : « Argumentum est hic, quod cum Prælatus per se « rete trahere non valet, potest vocare alios, qui « non sunt de eadem navi, hoc est, de sua Ecclesia, « ut juvent illum, » adducitque Apostoli testimonium pariter et exemplum, ad Galatas, II, 9, ita scribentis : *Dexteras dederunt mihi et Barnabæ societatis*, « ut venirent per unitatem fidei et adjuvarent « eos verbo prædicationis, et cura regiminis, et « parte sollicitudinis. »

3. — S. Bonaventura, *Serm. II in hac Dom.*, in duobus locis ex hoc facto duo documenta deducit. Primum est : « Conversi ad Dominum, socios qui se « traxerunt ad culpam, sæpe retrahunt verbo vel « exemplo ad pœnitentiam. » Et super Evangelium Lucæ scribens, hanc habet considerationem : « Quia « opera Dei revelare et confiteri honorificum est, « unde dicit Auctor quidam : Nullus boni sine « socio jucunda possessio est, » adducitque illam ex Proverbiis, XVIII, 19, sententiam : *Frater qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma.*

Et venerunt, et impleverunt ambas naviculas.

1. — Hugo Cardinalis ait : « Duæ naves, duæ « sunt vitæ, activa et contemplativa; activa intenta « prædicationi, petit sororis orationibus adjuvari; « tunc enim proficit prædicatio, quando Martha « prædicat fideliter et Maria orat instanter. »

5. — Albertus Magnus per has duas naves, duo intelligit præcepta charitatis : « Geminæ charitatis, « in his duobus mandatis universa lex pendet; » id est, in dilectione Dei et proximi; hæ duæ naves nos per mare hujus sæculi ad fortunata Paradisi littora trajicere posse faciunt; vel etiam dicit idem : per illas intelligi possunt duo modi vivendi, « actionis « scilicet et contemplationis. »

Ut pene mergerentur.

6. — Idem quoque Doctor observat, Evangelistam non dicere illos fuisse de facto submersos, sed in periculo fuisse submersionis : « Non enim mer« gitur Petri navicula, licet periclitetur aliquando. » Venerabilis Beda ex mente S. Pauli, II *Tim.*, III, 2, quando hoc acciderit, declarat : « In novissimis « diebus erunt tempora periculosa et erunt homi« nes seipsos amantes; nam mergi naves, est homi« nes in sæculum, ex quo elati per fidem fuerant, « morum pravitate relabi. » Idem quoque Paulus periculum ostendit, in quod illi, qui post habitum veritatis lumen et notitiam relabuntur, communiter incidunt, *Heb.*, X, 26 : *Voluntarie peccantibus nobis post notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia.*

7. — S. Ambrosius acute observat, quod S. Matthæus Petri naviculam inter undas fluctuasse dicat. S. Lucas vero eamdem piscibus repletam fuisse asserit : « Ut et principia Ecclesiæ fluctuan« tia et posteriora exuberantis agnoscas; non tur« batur ista, quæ Petrum habet; turbatur illa quæ « Judam habet; in utraque Petrus, sed qui suis « meritis firmus est, turbatur alienis. Cavemus « igitur proditorem, ne per unum plurimi fluctue« mus; illic turbatio, ubi modica fides; hic securi« tas, ubi perfecta dilectio. »

VERSUS 8.

Quod cum videret Simon Petrus, procidit ad genua Jesu, dicens : Exi a me, quia homo peccator sum.

Procidit ad genua Jesu.

1. — Lucas Brugensis ait : « Intelligens præcep« tum Jesu admirando modo esse operatum, rem« que non agi casu, ut humanis viribus, sed virtute « divina, quod nulli perspectus esse potuit, quam « ipsi piscatori exercitatissimo. »

Procidit ad genua Jesu.

2. — Idem quoque S. Petrum ex hoc miraculo Divinitatem et omnipotentiam Salvatoris collegisse observat, dum ad unicum et solum Christi nutum, adeo ingentem piscium multitudinem ad mortem in retia currere vidit : « Jesu excellentia hic per-

« specta, quod natura ipsa inanimatorum et ani-
« mantium ipsum veneretur. »

3. — Albertus Magnus ait : « Fuit iste procubi-
« tus genuflexio exhibita in signum reverentiæ et
« quod ab ipso esset ad altius promovendus. *Mich.*,
« VI, 6 : *Qui dignum offeram Domino? Curvabo genua*
« *Deo meo. Matth.*, XXIII, 12 : *Qui se humiliat, exal-*
« *tabitur.* » Enimvero Christum ulli unquam crea-
turæ præterquam S. Petro genua sua flexisse non
constat, prius enim ante ipsum et postea ante alios
Apostolos, ipsum in ultima cœna genuflexum fuisse
legimus; insuper quoque disposuit, ut deinceps
omnes fideles, ad finem usque sæculorum, ipsi
quoque reges et mundi monarchæ sese pedibus
S. Petri in persona summorum Pontificum, qui
successive sedem ejus occupant, advolant, seque
reverenter coram illis prosternant. Porro sublimis
hic honor tot ante sæcula a Propheta Evangelico,
Isa., XLIX, 23, prædictus fuit : *Erunt reges nutritii*
tui, vultu in terram demisso adorabunt te et pulverem
pedum tuorum lingent.

4. — Dionysius Carthusianus ait : « At vero sicut
« Petrus viso hoc signo, nihil meritis suis adscrip-
« sit, neque inaniter gloriatus est, sed totum se
« humiliavit et Christo gratias rependit, ejusque
« præsentia se fatebatur indignum, ita dum Prælatus
« aut Prædicator multos aut quosdam converte-
« rit, totum divinæ pietati attribuat et gratias agens
« nullatenus extollatur, imo se indignissimum ar-
« bitretur, ut per eum Spiritus Sanctus talia opere-
« tur et Domino se prosternat. »

Exi a me, quia homo peccator sum.

5. — « Quasi diceret, » ait S. Bonaventura,
« non sum talis, ut ego sim dignus esse simul
« tecum; » ex hoc namque tam prodigioso miracu-
lo Christi percepit omnipotentiam et Divinitatem,
ideoque illi adeo prope ut assisteret, indignum se
reputabat. Dionysius Carthusianus ait : « Et magni-
« tudine miraculosa effectus majestatem causæ pen-
« savit; et quia opposita juxta se posita clarius
« innotescunt, quo Petrus Christi virtutem excel-
« lentiamque magis attendit, eo propriam culpam
« ac pravitatem evidentius intellexit, atque humi-
« liter fassus est. » Didacus Stella Petrum cum
Gerasenis comparans, dicit : « Indignum seipsum
« Petrus judicavit Christi præsentia, non sic Gera-
« seni; » hi Salvatorem nostrum a se repellebant,
eo, quod damna viderent, quæ ex ejus præsentia in
animalibus suis recipiebant : « Rogaverunt, ut dis-
« cederet, propter porcos, quos amiserant; cogno-
« vit Petrus Christum et ideo divino lumine illus-
« tratus seipsum agnoscit et humiliat. »

6. — Lucas Brugensis verum horum verborum
sensum investigans, in persona Petri ita scribit :
« Meam agnosco vilitatem, dum tua se mihi mani-
« festat celsitudo. Quamvis Dei præsentiam assiduis
« votis exspectant homines quod eo absente miseros
« se esse sentire cogantur, necesse est tamen,
« simul atque apparet Deus, eos formidine percelli,
« imo exanimari meta ac pavore, donec solatium
« adhibeat, quia tunc sentire incipiunt, quam nihil
« sint, quam viles et peccatis a Deo alieni, ac me-
« tuere proinde, ne ipsius sanctitas præsens consu-
« mat pravitatem ipsorum; » sicut enim quanto
lumen majus est, tanto colores magis apparent, ita
quoque quanto majorem de Deo, ipsiusque sancti-
tate et puritate notitiam habemus, tanto magis
defectus nostri, imo quilibet minimus imperfectio-
nis nævus sese conspicuum omnibus exhibet. Unde
Cajetanus ait : « Conferens peccata sua cum sancti-
« tate, quam conspiciebat in Jesu, timet sibi a pro-
« pinquitate tam sancta viri; sacrilegium existima-
« bat proximitatem suam, ad virum tam sanctum. »

7. — Vidua illa Sareptana, cui eminentissima
Eliæ virtus perspicua erat, filium suum, post hospi-
tium Sancto huic exhibitum, ad mortem usque
infirmari videns, ad eum dixit, III *Reg.*, XVII, 18 :
Quid mihi et tibi vir Dei? Ingressus es ad me, ut
remeenorarentur iniquitates meæ et interficeres filium
meum? Petrus itaque considerans, quod Christi
Divinitas, quædam suæ imperfectionis exprobratio
esset, naviculæ suæ submersionem timebat, eo
quod ipse peccator existens, Sanctum Sanctorum in
eamdem recepisset. Toletus ait : « Se peccatorem
« agnoscens, imminens submersionis periculum,
« quasi pœnam proprii reatus arbitratus est, quia
« indignus peccator dignissimum suscipiebat vec-
« torem. »

8. — Advertendum quoque, quod quanto magis
anima aliqua circa majestatem et excellentiam Dei
illustrata fuerit, tanto quoque majorem in semetipsa
conceptura sit erga eumdem Deum timorem reve-
rentialem. Et ideo in Præfatione Missæ dicitur :
Quem laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt
Potestates. Angeli etenim, qui inter cæteros Angelos
minus lumen habent et ideo de illis solum dicitur,
quod divinam majestatem laudent; at vero Domi-
nationes, quæ supremo Divinitatis throno vicinius
appropinquant, eamdem adorant et coram illa se
cernuas prosternunt; Potestates denique quæ in
sublimissimo sunt ordine coram Deo tremere dicun-
tur.

9. — S. Antonius de Padua super hæc verba
dicit, quod « in hoc duo notantur, timor de pecca-
« tis : *Exi a me, quia homo peccator sum*; spes de
« misericordia : *Ad genua Jesu procidit.* » Enimvero
dici communiter solet quod sæpe propter peccato-
rem quemdam enormem naves perire soleant; at
vero S. Petrus securus esse poterat, suam nequa-
quam submergendam fuisse, siquidem eum intra se
continebat, qui *tollit peccata mundi*, quique ipsi
omnia peccata remittendi et iis absolvendi potesta-
tem dederat : « Ideo autem hoc dicebat Petrus, »

inquit S. Bonaventura, *in Luc.*, « quia videbat
« potentiam et non percipiebat clementiam, quia
« dixit : *Non veni vocare justos, sed peccatores.* Unde
« Augustinus ait : Ut piscator loquitur Petrus.
« Deum, ac Dominum salutis secum habebat et
« dicebat : *Exi a me*, ac si infirmus medico curare
« volenti, diceret : Recede a me, quia ægroto. »
Idem quoque Seraphicus Doctor auctoritatem citat
S. Gregorii, qui laudabili quadam et sancta repre-
hensione S. Petrum his verbis aggreditur : « Imo si
« te peccatorem consideras, oportet ut a te Domi-
« num non repellas; mox vero in ipsius excusatio-
« nem prosequitur, dicens; sed certe sic humiliando
« non expellebat, sed attrahebat : *Ad quem respi-*
« *ciam, nisi ad pauperculum, et contritum spiritu, et*
« *trementem sermones meos? Isa.*, LXVI, 2. » Quo-
nam præcipue tempore Virgo sanctissima Verbum
æternum concepit, atque e Patris sinu in virginal-
lem uterum suum attraxit? Nimirum, quando
semetipsam in nihilum suum vel maxime proturba-
vit et intra se dixit : *Ecce Ancilla Domini*, tunc in-
quam proprium illum concipiendi tempus adfuit :
Fiat mihi secundum verbum tuum; et ideo tritissima
sunt illa S. Bernardi verba : *Humilitate concepit.*
Opportune quoque hic Publicanus ille occurrit, qui
peccatis onustus, in quodam recondito templi an-
gulo constitutus et humiliatus, oculos suos quamvis
lacrymis madentes in cœlum attollere non præ-
sumpsit, de quo S. Bernardus proinde præclaram
hanc profert sententiam : « Vim faciebat Publica-
« nus ille regno cœlorum, qui cum non auderet
« oculos ad cœlum levare, ipsum cœlum ad se po-
« tuit inclinare. » S. Petrus Christo propter peccata
sua et quam de se præsumebat indignitatem suam,
appropinquare non audebat, Christus autem illum
suum in terris Vicarium constituit, eique cœlorum
claves consignavit, hoc enim indicant verba illa,
ut mox dicemus : *Ex hoc jam eris homines capiens.*

10. — Dionysius Carthusianus ait : « Christum
« a se exire rogavit, non eum indignanter repel-
« lens, sed ex profundissima humilitate honorans,
« nec tamen spiritualem ejus præsentiam seu gra-
« tiæ opem a se abesse optavit. » Centurio miracula
quidem Salvatoris experiri desiderabat, ab illis ta-
men postulandis retrahebatur, eo quod se illis
experiundis indignum agnosceret et ideo quamvis
gratiarum suarum avidus et ambitiosus esset, illum
tamen ne domum suam ingrederetur, rogabat :
« Hoc ex fide » inquit S. Bonaventura, *Serm.* LXIV
in diversis, « et reverentia dicebat, sicut ille Centu-
« rio : *Domine non sum dignus ut intres sub tectum*
« *meum.* » S. Augustinus similiter dicit : « Sic Cen-
« turio interius præsentem corde tenebat, cujus a
« suo tecto præsentiam honorifice revocabat. »

11. — Ingeniosa pariter et pia est illa Didaci
Stellæ meditatio, dicentis : « Aspectus regum
« terræ et eorum præsentia homines reddit super-
« bos; at Dei visus et intuitus humiles. » Abraham,
postquam Deus illum divino conspectu suo dignatus
fuit, eumque quam maxime exaltavit et honoravit,
protinus dixit, *Gen.*, XVIII, 27 : *Loquar ad Deum*
meum, cum sim pulvis et cinis. Stellæ et planetæ
quantumvis splendidissimi, quanto propius soli
appropinquant, tanto majus patiuntur lucis et cla-
ritatis deliquium. Unde S. Gregorius ait : « Sancti
« quanto magis Divinitatis interna conspiciunt, tanto
« magis se nihil esse cognoscunt, » adducitque præ-
fati magni Patriarchæ exemplum, dicens : « Nus-
« quam quippe legitur, quod Abraham pulverem
« et cinerem se professus est, nisi cum Dei habere
« meruerit collocutionem, ait enim : *Loquar ad*
« *Deum meum, cum sim pulvis et cinis.* »

12. — Petrus ait : *Exi a me, Domine, quia homo*
peccator sum, « et propterea factus est Ecclesiæ
« fundamentum, » inquit D. Chrysostomus, *Hom.* III
in Matth.; « nihil enim sic est amicum Deo, quam
« si quis se minimis annumeret. » Ad hoc ut ædi-
ficium aliquod altius et sublimius erigi possit,
necessum est ut fundamentum ejus profundius
jaciatur et ideo merito supremus hic Architectus
Petrum, præ cunctis aliis Apostolis pro Ecclesiæ
suæ fundamento elegit, eo quod illum magis quam
alios in profundissima humilitate stabilitum esse
novit. S. Ambrosius ait : « Admirabatur Petrus
« dona divina et quo plus metuerat, magis præsu-
« mebat. » Verum inquies fortassis quomodo per
hunc sanctum timorem, majorem concipere potuit
fiduciam et audaciam? Nimirum quia Sapientis,
Prov., XVIII, 14, sententia est : *Beatus homo, qui*
semper est pavidus. Et ideo S. Bernardi, *Serm.* VI *in*
Cant., consilium fuit, dicentis : « Anima secum
« referat impressa divina vestigia : ipsa sunt timor
« et spes; ille judicii, illa misericordiæ repræsen-
« tans imaginem; merito *bene placitum est Domino*
« *super timentes eum et in eis qui sperant super mise-*
« *ricordia ejus. Psal.* XXXII, 18. » Nazianzenus ad id
pariter persuadendum, valde aptam quamdam ad-
ducit similitudinem, *Orat.* XL *in Bapt.*, dicens :
« Dum secundo vento navigas, naufragium time et
« tutior a naufragio eris, adjutorium ac socium tibi
« timorem adsciscens. »

13. — Jansenius ad hoc se reflectit, quod ta-
metsi navis in qua Petrus piscatus fuerat sicut et
retia pariter ejusdem Petri propria fuerint, ipse
quoque retia in mare ejecisset, ac demum piscibus
plenum sibi attraxisset, omniaque fecisset, quæ ad
piscationem illam necessaria erant, nihilominus
tamen ne vel unius pisciculi capturam suis attribuerit
laboribus, aut assiduitati, aut industriæ, sed
omnem piscationis illius abundantiam et copiosam
soli Christo adscripserit, imo se peccatorem et
tanto beneficio indignum confessus fuerit : « Quo
« sane suo facto docuit, quid Apostolico Doctori sit
« faciendum, si quando feliciter succedant opera

« prædicationis; tametsi enim ea peragatur hu-
« manæ vocis et industriæ ministerio, tamen summa
« laudis totius uni Christo tribuenda est, cujus aus-
« piciis solvitur ad dicendum lingua, cujus spiritus
« afflat dicentis pectus, cujusque occulta vis attra-
« hit animos auditorum. » Lyranus in moralitate
hujus historiæ scribit quod per Petrum, qui una
cum sodalibus suis tota nocte infructuose laboravi-
rat, ad Christi vero præceptum ad piscationem re-
diens, ingentem illam capturam piscium, in rete
suum ire coegit; et tamen in se nihil nisi culpam et
peccatum agnovit, dicens : *Exi a me, Domine, quia*
homo peccator sum. Prædicator quidam Evangelicus
prænotatus fuerat : « Qui propriæ innitens virtuti
« nihil proficit, sed innitens divinæ virtuti, facit
« magnum profectum, et tunc a Domino confortatur
« tur dicente : *Noli timere, ex hoc jam eris homines*
« *capiens*. »

14. — S. Ambrosius in alio quodam loco, *lib* III
de Virg., sensum verborum illorum hoc modo ex-
« ponit : « Vir sapiens et gravis, in quo esset Ecclesiæ
« fundamentum et magisterium disciplinæ, nihil
« utilius esse prospexit, quam ne secundantis ope-
« ris extollererur eventu. Et ideo : *Exi*, inquit, « a
« *me, Domine*; non rogat ut deseratur, sed ne infle-
« tur. »

Additiones.

a. — *Quod cum videret, procidit ad genua Jesu*,
etc. Ad pedes Domini provolutus Petrus, ut Magda-
lena, Dominica amplexatur vestigia, osculatur et
stringit. Anno cordialiter a Christo separari exum-
bit? Ad rem Carthusianus scribit : « Ex magnitudine
« miraculosi effectus, majestatem causæ pensavit et
« quanto Petrus Christi virtutem, excellentiamque
« magis attendit, eo propriam culpam et parvita-
« tem evidentius intellexit, atque humilius fassus
« est. » Cum multi essent in navicula, solus Petrus
timet et procumbit ad genua Jesu. In ipso enim
erat plenior cognitio fidei et supernaturalium mys-
teriorum, et ex Dei cognitione timor ejus crevit.
Qui enim majori prædilus est spiritu, plus timoris
habere nos securus vivere debet.

At si provolutus et prostratus ante pedes Domini,
amplectabatur et stringebat pedes, cur ab ipso
Domino petiit separari? Audiamus S. Ambrosium :
« Admirabatur Petrus dona divina et quo plus
« metuerat, præsumebat magis. » Hæc ultima
verba novam suscitant difficultatem. Etenim timor
non est causa confidentiæ. Audiamus nihilominus
D. Bernardum : « Anima secum referat impressa
« divina vestigia; ipsa sunt timor et spes; ista
« misericordiæ repræsentant imaginem : merito
« *beneplacitum est Domino super timentes eum, et in*
« *eis qui sperant super misericordia ejus*. » Quia S.
Petrus prope cognoverat divinitatem Christi, timo-
rem concepit, ac propterea dixit : *Exi a me, quia*
homo peccator sum. At cum simul inspiceret divinam
ejus bonitatem et in ea confideret, *procidit ad*
genua Jesu. Unde extat doctrina Gregorii Magni :
« Sancti quanto magis divinitatis interna conspi-
« ciunt, tanto magis se nihil esse cognoscunt. »

b. — Pugnant itaque in pectore Petri timor et
amor; timor, ex propria fragilitate proveniens, ita
suadebat ut Domini rogaret discessum et absen-
tiam, aut etiam ipse recederet; at vero amor eum
impelliebat ut Christi consortium quæreret et ut
fidelis sequeretur Achates. Quid amori cum timore?
Charitas quæ foras millit timorem, rivalem, præter
solitum in Petro admittit? Ita est. Filialis enim
timor cum amore Dei sese quam optime compa-
titur. « Videtis igitur, » ait D. Zeno Veron., *Ser.* I,
« hunc timorem necessarium, qui in Dei amore
« consistit, qui in voluntate sua se parat divinæ
« legi construi decorem, ad omnia genera virtutum
« intrepidus cogit, præceptis omnibus fideliter
« obtemperat, inchoatus innocenter vivit, justitiam
« percolit, sine fine studet timere ne quid præter
« Deum, quem diligit, timeat. » Hic est timor qui
hominem præparat ad omnem virtutem et omnia
bona.

c. — Ingens plane stupor, quo Petrus beneficum
Christum a se repellit; magna interim Christi
benignitas, qui repulsus non recedit, sed adhuc se
comitem præbendo, ad littus deducit; quid hisce
verbis S. Augustinus, *lib.* II *q. q. Evang.*, n, prose-
quitur : « *Exi a me, Domine, quia homo peccator*
« *sum*, quod tamen non fecit Dominus; non enim
« recessit ab eis, sed eos subductis navibus ad
« fitus perduxit. » Et quod miror magis, ille ipse
Petrus qui Jesum a se abire jussit, quasi præsentiæ
Dominicæ impatiens, præ stupore et timore, non
tantum illum passus est deductorem, sed ipsummet
Jesum, quem nunc a se exire rogabat, relictis
omnibus, perpetuus inde comes subsequitur et ut
talis a Christo recipitur, Apostolici collegii caput
constitutus. Hic Petri stupor et timor arcanum
virtutum sacramentum, dum Petrum ex peccatore
in Apostolum transformat. Timor enim Dei nostræ
cooperatur conversioni, ut peccata commissa expel-
lat et a futuris præservet. Bene igitur orabat ille,
Psal. XVIII : *Confige timore tuo carnes meas, a judiciis*
tuis timui, super quo S. Augustinus : « Quid est :
« *Confige timore tuo? Timui enim a judiciis tuis*. Si
« enim timuerat, vel timebat, cur adhuc, ut timore
« suo Deus configeret carnes suas orabat? An addi
« sibi volebat timorem, ut tantum timeret, quan-
« tum sufficeret crucifigendis carnibus, id est, con-
« cupiscentiis, affectibus carnalibus? » Timet qui-
dem, sed timore humano, qui carnales affectus et
concupiscentias interim dissimulat, non omnino
cohibet et crucifigit, interstinguit concupiscentiam,
non extinguit, et hic improbatur. Talis timor non
erat in Petro, ideoque Christum indilate sequitur.

Versus 9.

Stupor enim circumdederat eum, et omnes qui cum
illo erant, in capturam piscium quam ceperant.

1. — Glossa ait : « Excusat Petrum, non studio
« malitiæ sed ex humano defectu hoc dixisse. »

2. — Jansenius hunc stuporem nunc præcessisse
existimat, veluti typum et figuram admirationis il-
lius, quæ mundus ob felices prædicationis Evange-
licæ et conversionis gentium progressus, replendus
et in stuporem adigendus erat : « Quis enim non
« obstupesceret, considerans, prædicatione pauco-
« rum, humilium, idiotarum hominum, tot millibus
« hominum ex universis orbis nationibus intra pau-
« cos annos fuisse persuasum, ut contemptis affecti-
« bus cognatorum, contempto dispendio rei fami-
« liaris, spreto ritu paterno, contemptis minis
« principum, suppliciis, ac morte ipsa, simplicem
« Christi doctrinam sequerentur, credentes ea quæ
« humanis rationibus probari non possunt, speran-
« tes ea quæ juxta naturæ vires plenæ sunt despe-
« randa? » Enimvero quidquid ad hanc adeo copiosam piscationem, quæ totius mundi conversioni
præludebat, concurrit, magnam secum ferebat
admirationem atque stuporem. Etenim populi, qui-
bus prædicabatur, per tot sæcula in falsorum Deo-
rum suorum cultu nati, nutriti, et habituati, et
carnalibus voluptatibus, bonisque et affectibus ter-
renis plane dediti erant; ille vero populus, qui solus
inter omnes totius terræ nationes, veri Dei fide et
lumine illustratus erat, populus videlicet Hebræus,
vitiosissimus erat, jamque veri Dei Filium inter
ipsos et ex ipsis incarnatum inter duos latrones,
veluti latronem et sicarium crucifixerat. Prædicato-
res, si attendamus, hi piscatores, laceri, nudi, illit-
terati, omnique Principum aut Magnatum favore
destituti erant, imo ab ipsis probris afficiebantur
et vituperiis. Si doctrinam quam annuntiabant con-
sideremus, difficilis nimium hæc erat, quam ut ab
intellectu, quantumvis perspicaci, apprehendi pos-
set; quid enim difficilius persuaderi poterat, quam
Trinitas personarum et essentiæ unitas, Verbi æterni
ex virgine quadam facta incarnatio, Sacramentum
Eucharistiæ, et Christi Domini in eadem vera et
reali præsentia, resurrectio corporum mortuorum,
et finale judicium; longeque difficiliora erant, quæ
voluntati proponebant, insinuando eidem, vitæ ri-
gores et austeritates corporales, bonorum, divitia-
rum et voluptatum contemptus, præcipiendo denique
castitatem, humilitatem et obedientiam. Præter-
quam quod is, quem verum Deum et Dei Filium
esse prædicabant, homo quidam infami crucis ligno
affixus, *Judæis scandalum, gentibus autem stultitia* et
mera fatuitas erat. Merito igitur D. Chrysostomus
duodecim illorum piscatorum victorias considerans,
exclamat, *Hom.* LXXVI *in Matth.*, dicens : « O rem
« novam atque inauditam in natura! Judæorum in-
« numera millia Romani tunc vicerunt, atque cepe-
« runt, et a duodecim viris nudis atque inermibus
« superati sunt. Quæ oratio exponere poterit, tanti
« miraculi magnitudinem? » His adde aliud non mi-
nus grande et obstupescendum prodigium, videlicet
quod, tametsi duodecim illis piscatoribus omnium
virium conatu se non solum Reges et potentissimi
hujus mundi Monarchæ, verum etiam omnes idolo-
rum sacrificuli, philosophi, oratores, omnesque alii
totius terræ sapientes opposuerint, nihilominus quod
summe obstupescendum est, inermes illi piscatores
brevissimo in tempore *conclusserunt piscium multitu-*
dinem copiosam, siquidem ut in eadem Homilia
Chrysostomus ait : « Quæ res maximum argumen-
« tum omnipotentiæ Christi est, viginti enim annis,
« aut ad summum triginta ad omnes oras orbis,
« Evangelium transcurrit. »

3. — Lucas Brugensis ex his Evangelistæ verbis,
qualis et quantus Petri timor fuerit, his verbis de-
ducit : « Fuit metus religiosus is, quo correptus est
« Petrus, pertinens ad pietatem, non absimilis eo-
« rum, qui cæcutienti et obtusa oculorum acie cum
« sint, solem perfectissime lucidum, et splendescen-
« tem formidant, agnoscentes sese impares tantæ
« virtuti spectandæ. »

Versus 10.

Similiter autem Jacobum et Joannem filios Zebedæi,
qui erant socii Simonis. Et ait ad Simonem
Jesus : Noli timere, ex hoc jam eris homines
capiens.

Noli timere.

1. — « Non excludit, » inquit S. Bonaventura,
Ser. II *in hac Dom.*, « timorem reverentiæ et humi-
« litatis, sed pusillanimitatis. »

2. — Venerabilis Beda ait : « Confortat Dominus
« timorem carnalium, animosque fragilium conso-
« lando erigit, ne quis vel de suæ conscientiæ culpa
« tremens, vel de aliorum innocentia stupens,
« sanctitatis iter formidet aggredi. »

Ex hoc jam eris homines capiens.

3. — Lucas Brugensis ait : « Quod certe præ-
« stitit triennio post, quando uno primoque jactu
« Evangelici retis, die Pentecostes piscatus est tria
« hominum millia. » Doctor Seraphicus verba con-
siderans, sermonem tertium, quem in hanc Domi-
nicam scripsit, his verbis orditur : « Utinam ego
« miser peccator hodie unum pisciculum, unum
« hominem Domino meo Jesu Christo capere pos-
« sem. »

4. — Lyranus qualiter hæc piscatio intelligenda
sit, his verbis declarat : « Per sanam doctrinam tra-
« hendo ad vitam beatam; verbum enim Dei hamo
« piscatoris comparatur, quia sicut hamus non capit
« piscem, nisi ab ipso capiatur, sic nec verbum Dei

« capit hominem ad vitam æternam, nisi ipsum « verbum mente ipsius capiatur. »

5. — Quæri hoc loco non incongrue poterit, cur Deus Evangelii sui primos Prædicatores, arte et professione sua piscatores esse voluerit? quod si dicas, id factum esse, ut ejus omnipotentia tanto magis per eos elucesceret, dum scilicet imperatores et mundi monarchas per piscatores ad se attrahebat, responderi mox potest, idem quoque secutum fuisse, si Evangelium suum per rusticos aut agricolas annuntiari disposuisset. Pro responsione S. Ambrosius notat, quod natura nullum habeat animal ferocius pisce, siquidem omnia alia animalia, quantumvis fera illa sint et truculenta, arte tamen humana cicurantur et mansuefiunt, solus piscis homini nunquam redditur familiaris. Inter se mutuo unus devorat alterum. Ecce tibi igitur in piscibus prænotatos barbaro est paganos, qui falsa simulacra adorabant; hi enim intractabiles, feroces et crudeles erant, et tamen Deus illos, per horum piscatorum apostolicorum retia, efficaciter ad se trahere novit.

6. — Observat Toletus, quod locutio *capiens* in Græco idem significet, quod *vivicapio*. Jansenius idem quoque esse dicit, quod *vivum capere* : « Recte « intelligitur significari, Petrum capturum homines, « non quomodo hostis in bello hostes suos capere « studet, quos autem mortuos capit capere, aut ad « mortem et servitutem, sed quomodo aliquis redi- « mere studens captivos de manu hostium, qui ce- « perunt eos. » S. Justinus legit : *Ad vitam capiens*, unde S. Petrus de verbo Dei loquens, illud verbum vitæ æternæ appellavit, *Joan.*, vi, 69 : *Verba vitæ æternæ habes*, aut vero si locutio *homines capiens* insinuare vellet, quod illos capturus sit ad mortem, id intelligendum est de morte quoad vitia, culpam, aut quoad vitam antea licentiosam et dissolutam.

7. — S. Antonius Paduanus, *Serm. in Dom.* III *post Trin.*, notat, quod Salvator illa verba in singulari numero soli Petro dixerit : « Hoc specialiter ad « ipsum Petrum pertinet, quasi diceret : Ex hoc « quia fuisti humilis, vitæ tuæ maculas erubescens, « confessionem verecundia non reprimens, sed de- « tecto vultu remedium quærens, eris homines ca- « piens. » Multi quidem et alii mediante prædicatione et confessione sacramentali animas ad vitam æternam piscaturi erant, sed dependenter a Petro : *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur.*

8. — Hugo Cardinalis notat Christum dixisse : *Eris homines capiens.* « Non aurum, non argentum, « non præbendas, non laudes hominum. » II *Cor.*, xii, 14 : *Non quæro quæ vestra sunt, sed vos*; citatque Venerabilem Bedam dicentem : « Nondum in Apo- « stolatum eligitur, sed prædicitur, quod aliquando « sit eligendus. »

Additiones.

a. — *Noli timere; ex hoc jam homines eris capiens.* Benignissimus Deus, cujus natura bonitas, cujus voluntas potentia est, ingenio horum piscatorum se accommodans, ad altissimum prædicationis fastigium vocat, et sua inclinatione trahit, condescendens hominibus, ut ait D. Chrysostomus. Et sicut Magos per sidus vocavit, sic et piscatores per piscatoriam artem. Quia ergo assuetus es piscationi, o Petre, ne tibi grave sit novam artem ediscere, piscabere quidem adhuc, sed pro piscibus homines capies; qua methodo Prædicatores informat non scientiæ suæ profunditatem jactare, sed suis sese auditoribus congruenter accommodare.

Tametsi S. Paulus in Paradisum evectus *audiverit arcana verba*, ibidemque expeditum in ærarium illud habuerit aditum, *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei*; denique licet superhumana quadam et infusa locupletatus fuerit sapientia, nihilominus protestatur dicens, I *Cor.*, ii, 1 : *Cum venissem ad vos, fratres, veni non in sublimitate sermonis, aut sapientiæ, annuntians vobis testimonium Christi.* Licet inquam de ineffabilibus et altissimis increatæ Sapientiæ mysteriis edoctus de cœlo descenderit, quia tamen sciebat se in hac terra prædicaturum esse, eorum quos instructurus et catechizaturus erat, ignorantiæ et incapacitati accommodare se voluit. Et ideo merito ipsi gloriosus hic titulus adscribitur, quo *dux verbi* appellatur, et Ecclesia mundi conversionem ipsi potissimum adscribit, idque ex ea præcipue ratione, quia auditorum capacitati accommodare se novit, ipsomet dicente : *Factus sum infirmus infirmis, ut infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus, ut omnes facerem salvos.* II *Cor.*, ix, 22. Et alio in loco dicit : *Et ego, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus; tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam; nondum enim poteratis.*

b. — In textu Græco hoc verbum capiens singularem energiam habet, significat enim *vivos capiens*. Et ita legit S. Justinus Martyr : *Eris homines ad vitam capiens.* Non dubium qui alios in vitam capit, et sibi vitam acquisivisse; at quo medio? Timore. Timuit Petrus et timuit Christum Deum, et inde audit : *Et te et alios in vitam capies.* Salubris itaque illi Dei timor, qui origo et initium salutis æternæ est. D. Chrysostomus, *Hom.* LV *in Gen.*, considerando super quas animas Spiritus Sanctus diffundat gratiarum suarum dona hunc instituit discursum : « *Super quem aliam respiciam quam super mansue-* « *tum, et quietum, et trementem sermones meos?* « Vidisti quomodo nos docuit omnes colores qui- « bus animæ pulchritudo potest decorari? *Super* « *mansuetum*, inquit, *et quietum, et humilem.* De- « inde quod hæc omnia efficit addidit, *trementem* « *sermones meos.* Quid est, *trementem sermones* « *meos?* Obedientiam operibus implentem, quod et « alibi dicit : *Beatus qui timet omnia propter pieta-* « *tem.* Nam si nos qui videmus famulum, qui man-

« data nostra cum diligentia timoreque curat, « majorem erga eum declaramus benevolentiam: « multo magis bonus Dominus propter hoc dice- « bat : *Super illum respiciam, qui tremit sermones* « *meos.* »

Versus 11.

Et subductis ad terram navibus, relictis omnibus secuti sunt eum.

1. — Theophylactus ait : « Admiremini Domini « dispensationem, quomodo per propria et familia- « ria sua quemque attrahit, sicut Magos per stellam, « ita et piscatores per pisces. »

2. — Dionysius Carthusianus hosce Apostolos trina vice ad Christi sequelam vocatos fuisse dicit : « Triplex fuit Apostolorum istorum vocatio; una et « prima ad solam Christi familiaritatem; tertia ad « Apostolatum. »

3. — S. Bonaventura, *Serm.* IV, ad illa verba, *relictis omnibus*, se reflectens dicit : « Christi doctrina « ab altitudine paupertatis sumpsit exordium, et « Evangelicæ perfectionis primarium fundamentum « securitate paupertatis firmiter collocatur. »

4. — Chrysostomus fidem et obedientiam horum discipulorum admiratur, dum ait : « Habentes enim « opus præ manibus appetibilis piscationis, cum « audissent mandantem, non distulerunt, sed relic- « tis omnibus, sequebantur; talem enim obedien- « tiam requirit a nobis Christus, ut eam non præ- « termittamus, etiamsi aliquid valde necessarium « urgeat. »

5. — Dionysius Carthusianus ait : « *Relictis* « *omnibus*, quæ ibi habebant, videlicet navibus et « navium instrumentis, captisque piscibus; vel « *relictis omnibus* hominibus, qui ibi tunc ade- « rant; » qua in re utilissimum illis dederunt documentum, qui se Deo volunt consecrare; si enim id vere et stabiliter facere intendant, non solum illis mala vita præterita deserenda est, verum etiam omnes illam denuo repetendi occasiones et relinquenda sunt prava consortia, ludi, conversationes, submovendi sunt omnes libri profani, omnes litteræ amatoriæ, munuscula aut effigies amasiarum et quidquid suscitare in nobis potest peccatorum præteritorum reminiscentiam. Circa illa verba : *Relictis omnibus*, S. Thomas, *Serm.* II *in hac Dom.*, ita scribit : « Duo sunt nobis necessaria ad sequendum : « *Primo*, ut a bono commutabili avertamur, ipsum « despiciendo. *Secundo*, ut ad bonum incommuta- « bile convertamur, ipsum diligendo et imitando. « Quatuor debemus relinquere : mundana con- « temnendo; consanguineos propter Deum relin- « quendo; corpus mortificando; voluntatem pro- « priam abnegando. In quatuor oportet imitari « Christum : in humilitate : *Discite a me quia mitis* « *sum et humilis corde*; in pietate : *Estote misericor-* « *des, sicut et Pater vester misericors est*; in chari- « tate : *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invi-* « *cem*; in tribulationum asperitate. I *Pet.*, ii, 21 : « *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens* « *exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* »

Additio.

a. — *Relictis omnibus secuti sunt eum.* Qui sola reliquerunt retia eaque lacera, non retia, sed omnia reliquisse dicuntur, quia non possessionis aut desertionis, sed affectus habetur ratio. Solo enim divitiarum desiderio et cupiditate, non vero earum possessione vitiosi efficimur. Propheta Regius qui post lapsum immaculatam vitam duxit, licet ex thesauris, quos pro ædificando templo congregaverat simul esset opulentissimus et potentissimus, hanc nobis sententiam relinquit, *Psal.* LXI, 11 : *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere*, ut ostenderet quod ii quibus Deus in hac vita magnam in bonis fortunæ abundantiam donavit, divites simul et Deo accepti esse possint, cum hac tamen conditione : *Nolite cor apponere.* Ubi Laurentius Justinianus ait : « Non dixit : Nolite habere, sed : *Nolite cor* « *apponere.* Non damnat divitias, unde cœlum « homo meretur, sed ut cor non apponatur. » Unde S. Thomas Aquinas avaritiam hisce terminis definivit : « Avaritia quasi acris aviditas, definitur « esse immoderatus amor habendi. » Non enim divitiarum possessio condemnatur, sed immoderatus in earum acquisitione et conservatione affectus et cupiditas.

DOMINICA QUINTA POST PENTECOSTEN

EVANGELIUM MATTHÆI, CAP. V, VERS. 20

20. Dico enim vobis, quia nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.

21. Audistis quia dictum est antiquis : Non occides; qui autem occiderit, reus erit judicio.

22. Ego autem dico vobis quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio; qui autem

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

« capit hominem ad vitam æternam, nisi ipsum « verbum mente ipsius capiatur. »

5. — Quæri hoc loco non incongrue poterit, cur Deus Evangelii sui primos Prædicatores, arte et professione sua piscatores esse voluerit? quod si dicas, id factum esse, ut ejus omnipotentia tanto magis per eos elucesceret, dum scilicet imperatores et mundi monarchas per piscatores ad se attrahebat, responderi mox potest, idem quoque secutum fuisse, si Evangelium suum per rusticos aut agricolas annuntiari disposuisset. Pro responsione S. Ambrosius notat, quod natura nullum habeat animal ferocius pisce, siquidem omnia alia animalia, quantumvis fera illa sint et truculenta, arte tamen humana cicurantur et mansuefiunt, solus piscis homini nunquam redditur familiaris. Inter se mutuo unus devorat alterum. Ecce tibi igitur in piscibus prænotatos barbaro est paganos, qui falsa simulacra adorabant; hi enim intractabiles, feroces et crudeles erant, et tamen Deus illos, per horum piscatorum apostolicorum retia, efficaciter ad se trahere novit.

6. — Observat Toletus, quod locutio *capiens* in Græco idem significet, quod *vivicapio*. Jansenius idem quoque esse dicit, quod *vivum capere* : « Recte « intelligitur significari, Petrum capturum homines, « non quomodo hostis in bello hostes suos capere « studet, quos autem mortuos capit capere, aut ad « mortem et servitutem, sed quomodo aliquis redi- « mere studens captivos de manu hostium, qui ce- « perunt eos. » S. Justinus legit : *Ad vitam capiens*, unde S. Petrus de verbo Dei loquens, illud verbum vitæ æternæ appellavit, *Joan.*, vi, 69 : *Verba vitæ æternæ habes*, aut vero si locutio *homines capiens* insinuare vellet, quod illos capturus sit ad mortem, id intelligendum est de morte quoad vitia, culpam, aut quoad vitam antea licentiosam et dissolutam.

7. — S. Antonius Paduanus, *Serm. in Dom.* III *post Trin.*, notat, quod Salvator illa verba in singulari numero soli Petro dixerit : « Hoc specialiter ad « ipsum Petrum pertinet, quasi diceret : Ex hoc « quia fuisti humilis, vitæ tuæ maculas erubescens, « confessionem verecundia non reprimens, sed de- « tecto vultu remedium quærens, eris homines ca- « piens. » Multi quidem et alii mediante prædicatione et confessione sacramentali animas ad vitam æternam piscaturi erant, sed dependenter a Petro : *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur.*

8. — Hugo Cardinalis notat Christum dixisse : *Eris homines capiens.* « Non aurum, non argentum, « non præbendas, non laudes hominum. » II *Cor.*, xii, 14 : *Non quæro quæ vestra sunt, sed vos*; citatque Venerabilem Bedam dicentem : « Nondum in Apo- « stolatum eligitur, sed prædicitur, quod aliquando « sit eligendus. »

Additiones.

a. — *Noli timere; ex hoc jam homines eris capiens.* Benignissimus Deus, cujus natura bonitas, cujus voluntas potentia est, ingenio horum piscatorum se accommodans, ad altissimum prædicationis fastigium vocat, et sua inclinatione trahit, condescendens hominibus, ut ait D. Chrysostomus. Et sicut Magos per sidus vocavit, sic et piscatores per piscatoriam artem. Quia ergo assuetus es piscationi, o Petre, ne tibi grave sit novam artem ediscere, piscabere quidem adhuc, sed pro piscibus homines capies; qua methodo Prædicatores informat non scientiæ suæ profunditatem jactare, sed suis sese auditoribus congruenter accommodare.

Tametsi S. Paulus in Paradisum evectus *audiverit arcana verba*, ibidemque expeditum in ærarium illud habuerit aditum, *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei*; denique licet superhumana quadam et infusa locupletatus fuerit sapientia, nihilominus protestatur dicens, I *Cor.*, ii, 1 : *Cum venissem ad vos, fratres, veni non in sublimitate sermonis, aut sapientiæ, annuntians vobis testimonium Christi.* Licet inquam de ineffabilibus et altissimis increatæ Sapientiæ mysteriis edoctus de cœlo descenderit, quia tamen sciebat se in hac terra prædicaturum esse, eorum quos instructurus et catechizaturus erat, ignorantiæ et incapacitati accommodare se voluit. Et ideo merito ipsi gloriosus hic titulus adscribitur, quo *dux verbi* appellatur, et Ecclesia mundi conversionem ipsi potissimum adscribit, idque ex ea præcipue ratione, quia auditorum capacitati accommodare se novit, ipsomet dicente : *Factus sum infirmus infirmis, ut infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus, ut omnes facerem salvos.* II *Cor.*, ix, 22. Et alio in loco dicit : *Et ego, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus; tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam; nondum enim poteratis.*

b. — In textu Græco hoc verbum capiens singularem energiam habet, significat enim *vivos capiens*. Et ita legit S. Justinus Martyr : *Eris homines ad vitam capiens.* Non dubium qui alios in vitam capit, et sibi vitam acquisivisse; at quo medio? Timore. Timuit Petrus et timuit Christum Deum, et inde audit : *Et te et alios in vitam capies.* Salubris itaque illi Dei timor, qui origo et initium salutis æternæ est. D. Chrysostomus, *Hom.* LV *in Gen.*, considerando super quas animas Spiritus Sanctus diffundat gratiarum suarum dona hunc instituit discursum : « *Super quem aliam respiciam quam super mansue-* « *tum, et quietum, et trementem sermones meos?* « Vidisti quomodo nos docuit omnes colores qui- « bus animæ pulchritudo potest decorari? *Super* « *mansuetum*, inquit, *et quietum, et humilem.* De- « inde quod hæc omnia efficit addidit, *trementem* « *sermones meos.* Quid est, *trementem sermones* « *meos?* Obedientiam operibus implentem, quod et « alibi dicit : *Beatus qui timet omnia propter pieta-* « *tem.* Nam si nos qui videmus famulum, qui man-

« data nostra cum diligentia timoreque curat, « majorem erga eum declaramus benevolentiam: « multo magis bonus Dominus propter hoc dice- « bat : *Super illum respiciam, qui tremit sermones* « *meos.* »

Versus 11.

Et subductis ad terram navibus, relictis omnibus secuti sunt eum.

1. — Theophylactus ait : « Admiremini Domini « dispensationem, quomodo per propria et familia- « ria sua quemque attrahit, sicut Magos per stellam, « ita et piscatores per pisces. »

2. — Dionysius Carthusianus hosce Apostolos trina vice ad Christi sequelam vocatos fuisse dicit : « Triplex fuit Apostolorum istorum vocatio; una et « prima ad solam Christi familiaritatem; tertia ad « Apostolatum. »

3. — S. Bonaventura, *Serm.* IV, ad illa verba, *relictis omnibus*, se reflectens dicit : « Christi doctrina « ab altitudine paupertatis sumpsit exordium, et « Evangelicæ perfectionis primarium fundamentum « securitate paupertatis firmiter collocatur. »

4. — Chrysostomus fidem et obedientiam horum discipulorum admiratur, dum ait : « Habentes enim « opus præ manibus appetibilis piscationis, cum « audissent mandantem, non distulerunt, sed relic- « tis omnibus, sequebantur; talem enim obedien- « tiam requirit a nobis Christus, ut eam non præ- « termittamus, etiamsi aliquid valde necessarium « urgeat. »

5. — Dionysius Carthusianus ait : « *Relictis* « *omnibus*, quæ ibi habebant, videlicet navibus et « navium instrumentis, captisque piscibus; vel « *relictis omnibus* hominibus, qui ibi tunc ade- « rant; » qua in re utilissimum illis dederunt documentum, qui se Deo volunt consecrare; si enim id vere et stabiliter facere intendant, non solum illis mala vita præterita deserenda est, verum etiam omnes illam denuo repetendi occasiones et relinquenda sunt prava consortia, ludi, conversationes, submovendi sunt omnes libri profani, omnes litteræ amatoriæ, munuscula aut effigies amasiarum et quidquid suscitare in nobis potest peccatorum præteritorum reminiscentiam. Circa illa verba : *Relictis omnibus*, S. Thomas, *Serm.* II *in hac Dom.*, ita scribit : « Duo sunt nobis necessaria ad sequendum : « *Primo*, ut a bono commutabili avertamur, ipsum « despiciendo. *Secundo*, ut ad bonum incommuta- « bile convertamur, ipsum diligendo et imitando. « Quatuor debemus relinquere : mundana con- « temnendo; consanguineos propter Deum relin- « quendo; corpus mortificando; voluntatem pro- « priam abnegando. In quatuor oportet imitari « Christum : in humilitate : *Discite a me quia mitis* « *sum et humilis corde*; in pietate : *Estote misericor-* « *des, sicut et Pater vester misericors est*; in chari- « tate : *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invi-* « *cem*; in tribulationum asperitate. I *Pet.*, ii, 21 : « *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens* « *exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* »

Additio.

a. — *Relictis omnibus secuti sunt eum.* Qui sola reliquerunt retia eaque lacera, non retia, sed omnia reliquisse dicuntur, quia non possessionis aut desertionis, sed affectus habetur ratio. Solo enim divitiarum desiderio et cupiditate, non vero earum possessione vitiosi efficimur. Propheta Regius qui post lapsum immaculatam vitam duxit, licet ex thesauris, quos pro ædificando templo congregaverat simul esset opulentissimus et potentissimus, hanc nobis sententiam relinquit, *Psal.* LXI, 11 : *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere*, ut ostenderet quod ii quibus Deus in hac vita magnam in bonis fortunæ abundantiam donavit, divites simul et Deo accepti esse possint, cum hac tamen conditione : *Nolite cor apponere.* Ubi Laurentius Justinianus ait : « Non dixit : Nolite habere, sed : *Nolite cor* « *apponere.* Non damnat divitias, unde cœlum « homo meretur, sed ut cor non apponatur. » Unde S. Thomas Aquinas avaritiam hisce terminis definivit : « Avaritia quasi acris aviditas, definitur « esse immoderatus amor habendi. » Non enim divitiarum possessio condemnatur, sed immoderatus in earum acquisitione et conservatione affectus et cupiditas.

DOMINICA QUINTA POST PENTECOSTEN

EVANGELIUM MATTHÆI, CAP. V, VERS. 20

20. Dico enim vobis, quia nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.

21. Audistis quia dictum est antiquis : Non occides; qui autem occiderit, reus erit judicio.

22. Ego autem dico vobis quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio; qui autem

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

dixerit fratri suo, Raca, reus erit concilio; qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis.

23. Si ergo offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo, et tunc veniens offeres munus tuum.

VERSUS 20.

Dico enim vobis, quia nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.

Nisi abundaverit.

1. — Cajetanus verbum illud *abundaverit*, considerans, ita scribit : « Dicendo *abundaverit*, aperte « monstrat a justitia nostra comprehendi justitiam « Pharisæorum et aliquid addere ultra illam. » Divus Chrysostomus, *Hom.* XVI *in Matth.*, Salvatorem hoc loco non de illis Scribis et Pharisæis, qui perversi erant, sed de illis, qui legis observantissimi erant locutum fuisse existimat : « Non iniquos « appellat, sed eos qui legis præcepta custodiunt; » cujus efficacem et omnino convincentem subnectit rationem : « Neque enim illos, qui non custodirent « diceret habere justitiam. » Eamdem quoque observationem Jansenius habet, dum ait : « Notandum non comparari justitiam nostram, cum « hypocrisi Pharisæorum et Scribarum, aut quovis « alio eorum vitio, sed cum eorum justitia, hoc « est, virtute et æquitate, quam ex aliqua parte « habebant. »

2. — S. Thomas quoque, *in Matth.*, verbum illud, *abundaverit*, ponderans, illud motuum et appetituum interiorum animæ nostræ mortificationem denotare scribit : « Abundans autem justitia « est, ordinans omnem motum animæ. » Juxta quam expositionem, Salvator noster dicere vult quod ad comparandam perfectionem et virtutes, Christiano homini et nomini convenientes, rigores vitæ et austeritates corporales nequaquam sufficiant, ideoque omnium loco passiones et inordinati animi passiones et appetitus studiose reprimi debeant. Unde tritum est in vita spirituali axioma : « Tantum proficies quantam tibi vim intuleris. »

Justitia.

3. — Sciendum porro est quod, ut D. Chrysostomus notat, lex Mosaica non ideo ad animas in cœlum introducendas insufficens fuerit, quia illa in semetipsa mala esset, sed quia *perfectionem utique mandatorum tempus advenerat.*

4. — Dionysius Carthusianus in ea est opinione quod discursus ille solum ad Apostolos et Prælatos directus fuerit : « Ad eos, qui ex speciali vocatione, « professione seu gradu ad perfectionem tenentur, « ideo eorum non est circa communia languere, « quia nec sufficit eis, sed oportet ut vitam alio- « rum alta puritate transcendant. » Jansenius vero contra optimis rationibus, Salvatorem hisce verbis universum populum Christianum docere voluisse probat : « Rectius hæc sententia intelligitur dicta « toti populo et omnibus Christianis. »

5. — Porro cur in nobis major virtus et perfectio esse debeat quam in illo populo, hujus divus Chrysostomus hanc reddit rationem : « Quia et « ampliora sunt præmia et eminentior Sancti « Spiritus gratia, consequenter requiruntur etiam « majora certamina. » Nobis non promittitur, sicut illis terra lacte et melle manans, non longa vita, nec prosapia numerosa, non frumenti et vini, gregum item et armentorum copia, sed totum, quantum est cœlorum regnum, nobis promittitur. Adhæc nos Christiani majus penes Christum debitum contraximus; nondum enim Salvator noster, dum hæc verba protulit, suum etiamnum sanguinem fuderat, quemadmodum deinceps ab ipso pro nostra redemptione factum fuit. Quod si olim Hebræos manna pavit, nunc nos sacratissimo suo corpore sacramentaliter nutrit; quod si illis aquam e silice manare fecit, nobis e venis suis sacratissimum sanguinem suum et e latere aquam, quæ sanctissima fuere Sacramenta, felici scaturigine propinavit. Illos a Pharaonis tyrannide et ab Ægyptiaca redemit servitute, nos vero a barathro inferni et jugo Satanæ, ac proinde consequens est, ut quanto a Salvatore nostro majora beneficia recepimus, tanto quoque majori gratitudine eidem correspondeamus.

6. — Idem quoque D. Chrysostomus, quidnam per hoc nomen *justitia* intelligatur, his verbis declarat, dum ait : « Hic per justitiam, universam « dicit profecto virtutem. »

7. — S. Antonius de Padua, *Serm. in Dom.* VI *post. Tr.*, ei, qui in hac justitia exercere se voluerit, sequentia adimplenda esse scribit : « Quinque tene- « tur exhibere : Deo honorem, sibi ipsi cautelam, « proximo dilectionem, mundo contemptum, pec- « catis odium. »

8. — Hugo Cardinalis ait : « Dedit in nobis « abundare virtus et gratia, in tantum ut omnia « obstacula diaboli dirumpat. »

Plus quam Scribarum et Pharisæorum.

9. — Horum qualitatem Lucas Brugensis ita describit, dum ait : « Scribas Salvator hic nominat, « quia Doctores illi erant legis; Pharisæos, qui præ « cæteris legis erant observantes usque ad minutis- « sima quæque. »

10. — Christus in variis sacri Evangelii locis Scribarum et Pharisæorum hypocrisim, invidiam,

et malignitatem illorum reprehendit, quia ut Hugo Cardinalis ait : *Habebant exterius speciem pietatis, veritatem ejus abnegantes.* S. Thomas hæc verba exponens, horum defectus detegit, dicens : « Quia, « *primo*, justitia horum erat in præsumptione suæ « actionis, et in judicio alterius; » adducitque Pharisæi illius exemplum, qui in templo in conspectu omnium, sese de bonis operibus suis jactabat. « *Secundo*, quia erat in ostensione operis, non « in rectitudine intentionis. *Tertio*, quia erat in « lotione, et exteriori munditia, non in opere. « *Quarto*, in afflictione corporis per jejunia, et non « in mandatorum observatione. *Quinto*, quia erat « in minoribus observantiis, relictis gravioribus « legis; » in sequenti vero capite multa alia ipsorum vitia exponit, suosque ne illos imitentur, Salvator hortatur dicens : *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis.*

11. — Cajetanus inquit : « Justitiam majorem « vocat, tum justitiam non solum exteriorem ope- « rum, sed internarum affectionum. » Scribæ enim et Pharisæi omnem virtutem et perfectionem suam in exterioribus constituebant, et negligebant interiora, sic etenim Pharisæus ille jejunabat, dabat decimas, templum frequentabat, vacabat orationibus, etc., interius vero in corde suo superbus, elatus, et arrogans erat, de proximis suis temere judicabat, eosque contemnebat : « Judæi enim cre- « debant, » inquit Lyranus, « per præcepta Decalogi « sola exteriora prohiberi, non motum animi. » Idem quoque S. Antonius de Padua scribit, dum ait : « Pharisæorum fuit, ut manus, non animus « cohiberetur; unde credebant peccatum non esse « in cogitatione, sed tantum in operatione; » quem proinde errorem Christus in hujus Evangelii decursu condemnat. S. Thomas ait : « Hoc dicitur discipulis, « et per consequens omnibus, et extendendum est « non solum ad exteriorum motuum, sed etiam ad « animi cohibitionem. » B. Humbertus pariter ita scribit : « Pharisæorum ac Scribarum justitia erat « tantum a malo opere abstinere, voluit Dominus « in hoc suorum justitias superabundare, ut non « solum ab opere, sed insuper a cogitatione salage- « rent revocare. »

12. — Fuit et alius eorumdem error a Christo manifestatus, quia scilicet valde se exhibebant zelosos in reprehendendis aliorum, etiam Apostolorum transgressionibus levibus, videlicet quod manus non lavent, dum panem manducant; quibus tamen Christus respondit, *Mat.*, XV, 2 : *Quare et vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram?* In quibus proinde adimpletum est, quod alibi Christus in S. Matthæo, XXIII, 24, dixit, scilicet, quod sint *excolantes culicem, camelum autem glutientes*; superstitiosas enim majorum suorum traditiones, in propria inventione fundatas, pluris æstimabant, observabantque, quam a Deo scriptæ, et a Moyse promulgatæ, et per universalem acceptationem stabilitæ legis præcepta.

13. — Hugo Cardinalis causam, cur Scribæ et Pharisæi nullam habuerint actuum internorum rationem, his verbis adducit : « In lege enim non « infligebatur pœna pro peccato animi, et ideo non « cohibebat animum; lator ejus purus homo fuit, « non potens videre corda, lator vero Evangelii, « Christus, corda videt; et ideo punit utraque « peccata, cordis scilicet et operis; debet autem « justitia nostra in duobus abundare a Scribis et « Pharisæis, scilicet in omnium præceptorum exte- « riorum observatione, et in interiorum, quorum « neutrum faciebant; » illa enim præcepta solum observabant, in quæ majorem habebant, ob interesse majus inde proveniens, inclinationem; sed turpiter errabant, quia ut David attestatur, *Psalm.* CXVIII, 6 : *Tunc non confundar, cum perspexero in omnibus mandatis tuis.*

14. — Idemmet Hugo inquit : « Signa exteriora « amplectabantur, unde in materialis templi ædifi- « catione et ornatu, tota eorum intentio consiste- « bat, quod non fuit nisi signum et pictura veri « templi Dei, scilicet fidelis animæ de cujus ornatu « non curabant; erant ergo similes alicui imagi- « nem Crucifixi honoranti, ipsum vero corpus Do- « minicum concalcanti. »

15. — Porro lex vetus in exigendis a legis transgressoribus pœnis valde rigorosa erat, *Exod.*, XXI, 24 : *Oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, adustionem pro adustione.* Ab hoc autem rigore lex nova totaliter remisit; unde quando duo illi fratres ad conflagrandos igne Samaritanos illos, qui Magistrum ipsorum injuriis afficerant, ignem evocare volebant, *Luc.*, IX, 55 : *Dominus ad eos conversus increpavit illos, dicens : Nescitis, cujus spiritus estis; Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare.* Et quidem qualisnam fidelium novæ legis gratiæ spiritus sit, quem a singulis exigit, in hoc capite, *vers.* 39, luculentius insinuat, dum ait : *Audistis, quia dictum est : Oculum pro oculo, dentem pro dente; ego autem dico vobis : Noli resistere malo, sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi et alteram, et et qui vult tecum judicio contendere, et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium.* Samaritanus ille, qui typus Christi erat, in vulnera miserabilis illius, qui genus humanum a Christo sanatum præfigurabat, oleum pariter et vinum infudit, volens per hoc alludere et insinuare, quod lex Evangelica simul inter se conjunctum habeat rigoris et mansuetudinis spiritum.

16. — S. Gregorius dicit : « Quid est, *plus quam* « *Scribarum et Pharisæorum?* Justitia Pharisæorum « est, dicere, et non facere. Abundet justitia vestra « super Scribarum et Pharisæorum, ut et bona « dicatis, et bene vivatis. » Lyranus super hæc

verba : *Nisi abundaverit*, etc., pariter scribit sensum esse, « quasi dicat, ad salutem non sufficit « bona doctrina, nisi adsit bona vita. »

17. — Dionysius Carthusianus doctrinam quidem in Scribis laudat, non vero eorum opera utpote doctrinæ minime correspondentia : « Veraciter « docuerunt sed opera non corresponderunt doc- « trinæ; » atque ideo non salvantur, quia *non auditores legis justi sunt, sed factores justificabuntur.* Rom., II, 13.

18. — Magnam quoque considerationem dictio illa, *vestra*, meretur; per hanc enim Salvator noster nobis innuere intendit perfectionem et sanctitatem fidelium suorum in lege Evangelica propriam esse debere et intrinsecam, non vero ab aliis emendicatam et ideo dicit : *Justitia vestra*, quia Scribæ et Pharisæi, ad se et animas suas salvandas, nimiam habebant in Patriarcharum suorum meritis confidentiam, propria negligendo, *Luc.*, III, 9 : *Patrem habemus Abraham; semen Abrahæ sumus;* et ideo Christus illis aliquando dixit, *Joan.*, VIII, 39 : *Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.*

Non intrabitis in regnum cœlorum.

19. — Id est, ut Hugo ait, *in Ecclesiam triumphantem*; atque ideo ex pœna ad majorem perfectionem non contendentibus imposita, quanti momenti præceptum seu monitum illud sit, facile colligitur. Albertus Magnus ait : « Intrare est conti- « nuis profectibus proficisci; et ideo intrat, qui per « minimorum observantiam continue proficiscitur « ad profectum. »

Additiones.

a. — *Dico vobis quia nisi abundaverit justitia vestra, plus quam Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* Dixerat aliquando Dominus se non venisse ad solvendam legem, sed ad implendam, et ita intendit, ut sui sint legis observatores exactissimi, et non solum vult ut ipsam impleant eo modo, quo Scribæ et Pharisæi, sed ut legis observatione abundent et excellant. Et ad hoc eos exhortatus est, *primo*, suo exemplo : *Non veni solvere legem sed adimplere.* Et quidem bene, si enim boni illius quod persuadere volumus, aliquod in nobis præmittamus exemplum, auditori illud facilius persuadere poterimus. S. Bernardus, *Serm.* LIX *in Cant.*, verba illa Canticorum : *Vox turturis audita est in terra nostra*, præsenti proposito hunc in modum adaptat : « Illius Doctoris libenter audio « vocem, qui non sibi plausum, sed mihi planctum « moveat. Vere turturem exhibes si gemere doceas « et si persuadere vis, gemendo id magis quam « declamando, studeas oportebit. Exemplum sane « tum in aliis multis, tum vel maxime hoc in « negotio, verbo efficacius est. Dabis voci tuæ « vocem virtutis, si quod suades, prius illud tibi « cognosceris persuasisse. Validior operis quam « oris vox. Fac ut loqueris et non solum me facilius « emendas, sed te quoque non levi liberas scabro, « non jam penitebit, ad te si quis dicat : *Alligant « onera gravia et importabilia, et imponunt ea in « humeros hominum, digito autem suo nolunt ea « movere.* Sed neque illud verearis oportet : *Tu qui « alios doces, teipsum non doces.* » S. Ambrosius, *lib.* II *de Virg.*, rationem assignat, cur exempla verbis majoris sint efficaciæ : « Quoniam, » inquit, « nos infirmi ad monendum sumus et impares ad « docendum, exemplis plus quam præceptis putavi- « mus imbuendam, licet amplius proficiatur exem- « plo, quoniam nec difficile quod jam factum, « æstimatur et utile quod probatum. »

Dominus exhortatus est discipulos suos, *secundo*, magno proposito præmio : *Qui fecerit et docuerit magnus erit. Tertio*, nunc adhibita pœna : *Non intrabitis in regno cœlorum*; qui enim nec exemplis moventur, nec alliciuntur favoribus, sæpe pœnis trahuntur. Et hæc est causa cur Deus nobis infernum comminetur, ne in illum corruamus. Quis enim de cœlo cogitaret, aut quis in hac præsenti vita a peccatis abstineret, et per virtutem contenderet, si infernum non timeret? Imo ut D. Chrysostomus ait : « Si minis gehennæ non essemus « territi, omnes forte in gehennam præcipitare- « mur. » Major enim pars hominum libenter omni juri ad Paradisum cœlestem renuntiaret, ut deliciis in hac vita sibi frui liceret, nisi supplicia infernalia sempiterna timeret. Idem D. Chrysostomus, *Hom.* II *in Epis.* II *ad Thess.*, ita scribit : « Nullus ex his qui « gehennam despiciunt, effugit gehennam. » Et in *Homilia* XV *ad pop. Antioch.*, pariter inquit : « Quid « gehenna gravius? Sed hujus metu nil utilius. « Gehennæ namque timor nobis affert coronam. »

b. — Justitia Pharisæorum ad regnum cœlorum plane erat insufficiens, quia docebant et non faciebant, aut si aliquid faciebant, per hoc tantum auram conabantur captare popularem. Veri hypocritæ, qui indigni sunt cœlo, utpote ad ignem infernalem destinati.

c. — S. Thomas, *in Matth.*, hic declarat quæ et qualis fuerit justitia Pharisæorum et cur a Domino cœlo indigna judicata. Justitia Pharisæorum ac Scribarum erat in præsumptione actionis suæ, et in temerario de alterius actione judicio; ac proinde indigna cœlo, quia judicium temerarium charitati opponitur, derivatur a malignitate judicantis, estques pecies detractionis, et contemptum proximi includit. Cum enim lex Evangelica basi charitatis innitatur, juxta illud : *Plenitudo legis est dilectio*, necessario consequitur, quod judicium temerarium dilectioni, tam Dei quam proximi, directe opponatur, cum indubitata sit illa Ecclesiæ, ab Apostolo dictata, veritas : *Charitas non cogitat malum.* Unde B. Dorothæus in quodam sermone de hac materia fusius

disserens, causam cur adeo ad temere judicandum de proximis faciles simus, charitatis defectum esse, his verbis dicit : « Unde autem isthæc patimur, nisi « ex eo, quod charitate vacamus? Nulla enim vel « admodum tenuis et exigua inest nobis charitas; « nam charitas non cogitat malum, omnia suffert « ac tolerat, omnia credit. » S. Bonaventura de hoc vitio ita scribit : « Occulta pestis est, sed gravis- « sima, quæ Deum fugat, et fraternam lacerat « charitatem. »

Justitia Pharisæorum, secundo, erat in ostentione operis, non vero rectitudine intentionis, cum tamen opera cæteroquin bona, si mala cum intentione fiant, in cassum cedant. Legitur apud S. Lucam, XI, 34 : *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit; si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum.* « Id est, » ut Didacus Stella explicat, « omnes operationes simul aggre- « gatæ malæ erunt, cum non habeant bonitatem « completam, nisi ex intentione; quia dato quod « alias operatio sit bona ex genere suo, si intentio « non est bona, non adhuc erit perfecta talis ope- « ratio, nec meritoria. » Dim autem ante hunc auctorem, S. Bonaventura in hæc verba scripserat : « Cum obtenebratur intentio et deformatur, obte- « nebratur et deformatur opus; unde in Glossa « dicitur : Semper perversa intentio præcessit pra- « vum opus, etiamsi justum videatur. »

d. — Notanter Christus Dominus dixit discipulis suis : *Justitia vestra debet abundare, ut intretis in regnum cœlorum.* In quo maxime pungit Scribas et Pharisæos qui multis nequitiis, ac peccatis viventes, maxime confidebant in Patre suo Abrahamo, a quo descendebant, potius alienis meritis confitentes quam propriis; condemnat autem hoc Christus, dum inquit : *Justitia vestra*, quasi diceret, non alienis meritis, majorum confidendum est, ut intretis in regnum cœlorum, sed propriis operibus. Discant hic Christiani merito eos perstringi, qui Christi quidem nomine gaudent, dum Christiani vocantur, sed inaniter et sine fructu bonorum operum. S. Bernardinus Senensis S. Augustinum citat, qui in libro, quem de vita Christiana composuit, ita discurrit : « Quis adeo vanus est et stolidus, « qui cum ignorans sit, ne legere possit, advocati « nomen et munus sibi vendicare præsumat? Quis « adeo temerarius et insipiens erit, ut militem se « esse glorietur, cum arma gerere et tractare « nesciat? Nullus enim nomen aliquod sibi vendi- « cat, cui per artem et professionem nominis « correspondere nequit. Ut quis sutor appelletur, « artem calceos faciendi, ut scirat, necessum est. « Sic quoque nullus sibi fabri ferrarii, vel aurifices « nomen assumit, nisi utriusque artis peritiam « habeat. » Unde S. Augustinus et S. Bernardinus unanimiter in hæc verba concludunt : « Talibus « exemplis agnoscimus, nullum nomen sine actu, « sed omne nomen ex actu causari. Ergo tu quo- « modo Christianus diceris, in quo nullus Christi « actus apparet? » Multis utique in gremio Ecclesiæ impie viventibus, et tamen Christiano nomine insignatis, adaptari potest quod S. Paulus ad Romanos, IX, 6, scribit : *Non omnes qui ex Israel sunt, hi sunt Israelitæ, nec qui semen Abrahæ sunt, omnes filii.* Unde S. Augustinus quemdam perditæ vitæ hominem, qui se Christianum esse jactabat, his verbis perstringit : « Quomodo te gloriaris esse Christia- « num? Nomen habes et facta non habes. Si autem « nomen secutum fuerit opus, dicat te quisquam « paganum, tu factis ostende te Christianum. Nam « si factis non ostendis te Christianum, omnes te « Christianum vocent; quid prodest tibi nomen, « ubi res non inventur? »

e. — Sacrosanctum hujus Evangelii principium, maximum terrorem et admirationem injicit. Valde enim horribile est Deum nobis aperte dicere, nos, si justitia nostra in virtute altiores radices et meliores quam Pharisæorum, non egerit, nequaquam in regnum cœlorum intraturos. Numquid, Domine, illi non jejunabant? Ita profecto et aliqui eorum bis in sabbato. Nonne eleemosynas erogabant, nonne orabant? Et quidem assidue. Quomodo ergo Christianorum justitia horum superare poterit, in quo cum multi sint Christiani, qui similia opera haud præstent? Justitia Pharisæorum erat nimis rigorosa, severa, seu impatiens et vindicativa, uti *Matth.*, V, 38 : *Oculum pro oculo, dentem pro dente*, exigebat. Item quando Magdalenam peccatricem ad se appropinquantem admittit Dominus, stomachatur mox Pharisæus, dicens : *Hic si esset Propheta, sciret utique quæ et qualis est mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix est.* At justitia discipulorum, Christianorum et maxime Ecclesiæ Præsulum in hoc surabundet, ut sit admixta misericordia et patientia in tolerandis aliorum defectibus. Hæc enim nostræ christianitatis summa est ut lædentibus patientiam rependamus. « Qui ergo fuerit patientior ad inju- « riam, potentior constituetur in regno, » ait S. Maximus. Et ideo patientia est quidam character Christiani hominis, per quem ab aliis hominibus distinguitur, et per eam ad veræ fidei Christi agnitionem devenitur.

S. Apostolus, *Philip.*, I, 29, indicat Deum simul cum dono vocationis ad veram fidem, aliud quoque donum eidem adjunxisse, scilicet pro amore sui patiendi; hoc enim dicit : *Vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini.* Et merito quidem utrumque hoc donum simul conjunctum fuit in illis, qui specialis Christiani character patientia est. Ideo S. Paulus in sua Epistola ad Thessalonicenses, eosdem monet, inquiens : *Nemo moveatur in tribulationibus istis.* At vero quamobrem illos in tribulationibus suis adeo constantes et patientes esse volebat? Causam

hanc subdit Apostolus, dicens : *Ipsi enim scitis, quod in hoc positi sumus;* quasi dicere vellet : In hoc enim vocatio nostra consistit, ut videlicet patiamur et in patientia nos exerceamus. Hanc quoque ob causam, magnus ille Episcopus Massilientium Salvianus dicebat : « Quid enim mirum, si mala « cuncta perferimus qui ad toleranda universa « militamus. »

S. Petrus qui primum Catechizavit christianismum, in Epistola sua prima vocationis nostræ exigentiam declarat inquiens : *In hoc enim vocati estis, quia et Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.*

f. — Apostoli fuerunt in justitia et sanctitate multo illustriores Prophetis. Ergo in majorem eorum gloriam cederet et laudem, si Dominus diceret : Abundat justitia vestra plus quam Prophetarum. Verum Dominus noster Jesus hic agebat de justitia necessaria ad ingressum regni cœlorum. Justitia autem Prophetarum, qui fuerant viri sanctitate celebres et conspicui, ad cœlestem patriam possidendam sufficientissima extitit. At Pharisæorum Scribarumque justitia, utpote multis erroribus plena, omnino erat insufficiens; et ideo horum justitia apparens tantum in oculis hominum erat emendenda, ut ad gloriæ thronum haberet accessum. Hanc ergo veniales errores ab ingressu in regnum cœlorum retardant, nisi emendentur? Ita sane. Peccata enim venialia animam a prompta consecutione gloriæ impediunt, efficiuntque ut notabili temporis spatio in Purgatorio delineatur. Gravis ergo ob pœnam damni et sensus venialis culpa est.

Isaias, LIX, 3, ait : *Iniquitates vestræ divisserunt inter vos et Deum vestrum, et peccata vestra absconderunt faciem ejus a vobis.* Cujus hanc reddit rationem : *Manus enim vestræ polluta sunt sanguine, et digiti vestri iniquitate.* Sed numquid sufficiebat Prophetæ mentionem se fecisse de manibus, in quibus simul sunt digiti? Cur igitur insuper de digitis specialiter meminit? Oleaster latens in hoc aperit mysterium, inquiens : « Opera vestra, tam majora, quæ per « manus intelliguntur, quam minora, quæ per « digitos, immunda sunt. » Et quidem licet hæc maculæ non semper faciem Dei nobis abscondant, visionemque beatificam adimant; attamen tales sunt quæ nonnunquam spatio annorum, aut sæculorum Purgatorium cum acerbissimorum dolorum tolerantia nobis prolongant.

Omnes sacri Doctores in eo consentiunt, quod pœna damni in inferno sit major pœna sensus. In Purgatorio autem culpa venialis subjacet pœnæ sensus quæ similis est illi, quæ in inferno cruciat; et insuper ad tempus pœnam damni subire cogitur, siquidem anima a consecutione gloriæ, usque dum expiata fuerit, retardatur.

g. — Terribilis est hæc sententia : *Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* Scribæ enim et Pharisæi præ cæteris Judæis sanctiores habebantur, erantque inter Judæos eo loco, et honore quo sunt inter nos religiosi. In cibo et vestitu parci erant, vitabant luxum ac voluptatem, jejunabant feriis secundis et quintis, diligenter solvebant decimas, dabant eleemosynas, assidui erant in orationibus, dure cubabant, et ne somno nimium indulgerent, spinas aut lapillos capiti substernebant, vel in angusto asserere se locabant, ut si quis dormisset profundius, in pavimento decideret et rursum excitaretur ad orationem, ut scribit Epiphanus, *Hæres.*, LVI. Et his omnibus tamen contentus non est Christus, sed plus adhuc exigit in Christianis. Ecce non est Christus contentus in Christianis, hac facata Pharisæorum justitia, quia tota erat in exteriori rigore. Non enim; externus fucus tantum, ut ait Isidorus Pelusiota, *Epist.*, LXXVIII, sufficit ad regnum Dei; nam perfecta justitia usque ad intimas cogitationes et interna penetrat; nec rigor exterior sine animæ mortificatione interiore subsistit. Apostolus qui suum generose mactabat corpus; I *Cor.*, IX, 27 : *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo,* aliquando ad Galatas, V, 24, scribens, sequaces Christi non modo exteriori corporis austeritati et mortificationi exercendæ, sed etiam irrefrænatis cordis appetitibus et concupiscentiis eradicandis, insudare debere, his insinuat verbis : *Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt.* Sed quomodo? certe non quomodocumque, sed *cum vitiis et concupiscentiis.* Dum populus Hebræus terræ promissionis suum esset illaturus pedem, magno illi capitaneo Josue cœlitus hoc datum fuit præceptum : *Fac tibi cultros lapideos, et circumcide secundo filios Israel.* Quod ad sensum spectat spiritualem, per circumcisionem istam secundam, interior intelligitur mortificatio. Nam exteriori, scilicet austeritati corporali, spiritualis adjungenda est voluntatis, intellectus, omninmque aliorum effrænium affectuum et appetitumm mortificatio, dicente Apostolo : *Circumcisio cordis in spiritu.* Ubi S. Bonaventura ita scribit : « Circum- « cidi debemus ab iniqua cogitatione et voluntate; « hæc est enim præputium cordis. » Ideoque idem Auctor quatuor distinguit circumcisionis species, inquiens : « Prima circumcisio est in corde, secunda « in ore, tertia in aure, quarta in opere fit. »

h. — Non placebat sapientissimo justitiæ Christianæ Doctori, pharisaica hæc justitia, quia erat nimis rigorosa et severa, non tantum in quantum erat graviorum excessuum punitiva, sed etiam quantum spectabat proprias corporales austeritates, quibus ad exteriorem tantum speciem utebantur, nulla habita discretione. Illæ enim austeritates, ut Deo placeant, virtute discretionis moderari debent. Accepimus a Deo nobilissimam animam ad ejus imaginem creatam; accepimus simul cum illa et corpus, ita tamen ut hoc velut mancipium animæ subjiciatur. Nos vero permittimus ut servile hoc corpus anima prædominetur et prævaleat, idque cum utriusque irreparabile damno. D. Chrysostomus examinans verba illa S. Pauli : *Debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus,* ita in homilia quadam scribit : « Hoc est ne ad illam deferamus vitæ nostræ dominium. Illam enim necesse « est sequi, non præire. *Si enim secundum carnem « vixeritis moriemini,* inquit Apostolus, illam nobis « innuens mortem immortalem in gehenna, videli- « cet pœnam ac supplicium. » Salmeron super illa eadem verba Apostoli, ita scribit : « Adjunxit hæc « verba magna cum prudentia, quia aliqua ratione « debitores sumus, scilicet quantum exigit naturæ « necessitas, eam cibi, potu, vestitu, somnoque « sustentemus, et dum infirma est, etiam medica- « mento confirmemus, et quæ sunt hujusmodi, ne- « quaquam illi subtrahamus. Nam si alienorum « corporum curam negligere non debemus, juxta « illud Isaiæ : *Et carnem tuam ne despexeris,* « multo magis corporis nostri cura contemnenda « non est. Negat nos esse debitores carni, sed hac « ratione, *ut secundum carnem vivamus.* Vivere « enim secundum carnem est imperio, et legibus, « et carnis desideriis subesse, illisque in omnibus « obtemperare. Et ideo dum dicit, *cap.* XIII : *Carnis « curam ne feceritis, in desideriis* adjungit. »

i. — *Intrare in regnum,* secundum Chrysostomum, Augustinum, Hieronymum, et alios, idem est ac esse in regno. Cur ergo hac locutione non est usus Dominus? Ad quod respondet Albertus Magnus : « Esse vel non esse in regno est secundum « meritum vel demeritum stans quietum. Intrare « autem est continuis profectis proficisci. Et ideo « intrat qui per minorum observationem continue « proficit ad perfectum. » Justus et qui ad vitam vult ingredi nunquam se debet considerare, quamdiu est in hac vita, velut in termino, sed semper debet ulterius continuis virtutum gressibus progredi; veluti qui intrat, non sistit, sed ad aliam partem tendit, ita qui ad cœlum properat, minime quiescat, sed semper ad majorem virtutum apicem dirigat animam.

Versus 21.

Audistis, quia dictum est antiquis : Non occides; qui autem occiderit, reus erit judicio.

Dictum est antiquis.

1. — Id est, inquit Cajetanus, « Patribus in « Sinai, » *Exod.*, XX. Lucas Brugensis ita exponit : « Priscis Patribus, qui legem ipsam per Moysen a « Deo acceperunt; vel : *Audistis* docentes Scribas, « ita docti estis. »

Non occides.

2. — « Subjunge, » inquit Cajetanus, « privata « auctoritate, nam publica potestate licitum est « occidere hominem, qui suo crimine meretur « exterminari a præsenti vita. » Talis autem homicida, judicii reus, constituitur, id est, meretur ut in justitiæ tribunali processus contra ipsum instituatur.

3. — Hugo Cardinalis in hæc verba scribens, varia distinguit homicidiorum genera. « Nota, » « quod est homicidium voluntatis et odii, I *Joan.*, « III, 15 : *Omnis qui odit fratrem suum, homicida est.* « Item oris; quidam enim interficiunt in oro gladii. « *Prov.*, V, 4 : *Lingua eorum quasi gladius biceps.* « *Prov.*, XXX, 14 : *Est generatio quæ pro dentibus « gladios habet.* Item operis; ut qui faciunt aliquid, « propter quod non vivant. Item est homicidium « scandali; I *Cor.*, VIII, 11 : *Peribit infirmus in tua « scientia frater, propter quem Christus mortuus « est.* »

Additio.

a. — *Audistis quia dictum est antiquis : Non occides*, etc. Lyranus et Abulensis, hoc loco in ea sunt sententia, ut dicant quod Scribæ et Pharisæi existimabant præcepta decalogi solas externas actiones prohibere, non autem actus internos. Tamen communior est doctrina, quantum conjicimus ex hoc Christi sermone, quod hanc suam doctrinam solum tradiderint in quinto et sexto præcepto. Unde totam legem falsissimis interpretationibus prævaricabantur; nam lex expresse clamabat : *Non concupisces uxorem proximi tui;* tunc ipsi prævaricatores existimabant impleri legem, dummodo alienam uxorem non raperent. Catholicorum autem omnium doctrina verissima est, quinto et sexto præcepto prohiberi non solum actus externos, sed etiam internos; ac proinde sollicite custodiendæ sunt cogitationes internæ, maximeque refrenandæ.

S. Joannes Damascenus, primam casti hominis curam ad hoc intentam esse debere dicit, ut cor ab immundis et sordidis cogitationibus mundetur et purificetur. « Principaliter, » inquit, « vitii hujus, » scilicet peccati carnis, « correctio de cordis perfec- « tione descendit, ex quo etiam hujus morbi virus « Domini voce prodire signatur : *De corde,* inquit, « *exeunt cogitationes malæ, adulteria,* etc. Illud ergo « est primitus expiandum, unde fons vitæ et mortis « mature agnoscitur. » Unde Salomon monet : *Omni custodia serva cor tuum.* Enimvero experientia quotidiana commonstrat, quod in locum in quem caput serpentis ingreditur, totum corpus ejus pariter ingrediatur, ibidemque venena sua diffundat et mortem inferat. Quidnam vero serpentis aliud indicat, quam cogitationem et desiderium inhonestum? Ubi enim hoc locum obtinet, et sine ulla repulsa aut resistentia nidificat, ibi quoque peccati vene-

num subintrat, quia a cogitatione fit transitus ad complacentiam, inde ad consensum, quem tandem appetitus carnalis consummatio et satisfactio infallibiliter subsequitur.

Versus 22.

Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio; qui autem dixerit fratri suo, Raca, reus erit concilio; qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis.

Ego autem dico vobis.

1. — Cajetanus modum hunc imperativum loquendi specialiter observat dum ait : « Non dicit « more Prophetarum : *Dominus dicit*; sed monstrans « se legislatorem æqualem illi qui dixit antiquis, « ait : *Ego autem* non minor Deo, *dico vobis.* » Eamdem quoque ponderationem S. Thomas his verbis affert : « In quo considera legislatoris potes« tatem; nullus enim antiquorum Prophetarum ita « locutus est, sed sic : *Hæc dicit Dominus*, quia illi « ut servi ea, quæ sunt Domini, annuntiabant; hic « autem ut filius, ea quæ sunt Patris, quæ etiam « sua sunt; et illi conservis prædicabant, hic suis « servis legem ponebat. »

2. — Hugo Cardinalis Glossæ testimonio innixus existimat, quod Christus per hanc phrasim et loquendi modum nos exstimulare voluerit, ut ad ea, quæ dicturus erat, nos serio et attente reflecteremus : « Dum ait : *dico*, magnam vim, et profun« dam intelligentiam cogitandi incessit, ostendit, « quomodo superaddit, et non quæ prius manda« verat, absolvit. »

Omnis qui irascitur.

3. — Salvator noster videns, quod Scribæ et Pharisæi existimarent atque docerent, quod lex solummodo homicidium actuale et opere exteriori completum prohiberet, operæ pretium esse duxit, hunc errorem corrigere, declarando, quod insuper etiam ira, injuria, et odium vetitum sit, eo quod viam ad homicidium committendum pandant. Cum igitur hoc sub gravissima pœna interdixerit, jure merito nunc quoque iram prohibet : « Qui enim in « iracundiam non effertur, » inquit D. Chrysostomus, « quanto longius ab homicidio abstinebit? et « qui animi indignationem refrenat, quanto magis « manus suas innoxias continebit? radix quippe « homicidii iracundia est; qui igitur radicem « abscindit, multo facilius ramos ejus poterit ampu« tare. »

4. — Hugo Cardinalis etiam considerat, quod, postquam Christus dixisset : *Dictum est antiquis, non occides*, protinus subjunxerit : *Ego autem dico : Omnis qui irascitur*, plus impono, non irasci. Verum dicat fortasse aliquis, inquit, quomodo huic Christi monito satisfacere quis poterit, quando appetitum irascibilem nobis connaturalem et congenitum esse constat? Et ideo idem Hugo subdit : « Ex hoc « arguunt quidam, quod manus Christi graviores « sunt, quam Moysis, sed non est sic, quia charitas « adjuvat, Sacramenta Evangelica, doctrina aperta, « et magna promissa etiam data, quia antiquis « promittebantur, et dabantur temporalia, Chris« tianis autem æterna. »

5. — Porro satis hoc loco controversum est, an legendum sit : *Qui irascitur sine causa*; an vero simpliciter : *Omnis qui irascitur*. S. Hieronymus, a S. Thoma in *catena* citatus, scribit, quod in nonnullis codicibus legatur additum, *sine causa*; « cæterum « in veris definita sententia est, et ira penitus « tollitur; si enim jubemur orare pro persequen« tibus, omnis iræ occasio tollitur, radendum ergo « est, *sine causa*, quia *ira viri justitiam Dei non* « *operatur*. » Jansenius tamen, Chrysostomus, Auctor Imperfecti, et alii verba illa *sine causa*, addenda esse existimant. Jansenius quoque ait : « In Græcis « codicibus additur jam passim, *temere*, vel *sine* « *causa*, » citatque S. Augustinum, qui in horum verborum expositione, verba *sine causa*, addit, tametsi in *lib.* I Retractationum, *cap.* XIX, verba illa in Græcis libris minime reperiri dicat. Porro Auctor Imperfecti non solum illum, qui ex justa causa irascitur, non peccare asserit, « sed e contra nisi irati « fuerint, peccant; » cujus hanc reddit rationem : « Quia patientia irrationabilis vitia seminat, negli« gentiam nutrit, et non solum malos, sed etiam « bonos invitat ad malum; iracundia, quæ cum « causa est, non iracundia est, sed judicium. » D. Chrysostomus, *Hom.* XVI *in Matth.*, pariter per evidentes rationes, iram, utpote quæ naturalis quidam affectus est, non prohiberi probat, simul tamen modum illam reprimendi et refrenandi tradit et præscribit his verbis : « Non enim omnino illum « extinguit affectum. Primo quidem, quia impossi« bile est hominem passionibus liberari; deinde, « quia multis utilis est affectus iste, si illo videlicet « opportune ac scienter utamur, » adducitque quoddam S. Pauli exemplum, qui dum se adversus Corinthios indignabundum exhibuit, eosdem ab ingenti quodam malo liberavit : « Quodnam igitur « opportunum est tempus iræ, quando non scilicet « nosmetipsos ulciscimur, sed cum reprimimus « erga alios insolentes, eumque desides increpatione « convertimus. Quod vero importunum est tempus « iræ? cum scilicet, ut nosmetipsos vindicemus, « irascimur; » citatque illud S. Pauli monitum : *Non nosmetipsos vindicantes charissimi*, ita ipse legit, *sed date locum iræ*; » quando etiam de pecuniis litigamus, de quo idem quoque Apostolus nos monet dum ait : « *Quare non magis injuriam* « *accipitis? quare non magis fraudem patimini?* « sicut hic irasci superfluum et inutile est, ita ira « illa et necessaria est et commodissima, sed plu-

« rimi e contrario faciunt : efferuntur quidem, « cum ipsi aliquid patiuntur injuriæ, resolvuntur « vero, et omnino mollescunt, cum alios vel maxi« mam afflictionem viderint sustinere. » Idem quoque S. Chrysostomus super illa verba : *Irascimini et nolite peccare*, dicit, quod liceat juste irasci, idque duorum Apostolorum Petri et Pauli probat exemplo : « Paulus Elymæ succensuit, *Act.*, XIII, 8, et Petrus « Saphyræ, *Act.*, V, 9. Irascitur pater filio, sed « ejus curam gerens. Ille est qui temere irascitur, « qui seipsum ulciscitur; qui autem aliena corrigit, « is est omnium mansuetissimus. » Ad illum vero Jobi, V, 2, textum : *Virum stultum interficit iracundia*, per adductam hanc S. Gregorii auctoritatem respondet : « Sciendum est, quod alia est ira, « quam impatientia excitat, alia quam zelus justi« tiæ format : illa ex vitio, hæc ex virtute genera« tur. » S. Thomas, in *catena*, sequentia citat ejusdem Chrysostomi verba, dicentis : « Iracundia, quæ « cum causa est, non est iracundia, sed judicium : « iracundiam enim proprie intelligitur commotio « passionis : qui autem cum causa irascitur, ira « illius non est ex passione, ideo judicare dicitur, « non irasci. » Theophylactus ita legit : « *Qui ira*« *scitur temere, condemnabitur*; si autem is qui ira« scitur, ratione justa motus, et ut alium erudiat et « spirituali zelo, non condemnabitur. » Mox vero quando temere et sine causa irascamur, declarat, dum ait : « Tunc autem temere irascimur, quando « propter opes, vel gloriam. » Jansenius Euthymium allegans ita scribit : « Non omnimodam abstulit, « iram, sed intempestivam; dicitur autem oppor« tuna, quæ sumitur adversus eos, qui contra Dei « præcepta vivunt, quando non ad vindicandum « nos, sed ad utilitatem eorum, qui male vivunt, « ex dilectione et amore fraterno irascimur cum « congrua honestate. » Sic quoque non vitium, sed virtus est ira illa, qua in nosmetipsos concitamur, corpori et sensualitati nostræ, ejus exprobrando adversus Deum, rectæ rationis dictamen rebellionem, et ex justa vindicta illud castigando, vel dum cum sancta quadam indignatione appetitus et passiones inordinatas impugnamus, ut illas domemus, et disciplinæ freno coerceamus.

6. — S. Anselmus, *in Matth.*, hoc modo hac de re discurrit : ex quo lex Dei prohibet, ne homicidium ipso opere committamus, Christus vero insuper vetet, ut ne vel corde illud patremus, videamus nunc, quænam vel qualis ira sit, quæ prohibetur; et quidem in primis quoad suggestionem ita distinguit : « Illa ant est exterior a diabolo, aut est inte« rior ab ipsa carnis fragilitate, quæ utraque non « est peccatum, sed materia pugnandi et victoriæ; « post suggestionem propassio est, id est, subitus « motus est, qui est aliqua culpa, sed venialis, sine « aliqua deliberatione boni, vel mali, deinde se« quitur passio, quando non solum habet motum, « sed etiam deliberat, quomodo faciat, et ista est « mors in domo. Deus prohibet passionis iram, « quæ est ex deliberatione, quæ est criminalis. » Imo idem S. Doctor probat, iram deliberatam, sive etiam odium et deliberationem, quæ ex illa derivantur, quasdam esse homicidii partes, sive species : « Omnes motus ad nocendum fratri, inter genera « homicidii computantur, id est, detractio, quæ est « effectus odii et iræ, homicidium dicitur, » quod ipsum ex illis S. Joannis Apostoli, I *Epist.*, III, 15, verbis confirmat, dicentis : *Qui odit fratrem suum homicida est*. S. Thomas quoque, *in Matth.*, quænam sit ira, quæ hic condemnatur, his verbis declarat, dum verba illa : *Omnis qui irascitur*, hunc sensum habere dicit : « Quicumque motum malum ad « nocendum proximo habuerit et retinuerit. »

7. — Auctor Operis Imperfecti ad hunc appetitum irascibilem, e cordibus nostris eradicandum, utilissimam hanc habet observationem, dum ait : « Puto quod Christus non tantum pro inimicis « nostris illa mandavit, quantum pro nobis, non « quia illi digni sunt, ut diligantur ab aliquo, sed « quia non sumus nos digni, ut aliquem odiamus : « ergo non tantum jubet diligere inimicos, ut illos « diligamus, quantum ut a nobis, quod malum « est, repellamus. « Etenim ita corporis, mentis et animæ saluti perniciosissima existit; corporis quidem, quia sanguinem accendit et excitat bilem! *Eccli.*, XXX, 26 : *Zelus et iracundia minuunt dies*, id est, ut Hugo ibi explicat : « *Dies* vitæ præsentis, quoad « litteram; » præterquam quod consequens sit, ut qui iram præcipitem habet, injurias, rixas, inimicitias et strages excitet; ira enim judicium, rationem et discursum turbat et pervertit. Unde Doctor Angelicus hanc conclusionem statuit : « Ira inter « omnes passiones animæ maxime judicium ratio« nis impedit, » et S. Gregorius ait : « Dum per« turbata est mens, judicium rationis exasperat et « omne quod furor suggerit, rectum putat. » Quod si vero de animæ salute loqui velimus, constat nobis quod Salvator dicat : *Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum*. Et S. Jacobus, I, 20, dicit : *Ira viri justitiam Dei non operatur*; hæc enim inordinata passio omnibus Christianis virtutibus obicem ponit. Unde S. Petrus Damianus ait : « Per « iracundiam tota virtutum structura collabitur; » et ideo observandum hic est quod, postquam Christus virtutum et perfectionis quam in nobis majorem esse vult, quam fuerit illa Scribarum et Pharisæorum mentionem fecisset, idipsum protinus in ira, injuriis et odio exemplificat, quæ dicit esse summe fugienda; cur obsecro non potius charitatem allegat, quæ vera est sanctitatis et perfectionis anima? S. Bonaventura, *Serm. in hac Dom.*, ait : « Sicut omnium virtutum incrementum pendet a « charitate, sic omnia vitia sumunt incrementum

« ex furore iræ; unde Glossa super illud : *Vir iracundus suscitat rixas*, dixit sic : Janua omnium « vitiorum est iracundia, qua clausa, virtutibus in« trinsecus datur requies, et aperta, ad omne faci« nus armabitur. »

Fratri suo.

8. — « Itaque, » inquit Jansenius, « per dati« vum, *fratri*, satis significatur, Dominum loqui de « ira tali, quæ pugnat cum dilectione fraterna. »

9. — Porro quid per hunc fratrem intelligi debeat, Albertus Magnus nobis his verbis pulchre insinuat, dicit enim : « Frater hic dicitur omnis « conjunctus religione et conformitate naturæ; et « religione conjunctus dicitur actu vel potentia, « quia licet non sit actu Christianus, tamen potest « fieri per gratiam quam forte illi dabit Dominus, « *Malach.*, II, 10 : *Numquid non est pater unus omnium nostrum? Numquid non Deus unus creavit « nos? Quare ergo despicit unusquisque vestrum fratrem suum?* » S. Thomas, *in Matth.*, ait : « *Fratri* « *suo* per naturæ commixtionem, vel per fidem, « sicut sunt Christiani. » S. Anselmus dicit : « Bene « dixit *fratri*; omnis enim homo frater est per « primam generationem et spiritualiter fidelis, per « secundam, id est, per regenerationem. »

Reus erit judicio.

10. — D. Chrysostomus, a S. Thoma in *Catena* citatus, rationem reddit, cur iracundus judicii reus constituatur, dicit enim : « Ideo autem iræ judi« cium apposuit, ut ostendat, quod non est possi« bile, hominem omnino esse sine passionibus, sed « refrenare eas possibile est et propterea determi« natam pœnam non apposuit, ne videretur prorsus « iram cohibere. »

11. — S. Bonaventura, *Serm.* I *in Dom.* V *post Trin.*, considerat, quod homo tribus modis, secundum tria videlicet corporis instrumenta : « Cordis « nimirum, oris et manus, » adversus alterum irasci possit : « *Primo*, irascitur quis fratri perverso « judicio malignæ cogitationis in corde. *Secundo*, « duro verbo injuriosæ conviciationis in ore. *Tertio*, « pravo maleficio fraternæ læsionis in opere. » Omnes autem hasce offensas Salvator noster e medio sublatas esse voluit : « *Primo*, hanc inte« riorem cogitationem illicitam et commotionem « removet, cum dicit : *Ego autem dico vobis : Omnis « qui irascitur fratri suo, reus erit judicio*, quod in« telligitur sic : Id est, plus addo quam non occi« dere, scilicet irasci; nam qui non irascitur, non « occidit. *Secundo*, irascitur aliquis duro verbo in« juriosæ conviciationis in ore; et hunc motum « exteriorem removet, cum dixit : *Omnis qui dixe« rit fratri suo Raca, vel fatue*, quod fit, quando « motus interior prorumpit in vocem exteriorem. » *Tertio*, denique removet offensam actualem, approbando hoc ipsum, quod jam olim prohibitum fuerat : *Non occides*; vel etiam prohibendo iram : « Nam tolle iram et homicidium non fit. »

12. — S. Thomas, *in Matth.*, hæc Evangelii verba exponens, sequens proponit dubium : « Quæ« ritur, quare ita gravat peccatum linguæ? » videmus etenim quod manus longe magis proximo nostro noceat, quam lingua contumeliosa, respondetque cum Chrysostomo : « Omnis sermo vanus, « qui dicitur, immundo spiritu dictante profertur; « vanum ergo dicentes, non tantum ideo pecca« mus, quia aliquem lædimus, sed quia locum « damus in nobis immundis spiritibus agendi quod « volumus; » quod quidem si de sermone vano asserat, quid de injuria dicemus? Porro sancta Mater Ecclesia, utpote de spirituali fidelium amantissimorum filiorum suorum salute summe sollicita, varia nobis per anni gyrum proponit Evangelia, tum ut in virtutum Christianarum exercitio nos erudiat, tum ut illos a vitiis removeat, idque asserit qui satagit sive per propositum præmii objectum, sive per pœnarum comminationem, sive per culpæ damna efficaciter repræsentata; in hodierno Evangelio autem ad id præcipue connititur, ut vivaciter nobis imprimat peccati iræ, odii, verborumque contemptum, vilipendium et injuriam proximo inferentium gravitatem.

13. — S. Jacobus, III, 5, Apostolus, ut quantum ex unico tantum verbo injurioso damnum derivari possit, clarius exponat, aptissima quadam utitur similitudine, dum ait : *Ecce quantus ignis, quam magnam sylvam incendit et lingua ignis est universitas iniquitatis*; etenim unica ignis scintilla ad conflagrandam non solum sylvam, sed totam mundi vastitatem sufficit; in multis namque occasionibus experientia docuit, quod unicum verbum mordens et punctivum tales excitaverit rixas et dissensiones, ut per irreconciliabilia inde exorta bella civitatibus et provinciis integris totale illatum fuerit exterminium. Chrysostomus, *Hom.* V *ad bapt.*, ait : « Dæmon « undique nobis insidias parare consuevit, sed faci« lius lingua et ore peccante; nullum enim æque « illi congruum organum in ministerium est inte« ritus atque peccati; nam inde nobis mors, inde « lapsus, inde perditio, inde naufragium præpara« tur; « enim vero dæmon specialissime ad charitatem in nobis extinguenda lingua utitur, quia hac sola extincta, deficit omnis virtutis bonique operis meritum, nosque inimici Dei constituimur, quæ omnia mediante verbo aliquo arrogante, iracundo et injurioso assequitur. Et ideo S. Bernardus, *Serm. de trip. cust.*, ait : « Levis quidem res sermo, quia « leviter volat, sed graviter vulnerat; leviter transit, « sed graviter urit; facile volat, atque adeo violat « charitatem. » Et quidem quantum toti mundo damnum, vel unicum verbum injuriosum attulerit, ex eo facile colligitur, quod in Historico quodam

legitur, qui imperii Ottomanici recenset originem. Cum enim vivente Heraclio Imperatore, ob nimiam Officialium illius avaritiam, Saraceni, quos dictus Imperator ex Arabia, sub suo exercitu ut militarent, transtulerat, pacta non reciperent militiæ stipendia, contigit, quod dum illa ferventius sollicitarent, thesaurarius Cæsareus ira percitus contumeliose illis, sibi nullum prosustentandis canibus panem superesse responderit, quam illi contumeliam adeo acerbe tulerunt, ut omnes unanimiter hanc illis illatam injuriam justa vindicta prosequi decreverint; unde in Arabiam reversi, Mahometem sibi in generalem belli ducem elegerunt, subque signis et imperio ejus irreconciliabiliter adversus Cæsarem dimicando, illos tandem fecerunt victoriarum suarum progressus, quos etiamnum, licet frustra, ingemiscit et deplorat universus Christianismus; ecce igitur, quam verum sit, quod parvus ignis magnam sylvam incendit.

14. — Porro observandum est, quod in hoc secundo loco, in quo mentio fit de judicio, judicium illud nequaquam, in eodem sensu intelligendum sit, quo in primo; ibi namque sermo est de judicio publico, quod servata juris forma instituitur, in quo proinde homicidæ post factum juris processum condemnantur; hic autem nomine judicii intelligendum est judicium Dei, quod iracundos pro qualitate transgressionis suæ condemnat, vel etiam, ut Paulus de Palatio, *in Matth.*, scribit, de judicio propriæ conscientiæ intelligitur : « Quia enim arbitris « et publica caruit offensa, eodem publico debet « carere judicio; cum igitur te contra fratrem « excandusse contigerit, tu te in judicium et exa« men revoca, ut videas, quo animo iratus fuisti in « fratrem; nam si peccasti mortaliter, confessor « judex erit. »

Qui autem dixerit fratri suo Raca.

15. — Hugo Cardinalis verbum hoc *Raca* exteriorem iracundiæ actum exprimere existimat : « Id « est, qui de motu in vocem damnationis pro« rumpit; *Raca* enim interjectio est indignatio« nem significans proferentis. » S. Augustinus quoque idem verbum significativum non esse advertit, sed sonum quemdam contemptus et vilipendii proximi expressivum quia etiam per actus et gestus internos, contemptus exhibetur, aliisque ignominia et ludibrium inuritur. Lucas Brugensis per eum, qui fratri suo *Raca* dicit, eum intelligit : « Cujus « ira eruperit in vocem hujusmodi, qua fratri suo « exprobret vitium aliquod aut naturæ, aut for« tunæ, neque enim verbum est, quod delictum « exprimat, sed ludibrium. » Unde et Albertus Magnus dicit : « Non sonat aliquando crimen, sed « est signum indignationis cum contumelia, sine « criminis impositione. » Theophylactus dicit : « Significat idem quod ut, cum ad aliquem con« temptum nobis dicimus : abi tu. » Et S. Hilarius ait : « Vacuitatis opprobrium est; » quod et S. Hieronymus confirmat dum ait, *Hom.* XVI *in Matth.* : « Hoc verbum proprie Hebræorum est, id est, ina« nis, vacuus, quem nos possumus vulgata injuria, « absque cerebro nuncupare. » Chrysostomus quoque ait : « Non grandis alicujus est verbum con« vicii, sed magis de contemptu veniens impatien« tiaque dicentis, ut ipsi nonnunquam vel servulis, « vel inferioribus quibusque aliud imperantes « dicimus, *vade tu*. »

Reus erit concilio.

16. — S. Anselmus ait : « Qui non solum irasci« tur, sed etiam in vocem indignationis prorupit, « majorem pœnam prometetur. »

17. — Chrysostomus observat, quod tametsi hoc verbum nullius sit expressivum gravis injuriæ, attamen id, quod minus est, prohibere voluerit, ut aditum prohiberet ad id, quod est gravius : « Mise« ricors Dominus cum majoribus etiam minima « quæque delicta pariter evellit, præcipiens, ut « mutuo nobismetipsis et honorabilius utamur et « cautius, ut per hæc majora quoque peccata aufe« rantur. » S. Hieronymus hujus comminatæ pœnæ rationem reddit, dicens : « Si pro otioso sermone « redditurí sumus rationem, quanto magis de con« tumelia? »

18. — Lyranus considerat quod Salvator noster tres iræ gradus distinguat; quorum primus est in corde : *Omnis qui irascitur*. Secundus est in lingua, mediante verbo aliquo contumelioso in confuso : *Qui autem dixerit Raca*. Tertius gradus est, quando ad injuriam aperte proceditur : *Qui autem dixerit : Fatue*. « Primus gradus est minoris culpæ, quam « secundus? et secundus quam tertius; et ideo « primo minor pœna determinatur, cum dicitur : « *Reus erit concilio*, quia minus est, quod judices « debeant congregari ad determinationem pœnæ « alicujus, quam quod jam sit adjudicatus, quod « ponitur in secundo, cum dicitur : *Reus erit judi« cio*, et hoc est minus, quam quod aliquis sit jam « extremæ pœnæ determinatus, quod ponitur in « tertio gradu, cum dicitur : *Reus erit gehennæ*. »

19. — In hac porro gradatione et gravitate supplicii Christus effectus iræ insinuare intendit, quæ in appetitum et desiderium vindicativum prorumpit, vel per verba injuriosa, tametsi illum ad homicidium perpetrandum non præcipitet; atque ad hoc significandum quadam Judæis familiari utitur metaphora, qui reis vel in judicio, vel in concilio supplicium decernere solebant. Hugo Cardinalis in ea est opinione, quod hæc tria in Evangelio nominata verba : *Judicium, concilium, gehenna*, pœnam significent inferni : « Sed quia secundum qualitatem « culpæ variatur qualitas pœnæ, voluit Dominus « nominum varietate varietatem pœnæ significare

« minus est enim ira cordis; plus est *Raca*, id est, « affectus iræ in vocem prorumpens; plus etiam est « *fatue*, id est, certa expressio convicii, propter « quam redditur aliquis infamis; primo judicium, « secundo concilium, tertio gehenna debetur; judi- « cium est, quando cum reo agitur et adhuc locus « defensioni conceditur; concilium dicitur, quando « de sententia danda agitur inter judices; gehenna « dicitur illatio pœnæ; grave est de culpa agere, « gravius est sententiam dare, gravissimum est « pœnam irrevocabiliter infligere. »

Qui autem dixerit, fatue.

20. — Id est, inquit S. Anselmus, « qui convi- « cio fratrem conturbavit. » S. Hilarius dicit : « Piaculi magni periculum est, quem salem Deus « nuncupaverit, eum contumeliâ infatuati sensus « lacessere. » Albertus Magnus hujus injuriæ gravitatem simili quadam consideratione examinat, dicens : « Non modicus furor est, quem Deus sale « sapientiæ condivit, infatuatum dicere, ut dicit « Glossa; fatuus dicitur ex destituto regimine ra- « tionis, sapore caret bonorum morum; et hoc est « impositio magni criminis cum impleta voluntate « nocendi. »

21. — Lucas Brugensis dictum illud ad quamvis contumeliam et injuriam gravem extendit : « Id « est, cujus ira eo prorumpit, ut fratrem suum « adhuc sceleris alicujus aut impietatis notet, eo « enim pertinet convicium fatui; nam fatuus vere « ac proprie est, qui vitam instituit non secundum « legem Dei, a recta scilicet ratione alienam. »

Reus erit gehennæ ignis.

22. — Paulus de Palatio hanc gehennam vallem quamdam, certi cujusdam hominis Hinon appellati, fuisse scribit, quæ admodum amœna et deliciosa erat, quo in loco Gentiles ad honorem idoli Moloch, quod eo in loco adorabant, filios suos igne conflagrabant, ne autem parentes filiorum suorum audirent ploratus et ejulatus, ex quo cremebantur tempore, tympana, aliaque instrumenta musica circumstrepebant : « Dum puer ardebat, saltabant « adstantes et percutiebant tympana. » Hanc vallem Josias rex, ut magis abominabilem et exosam redderet, cadaveribus, aliisque morticinis et immunditiis repleri jussit : ut igitur Salvator noster infernum demonstraret et circumscriberet, hujus vallis nomine usus fuit, non solum ratione ignis, quo parvuli concremabantur, quique ibidem continuo ardebat; verum etiam, quia ibi illud Jobi, XXI, 12, adimplebatur oraculum : *Tenent tympanum et citharam, gaudent ad sonitum organi, ducunt in bonis dies suos et in puncto ad infernu descendunt.*

23. — S. Gregorius, *lib.* XII *Mor.*, IV, ait : « Per « gradus culpæ crevit ordo sententiæ, quia in judi- « cio adhuc causa discutitur, concilio autem causæ « sententia definitur, in gehenna, ea, quæ de con- « cilio egreditur, sententia expletur. »

24. — Jansenius super tres prædictos iræ et pœnæ gradus, similem quamdam considerationem habet; dicit enim : « Sciendum, Dominum in istis « tribus gradibus iræ et reatuum attemperasse doc- « trinam suam ad captum simplicium; non enim « semper minus peccat, qui tacitus irascitur, quam « qui conviciis debacchatur, sed pro captu vulgi, « per eum, qui tantum irascitur, proposuit exem- « plum iræ levis, quæ nondum decrevit ultionem; « per *Raca*, iræ gravioris; et per *fatue*, iræ gravis- « simæ circa homicidium : sic quod irascentem, dicit « reum *judicio*; dicentem *Raca*, reum *concilio*, di- « centem *fatue*, reum *gehennæ ignis*. »

25. — Quidam istud, inquit D. Chrysostomus, « exaggeratione magis, sive per hyperbolen dictum « esse voluerunt; » eo quod peregrinum illis, sive inconveniens esse videatur, quod unicum tantum verbum asperum et contumeliosum pœna sit æterna mulctandum; sanctus tamen Doctor modum hunc loquendi non hyperbolicum, sed veridicum esse existimat, dicit enim : « Sed vereor, ne nosmetipsos « his verbis omnino frivolis, vel potius infidelibus « seducentes, in rebus ipsis supplicia extrema sol- « vamus. » Ratio autem, quam S. Doctor reddit et pondus contumeliæ, et gravitatem culpæ clare demonstrat; subjungit enim : « Noli aspicere, quod « unum hoc verbum sit, sed quantum periculi ha- « beat, expende; an ignoras inimicitiarum tempore « incandescente ira, animoque prorsus ardente, « etiam minimum aliquid magnum aliquid videri? « Hæc parvula et homicidia sæpe pepererunt et ur- « bes sæpe integras subverterunt. »

26. — Theophylactus eamdem considerationem his verbis adducit : « Multi, » inquit, « hoc grave « et durum esse putant, non est autem; nam qui « fratrem suum ratione et prudentia privat, facit- « que ut in nullo differat a bestiis, quomodo non « dignus gehenna? Etenim qui scommatis et con- « tumeliis persequitur, charitatem destruit, qua « destructa simul omnes destruuntur virtutes, qui « contumelia proximum afficit, dum charitatem « dilacerat et proinde ignis incendio dignus fue- « rit. » Idem quoque motivum Chrysostomus tangit, dum hanc pœnam non per exaggerationem comminatam esse ostendit : « Nihil enim ita studet « Deus, ut nos mutuis charitatis nexibus colligare, « nihil enim quod ita omnem malitiam et pariat « et firmet, ut interemptio charitatis. »

27. — Inter ea bona temporalia, quæ homo maximi facit, unum et quidem præcipuum est, honor et existimatio, sive fama bona, hæc autem per injuriam valde denigratur, unde Ecclesiasticus, XXVIII, 21, infamiam appellat *Flagellum linguæ*, quia flagellum præter percussionem, ignominiam secum et infamiam affert, cum sit proprium mancipiorum

et hominum vilissimorum abjectissimorumque supplicium; unde illi qui apud Jeremiam, affectum quemdam iracundiæ valde vindicativum exprimere volebant, dicerunt : *Venite percutiamus eos lingua.* Job, qui generosioris patientiæ prototypon fuit, constans quidem fuit, quando ei omnium facultatum suarum ruina, nec non omnium filiorum suorum mors et domus suæ nuntiabatur exterminium, similiter se a vertice capitis ad plantas pedum usque a vermibus devorari heroica cum patientia sustinuit; at vero, quando ludibrio et improperiis infestari cœpit, nonnihil se impatientem exhibuisse visus fuit, *Job.*, XIX, 2 : *Usquequo affligitis animam meam et atteritis me sermonibus?* Vulnera quidem, sive ulcera corpus perforabant, at vero injuriæ ad ipsum usque animam penetrarunt; nam ut Origenes ait : « Sæpenumero qui corporis cruciamenta « toleravit, non passus est verba. » Et S. Ambrosius inquit : « Verborum suorum saxis lapidabant « innoxium. »

28. — Universa lex Evangelica huic unico dilectionis præcepto innititur; unde dicitur : *Qui diligit proximum, legem implevit*, injuria autem charitati directe opponitur, quia dum proximum aspernatur, vilipendit et vituperat, suam dissensionibus et inimicitiis originem subministrat et quisquis in hasce prorumpit, ab ira et furore se vinci permittit, eumdemque in fratre suo ut plurimum excitat. Unde beatus Laurentius Justinianus ait : « Princi- « pium amicitiæ est bene loqui et grande exordium « inimicitiarum est, injuriari contumeliose. »

29. — Observastisne unquam, quando quidem Spiritus Sanctus in toto vastissimo sacræ Scripturæ volumine primum de gehenna, quæ idem est quod infernus, mentionem fecerit? Quot abominandi excessus in veteris Testamenti decursu refeuntur! Quam severa a vindicativa Christi justitia illata leguntur supplicia! Et tamen Sapientia illa increata, ad faciendam hujus nominis gehennæ mentionem, non sine mysterio eousque exspectavit, donec illam communaretur in pœnam et supplicium injuriæ proximo illatæ, tunc enim omnium primo nominavit.

30. — Tritum in Israel proverbium erat : *Cæcus et claudus non introbunt templum*; ex quo illos a Deo abjectos et repudiatos fuisse colligitur et tamen constat, quod iidem cæci et claudi, jussu patrisfamilias Evangelici, in quo Filius Dei præfiguratus fuit, ad cœnam, quæ symbolum est gloriæ, invitati fuerint; et ideo ad intelligendam hujus dicti primam originem, unde procedit, sciendum est, quod in eodem monte Sion, in quo templum Domini fabricatum erat, fortalitum quoque a Jebusæis gentilibus terræ Chanaan possessoribus fuerit erectum, illudque adeo firmiter munitum, ut, quia insuperabile esse credebatur, alios ad illius custodiam non adhibuerint præsidiarios, ut nonnulli opinantur, præterquam cæcos et claudos, eo quod illud nunquam expugnandum fore credebant; hi autem Davidem illud invadere tentantem deriserunt, multis affecerunt injuriis et verborum contumeliosorum opprobriis : « Cæcos et claudos odientes animam David, « idcirco dicitur in proverbio : Cæcus et claudus « non intrabunt in templum; » quod idem est, ac si diceretur, illi, qui proximos suos probris et injuriis afficiunt, nullam cum Deo partem habebunt. De S. Elisæo Propheta narratur, IV *Reg.*, II, 2, quod dum die quadam in Bethel ascendere vellet, multi illum insecuti fuerint pueri : *Pueri parvi egressi sunt de civitate et illudebant ei dicentes : Ascende calve, ascende calve*; et quidem tametsi sanctus hic Propheta adeo firmiter in virtutibus fundatus fuerit, utpote qui duplicem Eliæ spiritum hæreditatis loco, ab eodem acceperat, nihilominus opprobrium istud ægerrime ferens : *Maledixit eis in nomine Domini.* Quam vero Deus hanc maledictionem ratam gratamque habuerit, vel ex eo manifeste colligitur, quod divina justitia, hac maledictione prolata, in eosdem subito animadverterit : *Egressi sunt duo ursi de saltu et lacceraverunt ex eis quadraginta duos pueros*; et quidem, non obstante quod eum non ob moralem quemdam, sed ob naturalem calvitiei defectum, et in ætate, quæ omnis malitiæ et judicii incapax erat, deriserint, Deus tamen illos ob hunc reatum tanta cum severitate castigare voluit, ut essent in exemplum omnibus illis, qui se malitiose ab ira et odio seduci permittentes, proximi impudenter injuriari et contumeliis afficere non dubitant, falsa illis crimina imputando; hi enim longe majori sunt digni supplicio : *Reus erit gehennæ ignis.*

Additiones.

a. — *Ego autem dico vobis : Omnis qui irascitur fratri suo reus erit judicio.* Non prohibet tantum Dominus homicidium formale et externum, sed etiam vult cor nostrum ab omni odio liberum et os verbis suavissimis refertum. Item totos nos vult charitate proximi ornatos, idque non immerito; magna enim cum facilitate, delectabilitate et lucro, debito fraternæ dilectionis satisfacere possumus. S. Laurentius Justinianus advertit præceptum dilectionis fraternæ nobis non solum datum esse pro acquirendo regno Cœlorum, verum etiam ad perfectionem et sanctitatem comparandam, præterquam quod adeo sit facile, ut unicuique adaptetur et accommodetur : « Magna virtus proficiendi in « Deum, » inquit, « est hæc charitas mutua, quæ « data est divitibus pro gloria, pauperibus pro « censu, exulibus pro patria, imbecillibus pro vir- « tute, infirmis pro medicina, pro vita mortuis. » Et alio loco facilitatem qua virtutem hanc exercere possumus optime considerat, dum ait : « Ab omni- « bus potest impleri; a paupere et divite, ab infirmo

« et a sano. Non est necesse boves aut oves emere « aut ultra mare navigare, ut hoc impleatur præ« ceptum. » Et loco testimonii illum Deuteronomii, XXX, 11, textum adducit, in quo Deus noster ad nos ita loquitur : *Mandatum quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, nec in cœlo situm, sed juxta te est in ore tuo et in corde tuo, ut facias illud.* Ut nos qui viatores sumus ad cœlestem patriam nostram tendentes per viæ difficultatem nos minime excusare valeamus, quo minus dictam patriam assequamur eamdem nobis viam complanavit, et remotis omnibus offendiculis, facilem et perviam reddidit. « Tale est bonum pacis, » inquit S. Laurentius, « quod ex fraterna oritur charitate, « ut in rebus creatis nihil gratiosius soleat audiri, « nihil delectabilius concupisci et nihil utilius pos« sideri. » *Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum,* inquit Psalmista, *Psal.* CXXXII, 1; *quoniam illic mandavit Dominus benedictionem et vitam usque in sæculum.*

b. — Hoc loco agi de ira mortifera, quæ sine digno fundamento concipitur, et in animo retinetur contra debitam proximi dilectionem, communis Patrum est sententia. Huic autem juste hæc additur sententia : *Reus erit judicio,* quia hæc ira sæpe causa existit mortis corporis et animæ. Unde Job, V, 2, ait : *Vere stultum interficit iracundia.* Beatus Petrus Damianus suadet dicens : « Excludatur ab « iratorum mentibus iracundia, quæ odium gene« rat, quæ nimium cordis oculos, quos per semet« ipsum turbat, per virulentam sobolem deterius « cæcat; et iracundus quisque se veraciter peremit, « dum læsionem proximi, vel quod atrocius est, « mortem sitit. Unde scriptum est : *Virum stultum « interficit iracundia.* » S. Bonaventura de hoc vitio disserens, inquit : « Aufert homini seipsum, sicut « vulgo dicitur, quod homo turbatur, vel iratus « non est in seipso; satis autem damnificatur qui « perdit seipsum. »

c. — Notanter Syriacus hic addit vocem *temere* : *Qui temere irascitur fratri suo.* Ex quo notandum, quod non quælibet ira sit vitiosa; nam est ira per zelum, quæ est commotio animi contra vitium, quod videt in persona contemnente legem Dei. Et ira hæc est mater disciplinæ, custosque virtutum; ac proinde iræ passio, idcirco est impressa homini ut contra inordinatos appetitus et peccatum irascatur, necnon ut a pigritia sua evigilet.

Doctor Angelicus in quodam articulo disputat an ira sit licita, hanoque statuit in hac quæstione conclusionem : « Secundum rationem irasci laudabile « est. » Idque probat auctoritate S. Chrysostomi dicentis : « Qui sine causa irascitur, reus erit; qui « vero cum causa, non erit reus. Nam si ira non « fuerit, nec doctrina proficit, nec judicia stant, « nec crimina compescuntur. » S. Bonaventura, non solum iram totaliter non condemnat, verum etiam eamdem nonnunquam convenientem et necessariam esse censet; unde ait : « Non ut penitus « homo non irascatur, sed ubi debet et quandiu « debet; unde debet habere et faciem hominis et « faciem bovis. » Idem quoque alibi in quodam sermone id ipsum confirmans ait : « Ira quæ est ex « causa, non est commotio illicita, sed judicium, « eo quod non irascitur fratri suo, sed vitio. » Seneca solo lumine naturali hujus nobis innatæ passionis inordinationem agnovit, dum ait : « Magna « pars hominum est, quæ non peccatis irascitur, « sed peccantibus. »

Ira autem quæ in vitium degenerat et peccaminosa est, illa dicitur quæ contra proximum ex vindicta et odio privato armatur. Et huic incarnata Sapientia comminatur dicens : *Qui irascitur fratri suo, reus erit judicio.* Circa quæ verba Cornelius Jansenius hanc ad propositum nostrum habet ingeniosam et utilem observationem. Dicit enim : « Non « prohibentur hic primi iracundiæ motus, qui in « nostra non sunt potestate, sed ira deliberata et « perfecta, cui scilicet consensus accedit. Deinde « nec cujusmodi iræ, qua quis vitio hominis offen« ditur, ad quod significandum quidam putant « dictum : *Qui irascitur fratri;* hoc est enim non « vitio hominis, sed homini, quem quod frater sit, « diligere deberet. Itaque per dativum, *fratri,* satis « significatur, Dominum loqui de ira tali quæ « pugnat cum dilectione fraterna. »

Ira ut plurimum contra inimicos accendi solet, qui contra nos pugnant. At vero majores adversarios, ferocioresque inimicos habere non possumus, quam sint inordinati appetitus nostri; ac proinde contra illos dirigenda est ira nostra. Unde Alcuinus inquit : « Ira data est ad vitia cohibenda, ne « impius, id est, peccatis homo serviat, tanquam « dominis, » quia juxta Domini vocem, *qui facit peccatum servus est peccati.*

d. — Inter cæteras corporis et animi pestes, pestilentissima est ira, quæ hominem a solio rationis ad tempus deturbans, belluinos et efferos mores ingerit, feram fackens ex homine. « Quando enim « semel iræ perturbatio, mentem præcipitans, im« perium animæ sumpserit, hominem penitus in « feram convertit, » ait S. Basilius, *Hom. de ira.* Nam, ut ait S. Chrysostomus, ira tabes quædam et tinea nostræ mentis radices corrodens est, nec hominem, ut rationis sit compos, esse sinit. Et ideo execrandum delictum, quod ex gravissima mulcta, qua punitur censeri licet. Iratus enim toto Dei judicio reus fit, non humano solum sed divino; sic severe in iram animadvertitur. Qua simili pœna mulctatur qui impie et immundo ore quasi fœdat diviniora mysteria; itane grave delictum ira? Annon effervescens solum est animi motus? Cur igitur severiori pœna mulctatur a Christo? Respondet ad rem Joannes Baptista de Sylveria : « Exordi-

« tur Dominus explicare homicidium et primo loco « iram vetat, quæ est illius causa. Qui enim malum « vult amputare, a radice debet incipere. » Radix quippe homicidii, ait Chrysostomus, iracundia est; qui igitur radicem abscindit, multo facilius ramos poterit amputare, nam peccatum etiam qualecumque in suis principiis suffocandum est. *Beatus qui tenebit et allidet parvulos tuos ad petram,* dicit Psalmista, *Psal.* CXXXVI, 9. Porro per hos parvulos, qui ad petræ duritiem allidendi sunt, Origenes cogitationes, desideria, primasque suggestiones, quibus nondum consensus est præstitus, intelligit. Enimvero David antecedenter dixerat : *Filia Babylonis misera;* et postea subdit : *Beatus qui tenebit et allidet parvulos tuos,* « id est, » ut ait Origenes, « Baby« lonis parvulos, qui nulli alii videntur, nisi cogi« tationes pravæ, quæ cor nostrum conturbant « et confundunt. » Hæ igitur allidendæ sunt ad petram, id est, per considerationem Christi qui nullo modo debet offendi : *Petra autem erat Christus,* inquit S. Paulus, I *Cor.*, X, 4. Et quidem hi parvuli in primis suis principiis repellendi sunt et suffocandi. S. Augustinus a Glossa citatus ait : « Nascentes cupiditates, antequam robur accipiant, « facilius vincuntur. » S. Hieronymus quoque S. Eustochio virgini, filiæ S. Paulæ, idem hoc insinuat documentum, inquiens : « Quia impossibile est, in « sensum hominis non irruere innatum medulla« rum calorem, ille laudatur, ille prædicatur bea« tus, qui statim ut cœperit cogitare, interficit « cogitatus. » S. Chrysostomus ait : « Considera « quid nobis evenire possit, ad majora studia voca« tis, nisi diligenter nobis attenderimus, ac malo« rum scintillas nondum accensas antevertentes « restinxerimus. Perjuras assidue? Ne ad hoc so« lum obfirmaveris, sed et jusjurandum tolle, ac « tibi res circa laborem succedet; multo enim « difficilius est juramentum non perjurare, quam « prorsus a jurejurando abstinere. Injuriarum illa« tor es, conviciator, percussor? Legem tibi præ« scribe ne succensurum te, nec quovis clamaturum « modo; sic fiet ut una cum radice fructus intereat. « Lascivus es? Ne mulierem aspicias, neque in « theatrum ascendas, neque in foro formæ alienæ « pulchritudinem curiose perscruteris. Minus enim « laboriosum fuerit prorsus abstinere a formosæ « mulieris aspectu, quam ea conspecta, ac desiderio « semel admisso, animi motum ab eo desiderio « proliciscentem repudiare; sunt enim certamina « ipsis in exordiis leviora; imo vero ne concerta« tione quidem indigemus, nisi adversario valvas « adapernerimus, vitiositatisque semina admisceri« mus. »

e. — Quod est judicium cui obnoxius fit qui irascitur? Cajetanus sic ait : « *Reus erit judicio,* « non humano sed divino. » Heu quam durum supplicium! Iratus toto Dei judicio reus fit? Sic severe in iram, seu impatientiam animadvertitur, ut etiam Christus infernum interminetur illis, qui a patientia degenerant et ab impatientia seducti, in verba injuriosa prorumpunt. Detestanda igitur toto animo impatientia est.

Sapiens, *Prov.*, XIV, 17, dicit : *Impatiens operabitur stultitiam;* quibus verbis hujus vitii malitiam in specie non explicat, sed in genere tantum eamdem insinuat, ut exinde omne malum, ex hoc vitio, velut ex vase Pandoræ, dimanare intelligamus. S. Zeno ad inferendum nobis erga vitium istud capitale odium, illud ad vivum nobis delineat sequentibus coloribus; ait enim : « Impatientia quid est « nisi mens lubrica, permotionibus crebris, rapi« disque semper expumans? Animus infidelis etiam « sibi. Actus improvidus, instabilis, cæcus, incautus, « inconstans, totus concitans in ruinam. Omnia cito « tentat, omnia in momento disturbat, mater cri« minum, curiositatis magistra, acumen temeri« tatis, auctor detestabilium pariter ac magistra « malorum. Homines namque ab incunabulis mundi « mors ut jugularet ac jugulet, ab ipsa prorupit. « Denique Adam in arce cum adhuc esset Paradisi « constitutus, beatissimusque beati orbis imperio « adhuc potiretur, tamdiu felix, tamdiu inextermi« nabilis vixit quamdiu imperata regulis edicti « continuit; at ubi sinistro consensu invidi ex « lubricitate serpentis est impatientiam mutuatus, « sacræque arboris pomum male dulce delibavit, « lacrymas reperit, dolores et gemitus, spinas et « tribulos sibimet comparavit, ultimoque sudore « turbatus, posteris hæreditatem indigestæ mortis « quæ homicidium mox peperit, dereliquit. Deni« que nec mora est : impatienter fraterni invidus « muneris, in fratris Cain anhelat exitium. »

f. — *Qui autem dixerit fratri suo Raca, reus erit concilio.* Divus Augustinus qui hujus vocis hebraicæ, *Raca,* significationem a quodam Hebræo quæsivit, dicit interjectionem quamdam esse, iram animi sine aliqua animi injuria significantem, adeoque peccatum leve; ex quo colligimus mentem hujus cœlestis Magistri esse hortari, ut venialia et leviora etiam peccata vitemus, quo a gravioribus tutiores simus. Nam et leviter irasci et in vocem iræ indicem, sine fratris tamen gravi injuria, prorumpere, venialia peccata sunt. Quæ tamen ipse vitare monet, ne ad lethalia veniatur. Peccata enim venialia non curantes, in majora paulatim labuntur præcipitia. Unde scriptum est : *Qui timet Deum nihil negligit;* hoc est nihil, neque parvum aut magnum admittit quod modo ad cultum Dei, ejusque offensionem vitandam spectet. Ut enim qui vitam diligit non solum mortem, sed morbos etiam fugit, qui viam ad mortem muniunt, ita qui lethiferi peccati mortem odit venialia quoque peccata, quæ velut ægritudines animæ sunt, diligenter vitare student, quales sunt animæ timoratæ.

Ab hac autem cura vehementer abhorrent illi qui frequenter dictitare solent : « Otiare, ludere, scur« ram agere, mensuram vel in edendo, vel in « hibendo minus tenere, capitalia vitia non sunt. « Quid ergo impedit, quominus paululum his rebus « indulgeamus, quæ mortem animæ non inferunt? « At longe alius est sensus in hoc Evangelio Christi, « aliaque SS. Patrum sententia. » Unde D. Hieronymus, in *Epistola* ad Celantiam, ait : « Neque « enim te seducat error, qui ex arbitrio suo eli« gunt, quæ potissimum Dei mandata contemnant, « quæve quasi vilia, ac parva despiciant, nec me« tuunt, ne secundum divinam sententiam minima « contemnendo, paulatim decidant, » quod plerumque contingit.

Stoicorum quidem est peccatorum tollere differentiam, et delicta omnia paria judicare, nec ullum inter scelus et erratum discrimen facere. Nos vero multum inter peccata distare credimus. Tamen satis ad cautionem prodesse dicimus etiam minima pro maximis cavere. Tanto enim facilius abstinemus a quocumque delicto, quanto magis illud metuimus, nec cito ad majora progreditur, qui etiam parva formidat. Et sane nescio an possumus leve aliquod peccatum dicere, quod in Dei contemptum admittitur. Sit etiam quantumvis parvum veniale, offensa tamen Dei est.

5. — Quidam istud : *Qui autem dixerit fratri suo Raca*, etc., « exaggeratione magis sive per hyperbo« lem dictum esse voluerunt, » inquit Chrysostomus, eo quod peregrinum illis, sive inconveniens esse videatur, quod unicum tantum verbum asperum, sive contumeliosum, pœna sit æterna muletandum. Sanctus tamen Doctor modum hunc loquendi non hyperbolicum, sed veridicum esse existimat; dicit enim : « Sed vereor ne nosmetipsos verbis hic « omnino frivolis vel potius infidelibus seducentes, « ibi rebus ipsis, extrema supplicia solvamus. » Ratio autem hujus est manifesta. Nam inter ea bona temporalia, quæ homo maximi facit, unum et quidem præcipuum, est honor et existimatio, sive fama bona. Et hæc per injuriam valde denigratur. Unde nobis cogitandum est, quanta acerbitas Christo illata fuerit ex ludibriis quibus ipsum Judæi insultarunt, et quam juste digna adhuc in hodiernum usque diem luant supplicia.

VERSUS 23.

Si ergo offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare et vade prius reconciliari fratri tuo, et tunc veniens offeres munus tuum.

Si ergo, etc.

1. — Hugo Cardinalis observat, Christum propter homicidium, ne scilicet illud committeretur, prohibuisse iracundiam in corde reconditam, nullo magis vero illam, quæ tandem præ sui vehementia in contumeliam prorumpit. « His tribus solet addi « quartum, quod ex his solet nasci, odium scilicet, « quod est ira inveterata. » S. Thomas eamdem habet ponderationem, dum ait : « Hic prohibet « iram inveteratam, ex qua odium nascitur, » facitque juxta Rabanum, argumentum quoddam a minori ad majus : « Si non licet fratri suo irasci, « multo fortius non licet detinere iram, unde nas« citur odium. »

Offers.

2. — Porro qualis illa oblatio sit, quam Deus a nobis primo loco postulat, ipsemet Deus noster expresse declarat, *Prov.*, XXIII, 26, dum ait : *Præbe fili mi cor tuum mihi;* at vero ne cor vacuum esset, ideoque ejus oblatio minus sibi esset accepta, illud ipsum a Spiritu Sancto repleri fecit, *Rom.*, V, 5 : *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis;* quod si vero hujusce amoris ignis in corde nostro extinctus fuerit, imo e contra fuerit pessima odii amaritudine imbutum, Deus utique oblationem istam omnino abominabitur. Theophylactus ait : « Docet charita« tem verum esse sacrificium. » Chrysostomus pariter, *Hom.* XXVI *in Matth.*, in persona Dei dicit : « Sacrificium mihi est, fratrum reconciliatio. » Enimvero oblationes nostræ Deo placere non possunt, si nos, qui illas offerimus, ei non fuerimus accepti, id est, si ejus fuerimus inimici; prorsus enim impossibile est amare ipsum et amore ejus non amare proximum nostrum, sunt enim hi duo amores a se invicem indivisibiles et inseparabiles, unde per necessariam consequentiam colligitur, quod si nos Deo grati et accepti non simus, multo minus gratæ futuræ sint nostræ oblationes; nam ut S. Augustinus, *Serm.* XVI *de verb. Dom.*, ait : « Te « quærit Dominus magis, quam munus tuum; « offers munus tuum; et tu non es munus Dei; plus « quærit Christus, quem redemit sanguine suo, « quam quod tu invenisti in horreo tuo. »

3. — Ex celeberrimo illo Apostoli, I *Cor.*, XIII, textu clare satis deducitur, quod nulla oblatio, nullum quantumvis bonum opus, licet etiam martyrium esset, sine amore et charitate Dei, ei grata esse possit. Et ideo Tertullianus bene ait : « Quid est, ad « pacem Dei accedere sine pace? Ad remissionem « debitorum cum retentione. Quomodo placabit « patrem iratus in fratrem? »

4. — Jansenius observat quod Christus Dominus noster, qui proximum suum offendit, remedium præscribere volens, non solum ei præceperit, ut cum eo se denuo reconciliaret, sed etiam ut pacem cum Deo renovaret : « Necessitatem satisfaciendi « fratri offenso demonstrat ex displicentia divina,

« dum offensam in fratrem docet esse impedimen« tum ad offerendum munus Deo, ut intelligamus « non solum in fratrem nos peccasse, sed etiam in « ipsum Deum, nec tamen posse nos nostris sacri« ficiis Deo reconciliari, quamdiu non fuerimus « reconciliati fratri. » In Levitico, II, 11, ubi de oblationibus agitur, inter alia scribitur : *Nec quidquam mellis adolebitur in sacrificio Domini;* mox vere aliud mandatum subjungitur, quo omnes oblationes sale conspergi jubentur : *Quidquid obtuleris sacrificii, sale condies; nec auferes sal fœderis Dei tui de sacrificio tuo.* Similiter luminaria ad divinum ejus cultum spectantia, non ex cera, quamvis hæc materia luminarium nobilissima existat, sed ex oleo restaurari voluit, *Exod.*, XXV, 6 : *Oleum ad luminaria concinnanda;* at vero *omnia in figura contingebant;* mel etenim et cera fabricantur ab apibus, quæ vindictam appetentium figuræ existunt; siquidem apium proprium est, quod si molestia aliqua afficiantur, aculeis suis pungere soleant, eosdem in vulneribus post se relinquentes, tametsi post infixum vulneri aculeum mori debeant, ac proinde non solum mel, sed etiam ceram ab oblationibus suis repudiavit et solum oleum adhiberi præcepit, eo quod non solum olivæ, quæ pacis symbolum esse noscitur, fructus existit; verum etiam, quia liquor quidam est, qui quanto amplius in torculari calcatur, tanto ad commodum et utilitatem magis abundat; e contra vero sal unionis et concordiæ symbolum existit, ac proinde sal fœderis appellatur. Et ideo in S. Marco quoque, IX, 49, Christum dixisse legimus : *Habete in vobis sal et pacem habete inter vos;* ad illud namque componendum, duo elementa inter se contraria, aqua videlicet et ignis inter se simul uniuntur et in beneficium nostrum in concordia mutua conservantur. Deus quoque modum constituit, juxta quem altare erigendum erat; super quo sacrificium, ad hoc ut gratum esset, offerri debebat, *Deut.*, XXVII, 5 : *Ædificabis altare Domino Deo tuo de lapidibus, quos ferrum non tetigit;* parvi faciebat, quod cæteroquin lapides illi rudes, impoliti, nec secti, aut quadrati essent : *Offeres super eo holocausta et immolabis hostias pacificas.* Non vult igitur Deus, quod lapides altaris illius, super quo illi nostræ sunt offerendæ oblationes, vel per umbram ferrum tangat, utpote quod discordiæ symbolum, iræ, odii et vindictæ instrumentum esse constat. Unde Origenes, *Hom.* XII *in Joan.*, ait : « Ex lapidibus, quos ferrum non tetigit, qui ferrum « pugnæ, ferrum belli, ferrum litium nunquam « recepit, sed semper pacificus fuit, semper quietus « et mitis. »

5. — Lyranus inquit : « Advertendum, quod « munus Deo oblatum non proficit ipsi offerenti, « nisi sit in charitate, charitatem autem non ha« bet, nisi proximo læso ab eo, velit satisfacere. » S. Gregorius, *lib.* VIII *in Ezech.*, ex his verbis arguit, quantum Deus odium detestetur proximi : « Hinc ergo perpendite, quantum malum discordiæ, « propter quod et illud abjicitur, per quod culpa « laxatur. »

Munus.

6. — *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi*, inquiebat David, *Psal.* CXV, 12, cognoscebat enim, quod nihil boni Deo offerre valeamus, quin illud primo ab ipso receperimus, *Jac.*, I, 17 : *Omne datum optimum et omne donum perfectum de sursum est;* quodnam vero inter omnia Dei dona majus est? I *Cor.*, XIII, 13 : *Major autem horum est charitas. Colos.*, III, 14 : *Super omnia autem charitatem habete.* I *Tim.*, I, 5 : *Finis præcepti est charitas*, hoc est donum, quod Deo in nobis præ cunctis aliis placet : « Docet charitatem, » ut supra ex Theophylacto diximus, « verum esse sacrificium. »

7. — Possumus etiam, juxta D. Chrysostomum, *Hom.* XVI, oblationis vel munneris nomine, orationes et eleemosynas nostras intelligere : « Munus et hos« tiam, orationem et eleemosynam dico, quia enim « et hæc sacrificii instar obtinent. Audi Prophetam « loquentem : *Sacrificium laudis honorificabit me. « Immola Deo sacrificium laudis;* itaque etiamsi ora« tionem cum tali offerat voluntate, melius est ora« tionem relinquere et ad reconciliationem fratris « excurrere et tunc orationem consequenter of« ferre. »

8. — S. Antonius de Padua, *in Dom.* VI *post Trin.*, inquit : « *Munus* pœnitentiæ *ad altare*, id « est, carnis macerationem, *et ibi recordatus fueris, « quod frater*, id est, spiritus *tuus habet aliquid « adversum te*, id est, corpus affligens recordaris, « quod spiritus tuus aliquo vitio est maculatus, « *relinque ibi munus tuum*, id est, noli confidere « de carnis afflictione, nisi prius mundaveris spiri« tum tuum ab omni iniquitate. »

Tuum.

9. — Albertus Magnus hanc dictionem, *Tuum*, observat, indeque colligit, quod oblatio, quam Deo facimus et eleemosyna de nostris facultatibus, deque nostro justo lucro fieri debeant. « Debet fieri « oblatio et eleemosyna de tuo. » Unde Sapiens in Proverbiis monet : *Honora Dominum de tua substantia;* ubi Hugo Cardinalis inquit : « Non de aliena, « sed de tuis rebus bene acquisitis, quia oblatio de « alieno non placet Deo. Hujusmodi substantia tri« plex est; prima redditus Ecclesiasticus; secunda « proprium patrimonium; tertia, res acquisita pro« prio labore. De prima substantia fit bona eleemo« syna, de secunda melior, de tertia optima. » S. Gregorius ait : « Quidquid in Dei sacrificio ex sce« lere offertur, omnipotentis Dei non placat ira« cundiam, sed irritat. » Per hoc quoque donum et oblationem nostram intelligi possumus nos ipsi, estque hoc sacrificium, ad quod nos hortatur Apo-

stolus, dum ait, *Rom.*, XII, 1 : *Obsecro itaque vos fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam « viventem* fide, » inquit Hugo Cardinalis, « *sanctam* spe, *Deo placentem* charitate. » Idem sibi vult quoque hoc quo Sapiens dicit, *Prov.*, III, 9 : *De tua substantia*, « id est, » ut Glossa ait, « de teipso, videlicet teipsum offerendo. » Hugo Cardinalis ait : « Notandum autem, quod unusquis- « que prius se debet offerre Deo, quam suæ, nec « placet Deo si sua offert et se Deo subtrahat, quod « fit per iram. »

Ad altare.

10. — « *Munus tuum,* » inquit S. Thomas, « id « est, oblationem tuam ad altare materiale, vel « munus boni operis ad altare, id est, Christum. » S. Bonaventura, *Serm.* II *in hac Dom.*, per hoc altare mysticum, Christum intelligit : « Sed hæc multi « hodie plus ad aleam et similia offerunt, quam ad « altare; altare tuum Christus est, quod in pau- « pere, vel tua mente ubique inveniens, ideo *in* « *omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio* « *munda.* » Ad hoc altare, id est, sacratissimum Christi corpus multi Christiani accedunt, non ut offerant, ut oblationem recipiant, id est, ut de hoc corpore pro nobis in cruce oblato cibentur, hi autem accedunt cum corde mundo et ab omni odio et rancore purificato, quia prinsquam hoc agno immaculato cibemur, pectus percutientes verba illa proferre solemus : *Agnus Dei qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem.* Item post Canonem verba illa recitamus : *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*; ac proinde valde circumspecte cavere debemus ne mentiamur. Concilium Tridentinum, *Sess.* XVI, c. VIII, de hoc sanctissimo altaris Sacramento tractans, hisce illud honorificis nuncupat epithetis : « Signum unitatis, vincu- « lum charitatis, pacis et concordiæ symbolum. »

11. — Salvatore nostro die quadam de Eucharistia futura institutione disserente, Judæi inter se contendere cœperunt. *Litigabant ergo Judæi ad invicem dicentes : Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* S. Augustinus, *tract.* XXVI *in Joan.*, circa illa verba, se non mirari dicit, quod « *litigabant*, quoniam panem concordiæ non intel- « ligebant, nec sumere volebant; nam qui mandu- « cant talem panem, non litigant ad invicem, quia « *unus panis, unum corpus multi sumus*, et per hunc « *facit unius morti habitare in domo.* » Non sine mysterio Spiritus Sanctus nobis insinuat, quod manna, utpote hujus Sacramenti typus, per circuitum castrorum sive tabernaculorum militarium delapsum fuerit, non vero intra eadem : *Ros jacuit per circuitum castrorum*; non eadem fuit ratio coturnicum, hæ enim etiam intra ipsamet castrorum tentoria capiebantur : *Manna apparuit in solitudine.* Unde Rupertus Abbas ait : « De castris igitur illis « exeundum sibi est, quicumque hoc minutum, « quod detulit ros iste, colligere contendit. » Quisquis igitur ad hoc altare ascendere cupit non debet in proposito duellani subsistere, sed apage sint rixæ, procul absint arma. Quod si quis mihi opposuerit, sanctam Matrem Ecclesiam, hanc introduxisse consuetudinem, ut, quando cœlestis hic panis dispensatur, verbis militis, sive centurionis cujusdam, arma tractantis, Deum alloquamur, huic ego respondeo, quod Ecclesia per hæc verba potius nobis insinuare voluerit, quanto odio Deus prosequatur omne illud, quod vel minimam odii vel hostilitatis umbram in se continet. Etenim centurio sive miles iste, non obstante quod servus ejus, pro quo supplicabat, sub tecto ipsius ad mortem usque languidus jaceret, profundissima cum humilitate dicebat : *Non sum dignus ut intres sub tectum meum.* Et quidem verba hæc non solum ex quodam modestiæ instinctu dicebat, sed quia interius illuminatus erat, ut cognosceret, nequaquam consentaneum esse, ut Christus, de quo Apostolus, *Eph.*, II, 14, dicit : *Ipse est pax nostra*, in domum militis, seu potius in armamentarium quoddam ingrederetur, in quo præter milites et enses aliud nihil videre erat et ubi de nulla re alia agebatur, quam de negotiis ad bellum pertinentibus. Unde Origenes in persona Centurionis, *Hom.* V *in dicers.*, ait : « Miles sum « gladio accinctus, sanguinem fundens, ad prælium « exiens et ob id *non sum dignus, ut intres sub tec-* « *tum meum*, » et re ipsa vero domum ejus ingressus non fuit, sed procul ab ejus domo constitutus servo ejus sanitatem restituit. Quisquis igitur in dissensione cum proximo suo venit et nihilominus ad hoc altaris Sacramentum accedere præsumit, dicat similiter, non jam ex motivo humilitatis, sed sincere et vere : *Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum*; siquidem *factus est in pace locus ejus et habitatio ejus in Sion.* In hoc pacis Sacramentum instituit : *Ibi confregit potentias arcuum, scutum, gladium et bellum.* S. Hieronymus hæc Evangelii verba trutinans, postquam hanc propositionem præmisisset : « Ignoramus sine pace communio- « nem, » hoc inde argumentum deducit : « Si « munera nostra absque pace offerre non possu- « mus, quanto magis et Christi corpus accipere? » D. Chrysostomus, *Hom.* VI *in Matth.*, hæc verba : *Si offers munus tuum ad altare*, ponderans, omnes tam Sacerdotes quam laicos, in discordia cum fratribus suis viventes, ad aperiendum huic Christi monito aures suas, hisce verbis invitat : « Audiant « hi, qui sacris certe mysteriis initiati cum inimicis « ad communionem altaris accedunt; audiant etiam « illi, qui nondum initiati sunt, nam ad ipsos quo- « que habet aliquid sermo iste commune. »

Et ibi recordatus fueris.

12. — Albertus Magnus ait : « Recordatio non « est actus memoriæ, sed reminiscentiæ, ut dicit « Philosophus; reminiscentia autem est cum ra- « tione, et est discussio conscientiæ, secundum « vitam præteritam. »

13. — Paulus de Palatio ex his verbis fructum quemdam deducit, quem percipimus ex oblationibus sacris, quas Deo facimus : « Admonemur de « his, quæ ad nostram salutem spectant; « etenim per ejusmodi Deo factas oblationes Deus movetur, ut nos de rebus ad salutem nostram pertinentibus erudiat : « Forsan enim non tibi in mentem venis- « set fratris reconciliatio; at quia accessisti ad offe- « rendum munus, tuam Deus excitat memoriam; » adducitque Davidem, *Psal.* LXXIII, 16, dicentem : *Existimabam ut cognoscerem hoc, labor est ante me, donec intrem in tabernaculum Domini et intelligam in novissimis eorum.* « Igitur David non admonetur « rei, quæ tam erat necessaria sibi, nisi introisset « in tabernaculum Domini. »

Quod frater tuus habet aliquid adversum te.

14. — « Pro contumeliæ affectione, » inquit Hugo Cardinalis, « pro corporali læsione, pro famæ « denigratione detrahendo, pro animæ læsione « adulando, pro temporalium subtractione. » S. Anselmus ita exponit illa verba, ut sensus sit : « Si « habet aliquam querelam contra te. » Et hoc sensu facile est hoc Christi præceptum intelligere, nimirum jubetur, ut is, qui offendit vel injuria aliqua affecit proximum, vadat ad placandum offensum, eumque sibi reconciliandum. S. Thomas autem considerat, quod, ex quo Christus in hoc præcepto non adjunxit, dicendo : *Si frater tuus habet* justum motivum *contra te*, ideo præceptum hoc ita intelligendum esse, quod is, qui injuriam est passus, primus esse debeat in quærenda amicitia et reconciliatione illius, qui illum offendit : « Dat intelligere, « quod etiam ille, cui injuria facta est, debet « quærere amicitiam. » Non enim Christus dicit : si tu oderis ipsum, sed, si ipse habuerit odium aliquod adversum te, tametsi tu nullum habeas adversus ipsum rancorem. Porro consilium istud sive præceptum prima quidem facie durum et grave nimis nonnemini videri poterit, siquidem offensus dicere posset : Ego ipsi offensam acceptam ex animo condono et amo ipsum; quod si vero ille me odit, aut aliquam quoad me displicentiam habet, viderit ipse quid agat, ego ab omni culpa liber sum; at vero ipsum dum hoc dicit, gravi errore decipitur, quia revera in rancore ejus culpam habet, redditque se alienæ culpæ participem; dum enim eumdem e corde ipsius eradicare valens, idipsum facere renuit, signum est quod eum minime diligat, alias enim primum omnium loco, spiritualem animæ ipsius salutem amaturus esset, I *Joan.*, III, 14 : *Qui non diligit, manet in morte.* Et Apostolus, *Rom.*, XII, 18 : *Si fieri potest, quantum ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes.* Regius quoque Propheta, *Psal.* CXIX, 6, de se dicit : *Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus.* Charitas enim a nobis exigit, ut omni cum studio proximum nostrum placare, ejusque furore mitigare conemur, humiliando nos coram ipso, excusando ipsum, omnemque ei debitam satisfactionem præbendo. Dionysius Carthusianus citat D. Chrysostomum et Cassianum dicentes : « Ad charitatis perfectionem præcipue pertinet, ut « etiam ille, qui læsus est, studeat adversarium « mitigare, non solum dimittendo illatam injuriam, « sed blando sermone cor ejus placando, quatenus « de cætero sincerum ad se affectum retineat; si « enim possum alterius, quamvis injuriatoris, ira- « cundiam, invidiam, perversitatem sanare, ejus- « que animam a morte culpæ eripere, primo acce- « dendo ad eum et pacem reformando inter eum et « me, et cum non facio hoc, non videor esse per- « fectus in charitate Christi, qui pro iniquorum « salute sanguinem fudit, nec proximi, quem pos- « sum a tanto liberare periculo, humiliando meip- « sum. »

15. — S. Hieronymus, *lib.* II *contra Pelagianos*, de hac materia discurrens, dicit : Potuit quidem offensus dicere, quod nullum in se contra proximum, rancorem retineat : « Meæ est potestatis, ut « non habeam aliquid contra fratrem meum; ut « autem ille adversum me habeat, in illius volun- « tate consistit. Quid ergo faciam, si ille reconci- « liari noluerit? Obsecrem? flectam genua? sed « audire contemnet; an obtorto collo nolentem in « ejus amicitiæ traham? Et quæ est major inimici- « tia, quam amicitias necessitate sociare? neque « enim dixit : Roga eum ut tibi reconcilietur; sed « *reconciliare primum fratri tuo et sic offerres munus* « *tuum.* » Faciendum nobis est, quidquid charitas nobis suadet et urget, neque ad quid amplius obligamur, neque ad impossibile tenemur.

16. — Porro nos hoc præcepto Dominico ad quærendum et reconciliandum nobis fratrem nostrum, qui nos offendit, exstimulari, multorum est Expositorum opinio. Idem S. Doctor super Matthæum ita ait : « Non dixit : Si tu habes aliquid « adversus fratrem tuum, *sed si frater tuus habet* « *aliquid adversus te*, ut durior reconciliationis im- « ponatur necessitas. »

17. — Theophylactus quoque Christum non dixisse considerat, quod si proximus noster aliquid adversus nos habeat, sive justum, sive injustum, sed absolute : « Sive enim juste, sive injuste habeat, « reconciliare. Et non dixit : Si habes tu contra « illum; sed *si habet ille contra te*, conare ut ipsum « ad amicitiam reducas. »

18. — D. Chrysostomus, *Hom.* XVI *in Matth.*, ait : « *Neque addidit* : Sive jure, sive injuria, sed « simpliciter : *Si habuerit aliquid adversus te*; nam « etiamsi jure succenseas, non tamen convenit

« odium diutius fovere et extendere; nam et Christus justissime nobis poterat irasci, sed tamen « semetipsum pro nobis dedit immolandum. » Auctor Imperfecti, *Hom.* XI, ait : « Ne dicas, ille « mihi nocuit, non ego illi; ille mihi satisfacere « debet, non ego illi; si pro gloria salutis tuæ jubet « te Dominus amicitiam facere, magis nocitus debet « rogare, ut duplicem gloriam consequaris; unam, « quia nocitus es; alteram, quia prior rogasti; si « enim in illum nocuisti et ideo rogasti, parcet tibi « Deus, quod nocuisti, quia prior rogasti, tamen « nullam habes mercedem, quia reus constitutus « rogasti; si autem ille te læserit et prior rogaveris, magnam habebis mercedem. »

Relinque ibi munus tuum ante altare.

19. — Lucas Brugensis hoc loco quæstionem hanc excitat, dicens : « Roget quis, an non absurdum sit, pluris fieri charitatis in proximum officium, quam Dei cultum? » Ergone intermittendus est cultus divinus, seu oblatio sacrificii, qui sublimior quidam religionis actus est, ut fratrem nostrum nobis reconciliare et placare valeamus. Responsio autem, quam dictus Auctor subjungit, adeo est efficax, ut omnem prorsus intellectum convincat : « Responsio in promptu est; » inquit : « Dei cultum præcipue in interna animi affectione, « in charitate situm esse; tum vero in operibus « externis, in sacrificio, oratione, eleemosyna et « similibus, quare in primis danda est opera, ut « bene se animus habeat et charitatem, quam a se « depulit, revocet. » Nihil est, quod Deus in anima aliqua gratius et acceptius habeat, quam charitatem et amorem erga ipsum et proximum, imo sine hoc nihil omnino, quantumvis etiam id bonum sit, Deo est acceptum. Unde Jansenius ait : « Advertenda « hic mira Dei benignitas, qui, ut promoveat mutuam fratrum charitatem, cum alioquin liber sit et « sui juris, nec ulli adstrictus, suam gratiam vult « pendere a fratris gratia, ita ut suam impartiri « nolit, nisi fratris gratia impetrata. » S. Hilarius quoque similem habet considerationem, dum ait : « Reconciliata humana pace reverti in divinam « jubet Dei charitatem de charitate hominum transituros. » D. Chrysostomus continere se nequit, quin exclamat : « O admirabilem benignitatem « atque ineffabilem erga homines amorem Dei! « honorem suum despicit, dum in proximo charitatem requirit, ostendens, quoniam nec priora, « quæ etiam comminatus est odio aliquo hominum, « vel de cupiditate inferendi supplicii comminatur, « sed amore præcipue. Quid enim his verbis mitius « esse possit? quid lenius? Interrumpatur, inquit, « cultus meus, ut tua charitas integretur. » Theophylactus quoque idipsum scribit, dum ait : « Contemnit Deus proprium honorem, tantum ut nos « diligamus. » Auctor Imperfecti eo se reflectit, scilicet quod Deus obsequium et cultum suum nihil faciat, dum amorem et pacem inter nos mutuam nutrire possit : « Quasi dicat ad illum : *Vade*; ego « libenter contemnor, libenter honoris mei patior « damnum, libenter exspecto Dominus servos, tantummodo ut vos in amicitiam veniatis; vade « ergo ut scias, quia plus diligo concordiam fidelium meorum quam munera, quia munera hominum nullum Deo faciunt lucrum, charitas autem « illorum Dei gloriam operatur. »

Et vade prius.

20. — Cur obsecro, non permittit illum prius offerre, cum adjuncta promissione, quod deinceps se quoque cum proximo suo reconciliare velit? Quis grave sacrilegium esse ignorat, sacrificium imperfectum relinquere? Ecce tibi quanto cum studio et industria unionem et concordiam proximorum desideret, dum potius sacrificium imperfectum remanere, quam reconciliationem fraternam vel ad momentum aliquod suspendi desiderat.

21. — Ingeniosa pariter et utilis fuit illa Jansenii ponderatio; observat enim quod « non dixit, « reconciliari fratri tuo, priusquam offeras munus « Deo, ne tempus reconciliandi concedere videretur « usque ad tempus offerendi munus Deo, sed ut ante « omnia negotia et quam citissime doceret incumbendum reconciliationi. *Si*, inquit, *offers et ibi « recordatus fueris, vade*, » etc., quod argumentum, quanta cum cura et sollicitudine, priusquam nos divino conspectui præsentemus, reconciliatio fraterna curanda sit clare demonstrat : « Si enim divinum negotium, etiam cum in manibus est, intermittendum est et post habendum reconciliationi « fraternæ, multo magis alia negotia et si tunc, « dum quis ante altare recordatur offensæ, recurrendum est ad fratris reconciliationem, multo « magis id prius agendum erat. »

22. — Auctor Imperfecti per hoc verbum *vade*, indicatam nobis intelligit vehementiam et velocitatem sollicitudinis : « Festina ergo inimicum tuum « prævenire ad amicitiam, ne forte te tardante, « ille præveniat te ad rogandum et rapiat de manibus tuis pietatis mercedem. » Porro quid sit munus ante altare relinquere, donec fratrem nostrum reconciliaverimus, Dionysius Carthusianus his verbis clare demonstrat, hoc enim idem est, ac si juberet, « non facere opera bona, nisi prius propo« namus ire ad fratrem offensum, quod utique « propositum expedit exequi statim, cum convenienter fieri poterit. »

23. — In vita S. Joannis Eleemosynarii Patriarchæ Alexandrini refertur, quod, dum hic servus Dei in procinctu Missam celebrandi constitutus, clericum quemdam prava erga se voluntate inclinatum esse recordaretur, ipse, tametsi illum non læserat, sed potius ab ipso graviter offensus fuisset,

ab altari discedens, eumdem studiose requisierit, eumque inventum, sibique perfecte reconciliatum, in sua societate ad altare perduxerit, sicque magno cum gaudio recitarit verba illa ex *Pater noster* : *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*. Demum vero Auctor idipsum referens subjungit : « Deiferi quidam sanctorum « Patrum dixerunt, Angelorum quidem est nullatenus litigare, sed in omnimoda et perpetua pace « consistere; hominum vero est altercari quidem, « sed statim reconciliari; dæmonum autem est « totum diem litigare et totum diem transire irreconciliatum. » S. Apostolus ad Ephesios, IV, 26, scribens, sollicitudinem in hac materia adhibendam his verbis insinuat : *Sol non occidat super iracundiam vestram*. Quod salutare Apostoli monitum S. Augustinus examinans nos rogat, ut, dum ab ira adversus aliquem corripimur, operam demus, ne talis iracundiæ affectus radicem in nobis agat, neque illam cordi nostro invisceratí patiamur, quin potius eamdem ante imminens noctis crepusculum deponere satagamus. Qui idem S. Doctor verba illa de Sole justitiæ Christo explicat, dicens : « *Non* ergo *occidat « Sol* iste *super iracundiam tuam*, id est, non deserat « Christus mentem tuam, quia non vult Deus habitare cum iracundia tua. » D. Chrysostomus ad id melius explicandum, similitudinem adhibet solis materialis, qui, dum multis cinctus vaporibus occidit, pluvias minatur et tempestates; idipsum quoque iracundo accidit, quando cum fratre suo minime reconciliatus, ad somnum se nocturnum committit; in eo namque ira magis magisque adaugetur, adeo ut aliud nihil machinetur aut cogitet, quam diras se vindicandi rationes. Pergit idem S. Augustinus dicere, quod si tempus iræ tuæ indulseris : « Occideris tu ab iracundia tua, quia ira cum « inveteravit, fit odium, cum factum fuerit odium, « jam homicida es, omnis enim qui occidit fratrem « suum, in tenebris manet; non mirum si ille jacet « in tenebris, a quo occidit sol. »

24. — S. Bonaventura, *Serm.* III *in hac Dom.*, S. Isidorum citans, dicit : « Qui sibi fratrem tardius « reconciliat, Deum placari sibi tardius sciat, frustra enim propitiari sibi Deum credit, qui cito « placari in proximo negligit. »

25. — Cajetanus observat, quod Christus non dixerit, ut fratrem suum, quantumvis longe distantem, convenirent reconciliationis causa, sed absolute locutus fuerit : « Insinuatur per hoc præceptum « affirmativum, necessitas reconciliationis fraternæ « ante oblationem, ad hoc ut sit accepta et si ratio « temporis permittit, cum executione exteriori itineris ad reconciliationem fratris; si vero prudentiæ ratio non admittit, puta quod relinquatur « ante altare munus usque ad reditum ex Perside, « ubi manet frater offensus, sicut cæterorum affirmativorum præceptorum executio exterior differri « potest et reconciliatio exterior. » Denique circa adimpletionem et praxim hujus præcepti ita concludit : « Intelligitur, si ratio temporis permittit, « quantum vero ad animam intelligitur absolute. »

26. — Lyranus verbum hoc *vade* interpretari posse dicit, vel de corporis, vel de affectus gressibus; si de corporis passibus intelligatur : « Debet « fieri si commode possit haberi ipsius fratris « offensi præsentia; sin autem non possit, sufficit « ire ad eum pedibus mentis, quod fit, quando « habet propositum satisfaciendi loco et tempore « competenti. » Hugo Cardinalis ait : « Non pedibus « corporis, si absens est, sed motibus animi, prius « quam offeras. » S. Anselmus quoque ita scribit : « Si præsens est, humiliare ei et fac quod ad te « attinet, si autem absens est, promitte et habeas « bonam voluntatem, ut quam citius invenies, « humiliabis te illi et bene poniteas in corde tuo. »

Reconciliari fratri suo.

27. — Porro sacri Expositores reconciliationem istam, pluribus modis fieri posse declarant. Nam Hugo Cardinalis dicit id fieri posse, « petendo ab « eo veniam, vel si læserit te, dimittendo ei rancorem cordis. » Albertus Magnus ait, « id fieri « satisfaciendo si potes, vel saltem petendo veniam, « si aliter satisfacere non vales, si tunc reconciliari « nollet offensus frater, non ipse ex tunc adversus « te, sed tu inciperes habere aliquid adversus eum. »

28. — S. Thomas per auctoritatem S. Chrysostomi dicit : « Si cogitatu offendisti, cogitatu reconciliare; si verbis, verbis, si factis, factis. »

Et tunc veniens offeres munus tuum.

29. — S. Hieronymus super hæc verba, sequens istud maximi momenti monitum tradit; dicit enim : « Quamdiu illum placare non possumus, nescio, an « consequenter munera nostra offeramus Deo. »

30. — Albertus Magnus super vocem *veniens* se reflectens, dicit : « Accedendo ad Deum, qui prius « per odium fraternum recessisti. I *Joan.*, II, 11 : « *Qui odit fratrem suum in tenebris est, et in tenebris « ambulat, et nescit quo vadat. Tunc offeres munus « tuum*, deposito odio et acceptabile erit, quia tunc « est sacrificium justitiæ, quando fueris justificatus, « *Psalm.* L, 21 : *Acceptabis sacrificium justitiæ, oblationes et holocausta, tunc imponent super altare « tuum vitulos.* »

Additiones.

a. — *Si ergo offers munus tuum ad altare*, etc. Si offerens munus ante altare recordetur injuriæ proximi, jubet sanctissimus Magister abire et reconciliari fratri offenso. Quid, annon amor Dei primo loco statuendus esset? Quomodo ergo præcipit, ut prius pergat fratri suo satisfacturus? Voluit ibi Christus ostendere primo quidem loco statuen-

dum esse amorem Dei, sed neque illum subsistere posse sine amore proximi. Haymo Halberstadiensis verba illa Apostoli : *Qui diligit proximum, legem implevit*, exponens, ad propositum dicit : « Quia in « dilectione proximi consistit et dilectio Dei ; neque « enim proximus sine Deo, nec Deus sine proximo « diligi potest. »

S. Augustinus circa nostrum erga Deum amorem, tale argumentum facit : « Modo cum fide « vides, tunc cum specie videbis ; si amamus cum « non videmus, quomodo amplectemur cum vide- « rimus ? » Modium quoque nos docet, quo utendum nobis est, ut in cœlo inter Seraphinos seraphico quoque amore ardeamus. Dicit enim : « Sed « ubi nos exercere debemus ? » Et respondens idem S. Augustinus : « In amore fraterno. Potes « mihi dicere : Non vidi Deum, numquid potes « mihi dicere, non vidi hominem ? Dilige fratrem. « Si enim fratrem quem vides dilexeris, simul « videbis et Deum, quia vides ipsam charitatem, « et intus inhabitat Deus. » Alibi quoque, idem S. Doctor similitudinem quamdam adducit, ut mendacium illorum convincat, qui se Dei amatores esse profitentur, cum tamen eodem prorsus tempore fratres suos contemnant et injuriis afficiant. Ipse dedit nobis præceptum ut diligamus invicem. Quomodo diligis eum cujus contemnis præceptum ? Quis est qui dicat, diligo Imperatorem, sed odi leges ejus ? Lex Imperatoris quæ est ? *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem.* Ex qua similitudine aliud quoque motivum deducere possumus. Quis enim credat quod aliquis regem suum veneretur et amat, qui effigiem, statuam et imaginem ejus injuriis et conviciis afficit ? Hoc argumento Hugo Cardinalis utitur, dum super illa verba : *Qui non diligit fratrem suum quem videt, quomodo*, etc., ita scribit : « Frater enim suus « imago Dei est. Si ergo non diligis imaginem Dei, « nec eum, cujus est imago, diligis. Ergo mendax « es, si te Deum diligere dicis et fratrem odis. « *Qui non diligit fratrem quem videt*, non diligit « imaginem Dei ; et qui non diligit imaginem Dei, « Deum non cognoscit ; et qui Deum non cogno- « scit, ipsum non diligit. » Indubitata propositio est quod *Deum nemo vidit unquam*, et ideo nos in proximo, velut in ejus effigie et imagine speculari et contemplari voluit, disposuitque ut in probationem et contestationem, amoris nostri erga ipsum fratrem, qui ob oculos nostros versatur, diligamus.

b. — Tertullianus, *lib. de Patient.*, XII, ait : « Nemo convulsus animo in fratrem suum, munus « apud altare perficiat, nisi prius, reconciliando « fratri, reversus ad patientiam fuerit. Non licet « nobis uno die sine patientia manere, » siquidem in tristitia et gemitu simus necesse est, omnibus diebus vitæ nostræ.

Patientia ab amore Dei procedit, cui proprium est peccata extinguere ; *charitas* enim *operit multitudinem peccatorum*. Audiamus quid hac de re magnus ille spiritualis vitæ præceptor Ludovicus Blosius ad propositum nostrum referat ; ita enim scribit : « Melchtildi ait Dominus : Qui aliquod « gravamen, vel dolorem etiam permodicum tali « intentione perfert, ut proponat, pro amore et « laude nominis mei, libenter majorem dolorem, « vel laborem sustinere, si id mihi placeret, is « quantumcumque aridum et peccatorum rubigine « obductum cor habeat, in ipsa hora revirescit, et « gratiæ meæ capax efficitur. » Cum igitur ad peccatum adeo proclives simus, Deus nobis quoque de hoc antidoto et theriaca patientiæ prospexit. Auctor quidam antiquus ait : « Cuivis dolori remedium est « patientia. »

c. — Apud omnes nationes piaculum magnum erat, imperfectum relinquere sacrificium ; attamen Dominus noster hoc non attento, contra omnium gentium morem, a sacrificio repellit eum, qui cum proximo suo jurgia et discordias habet. Cur non permittit ut prius homo munus suum offerat, sacrificium suum perficiat et postea ad reconciliandum cum fratre remittitur ? Respondet D. Chrysostomus, *Hom.* XVI : « Irrefutabilem quamdam neces- « sitatem reconciliationis imponit ; qui enim jussus « est, non prius munus offerre quam reconcilietur « offenso, etiamsi non ob proximi charitatem, sal- « tem ne sacrificium maneat imperfectum, currere « ad contristatum jubet, inimicitiasque dissolvere, « ut exinde pateat, num ad gregem dominicum « spectet, veramque in Deum fidem habeat. » Hominis enim christiani character est pax, per quam fides dilatatur et stabilitur. Quo charactere pacis, quia videbatur carere præsens offerens, merito repellitur a Domino. Si enim, *Apoc.*, XIII, venturus in fine mundi Antichristus a communione emptionis et venditionis, et omni suo servitio excludet, et propulsabit eos qui non habebunt characterem nominis suis, justius repellit Jesus a suo sacrificio qui nominis Christiani charactere, id est, pace carent ; ut omnibus inde innotescat, quantopere eroses habeat discordias, et qui illas fovent acriter castiget.

d. — S. Antonius de Padua, *Hom. in Dom.* VI *post Pentecos.*, mystice pulchre discurrit super hæc verba : « *Munus*, » inquit, « patientia ; *ad altare*, id « est, carnis macerationem ; *et ibi recordatus fueris « quod frater*, id est, spiritus tuus, *habet aliquid « adversum te*, id est, corpus affligens, recordaris « quod spiritus tuus aliquo vitio est maculatus ; « *relinque ibi munus tuum*, id est, noli confidere « de carnis afflictione, nisi prius mundaveris spiri- « tum tuum ab omni iniquitate. » Quod optime fit per mortificationem, per quam corpora nostra fiunt gratissimum Deo munus. « Exhibet autem homo « Deo corpus suum ut hostiam tripliciter, » ait

Doctor Angelicus ; « uno modo quando aliquis cor- « pus suum exponit passioni et morti propter « Deum, sicut dicitur de Christo, *Eph.*, V, 2 : *Tra- « didit semetipsum oblationem et hostiam Deo*. Se- « cundo per hoc quod homo corpus suum jejuniis « et vigiliis, macerat ad serviendum Deo ; I *Cor.*, « IX, 27 : *Castigo corpus meum, et in servitutem « redigo*. Tertio per hoc quod homo corpus suum « exhibet ad opera justitiæ, et divini cultus exe- « quenda. » Si igitur corporis nostri membra sensibus satisfacere et appetitibus irrefrænatis obedire voluerint, nequaquam ad sacrificia apta erunt. Porro si altare, in quo hujusmodi sacrificium implendum est, inquiritis, ipse Origenes vobis exhibet dum inquit : « Animæ altare est pars in « nobis rationis compos, in qua passiones mortifi- « catæ sacrificantur. » Quæ victimæ cum altari huic vicinæ sunt, eas mortificationis ferro perimere oportet, ad quod faciendum nos Psalmista invitabat, *Psal.* IV, 6 : *Sacrificate sacrificium justitiæ, et sperate in Domino*. Tunc namque æternæ beatitudinis spem in nobis vivificabimus, quando hoc obtulerimus sacrificium. Unde Chaldæus ibidem legit : « Domate concupiscentias vestras, et reputabitur « vobis sicut sacrificium justitiæ. »

e. — Præstantissimum munus, quod Deo offerre possumus est sanctissimum Eucharistiæ sacramentum. Vehementer autem nos Dominus monet ad unionem cum fratre, dum jubet hoc munus relinquere ante altare et prius reconciliari fratri. Nam sacramentum utpote unionis et pacis symbolum, discordes rejicit. Sacrum Concilium Tridentinum, in principio sessionis XIII, ubi prolixius de Eucharistia agit, idem Sacramentum hoc titulo honorat, dicens : « Quam Salvator noster in Ecclesia sua « tanquam symbolum reliquit ejus unitatis et cha- « ritatis, qua Christianos omnes, inter se conjunc- « tos et copulatos esse voluit. » Ecclesia quoque in festo Corporis Christi, in secreta Missæ oratione ita orat : « Ecclesiæ tuæ quæsumus, Domine, unitatis « et pacis propitius dona concede, quæ sub oblatis « muneribus mystice designantur. » Et in incruento sacrificio, priusquam communio sumatur, hæc verba quotidie dicere consuevit : « Agnus Dei « qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem ; » sub quorum verborum pronuntiatione, ex communi Ecclesiæ usu, pax circumferri et annuntiari consuevit ; imo et ipsum verbum, *communio*, suam ab unione etymologiam trahit ; ideo quoque Eucharistiam instituit, *in qua nocte tradebatur*, quando scilicet genus humanum per sanguinem suum æterno Patri reconciliavit, Apostolo teste, qui ait : *Cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus. Rom.*, V, 10.

DOMINICA SEXTA POST PENTECOSTEN

EVANGELIUM MARCI, CAP. VIII, VERS. 1

1. Cum turba multa esset, nec haberent quod manducarent, convocatis discipulis, ait illis :
2. Misereor super turbam, quia ecce jam triduo sustinent me, nec habent quod manducent.
3. Et si dimisero eos jejunos in domum suam, deficient in via : quidam enim ex eis de longe venerunt.
4. Et responderunt ei discipuli sui : Unde illos quis poterit hic saturare panibus in solitudine ?
5. Et interrogavit eos : Quot panes habetis ? qui dixerunt : Septem.
6. Et præcepit turbæ discumbere super terram. Et accipiens septem panes, gratias agens fregit, et dabat discipulis suis, ut apponerent, et apposuerunt turbæ.
7. Et habebant pisciculos paucos, et ipsos benedixit, et jussit apponi.
8. Et manducaverunt et saturati sunt, et sustulerunt quod superaverat de fragmentis, septem sportas.
9. Erant autem qui manducaverant quasi quatuor millia, et dimisit eos.

VERSUS 1.

Cum turba multa esset, nec haberent quod manducarent, convocatis discipulis, ait illis.

1. — Miraculum hoc, ab eo, quod, *Joan.*, cap. VI, describitur, plane diversum esse, ita certum est, ut de eo dubitari nequaquam possit ; id quod S. Hilarius super Matthæi caput XV, scribens, per varias evidentes rationes demonstrat. Ibi namque Apostoli populo famelico et defatigato, tametsi non nisi uno tantum die ipsis adhæsissent, compatientes, a Magistro suo, ut eum dimitteret, petierunt ; hic vero nihil dixerunt, tametsi multitudo hæc triduo integro Christum sine cibo secuta fuisset. Ad

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

dum esse amorem Dei, sed neque illum subsistere posse sine amore proximi. Haymo Halberstadiensis verba illa Apostoli : *Qui diligit proximum, legem implevit*, exponens, ad propositum dicit : « Quia in « dilectione proximi consistit et dilectio Dei ; neque « enim proximus sine Deo, nec Deus sine proximo « diligi potest. »

S. Augustinus circa nostrum erga Deum amorem, tale argumentum facit : « Modo cum fide « vides, tunc cum specie videbis ; si amamus cum « non videmus, quomodo amplectemur cum vide- « rimus ? » Modium quoque nos docet, quo utendum nobis est, ut in cœlo inter Seraphinos seraphico quoque amore ardeamus. Dicit enim : « Sed « ubi nos exercere debemus ? » Et respondens idem S. Augustinus : « In amore fraterno. Potes « mihi dicere : Non vidi Deum, numquid potes « mihi dicere, non vidi hominem ? Dilige fratrem. « Si enim fratrem quem vides dilexeris, simul « videbis et Deum, quia vides ipsam charitatem, « et intus inhabitat Deus. » Alibi quoque, idem S. Doctor similitudinem quamdam adducit, ut mendacium illorum convincat, qui se Dei amatores esse profitentur, cum tamen eodem prorsus tempore fratres suos contemnant et injuriis afficiant. Ipse dedit nobis præceptum ut diligamus invicem. Quomodo diligis eum cujus contemnis præceptum ? Quis est qui dicat, diligo Imperatorem, sed odi leges ejus ? Lex Imperatoris quæ est ? *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem.* Ex qua similitudine aliud quoque motivum deducere possumus. Quis enim credat quod aliquis regem suum veneretur et amat, qui effigiem, statuam et imaginem ejus injuriis et conviciis afficit ? Hoc argumento Hugo Cardinalis utitur, dum super illa verba : *Qui non diligit fratrem suum quem videt, quomodo*, etc., ita scribit : « Frater enim suus « imago Dei est. Si ergo non diligis imaginem Dei, « nec eum, cujus est imago, diligis. Ergo mendax « es, si te Deum diligere dicis et fratrem odis. « *Qui non diligit fratrem quem videt*, non diligit « imaginem Dei ; et qui non diligit imaginem Dei, « Deum non cognoscit ; et qui Deum non cogno- « scit, ipsum non diligit. » Indubitata propositio est quod *Deum nemo vidit unquam*, et ideo nos in proximo, velut in ejus effigie et imagine speculari et contemplari voluit, disposuitque ut in probationem et contestationem, amoris nostri erga ipsum fratrem, qui ob oculos nostros versatur, diligamus.

b. — Tertullianus, *lib. de Patient.*, XII, ait : « Nemo convulsus animo in fratrem suum, munus « apud altare perficiat, nisi prius, reconciliando « fratri, reversus ad patientiam fuerit. Non licet « nobis uno die sine patientia manere, » siquidem in tristitia et gemitu simus necesse est, omnibus diebus vitæ nostræ.

Patientia ab amore Dei procedit, cui proprium est peccata extinguere ; *charitas* enim *operit multitudinem peccatorum*. Audiamus quid hac de re magnus ille spiritualis vitæ præceptor Ludovicus Blosius ad propositum nostrum referat ; ita enim scribit : « Melchtildi ait Dominus : Qui aliquod « gravamen, vel dolorem etiam permodicum tali « intentione perfert, ut proponat, pro amore et « laude nominis mei, libenter majorem dolorem, « vel laborem sustinere, si id mihi placeret, is « quantumcumque aridum et peccatorum rubigine « obductum cor habeat, in ipsa hora revirescit, et « gratiæ meæ capax efficitur. » Cum igitur ad peccatum adeo proclives simus, Deus nobis quoque de hoc antidoto et theriaca patientiæ prospexit. Auctor quidam antiquus ait : « Cuivis dolori remedium est « patientia. »

c. — Apud omnes nationes piaculum magnum erat, imperfectum relinquere sacrificium ; attamen Dominus noster hoc non attento, contra omnium gentium morem, a sacrificio repellit eum, qui cum proximo suo jurgia et discordias habet. Cur non permittit ut prius homo munus suum offerat, sacrificium suum perficiat et postea ad reconciliandum cum fratre remittitur ? Respondet D. Chrysostomus, *Hom.* XVI : « Irrefutabilem quamdam neces- « sitatem reconciliationis imponit ; qui enim jussus « est, non prius munus offerre quam reconcilietur « offenso, etiamsi non ob proximi charitatem, sal- « tem ne sacrificium maneat imperfectum, currere « ad contristatum jubet, inimicitiasque dissolvere, « ut exinde pateat, num ad gregem dominicum « spectet, veramque in Deum fidem habeat. » Hominis enim christiani character est pax, per quam fides dilatatur et stabilitur. Quo charactere pacis, quia videbatur carere præsens offerens, merito repellitur a Domino. Si enim, *Apoc.*, XIII, venturus in fine mundi Antichristus a communione emptionis et venditionis, et omni suo servitio excludet, et propulsabit eos qui non habebunt characterem nominis suis, justius repellit Jesus a suo sacrificio qui nominis Christiani charactere, id est, pace carent ; ut omnibus inde innotescat, quantopere eroses habeat discordias, et qui illas fovent acriter castiget.

d. — S. Antonius de Padua, *Hom. in Dom.* VI *post Pentecos.*, mystice pulchre discurrit super hæc verba : « *Munus*, » inquit, « patientia ; *ad altare*, id « est, carnis macerationem ; *et ibi recordatus fueris « quod frater*, id est, spiritus tuus, *habet aliquid « adversum te*, id est, corpus affligens, recordaris « quod spiritus tuus aliquo vitio est maculatus ; « *relinque ibi munus tuum*, id est, noli confidere « de carnis afflictione, nisi prius mundaveris spiri- « tum tuum ab omni iniquitate. » Quod optime fit per mortificationem, per quam corpora nostra fiunt gratissimum Deo munus. « Exhibet autem homo « Deo corpus suum ut hostiam tripliciter, » ait

Doctor Angelicus ; « uno modo quando aliquis cor- « pus suum exponit passioni et morti propter « Deum, sicut dicitur de Christo, *Eph.*, V, 2 : *Tra- « didit semetipsum oblationem et hostiam Deo*. Se- « cundo per hoc quod homo corpus suum jejuniis « et vigiliis, macerat ad serviendum Deo ; I *Cor.*, « IX, 27 : *Castigo corpus meum, et in servitutem « redigo*. Tertio per hoc quod homo corpus suum « exhibet ad opera justitiæ, et divini cultus exe- « quenda. » Si igitur corporis nostri membra sensibus satisfacere et appetitibus irrefrænatis obedire voluerint, nequaquam ad sacrificia apta erunt. Porro si altare, in quo hujusmodi sacrificium implendum est, inquiritis, ipse Origenes vobis exhibet dum inquit : « Animæ altare est pars in « nobis rationis compos, in qua passiones mortifi- « catæ sacrificantur. » Quæ victimæ cum altari huic vicinæ sunt, eas mortificationis ferro perimere oportet, ad quod faciendum nos Psalmista invitabat, *Psal.* IV, 6 : *Sacrificate sacrificium justitiæ, et sperate in Domino*. Tunc namque æternæ beatitudinis spem in nobis vivificabimus, quando hoc obtulerimus sacrificium. Unde Chaldæus ibidem legit : « Domate concupiscentias vestras, et reputabitur « vobis sicut sacrificium justitiæ. »

e. — Præstantissimum munus, quod Deo offerre possumus est sanctissimum Eucharistiæ sacramentum. Vehementer autem nos Dominus monet ad unionem cum fratre, dum jubet hoc munus relinquere ante altare et prius reconciliari fratri. Nam sacramentum utpote unionis et pacis symbolum, discordes rejicit. Sacrum Concilium Tridentinum, in principio sessionis XIII, ubi prolixius de Eucharistia agit, idem Sacramentum hoc titulo honorat, dicens : « Quam Salvator noster in Ecclesia sua « tanquam symbolum reliquit ejus unitatis et cha- « ritatis, qua Christianos omnes, inter se conjunc- « tos et copulatos esse voluit. » Ecclesia quoque in festo Corporis Christi, in secreta Missæ oratione ita orat : « Ecclesiæ tuæ quæsumus, Domine, unitatis « et pacis propitius dona concede, quæ sub oblatis « muneribus mystice designantur. » Et in incruento sacrificio, priusquam communio sumatur, hæc verba quotidie dicere consuevit : « Agnus Dei « qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem ; » sub quorum verborum pronuntiatione, ex communi Ecclesiæ usu, pax circumferri et annuntiari consuevit ; imo et ipsum verbum, *communio*, suam ab unione etymologiam trahit ; ideo quoque Eucharistiam instituit, *in qua nocte tradebatur*, quando scilicet genus humanum per sanguinem suum æterno Patri reconciliavit, Apostolo teste, qui ait : *Cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus. Rom.*, V, 10.

DOMINICA SEXTA POST PENTECOSTEN

EVANGELIUM MARCI, CAP. VIII, VERS. 1

1. Cum turba multa esset, nec haberent quod manducarent, convocatis discipulis, ait illis :
2. Misereor super turbam, quia ecce jam triduo sustinent me, nec habent quod manducent.
3. Et si dimisero eos jejunos in domum suam, deficient in via : quidam enim ex eis de longe venerunt.
4. Et responderunt ei discipuli sui : Unde illos quis poterit hic saturare panibus in solitudine ?
5. Et interrogavit eos : Quot panes habetis ? qui dixerunt : Septem.
6. Et præcepit turbæ discumbere super terram. Et accipiens septem panes, gratias agens fregit, et dabat discipulis suis, ut apponerent, et apposuerunt turbæ.
7. Et habebant pisciculos paucos, et ipsos benedixit, et jussit apponi.
8. Et manducaverunt et saturati sunt, et sustulerunt quod superaverat de fragmentis, septem sportas.
9. Erant autem qui manducaverant quasi quatuor millia, et dimisit eos.

VERSUS 1.

Cum turba multa esset, nec haberent quod manducarent, convocatis discipulis, ait illis.

1. — Miraculum hoc, ab eo, quod, *Joan.*, cap. VI, describitur, plane diversum esse, ita certum est, ut de eo dubitari nequaquam possit ; id quod S. Hilarius super Matthæi caput XV, scribens, per varias evidentes rationes demonstrat. Ibi namque Apostoli populo famelico et defatigato, tametsi non nisi uno tantum die ipsis adhæsissent, compatientes, a Magistro suo, ut eum dimitteret, petierunt ; hic vero nihil dixerunt, tametsi multitudo hæc triduo integro Christum sine cibo secuta fuisset. Ad

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

mare Tiberiadis quinque panes et duo pisces fuere distributi, collectique sunt duodecim cophini ciborum, reliquiis referti; hic autem septem dividuntur panes et pauci pisciculi, impletæque sunt reliquiis septem sportæ. Ibi sederunt super fenum; hic super terram discubuerunt. In primo miraculo, cibati et satiati sunt quinquies milleni homines, hic quatuor hominum millia pasta leguntur. Ibi panes hordeacei fuisse dicuntur; hic autem secundum sacrorum interpretum communiorem opinionem, panes tritici fuerunt. Glossa ex Victore Antiocheno dicit : « Ut Dominus jam ante pro hac via populorum ad « fidem alliceret, escas multiplicaverat, ita tunc « denuo idem signum instaurat : utrobique com- « moda occasione, quæ se offerebat, ad hoc usus. »

2. — Observandum est, quod in primo miraculo S. Joannes, vi, dicat : *Sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa quæ faciebat super his, qui infirmabantur.* In hoc secundo miraculo S. Matthæus, xv, 30, pariter dicat : *Accesserunt ad eum turbæ multæ, habentes secum mutos, cæcos, debiles et projecerunt ad pedes, et curavit eos, ita ut turbæ mirarentur*, demum vero immediate subjungit miraculum. Unde verissimum esse colligitur, quod tribulationes ad Deum nos currere faciant, *Psal.* xv, 4 : *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt.*

3. — Multi utique ex hac turba Christum secuti sunt quia se ab ipso pascendos esse sperabant. Unde Salvator ipsemet, *Joan.*, vi, 26, ait : *Amen, amen dico vobis, quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, et saturati estis; operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam*; sic quoque hodie multi Christi disciplinam amplectuntur, ut in hac vita temporaliter commode vivant; qua ratione multi sunt, qui ex nullo alio motivo religionem ingrediuntur, quam quia in sæculo in angustiis et paupertate vivunt. Et tamen etiam hi, qui cum his et similibus finibus Christum sequuntur, dummodo fines illi divinæ legi minime sint contrarii, eo ipso, quo Christi vestigia sectantur, semper inde aliquod bonum percipiunt.

4. — Verisimile etiam est, quod in tam ingenti multitudine et numero multi fuerint, qui Dominum secuti fuere, ut ejus explorarent doctrinam, vel ut ad Pharisæorum instantiam, ejus observarent mores et vitæ conversationem, qui tamen postea benignitate et misericordia ejus inescati apud eum permanserunt, vitamque suam in meliorem frugem converterunt : sic quoque perversa quidam cum intentione Ecclesiam ingrediuntur, qui tamen postea verbum Dei audiendo, cor suum totaliter mutant et ad meliora convertunt.

5. — Albertus Magnus notat, quisnam ille fuerit, quocum hæc turba tamdiu manebat, nimirum cum Salvatore : *Cum eo enim esse, est esse cum auctore salutis, et sine eo esse, est salutem perdere.*

Nec haberent quod manducarent.

6. — Syriaca versio legit : *Nec esset quidquam, quod ederent.* Lucas Brugensis rationem reddit, cur nihil secum sumpserint ad manducandum : « Adeo « omnium eos ceperat oblivio, pro eo quo in Jesum « ferebantur ardore. » Idipsum pariter quotidie in multis contingit fidelibus, qui cum in sæculo sint divites et commode vivant, sequelæ Christi se subjiciant, religionemque austeram ingrediuntur, atque eo quod vel minimum secum in militiam reportent, quia Christum illis in omnibus providissime prospecturum esse sciunt.

7. — Albertus Magnus ait : « Ecce necessitas, « quæ inducit ad miraculum : suis nunquam in « necessitate deest Dominus. »

Convocatis discipulis ait illis.

8. — S. Hieronymus Christum, in hac cum discipulis instituta consultatione, superiores docere voluisse existimat, nec sua cum inferioribus consilia communicare aut tractare dedignentur : « Ut « magistris exemplum tribuat, cum minoribus « atque discipulis communicanda esse consilia; » dicit enim Ecclesiasticus : *Omnia fac cum consilio, et post factum non pœnitebit.* S. Antiochus in quadam Homilia hoc nobis tradit documentum : « In quo- « cumque negotio non mediocris operæ fecerit « pretium, reuque Deo magnopere acceptam, si « concilium exspectes : nemo inveniur, qui non « indigus sit consiliariis, nisi Deus solus, penes « quem est omnis sapientia. » S. Petrus tametsi in eo, quod est alium in locum Judæ substituere Apostolum, independentem a quovis alio haberet auctoritatem, in hanc tamen electionem, alios quoque adhibere Apostolos operæ pretium esse duxit. Christus Petro dixerat, *Luc.*, xxii, 32 : *Confirma fratres tuos*, et tamen « illud considera, » ait D. Chrysostomus, « quam Petrus agit omnia ex communi « discipulorum sententia, nihil auctoritate sua, « nihil cum imperio. »

9. — Hugo Cardinalis ex S. Hieronymo aliam hujus rationem reddit, dum ait : « Convocat disci- « pulos ut doceat, vel ideo ut ex collocutione intel- « ligant signi magnitudinem. » Idem quoque Lucas Brugensis his verbis scribit : « Ut verbis altro « citroque datis ad miraculum ipsos redderet attem- « tos, » nec immerito, quia jam illos reprehenderat, quod alterius miraculi huic similimi, quod in eodem hoc capite, juxta mare Tiberiadis patraverat, tam facile obliti essent.

Additio.

Coincidit hoc miraculum omnino cum eo, quod nobis Evangelista Joannes, cap. vi, describit, ubi Christus Dominus quinque millia hominum hordeaceis et duobus piscibus pavit. Unde cum conveniunt

hæc duo Evangelia in mysteriis, ad IV Dom. Quadragesimæ lectorem remitto, nonnullis tamen hic propriis annotationibus additis.

a. — *Cum turba multa esset, nec haberent quod manducarent*, etc. Copiosa hæc multitudo, pedestri itinere nulla prorsus ciborum annona provisa, in asperum quoddam desertum Christum secuta est diu noctuque; idque non uno aut duobus diebus, sed per integrum triduum; tandem vero miraculoso illo convivio ad satietatem usque fuit refecta, nam sacer textus ait : *Manducaverunt.* Nec hoc solum, verum etiam, *saturati sunt et sustulerunt, quod superaverat de fragmentis, septem sportas.* Hoc autem saturitas illam figurabat cœlestis convivii abundantiam, de qua David ait : *Satiabor, cum apparuerit gloria tua.* At vero quinam illi fuerunt qui huic mensæ accubuerunt? Utique non omnes, qui Christum a principio fuere secuti; sed illi tantum, qui cum patientia ad finem usque illum sustinuerunt, et ad tertium usque diem in fame et siti illum perseveranter fuere secuti. Unde Paulus de Palatio ait : « Satiantur in fine tridui, non in initio « conversionis, vel in medio, sed in fine. » Motivum quoque, quod Salvatorem nostrum induxit, ut tam lauto illos convivio pasceret, fuit illa perseverans patientia, quam triduo in fame et siti illum sequendo exhibuerant; ait enim : *Ecce jam triduo sustinent me.* Apud S. Matthæum loco *sustinent* habetur : *Perseverant mecum.* Merito igitur Psalmista, *Psal.* xxxvi, ait : *Sustinentes autem Dominum, ipsi hæreditabunt terram*; ubi Hugo Cardinalis ait : « Id est, patientes Dominum flagellantem, vel *susti-* « *nentes*, id est, sperantes in Dominum præmia « differentem; *hæreditabunt*, id est, in æternum « possidebunt terram viventium. » In Ecclesiastico, ii, 16, sequens describitur comminatio : *Væ his qui perdiderunt sustinentiam et dereliquerunt vias rectas et diverterunt in vias prauas.* Alia quædam versio legit : *Patientiam.* Qua vero ratione hanc sustinentiam perdimus, S. Gregorius in hæc verba docet : « Sustinentiam perdunt qui dum diu « se immorari visibilibus æstimant, spem invisibi- « lium derelinquunt; cumque mens in præsentibus « figitur, vita terminatur et repente ad supplicia « improvisa perveniunt. » Idem S. Pontifex alio in loco ita scribit : « Sustinentiam perdunt qui bona « quæ inchoant non consumunt. » E contra vero Salvator noster Apostolis motivum ob quod illis in cœlo tantam gloriam præparavit indicat, *Luc.*, xxii, 28 : *Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam, in regno meo.* Ubi observandum est verbum *permansistis* quod perseverantiam subindicat.

Versus 2.

Misereor super turbam, quia ecce jam triduo sustinent me, nec habent quod manducent.

Misereor super turbam.

1. — Abulensis Christum non rogatum, sed sponte propria compassione motum fuisse dicit erga famelicam hanc multitudinem, utpote quæ sancta quadam cum modestia et verecundia, hanc ab eo refectionem postulare non audebat, eo vel maxime quod Christum alias quoque hoc idem miraculum patrasse sciret : « *Misereor eis*, quasi dicat, ipsi non « petunt panes, sed erubescunt. »

2. — Glossa dicit : « Quia verus homo miseretur et « compatitur affectu humanæ fragilitatis. » Cajetanus ait : « Condolentia scilicet alienæ miseriæ velut « propriæ; » sicut enim timorem et tristitiam, ita quoque compassionem sibi assumpsit, ut naturam se humanam assumpsisse probaret. Unde S. Anselmus dicit : « Miseretur ut homo. » Et Paulus de Palatio hac occasione impletum esse dicit illud, *Philip.*, ii, 7 : *In similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo*; « nihil enim magis est « hominum quam miseteri. »

3. — Jansenius turbas illas Christum ob utilitatem et interesse suum secutas fuisse observat, quia infirmis suis sanitatem ab eo recipiebant : « Tamen « misereri se dicit turbæ, eo quod triduo persève- « rarent secum, quo docemur Dominum ita misereri « sequentium se, cum in malum aliquod inciderint, « ac si ab illis ipse commodum aliquod reportaret, « cum contra res sese habeat.

4. — *Misericors et miserator Dominus escam dedit, Psal.* cx, 5. Etenim providentia illa, qua Deus cuncta viventia pascit, quidam dici potest compassionis effectus, quo erga illa fertur, dum ipsa fame languere conspicit. Unde S. Bonaventura illum Psalmistæ textum adducit, quo *Psal.* cii, 14, dicit : « *Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est* « *Dominus timentibus se, quoniam ipse cognovit fig-* « *mentum nostrum.* Cognovit figmentum nostrum « corporis non posse naturaliter diu subsistere, nisi « continuis alimoniis sustentetur. »

5. — Valde considerabilia sunt verba illa : *Escam dedit timentibus se. Quomodo miseretur Pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se*, quia ut Paulus de Palatio ait, *in Matth.* : « Adverte, sectatores « Christi etiam in temporalibus non destitui. » David enim claris verbis attestatur, *Psal.* xxxv, 25, dicens : *Non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem.* Sciendum porro est, quod, ut ex Matthæi cap. xv colligitur, Apostoli paulo ante erga Chananæam compassione commoti, suam pro illa apud Christum intercessionem interposuerint, ac proinde jure merito quærat hic aliquis, quid sibi velit, quod iidem Apostoli tantam hominum multi-

tudinem integro triduo famelicam videntes, nec quidquam ad compassionem moti fuerint, et, ne verbo quidem, necessariam illis provisionem a Christo poposcerint? Nimirum turbas hasce Christum strenue sequi videbant, et ideo ex quo Christi sectabantur sequelam, nequaquam illis quidpiam necessariorum defuturum dubitare poterant; quia *oculi Domini super justos*. Adhæc idem David, *Psal.* CXII, 5, ait : *Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, et humilia respicit in cœlo et in terra?* Magnates et Principes sæculi hujus, oculos suos non attollunt, nisi in altum, id est, soli fastui et magnificentiæ dediti sunt, pauperes autem respicere, eorumque necessitatibus Christi exemplo, providere dedignantur. *Misereor super turbam*, non dicit, *super potentes*, siquidem *esurientes replet bonis, fastidiosos divites dimittit inanes*.

6. — Salmeron Christum hisce verbis indicare voluisse existimat, quod non ad ostentationem, sed ex solo motivo pietatis se ad hoc miraculum patrandum accinxerit : « Significat se ex misericordia agi « ad edendum signum, non ad ostentationem, vel « populo delicias exhibendas, vel quia petierant. « Deinde ostendit radicem omnium beneficiorum « suorum adversus nos, nihil aliud esse, quam puram « misericordiam. » Jansenius quoque Christum ad miraculum hoc prosiliisse scribit, coactum justa miseratione.

Quia ecce jam triduo.

7. — Quænam obsecro causa fuit, quod Christus nostræ tantopere compatiens egestati, tantam nihilominus multitudinem, per continuum triduum, fame vexari permiserit, cum tamen ipse nos quotidianum panem nostrum postulare docuerit, dicendo : *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie?* Chrysostomus, *Hom.* LIV *in Matth.*, ait : « Non in « prima, neque in secunda die fecit, sed exspectavit, « ut omnibus consumptis, indigentia coacti, majori « admiratione factum prosequerentur. » Deus enim divinam suam providentiam magis elucescere facit, quando humana totaliter defecisse cernitur, ideoque tunc vel maxime benefaciendo subingreditur, quando cunctam spem nostram deposuisse videmur. Ideoque in nuptiis tunc pridem de vino suo miraculoso prospicere cœpit, quando vinum a sponsis procuratum totaliter defecit : *Deficiente vino; vinum non habent*. Manna quoque tamdiu submittere distulit donec ex Ægypto elata farina et cuncta alia vitæ annona fuisset consumpta.

8. — S. Thomas, *in Matth.*, ait : « Sed quare « per triduum exspectavit? Ne possent calumniari, « quia refecti essent cibo quem secum portaverant. »

9. — Venerabilis Beda, *in Marc.*, ait : « Turba « triduo Dominum sustinet, quando multitudo « fidelium peccata, quæ perpetravit, per pœniten- « tiam declinans, ad Dominum se in opere, in locu- « tione, atque in cogitatione convertit. » S. Anselmus, *in Matth.*, quasi idem scribit dum ait : « Quia « in luce trinæ operationis bene posita est, id est, « cogitationis, locutionis, et bonæ actionis; » addit autem : « Et tamen in verbo divino enutriri et « satiari desiderat. »

10. — S. Bonaventura, *Serm.* I *in hac Dom.*, dicit : « Scilicet dolore amaræ contritionis in corde, « mœrore apertæ confessionis in ore et labore con- « diguæ satisfactionis in opere. » Eamdem quoque consideationem S. Thomas adducit, dum inquit : « Triplicem actum significari, scilicet cordis, oris « et operis. »

11. — Hugo Cardinalis postquam eamdem adduxisset distinctionem, subjungit : « Jejunium, « oratio, eleemosyna, cogitatio, locutio, operatio, « cogitatio veri, amor boni, detestatio mali, confes- « sio, prædicatio, contemplatio. »

12. — Albertus Magnus per hoc triduum tres differentes status interpretatur : « Triduum, quo « sustinuimus Jesum, fuit status naturæ, et legis, et « Prophetarum. » Egregius ejusdem discipulus, S. Thomas Aquinas, pariter ait : « Triplex tempus « sæculi intelligitur, scilicet tempus legis naturæ, « Mosaicæ, et gratiæ; vel per triduum mortis « Christi; unde illi triduo sustinent Dominum, qui « conformaverunt se morti Christi. »

13. — Venerabilis Beda a Glossa citatus, ingentem hanc populi multitudinem, suos ad Salvatoris pedes infirmos statuisse considerat, ut optatam ab eo assequerentur sanitatem; ex quo sequens mysterium deducit : « Turba ergo triduo Dominum, « propter sanitatem infirmorum suorum, sustinet, « cum electi quique fide sanctæ Trinitatis lucidi, « Domino pro suis suorumque peccatis, animæ « videlicet languoribus, perseverantí instantia sup- « plicant. » S. Thomas eumdem quoque sensum paucis licet verbis insinuat, dum ait : « Per triduum « potestis intelligere confessionem sanctæ Trini- « tatis. »

14. — S. Bernardus, *Serm.* I *super hoc Evang.*, ad illa verba Exodi, III, 18 : *Ibimus viam trium dierum in solitudinem, ut immolemus Domino Deo nostro*, se reflectens, illa in hac historia Evangelica adimpleta esse dicit, ideoque triduum hoc sequenti modo distinguit : « Prima est dies timoris, dies declarans « et illuminans tenebras tuas interiores, scilicet « horrendum gehennæ supplicium demonstrans, « in quo sunt tenebræ exteriores; secunda est « pietatis dies, qua respiramus in luce miseratio- « num; tertia est dies rationis, qua veritas innote- « cit, et hinc jubemur jam discumbere, ut charitas « ordinetur in nobis, et hinc aperit Deus manum « suam, *et implet omne animal benedictione*. »

Sustinent me.

15. — S. Matthæus, loco verbi *sustinent*, legit *perseverant*; ex quo colligitur, Christum dicere voluisse, quod perseverantia, qua illum hoc triduo secuti fuere, unicum fuit liberalitatis suæ illis exhibitæ motivum; etenim satis est verisimile, multos ex illa multitudine, prima die præ nimia sui defatigatione substitisse, alios vero die secundo; denique alios in exordio diei tertiæ, ac proinde omnes illos a refectione Salvatoris fuisse exclusos : *Sustinentes autem Dominum, ipsi hæreditabunt terram*; « id est, » ut Hugo Cardinalis ait, « patientes Dominum flagel- « lantem; vel *sustinentes*, id est, sperantes in Domi- « num præmia differentem, *hæreditabunt*, id est, in « æternum possidebunt terram viventium. » Agricola patienter exspectare debet, donec frumentum sit maturum, prinsquam illud granario suo inferat, alias enim si præmature et ante tempus succisum fuerit, non nisi ad ignem servientem demeret paleam. Eodem quoque modo cœlestis agricola Deus optime novit, quando bonorum operum, meritorumque nostrorum frumentum sit maturum, et ideo tempus illud patienter præstolatur, prinsquam illud cœlesti horreo inferri faciat, nostrorum interea est exspectare, et patienter sustinere, nec moleste ferre, quod interea temporum et aeris injuriis, id est, hujus vitæ laboribus incessanter expositi simus, quin potius pœnitentiæ rigores perseveranter continuare debemus. Unde S. Jacobus Apostolus, V, 7, dicit : *Ecce agricola exspectat pretiosum fructum terræ; patienter ferens, donec accipiat temporaneum et serotinum; patientes igitur estote, et confirmate corda vestra, ecce judex ante januam assistit; ecce beatificamus eos, qui sustinuerunt.*

16. — E contra Ecclesiasticus, II, 16, comminatur, dicens : *Væ his, qui perdiderunt sustinentiam*; ubi S. Gregorius, *lib.* V *in* I *Reg.*, ait : « Sustinentiam « perdunt, qui bona quæ incohant, non consum- « mant. » *Te sustinui tota die*, inquit anima illa sancta, id est, per totum vitæ meæ decursum. Generosissima mulierum Juditha Oziam acriter reprehendit, *Judit.*, VIII, 13, eo quod tempus determinatum Deo præfixisset, quinque nimirum dierum spatium, intra quod nisi Bethuliæ ab Holoferne obsessæ succurreret, hostibus civitatem addixerat : *Non est iste sermo, qui misericordiam provocet, sed potius qui iram excitet, et furorem accendat, posuistis tempus miserationis Domini, et in arbitrium vestrum, diem constituistis ei*; quod idem applicari nonnullis potest, qui in via Dei impatientes existunt, nec perseverant, eo quod remunerationem sibi subito fieri vellent; nequaquam ita agendum est cum Deo, qui nostram tolerantiam per perseverantiam experiri satagit. Optime igitur S. Augustinus inquit : « Sus- « tinere Dominum est, tunc accipere quando dabit, « non tunc exigere quando vis, ut cum sustinuerit « te, ut mutares vitam tuam malam, sustineas « illum, ut coronet vitam tuam bonam. » Ehem quot miles, vel aulicus aliquis fastidia devoret, quot pericula et cordis angustias subit, ut gloriam aliquam mundanam, sive munus aliquod honorificum, ad quod aspirat, assequi possit? Quanto tempore perseverat? *Sustine* igitur *sustentationes Dei*, monet Ecclesiasticus, II, 3, *conjungere Deo, sustine, ut crescat in novissimis vita tua*. Psalmista quoque ad id hisce nos verbis animare contendit dum *Psal.* XXVI, 14, ait : *Exspecta Dominum, viriliter age, et sustine Dominum*. Devotæ hæ turbæ, de quibus hodiernum meminit Evangelium, longanimem in sequela Christi habuerunt patientiam et perseverantiam, ac proinde cum Isaia, XXV, 9, dicere poterant : *Ecce Deus noster iste, exspectavimus eum, et salvabit nos, iste Dominus, sustinuimus eum, exultabimus et lætabimur in salutari ejus.*

17. — Dionysius Carthusianus, *in Matth.*, ait : « Per tres dies mecum permanserunt in solitudine, « et sub dio, in quo declaratur amor eorum ad « Christum, et devotio ad doctrinam atque mira- « cula ejus. »

18. — Victor Antiochenus super Marcum motivum refert, quo Christus ad provisionem hanc turbis procurandam motus fuit; hoc enim fuit : « Invicta plebis, quæ eum sequebatur, perseveran- « tia, » quantum enim triduo illo sustinere silim, famem, lassitudinem, vigilias, dum per totam noctem ad usque diluculi matutini serenum persti- terunt, nescientes, quis omnium horum finis esset futurus? S. Bonaventura, *Serm. in hac Dom.*, ait : « Nulli condescendit divina misericordia, nisi « prius pro ejus amore patiatur amaritudinem pe- « nuriæ et pœnitentiæ et in ea habeat longanimi- « tatem perseverantiæ. » Et paulo post in eodem sermone subdit : « Illi impetrant beneficium a Deo, « qui longanimiter et perseveranter sustinent « eum. »

19. — Quod si quæras, qua ratione factum fuerit, quod in tanto tempore, nec de requie nocturna, nec de cibo, vel quavis alia re necessaria semel quidem cogitarint? Respondet Lucas Brugensis : « Totos adeo eos rapuit et doctrinæ gratia, « miraculorum tum splendor, tum utilitas, ut toto « triduo nequirerint a Salvatore avelli, ne sublé- « vandi quidem necessitatis corporum gratia. » Considerandum insuper, multos familias suas domi propriæ reliquisse, nec tamen de iis quidquam fuerunt solliciti. Chrysostomus, *Hom.* LIV *in Matth.*, ponderat, quod Apostoli alias in simili quadam occasione Redemptori suggesserint, ut populum illum a se dimitteret, ut quilibet vel domi suæ, vel alibi, de cibo sibi prospicere valeret; at vero in præsenti ne os quidem suum aperiunt, tametsi tres dies continua inedia consumpsissent. Respondet vero S. Doctor : « Quia multitudinem non nimia « inedia vexari, sed glorificare Deum in his, quæ « facta erant, videbant. »

20. — Observandum tamen est, quod si turbæ aliquam in sequendo Christum tolerantiam mon-

sirarunt, Christus quoque eamdem egregie erga illos exercuerit, tot curando illorum infirmos, tolerando lassitudines, famem et quasvis alias corporis ærumnas, *Hebr.*, IV, 15 : *Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum per omnia.* « Hic mihi, » inquit Lucas Brugensis, « considera non tantum populi ardo- « rem, sed et Christi Domini laborem, dies noctes- « que tres continuo sub dio subditum. » Turbæ propter interesse et emolumentum suum Christum sequebantur, quia infirmos eorum restituebat sanitati, animasque eorum sanabat; non vero sic Filius Dei : *Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non egis*, *Psal.* XVI, 2. *Laborasti sustinens*, inquit lamentando apud Jeremiam, VI, 11, si passionis alicujus capax fuisset, eodem modo nunc, dum impassibilis in cœlo degit, de eo asserere possumus, quod pro salute nostra sustineat, indefesseque operetur et laboret.

21. — Chrysostomus, *Hom.* VIII *in Matth.*, idem dubium movet, cur scilicet Apostoli de bono aliorum curando adeo solliciti, turbas hasce adeo famelicas videntes, moti non fuerint ad supplicandum Magistro suo, ut illis provideret. Et respondet, quod hac de re solliciti nequaquam fuerint, quia : « Digni erant sollicitudine Domini, qui tribus die- « bus expectaverant Dominum. » *Ecce oculi Domini super metuentes eum, et in eis, qui sperant super misericordia ejus*, inquit Psalmista, *Psal.* XXXIII, 19, *ut eruat a morte animas eorum, et alat eos in fame.* S. Augustinus quoque super illa Psalmi regii verba : *Timete Dominum omnes sancti ejus, quoniam nil deest timentibus eum*, stringens adinodum statuit argumentum, ad omnes eos, qui in timore Dei viventes, divino se servitio manciparunt, animandos ut indesinenter divinæ se providentiæ committant : « Pascebat te Deus, » inquit, « contemnentem se, et « deserot timentem se? » Continua et evidens testatur experientia, religiosos, eosque, vel maxime qui reformate vivant, adeoque arctiora in pauperlate sunt constituti, præ cunctis aliis necessaris maxime abundare. Præcoperat Deus olim, ut in mensa tabernaculi continuo præsto essent duodecim panes, denominati *Panes propositionis*, qui duodecim tribus Israel præfigurabant, ad significandum, quod ad earumdem tribuum sustentationem nullo unquam tempore defutura esset annona ; unde Oleaster ait : « Non vult Dominus etiam ad « momentum, domum ejus esse sine pane, ne cibus « posset deficere, qui serviunt ei. » Sciendum tamen est, quod idem Deus insuper præceperit, ut dum panes illi mutabantur, eos sacerdotes manducarent, ad denotandum, quod, qui proximius Christum sequuntur, quique divino ejus cultui sunt dedicati, præ cunctis aliis liberalissime provideri a Deo soleant. Rupertus Abbas Tuitiensis considerat, quod Salvator prohibuerit Apostolis, ne ulla ratione aurum, sive argentum, aut cujuslibet generis monetam secum portarent, unde quærit, qua igitur ratione iis, qui ad propagandam Christi fidem, per totum mundum discurrere debebant, de victus et vestitus necessitatibus provideri potuerit? Respondetque Venerabilis hic Abbas : « Si totus fere mun- « dus aliquando esuriat et pane indigeat, justum « illum, cujus in corde domesticum, cujus in ore « familiare est verbum Dei, non videbis derelictum, « et verum est quod Scriptura dicit : *Non interficiet « Dominus fame animam justi.* » Deus quondam apud Malachiam Prophetam, III, 14, nonnullos reprehendit, qui adversus Dei providentiam, blasphemias evomebant : *Dixistis : vanus est, qui servit Deo, et quid emolumentum, quia custodivimus præcepta ejus?* S. Bonaventura, *Serm.* I *in hac Dom.*, dicit : « Videns turbam, præ ejus amore longanimiter, « pati penuriam, dignatus est eam gratis tam cibo « corporali, quam spirituali satiare. » Et ideo cœlestis ille Sponsus S. Catharinæ sponsæ suæ dixisse legitur hæc verba : « Cogita tu de me et ego « cogitabo de te ; » illis etenim, qui nulli alteri rei adeo graviter incumbunt, quam ut debitum Deo servitium suum exactissime exequi possint, Deus vicissim servire exactissime, iisque benefacere studet.

22. — Regius Propheta de Deo nostro ita scribit, *Psal.* LXXXIX, 4 : *Mille anni ante oculos tuos, tanquam dies hesterna, quæ præteriit*, et tamen ecce tibi, qualiter omnes dies, imo minuta exactissime ad remunerandum numerat, totumque tempus eorum, quo ipsum secuti sunt adæquate compensat : *Triduo*, inquit, *sustinent me*; quemlibet gressum pedum ipsorum accurate numerat, quem pro ejus amore facimus, *Job.*, XIV, 16 : *Tu quidem gressus meos dinumerasti*; non sic faciunt principes terreni, qui servitia a subditis vel servis suis, ipsi exhibita adeo facile obliviscuntur, floccique faciunt. *Militia est vita hominis super terram*, inquit Spiritus Sanctus, *Job.*, VII, 1; mox vero subjungit, *et sicut mercenarii dies ejus*; siquidem : *Cum vero factum esset, dicit Dominus vineæ procuratori suo* : *voca operarios et redde illis mercedem.* S. Gregorius ait : « Sancti viri quot labores nunc veritati commen- « dantes exhibent, tot jam remunerationis suæ « pignora inter spei cubiculum tenent. » Principes terreni vasallis suis minime compatiuntur, quando illos sub annonæ caritate, bellorumque molestiis angustiari et ingemiscere conspiciunt; at vero Christus, dum nos amore sui laborare conspicit, compassione erga nos tangitur : *Sustinent me*, ac proinde, *Misereor.*

23. — Ingeniosa est illa Pauli de Palatio observatio, qua Salvatorem apud S. Matthæum dixisse notat : *Ecce jam triduo perseverant mecum*, sicut est in præsenti Evangelio : *Triduo sustinent me.* « Pro- « fecto, » inquit, « multi videntur sibi cum Christo « perseverare, at non cum Christo perseverant, sed « cum sua voluntate ; latet hic morbus ; credis te « Christum sequi, at non illum, sed tuum venaris, « honores, opes, voluptates ; porro turba non dis- « cedit a Christo, etiam jejuna, etiam triduo non « edens, etiam nihil remurmurans, » et tamen Psalmista, *Psal.* LXVIII, 26, dicit : *Si non fuerint saturati, murmurabunt.* Victor Antiochenus scribit, quod hæ quidem turbæ, Christum non propter interesse suum secutæ fuerint, vel ut ab eo cibarentur, « sed « propter spiritualem escam ; » concedit tamen in tota hac multitudine nonnullos fuisse, qui hoc fine ad Christum sequendum movebantur.

Nec habent quod manducent.

24. — Jansenius verisimile esse existimat, homines hujusce multitudinis, aliquam quidem a principio provisionem secum tulisse, hanc tamen ab ipsis paulatim fuisse consumptam : « Non enim « dicitur, non habent amplius quod manducent ; » angustiabantur, quia locus desertus erat, ubi præter stirpes et arbores steriles nihil videbatur; villæ quoque ac civitates, ad quas annonæ comparandæ causa recurrere debuissent, procul aberant, præterquam quod ita defatigati erant, ut attestante ipsomet Christo, qui *sciebat quid esset in homine*, periculum fuerit, nec in via viribus destituti deficerent; sed ecce tunc adimpletum, quod de Deo nostro dicitur, *Psal.* IX, 10 : *Adjutor in opportunitatibus, in tribulatione, et sperent in te, qui noverunt nomen tuum, quoniam non dereliquisti quærentes te, Domine.* Videatur ad quasnam angustias Samaria ab obsidione diuturna redacta fuerat, quando in ea matres filios suos manducabant; at vero tunc quando ab omni humano subsidio procul aberat, Eliseus illi prophetando, prædixit : *In tempore hoc erits modius similæ uno statere erit.* Notate verba illa : *In tempore hoc*, id est, quo humana providentia desperatissima erat. Porro causa, ob quam Christus miraculum istud patraverit, fuit, quia omnis deficiebat diligentia et industria humana, et tamen vere provisionis necessitas urgebat. Theophylactus a S. Thoma in *Catena* citatus ait : « Non semper circa alimenta « miracula faciebat, ne propter cibum ipsum seque- « rentur et nunc igitur hoc miraculum non feci- « set, nisi quia videbat turbis periculum immi- « nere. »

25. — D. Chrysostomus, *Hom.* XIV *in Matth.*, turbæ hujus admiratur modestiam, quia : « Quæ « ob morborum curam suorum, non audebant pa- « nes petere, ipse vero, qui misericors, qui omnium « curam gerit, etiam non petentibus præbet. »

26. — Ad hoc, ut panis Christi nobis prosit, necessum est, ut simus jejuni, atque ab omni alio pane abstineamus. S. Paschasius causam ponderans, cur Ecclesia communicaturos, jejunos esse voluerit, dicit : « Verum tamen quod jejuni communicamus, « satis provide, ut dum sobrietas flagrat in corpore, « dum omnis fervor carnis quiescit et omnis animi « sensus, intelligentia et discernendi ratione for- « tius vigeat. » Et S. Bernardus scribit : « Quomodo « potest esurire vel sitire Christum plenus quotidie « siliquis porcorum? *Esurientes*, inquit Psalmista, « *replevit bonis.* »

27. — Quod si quæratur, qua ratione turba hæc vitam suam hoc toto triduo sine ullo cibo sustentare potuerit? Responsio in promptu est; in turba illa verificatum esse, quod Salvator noster diu ante dixerat, nimirum : *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei*; unde a multis sacris Interpretibus deducitur, hoc triduo prædicationem Christi eidem alimenti loco inserviisse; nam ut S. Ambrosius ait : « Non potest, qui « verbum sequitur, panem desiderare terrenum, « cum substantiam panis cœlestis accipiat. » Lucas Brugensis quoque de Christo dicit : « Animos cœlesti « sermone pascebat ; » at vero insuper necessum est, ut hoc pascuum etiam ad corporum sustentationem transmittatur : *Ecce jam triduo sustinent me, nec habent quod manducent.* S. Bonaventura observat, quod non sine mysterio, pro hoc pane dispensando Apostolos elegerit, quia Prædicatores Evangelici sunt, qui divini verbi panem ministrant : « Indigebat illa turba manducatione salutaris eru- « ditionis et de hoc dicit Christus discipulis suis : « *Vos date illis manducare*; ad Doctores sive Prædi- « catores dicit Christus, ut ignorantes et esurientes « cibum cœlestem, reficiant pane vitæ intellectus et « potent aqua sapientiæ salutaris. » Theophylactus multitudinem hanc potius ex verbo Dei quam ex panibus et piscibus nutritos esse existimat : « Magis « spiritualibus et perfectis sermonibus pascuntur. » S. Ambrosius in alio quodam loco pariter scribit : « Quisquis verbo Christi pascitur, terrenum pabu- « lum non requirit, nec enim potest panem sæculi « cupere, qui pane reficitur Salvatoris. »

28. — Enimvero quisquis superiorum temporum historias legit, reperiet utique, quod Deus noster suam erga servos suos providentiam vel maxime in desertis et sylvis probaverit, ubi major est annonæ penuria et minor victualium copia. In Isaia, XLIX, 9, prædicitur : *Super vias pascentur et in omnibus planis pascua eorum, non esurient, neque sitient*; at vero, dicat aliquis, viæ communiter sunt steriles et non fructificant, quomodo igitur Spiritus Sanctus in hisce servos suos pascendos esset dicit? Oleaster ait : « Ubicumque sunt servi Dei, ibi quæ sibi sunt « necessaria habent ; ne ergo timeas, in viam Dei « aliquid tibi deficere, quoniam viæ et montes tibi « alimenta ministrabunt. »

Additiones.

a. — *Misereor super turbam, quia ecce jam triduo sustinent me, nec habent quod manducent.* Hic ego

non tam turbæ fidem ac devotionem, quæ triduo in deserto, triduo sine domo, sine lecto, sine hospitio, sine commeatu perdurantem, diei que æstum et noctis intemperiem, cum parvulis etiam, et uxoribus tolerantem, ac super nudum humum cubantem; quid aliud judicare potero, quam eam fuisse Dominicæ prædicationis gratiam, eam divini verbi virtutem, ut homines illi nullatenus inediam senserint; sed quasi abundantissimo quodam convivio recreati sint, dum dapes cœlestis doctrinæ suavissime degustant? Nutrimentum enim corporis boni hominis est verbum Dei, sapientia pulmentum, quod pro virium suarum confortatione tantopere mystice expetiisse crediderim Patriarcham Isaac. Sicut enim manna Israelitis tantum robur præstitit, ut eo pasti asperum illud iter intrepide perfecerint. Haud aliter spirituale manna facit, cui non incongrue in plurimis assimilatur.

Et vero, verbum Dei panis quidem est, sed cœlestis; ac proinde S. Augustinus ait : « Manna verbum Dei esse dicis? Verum est fratres. » Rupertus Abbas similiter in hæc verba scribit : « Dedit tibi « cibum, manna, ut ostenderet tibi quod *non in* « *solo pane vivat homo, sed in omni verbo quod pro-* « *greditur de ore Dei.* Hoc manna, hunc panem « Angelorum ut manducaret homo, semel quidem « Deus portas Cœli aperuit, ut in terram nostram « illud carnem factum mitteret. Cæterum quoties « Apostolorum et Prophetarum, sive etiam Doctorum, Spiritus Sanctus ora aperit, ad prædicandum salutis verbum, portas Cœli aperit Dominus « et pluit nobis manna ad manducandum. » Nazianzenus in oratione quadam, in laudem Basilii Magni habita, inquit : « Panis Angelorum sermo « divinus est, quo aluntur atque irrigantur animæ. Deum esurientes, ac cibum non defluentem et abeuntem, sed perpetuo manentem, ex- « petentes. »

De manna legitur in libro Sapientiæ, XVI, 20 : *Paratum panem de cœlo præstitisti illis sine labore.* Simili modo panis hic Angelicus, verbum Dei, summa cum facilitate nobis ministratur; hisce namque nostris temporibus, de hoc manna, ut experientia docet, abunde sumus provisi, adeo ut hisce diebus, vere adimpletum esse videatur, quod Propheta Evangelicus his verbis prædixit, XXX, 23 : *Panis frugum terræ erit uberrimus et pinguis; pascetur in possessione tua in die illo agnus spatiose, quia verbum Dei est.* Ubi S. Thomas ait : « Panis primo « arctus, propter observandi difficultatem, *Matth.*, « VII, 14 : *Arcta est via quæ ducit ad vitam.* Se- « cundo uberrimus, propter utilitatem; infra : « *Quando descendit imber de cœlo*, etc. Tertio « pinguis est propter delectationis suavitatem. » Manna enim olim in magna copia descendebat, atque exquisitos in se continebat sapores; unde dicitur : *Omne delectamentum in se habentem.*

b. — Si alicubi divinitatis insigne erigendum esset, hoc ego trophæum inscriberem : *Misereor turbæ.* Vincit enim et triumphat in Deo pius affectus erga multitudinem. Ecce enim, quam facilis, quam promptus Dominus erga sectatores suos; non longas illorum preces, expectat, non sinit eos clamoribus defatigari, sed primum indigentiæ contuitum, ubi quoque vidit in sui sequela perseverare, parat opem et abundanter reficit. Satiantur autem in fine tridui, non in initio. Non enim cœlestis convivii recreabuntur epulis, qui ad Christum convertuntur, sed qui in conversione sua cum hac turba perseverant. Et ideo perseverans in vita spirituali et pœnitente, habenda est tolerantia cum respectu ad cœlestem remunerationem. Sæpe accidit, quod ex motivo ambitionis, vel lucri, vel ob spem quamdam remotam, ex verbo alterius conceptam, homo aliquis, cæteroquin sapiens, sese resolvat ad sustinendam per longam ætatem duram quamdam subeundam servitutem. Numquid igitur indignum foret, si nos minorem exhiberemus in divino servitio perseverantiam, cum tamen habeamus infallibilem certitudinem, quod exinde reportaturi simus æternæ gloriæ præmium. Non sic anima illa sancta fecit quæ apud Psalmistam dicebat : *Te sustinui tota die.*

c. — Verbum Dei etiam corpus alendi virtutem habet. Non erat in solitudine illa arbores fructiferæ, non hospitia, non panis nec ulla ciborum annona, adeoque ut hæc famelica turba, ut pasceretur Christus, necessum illi erat patrare miracula. At vero quæres fortasse, quonam modo homines hi ex itinere totaliter lassi et defatigati, tribus illis diebus sustentati fuerint? *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* Nimirum ejus auscultarant prædicationem, hæcque corporis quoque alimentum supplebat. « Quis- « quis enim verbo Christi pascitur, » inquit S. Ambrosius, « terrenum pabulum non requirit. Nec « enim potest panem sæculi cupere qui pane reficitur Salvatoris. » Lucas Brugensis litterali sensui explicando intentus, inquit : « Cœlesti illos sermone « pascebat. » Venerabilis Beda incarnatam Sapientiam in hoc facto sequens nobis documentum relinquere voluisse opinatur, scilicet : « Quod viam « præsentis sæculi aliter incolumes transire nequimus, nisi alimenta verbi sui Christus nos reficiat. » Hanc veritatem Theophylactus quovis alio interprete expressius confirmat, dicens : « Magis « spiritualibus et perfectis sermonibus pascuntur. » Demum vero, non sine mysterio Christus voluit ut Apostoli panem illum miraculosum comminuerent et frustatim dividerent; nam ut S. Bonaventura ait : « Indigebat illa turba, manducatione salutaris « eruditionis et de hoc dicit Christus discipulis « suis : *Vos date illis manducare.* Ad Doctores sive « prædicatores dicit Christus ut ignorantes et esurientes cibum cœlestem reficiant pane vitæ et « intellectus et potent aqua sapientiæ salutaris. » S. Ambrosius alio in loco super Lucam ita scribit : « Hic panis quem frangit Jesus, mystice quidem « Dei verbum est, sermo de Christo, qui dum dividitur, augetur; de paucis enim sermonibus omnibus populis redundantem alimoniam ministravit. « Dedit sermones nobis velut panes, qui dum « libantur in ore nostro, geminantur. Visibiliter « quoque panis iste incredibili ratione, dum frangitur, dum dividitur, dum editur, sine ulla dispendii comprehensione cumulatur. »

d. — David unico duntaxat ictu a truculenta Saulis persecutione eximere se poterat, vibrando in cor ejus gladium, vel ensem, non ex motivo vindictæ, sed ex propriæ vitæ tuendæ justo desiderio. Potuit quoque de æmulorum suorum, qui gloriæ ipsius invidebant, atrocibus injuriis se vindicare; nec tamen hoc facere voluit. Idem quoque sub paludamento regio, austero et aspero se cilicio vestivit, rigorosis se jejuniis extenuavit, lectum suum amaris rigavit lacrymis, media nocte ad psallendum Domino surrexit, multaque alia, quorum ingens catalogus recenseri posset, heroica virtutis opera patravit. At vero cuinam hæc omnia fulcro innixa fuerunt? Ipsemet respondet dicens : *Sustinuit anima mea in verbo ejus.* Turbæ illæ famelicæ et ex triduano in societate Christi peracto itinere penitus defatigatæ, atque diuturna fame confectæ undenam suam vigorem sunt consecutæ? Ex verbo divino quotidie devotissime auscultato. P. Rho, de Joanne Francisco Binante, Ordinis Minimorum, dicit : Dies noctesque de Deo sermones continuate dicerat, modo qui audire vellent, non deessent; nec dicenti ullo oboriebatur lassitudo quin ab aliis operibus defessus, his colloquiis vires sibi maxime instaurari sentiebat. Hunc autem vigorem verbum Dei etiam devotis et assiduis illius auditoribus, liberaliter communicat.

e. — Quod si infirmus aliquis, qui adhibito magno sumptuum dispendio, e regionibus longinquis accersiri fecisset medicum quemdam, magna sapientia et experientia præditum, ut ab eo sanaretur, demum vero præscriptas ab illo salutares medicinas, sumere renueret, sed solum curiositatis causa aures ei præberet; numquid talem, vel delirum, vel propriæ salutis hostem esse diceres? Quot sunt, qui cum per totius anni decursum in propria conscientia indispositi sint et infirmi, ad sui curationem, per liberalium eleemosynarum promissionem, medicos spirituales, id est, ministros evangelicos, e regionibus longinquis evocarunt, ut ab iis tempore Quadragesimæ sanarentur, et tamen per totam Quadragesimam aliud nihil faciunt, quam quod curiosas duntaxat aures eis præbeant, cæterum vero ab ipsis præscripta remedia, et ad æternam ipsorum salutem ordinata documenta, penitus rejiciunt? Honorant prædicatores, illisque applaudunt, munera illis donant, serviunt illis, maximi eos faciunt : at vero præscriptas ab illis medicinas acceptare recusant, quia illas exequi nolunt. Hugo Cardinalis de prædicatione disserens, eamdem similiter medicinæ cuidam assimilat. Nam super illa verba S. Marci : *Misereor super turbam, quia ecce jam triduo sustinent me, nec habent quod manducent*, ita scribit : « Nota, quod tunc scitur, quod « quis bene pœnitet, scilicet si sitit in audiendo « verbum Dei, sicut scitur de eo qui accipit medi- « cinam corporalem, quia talis multum sitit. » Medicina enim corpus male affectum purgando, viscera interius commovendo, pravosque humores evacuando, sitim communiter provocat. Eumdem quoque effectum verbum Dei in peccatore habet. Efficit enim, ut peccata detestetur, omnes malignitates per confessionem foras ejiciat; dumque ei salutem spiritualem conciliat, simul in eo sitim ejusdem divini verbi provocat, adeo ut quantumvis frequenter illud auscultet, nunquam tamen audiendo satietur.

VERSUS 3.

Et si dimisero eos jejunos in domum suam, deficient in via; quidam enim ex eis de longe venerunt.

Et si dimisero eos jejunos in domum suam, deficient in via.

1. — Lucas Brugensis super hæc verba observat, hunc esse divinæ providentiæ communem stylum, alias a nobis insinuatum, subveniendo, ad extremum usque exspectare : « Extremum exspectavit prius « quam eis subvenit, » cujus etiam hanc rationem reddit : « Ut illorum constans fervor redderetur « manifestus. »

2. — Albertus Magnus ex hisce verbis varia nobis mysteria moralia explicat : « Significat, quod nisi « pascamur gratia Dei in affectu, et verbo Dei in « intellectu, et corpore Domini in Sacramento, quod « deficiemus, quomodocumque in nostro sensu in « bonis naturalibus et in bonis fortunæ abundemus. « *Psalm.* XXXIII, 11 : *Divites eguerunt et esurierunt,* « *inquirentes autem Dominum non deficient ullo* « *bono.* »

3. — S. Paschasius, *lib.* VI *in Matth.*, ait : « Ut, « qui per fidem Christum crediderant, verbo fidei « deinceps alerentur in salutem; ordo igitur idem « est in sermone Domini, qui et in consequenda « gratia manet. »

4. — Ad debilitatem nostram in hac vita, quamdiu viatores sumus, sustentandam, necessarium nobis est verbi Dei alimentum. Albertus Magnus ait : « Quia jam consortio sermonis virtutem ha- « bentes, postea separati sentirent defectum. » Venerabilis Beda super Marcum clarius scribit : « Mystice, » inquit, « hoc miraculo designatur,

« quod viam sæculi præsentis aliter incolumes « transire nequimus, nisi nos gratia Redemptoris « nostri alimento verbi sui reficiat. » S. Petrus Christo de ejus verbo dixit : *Verba vitæ æternæ habes*; atque hoc verbum animæ nostræ datum est in pabulum et nutrimentum; unde opus est, ut illud assidue vel legamus, vel meditemur, vel auscultemus. *Si quis sermonem meum servaverit*, inquit Salvator, *non gustabit mortem in æternum. Joan.*, VIII, 52.

5. — Per hunc Christi panem, possumus quoque non solum divinum ejus verbum, verum etiam sacratissimum corpus ipsius intelligere, cujus frequentia nobis in Communione vires subministrat ut perfectæ cujusdam vitæ viam ac semitam ingredi et perficere valeamus. S. Hieronymus ait : « Non « vult eos Jesus dimittere jejunos, ne deficiant in « via; periclitatur ergo, qui sine cœlesti pane ad « optatam mansionem pervenire festinat; unde et « Angelus loquitur ad Eliam, III *Reg.*, XIX, 7 : *Surge « et manduca, quia grandem viam ambulaturus es.* » De hoc Eliæ ab Angelis allato pane Glossa tractans, eumdem de Eucharistia exponit : « Ex quo paten- « ter innuitur, quod cibus iste Eucharistiæ corporis « et sanguinis Christi manibus Angelicis defertur « et refertur, per quem nostra infirmitas releva- « tur. » Hic autem vigor in alio illo pane expressius elucescit, ex cujus manducatione idem Elias Propheta roboratus, quadraginta diebus et noctibus ad montem Horeb usque ambulavit. B. Laurentius Justinianus quoque ab hoc subcineritio pane ad Sacramentum arguendo, descendit : « Quid panis « Christi, qui est panis vitæ, recte sumentibus spi- « ritualiter fortitudinis conferre valebit? » Estque hæc historia præsenti Evangelio admodum congrua, siquidem etiam Elias hoc pane cibatus *perrexit in desertum*, in quo secessu, animam quamdam prefiguravit, quæ relicto mundo, se in Christi sequelam et disciplinam recepit; Angelus Eliæ dixit : *Grandis enim tibi restat via*, « scilicet, « ut Hugo Cardinalis ait, « a terra usque ad cœlum, a miseria usque ad « gloriam, ab exilio usque ad patriam. » De hac adeo lubrica via optime nos Paulus de Palatio monet, dicens : « Ardua via et super hominum « viam, imo contra carnis viam, ubi sæpe moventur « pedes, pene effusi sunt gressus nostri, ubi locus « tis conflictandum est cum gygantibus. » Audite obsecro, quo nomine Tertullianus Eliam hoc pane, qui Eucharistiæ figura fuit, nutritum et cibatum appellet, nimirum « Candidatum æternitatis; » quia tametsi hic Propheta etiamnum in terris commoretur, utpote ad dimicandum, ante judicii finalis diem, cum filio perditionis studiose hactenus reservatus, ab hujus tamen nostræ mortalitatis miseriis totaliter est exemptus : « Immunitatem carnis edis- « cit. » S. Ignatius Martyr Sacramentum Altaris specioso hoc titulo : « Pharmacum immortalitatis, « mortis antidotum, » honorat. S. Cyrillus Alexandrinus illum appellat « Cibum nutrientem ad im- « mortalitatem. » S. Paschasius ex hoc Evangelii textu hanc eamdem eruit moralitatem : « Quos ne « in cursu vitæ sæcularis, » inquit, « id est, in « opere præsentis sæculi defectio labefactaret, vult « cibo suo eos alere, atque ad pergendum totius « itineris fortitudinem panis sui virtute firmare. » S. Bonaventura ait : « Indigebat ista turba mandu- « catione sacramentalis refectionis; *Amen dico vo- « bis : Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et « biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in « vobis*; escam proprii corporis sub specie panis « dedit fidelibus. » Regius Propheta David aliquando lamentabatur, *Psal.* CI, 5, dicens : *Percussus sum ut fenum et aruit cor meum*, hujusce sui lamenti protinus subdit rationem : *Quia oblitus sum comedere panem meum.* Ubi Cassiodorus ait : « Quemadmodum « poterat de omissione conqueri panis corporalis, « qui se jejunis gaudebat affligi? » Credendum igitur nobis est, Davidem per spiritum propheticum de hoc Eucharistico pane fuisse locutum, qui si per tempus aliquod intermittatur, anima mox flaccescit, debilitatur, nec peccato et inimici tentationibus resistendum quidquam habet virium.

6. — Venerabilis Beda ad animas illas, quæ ex vita quadam valde dissoluta ad pœnitentiam sunt conversæ, alludens, ita scribit : « Quia videlicet « conversi peccatores in præsenti vitæ via defi- « cient, si in sua conscientia sine doctrinæ sanctæ « pabulo dimittantur. »

7. — Albertus Magnus verba illa de præsentia divina exponit : « Separati a mea præsentia, quæ « modo facit eos non sentire defectum. » Idem quoque, super S. Marcum scribens, hanc aliam adducit considerationem : « Talis enim est, » inquit, « natura hominis, quod abstractus a se et ad divina « suspensus, defectus proprios non sentit; » videmus enim quod ii, qui in extasim rapiuntur, famem et quasvis alias passiones sine ulla difficultate sustinent, nec ullum sentiunt dolorem aut pœnam, quia totaliter absorpti sunt in Deum; idem igitur his quoque turbis eveniebat, utpote quæ se omni mentis conatu et studio ad Christi prædicationem applicaverant; pergit demum idem Doctor et ait : « Reversus autem ad se sentit et tunc deficit. *Psal.* « XVI, 15 : *Satiabor cum apparuerit gloria tua*, et si « illa subducta fuerit, in inedia propria deficiam. »

Quidam enim ex eis de longe venerant.

8. — Venerabilis Beda, *Ser.* CCIX *de temp.*, verba hæc in sensu mystico de gentilibus in comparatione ad Hebræos exponit : « Judæi, quicumque in Christo « crediderunt, de prope ad illum venerunt, quia « legis et Prophetarum erant litteris edocti de illo; « credentes vero ex gentibus, de longe utique « venerunt ad Christum, quia nullis paginarum « sanctarum monumentis de ejus erant fide præ- « moniti. » S. Augustinus quoque in quodam sermone suo similem considerationem habet, dum enim verba illa : *Nec habent quod manducent*, examinat, ita scribit : « Quia gentes legem non habe- « bant, id est, quinque libros Moysi, non Prophetas, « non prædicationem S. Joannis, quia gentes non « per legem, sed per fidem venerunt ad Redemp- « torem; longe erant gentes a Deo, errando per « idola, et modo omnis qui peccat, longe est a « Deo; » adducitque Apostolos in exemplum, qui ne tum quidem, postquam miraculum hoc viderant, animum suum divinis mysteriis applicabant, adeo ut eos Salvator noster in hoc eodem capite S. Marci increparit, quod nullam fecerint reflexionem, nec recordati multum fuerint miraculi illius adeo prodigiosi, quale illud in hodierno Evangelio recensitum fuit. Porro Isaias, IX, 4, de gentilibus prophetaverat, dicens : *Filii tui de longe venient.* Et quidem advertendum est, quod, ex quo Christus illos in hoc Evangelio ex turba speciatim nominaverit, qui de longe venerant, consequenter eo ipso erga illos tenerioris compassionis viscera exhibuerit, quasi propter hosce specialissime ad miraculosam hanc annonæ provisionem procurandam motus et investigatus fuerit, benevolentiæ namque et longe maximæ exhibitæ fuerunt Gentilibus, postquam a suis fuisset repulsam passus. In Isaia, LIV, 11, de eadem Gentilitate prædictum fuit his verbis : *Lauda sterilis, quæ non paris, decanta laudem, quæ non pariebas, quoniam multi filiæ desertæ, magis quam ejus, quæ habet virum.*

9. — Albertus Magnus dicit : « Significat pœni- « tentes de regione longinqua venisse, » ideoque S. Lucas, XV, 13, de filio prodigo ejusque nequitia loquens, ait : *Abiit in regionem longinquam.* Venerabilis Beda ad hoc Christi dictum attentius pondérandum invitat, dicens : « Valde pensanda est pia « sententia, quæ processit ex ore veritatis. » Qui enim procul ab omni sensualitatis macula immaculatus, sine ulla commissa fraude vixit, seque ex proposito et industria Dei servitio mancipavit, nequaquam de longinquo venit, « quia per incor- « ruptionem et innocentiam proximus fuit; » similiter is, qui nullo est scelere maculatus, nec ulla inhonestæ vitæ labe coinquinatus fuit, sed solo vinculo conjugali sese adstrinxit, demum vero ab illo solutus, Deo se consecravit, de longinquo venisse nequaquam est censendus, quia medio licito et honesto fuit usus; quinam ergo sunt illi, qui de longe venisse dicendi sunt? Nimirum multas peccatorum species, easque omnes valde enormes enumerat, ac demum concludit, quod illi, qui se ejusmodi sceleribus contaminarunt, tandem vero per veram pœnitentiam ad Deum convertuntur : « Ad « Dominum de longinquo veniunt, quanto enim « quisque plus in pravo opere erravit, tanto ab « omnipotenti Domino longius recessit. Dentur « ergo alimenta eis etiam, qui de longinquo ve- « niunt, quia conversis peccatoribus doctrinæ sanctæ « cibi prædicendi sunt, ut in Deum vires reparent, « quas in flagitiis amiserunt. » Ac proinde optime S. Paschasius, *lib.* VII *in Matth.*, dicit : « Omnes, « qui venerunt per fidem, nisi recesserint a pec- « cato, languescunt et, ut ita dicam, mortui sunt, « quia *longe est a peccatoribus salus*, » qui proinde, ut ad resisteudum peccatis et tentationibus vigorem animi habere possint, pane Christi opus habent.

Additio.

a. — *Et si dimisero eos jejunos in domum suam, deficient in via.* Obsidetur aliquando Samaria et extrema sic premitur fame, ut et ipsæ mulieres proprios vorarent filios; unde Rex furore correptus, mortem minatur Prophetæ, IV *Reg.*, VII. Quod cum audisset Eliseus, hisce duces affatur : *Audite verbum Domini. In tempore hoc, cras modius similæ, uno statere erit et duo modii hordei, statere uno in porta Samariæ. Cras*, ait Propheta, diem designans sequentem. Cur o Propheta non hodie? Cur perendie vel in alio tempore? Ut omnibus innotesceret Dei benevolentia, qui tunc emicuit, quum, cum extrema populus conflictaretur fame. Tunc in ipsa hora panditur Dei benignitas dans levamen. Ita ad extremam redactus erat præsens populus penuriam in deserto, panes vix ulli supererant, et qui aderant, quasi nulli erant. Itineris aderat molestia et interitus periculum, si jejuni dimitterentur, nec a quo cibandi forent spes erat auxilii. Adest igitur Christus Deus et multiplicatis panibus, sic abunde reficit ut confortati et valles et montes non tam transcenderent quam transilirent. Sic Deus suo adest auxilio, cum tribulamur, et auxilium hominum deest.

Fidelis quæris anima sancta quadam ambitione anhelare deberet ad subeundam passionem tribulationis et adversitatis, cum tale apud Deum præstoletur lucrum, videlicet : *Juxta est Dominus his qui tribulato sunt corde. Psal.* XXXIII, 19. *Cum ipso sum in tribulatione, dicit infallibilis ipsiusmet Dei Sapientia, eripiam eum.* Puerorum in fornace Babylonica estote memores, de quibus refert sacer textus : *Excussit flammam ignis de fornace, et fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem. Non tetigit eos omnino ignis, neque contristavit. Dan.*, III, 49. Deus igitur non solum ardoris activitatem separavit a luce et splendore hujus elementi, sed etiam impedivit ne ignis illos molestaret, ac tristitia et mœrore afficeret; unde ad litteram de illis verificabatur : *Juxta est Dominus, his qui tribulato sunt corde.* Visibilem enim se Nabuchodonosori exhibuit in societate aliorum : *Species quarti similis Filio Dei.*

VERSUS 4.

Et responderunt ei discipuli sui : Unde illos quis poterit hic saturare panibus in solitudine.

Et responderunt ei discipuli sui.

1. — Victor Antiochenus Apostolis multum humani accidisse dicit, eo quod cœli thesauris nondum fuerunt locupletati eo modo, quo in die Pentecostes ditati fuere : « Humanæ rationis judicium consulentes. » Enimvero hi discipuli paulo ante spectatores, imo cooperatores et instrumenta miraculi illius, ab eodem Magistro suo juxta mare Tiberiadis patrati fuerant, atque ideo summe mirandum est, quomodo tam subito hujus tantæ beneficentiæ deponere potuerint memoriam, illiusque totaliter oblivisci? In hoc enim eodem capite legitur, quod annona vitæ, alia vice destitutos se videntes : *Cogitabant ad alterutrum dicentes : Quia panes non habemus. Quo cognito ait illis Jesus : Quid cogitatis, quia panes non habetis? nondum cognoscitis? nec intelligitis? adhuc excæcatum habetis cor vestrum? oculos habentes non videtis? et aures habentes non auditis, nec recordamini, quando quinque panes fregi in quinque millia, quot cophinos fragmentorum plenos sustulistis?* Unde colligitur, quam facile beneficiorum Dei obliviscamur. Jansenius aliter rem hanc ponderat, dum ait : « Vide ergo, quam nihil « externa omnia efficiant, cum non docet intus « Spiritus Apostolis saltem perfecte datus, quia « Jesus nondum erat glorificatus. *Rom.*, VIII, 26 : « *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram.* »

2. — Considerandum etiam hoc loco venit circumspectio et prudentia hujus incarnatæ Sapientiæ, siquidem eos non tunc de hac diffidentia reprehendit, sed meliorem præstolata est occasionem; etenim ut S. Isidorus ait : « Plerumque princeps justus « etiam malorum errores dissimulare novit, non « quod iniquitati eorum consentiat, sed quod « aptum tempus correctionis expectet, quando « eorum vitia vel emendare valeat, vel punire. »

Unde illos quis poterit hic saturare panibus in solitudine?

3. — Deus noster hac discipulorum suorum diffidentia in augmentum gloriæ suæ usus fuit, efficiendo, ut miraculum suum magis clucesceret. Unde D. Chrysostomus, *Hom.* LIV *in Matth.*, ait : « Quod, quamvis ipsi ex imbecillitate dicebant, « hinc tamen miraculum ab omni sinistra suspi- « cione liberabant. » Euthymius rationem adducit, cur tam prima quam secunda vice, miracula hæc in desertis seu solitudinibus patrare voluerit : « In « deserto loco, » inquit, « longe a civitatibus ac « vicis, ne turbis videatur a propinqua civitate aut « vico cibos emere. » Salmeron insuper hanc rationem adjungit : « Ut significet Deum pascere « existentes in deserto religionis, ubi nec semina- « tur, nec metitur et tamen Deus pascit suos. »

4. — Hugo Cardinalis testimonium adducit S. Ambrosii dicentis : « Non otiosi, non in civitate « quasi in synagoga, vel sæcularis dignitate resi- « dentibus, sed inter deserta Christum quæren- « tibus, cœlestis gratiæ alimoniam impertitur. »

5. — Paulus de Palatio ait : « Memento, Dominum « pavisse suos in utroque Testamento, sed non nisi « in deserto, » denotare nimirum volens, blandi- tias, quibus animas electas demulcere solet, tunc vel maxime in iis abundare, quando in sanctum solitudinis recessum se recipiunt : *Ecce ego lactabo eam et ducam eam in solitudinem. Ose.*, II, 14.

6. — Porro in hac multitudine gentilitas figuraliatur, ex qua congreganda Ecclesia erat; hanc enim Isaias, XXXV, 1, solitudinis titulo appellavit, dum ait : *Lætabitur deserta, invia, et exultabit solitudo, et florebit; germinans germinabit*; vocatur autem Ecclesia desertum, quia paganismus a Deo derelictus erat : *Notus in Judæa Deus*, soli enim Hebræi veri Dei notitiam habebant; at vero quam fertilis et deliciosa facta est hæc solitudo, postquam Dei Filius in eam pedem intulit? *Gloria Libani data est ei, decor Carmeli, ipsi videbunt gloriam Domini et decorem Dei nostri. Isa.*, XXXV, 2. Quot religiones viris sanctis plenæ, quot cedri Libani in deserto hoc mystico germinarunt? Ægypti solitudines, licet illa alias plusquam quodvis aliud regnum falsis numinibus dedita fuerit, unde Poeta tandem, quod cepas et porros etiam adoraret, hisce verbis deridet : *O sanctas gentes, quibus hæc nascuntur in hortis numina!* quis nescit impletas esse Eremitis innumeris et talibus hominibus, qui hic in terris vitam duxerunt Angelicam, quique eminenti sanctitate sua, Dei illustrarunt Ecclesiam. Unde S. Hieronymus ait : « O desertum Christi floribus vernans! o solitudo « in qua illi nascuntur lapides, de quibus civitas « Regis magni construitur. »

7. — Hugo Cardinalis ait : « Mystice prædica- « tores immittentes profectum Ecclesiæ dicunt : « Unde nobis tanta facundia, ut tot millibus tan- « quam avidis auditoribus sufficere possimus in « hujus sæculi deserto? »

Additio.

a — *Unde illos quis poterit hic saturare panibus in solitudine?* Ad Christi verba respondent discipuli per interrogationem ad exaggerandam difficultatem. Hæc enim ministrorum solet esse conditio, quod in objiciendis impedimentis plus respondeant, quam interrogantur. Et ideo tam in hoc miraculo, quam in alio, de deserto faciunt mentionem. Super quo sic commentatur S. Chrysostomus, *Hom.* LIV : « Sic et prius et nunc solitudinis minuerunt, quod « quamvis ipsi ex imbecillitate dicebant, hinc « tamen miraculum ab omni sinistra opinione « liberant. » In quo vero? In eo nempe, quod solitudinis meminerunt; inde etenim evidentia miraculi declaratur et mysteriis via aperitur, quod scilicet sic Deus solitudinem amet, ut spirituales consolationes, ut plurimum concedat in ea : non solum refectionem ventris, sed et mentis.

S. Bernardus composuit integram homiliam commentando in parabolam illam : *Simile est regnum cœlorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas*, ubi sic exclamat : « O solitudo beata! Qui- « cumque ad perfectionem venerunt, per te in « paradisum introierunt. O beata vita solitaria et « contemplativa! quid ultra de te loquor? » Beatum dicit solitudinem, et merito quia ex ea innumerabiles animæ exeunt beatæ, quæ murorum cœlestium restaurant ruinam. S. Laurentius Justinianus, *cap.* I *de Vita solitaria*, varia ei attribuit laudum encomia, et inter alia hæc quoque : « Cœli est « janua. » Deinde, *cap.* II, bene observavit in Elia, e quo situ loci raptus et curru vectus fuerit ad cœlum : « Cum vehiculo, » inquit, « igneo esset « transferendus de sæculo, non in urbibus, sed « cum discipulo degebat in eremo. Disce qui soli- « tudinem habitas, quanta in eadem exuberent « beneficia. Disce etiam quam facile ex eremo tran- « situr ad cœlum. Prorsus impossibile est quem- « piam posse perire qui, eo quo debet modo, soli- « tudinis habitator existat. »

Quando Annales Ecclesiastici mentionem faciunt *illorum* fidelium, qui in nova lege Evangelica vivere cœperunt in eremis, in laudem eorumdem et gloriam tradunt hæc sequentia : « Angelis vitam simi- « lem ducebant; » vitæ beatæ et angelicæ arrham habebant in terris. De monachis, qui sub disciplina Magni Antonii vivebant inter nemora et sylvas, ita discurrit S. Athanasius : « Quis tantum monacho- « rum agmen aspiciens, quis virilem illum con- « cordiæ cœtum cernens, in quo nullus nocens, « nulla detractio, sed multitudo abstinentium et « certamen officiorum erat, non in hanc statim « erumperet vocem : *Quam bonæ domus tuæ, Jacob! « Tabernacula tua, Israel, tanquam paradisus!* » Quare omnes ad solitudinem, cui beatitudinis attribuebat titulum, hisce exhortabatur verbis ut remotioris vitæ beatitudinem appeterent.

S. Petrus Damianus, sive S. Basilius Magnus, inter alia vitæ solitariæ encomia, producit etiam sequentia : « Tu fornax, ubi supremi Regis vasa formantur « et ad perpetuum nitorem malleo pœnitentiæ per- « cussa, ac lima salutiferæ correctionis erasa, per- « veniunt. In qua nimirum obsoletæ animæ rubigo « consumitur et scabræ peccatorum scoriæ depo- « nuntur. » Felix commercium ubi pro terrenis cœlestia, in transitoriis commutantur æterna. Felices nundinæ, ubi venalis æterna vita proponitur.

VERSUS 5.

Et interrogavit eos : Quot panes habetis.

1. — « Non quasi ignorans interrogat, » inquit Dionysius Carthusianus, « sed ut ex discipulorum « responsione futuri miraculi magnificentia pa- « teat. »

2. — D. Chrysostomus existimat, Christum per hanc interrogationem illis in memoria revocare voluisse aliud illud miraculum; siquidem quando illud operari voluit, simili quadam interrogatione usus fuit : « Ut mentem eorum erigeret, simili « quodam modo, ut prius interrogavit, ut ipso « interrogationis modo et ut ita dicam, velut « interrogando, prioris miraculi recordarentur. » Unde imperfectionem ipsorum considerans, hanc deducit moralitatem : « Hæc ipsi scripserunt et « tamen culpam suam, quamvis non parvam, occul- « tare noluerunt : *Justus*, inquit Sapiens, *prior est « accusator sui.* »

3. — Lucas Brugensis considerat, quod Christus, se ob illorum diffidentiam indignatum fuisse, dissimularit; « dissimulans Christus oblivionem diffi- « dentiamque ipsorum; habebant pro more disci- « puli, ex Christi, haud dubium, præcepto, ut « commeatum aliquem secum ferrent. » S. Matthæus, XVI, 7, autem scribit : *At illi cogitabant intra se dicentes, quia panes non accepimus.*

4. — Albertus Magnus ita in sensu morali exponit : « Ac si dicat : scrutamini secreta vestrarum « facultatum et videte, quid a Deo habetis, hoc « enim quantumcumque parvum sit, cum adjutorio « Dei sufficiet. » II *Cor.*, IX, 8 : *Potens est Deus omnem gratiam abundare facere in vobis*, etc. Salvator noster etenim in turbas hasce etiam sine panibus, vel de abundanter saturare poterat; at vero docere illos voluit, quod etiam ex parte nostra nonnihil poni desideret; sic enim dum viduæ illius eleemosynariæ oleum multiplicare volebat, prius aliquid de oleo ejus vasis imponi voluit; tametsi enim id quod de nostro damus, modicum sit, ipsi tamen ad illud multiplicandum sufficit, ipseque quantitatem illius omnipotentia et beneficentia sua largiflue supplet. Agricola seminat granum, arat, sulcat et colit terram; at vero Deus est, qui semini vigorem subministrat germinandi, eique benignas influentias immittit : *Neque qui plantat est qui aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* I *Cor.*, III, 7.

Qui dixerunt : Septem.

5. — Considerari hoc loco potest, satis esse verisimile, ipsosmet Apostolos fuisse famelicos, utpote qui et ipsi toto hoc triduo jejuni remanserant. Modicam igitur hanc septem panum provisionem penes se, in propriam sui sustentationem habentes, eamdem tamen nequaquam suppresse-

runt, vel occultarunt, neque ad veritatem manifestandam aut panes hosce, quos ori suo proprio in summa necessitate subtraxerant, extradendos, se exhibuerunt vel minimum invitos, sed prono et libenti animo, eos manifestarunt et obtulerunt, idque ad ingentis usuræ lucrum, siquidem, ut mox dicetur, adeo multiplicati fuerunt hi septem panes, ut septem aliæ sportæ ex eorum fuerint reliquiis repletæ.

6. — Observanda est hic parsimonia, qua cum familia Christi vivebat; tametsi enim in locis, extra hominum societatem vel vicinam positis, degerent, in quibus nullam sibi victus annonam comparare poterat, attamen pro duodecim viris sustentandis non nisi septem panes et aliquos discipulos secum asportarant; et quod longe majorem meretur admirationem, discipuli hi majori ex parte piscatores erant, qui proinde de piscibus multis et bonis sibi prospicere poterant, præterquam quod tanquam ad labores assuefacti, majori refectione opus habebant. Unde Lucas Brugensis ait : « Vide quam parcum « commeatum et frugalem. » Præterea considerandum quod toto hoc triduo, quo magnam patiebantur inediam, nullus eorum vel modicum panis bonum tangere ausus fuerit; multo minus de refectione aut prandio instituendo inter se tractarint : « Nulla præparandæ mensæ sollicitudine tenebantur, » inquit D. Chrysostomus, « triduo jam in « vasta solitudine commorantes, septem solum- « modo panes habebant. »

7. — Venerabilis Beda a Glossa citatus ait : « Mysterium est novi Testamenti, in quo septiformis Spiritus gratia plenius creditur et datur. »

8. — Paulus de Palatio ita scribit : « Placet per « septem panes intelligere Sacramenta Ecclesiæ « septem, et per paucos pisciculos, sacramentalia « panca, quæ in Ecclesia sunt instituta. »

9. — Hugo Cardinalis super S. Marcum hosce septem panes spiritualiter enumerans, ita scribit : « Primus panis spirituali« paupertas, quæ neces- « sariis contenta est. *Gen.*, XXIX, 6 : *Nec quidquam « aliud noverat, nisi panis*, etc. Secundus panis « est pœnitentiæ dolor : *Fuerunt lacrymæ meæ « panes die ac nocte*. Tertius obedientiæ facilitas : « *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit « me*. Quartus misericordiæ largitas : *Frange esu- « rienti panem tuum*, etc. *Isa.*, LXVIII, 7. Quintus « abstinentia : *Psal.* XXXVI, 19 : *In diebus famis « saturabuntur*. Sextus doctrina : *Eccli.*, XXXI, 28 : « *Splendidum in panibus benedicent labia multorum*. « Septimus Eucharistia : *Joan.*, VI, 41 : *Ego sum « panis vivus, qui de cœlo descendit*. Hæ sunt septem « spicæ uberes, quæ Ægyptum a famis periculo « liberant. »

10. — Idem super S. Matthæum scribens, septem alias panum qualitates distinguit : « Primus, « panis est, malæ vitæ sollicita emendatio. Secun- « dus, vera et humilis confessionis accusatio. Tertius, « pro commisso excessu jugis indignatio. Quartus, « timor anxius relabendi. Quintus, amplius profi- « ciendi. Sextus, sanctorum virorum imitatio. Sep- « timus, suorum malorum et aliorum punitio. Hi « sunt septem gradus in scala, per quam in cœlum « ascenditur, septem mortalium culpa diluitur, « septiformis Spiritus gratia infunditur. »

11. — Quod si quæras, cur Christus in primo miraculo quinque panes, nunc septem adhibere voluerit? Respondet Jansenius : « Deo perinde esse « multos vel paucos, ex multo, sive modico satu- « rare, cum necesse fuerit. »

Additio.

a. — *Et interrogavit eos : Quot panes habetis? Qui dixerunt : Septem.* Optime sciebat Dominus quot panes habebant; ad quid igitur interrogat? Respondet Abulensis, *quæst.* CIV : « Quærit Domi- « nus, quia voluit ostendere, quod miraculum non « faciebat ex sua voluntate, sed ex necessitate qua- « dam, quia erat ingens inopia, quæ aliter non « poterat sublevari. » Et ideo, ut notat idem Abulensis, *quæst.* CII, cum Dominus sæpe cæcos, claudos, ac debiles sanaret, ac etiam mortuos suscitaret, his tamen panes multiplicavit, ac turbas saturavit. Nam ad alia prima mirabilia, sæpe ipsa indigentia extabat, quia sine miraculo vitam, ac sanitatem consequi non valebant. At ad multiplicationem panum his in deserto intercessit gravis necessitas, unde his illos multiplicavit. Siccine ipse Dei Filius vanam gloriam abominatur ut sine urgenti necessitate ad hominum de se confirmandam fidem miracula patrare nolit?

Versus 6.

Et præcepit turbæ discumbere super terram; et accipiens septem panes, gratias agens fregit et dabat discipulis suis, ut apponerent, et apposuerunt turbæ.

Et præcepit turbæ discumbere.

1. — Salmeron hoc verbum, *discumbere*, separatim considerat, et dicit : « Id est, ut quiescerent, « et non anxie exercuciarentur, sed dormirent sedato « animo, et cogitatum suum in ipsum projicerent, « quoniam ipsi est cura de nobis. »

Super terram.

2. — Albertus Magnus, *in Matth.*, ait : « Omnia « terrena sibi subjicientes requiescerent, non op- « pressi aliquo terreno affectu. » Eamdem quoque ponderationem Theophylactus his verbis adducit : « Discumbunt super terram, quia omnibus terrenis « superiores sunt, et calcant ea, sicut et quinque « millia super fenum discubuerunt, hoc est, carnem « et gloriam subjecerunt. » S. Augustinus quoque,

Serm. CLX de temp., hanc inter hoc et aliud simile miraculum, differentiam notat, quod alias super fenum, hic vero super terram discubuerint. « Ibi « super fenum discumbunt, hoc est, mortificata « opera carnis, quia *omnis caro fenum*, ait Propheta, « hic super terram discumbunt, id est, opera ter- « rena conculcant. » S. Thomas similiter dicit : « Per fenum temporalia significantur; unde omnis « caro fenum, et omnis gloria ejus quasi flos agri. » *Isa.*, XL, 6. Considerat vero idem Angelicus Doctor, quod prima refectio statum veteris legis denotarit; hæc vero secunda legis novæ Evangelicæ figura fuerit; in illa homines ad felicitates respiciebant terrenas; in hac vero omnia hæc bona terrena conculcanda et contemnenda : « In veteri lege erat « fundamentum super temporalia, in nova solum « super stabilitatem gloriæ; vel per fenum signi- « ficatur, quod super temporalia debemus sedere; « unde possessio non prohibetur, sed dilectio sive « affectio. I *Joan.*, II, 15 : *Nolite diligere ea quæ in « mundo sunt.* » Ven. Beda, a Glossa citatus, rationem cur supra fenum sederit, assignat, dicens : « Quia per *Scripturam* legis carnis desideria cal- « care et comprimere jubemur, quæ est fenum. » In refectione vero septem panum, in qua lex nova denotata fuit, turbæ jussæ sunt sedere in terra, quia « ipsam quoque terram et facultates relinquere « præcipimur. »

3. — Porro ingeniosa est illa Pauli de Palatio observatio, quod videlicet exinde clare satis colligatur, paucos ex illa multitudine fuisse, qui pretiosis essent vestibus induti, alias enim haud dubie valde inviti fuissent ad sedendum in terra : « Ut intelligas non « multos sapientes, divites, aut nobiles, e Christi « pane manducare; vel certe si quis dives est, aut « nobilis, divitias contemnat et nobilitatem, ut in « novissimo loco recumbat, edere possit; et ergo « ad edendum panem hunc requiritur ea animi « modestia, ut non te credas altiori loco dignum « quam humili terra. » Jansenius quoque similem considerationem habet illis præcipue utilissimam, qui pane Christi cum profectu animæ suæ nutriri volunt : « Mystice significat quid facere debeat, qui « spiritualibus panibus Jesu volet saturari, nimi- « rum talem omni fastu deposito seipsum debere « in terram dejicere, agnoscendo quis sit et unde « prodierit, ut conquiescant in eo carnis cupidi- « tates. »

4. — Res profecto stupenda fuit, quod in numero tot millium hominum plebeiorum, qui ex triduana quadam inedia summe famebant, nullus fuerit, qui adductis hisce panibus tumultuaretur, aut cum importunitate inter primos panes donandos esse vellet, quando tamen unusquisque intentionem Christi, quam habebat panes hosce per miraculum multiplicandi ignorans, rationabiliter timere poterat, ne forte ne micam ex illis participare posset, qui in modica quantitate erant, cum tamen de vitæ periculo ageretur et in extrema necessitate, quidvis illis licitum esset. Ecce tibi, quantum hi homines in tam brevi temporis spatio, et ex verbo, et ex sequela, et ex præsentia, et bono Christi exemplo profecerint; omnes enim quiete et modeste consederunt, summa cum modestia et sine querela, exspectantes illud sive modicum sive multum, quod illis ministrandum erat.

Et accipiens septem panes.

5. — « Ili tactu manus, » inquit Albertus Magnus, *in Matth.*, « fieret multiplicatus panis, et vir- « tutem acciperet divini saporis et condimentum. »

6. — Nusquam Apostolus se Christo opposuisse constat, dicendo hosce septem panes victus illis necessarii esse provisionem; imo verbum hoc, *accipiens*, indicat, ipsos hosce panes prompte dedisse, eique ultro obtulisse : *Qui miseretur in hilaritate. Non ex tristitia, aut ex necessitate, hilarem enim dilorem diligit Deus.* Theodoretus quoque ait : « Oportet animi alacritatem præcedere suppe- « ditationem pecuniæ; » et ad Romanos : « Benefi- « centiæ adjungit Paulus hilaritatem erogationis, « bonorumque communicationis, lucrum osten- « dens, solent enim gaudere lucrantes. » Quod si se ad miraculum præcedens, ad mare Tiberiadis patratum, reflexissent, quando ex quinque panibus duodecim impleverunt cophinos, utique nunc ultro citroque et sponte propria septem hosce panes ingenti cum lætitia obtulissent, propter spem similis lucri ad eamdem mensuram et proportionem consequendi, at vero illius non recordabantur.

7. — Hi panes in manibus Salvatoris multiplicati fuerunt, ut nos inde doceremur, quod qui prosperum rerum suarum eventum videre desiderat, eas in Dei manus, sive in divinum ejus beneplacitum remittere debeat; eo offerendæ sunt facultates, filii et quidquid pretiosius inter nostra æstimatur, hæc enim oblatio largissime compensabitur ab eo, qui a nullius se sinit superari obsequio. *Scio cui credidi*, dicebat Apostolus, II *Tim.*, I, 12, *quia potens est, etc. Alii dividunt proprio*, inquit Sapiens, *Prov.*, XI, 24, *et ditiores fiunt.*

8. — Salmeron verba illa in sensu morali exponens, dicit : « Hoc fit, quando Christus præstat, ut « Prædicator verbum Dei manibus suis operando « accipit, ut ita primus ipse degustet, quia cujus « vita despicitur, restat, ut prædicatio contemna- « tur. »

9. — S. Thomas, in Commentario suo super Matthæum, hæc verba glossando ita scribit : « In « quo significatur quod quidquid de spiritualibus « administratum est aliis, primo fuit in Christo : « *Cœpit Jesus facere et docere.* » *Act. Ap.*, I, 1.

Gratias agens.

10. — S. Remigius, in *Catena* citatus, ait : « In « eo quod gratias egit, nobis reliquit exemplum, « ut de omnibus donis, nobis cœlitus collatis, illi « gratias referamus. » Vener. Beda idem, licet verbis diversis, elicit documentum : « Ut ad agendas « semper Deo gratias informet; cum vel terreno « pane carnem, vel animam cœlesti superna gratia « largiente reficimus. »

11. — Victor Antiochenus in hoc facto modestiam admiratur Salvatoris, qui divinam suam omnipotentiam abscondere voluit, dum miraculum hoc patrando, stylum, servis Dei communiter usitatum, servare voluit : « Quasi ceterorum hominum more « virtutem et energiam, circa id quod propositum « erat, a Deo accipiat, gratias illi agit, cum tamen « ejusmodi vim, non aliunde, ut sancti viri solent, « sed a seipso peteret. »

12. — Albertus Magnus per hanc gratiarum actionem, efficaciam et virtutem intelligit, quam huic pani ad crescendum et multiplicandum communicavit. *Job.*, I, 10 : *Operibus manuum ejus benedixisti et possessio ejus crevit in terra.* « quia quamvis parva sunt, quæ ad manum habemus, hæc « tamen Dei benedictione crescunt. »

13. — Gratias æterno Patri suo reddit, priusquam operetur miraculum, quia gratitudo Deum obligat non solum ad concedendum, sed etiam ad multiplicandum et stabiliendum in nobis gratias et beneficia, quæ postulamus. Estius super hæc Apostoli, *Rom.*, I, 8, verba : *Primum quidem gratias ago Deo meo, pro omnibus vobis*, ita scribit : « Præmittit « gratiarum actionem, tum ad gratiam Dei in « omnibus commendandam, tum quia grata re« cordatio bonorum acceptorum dignos efficit ad « impetrandum ampliora. » Et ideo quisquis substantiam suam multiplicari desiderat, gratum se erga Deum benefactorem suum exhibeat.

Fregit.

14. — Albertus Magnus adducit textum illum Isaiæ, LIV, 6 : *Frange esurienti panem tuum*, nec non et illum Jeremiæ, *Thren.*, IV, 4 : *Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis*, « id est, humiles, pauperes petierunt panem, et non erat, qui « frangeret eis, quia nostri temporis Sacerdotes et « Abbates, et cæteri Religiosi, totum in se recolligunt, ut integrum recipiant, quod a Christo in « multos est fractum. »

15. — Venerab. Beda aliud nobis hujus panis, Salvatoris manibus fracti, mysterium exponit, dum ait : « Quod autem fregit panes, quod discipulis « daret, apertionem designat sacramentorum, quibus ad perpetuam salutem nutriendus erat mundus; cum enim ait ipse Dominus : *Et nemo novit « Filium, nisi Pater; neque Patrem quis novit, nisi « Filius, et cui voluerit Filius revelare*, quid nisi « panem vitæ nobis per se aperiendum demonstravit? »

16. — Panis parvulis frangitur, ut proportionatum illi ætati nutrimentum adaptetur, ita quoque panem verbi Dei accommodare oportet ad dispositionem et capacitatem auditorum. S. Gregorius Papa ait : « Pro qualitate audientium formari debet sermo Doctorum, et ut sua singulis congruant. » Unde Gilbertus Abbas hunc in nonnullis defectum, *Serm.* XXVII, reprehendit, qui : « Student « magis alta quam apta dicere, facientes apud infirmas intelligentias miraculum sui, non ipsorum « salutem operantes. »

Et dabat discipulis suis, ut apponerent.

17. — Hanc quidem distributionem per seipsum facere poterat, sed tamen Apostolorum, hac in re, opera uti voluit, ut illos ad hoc misericordiæ et charitatis opus applicaret, ad innuendum nobis quod Religiosi, et maxime superiores et Prælati Ecclesiastici, quales Apostoli erant, *Ecclesiarum Præsides*, in obeundis personaliter misericordiæ operibus nequaquam erubescere, aut se ab iis subducere debeant, ut suo bono exemplo alios ad faciendum animent. Præterea ex quo hic panis sacramenta, verbum Dei et alia dona spiritualia præfiguret, Sacerdotes, eos a Christo receptos populis ministrare et distribuere, atque nos inter et Deum mediatores esse debent. *Nos fecit ministros novi Testamenti*, dicebat S. Paulus, II *Cor.*, III, 6, *non litteræ, sed Spiritu*. Unde Venerab. Beda ait : « Quia « spiritualis dona scientiæ tribuens Apostolis, per « eorum ministerium voluit Ecclesiæ suæ super « orbem vitæ cibaria distribui. »

18. — Paulus de Palatio super Matthæum ait : « Ut sciamus, suæ voluntatis esse sacramentorum « frequentationem, nec enim a solis Apostolis panes edi voluit, sed ab omnibus. »

19. — Jansenius, qui per hunc panem, prædicationem Evangelicam, et sacrarum Scripturarum expositionem intelligit, utilissimum tradit monitum illis omnibus, qui huic sunt ministerio dediti : « Admonet, quid facere debeant, qui panes Evan« gelicos populo sunt proposituri, nimirum a « Christo illos accipiant consecratos et fractos, et « ejus jussu populo apponant; sunt enim, qui panem Scripturæ divinæ non secundum voluntatem « Jesu populo proponunt, ut qui eam detorquent « ad suorum errorum patrocinium, aut ad cupidi« tates et gratiam hominum, aut qui sibi vendi« cant auctoritatem dispensandi verbi Dei et pa« scendi alios. »

20. — Considerari quoque hic potest quod Christus in manus Apostolorum suorum, qui omnes repræsentabant Ecclesiasticos, hunc panem consignarit, non ut illum sibi retinerent, sed *ut apponerent*, seu ut illum secundum uniuscujusque distribuerent ætatem et necessitatem. Etenim hoc tempore multorum hic est error, qui reditus beneficiarios sibi retinent, eosdemque magna cum aviditate accumulant, non considerantes quod illos acceperint, ut tanquam fideles Christi ministri eosdem dispensent. Notandum quoque est Christum huic distributioni per Apostolos factæ, præsentem adstitisse, singulasque eorum actiones vigilanti oculo considerasse, non quasi discipulis suis non satis fideret, sed ut Pastores Ecclesiæ suæ instrueret, quod, tametsi spiritualibus et corporalibus gregis sui necessitatibus, nonnunquam non per seipsos immediate, sed per constitutos ad id ministros prospiciant, ipsi tamen in ministrorum actiones vigilanti oculo intendere debeant; siquidem Pastores de animabus sibi commissis distinctam Deo rationem reddere debent; ipsis immediate dictum est : *Pasce oves meas, pasce agnos meos*, adeoque ipsi hanc obligationem contraxerunt, non vero ipsorum ministri.

Et apposuerunt turbæ.

21. — « Appositio notat, » inquit Albertus Magnus, « quod unicuique sibi competens collatum « est : *Matth.*, XX, 14 : *Tolle quod tuum est, et vade*; « tuum enim est, quod tibi secundum capacitatem « et usum vitæ proportionatur, et ideo non apponi« tur parvulo, quod competit perfecto, nec compe« tit rustico, quod clerico est proportionatum; nec « militi expedit, quod artifici est debitum. *Matth.*, « XXV, 14 : *Dedit unicuique secundum propriam vir« tutem.* » Et quidem notandum est insuper, quod Evangelista non solum dicat : *Apposuerunt*, sed protinus addat : *Turbæ*; quia necessum est ut, dum hic panis verbi Dei ministratur, ad intelligentiam et capacitatem popularem adaptetur. Unde D. Chrysostomus, a vetula illa, ut sexus sui ignorantiæ condescenderet, monitus, hac in re deinceps omnino se emendavit. S. Augustinus, *tract.* VIII *in Joan.*, per Angelos illos, qui in mystica illa Jacobi scala ascendebant et descendebant, interpretatus est Prædicatores : « Angeli Dei, boni prædi« cantes Christum; quomodo ascendunt et quo« modo descendunt? » Adducitque S. Paulum in exemplum, qui ad cœlum empyreum usque ascendit, ubi ad divinorum arcanorum participium admissus fuit : « Audivit *ineffabilia verba, quæ non « licet homini loqui*. Ascendentem audistis? Des« cendentem audite : *Non potui loqui vobis quasi « spiritualibus, sed quasi carnalibus; quasi parvulis « in Christo lac vobis potum dedi, non escam*; ecce « descendit qui ascenderat; quære quo ascende« rat? *Usque ad tertium cœlum*; quære quo descen« derit? Usque ad lac parvulis dandum. » Ecclesiasticus hanc adducit similitudinem : *Sic figulus sedens ad opus suum, convertens*, etc. Per hunc artificem Rabanus Prædicatores interpretatur, de quibus ait : « Doctrinam suam secundum qualita« tem auditorum temperant, quia aliter admonendi « sunt sapientes, *aliter insipientes; aliter fortes, ali« ter infirmi; aliter juvenes, aliter senes; aliter « fortes, aliterque fœminæ.* »

22. — Notandum quod incomparabiliter major fuit quantitas panis et piscium, quam distribuebant, illa, quam habebant in manibus, semper enim annona illa magis magisque multiplicabatur, ut hac ratione intelligeremus quod in manibus eleemosynariorum, id quod errogatur, non solum non deficiat, sed majora semper incrementa sensibiliter accipiat. Paupercula vidua illa dixerat quidem, III *Reg.*, XVII, 12 : *Vidit Dominus Deus tuus, quia non habeo panem, nisi quantum pugillus capere potest farinæ in hydria, et paululum olei in lecytho*; hæc tamen omnia in Eliæ refectionem et nutrimentum subministrans mirum mox percepit et experta est incrementum : *Hydria farinæ non deficiet, nec lecythus olei minuetur.* Sic quoque Apostoli pauculos panes et piscículos, quos in victum suum necessarium reservatos habebant, ad Christi instantiam, turbis illis satiandis libenter erogant; sed ecce tibi ingens lucrum, quod inde reportant : *Sustulerunt quod superaverat, de fragmentis septem sportas.* Ad hæc Apostoli valde famelici erant, imo forsitan præ aliis vehementius famebant, qui laboraverunt, et tamen verisimile est, quod omnibus aliis plene satiatis ultimi comederint, et forsitan ex panis et pisciculorum reliquiis victitarint; hanc indolem Christus in omnibus superioribus Ecclesiasticis unice desiderat, ut scilicet prius gregis sui necessitatibus prospiciant, et postea propriis. *Charitas non quærit quæ sua sunt*; non enim sine mysterio, Christus, priusquam Petro diceret : *Pasce oves meas*, primo eum interrogavit : *Petre amas me?* S. Carolus Borromæus tempore pestilentiæ Mediolani grassantis et atrocissime sævientis, eo redactus est inopiæ et egestatis, ut nec panis, nec denarius vel unicus ei in familiæ suæ sustentationem suppeteret, qui omnia sua in pauperes erogarat; Deus tamen ei per miraculum abunde providit.

Additio.

a. — *Et præcepit turbæ discumbere super terram.* In alio convivio turba super fœnum sedet, *Joan.*, VI, 10 : Dixit Jesus : *Facite homines discumbere. Erat autem fœnum multum in loco.* Cur hic non providitur turbis herbosus discubitus, ut in priori loco? Ex mysterio hoc accidisse autumant Sancti Patres et præcipue D. Paschasius, *lib.* VII *in Matth.* « Ibi « tanquam in ipsius montis Christi soliditate locati, « nullo feno interposito emollicbantur. » Isti convivæ, nos Christianos adumbrantes, non recumbunt super molle et tenerum fœnum, sed super duram et asperam terram. Non enim sub Christi schola,

deliciosa, sed acerba et austera vita incubatur. Deo enim familiarissimi, præsertim Christiani, invitantur ad sufferendas tribulationes et eorum character tribulatio est. Quando Christus Dominus voluit Saulum ex persecutore transmutare in Apostolum, dixit Ananiæ : *Ego ostendam illi.* Ecquæ existimatis ei ostendenda? Forte ea quæ Davidi : *Incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi?* Forte miracula et portenta quæ cum stupore populi operaturus erat? Forte copiosissimam messem illam quam ex conversione mundi erat reportaturus? Nullum horum; sed : *Ostendam illi quanto oporteat eum pro nomine meo pati.* Quamprimum ingressus fuit scholam Christi ex equo præcipitatus fuit, cæcitate percussus, tribus diebus stolti sine cibo et potu, ut intelligeret, *sibi donatum esse pro Christo, non solum ut in eum credat, sed ut etiam pro illo patiatur.*

S. Ambrosius proposito nostro conformius aptiusque dicere hand poterat : « Qui quærit Christum, « quærit et tribulationem ejus, nec refugit passio- « nem. Denique David qui dignus erat, ut a « tribulatione quæreretur, tribulationem et ipse « quæsivit, nam nisi quæsivisset, non invenisset : « quod autem invenerit ipse testatur dicens : *Tri- « bulationem et dolorem invenit, et nomen Domini « invocavi.* » Quemadmodum discurrit etiam S. Cyprianus, post recitatas varias adversitates a Christo Domino perpessas, sic subinferens : « Quod si et « nos fratres dilectissimi, in Christo sumus, si ipsum « induimus, si ipse est salutis nostræ via, qui Christ- « tum vestigiis salutaribus sequimur, per Christi « exempla gradiamur, sicut Joannes Apostolus « instruit dicens : *Qui dicit se in Christum manere, « debet, quomodo ille ambulavit et ipse ambulare.* « Item Petrus, super quem Ecclesia, Domini digna- « tione, fundata est, in Epistola sua ponit et dicit : « *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens « exemplum, ut sequamini vestigia ejus; qui cum « maledicereturr, non maledicebat, cum pateretur, « non comminabatur; tradebat autem se judicanti « injuste.* »

Versus 7.

Et habebant pisciculos paucos, et ipsos benedixit, et jussit apponi.

Et habebant pisciculos paucos.

1. — Apostoli piscatores erant, ac proinde illis, tam in quantitate quam in qualitate optima piscium provisio deesse non poterat. At vero postquam scholæ Christi, quæ sobrietatem et temperantiam prædicabat, facti fuere discipuli, divino ejus beneplacito se adaptabant, ac proinde non est quod hanc in illis annonæ penuriam admiremur.

2. — Alberius Magnus in sensu mystico ait : « Tangit hic panis dulcoramentum, pisces enim « dulces sunt, pisciculi autem humiles, humilium « dulces consolationes; pauci vero ideo, quia raro « et raptim per breve tempus in hac vita datur « consolatio divina. »

3. — Antonius de Padua, *Serm. in hac Dom.*, ait : « Pisciculi sunt paupertas, humilitas, patientia, « obedientia, memoria passionis Christi. »

4. — Glossa Venerabilem Bedam citans, per hosce pisces, præsentis temporis Sanctos intelligit; « Quorum Scriptura fidem, vitam et passiones con- « tinet, qui de fluctibus sæculi erepti et divina « benedictione consecrati, refectionem nobis, ne in « hujus mundi excursu deficiamus, vitæ suæ ac « mortis suæ exemplo præbuere. »

Et ipsos benedixit, et jussit apponi.

5. — Omnipotens Creator in Genesi post piscium productionem, suam quque iisdem importiisse benedictionem legitur : *Benedixitque eis, dicens : Crescite et multiplicamini.* Et ideo pisces, ut bene Aristoteles probat, præ cunctis aliis animantibus in majori numero multiplicantur; quanto igitur credibilius est, pisciculos hosce etiam mortuos et super pronis tostos, per hanc Christi benedictionem fuisse multiplicatos. Unde Lyranus super Genesim ait : « Ista « benedictio est ordinatio ad multiplicationem; » utpote profecta ab eo, de quo dicitur : *Cui omnia vivunt.*

Versus 8.

Et manducaverunt et saturati sunt; et sustulerunt quod superaverat de fragmentis septem sportas.

Et manducaverunt.

1. — S. Anselmus super Matthæum scribens tempus observat, quod Christus ad hanc illius refectionem subministrandam expectare voluit, nimirum postquam ipsorum prius curasset infirmitates : « Notandum, quod prius aufert debilitates et postea « cibat, quia prius removenda sunt peccata, postea « anima verbo Dei nutrienda. »

Et saturati sunt.

2. — Ad hæc verba se reflectens, Paulus de Palatio inquit : « Saturati sunt, non ex pretiosis et « curiosis, sed ex modestis et necessariis, scilicet « pane et piscibus. » Et ideo Apostolus, I Tim., VI, 8, dicebat : *Habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti simus.* Ac proinde ex hujus textus occasione iis, qui perfectam vitam agunt, idem montum dari potest, quod vir quidam in vita spirituali illuminatissimus nonnemini dedit, qui cum nimis rigida sobrietate vitam suam agere solitus erat; cum enim hic nil nisi panem et hunc quidem parcissime comederet, vir ille sanctus eum securum esse jussit, certissimam esse dæmonis tentationem, si quis se non ad sufficentiam pane nutriat; etenim de hisce a Christo cibatis turbis Evangelista dicit : *Manduca-*

verunt, et saturati sunt; rationabile obsequium vestrum.

3. — David, qui fuit homo secundum cor Dei, de se nihilominus protestatus est, *Psal.* XVI, 15, dicens : *Satiabor dum apparuerit gloria tua*; quasi dicere vellet, neme est, qui in præsenti vita satiari possit. Tritissimum est dictum illud S. Augustini : « Creasti nos, Domine, ad te et inquietum est cor « nostrum, donec requiescat in te, » quod omnino est verissimum; si enim de pane loquamur, quem nobis mundus, in quantacumque abundantia, subministrat, is in principio quidem valde nobis sapidus gratusque esse videtur, at vero protinus ejus experimur indigestionem, *Prov.*, XX, 17 : *Suavis est homini panis mendacii et postea implebitur os ejus calculo*, non vero ita constitutus est panis Christi, de quo veridicus ille Spiritus Sancti calamus, *Sap.*, XVI, 20, scribit : *Panem præstitisti illis, omne delectamentum in se habentem.* Porro illuminatissimi servi Dei sæpenumero de infusa cordibus eorum nimia cœlestium consolationum superabundantia lamentati fuisse leguntur, adeo ut exclamarent : « Satis est Domine, satis est; » *prævenit eos in benedictionibus dulcedinis*, dum hic in terris gloria cœlesti frui incipiunt, thesaurosque gratiæ, quæ semen est gloriæ, abundantissime possident. S. Paulinus dicit : « Nihil habemus nisi Christum; « et vide si nihil habemus, qui omnia habentem « habemus. » S. Cyprianus illam nobis ab æterna veritate factam promissionem considerans : *Quærite primum regnum Dei, et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis*, dicit : « Omnia promittit apponi, « nam cum Dei sint omnia, habenti Deum nihil « deerit, si Deo ipse non desit; » adducitque historiam Danielis in lacu leonum positi, qui a Deo pastus et cibatus fuit, dum interea circum ipsum sedentes feræ famelicæ inedia morerentur : « Sic « Danieli in leonum lacu, jussu Regis incluso, « prandium divinitus procuratur et inter feras esu- « rientes homo Dei pascitur. » Porro per leones denotantur impii : *Mater tua leæna*, mundi nimirum et dæmonis sequaces; hi *panem potiuntur ut canes*, nec quantacumque temporalium bonorum abundantia contenti vivunt, cum tamen e contra servi Dei, licet mendici, in summa consolatione et animi quiete vitam agant. Aman ille in summis Regis cujusdam et Monarchæ, viginti septem Provinciis dominantis, favoribus positus, summaque felicitate cumulatus, mira tamen inquietudine et afflictione torquebatur, eo quod a Judæo quodam debitis sibi, ut credebat, non afficeretur salutationis honoribus; unde et dicebat : *Cum hæc omnia habeam, nihil me habere puto.* S. Augustinus quoque qui triginta et amplius annis, fraudulenti mundi sectatus fuerat consolationes et gaudia, tandem semetipsum his verbis alloquitur : « Hea spes caduca mortalium, « speras in pecunia, in honore! Speras in aliquo « amico potente! » Mox vero quam debilis et fragilis hæc spes sit, ostendens, dicit : « In his omni- « bus cum speras, aut tu exspiras, aut cum vivis, « omnia pereunt et in spe tua tum et ipse deficis et « cadis. » Solus Deus est, cui nihil unquam deesse potest, quem dum possidemus, habemus omnia : *Deus meus et omnia.* Corvi Eliæ prophetæ, juxta torrentem Carith commoranti, his qualibet die panem afferebant et carnes, et tamen unicus tantum panis, quem ei ministravit Angelus, tanto eum vigore corroboravit, ut in virtute ejus quadraginta diebus totidemque noctibus, ad montem Horeb usque ambulare potuerit; quam quidem annonam rapacissimas hasce volucres ex mensa Achab regis surripuisse existimant; hæc autem annonæ provisio refectionem illam prælignrabat, quam nobis mundus subministrat, quæ Prophetam satiare non poterat, ideoque eam bis in die resumi opus erat; et revera ita est, bona hujus vitæ non satiant, nec hominis animo quietem et satisfactionem afferunt. Panis autem subcinericius ab Angelo ministratus, refectionem illam designabat, quam Deus servis suis cœlitus mittit; et hic est, qui vero satiat, quique vigorem præstat et omnimodam satisfactionem. Unde S. Thomas ait : « Oreb interpretatur mensa; « mons ergo iste est mons mensæ Dei et significat « satietatem cœlestis gloriæ; panis itaque corporis « Christi confortat et roborat nos, quadraginta die- « bus, id est, toto tempore præsentis pœnitentiæ, « usque ad montem et mensam Dei. »

4. — S. Paschasius hosce panes non hordeaceos, quales illi erant, qui juxta mare Tiberiadis erogabantur, sed triticeos fuisse existimat : « Triticei « fuisse creduntur, ut alatur Christi Ecclesia grano « frumenti. » De hoc convivio sancta Dei Ecclesia canit : « In quo Christus sumitur, mens impletur « gratia, et futuræ gloriæ nobis pignus datur, » quamnam homo satietatem desiderare posset unquam, hac superabundantiorem?

5. — Valde considerabilia sunt illa Simonis de Cassia verba, dicentis : « Si aliquis ab eo recedit « jejunus, non est parcitas dantis, sed negligentia « non accipentis : *Inebriabuntur ab ubertate domus « tuæ, torrente voluptatis tuæ potabis eos.* » In hoc igitur tota summa rerum consistit, ut scilicet ad gustandum de mensa ejus, appropinquemus, ac proinde David nos exhortatur, dicens : *Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus*; quodsi quis tibi craterem, vino præstantissimo plenum ostenderet, illudque laudaret, tu utique saporis excellentiam credere non poteris, nisi crateri eidem labia tua admoveris; *dabo manna*, inquit Dominus in Apocalypsi, sed *absconditum*, quia suavitas spiritualis non apparet exterius, nec ab aliis creditur, aut apprehenditur, præterquam ab illis, qui eam experiuntur : *Nemo scit, nisi qui accipit*; et ideo illi, qui maxime mortificantur, qui propriam suam abne-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

gunt voluntatem, qui ex puro Dei amore, passionibus et ærumnis se ultro subjiciunt, majores experiuntur spiritus consolationes et suavitates. *Saturati sunt*, sed prius de illis satiatis dicitur : *Triduo sustinent me, nec habent quod manducent.* Procul ab omni mundi blandimento aberrant; in inculta quadam solitudine degebant jejuni et corpore pariter et mente Christi sequelæ totaliter dediti. Unde Paulus de Palatio ait : « Satiantur in fine triduí, non « in initio conversionis et medio, sed in fine; deli- « cere enim debet farina ex Ægypto adducta, ut « gustare liceat manna. »

6. — Porro quinam illi sunt, qui ad mensam Christi satiantur, S. Anselmus, *in Matth.*, in sensu morali his verbis declarat : « *Manducaverunt*, cum « verbum divinum audierunt et mente susceperunt; « *et saturati sunt* quando audita opere complevе- « runt; » diffusius vero Venerab. Beda idipsum exponit, cum ait : « Qui audientes verba Dei et « exempla intuentes, ad profectum vitæ correctioris « per hæc excitari, atque assurgere festinant. » Hisce inquit sanctus ille Pater, mirabiliter adaptatur dictum illud Psalmistæ, *Psal.* XXI, 27 : *Edent pauperes, et saturabuntur, et laudabunt Dominum, qui requirunt eum et vivet cor eorum in sæculum sæculi*, quæ verba ad propositum nostrum hoc modo exponit : « Audient humiles verbum Dei, et facient, « et ad laudem non suam, sed superni largitoris, « cuncta, quæ bene gerunt, referent, unde merito « ad vitam interioris hominis æternam, utpote pane « vitæ saturati pervenient; » e contra vero, inquit idem sanctus Pater, reprobis comminando dicitur, *Ose.*, IV, 10 : « *Comedent et non saturabuntur*; man- « ducant namque et non saturantur, qui panem « verbi Dei audiendo degustant, sed non faciendo « quæ audiunt, nihil ex his internæ dulcedinis, quo « cor ipsorum confirmetur, in ventre memoriæ « recipiunt. »

7. — Miseram horum conditionem S. Paschasius, *lib.* VII *in Matth.*, his verbis describit : « Infe- « lices, qui manducant et non saturantur, qui « panem verbi, quo vivit homo, audiunt et degus- « tant, sed non fide atque opere percipiunt, quæ « audiunt. »

Et sustulerunt quod superaverat de fragmentis.

8. — Considerat Theophylactus, quod turbæ hæ contentæ fuerint manducando, nec quidquam eorum ex his, quæ superaverant, secum sumpserunt, idque ad insigne nostrum documentum : « Disce et hoc « juxta historiam, quod debemus his, quibus indi- « gemus, contenti esse et nihil amplius quærere; « ecce enim turbæ, quæ comederunt et saturatæ « fuerunt, non acceperunt secum reliquias panum, « sed discipuli has gustarunt; sic igitur et nos usu « nobis congruo esse contentos docet. » Eamdem quoque observationem Victor Antiochenus habet his verbis : « Cæterum hactenus tantum benefactoris « munere usi sunt convivæ, quatenus necessitas « postulabat, nam etsi magna reliquiarum vis « superfuisset, nihil tamen inde secum asporta- « runt; admonemur, exemplo hoc percommodo, « rerum usum ex necessitate spectandum et me- « tiendum esse, nihil autem graviori necessitate « seclusa, propter habendi studium subducen- « dum. »

Septem sportas.

9. — Mirum est, undenam sportas illas habuerint, qui in solitudine procul ab hominibus aberant. Lucas Brugensis certo se definire non posse dicit, ne aliqui ex hisce turbis, illas secum a principio habuerint, dum scilicet aliquam secum provisionem ad vendendum attulerunt : « An aliqui initio com- « cursus, cibum venalem sportis huc attulerint, an « una aut altera sporta fuerit in familia Christi, an « alia occasione, non habeo quid definiam. »

10. — Memorandum vero est, quod in alio miraculo quinque panum, duodecim cophini reliquiarum superaverint, hic vero ex septem panibus, septem sportæ reliquæ manserint; et ideo S. Ambrosius sequens movet dubium : « Cur autem « quinque millibus hominum plus redundat, qua- « tuor millibus minus? Quis quatuor millia ista « triduo cum Christo fuerunt et ideo ampliorem « cœlestis pabuli alimonium receperunt. Nec obsce- « quæ turbæ supersunt, a discipulis colliguntur, « quia ea quæ divina sunt, apud electos facilius « possis quam apud populos reperire; utinam mihi « contingat audire : Collige, quæ supersunt. »

11. — Enimvero hæc populi coadunata multitudo, congregationem figurabat fidelium; pro cujus probatione observandum, quod Sapientia incarnata non dixerit *Misereor super turbas*, in numero plurali, sed *super turbam*, ad denotandam Ecclesiæ unitatem, fideique et dogmatum Evangelicorum uniformitatem; porro septem hæ sportæ reliquiis refertæ, septem figurabant dona Spiritus Sancti, quibus Christianæ religionis sequaces locupletandi erant. Ideo S. Hilarius, *cap.* XV *in Matth.*, ait : « Quod septem sportæ replentur, redundans et « multiplicata septiformis Spiritus copia indicatur, « cuique largiter exuberans. » Glossa quoque ait : « Septem sportas Spiritus Sancti gratia septiformi « repleti, fiunt enim sportæ de junco et palmarum « foliis; juncus nascitur super aquas, palma victo- « rem coronat; Sancti quoque ne ab humore æter- « nitatis crescant, in ipso vitæ fonte se collocant et « æternæ retributionis palmam expectant. »

12. — Lyranus in moralitate hujus historiæ, per hasce sportas dotes gloriæ intelligit, quas in altera vita recepturi sumus. « Per septem sportas « remanentes, significantur septem dotes, quæ « reservantur dandæ post hanc vitam, quæ sunt « clara Dei visio, fruitio, tentio quantum ad ani- « mam; impassibilitas, subtilitas, agilitas et claritas « quantum ad corpus in resurrectione. »

Additio.

a. — *Et sustulerunt quod superaverat de fragmentis septem sportas.* De Israelitarum operibus a Pharaone decretis, ait regius Vates, *Psal.* LXXX, 7 : *Manus ejus in cophino servierunt.* Velut ministri operæ, in cophino colligunt lutum, ut strenuis ædificatoribus materiam præbeant, sic Israelitæ ædificiis regiis lutum in cophinis ministrabant. His positis recole modo facinus illud Christi in saturandis hominibus : *Ut autem impleti sunt, dixit discipulis suis : Colligite quæ superaverunt fragmenta, ne pereant. Collegerunt ergo et impleverunt duodecim cophinos; Joan.*, VI; hic, *septem sportas.* Cur non cistas jubet impleri, sed cophinos, sed sportas? Vel ut in ipso operarum instrumento videatur, quem alium fructum pariant tribulationes justorum et servorum Christi, atque servorum Pharaonis. Servitur Pharaoni, in est mundo, in cophino; servitur Christo in cophino. Sed in Pharaonis obsequio cophinus operarum lutum colligit, lutum porrigit, nihil præter lutum habet; in obsequio Christi operarum cophini, non lutum sed cœlestem colligunt alimoniam. Apposite ad rem S. Ambrosius, *lib.* IX *in Luc.*, ait : « Qua ratione cophinos duodecim « implevit Christus, nisi illud populi Judaici solve- « ret, quia *manus ejus in cophino servierunt?* Hoc « est, populus, qui antea lutum in cophinis collige- « bat, hic jam per crucem Christi vitæ cœlestis « operatur alimoniam. » Conveniant huc qui serviendis mundialibus principibus laboriosissimam impendunt operam; qui jejuniis, vigiliis, sanguine civitates et regna principibus comparant; qui in exoriente principe spem eam locant, quam incredibili labore, sollicitudine nutriant. Quid illis pariunt tot labores, quid colligunt in cophino, in sportis? Solum colligunt lutum temporalium bonorum, quæ in pulverem conversa, evanescunt ab oculis. Non sic qui in Christi morte fundantur; sed per illam in cophinis cœlestem colligunt alimoniam. Summum igitur discrimen est inter labores et tribulationes justorum ac reproborum.

VERSUS 9.

Erant autem, qui manducaverant, quasi quatuor millia, et dimisit eos.

Erant autem, qui manducaverant, quasi quatuor millia.

1. — S. Hieronymus a Glossa citatus inquit : « Quatuor millia, annus novi Testamenti cum qua- « tuor temporibus. » S. Hilarius ait : « Quod vero « quatuor millia virorum congregantur, multitudo « innumerabilium ex quatuor orbis partibus intelli- « gitur. »

2. — S. Augustinus, *Serm.* CCXC *de temp.*, ad quinque millia alterius miraculi et quatuor millia miraculi præsentis se reflectens, diversitatis seu differentiæ hujus hanc assignat rationem : « Ibi, » inquit, « quinque millia refecti, qui numerus per- « tinet ad Judæos; nam post Ascensionem Domini, « loquente S. Petro, quinque millia sunt bapti- « zati; hic autem quatuor millia, hoc est, de tota « terra omnes gentes a quatuor cardinibus cœli de « septiformis Spiritus Sancti gratia esse repletas in « vitam æternam. » S. Anselmus ait : « Per qua- « tuor Evangelia quibus refecti sunt. »

Et dimisit eos.

3. — Lucas Brugensis periculum considerat, quod Salvatori alias conciliaverat, quod ipsi tanquam Regi acclamatum fuisset, dicitque eumdem Salvatorem, ut ab hoc se periculo subduceret, omnem regni umbram, vel etiam suspicionem fugere voluisse : « Ne si pergeret ipse illic hærere, novi « aliquid ipsa molirentur, ut nuper quando statue- « rant illum eligere Regem, nihil enim æque mo- « vet hominum vulgus, ut cibi beneficium; aut « certe ipse expectare videretur laudis aliquid vel « gratiæ. » Albertus Magnus eamdem rationem tangit, dum ait : « Semper Jesus, refecta miraculose « turba, licentiat illam, exemplum præbens fugiendi « publicas laudes ex communi beneficio sequentes « et simul subtrahens Herodi ad invidis occasionem « suspicandi in ipso quamcumque ambitionem. »

4. — S. Anselmus per hanc refectionem corporalem, prædicationem Evangelii intelligens, hoc pro divini verbi ministris inde elicit documentum : « Hic « docet, quia Prædicatores ministrato verbo vitæ « populo, ipsi intra cubiculum cordis virtutum po- « mis debent relici. »

UNIVERSIDAD DE SEVILLA
CONSEJO SUPERIOR DE INVESTIGACIONES CIENTÍFICAS
CENTRO COORDINADOR DE BIBLIOTECAS

DOMINICA SEPTIMA POST PENTECOSTEN

EVANGELIUM MATTHÆI, CAP. VII, VERS. 15

15. Attendite a falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.

16. A fructibus eorum cognoscetis eos: numquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus?

17. Sic omnis arbor bona bonos fructus facit; mala autem arbor malos fructus facit.

18. Non potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere.

19. Omnis enim arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur.

20. Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos.

21. Non omnis qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum.

Versus 15.

Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.

1. — Jam de facto cœlestis agricola Christus divini verbi sui semen sparserat, priusquam hoc nobis salutare monitum suggereret; at vero quia timebat, ne malignus callidusque inimicus noster sua clam superseminaret zizania, ideo merito nos vigilantes esse monet. S. Apostolus jam pridem quidem Ephesi populos sacratissima Evangelii doctrina imbuerat copiosamque inter illos messem congregarat, sed quia protinus ab illis discessurus erat, ideo salutari hoc illos monito præveniebat, *Act. Ap.*, xx, 28, 29, dicens: *Attendite vobis et universo gregi; ego scio, quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi, et ex vobis ipsis exurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se;* hos enim, qui aliis oves esse videbantur, S. Paulus lupos futuros esse prænoscebat, gregem suum devorare conantes: *propter quod vigilate*, quod idem erat, quod *attendite*. Unde Auctor Imperfecti, *Hom.* xix, ait: « Sciens « Dominus, quia non erant manifesti Gentiles, sed « absconditi sub nomine Christiano, ideo non « dixit: Aspicite, sed *attendite*; aspicere enim est « simpliciter videre, attendere autem est attente « considerare; ubi enim certa res est, et indubita- « bilis, aspicitur, ubi autem incerta et dubitabilis, « attenditur. » Paulus de Palatio monitum hoc specialiter ad Episcopos directum esse existimat, quo oculos apertos habere, valdeque circumspecti esse jubentur, in eorum electione, quibus invigilandum est provido regimini animarum: « His dicitur: « *Attendite*, ne falsos prophetas præficiatis; cavete, « ne in re tanta, in qua summa rerum omnium « consistit, decipiamini; etiamsi qui præficiendus « est, veniat ut ovis, examinetur, an sit lupus rapax « intrinsecus, id est, an quærat quæ sua sunt. » Hujus autem cautelæ pondus et momentum ex pretio et valore conjiciant animarum, qui aliorum regimini et directioni praeficiuntur: « Quidni attenden- « dum a falsis prophetis, a quibus non corporis « imminet, sed animæ, non temporarium pericu- « lum, sed æternum. »

2. — « Dicit *attendite*, » inquit S. Thomas, *in cat.*, « quia firma tutela salutis est, scire quem « fugias. » Observandum est autem, quod non dixerit expresse, circa quid attendendum sit, sed indefinite dicat: *Attendite*, eo quod per hosce falsos prophetas vel intelligantur hæretici, vel hypocritæ, vel adulatores, vel perversi sodales et seductores, et ideo in omni re cavendum est, habendique sunt suspecti in verbis, in operibus, imo et in bonis ipsorum exemplis, et in quacumque alia re etiam bona, quia in talibus hæc omnia ad fraudem et dolum ordinantur.

A falsis prophetis.

3. — S. Hieronymus ait: « De omnibus quidem « intelligi potest, qui aliud habitu ac sermone pro- « mittunt, aliud opere demonstrant; sed specialiter « de hæreticis intelligendum est, qui videntur con- « tinentia, castitate, jejunio, quasi quadam pietatis « se veste circumdare, intrinsecus vero habentes « animum venenatum simpliciorum fratrum corda « decipiunt. »

4. — Auctor Imperfecti verba illa de Doctoribus Ecclesiasticis exponit, qui recte quidem docent, sed male vivunt: « De veris Christianis Doctoribus « loquitur, qui Christiani quidem sunt, tamen « peccatores sunt. » Chrysostomus, *Hom.* xxiv *in Matth.*, Christum non de hæreticis hic loqui existimat, sed de illis tantum, qui cum sint intoxicati et infecti interius, exterius tamen pietatem demonstrant: « Qui cum sint vitæ pravitate cor- « rupti, speciem tamen virtutis induti sunt. » Idem Salvator noster in alia quadam occasione apud S. Lucam, xii, 1, nos eodem verbo, *Attendite*, fermentum Pharisæorum fugere monet: *Attendite a fermento Pharisæorum*; quale autem hoc fermentum, protinus declarat, dum ait, *quod est hypocrisis*. Non solum Prophetæ nomen, sed multo magis vultus externa species, et verba, nostram ei conciliant devotionem; at vero tanto magis cavendus est, quanto fraudulentior est atque perniciosior, dum sub pastoris forma, larvatus accedit, qui revera est lupus; *intrinsecus sunt lupi*. Deus apud Isaiam, xliii, 24, graviter conqueritur, dicens: *Verumtamen servire me fecisti in peccatis tuis*; hoc autem in hypocritis ad litteram adimpletur; hic enim utitur Deo, Sacramentis, operibus pietatis, orationibus, jejuniis et quibuslibet aliis, ad cultum divinum ordinatis, ut iniquitatem suam sub sacra hac chlamyde occultet, alii, qui Deum offendunt, instrumentis quidem utuntur ad iniquitates ipsorum adaptatis, verbi causa: vindicativus manus suas sanguine alieno contaminat; avarus extorsiones facit, gulosus crapulam adhibet et ebrietatem; at vero hypocrita jejunat, corpus suum macerat, sacramentaliter confitetur et communicat, seque totum Deo deditum esse simulat, ut tanto securius se contra Deum armare possit, omnique eo, quod ad majorem est Dei gloriam ordinatum, in offensæ ejusdem fomentum abutitur; alii Deum in peccatis et transgressionibus præsentem esse nollent; at vero hypocrita semper vult Deo in fallaciis inniti, et quasi ab eo portari, ut tanto securius ei peccare liceat. Unde Chrysologus, *Serm.* vii, ait: « Fugien- « dum est virus, pestilentia cavenda, quæ de reme- « diis creat morbos, conficit de medicina languo- « rem, sanctitatem vertit in crimen, placationem « facit reatum. » Quisnam illi fanaticus error futurus esset, si pro salute corporis tui remedio aliquo indigens, in ipsius vicem sumeres venenum; facit hoc ipsum hypocrita, ac proinde similis est vasi cuidam, in pharmacopolio posito, cui salutaris cujusdam antidoti nomen est inscriptum, cum intus toxico plenum sit: « De remediis creat morbos; » dum hypocritam convenis, credis utique, te ad virum quemdam zelo divini honoris et salutis animæ tuæ accensum accedere, cum revera pessimus sit, et sanctitatem fingat, ut te pervertat.

5. — Porro major vel minor hujus vitii malitia, sequenti similitudine aptissime declaratur, dum enim negotiator aliquis terram seu cretam frumento, aut aquam vino commiscet, vel aliam similem fraudem committit, nulli dubium est, quin talis proximo suo dolis suis plurimum nociturus sit: at vero, si pharmacopæus ad infirmum, præscriptam a medico medicinam afferens, eidem artificiose venenum immiscuerit, utique illatum ab eo damnum longe gravius et irreparabilius erit; numquid ita est? Eamdem quoque circa hypocritas quosdam reflexionem facere possumus; quod enim aliquis det eleemosynam, ad captandam auram popularem, ad conciliandam sibi personæ illius, cujus honestati insidiari intendit, benevolentiam; aut vero quod aliquis Sacramenta frequentet, devotionisque exercitiis sese occupet, ut boni Ecclesiastici nomen et famam sibi acquirat, et sub hoc nomine Episcopatum, vel aliam Prælaturam aut dignitatem acquirere possit, hoc male fieri indubitatum est; sed malitia hæc nullam habet cum perversitate illorum proportionem, qui Sacramentis, quæ vera sunt animæ medicina, abutuntur, ut ad majorem Dei offensam, animæque propriæ perditionem, venenum suum tanto liberius effundere possint; sicut enim nonnunquam talem ad Communionem accedere videbis, ne tibi de hoc vel illo malo suspectus habeatur, vel ne bonum apud te aut alios conceptum et opinionem amittat, adeoque securius dicere possit: « Sanctitatem vertit in crimen, etc. »

Qui veniunt ad vos.

6. — « Ex seipsis, » inquit Lucas Brugensis, « legitime non missis, » de quibus Deus apud Jeremiam, xxiii, 21, loquitur, cum ait: *Non mittebam prophetas, et ipsi currebant*. Albertus Magnus ait: « *Veniunt ad vos*, non enim expectant, ut requiran- « tur, sed ingerunt se. » Cajetanus similiter inquit: « Ego non mitto illos, sed ipsi ex se veniunt; » unde pessimum signum est, dum quis se in ministerium aliquod intrudit, absque eo quod ad illud invitatus fuerit, aut promotus: *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur? Rom.*, x, 15.

In vestimentis ovium.

7. — Tertullianus a Glossa citatus ait: « Quænam « sunt istæ pelles ovium, nisi nominis Christiani « extrinseca superficies? » S. Thomas inquit: « Oves « Christiani dicuntur, vestimentum autem ovile est « species Christianitatis, et simulatæ religionis; » de his Apostolus scribit, quod solo nomine, non vero operibus fideles existant, II *Tim.*, iii, 5: *Habentes speciem pietatis, virtutem autem ejus penitus abnegantes.*

8. — Iansenius per hasce ovium vestes, omne id intelligit, quod cooperari potest ad fingendam et repræsentandam exterius virtutem et sanctitatem, qualia sunt miracula, jejunia, eleemosynæ, orationes, continentia, bonorum temporalium contemptus, frequentia Sacramentorum, et alia quæcumque, quæ sanctitatem et integritatem præseferunt. S. Thomas, *in cat.*, ait: « Oves sunt fideles: *Nos autem « populus tuus, et oves pascuæ tuæ*; vestimentum « eorum sunt jejunium, eleemosynæ, quibus se

« tegunt; » his igitur vestimentis se contegunt lupi, id est, homines mali, qui gregem Christi decipere, devorare et pervertere intendunt. « Vestimentis ovium, » inquit Cajetanus, « id est, in « jejuniis, fletibus, vilibus vestibus, et aliis hujus« modi exterioribus signis virtutum; hæc sunt « velut vestimenta ovium Christi. »

9. — Pellis ovina delicata est, cum sit lana contecta, et ideo perversorum præsignat blandimenta et fictiones. Unde Glossa Interlinearis dicit : « Cavete, ne vos dilanient blanditiis et simulationi« bus. » Observatio est S. Thomæ, « quod nulla res « sic exterminat bonum, sicut simulatio; nam ma« lum sub specie boni celatum, dum non cognosci« tur, non cavetur. » Venenum enim in cibo delicato et sapido alicui porrectum, facilius sese in viscera insinuat. Sic igitur pellis ovina accipitur in vestem, ad aliorum oculos fascinandos et decipiendos, et ad abscondendum speciem lupi, ita quoque jejunium, orationes, omniaque alia opera sancta ad occultandam hypocritæ malitiam et improbitatem ordinantur, qua bonos decipere nituntur. Unde S. Cyrillus Hierosolymitanus ait : « A pelle quidem mansueta « induti, specie probitatis decipiunt, perniciosum « vero impietatis venenum ex dentibus emittunt. »

10. — Jansenius lupum ab ove facillime discerni dicit, tametsi enim lupus ovina se pelle induat, attamen quando ambo hæc animalia vocem suam propriam emittunt, facile, quodnam illorum sit lupus vel ovis, dignoscitur : « Verum quid facias, « ubi lupus ovillo vellere, ovilla voce ovem simulans « irrepserit in ovile, non ut ovis fiat, sed ut crude« lius oves laniet? »

11. — Paulus de Palatio procedit ulterius, ponderando, quid faciendum sit, quando falsi prophetæ non vestem ovis, sed pastoris induunt, ut tanto securius in grege stragem moliri possint : « At qui « nos, Domine, si cavere hos lupos, veste ovilla con« tectos, præcipis, quid faciemus, ubi non vestem « ferunt simplicium ovium, sed vestem afferant « pastorum? Quid enim grex faciet, ubi lupum « mitra, baculo, et gremiali viderit decoratum? « Facile plane est lupum abigere, ubi se ovem esse « dissimulavit, sed quæ ovis contra pastorem insur« get? naturale siquidem est ovi, lupum horrere, « pastorem diligere; sed o stuporem Christiano« rum! o cæcitatem! non jam oves fugiunt lupos et « leones, ovium vel pastorum figura fallentes, imo « sequuntur et amant lupos. »

12. — Experientia, proh dolor, satis demonstrat, quod multi lupi ovina se veste contegant, id est, quod multi mali, perversi et vitiosi homines familiariter cum Religiosis et viris sanctis conversentur, eosque benigne recipiant, eleemosynas largiantur, illorum se orationibus recommendent, filiationibus Religionum spiritualibus se communiant, atque in Sanctorum advocatorum suorum intercessionibus et devotionibus magnopere confidant, sed quonam putas fine id faciunt? ut in mala sua vita continuent, ut in dissolutionibus suis prosperati longius vivant, ut iniquas extorsiones et inhonestas societates et consortia diutius continuare possint; devotionem et pietatem extrinsecus exhibent, sed non alio fine, quam ut in impietate sua longius perseverare valeant.

13. — Paulus de Palatio super hæc verba aliam quamdam adducit ingeniosam observationem : « Veniunt, » inquit, « in vestimentis, non in fructi« bus ovium; oves omni ex parte sunt utiles, sim« plices, patientes, sociabiles; isti vero, qui veniunt « ad vos, omni ex parte sunt lupi, omni ex parte « rapaces. » Non acquiescit Deus exterioribus, sed una cum his simul vult, ut interiora exterioribus conformia sint, et respondeant. S. Paulus in principio Epistolæ ad Romanos, I, 9, servum Christi se appellat, et paulo post, æternam Veritatem in testem invocando, dicit : *Testis mihi est Deus, cui servio in spiritu meo;* quonam obsecro mysterio verbum hoc addit : *In spiritu meo?* Satis utique manifestum erat, cum totaliter divino servitio fuisse deditum; attamen subjunxit : *In spiritu meo,* ut Hugo Cardinalis opinatur. « Contra hypocritas, qui tantum « corpore serviunt; » et S. Anselmus ait : « Quia « non per simulationem illi famulatum exhibeo, « sed quidquid foris bene erga servitutem ejus « operor, hoc intus in voluntate cordis similiter « facio. » Eadem prorsus est proportio inter virtutem veram et fictam, quæ cernitur inter naturam et artem; natura in productione hominis, a corde intimiori hominis parte incipit, postea vero ad omnes alias ejusdem corporis partes internas, ac demum ad externas ultimo loco transit; ars autem interiora totaliter omittit et negligit, nec ad alia sese applicat, quam solum ad exprimendam affabre apparentiam exteriorem. Hujusce igitur artis proprietatem imitantur hypocritæ, qui probam et bonam conscientiam, corporis puritatem, virtutes et actus animæ interiores nihili faciunt, imo contemnunt, et abominantur, et soli student perfectioni et austeritati extrinsecus apparenti : *Ut videantur ab hominibus; homo enim videt ea quæ parent, Deus autem intuetur cor;* Deus enim noster primo omnium loco cor nostrum quærit, et desiderat : *Præbe, fili, cor tuum mihi,* et quævis anima in tantum Deo grata esse noscitur, in quantum illa interius pulchra et speciosa esse videtur : *Omnis gloria filiæ Regis ab intus.* Secundo vero loco, species exterior ab eodem requiritur : *In fimbriis aureis circumamicta varietatibus. Est qui nequiter se humiliat, et interiora ejus plena sunt dolo;* quot sunt, qui sub quodam profundæ humilitatis pallio subtilem et latentem quamdam abscondunt et sectantur superbiam et arrogantiam! Aureum est illud animæ electæ suggestum a Deo monitum, *Cant.*, VIII, 6 : *Pone me ut signaculum super cor tuum;* ecce tibi perfectionem et sanctitatem internam : *Ut signaculum super brachium tuum;* ecce tibi operum bonorum exteriorum correspondentiam. Ad hoc ut quis vera ovis esse censeatur, nec lana sufficit, nec pellis, sed insuper fructus desiderantur ovinæ naturæ correspondentes, ejusmodi sunt lac, partus, et similia alia : ita in vere electis sanctitas forinsecus apparens non sufficit, nisi etiam vera et solida sanctitas adsit, quæ vere sit radicata in corde.

Intrinsecus autem sunt lupi rapaces.

14. — Per hoc illi denotantur, qui animas seducunt, quia lupi mortem gregi inferunt; ita enim Lucas Brugensis de Doctoribus perversis loquitur : « Se simulant arctæ viæ Doctores, et ductores, « cum ad latam abducant : *Lata via autem est,* ut « est apud S. Matthæum, *quæ ducit ad perditio« nem.* »

15. — S. Ambrosius de hisce lupis ita scribit : « Lupi bestiæ sunt, quæ insidiantur ovibus, absen« tiam aut desidiam pastoris explorant, ovium gut« tur invadunt, ut cito strangulent; tum præterea, « si quem priores hominem viderint, vocem ei « quadam naturæ vi eripere memorantur. »

Additiones.

a. — *Attendite a falsis Prophetis, qui veniunt ad vos,* etc. Albertus Magnus hic declarat, quinam sint illi falsi Prophetæ, a quibus cavendum esse Dominus monet. Propheta enim dicitur falsus, tum a falsitate doctrinæ et mendacio, tum ab intentione fallendi et seducendi; de quibus inquit Propheta Jeremia, XXIII, 14 : *In Prophetis Jerusalem vidi similitudinem adulterantium et iter mendacii.* Et hi maxime cavendi, quia mendacia eorum animarum causant perditionem. Rabanus, locum illum *Sapientiæ*, I, 11 : *Os quod mentitur occidit animam,* in hæc verba explicat : « Occidit os mendax animam ipsius « mentientis, quia mucrone peccati illam transver« berat; unde summopere cavendum est omne « mendacium. » Regius Psaltes, *Psal.* V, 7, primo dicit : *Odisti omnes qui operantur iniquitatem;* et postea immediate subjungit : *Perdes omnes qui loquuntur mendacium. Viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos.* Quibus verbis crudeles, sanguinarios homines eodem prorsus loco habet, quo mendaces et utrosque Deo abominationi esse dicit. Unde necessum est asserere mendacium nequaquam levem culpam esse, quando quidem tam severa ei pœna intentatur; David enim aperte dicit : *Perdes omnes qui loquuntur mendacium.* Ut nimirum in horrore et abominatione a nobis habeatur quodvis mendacium, absque ulla illius in officiosum et perniciosum facta distinctione. Apud Oseam, IV, 2, dicitur : *Maledictum, et mendacium, et homicidium, et furtum, et adulterium inundaverunt.* Ecce tibi quales mendacium sodales et comites ex Oseæ mente habeat.

b. — Hoc unicuique fidelium esse dictum : *Attendite a falsis Prophetis,* constans est Patrum sententia, Chrysostomi, Hilarii, Anselmi et aliorum. Palatius tamen vult, hanc Domini admonitionem ad Episcopos et Prælatos spectare, ut videant et considerent onus quod sibi incumbit attendere gregi suo. In Ezechiele Deus dicit : *Speculatorem dedi te domui Israel.* Si vigil ille, qui ad periculosæ cujusdam plateæ custodiam collocatus est, dormiat, superveniatque inimicus, occidens et mactans cum reis insontes, ejus negligentia totius ruinæ causa existit, ejusque vigilia bona alios secure et in utramque aurem dormire facit. Hugo Cardinalis verba illa : *Redde rationem villicationis tuæ* ponderans ita scribit : « Quælibet a quolibet Prælato tri« plex quæstio. Prima erit : *Amice quomodo huc « intrasti?* id est, in prælationem quis te intro« duxit? Nummus vel Christus? *Ad quid venisti?* « ad honores, vel onus? Per quam portam intrasti? « Charitatis aut cupiditatis? » Postea ad secundum examen descendit, quod circa vitam, quam prælaturæ duxerunt, instituetur : « Quomodo vixisti? « scilicet sicut Episcopus, vel sicut rusticus? Sicut « homo, vel sicut equus? Sicut pastor vel sicut pe« cus? » Tertium examen habebitur circa regimen quod administrarunt : « Quomodo rexisti? In qui« bus pascuis gregem meum pavisti. Quantas vigi« lias et labores pro grege meo sustinuisti? » Numquid igitur jure merito stultos et deliros censet illos, qui superioritatem ambiunt, per quam tam rigoroso examini subjiciuntur : *Stultus homo plaudit manibus, cum sponderit pro amico suo. Prov.*, XVII, 18. Quod si quis ex eo lætaretur quod variis personis, de centenis vel ducentis scutorum millibus pendendis fidem suam obstrinxisset, numquid is delirare consendus esset? Longe igitur amentiores sunt, qui ex solius ambitionis instinctu, se ad reddendam Deo pro centenis, vel ducentis animarum millibus, quæ sub Episcopatu illo quem ambitiose sectantur, exactissimam et rigorosissimam rationem obstringunt.

His verbis, Dominus Episcopos ac Prælatos iterum monet, ut videant, ac considerent, quos rectores ac ministros præficiant suis Ecclesiis, ne lupum pro pastore, qui pravo suo exemplo oves Christi disrumpat, ac dilaceret. Magna enim est Ecclesiasticorum obligatio proximis sæcularibus bonum præbendi exemplum, ut quod verbis docent, operibus confirmetur. Hugo de S. Victore causam assignat, cur multi Prælati subditos suos libenter quidem instruere vellent, sed os suum aperire non possunt. Ast qua de causa id facere nequeunt? Nam forte muti sunt? Aut vero lingua balbutiunt? Audite ipsissima ejus verba : « Nonnunquam, » inquit, « capit Prælatus docere sed non potest, conscientia

« eum remordente et os ejus obstruente. » Salvator noster discipulis suis dicebat : *Rogate Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam.* Circa quæ verba Cajetanus optime notat, Christum non dixisse : Rogate Patrem meum, quia *Pater meus agricola est*, ut mittat Scribas, Doctores legis, Sacerdotes, sed ut mittat *operarios*. Quia tametsi magnus sit numerus Prædicatorum et Ecclesiasticorum : « Pauci tamen sunt operarii in messe Christi; « pauci, inquam, quia pauci sunt, qui vita et doc- « trina studeant saluti animarum. » S. Isidorus optime declarat, quando veritas quantumvis evidens et plausibilis sit, apud auditores fidem amittat; dicit enim : « Interdum Doctoris vitio etiam « ipsa verax doctrina vilescit, et qui non vivit sicut « docet, ipsam quam prædicat veritatem contemp- « tibilem facit. »

c. — Non sine ingenti mysterio mandat Dominus non aspicere falsos Prophetas, sed attendere ab eis. D. Chrysostomus, *in Imperf. Hom.* XIX, diligenter hoc observavit : « Sciens Dominus, » ait, « quia non erant manifesti gentiles, sed absconditi « nomine Christiano, ideo non dixit, aspicite, sed, « *attendite*. Aspicere eum est simpliciter videre; « attendere autem est cauto considerare. » Quia autem isti Prophetæ dissimulato habitu veniebant, ita ut ad eos magna sagacitas requireretur deprehendendos; ideo attentionis verbo usus est, cum in hoc negotio seductionis per mala exempla, magna cautela et sollicitudo sit adhibenda. Illa enim laquei sunt dæmonis, quibus animas deprædatur. Inimicus infernalis quondam ad expugnandum Salvatorem, omnes vires suas adhibuit; quem quia in deserto vincere non potuit, ad illum impugnandum, aliud tempus opportunius expectavit; dicit enim S. Lucas, IV, 13 : *Et consummata omni tentatione, diabolus recessit ab illo usque ad tempus.* Quod tempus fuit nox Passionis ejus, in qua Christus ait ad Apostolos, *Luc.*, XXII, 31 : *Ecce diabolus expetivit ut cribraret vos sicut triticum*; et ideo Interlinearis inquit : « Usque ad tempus Passionis, quando non tantum « dolis, sed aperte impugnavit. » Pro hoc autem certamine, machinam quamdam adaptavit, quæ ex illo lapide fabricata fuit, qui a S. Petro appellatur, *lapis offensionis et scandali*. Quando Redemptor noster in conspectu Caiphæ graviter adeo colaphizatus fuit, cum indignatione respondit, *Joan.*, XVIII, 23 : *Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo; si autem bene, cur me cædis?* Quæ Christi indignatio non exiguam nobis admirandi causam præbet, nam Propheta Evangelicus, *Isa.*, LIII, 7, jamdudum de illo prædixerat : *Tanquam agnus coram tondente se obmutescet et non aperiet os suum.* Ad hæc quot calces, pugnos, stimulos, aliasque similes percussiones quas Evangelistæ non referunt, verisimile est, ei in via, ab horto Gethsemani, usque ad Caiphæ palatium, fuisse inflictas? Et tamen ad tot flagellorum percussiones, ad tot spinarum transfixiones, clavorumque perforationes, os suum non aperuit; ad tot colaphos, inter quos derisus fuit a dicentibus : *Prophetiza quis est qui te percussit*, omnino tacuit et solum in hac occasione, ab indignatione se continere non potuit. Augetur hæc difficultas, si consideretur, quod Christus ipsemet in S. Matthæo, V, 39, et in S. Luca, VI, 49, paulo ante suis præceperit, dicens : *Ego autem dico vobis, noli resistere malo, sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi et alteram*; quomodo igitur ad invicem concordant, cum Jesus, qui, ut S. Lucas ait, *cœpit facere et docere*, hunc colaphum accipiens, non solum alteram maxillam non præbuit, verum etiam percussori hanc acceptam contumeliam cum indignatione improperarit dicens : *Si autem bene, cur me cædis?* Multæ porro tam quoad litteram, quam quoad spiritum, huic difficultati reddi possunt responsiones, e quibus nos sequentem solum adducemus. S. Augustinus et alii, percussorem hunc eumdem autumant fuisse Malchum cui succisam in horto auriculam, cum evidenti miraculo, restituerat Dominus; hic ipse namque satellitum illorum dux erat, contra quem S. Petrus plus zelo quam ferro armatus, ut insolentiam improbam reprimeret, insiliit, seque vindicavit. Quoniam usque ad tempus illud, tanta in fama universaliter erat Christi sanctitas, irrefragabilis miraculorum multitudo, doctrinæ integritas, sequacium copia, beneficentiæ abundantia, siquidem *transiit benefaciendo*, ut ipsimet implacabiles inimici ejus reverentia ipsum prosequerentur et honore; unde et quidam justitiæ ministri, quos auctoritas publica ablegerat manus ei injicere nullatenus præsumpserunt : *Volebant apprehendere eum, sed nemo misit in eum manus*; alias quoque : *Quærebant eum apprehendere, et nemo misit in eum manum.* Dictus Malchus, primus omnium Christum comprehendere præsumpsit, reliquis satellitibus idem faciendi, Salvatorem ligandi, vinculisque onerandi, aditum præbens et exemplum. Neque tamen hic sacrilegus hujusmodi temeritas substitit, siquidem in summi Pontificis, majestatis thronum considentis, præsentia, nec non coram synagogæ Principibus, Sacerdotibus, Scribis, Pharisæis, Senioribus, Magistratibus aliisque omnibus, mansuetissimo Salvatori insultare gaudentibus, tam ignominiosum, tantoque circumstantium applausu, Christo colaphum impingere ausus fuit; atque ita omnibus aliis illusionibus, indibriis et quantumcumque ignominiosis insultibus, scilicet oculorum velationi, barbæ evulsioni, amictui fatuo, flagris mancipiorum propriis, derisoriæ purpuræ, similibusque aliis cachinnis et subsannationibus viam aperuit planissimam. Ideoque doctissimus Salmeron ait : « Fuit gravis hæc « injuria, quia prima fuit et aliis audaciam idem « faciendi præstitit. » Conveniens itaque erat ut

Christus, qui *omnia in sapientia fecit*, indignationem aliquam perhiberet, ut nos doceret, quantum exacerbetur contra illos qui primum malum dant exemplum, viamque aperiunt reliquis ad flagitia pessima. Præterea etiam ut nos disceremus, astutissimum inferni serpentem, eum in instrumentum suum adhibuisse, ut maledictam illam colluviem animaret, eique audaciam adderet, ut innocentissimum Agnum, juxta vires suas tribularent et discerperent; quod ut verum fuisse dignoscatis, notetis velim Filium Dei, tunc et non ante, hujusmodi fecisse declarationem : *Hæc est hora vestra et potestas tenebrarum.*

d. — Inde etiam Dominus sollicite jubet nos a falsis istis Prophetis attendere, quia sua turpia et iniqua facta, quæ exhibent, tanquam lupi rapaces astute, ac ficta simulatione rectæ et bonæ intentionis volunt celare, exterius veluti quemdam animi candorem, ac simplicitatem ostendentes in vestimentis ovium, speciem ferentes, tanquam solliciti de tua salute qui te maxime volunt perdere et ideo sollicite jubet te Dominus attendere, id est, omnem vigilantiam adhibere, quia fictio est et hypocrisis, quam difficillimum est a veritate discernere. Sic enim pariter et apud S. Lucam, XII, 1, vitium hoc fermento assimilans, idem adhibet verbum, inquiens : *Attendite a fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis.* Similiter, in *cap.* XX, 46, discipulos suos præmunire volens, ut caute sibi ab hujus vitii scopulo prospicerent, idem verbum *attendite*, subinferi, dicens : *Attendite a Scribis, qui volunt ambulare in stolis, etc., simulantes longam orationem.* S. Paulus post suum a noviter conversis fidelibus discessum futurum esse prædicens, ut in gregem suum homines subingrediantur hypocritæ, idem usurpat verbum, *Act.*, X, 28 : *Attendite, vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei. Ego scio, quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos.* S. Matthæus, S. Marcus, S. Lucas, de hoc hypocrisis vitio tractantes, sæpius Christum introducunt hoc verbum, *cavete*, repetentem. Franciscus Toletus, super Lucam scribens, verbum, *attendite*, sequenti glossa illustrat, inquiens : « Canti estote et adver- « tite hypocrisin istorum, quæ est veluti fermen- « tum; hoc enim latet intra massam, et occulta « actione et virtute, totam corrumpit. Tales sunt « isti, qui etiamsi videantur exterius justi et zelom « religionis et legis prætexere, tamen eorum mali- « tia latens et occulta est et alios corrumpit. » Atque ideo ad pestem hanc agnoscendam, discernendam et fugiendam, homo magna opus habet cautela et circumspectione; siquidem homo solum videt id quod exterius apparet. S. Bonaventura, super illa verba Psalmistæ, *Psal.* XC, 6 : *A negotio perambulante in tenebris*, inquit : « Hypocritæ bene « ambulant in tenebris, nam abscondunt quod est « et mentiuntur quod non est. » Idem quoque alibi, vitium hoc definiens, ait : « Hypocrisis est « vitium clausum, simulatione virtutis palliatum. »

e. — Vincentius Bellovacensis rationem assignat, cur hypocritæ ab incarnata Sapientia lupis assimilentur. « Dicit Aristoteles in libro *de natura anima-* « *lium*, quod lupi Africani, sibilos pastorum fingunt, « et eos oves esse pastores credunt, et ad eos « conveniunt, et ipsi eas postquam tenuerint diri- « piunt. » Quot sunt qui fingere noverunt vocem pastoris illius, qui de se ait : *Ego sum pastor bonus*, ut tanto liberius innocentem gregem dilaniare possint. Idem quoque auctor aliam quamdam adducit similitudinem, ex qua perspicue cognoscere possumus, quam facile in discernendis hypocritis decipi et falli possimus; dicit enim : « Sunt similes arbo- « ribus Sodomorum, de quibus in historia scho- « lastica dicitur, quod ferunt juxta mare mortuum « poma lucida apparentia exteriori, sed cum ma- « tura creduntur et aperiuntur, scintillis plena « inveniuntur; sic opera hypocritarum, quæ viden- « tur modo viro, inveniuntur coram Deo et Sanctis, « morte plena. »

f. — Etiam dæmones per similes falsos Prophetas intelligi possunt, qui sæpissime nobis loquuntur, ut decipiant, et sæpe veniunt induti pelle ovina, dum malitiam suam sub pallio virtutis et sanctitatis contegendo, in Angelum lucis se transformant. Apostolus de quibusdam lamentans, qui se apostolicos jactabant, ut populum seducerent, inque suam attraherent sequelam, ita sermocinatur, II *Cor.*, XI, 14, atque discurrit : Non mirum; *ipse enim Satanas transfigurat se in Angelum lucis.* Non est ergo magnum, si ministri ejus transfigurentur. Quod hominum genus Tertullianus, *de Pœnit.*, 6, his maxime notabilibus perstringit verbis : « Quorum individua « cum diabolo amicitia est; quorum pœnitentia « nunquam fidelis. » Quamvis enim peccatores alii pariter cum dæmonio fœdus ineant, nihilominus per pœnitentiam multoties contra eum rebellant; ast tale quid nunquam ab hac perversa sperari potest generatione, « quorum pœnitentia nunquam fide- « lis. Nunquam illi a dæmonio separantur; quorum « individua cum diabolo amicitia est. »

Certo certius, si primi parentes nostri sibi Luciferum consultorem esse intellexissent, nunquam nec pomum attrectare, nec aures suggestui præbere præsumpsissent, utpote quem Dei et hominis noverant inimicum; delusi tamen fuerunt, quia consilium hujusmodi credebant sincerum, et a bono derivatum amico; ideoque S. Bernardus ait : « Quam incongrue simplicitati duplicitas admisce- « tur? quam indigne tali fundamento talis struc- « tura committitur? Hujusmodi sibi versutiam « serpens induerat, cum se, ut deciperet, consi- « liarium exhibebat, simulabat amicum. »

Quis Ecclesiæ perniciosior extitit, quam Julianus

Apostata, a Satana in principale electus instrumentum, ad concutiendam Apostolicam navim? Sacrilegus iste, ut Constantii sese gratiæ insinuaret, capillos sibi abscindi fecit, clericatum assumpsit, sacros populo colligebat libros, qui ab unguiculis a gentili quodam viro in paganismo eruditus fuerat; verumtamen ne ullam Imperatori ingereret suspicionem, in religionis Christianæ operibus sese exercebat, templa ædificando et martyres honorando; interim et cum incantatoribus, magis, necromanticis famosioribus conversabatur familiarius, ea tamen semper circumspectione, ut sub pelle ovina, rapacitatem obtegeret lupi.

g. — Non leones, non tigres, non ursos, quamvis sint sævissimi, adducit Dominus in exemplum, sed lupos apponit; quamvis enim alia animantia reperiantur robustiora et velociora, tamen lupus inter omnes, sævitiæ ac prædæ est maxime deditus, ita ut per suam indelicientem voracitatem nunquam satietur, sed semper strenuis incumbat insidiis, ut dilaniare possit. Lupus hic non incongrue nobis occasiones peccati denotare poterit, quia illæ semper insidias struunt, et fomentum sunt, et incentivum peccati. Proinde semper attendere et nunquam nobis in iis fidere debemus. Dionysius Carthusianus dicit : « *Qui amat periculum*, id est, « vitium, seu peccandi occasionem, *in illo peribit*, « id est, damnationem incurret, juxta illud Psalmi : « *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam*; nec « potest peccata evadere qui non curat occasiones « effugere. » Tantum autem abest, ut pericula peccandi, id est, peccati incentiva, commoditates et opportunitates detestemur ut easdem potius omni studio et sollicitudine quæramus et consectamur.

h. — Mandat Dominus, ne demus sancta, id est, sacramenta, res divinas, arcana sacræ Scripturæ, canibus et porcis, hoc est, obstinatis et perversis hominibus. *Et conversi disrumpant vos*, hoc est, insurgentes contra vos, suis iniquis factis vos lacerent ac membratim decerpant. Et tamen ab istis crudelibus persecutionibus, non mandat Dominus nos præcavere, sicut hic præcepit a lupis, seu falsis Prophetis. Rationem dat D. Ambrosius, *lib.* VI *in Hexameron, cap.* VI : « *Attendite vobis a falsis Pro-* « *phetis*; illi enim animam debilitant, » ait Ambrosius. Isti falsi Prophetæ, seu lupi rapaces, inferunt nocumentum animæ, seducendo a veritate; at canes et porci *disrumpent vos*, hoc est, vestrum corpus lacerabunt et in frusta cædent; ideo non ab istis sed ab illis jubet nos præcavere. Quia bona spiritualia animæ super omnia temporalia corporis bona sunt omni animi conatu affectanda et procuranda a nobis qui Christi sequimur vestigia. Indecens est enim quod corpus animæ præponatur.

Versus 16.

A fructibus eorum cognoscetis eos : numquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus?

A fructibus eorum cognoscetis eos.

1. — Et ideo salubberrimum est illud S. Joannis monitum, I, IV, 1, dicentis : *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint, quoniam multi pseudoprophetæ exierunt in mundum.*

2. — S. Bernardus, *Epist.* CVII, ait : « Non ex « foliis, neque ex floribus, sed ex fructibus arbor « bona malave dignoscitur; » et quidem divus Chrysostomus hypocritas specialiter ex verborum blandimentis dignoscendos esse dicit : « Per dulces ser- « mones et benedictiones seducunt corda. »

3. — Jansenius hoc loco quærit, quonam modo hi falsi et ficti prophetæ, dum pelle ovina amicti comparent, dignosci ab aliis possint, maxime cum de absconditis et internis homo judicare non possit? Et respondet, quod, tametsi hi lupi se abscondere et occultare moliantur : « Tamen facile deprehendi « poterunt ex aliquibus eorum fructibus, quan- « quam non ex omnibus; » duo autem specialiter consideranda esse dicit, scilicet doctrinam quam docent, opera item et mores, quibuscum vivunt. Circa doctrinam examinetur, an solida sit, ut martellum sustineat, sitque sacrorum Doctorum dogmatibus per omnia conformis : « Videndum, num « conveniat cum recepta veritatis doctrina, ad « quam tanquam ad lydium lapidem, omnium « doctrina examinari et probari debet. » Opera autem discrimen hoc longe facilius et clarius indicant. Lucas Brugensis ait : « *A fructibus cognoscetis*; « opera ergo, et non verba, discernunt inter filios « Dei et filios diffidentiæ. »

4. — S. Thomas ex adducto quodam Apostoli testimonio, malæ arboris fructus describit : *Manifesta sunt opera carnis*, inquit Apostolus, *Gal.*, V, 19, *quæ sunt fornicatio, immunditia*, etc., quo eodem in loco arboris bonæ fructus reconsere pergit, dicens : *Fructus autem spiritus est charitas, gaudium*, etc. Quod si in ejusmodi Prophetis hi fructus deprehendantur, inquit Albertus Magnus, « cognosci- « mus eos esse veros Prophetas, esse bonas arbores : « si autem fructus hos non videmus, attendamus « diligentius, quia vel aliquid operum carnis; quo- « rum ibi meminit Apostolus, vel saltem humana « cupiditas, aut gloria, illorum fructus invenietur. »

5. — S. Thomas in ea est opinione, quod nemo fictionem suam ita abscondere possit, quin ex aliquo saltem indicio facile discerni queat. « Dicen- « dum, quod potest vix aliquis hypocrita esse com- « positus, quod non appareat aliquid malitiæ, vel « verbo, vel facto, *Prov.*, XXVII, 19 : *Quomodo in* « *aquis resplendent vultus prospicientium, sic corda* « *hominum manifesta sunt prudentibus.* » Dionysius

Carthusianus multa ejuscemodi signa adducit : « Inveniantur, » inquit, « vani religiosi, non humi- « les, sapientes in oculis suis et proprii sensus, « non veraciter patientes, sed pleni privato amore « et aliquibus singularibus vitiis deformati. »

6. — Jansenius multa alia indicia considerat : « Si quis, » inquit, « vitam et mores eorum atten- « tius observet, reperiet eos sibi placentes, gloriæ « sitientes, assentatores, invidos, maledicos et « obtrectatores, nonnunquam et ventri deditos, et « suis temporalibus commodis servientes, et om- « nino suum negotium agentes potius quam veri- « tatis. »

7. — Paulus de Palatio ad idem se reflectit, quod nos superius circa illa verba : *Veniunt ad vos*, insinuavimus; dicit enim : « *Veniunt* ostentantes « pellem ovinam, plene eos dignoscere docuit; si- « quidem veri Pastores non ipsi venient, sed mit- « tantur, neque veniunt ad nos, sed lubentius se « abscondunt, neque ostentant pellem ovinam, imo « gaudent, si non ita pellis videtur; » adducitque Christi Magistri nostri exemplum, qui se ab æterno Patre suo missum esse dixit : *Qui misit me Pater*; et quando Apostolos suos misit, dixit illis : *Sicut misit me Pater et ego mitto vos; nemo assumit sibi honorem, nisi vocatus et missus*; « at qui lupi sunt, « veniunt ex se, de quibus sæpe dicit Dominus, « *Jerem.*, XXIII, 22, quod eos ipse non miserit. »

8. — S. Thomas ejusmodi personatas oves ex duobus præcipue signis dignosci posse dicit : « In « his, » inquit, « quæ subito agenda occurrunt, « quia in his, quæ cum deliberatione quis facit, « cavet sibi; item in tribulationibus, *Eccli.*, VI, 8 : « *Est amicus secundum tempus*, etc. Item manifes- « tantur, quando non possunt consequi quod vo- « lunt. »

9. — Hugo Cardinalis circa qualitatem fructuum multa consideranda esse dicit : primo enim requiritur in fructu utilitas, unde salices et quercus arbores steriles appellari solent, quia fructus ipsarum nobis sunt inutiles : « Quod est contra otiosos, « qui senescunt et vagantur. » Debet quoque fructus integer esse, quia si intus verminosus sit, licet foriusecus pulcher et gratus esse videatur, non est bonus : « Quod est contra hypocritas, quorum ex- « terius vita est pulchra, interius autem est vermi- « colosa conscientia et plena nequitia. » Debet idem fructus habere saporem, « id est, ordinabilis et so- « ciabilis in conversationem, quod est contra ace- « diosos. » Debet præterea esse sanus, « ut nihil « dicas, nihil agas, quod non sit ad honorem Dei « et instructionem proximi, quod est contra disso- « lutos. » Denique fructus diu durare et conservari posse debet et non solum hyberno tempore : « Quod « est contra luxuriosos, qui nunc florent, tunc arde- « bunt. »

10. — Fructus bonæ arboris est, quando operatur conformiter illis, quæ docet alios. « Fructus « Prædicatoris, » inquit Paulus de Palatio, « sunt « opera ejus, maxime, si quæ dicit, facit, » adducitque illum Psalmi LXXVII, 72, versum : « *Pavit eos* « *in innocentia cordis sui et in intellectibus manuum* « *suarum deduxit eos* : » id est, is Prædicator verus « est, qui in innocentia pascit, quique pascit in ea « intelligentia et doctrina, quam manus suæ pepe- « rerunt, id enim est in intellectibus manuum « suarum, id est, operum; « falsi vero prophetæ e « contra facile agnoscuntur, quando bene dicunt et male operantur. Unde Eusebius Gallicanus inquit : « Qui in verbis non discernuntur, in operibus com- « prehenduntur. »

11. — Cajetanus quoque se reflectit ad verba illa : *A fructibus eorum*, et distinguit inter fructus, ut pateat, quinam sint fructus eorum; dicit igitur, quod frequens populi concursus, conversio peccatorum ad pœnitentiam, prædicatione ipsorum causata, et alii effectus similes non sunt fructus eorum : « Isti sunt fructus fidei et devotionis audientium, et « non propria Prophetarum; similiter quæ dicuntur « ex Moysi et Prophetarum, non sunt eorum, sed « cathedræ fructus, similiter prophetare, et dæmo- « nes ejicere, et miracula facere vera in nomine « Jesu Christi, non sunt fructus eorum, sed gratiæ « gratis datæ; stant enim hæ gratiæ cum peccato « mortali, cum inimicitia eorum ad Deum, ut in « hoc capite Dominus subjungit. »

12. — Chrysologus, *Serm.* IX, per horum fructuum maturitatem in confessione fidei perseverantiam intelligit : « Flores multi multitudinem « fructuum pollicentur, sed examinati ventorum « flabris, ad fructuum paucissimi perseverant : sic « credentes in Christo multi in Ecclesia videntur « in pace, ubi autem persecutionis procella infla- « verit, pauci Martyres reperiuntur in fructu. »

13. — Auctor Imperfecti, *Hom.* XIX, ait : « Fruc- « tus hominis est confessio fidei ejus et opera con- « versationis ejus. »

14. — Paulus de Palatio per fructus vermiculosos intelligit profanitates, fabulas, ornamenta et colores rhetoricos, ad gustum et pruritum auditorum in prædicatione Evangelica ordinatos : « Ve- « rus a falso Prædicatore, per verbum prædicatio- « nis suæ erit discernendus; verba veri Prædicatoris « sunt gladius acutus, attingens ad divisionem ani- « mæ et spiritus; non sunt talia verba falsi pro- « phetæ. *Psal.* CXVIII, 83 : *Narraverunt mihi iniqui* « *fabulationes; sed non ut lex tua*, id est, narrant « velut fabulas, ex quibus gustus dulcescit, non ex « quibus animus gladio penetrante discinditur. »

Numquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus.

15. — Litteralis horum verborum quis sit sensus optime his verbis explicat Jansenius : « De

« malis hominibus sæpe percipitur doctrina veri-« tatis. Domino præcipiente de Scribis et Pharisæis : « *Omnia quæ dicunt, facite, secundum vero opera* « *eorum nolite facere*; » contingit enim nonnun-quam, quod etiam vitis aliqua cum botris suis inter spinas cernatur plantata et tunc consilium est S. Augustini : « Botrum carpe, spinam cave; » decerpite uvas, sed fugite puncturas; proficiatis ex veritate et dogmatibus, quæ auditis, non tamen imitemini perversos ipsorum mores. Interlinearis ait : « Ut si super eos pendeant vites, non tamen « de eis, quia non sunt in vite. » Uva non est agnoscenda ex sepibus, tametsi iis nonnunquam implicita esse videatur : ita quoque si doctrinam audiatis bonam et sanctam ab hominibus malis, illa non ipsis, sed veræ viti attribuenda erit, quæ de se dicit : *Ego sum vitis vera; super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi, quæcumque dixerint vobis, servate et facite*; singularis enim cathedræ illius prærogativa erit, sicut etiamnum cathedræ S. Petri privilegium, quod ex illa semper veritas, nunquam vero falsitas prædicaretur, licet per os hominum vitiosorum et hypocritarum. Jansenius ex adducta auctoritate quadam S. Augustini declarat, quod si nonnunquam is, qui male vivit, prædicatione et doctrina sua sit utilis, id non sit æstimandum opus ejus, sed divinæ providentiæ. « Impii enim, per « divinam providentiam, legem Dei prædicantes, « possunt esse audientibus utiles, cum ipsi non sint « sibi utiles; non ergo qui eos audiunt et faciunt « quæ ab eis dicuntur, de spinis colligunt uvas, « sed per spinas de vite legunt uvas, tanquam si « manum aliquis per sepem mittat, aut certe de « vite, quæ sepi fuerit involuta, uvam legat, non « spinarum est iste fructus sed vitis. »

16. — Paulus de Palatio verba hæc de Prædicatoribus Evangelicis exponens, dicit, qualis debeat esse uva et quales ficus, qui proferendi sunt, ostenditque hosce fructus a falsis prophetis sperari non posse, eo quod instar spinarum et stirpium steriles sint et inutiles; idque explicat per hoc, quod de exploratoribus terræ promissæ legimus, qui prædictos fructus secum attulerunt : « Significantes, quod Prædicatores, qui exploratores nostri « sunt, patriam cœlestem vel de longe explorarunt, « et inde afferunt verba et opera, quæ dulcedinem « cœlestem referant, afferunt charitatem quamdam « cœlestem, quæ in uva significatum, dulcedinem-« que cœlestem, qualis in nostro deserto non inve-« nitur, per ficum significatam; cum ergo oves « sentiunt in Prædicatoribus pastoribus cœleste « nonnihil, quale in hac terra non reperitur, indi-« cium est Prædicatoris Evangelici; » adducitque S. Pauli exemplum, qui sancte gloriabatur, I *Cor.*, II, 4 : *Non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina spiritus*, « quasi dicat : Non « terrena locutus, sed plane cœlestia. » Et alibi, II *Cor.*, XIII, 3 : *An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus.*

17. — S. Thomas super Matthæum ait : « Per « uvas, ex quibus fit vinum, intelligitur spiritualis « lætitia, quia *vinum lætificat cor hominis*; per ficus « dulcedo Ecclesiasticæ pacis, quæ est charitas, « hæc non possunt nasci de tribulis, id est, pecca-« toribus, quia *spinas et tribulos germinabit tibi.* » *Gen.*, III, 18.

18. — Manifestum est per experientiam, quod ericius sive porcellus spinosus, in autumno sub arbore ficus, unde maturiores fructus nonnunquam præmature decidere solent, sicut et in vineis super uvis deciduis sese volvendo et revolvendo, easdem fructus spinis suis, quibus toto corpore armatus est, transfigere et fœtibus suis ad depascendum afferre soleat, de quibus proinde verificatur quod *colligunt de spinis uvas, de tribulis ficus*; quod cum experientia teste verissimum esse constet, in sensu morali simile quid dici poterit de puncturis austeritatum corporalium, ciliciorum, disciplinarum, jejuniorum, vigiliarum, de mortificationibus item interioribus, de erumnis et adversitatibus, per spinas et tribulos denotatis; ex his namque in animas tribulatas ingens redundat suavitas et consolatio spiritus. Unde David fatebatur, *Psal.* XCIII, 19, dicens : *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.*

19. — Auctor Imperfecti per uvam, Christum intelligit, quia sicut botrus ex palo seu ligno suspensus hæret, multaque grana in se complectitur : « Sic et Christus multos sibi fideles per lignum « crucis tenet adjunctos; similiter et sicut ficus « multa grana uno tegmine tenet inclusa, sic et « multos fideles quodam dulci charitatis amplexu « una tenet Ecclesia et sunt in ficu signa hæc, « charitatis quidem in dulcedine, unitatis autem in « conjunctione granorum, sicut scriptum est, *Psal.* « LXVII, 7 : *Deus, qui inhabitare facit unanimes in* « *domo.* In una quidem est patientiæ signum, quia « in torcular mittitur; gaudii autem in spe, quia « vinum lætificat cor hominis; sinceritatis, quia « non est aqua permixtum; de his scriptum est, « *Gal.*, V, 22 : *Fructus autem spiritus, charitas, gau-« dium*, etc. » Dum autem declaraturus est, quinam spinæ dicendi sint, subjungit : Tales esse hæreticos; unde colligitur, quod proferre nequeant fructus ecclesiasticos : sed quid proferunt ? « Vulnera, tribu-« lationes et cætera mala; » sicut enim spinæ quacumque ex parte contrectantur, nos vulnerant, manusque nostras cruentant, ita quoque servi dæmonis, quacumque ex parte considerantur, iniquitate pleni esse deprehenduntur, quod sequenti modo varie exemplificat : « Si loquitur, » inquit, « in dolo « loquitur; si tacet, male cogitat; si irascitur, in-« sanit, si patienter agat, tempus expectat nocendi

« et opportunitatem considerat, quando nocet; si « male agit, non erubescit; si bene facit, ad vanam « gloriam propter homines facit; quomodo pro-« ferat bonum fructum, cujus radix diabolus est? « sub arbore bona et bestiæ et animalia requies-« cunt, sub spina autem nullum animal requiescere « potest, nisi tantummodo serpentes. »

20. — Spinæ certum sunt symbolum peccatorum, quæ cor peccatoris per remorsum et malæ conscientiæ synderesin transfigunt, *Psal.* XXXI, 4 : *Conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina*; *spinas et tribulos germinabit tibi*, dictum est primo legis divinæ prævaricatori. Per dulcedinem et suavitatem uvarum et ficuum, quies et gaudium bonæ conscientiæ denotatur, hoc autem spirituali gaudio nemo inter puncturas remorsuum, inter anxietates et perturbationes inordinatorum appetituum frui poterit. Unde apte huc quadrat illa S. Augustini sententia, *Serm.* I *de temp.*, dicentis : « Quam in-« felix est illa conscientia toto lacrymarum fonte « lugenda, quæ se ita malis operibus cruentavit, « ut in ea non Christus requiescere, sed diabolus « incipiat dominari! »

21. — S. Anselmus per hasce spinas quoque hæreticos interpretatur : « Lacerant et pungunt « mentes hominum; uva est fervor dilectionis, « sicut dulcedo bonæ conversationis; sicut ergo « de spinis non nascuntur uvæ, neque de tribulis « ficus, sic nec hæretici fervent in dilectione, nec « student in bona operatione. »

Additiones.

a. — *A fructibus eorum cognoscetis eos*, etc. D. Paschasius, *lib.* IV *in Matth.*, scribit, quod isti falsi prophetæ quamvis veniant in vestimentis ovium, suum venenum tamen produnt, per mala opera. Hugo Cardinalis hæc verba ad ambitiosos trahit, dicens : « Principatus virum ostendit : *A fructibus* « *eorum cognoscetis eos*, quando scilicet sunt in « dignitatibus, tunc ex fructu apparent quales prius « extiterint. » Nam multi antequam obtineant dignitatem, se præbent in vestimentis ovium, nequiter se humiliando, ut eam valeant comparare; at post obtentam, malitia quæ intus latebat prodit, et se exhibent tanquam lupos rapaces, ut omnia devorent, omnesque mordeant atque dilacerent.

b. — Acute more suo, D. Chrysostomus, *Serm.* XCVII, ait : « Floros multi multitudinem fructuum « pollicentur, sed examinati ventorum flabris, ad « fructum paucissimi perseverant. Sic credentes in « Christo, multi in Ecclesia videntur in pace; ubi « autem persecutionis procella perflaverit, panci « martyres reperiuntur in fructu. » Agnoscendæ ergo arbores in Ecclesia, non a floribus, ait Dominus, sed a fructu. Multi enim in serenitate temporis multos fructus patientiæ et perseverantiæ ostendunt, multosque fructus promittunt; sæviente tamen tempestate persecutionis, paucissimi perseverant ad fructum. Vis ergo noscere, an homo vere Christianus sit? hos fructus respice : nam Christiani hominis verus character est patientia et perseverantia. S. Paulus Apostolus Corinthios quos ad fidem converterat, catechizare volens, virtutem perseverantiæ in bonis operibus, utpote veri hominis Christiani characterem præcipue commendavit, dicens, I *Cor.*, XV, 58 : *Stabiles estote et immobiles, abundantes in opere Domini semper.* Nam ut S. Hieronymus in epistola quadam ait : « Non quæruntur « in Christianis initia sed finis. Paulus male cœpit, « sed bene finivit; Judæ laudantur exordia, sed « finis proditione damnatur. » S. Augustinus usque ad triginta et amplius annorum ætatem sensualitati habenas laxavit; resipiscens autem, divinoque se servitio addicens, ad ultimam et decrepitam usque ætatem baptismalem conservavit innocentiam.

S. Petrus primos fideles et cum illis omnes successive illorum posteros, in epistola sua paterne monet, ne in hoc nimirum confidant, quod scilicet ad fidem vocati fuerunt, nisi etiam eidem per opera bona perseveranter fuerint cooperati : *Satagite*, inquit, *ut per bona opera, certam vestram vocationem et electionem faciatis.* Quonam vero modo vocationem nostram certam facere possimus, Glossa nos docet, inquiens : « Certam facit vocationem qui in bonis « operibus perseverat. » S. Paulus, *Heb.*, XII, 3, Redemptorem nostrum nobis proponit velut perseverantiæ finalis speculum, ut nos animosos reddat ad usque in finem christiane operandum. Ait enim : *Recogitate eum qui talem sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini animis vestris deficientes.* In *Apoc.*, II, 10, Deus nos exhortatur : *Esto fidelis usque ad mortem et dabo tibi coronam vitæ.* Circa quæ verba Rupertus Abbas ita scribit : « Ejusdem perseverantiæ quam persua-« det dicens : *Esto fidelis usque ad mortem*, in « semetipso exemplum præbuit, *factus obediens* « *usque ad mortem, mortem autem crucis.* »

c. — Præceperat Dominus cavendos esse lupos, scilicet, falsos doctores, hæreticos ac etiam hypocritas, latentes sub ovina pelle, hoc est, sub composito ac simulato habitu exteriori, et quia occulta cordis hominis sunt abscondita, dat Dominus signum per quod eorum malitia deprehendatur : *A fructibus eorum cognoscetis eos.* Sæpe enim hypocrisis cum magna ignominia detegitur. Noverint hypocritæ ex primæ et æternæ veritatis testimonio se manifestandos et confundendos esse; postquam enim discipulos suos et sequaces Dominus admonuisset, *Luc.*, XII, 2, dicens : *Attendite a fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis*, mox crimen hoc infallibiliter manifestandum esse docet, dum subjungit : *Nihil autem coopertum est, quod non revelabitur, neque absconditum, quod non sciatur.* Quod textum Salmeron sequenti illustrat Glossa, dicens : « Rationem

« affert vitandæ hypocrisis, ex eventu contrarii, nam propterea homines hypocrisis vitium sectantur, quia existimant hoc vitium suum latere posse; et propterea subjunxit, nihil esse tam apertum in præsenti vita, quod non sit revelandum et discooperiendum, non solum in alia vita, sed etiam in præsenti. » Toletus pariter idem hujus conjunctionis verbum considerans, ita discurrit : « Hypocritæ, quæ secreta cordis sui sciunt, occultant dissimulatis intentionibus et cogitationibus; cumque intus mali sint, boni tamen apparere procurant; idcirco dicitur, nunc quod occultum est, revelandum. Præterea hypocrita cum a nemine videtur, opera etiam exteriora mala facit, turpiterque vivit, contentus ea bona exteriora facere, quæ apparent; per hæc enim existimat se gloriam hominum adipisci; idcirco adjungit Dominus, abscondita etiam sciri debere et propalanda esse. »

d. — Infallibilis est arboris cognitio, quæ ex ejusdem habetur fructibus; aliquando nihilominus fallit regula hæc universalis; siquidem sæpius arbori species inseritur diversa, sicque producit fructus non proprios. Talis quoque inter fictas, seu hypocritas, nec non inter virtuosas atque perfectas animas intercedit differentia, ita ut semper infallibile maneat Christi axioma dicentis : *A fructibus eorum cognoscetis eos*; quia Angelico Doctore teste : « Dicendum quod potest vix aliquis hypocrita ita esse compositus, quod non appareat aliquid malitiæ, vel verbo, vel facto; quomodo in aquis resplendent vultus prospicientium, sic corda hominum manifesta sunt prudentibus. »

e. — In primis indiciis hypocritarum a sacris Expositoribus adductis, S. Bonaventura illud adducit, quod et a Salvatore in specie notatum fuit, scilicet : « Hi sunt, qui minima præferunt maximis. » Ideoque Christus iis minatur dicens, *Matt.*, XXIII, 23 : *Væ vobis Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui decimatis mentham, et anethum, et cymium, et reliquistis quæ graviora sunt legis, judicium et misericordiam, et fidem.* Quod et idem Seraphicus Auctor alio in loco repetens ait : « Magna scelera perpetrant et modica peccata devitant, colantes culicem et camelum glutientes. » Quod ut confirmet scrupulum Scribarum et Sacerdotum manifestat, quem habebant in inferendo pedem in prætorio Pilati, ne contaminarentur, qui Pascha celebraturi erant; siquidem se puros, mundosque rebantur, licet alia ex parte mortem Filii Dei urgerent quam instantissime; ideoque ait : « Magis timuerunt intrare prætorium Pilati, quam nequissime procurare crimen homicidii. » Utpote qui absque scrupulo clamabant : *Tolle, tolle, crucifige.*

f. — Hypocritæ solam sectantur apparentiam exteriorem, non solliciti de substantia : *Ut appareant hominibus jejunantes.* Omnia opera sua faciunt ut videantur. Hinc Salvator Apostolos, omnesque alios sequaces suos sollicite admonuisse legitur, *Matth.*, XXIII, 5 : *Cum oratis, non eritis sicut hypocritæ, qui amant in synagogis et angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus.* Ubi notandum est verbum, *amant*, quia scilicet affectant et concupiscunt videri ab aliis. Quin et Auctor Imperfecti Christum non prohibuisse advertit orationes in plateis, sed fieri *in angulis platearum* : « Christus non dixit in plateis, » inquit ille, « sed in *angulis platearum*; ut ne, si in plateis oraverint, quasi religionis simulatores vituperentur, sed in angulis, ut videantur in abscondito orare; astuta vanitas : sciunt enim quia hoc ipsum abscondite orare laudabilius est, ideo fingunt se abscondere, ut dupliciter laudentur; primo quia orant; secundo quia abscondite et in hoc amplius manifestant quod se abscondunt. »

g. — Hypocritæ a Christo lupis assimilantur, dicente : *Intrinsecus sunt lupi rapaces.* Quæ vero inter lupum et ovem est differentia? Nimirum hæc vultu terram versus balatum edit, ille vero ululat vultu cœlum versus elevato : ita quoque qui virtute solida pollet, de se humiliter sentit, seque mortificari credit dum laudatur, et æstimatur ab aliis; homo vero fictus, virtutemque simulans, applausus sectatur, nec aliud quærit, nisi ut ab hominibus indigitetur et magnificetur. Unde S. Gregorius, *lib.* VIII *Moral.*, XVII, inquit : « Multa hypocritæ in occulto mala faciunt, quædam vero bona in publico, cum ex bonis patentibus laudes recipiunt, ab occultis malis considerationis oculos avertunt, talesque se existimant, quales foris audiunt, non quales se intus noverunt. » Contristantur, dum se ab aliis aspernari et minimi fieri vident; e contra vero, qui vere humilis est, contemni se et gaudet et amat.

h. — Discipulis in quodam sermone hoc novum hypocritas cognoscendi signum adducit, inquiens : « Cognoscuntur etiam, quando nimis humilia de seipsis dicunt, et eadem ab aliis de se dici audire nolunt, sicut aliqui dicunt : Ego sum malus et pessimus; sed si hoc alius de illis proferret, non hoc sustinerent, sed protervis verbis, contradicerent. » In cujus confirmationem, exemplum cujusdam mulieris, quæ viam spiritualem magnis passibus secundum apparentiam sese currere ostentabat. Quæ confessario sui sæpius se recommendabat orationibus, ut pro se intercederet, utpote tantorum criminum rea, tantæ malæ vitæ fœmina, ut propter peccata sua, non modo sibi, sed et severum aliis timeret infligendum supplicium. Tunc Sacerdos ait vir discretus, voluit experire, utrum esset sibi fundamentum veræ humilitatis. Sed qualiter eum veram a ficta virtute discrevisse putatis? Audite medium. Cum itaque mulier eadem, alia vice replicaret se omnium esse pessimam et flagitiosissimam, mox tum Sacerdos subjungit : « Hæc ego sæpius audivi antea de te dici. Tunc illa immediate commota dixit : Mentiris ad collum vestrum, et quicumque vobis dixit, vel de me talia locutus, similiter mentitur, quia nunquam fui talis, sicut vos asseritis. Tunc Sacerdos humiliter respondit, dicens : Modo ego intelligo superbiam et hypocrisim, quia tu loqueris de teipsa, quod ab aliis dedignaris audire. »

i. — *A fructibus eorum cognoscetis eos.* « Id est, » inquit Dionysius Carthusianus, « ex operibus eorum cognoscetis quales intrinsecus sunt, quia si diligenter considerentur inveniuntur vane religiosi, non humiles; sapientes in oculis suis et proprii sensus, non veraciter patientes, sed privato amore et aliquibus singularibus vitiis deformati. » Se spirituales ostentant, alienas reformant domos, novas condunt leges, a quarum observantia seipsos eximunt, dicente cœlesti Magistro : *Alligant onera gravia et importabilia in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea movere.*

j. — Agnoscuntur insuper hypocritæ ex repugnantia, qua admoneri et corrigi se molestissime ferunt. Hinc S. Bonaventura illa Christi considerans verba : *Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo*, ita discurrit : « Hypocritam vocat talem judicem temerarium, qui in judicando alios ostendit et prætendit zelum justitiæ, et seipsum non judicando habet vitium intus latens superbiæ. » Unde Gregorius : « Hypocrita cæteros reprehendit, ut in aliorum comparatione sanctior videatur. » Et alio in loco, idem S. Gregorius ait : « Sanctus esse non appetit, sed vocari, et cum fortasse corripitur quasi in opinionis gloria detruncatur. Deprehensum se in pravitate irascitur, loqui sibi redarguentem prohibet, quia velut in occulto vulnere tactus dolet. » Seniores illi populi Babylonici judices, quantum non exhibuerunt zelum et severitatem, in castigando adulterio, de quo ipsimet honestissimam Susannam tentarant, licet postea ejus innocentiam hac calumnia onerarint? Hoc autem eo præcipue fecerunt, ne ulla de occulta illorum malitia conciperetur umbra, vel suspicio : *Colantes culicem, glutientes camelum. Vident festucam in oculo fratris; trabem in oculo suo non considerant.*

k. — S. Joannes Climacus ait : « Hypocrita quamdiu quidem videtur latere, gloriam ex opinione venatur, justus apparet; ubi autem fuerit deprehensus, virulentis et mortiferis calumniis de aliis inspersis, suum dedecus et ignominiam tentat velare. »

Salvator noster non sine causa Pharisæis exprobravit, quod sepulcra in honorem Prophetarum erigerent. « Quid enim est ædificare sepulcra aliqua, » inquit Hugo Cardinalis, « nisi corrumpere ea, vel eis detrahere, quod proprium est hypocritarum; et postea ornant ea, quoniam postquam detraxerunt dicunt aliqua bona de eis, ut videantur non causa detractionis, sed compassionis animo et affectu hoc dixisse. » Idem quoque hypocrisis indicium Salmeron his verbis manifestat : « Detegitur hypocritarum vitium qui maximorum suorum peccatorum obliti, semper inveniunt in altero, quod calumnientur et reprehendant. » Salvator noster de illis dicit : *Intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Oves quippe dentes non habent scindentes, quemadmodum lupi, qui ea quæ mordent, dentibus velut serra dividunt. Porro electi qui per oves intelliguntur, alienæ famæ minime detrahunt; hoc enim solorum est hypocritarum proprium, qui nihil æque libenter faciunt, quam quod detractionibus suis alios deprimant, ut per illorum vilipendium ipsi in conspectu mundi tanto magis elucescant.

l. — Abulensis de hypocrisis indiciis disserens dicit : « Cognoscuntur hypocritæ, ex vitæ qualitate; quia hypocrita nec est bonus, nec vult esse bonus, sed solum videri bonus; ideo malum operatur, sed studium suum est illud malum occultare, et bonitatis speciem prætendere; si quis tamen sollicite inquirat, faciliter inveniet hypocritam non esse id quod apparet. Licet aliquando sollicite caveant, ne videantur opera sua, non possunt tamen semper ad hoc esse attenti, et ideo interdum ipsi se manifestant, quia falsa non possunt diu latere. » Idem quoque doctissimus auctor, ulterius dicit quod hypocritæ nonnunquam opera sancta et perfecta operentur, quia tametsi voluntatem, ut sint virtuosi et sancti nequaquam habeant, attamen ad virtuose operandum, ab æstimatione et opinione mundi, quam desiderant, se adescari permittunt; adducitque sequens D. Chrysostomi testimonium dicentis : « Facile hypocritæ capiuntur, via enim qua jussi sunt ambulare, laboriosa est. Hypocrita autem laborare utique non eliget, et sic capitur ex fructibus, id est, ex operibus, et isti sunt fructus carnis, de quibus Apostolus ad Galatas, V, 19 : *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt immunditia*, etc. » S. Gregorius verba illa : *Tigris periit*, exponens, inquit : « Nimirum omnis hypocrita tigris est, quia dum mundus color de simulatione ducitur, vitiorum nigredine interrumpente variatur. Sæpe enim dum de castitatis munditia extollitur, sorde avaritiæ fœdatur; sæpe dum de virtute largitatis speciosus ostenditur, luxuriæ maculis inquinatur; sæpe dum castitatis, atque largitatis decore vestitur, velut ex zelo justitiæ, crudelitatis atrocitate fuscatur; sæpe largitate, castitate, pietate et pulchra visione induitur, sed interfusa obscuritate superbiæ notatur. »

m. — *A fructibus eorum*, etc. S. Antonius de Padua inquit : « *Attendite a falsis Prophetis*, qui, ut

« dicit Glossa, maxime per impatientiam discer-
« nuntur, in tempore adversitatis; cum enim pros-
« peritas arridet, pelle sub agnina corda lupina
« latent; sed cum adversitas flavescit, pellis ovis
« laceratur. » Infallibile veræ virtutis indicium est, si quis in adversitatibus sit patiens; *non enim contristabit justum quidquid ei acciderit. Prov.*, XII, 21. Tangat quis hypocritam in emolumentis, in æstimatione et reputatione propria, vel in alia quapiam re, in qua necessum est ut genium et inclinationem suam deponat, et statim apparebit quid sit. *Tange montes et fumigabunt.*

n. — *Numquid colligunt de spinis uvas et de tribulis ficus?* Non sine mysterio Dominus, hic pro cæteris fructibus, in exemplum adducit uvas et ficus. Quod pulchre explicat D. Chrysostomus, *Hom.* XIX, qui ibidem per uvas et ficus, unionem et charitatem adumbrari insinuat : « Sicut enim, » inquit, « botrus multa in se grana ligno mediante « suspendet, sic Christus multos sibi fideles, per « lignum crucis adjunctos. Similiter et sicut ficus « multa grana uno tegmine tenet inclusa, sic et « multos fideles quodam dulci charitatis amplexu « una tenet Ecclesia. » Optime ergo ad agnoscendum fructus veri, vel falsi Prophetæ, ponuntur in exemplo uvæ, vel ficus, quæ unionem et charitatem adumbrant. Charitas enim in proximos et dilectio, verus est character, quo Christiani ab aliis discernuntur. *Luc.*, IX, 55, invenimus cœlestem Magistrum graviter increpuisse duos fratres discipulos, sibi cæteroquin acceptissimos, nimirum S. Jacobum et S. Joannem; dicit enim Evangelista : *Conversus increpavit eos dicens : Nescitis cujus spiritus estis.* Non est utique dubitandum quin ambo magno fuerint spiritu a Deo dotati, et tamen non sine causa is qui dixerat : *Discite a me quia mitis sum*, magna cum severitate illos increpavit. Sciendum igitur est, quod cum Samaritani Christo, et duobus his Apostolis ipsum associantibus, ante faciem portas occlusissent, duo hi discipuli, illatam Christo injuriam zelare et vindicare volentes, dixerint : *Vis dicamus, ut ignis descendat de cœlo et consumat illos?* Et ecce mox Christus illis indignari cœpit et conversus increpavit illos, simulque insinuavit novæ legis gratiæ, ad quam ipsi spectabant, spiritum in remissione injuriarum, necnon in reddendo bonum pro malo consistere. « *Nescitis cujus spiritus estis*, « id est, » ut Salmeron ait, « ignoratis vos non « spectare amplius ad vetus, sed ad novum Testa- « mentum in quo Spiritus et doctrina datur ad « habendum omnes homines pro amicis. Hoc est « enim mandatum novum, ut diligamus invicem, « sicut ipse dilexit nos, quia cum inimici essemus, « ipse et dilexit, et reconciliavit nos Patri. Idcirco « novum mandatum dicitur quia diligendi etiam « inimici, quia nos tales dilecti sumus a Deo. »

Charitas quidem in proximos nos vere fideles et Christi discipulos esse ostendit; hujus autem dilectionis defectus convincit nos dæmonis esse sequaces.

o. — Quam ineptè spinas eligeret, qui divitem sibi vindemiam parare desideraret? Quis enim a spinis speret uvas? Quis a mala radice, a mala nominis indole, perversoque ingenio, dulces speret virtutis et placidæ quietis fructus? Sicut enim impossibile est, quod spinæ uvas proferant, sed bene puncturas et vulnera, ita nec peccatum, quietem, consolationem, sed labores, inquietudines, ærumnas; quibus peccatores dum satisfaciunt appetitibus, se pungi et laborare sentiunt. Nam inquietudines et ærumnæ peccati sunt partus.

p. — Quis speret a spinis uvas? Quis a mala radice et amara, dulces et sapidos fructus? Id solum speret qui novit Creatoris potestatem et infinitudinem. Sententiose dixit D. Basilius : « Deo « nihil impossibile pronuntiatur; nam ubi opus « molitur, impossibile Deus demoliitur. » Leo vivus os ferturbabere fœtidissimum : destruitur leo et in ore fœtido mel reperit dulcissimum Samson. Quis autem de fœtenti leone speret mel dulce? Respondet pulchre Cassiodorus, *lib. de anima*, XIX : « Nosti « etiam benefacere per iniquos, convertens in « adjutorium, quod paratum est ad nocendum; « potentius esse dijudicans, lesiones ad utilitatem « convertere, quam causas malorum a radicibus « amputare. » Spinæ sunt mala vita et exempla pravi concionatoris; uvæ, verbum Dei a tali prædicatum. Licet ergo ab impiis hominibus verbum Dei prædicetur, ejus tamen auscultatio nullatenus intermittenda, nec illius fructus negligendi sunt. Item Deus novit ex malis elicere bonum, odiumque dæmonis in nostrum bonum usus vertere.

Versus 17.

Sic omnis arbor bona bonos fructus facit, mala autem arbor malos fructus facit.

Sic omnis arbor bona bonos fructus facit.

1. — S. Bonaventura, *Serm.* III *in hac Dom.*, dicit : « Bona arbor est bonus homo. » *Luc.*, VI, 43, Sapientia incarnata similiter hominem arbori assimilat. *Matth.*, VIII, 24, cæcus ille illuminatus dixit : *Video homines velut arbores.* Psalmista quoque, *Psal.* I, 3, hominem sub eodem symbolo describit, dum ait : *Erit tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.* Radix ejus caput dici potest esse, truncus corpus, rami brachia, cortex pellis, anima præcordia, viscera bonorum operum fructus. Philosophi antiqui et inter illos Plato in suo Timæo, hominem arborem inversam vocat, atque insuper dicit, quod boni radices suas cœlum versus protensas habeant, e contra vero mali radices suas in terra profunde explicent, dum affectibus suis, hisce bonis terrenis immersi sunt : *Psal.* XLIII, 25 : *Conglutinatus est in terra venter eorum.* Ad hoc ut arbor aliqua fructificare possit et a ventorum furia nequaquam evelli queat, opus est ut radices suas profunde agat; quanto enim hæ profundius in terræ sinum descenderint, tanto magis ramos suos protendet in altum; eodem modo quanto magis homo in humilitate stabilitus fuerit, tanto constantius omnes excipiet tentationum ventos, majoraque in virtutibus et profectione incrementa suscipiet.

2. — Nam ut Guerricus Abbas de humilitate optime scribit : « Humilitas est omnium radix, et « seminarium, et fomes ac incentivum virtutum, et « ipsa cumulus, et fastigium, custodia et disciplina; « ab ipsa incipiunt, per ipsam proficiunt, in ipsa « consummantur. »

3. — Quanto radices arboris alicujus profundius sub terra sepultæ et reconditæ fuerint, tanto copiosius in arborem, humorem influent vitalem; detectæ vero radices faciunt ut arbores exsiccationis periculum incurrant : ita quoque quanto magis virtutes, dona, gratiæ et opera bona ab oculis et applausibus humanis occultantur, tanto aptiores erunt homines ad cœli beatitudines consequendas : *Simile est regnum cœlorum thesauro, sed in agro abscondito;* unde S. Isidorus « Cœlum a celando » dici asserit. *Isaiæ*, XXIV, 16 : *Secretum meum mihi.* Arbor in trunco difformis est et rudis, aspero et hispido cingitur cortice, et tamen intus medullam habet, quæ tenera est, et delicata, quæ in omnes se arboris partes universim insinuat, atque foliis viriditatem, colores vivaces floribus, fructibus saporem impertitur; eodem modo in homine, spirituali vitæ dedito, foris apparet pallor in vultu, austeritas in vita exteriori, sacco amictus, fune grosso cingitur, nudis incedit pedibus, vivit abstinenter, continuisque se exercet rigoribus; interius vero laborat in ipso divina gratia, serenitate gaudet bonæ conscientiæ, virescit in corde ipsius spes æternæ retributionis, bona in eo florent proposita, maturantur in ipso Christianarum fructus virtutum; per hujus quoque mysticæ arboris radicem intelligere possumus fidem, per truncum spem, per ramos in varias sese partes protendentes, charitatem, quia ut ait Apostolus, I *Cor.*, XIII, 4 : *Charitas patiens est, benigna est, non æmulatur*, etc. Per medullam intelligi potest recta intentio, per exteriorem corticem virtuosa conversatio, actiones bene ordinatæ per folia, per flores bonum nomen et fama bona, per fructus denique bona conscientia. Ex unica duntaxat radice humor transmittitur ad varios eidem insertos surculos, qui varios producunt fructus, juxta diversitatem surculorum insitorum; ita quoque charitas, quæ unica et sola est instar radicis, intus in anima nostra ad varios extenditur affectus virtutum.

4. — *Fructus autem Spiritus, charitas, gaudium, pax*, etc. *Gal.*, V, 22. Arbor non producit fructus ad propriam utilitatem, sed pro aliis; nec illos sibi retinet, sed agricolæ suo liberaliter exhibet; et præter fructus, ipsum quoque lignorum suorum, ad ignis nutrimentum, participem efficit; hunc eumdem effectum in bonis arboribus experimur, id est, in servis Dei, vera charitate accensis : *Charitas non quærit quæ sua sunt*, quidquid enim habent et quidquid operantur, in boni communis utilitatem semper cedit, ac demum de omni opere suo gloriam Deo referunt. Arbor eadem cum tolerantia exposita manet benignis temporum influentiis, qua tempestatibus, glaciei, pluviæ, aliisque injuriis aeris : ita quoque homo justus cum eadem ad divinamvoluntatem conformitate excipere debet adversa, qua prospera, cumque eadem animi serenitate recipere debet contumelias, qua honores; infirmitates, qua sanitatem; paupertatem, qua divitias : *Prov.*, XII, 21 : *Non contristabit justum quidquid acciderit ei.* Arbor ne sterilis evadat, cultura opus est, debentque ei amputari omnes illius rami exarescentes, ac demum rigari debet de tempore in tempus; ita quoque anima ad perfectionem contendens, continua indiget in virtutibus et in spiritu cultura, patienterque sustinere debet, ut mortificationis ferro ab ea resecentur omnes affectus et appetitus inordinati, qui ab hac nostra natura corrupta et depravata alias continuo pullulant, quia alias periculum esset, ne arbor ad nihil aliud utilis esset, quam ut ligni instar in igne infernali perpetuo arderet, rigari quoque debet bonorum æternorum mediationem, per librorum sacrorum lecturam, perque veræ cujusdam pœnitentiæ lacrymas et amarum planctum.

5. — Enimvero qualis hujus arboris bonitas esse debeat, ex supradicto Psalmi loco facile potest deduci; ibi namque dicitur : *Lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo, et folium ejus non defluet.* Arbores enim juxta aquas plantatæ præ cunctis aliis facilius crescunt et eriguntur in altum, profundioresque agunt radices, ideoque sunt stabiliores; porro propinquitas aquarum est frequentia sanctissimorum Sacramentorum, hæc enim animas efficit stabiliores in virtutibus, fortioresque reddit ad resistendum cuivis vento tentationis, ac demum cœlestia nobis desideria imprimunt et affectus. *Fructum dabit.* « *Fructum*, » inquam, ait Hugo Cardinalis, « non vero solum germen cogitationis, aut florem « propositi, aut folia verborum; » neque enim bona voluntas, aut recta intentio sufficit, quando ei simul correspondere possumus bonis operibus. Notandum quoque quod Psalmista dicat : *Fructum suum*, « in se scilicet, » ut idem Hugo ait, « non « vero tantum in aliis. » *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detri-*

mentum patiatur? Matt., XVI, 27. Prius enim homo applicare se debet saluti suæ, et postea studere debet saluti alienæ. Præterea dicit : *Fructum suum*, quia quælibet arbor fructus producere debet, speciei suæ correspondentes; scilicet malogranatus malogranatos, ficus ficus, nux nuces, ad insinuandum per hoc nobis, quod quilibet propria vocatione debeat esse contentus, in quam Deus illum in hac vita collocavit, et secundum illam intra sphæræ suæ limites christiane operari; artifex mechanicus non debet vivere instar nobilis, sæcularis non ut religiosus, nec e contra; sed hic vivere debet claustraliter, conjugatus intentus esse debet gubernandæ suæ familiæ, miles arti militari; cuilibet enim prædictorum cœlestis ille agricola in suo statu de mediis providit, quibuscum æternæ vitæ fructus copiose producere possit, *Psal.* XXIV, 21 : *Quis est homo qui timet Dominum? legem statuit in via quam elegit*; in cunctis operibus timor Dei præcedat, moxque in omni vocatione videbitur abundantia operum sanctorum : *Anima ejus in bonis demorabitur, semen ejus hæreditabit terram.*

6. — S. Bernardus observat quod hypocritæ non proferant fructum suum, quia tametsi quod exteriorem apparentiam virtuose operentur, illud tamen opus non est fructus, quia radix vitiata est, id est, intentio est perversa, et hæc est, quæ operibus nostris bonitatem ac meritum tribuit. *Dabit tempore suo.* « Tempus uniuscujusque ad operandum, » inquit Hugo Cardinalis, « est præsens vita. » *Joann.*, IX, 4 : *Me oportet operari donec dies est, venit nox quando nemo potest operari. Dum tempus habemus*, inquit Apostolus, *Gal.*, VI, 10, *operemur bonum.* Est nihilominus inter arborem et nos hæc differentia, quod illæ certo tantum anni tempore fructum reddant, non autem semper, nobis autem necessum est, ut per totum vitæ decursum bene operemur et fructum faciamus, fieri enim potest, quod cœlestis agricola veniat et fructus a nobis requirat, quos si non invenerit, maledicet nobis, prout fecit arbori ficus; et tametsi, ut Evangelista bene notat, tempus fructus producendi tunc non adesset, nihilominus illi maledixit, quia arbor illa hominis figura erat, qui quovis tempore et in quacumque ætate fructificare debet in vitam æternam. Arbor quantumvis a ferro succidatur, putetur et stercoretur, ideo tamen fructus proferre non desinit, imo tanto copiosiores solet fructus afferre; ita quoque homo, quando vel maxime proscinditur contumeliis, petitur opprobriis; tunc illi tempus adest aptissimum ad proferendum patientiæ, charitatis, mansuetudinis et humilitatis fructum; dum mensæ accumbimus, tempus est, ut sobrii simus; quando conspicitur necessitas et egestas proximi, tunc tempus est exhibendæ eidem compassionis; in prosperitatibus tempus est temperantiæ; in tribulationibus patientiæ; in necessitatibus extremis firmæ et constantis in Deum fiduciæ; et sic de singulis. *Et folium ejus non defluet.* Alii legunt : *Non decidet*; quia fructus, id est, bona opera, merita, imo etiam folia, per quæ intelligi possunt bona desideria, non perdentur, sed colligentur in cœli penuario : *Capillus de capite vestro non peribit. Luc.*, XII, 18.

7. — S. Bonaventura, *Serm.* III *in hac Dom.*, ait : « Bonus fructus, bona vita; fructus autem bonitas « probatur utilitate, multiplicitate, delectabilitate, « durabilitate; utilitas in retributione, multiplicitas « in operatione, delectabilitas in devotione, dura- « bilitas in consummatione et perseverantia. »

8. — Notandum est, hæc verba ab eo dicta esse, qui de semetipso ait, *Joan.*, XV, 1 : *Pater meus agricola est*; ac proinde advertendum est, quod non dixerit in numero singulari : *Sic omnis arbor bona bonum fructum facit*, sed in numero plurali, *bonos fructus.* Quæ ponderatio ab eodem S. Bonaventura facta fuit, qui textum illum Evangelicum, *Joan.*, XV, 8 : *In hoc clarificatus est Pater meus, ut fructum plurimum afferatis*, exponens dicit : « Parum cura- « ret de arbore, quæ non afferret nisi duo vel tria « poma; similiter de agro non ferente nisi duo vel « tria grana, sic et tu nisi vis contemni a Deo, non « paucos, sed multos bonorum operum fructus « ferre debes : *In omni bono opere fructificantes.* « *Coloss.*, VIII, 10. »

Mala autem arbor malos fructus facit.

9. — Una ex præcipuis causis, cur arbor fructus vermiculos producat, aut putridos, est, quia radix ejus infecta est; eodem modo causa, cur omnia opera hominis ficti, hypocritæ et impii, apud Deum abominabilia sint, ab eoque rejiciantur, est, quia intentio, quacum illa fiunt, tametsi apparenter recta et christiana sit, revera tamen fraudulenta, ficta et perversa est. S. Augustinus ait : « Non valde « attendas quid homo faciat, sed quid, cum facit, « aspiciat : » hypocrita quidem bona opera facit, sed ut alios decipiat, ut famam, æstimationem et applausum mundi sibi comparet, ut ab hominibus colatur et veneretur, tanquam homo magna sanctitate conspicuus, non respicit ad Deum, nec ad divinum illius servitium, multo minus ad propriam animæ salutem. De salamandra naturalistæ scribunt, quodsi veneno suo radicem contigerit arboris alicujus, omnes illius fructus perdat et destruat, omnemque foliis et floribus vigorem adimat; eadem est serpentis infernalis astutia, qua radicem intoxicare, id est, depravare intentionem nititur, hoc enim si præstiterit, omnia se hominis merita depravasse novit; nam ut S. Gregorius testatur : « Cum perversa est intentio, quæ præcedit, pra- « vum est omne opus quod sequitur, quamvis « rectum esse videatur. »

VERSUS 18.

Non potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere.

Non potest arbor bona malos fructus facere.

1. — Et tamen hoc non obstante, experientia sæpe docet, quod etiam viri sancti, imo etiam sanctissimi, lapsi quando fuerint; sed ut ait Jansenius : « Facilis est responsio, per arborem bonam « voluntas bona est intelligenda; per arborem ma- « lam voluntas mala; jam manifestum est, bonam « hominis voluntatem mala non facere, nec contra « malam voluntatem bona facere. » Arbor enim bona, ut Rabanus a Glossa et Hugone Cardinali citatus, ait, idem est, quod *voluntas bona.* S. Hieronymus super Isaiam, *cap.* XXXV, hunc textum commentans ait : « Non refert ad naturæ proprietatem, « ut hæretici volunt, sed ad mentis arbitrium. « Denique infertur : Aut facite arborem bonam, et « fructus bonos; ex quo perspicuum est, unum- « quemque propria voluntate facere animæ suæ « bonam vel malam arborem, cujus fructus varii « sunt. »

2. — Dionysius Carthusianus ait : « *Non potest* « *arbor bona*, in quantum *bona, malos fructus fa-* « *cere*, sic nec homo virtuosus, ut talis, potest « facere opera mala, potest tamen malus fieri et « peccare. » Theophylactus rationem reddit, cur Christus hominem arbori comparet : « Arbori con- « fert hominem, » inquit, « eo quod potest a sterili « peccato in virtutem inseri. » S. Hieronymus in exemplum Moysem adducit ad aquas contradictionis peccantem, Davidem adulterum, Petrum perjurium, qui omnes arbores bonæ erant. E contra vero Jethro idololatra arbor mala erat, et tamen genero suo bona consilia suggessit. Achior princeps Ammonitarum causam populi electi apud Holofernum defendit; sic quoque Judas aliquo tempore virtuose vixisse creditur; at vero idem S. Hieronymus postea ad persecutorem Ecclesiæ Saulum deveniens, ejusque mutationem considerans, dicit : « Saulum, « arborem malam eo tempore quo persequebatur « Ecclesiam Christi, fecisse postea fructus bonos, « quando in vas electionis de persecutore transla- « tus est. » Unde concludit : « Tamdiu ergo bona « arbor fructus non facit malos, quamdiu in boni- « tatis studio perseverat, et mala arbor tamdiu « manet in fructibus peccatorum, quamdiu ad poe- « nitentiam non convertitur. » S. Anselmus quoque in eadem est opinione, quod scilicet per hanc arborem, sive bonam sive malam, intelligi debeat bona vel mala voluntas : « Per arborem malam « mala voluntas intelligitur, de mala ergo voluntate « nunquam bona actio procedit. »

3. — Auctor Imperfecti reflexionem quamdam habet, per quam hæc verba magis perspicue declarat : « Non dixit, » inquit, « arbor mala non potest « fieri bona, neque arbor bona, mala; sed malus « non potest facere fructus bonos, id est, quamdiu « malus est; si vero factus fuerit bonus, potest, ut « unusquisque quod malus est, aut bonus, volunta- « tis ejus sit, non naturæ. »

4. — Dionysius Carthusianus duas hasce propositiones veras esse dicit *in sensu composito, non diviso*; siquidem quamdiu anima aliqua in gratia et amicitia Dei consistit, non potest facere opera demeritoria, pariter qui est in statu peccati per aliquod tempus, non potest sibi comparare meritum vitæ æternæ. Idem Auctor Imperfecti dicit : « Ser- « vus Dei non potest facere malum, et si videbitur « tibi, quod aliquando male fecerit, considera « caute ipsum malum ejus, et invenies eum ab « intus esse bonum, nam eo proposito bono, etiam « quod videtur malum, bonum est, quia proposi- « tum bonum malum opus excusat; » datque evidens exemplum in Moyse, qui Ægyptio illi mortem intulit, verum finis illius non fuit propriæ injuriæ compensatio, sed zelus vindicandi injurias, populo Dei ab injustis persecutoribus illatas. De Jacob quoque legitur, quod aliud lingua protulerit, aliud vero senserit in corde, quando ad Esau faciem ejus sibi vultui Dei similem videri dixit : « Non ut eum deci- « peret, sed ut eum compesceret. »

Neque arbor mala bonos fructus facit.

5. — Tametsi multa opera ex iis, quibus se hypocritæ impediunt, oculis nostris bona esse appareant, revera tamen talia non sunt. Unde Cajetanus ait : « Ideo Jesus hoc dixit, ut intelligamus, quod « quæcumque opera bona ex suo genere, quæ pro- « cedunt a mala voluntate falsorum prophetarum, « non sunt fructus boni, sed mali, ita quod intelli- « gamus etiam ipsa vestimenta ovium, sub quibus « se occultant, fructus esse malos. » Ex illo quoque Apostoli textu, *I ad Corint.*, XIII, evidenter deducitur, unumquodque opus, quantumvis id sanctum sit, nisi a charitate informetur, invalidum esse. Porro observandum est, quod Christus in numero plurali dicat : *Fructus*, quia tametsi nonnunquam multa opera apparenter virtuosa faciant, attamen qui omnia bene considerat, in aliquibus illorum hypocrisis apparebit et dolus. Auctor Imperfecti ad discernendum ipsorum operationes, sequens nobis tradit monitum, dicit enim, *Hom.* LIX : « Etsi vide- « tur tibi facere bonum, considera caute ipsum « bonum, et invenies illud ab intus esse malum, « nam quod ex proposito malo fit, etiam bonum, « malum est; nam bonum opus malum propositum « non excusat, malum autem propositum bonum « opus condemnat. »

Versus 19.

Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur.

1. — Iisce verbis Christus falsis Prophetis et omnibus reprobis duplicem pœnam comminatur; damni scilicet, per verbum *excidetur*, quia sicut arbor præcisa aut amputata, eo ipso privata est vegetativa, ita reprobos a vita æterna in perpetuum proscribit et exulat; pœna vero sensus denotatur per verba sequentia : *Et in ignem mittetur*. Unde Hugo, Chrysostomi auctoritatem adducens, inquit : « Duæ sunt pœnæ : excidi, et in ignem mitti; qui « enim comburitur, etiam a regno exciditur. Multi « gehennam horrent; ego vero casum illius gloriæ « multo majorem gehenna pœnam esse aio. Intole- « rabilis est gehenna; dierum etiam mille aliquis « ponat gehennas, nihil tale dicit, quale est a « beata illa gloria excidere, et odio Christi ha- « beri. »

2. — Observanda hic est causa, cur ferrum hujus arboris radici intimet, ut ligna cædat : *Quæ non facit fructum*. Porro illi, qui otiosi, negligentes et in servitio Dei, nec non in arduissimo propriæ salutis negotio desides sunt, huic comminationi præ cunctis aliis maxime subjecti existunt. S. Bonaventura, *Serm.* I *in Dom.* VII, ait : « Illa arbor est « origo mali operis, quæ est infœcunda, » adducitque id, quod Lucæ *cap.* XIII, de illo, qui arborem ficus sterilem habebat, scribitur : « Per arborem « illam potest intelligi, qui in operibus virtutis non « se exercet, cui minatur Dominus succisionem : « *succide ergo illam; ut quid terram occupat?* » Glossa ab eodem Seraphico Doctore citata super hæc jam dicta verba ita commentatur : « *Terram* « *occupat*, qui locum quem tenet, bonis operibus « non exercet, et exemplo pravitatis præstat impe- « dimentum cæteris, ne calore solis tepescant. »

3. — Considerabilis quoque est hæc dictio : *Omnis arbor*, id est, ut Hugo Cardinalis ait : « Sine « acceptione personarum. » Etenim reges, qui multos in sui defensionem enumerant ferro armatos exercitus, hoc ferrum sive securim, quocumque etiam adhibito conatu arcere non poterunt, imo : *Potentes potenter tormenta patientur*.

4. — In Græco legitur in tempore præsenti, *exciditur*, ad notandum quod reprobos aliquis in ira et indignatione constitutus, de facto « secum- « dum præsentem justitiam » uno pede conscatur infernum ingressus, mortemque non solum corporalem, verum etiam æternam, supra se ex tenuissimo quodam filo suspensam habeat, idque tanto magis verum est, quod verissimum sit, quod *stimulus mortis peccatum est*, ac proinde sanctissimus Christi Præcursor in desertis Judææ voce quadam et spiritu Apostolico clamabat, *Matt.*, III, 8, 10 : *Facite fructum dignum pœnitentiæ, jam enim securis ad radicem arborum posita est; omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur.* Ubi Hugo Cardinalis ait : « Securis est severitas « judiciaria; arbor est homo cujuscumque condi- « tionis, sive religiosus, sive sæcularis, sive præla- « tus, sive subditus; radix arboris vita hominis : « securis ergo est ad radicem posita, quia sententia « judicis ad extirpandos infructuosos funditus est « præparata. »

5. — Observandum quoque est quod increata illa Sapientia in Evangelio præsenti eadem utatur phrasi, qua Præcursor ejus usus fuerat, idque non mysterio; num enim Salvatori nostro alii modi loquendi non suppetebant, ut idem documentum, eamdemque comminationem nobis, aliis differentibus verbis intimare aut inculcare posset? Hugo Cardinalis ait : « Hic sugillantur Prædicatores, qui « dicta aliorum dedignantur dicere; » nimirum vult authenticare et ratificare hanc propositionem, et ideo illam, utpote in qua maximum momentum positum est, iisdem fere verbis repetit, ad inculcandum fidelibus suis tanto fortius statum illum prorsus miserabilem, in quo positi sunt, qui extra Dei sunt gratiam constituti : *Securis ad radicem arboris posita est; exciditur, et in ignem mittitur.*

6. — Considerandum quoque est quod absolute dicat : *Excidetur*, nulla facta mentione, qua ferrum istud vibrabitur, non dicit, quod ipse exscindet, quia *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum. Sap.*, I, 13. Nos potius sumus nobismetipsis instrumenta mortis non solum temporalis, sed etiam æternæ : *Impii manibus et verbis accersiverunt illam*, siquidem per sensualitatem, crapulas, rixas, aliosque excessus et delicta execrabilia, nobis ignem infernalem adsciscimus, mortemque et justitiam non solum divinam, sed etiam nonnunquam humanam accelersmus.

7. — *Excidetur*, inquit, in tempore futuro; unde colligi posse videtur, quod adhuc multum tempus reliquum sit, donec hoc fiat, adeoque non opus sit tantopere accelerare ad reddendum fructum et faciendam pœnitentiam; sed decipitur quisquis id sibi verum esse persuadet, quod verum esse patebit, si modum, quo ligna vel arbores cædi solent, diligentius consideremus; dum igitur arbor aliqua cæditur et in terram prosternitur, vel hoc fit, ut ex cæsa arbore trabes fiant, vel tabulæ in labores scriniariorum adhibendæ, vel ut ligna arboris cæsæ igni faciendo et nutriendo deserviant. In primo casu multæ haberi solent considerationes, nimirum ut lignum sub statu bonæ lunæ cæsum fiat, ut sit rectum, solidum, minimeque carie aliqua affectum; at vero si lignum igni tantum servire debeat, quovis tempore id cædere licet, nec ullos ad prædictas conditiones habetur respectus; simili modo is, qui pro ædificio supremæ Jerusalem in mente Dei destinatus est, sive arbor illa, quæ in paradisum cœlestem aliquando transplantanda erit, magna cum circumspectione a sapientissimo illo totius mundi architecto cæditur, illa namque errare nescia cœli providentia attendit, ut id non fiat, nisi in luna propriorum meritorum plena, ut nullus talis sit peccati cariei obnoxius, ut fiat in tempore, quo talis constitutus est in divina gratia, et quando vel maxime onustus et plenus fructibus. *Lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo, et omnis quæcumque faciet, prosperabuntur*. Non vero idem fiet seu observabitur quoad reprobos, qui destinati sunt ad flammas infernales : *Non sic impii, non sic, sed tanquam pulvis, quem projicit ventus a facie terræ.*

8. — Potest quoque hoc loco alia fieri reflexio, nimirum quod aliquæ arbores cædantur non ut destruantur, sed ut radici propinquius jungantur, vel ut inferantur trunco alieno, velut transplantentur; quando vero radix simul amputatur, signum est, quod tunc penitus extirpanda sit, et tunc nulla superest spes sive repullulandi, aut germinandi, aut fructificandi. Et hæc est miserrima illa reproborum conditio, qui postquam a ferro seu falce mortis præcisi sunt, nullum amplius superest illos reparandi, aut in integrum restituendi remedium, nec ulla per totam æternitatem spes illis superest, ut redire possint ad statum, in quo opera bona et pœnitentiam facere queant. *In ignem mittetur*; et in inferno nulla est redemptio. « O lignum aridum, » exclamat S. Anselmus, « et inutile, æternis ignibus « dignum! quid respondebit in illa die, cum exige- « tur a te usque ad ictum oculi, omne tempus « vivendi tibi impensum, qualiter fuit impensum? »

9. — Hugo Cardinalis ait : « Excidetur de nu- « mero filiorum, inter quos computatur in Ecclesia « militante, in qua non est merito, sed numero; « *jam securis ad radicem arboris posita est*; excide- « tur per excommunicationem, per mortem, per « judicii examinationem. »

Additiones.

a. — *Omnis enim arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur.* Prosequitur Dominus ipsam metaphoram de arbore, et ad inculiendum timorem falsis Prophetis, eorum indicat pœnam et supplicium. S. Chrysostomus, *Hom.* XXIV, notat quod duæ sunt pœnæ, *excidi et in ignem mitti*, et privari felicissima Dei visione. Intolerabilis res est gehenna, sed multo intolerabilior ac gravior pœna est a summa illa Dei visione ac gloria expelli et excludi. Tamen Dominus de igne gehennæ mentionem facit, quia homines hujus sæculi, utpote imperfecti, maxime supplicia, ac pœnas corporis timent et formidant, illorumque metu frequenter cohibentur. Non pauci inveniuntur qui convivium sibi repræsentant gloriæ cœlestis, alii vero qui mentis suæ oculos in pœnas conjiciunt infernales; ast hi ultimi longe majorem sibi comparabunt profectum, certioremque obtinebunt emendationem, siquidem pœnarum meditatio efficaciam habet, ut animam ab omni eximat culpa, et flagitio, magis quam spes præmii et beatitudinis contemplatio. S. Chrysostomus, *Hom.* V *ad pop.*, non dubitavit dicere : « Si quis gehennæ semper meminisse « laboret, omnem mortem deridebit, et non præ- « senti tantum angustia liberabitur, sed et ab illa « flamma eripietur. Gehennam continue timens, « nunquam in gehennæ ignem incidet, continuo « hoc castigatus metu. »

b. — Mysterium est quod Dominus arbori malæ hic duplex assignet supplicium, *excidetur et in ignem mittetur*, neque tamen arbori bonæ ullum assignet præmium. Ratio autem est, quia arbori bonæ suamet bonitas ac excellentia satis sufficiens est præmium. Arbori autem pessimæ duplex infligitur pœna, et merito, planta enim quæ, aut proposito, aut viso exemplo bonæ radicis, aut adhibita opera et incisione, incurvatione, erectione, transplantatione, boni ac diligentis superioris, non proficit, nec in optimos fructus prorumpit, in sui condemnationem omne supplicium parvum reputatur; unde non una sed duplici pœna mulctatur. Similes arbores malæ sunt perditæ salutis homines, qui correctiones aspernantur et nullum ex iis fructum referunt.

c. — Concors est SS. Patrum sententia, rationales homines, per has arbores significari, quos idcirco Deus in hortum Ecclesiæ transplantavit, ut fructus ferant temporibus suis; a quibus dum abstinent ignem et excidium minatur. Itane, Domine, dire luet arbor, quæ, ex bonitate coloni et agricolæ plantata, forte in culpa non est, quo minus fructum ferat? Quid si terra sterilis malignitate sua necessarium neget humorem? Ergo hac similitudine nihil aliud declarare voluit Christus Deus, quam ostendere quam detestabile sit otium, et fructus carentia. Nihil enim pejus excogitari potest quam illud, quod in otiositate et torpore degit, utpote maledictioni proximum et igni solum serviens. Signum enim æternæ reprobationis est, sine fructu transigere tempus, quod ipsa mortis coram Deo nos accusabit. Unde sicut mater Tobiæ, Tobiam a se dimissum, tanquam deperditum flebat lacrymis irremediabilibus, atque dicebat : *Utquid permisimus peregrinari a nobis lumen oculorum nostrorum, solatium vitæ nostræ*; pariter justus illi deflentur, qui nullam temporis rationem habent, illudque adeo pretiosum, aut male impendunt, aut negligunt, de quo exactam aliquando rationem reddituri sunt.

d. — Stupenda profecto et terribilis sententia qua arbores, quæ fructus bonos ferre differunt, Dominus ferit! Quam adimpletam et executioni mandatam legimus, apud Matthæum, XXI, in illa

UNIVERSIDAD DE NAVARRA

ficus arefacta, quæ cum esurienti Domino ficus nullas offerret, maledicta, igni in pabulum cessit. Cur vero eam, quam decet, cum his serotinis arboribus, patientiam non habet cœlestis arborum mysticarum cultor, ut etsi hoc anno sterilescunt, futuris saltem temporibus uberes fructus afferrent? Nullatenus hortulani hic culpanda patientia venit; cum enim plurimis annis infrugiferæ in horto Ecclesiæ steterint, atque de die in diem fructus spoponderint, merito excindantur. Ut intelligant Christiani homines, quos arbores inversas dixit Aristoteles, quantum Deus cœlestis horti Ecclesiæ cultor, eos abominetur, severeque notet, qui ad usque finem vitæ emendationem suam differunt, fructusque pœnitentiæ de die in diem reservant. Sicut enim hortorum cultores ex eo capite steriles arbores evellunt, non quia fructus ferent, sed quia terram occupant, et in præsenti non ferunt; ita cœlestis Paterfamilias impœnitentes, qui tardius per pœnitentiam ad Deum converuntur, præter expectationem, morte repentina sæpe exscindit.

6. — Allegatis verbis : *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum*, etc., hoc significare intendit Christus, quod quemadmodum hortorum cultores steriles arborem evellunt, ne terram occupet et umbra sua frugiferis arboribus nocet; nam igni reservant : ita cœlestis Pater improbos et sceleratos peccatores ante diem e medio frequenter tollit. Cujus accelerationis causa sibiipsis peccatores sunt; peccata siquidem mortalia committentes, ut plurimum sibi mortem accelerant, et ex improviso pereunt. Ut proinde bene notat S. Basilius : « Scitisne filii, quo intraveritis, et quam vos maneat « obligatio? Arbores vos esse scitote, quas mera « Deus sua misericordia gentilitatis erutas sylvis, in « Ecclesiæ transplantavit Paradisum. » Nempe eo fine ut copiosos bonorum operum ferant fructus; a quo fine cum malitiose recedant impii, quid mirum quod excidantur et igni reserventur, cum ipsi sibi infernus sint, et ignis quidam, quo anima eorum in hac et altera vita aduritur?

Versus 20.

Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos.

1. — Lucas Brugensis ait : « Nam præter illatio- « nem, etiam confirmandi vim particula ista habere « videtur, id quod Euthymius docet, ut ne quis « excisionem, quæ frequenter haud conspicua « oculis est, signi loco datam intelligeret, repetit « signum illud quod dederat, vultque in eo per- « sisti. » Etenim clarissimum et indubitatum signum, unde horum hypocritarum dignosci falsitas potest, est examinare opera eorum, quia nunquam adeo bene dissimulare aut fingere poterunt, quin semper, quales revera sint, agnoscantur.

Versus 21.

Non omnis, qui dicit mihi : Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum.

Non omnis, qui dicit mihi : Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum.

1. — Quasi diceret, inquit S. Anselmus : « Ideo « dico, quod *a fructibus cognoscetis eos*, quia in ver- « bis non semper cognoscuntur homines, quia *non* « *omnis, qui dicit mihi : Domine, Domine,* » etc. Huic autem sententiæ Christi, idem sanctus Pater textum illum opponit Joelis Prophetæ, II, 34, dicentis : *Omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit*; nec non textum sequentem Apostoli, I *Cor.*, XII, 3, scilicet : *Nemo potest dicere Dominus Jesus, nisi in Spiritu Sancto.* Respondet autem : « Illud invocare, « atque illud dicere, non verbotenus accipiendum « est, sed ponderosius intelligendum, juxta illud « Psalmistæ, *Psal.* CXLIV, 18 : *Prope est Dominus* « *omnibus invocantibus eum*; in veritate vero invo- « cat Dominum, qui facit se idoneum servum. »

2. — Albertus Magnus aliquas exponit conditiones, ad hoc requisitas, ut quis Deum nostrum digne invocare possit : « Conficitur ex tribus, » inquit, « perfecta invocatio : ex devotione, ex fide cordis « et confessione oris, et operis attestatione, et tunc « perfecta est invocatio, aliter est mendax; » adducitque verba illa Psalmi LXXVII, 36 : *Dilexerunt eum in ore suo, et in lingua sua mentiti sunt ei, cor autem eorum non erat rectum cum eo, nec fideles habiti sunt in testamento ejus.*

3. — S. Hilarius similiter dicit : « Regnum cœlo- « rum sola verborum officia non obtinent, neque « qui dixerit : Domine, Domine, hæres illius erit, « quid enim est meriti Domino, dicere : Domine? « numquid Dominus erit, nisi fuerit dictus a nobis? « Et quæ officii sanctitas est, nominis nuncupatio, « cum cœlestis regni iter, obedientia potius volun- « tatis Dei, non occupatio repertura sit?

4. — S. Thomas de Villanova in quadam concione sua de vanitate nonnullorum, qui devotis affectuosisque verbis se totaliter Deo deditos esse profitentur, cum tamen cor illorum ab eo sit alienissimum, ait : « Videns quamplurimos in oratione « jactantes : Deus meus, amor meus, bonum « meum, dulcedo mea, gloria mea, si adest spiri- « tus, verum dicis, alias sine dubio mentiris, et « veritas non est in te; nam Deus tuus venter est, « et desiderium tuum pecunia, aut honor tuus, aut « libido, aut quodvis aliud temporale lucrum. »

5. — S. Hieronymus ait : « Ne his quidem acco- « modandam fidem, qui cum polleant integritate « fidei, turpiter vivunt, et doctrinæ integritatem « malis operibus destruunt, utrumque enim Dei « servis necessarium est, ut et opus sermone, et « sermo operibus comprobetur. » Theophylactus quoque una cum fide operum exercitium necessarium esse dicit : « Docet autem, » inquit, « nos si « fidem absque operibus habuerimus, nihil nobis « eam profuturam. » Quod nos Christiani nomine insigniti simus, severissimi supplicii instrumentum nobis erit, nisi consequenter ad nomen operati fuerimus : « Nihil sane profuerit honorifica com- « pellatio, si desit debita obedientia, imo potius « condemnabit, cum arguat aut hypocritam, aut « infidelem servum, qui ore Dominum confiteatur, « factis autem neget, » S. Gregorius in suis Moralibus idem nobis monitum insinuat, dum ait : « Quia « enim nonnulli confitendo fideles sunt, non vi- « vendo, hinc est quod voce Veritatis dicitur : *Non* « *omnis qui dicit mihi : Domine, Domine, intrabit in* « *regnum cœlorum*; rursum ait : *Quid autem vocatis* « *me Domine, Domine, et non facitis quæ dico?* Hinc « Paulus ait : *Confitentur se nosse Deum, factis autem* « *negant?* » Cajetanus quoque verba hæc de illis exponit, qui nomine tantum, non vero moribus Christiani sunt : « Ac si aperte dicat : Non omnis, « qui profitetur integre fidem meam, quantum- « cumque ferveat exteriori cultu colendo me, in- « trabit in regnum cœlorum, sed qui fecerit « voluntatem Patris mei. » In sæculo illo, in quo Tertullianus vixit, Gentiles Christianis exprobrare solebant, quod essent homines parci sermonis, et taciturni, quibus tamen vetustus hic Pater mirabiliter respondet, dicens : « Et si eloquium quiescat, « ipse habitus sonat, » nimirum fidei suæ professionem per modestiam, humilitatem, exemplarem vitam, morumque integritatem, non vero per nomen nudum aut fumum protestabantur, et hæ virtutes paganos longe efficacius ad gremium perducebant Ecclesiæ, quam verba ab ipsis prolata, ac proinde D. Chrysostomus, *Hom.* XII *in Matth.*, ait : « Prop- « terea ne Gentiles fidem his, quæ a nobis dicuntur, « accommodent, de actibus enim, non de sermonibus « nostris futurorum volunt habere documentum. »

6. — Glossa ait : « Licet dicant : *Domine, Domine,* « non continuo sunt credendi, hoc autem dicunt, « ut a nobis recipiantur; vere dicere : *Dominus* « *Jesus*, est in corde credere, ore confiteri, operi- « bus attestari; nam unum sine altero, negare est. »

7. — Potest quoque hoc loco alia circa eadem verba institui observatio, eaque utilissima, ad eliminandum multorum Christianorum errorem, qui nimium in exterioribus quibusdam devotionibus confisi, eam quæ magis necessaria et utilis est, negligunt, scilicet exactam divinorum præceptorum observantiam, multi enim bonitatem et salutem suam spiritualem repositam habent in recitandis spiritualibus officiis et rosariis, aut aliis precibus devotis, in jejuniis, aliisque operibus similibus, absque eo, quod ad omnium præceptorum Decalogi adimpletionem, oculum suum dirigant; quot etenim sunt, qui in peccatis et mala vita, quam agunt, in certis quibusdam confidunt devotionibus, quas, ad sanctos Advocatos suos habent, non intelligendo, quod non illis, sed soli divinæ legis observantiæ promissa sit æterna nostra salus! *Hæc enim est charitas Dei, ut mandata ejus custodiamus.* I *Joan.*, V, 3. De populis Jabes Galaad legimus, I *Reg.*, XI, 1, quod a Naas Ammonitæ petierint : *Habeto nos fœderatos, et serviemus tibi*; sed quodnam ab eo retulere responsum? *In hoc*, inquit, *feriam vobiscum fœdus, ut eruam omnium vestrum oculos dextros*; hoc enim modo sibi viam faciebat, ad faciendam in illis maximam stragem; eo ipso namque, quo dextrum unicuique oculum erusset, ipse in tenebris, ut dicitur, pugnasset, quia in prælio oculus dexter fuisset erutus, sinister vero scuto mansisset contectus. S. Petrus Damianus per hunc Naas inimicum intelligit infernalem, cui multi sponte propria subjiciuntur; dæmoni namque sufficit, quod nobis unicus tantum remaneat oculus, scilicet sinister : « Quia sæpe malignus hostis consentienti tibi, cuili- « bet reprobo homini, potiorem partem sanctitatis « ac lucidi operis, minorem vero artificiosa quadam « suæ calliditatis industria derelinquit, ut in eo « quod tollitur, sit occasio damnationis, in eo quod « remanet, de spe fiduciæ præsumatur, ut peccator « ad pœnitentiam non recurrat. » Oculus dexter est divinæ legis adimpletio, in virtute cujus ad dexteram collocabimur : oculus sinister externas denotat devotiones, jejunia scilicet, disciplinas, rosaria, vota certis quibusdam Sanctis et B. Virgini facta; per hæc namque multi, se licet in peccatis habitualis perseverent, tandem in fine vitæ ad pœnitentiam reducendos esse existimant, sed turpiter se delusos et deceptos esse finaliter deprehendent, quia « in eo quod tollitur est occasio damna- « tionis. » Lamentabatur olim populus Dei electus, *Isa.*, LVIII, 3, dicens : *Quare jejunavimus, et non aspexisti? humiliavimus animas nostras, et nescisti?* Enimvero sat multos invenietis, qui omni Sabbato in honorem Deiparæ Virginis in pane et aqua jejunant, alios qui Responsoria de S. Antonio de Padua quotidie recitant, alios qui hospitalia et oratoria assidue frequentant, alios denique, qui peregrinationibus perpetuo vacant, et tamen se non experiri, quod hæc omnia Deo accepta sint, aut aliquem iis fructum pariant, lamentantur; vultis hujus rei veram causam nosse? Deus ipse respondet : *Ecce in die jejunii vestri invenietur voluntas vestra.* In præsenti Evangelio Christus satis declarat, quod primo loco et ante omnia desiderat, ut voluntatem æterni Patris sui adimpleamus, in quo observantia divinæ legis consistit. *In lege Domini voluntas ejus.* In miserabili illa Samariæ obsidione, in qua matres, fame cogente, eo redactæ sunt, ut filios suosmet comederent, a toto populo Rex visus est indutus

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEÓN

cilicio, IV *Reg.*, VI, 30 : *Viditque omnis populus cilicium, quo vestitus erat ad carnem intrinsecus. Et ait Rex : Hæc mihi faciat Deus, et hæc addat, si steterit caput Elisæi super ipsum hodie;* en eodemmet tempore, quo caro sacrilegi hujus Regis cingebatur cilicio, simul etiam jurat se occisurum sanctissimum illum, optimeque meritum Prophetam, qui in populo Israel erat : hæc est indoles et stylum multorum, qui *veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Matth.*, VII, 15. Quot sunt qui videntur quotidie devote coronam Domini recitantes, quotidie Missam audientes, verbum Dei mirâ cum aviditate auscultantes, in quibus tamen, si familiarem eorum, quam domi gerunt, conversationem consideraveritis, quotidie simul videntur abominationes, sensualitates, commessationes, audiuntur maledictiones et blasphemiæ, implacabilia nutriri conspiciuntur odia.

Sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum.

8. — Porro in quonam divinæ voluntatis adimpletio consistat, Jansenius his verbis declarat : « Voluntas Patris, quam facere debet ingressurus « regnum cœlorum, in duobus consistit, nempe in « fide Filii Dei, et dilectione, quæ non potest esse « sine observantia externa mandatorum Dei. » Et ideo dicit S. Joannem hæc duo simul conjunxisse, scilicet amorem et charitatem erga Deum, et sanctæ legis suæ observantiam, dum, I *Epist.* III, 23, ait : *Hoc est mandatum ejus, ut credamus in nomine Filii ejus Jesu Christi, ut diligamus alterutrum, sicut dedit mandatum nobis.* Multi sunt, qui in nonnullis operibus confidunt, eisdemque cum indefessa quadam applicatione dediti sunt, absque tamen eo, quod præcipue divinorum præceptorum executioni insistant. Populus Israeliticus arcam Dei in exercitu suo contra Philisthæos pugnaturus circumtulit, sperans hanc sibi instar inexpugnabilis propugnaculi adversus inimicum futuram esse, utpote a qua in variis occasionibus immensa beneficia acceperant, multaque in sui defensionem experti fuerant; sed quid fit? Non solum Israelitæ misere fuere dissipati et profligati, verum etiam inæstimabilis ille thesaurus, in quo unicum suum refugium repositum habebant, hostibus misere cessit in prædam. Vultisne hujus facti scire mysterium? Nimirum in arca ista tabulæ custodiebantur legis illius, quam Deus quondam populo suo dederat, ut ejusdem essel punctualis et exactissimus executor et custos; at vero quænam erat isthæc temeraria præsumptio, quia hi Israelitæ, qui hujus legis enormissimi transgressores erant, ab hoc reconditorio legis auxilium et defensionem sibi futuram expectare et sperare non dubitabant? qua fronte petere a Deo poterant, ut ab hac arca protectionis beneficium experirentur, quando ipsi eamdem summa cum irreverentia pedibus suis subjecerant, pretiosissimum, quem intra se claudebat, thesaurum, divinam scilicet legem conculcando? Optime igitur Theodoretus ait : « Cur enim legem « transgredientes, arcam ad auxiliandum traherent, « quæ legem intus habet suam? » Idem quoque est multorum Judæorum error, qui cum, utpote divinæ ejus voluntati rebelles, mortis æternæ rei, divinarumque legum transgressores, Deum graviter offenderint, gratiam et assistentiam ejus exterioribus quibusdam devotiunculis sibi conciliare satagunt, claram hanc et prorsus evidentem a Christo in hodierno Evangelio prolatam protestationem minime attendentes : *Non omnis, qui dicit mihi : Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui fecerit voluntatem*, etc. Dæmon nihil æque formidat, quam solam divinorum præceptorum observantiam, de reliquo, quodvis aliud bonum opus ab hac dismembratum ridet, et ludibrii loco habet. Unde S. Antonius discipulos suos monens, dicit : « Pertimescit Satanas recte viventium vigilias, ora- « tiones, jejunia, mansuetudinem, humilitatem, » quibus in verbis advertendum est, quod prius præmittat hæc verba : *Recte viventium*, et postea jejunia, orationes, et alia pœnitentiæ opera subjungat.

9. — Albertus Magnus ait : « In illud non intra- « tur, nisi per observantiam justitiæ, et legum ad « ipsum regnum pertinentium. » Christus Magister dum orationem quotidianam componens, *Matth.*, VI, nos regnum cœlorum petere docuit his verbis : *Adveniat regnum tuum*, immediate post nobis quoque modum illud acquirendi præscripsit, protinus subjungens hæc verba : *Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra*; nam ut S. Thomas ait : « Cum dicimus : « *Fiat voluntas tua*, oramus, ut impleamus man- « data Dei, » neque enim alia est porta, per quam adultis in cœlum aditus conceditur, quam per præceptorum adimplectionem : *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Venantius Fortunatus super eamdem petitionem ita scribit : « Si vero quæritur, « quæ sit voluntas Dei, habes Dei præcepta, quæ « per Moysen Dei sunt voluntate vulgata. » Et Psalmista, *Psal.* I, 2, ait : *In lege Domini voluntas ejus.* Lucas Brugensis ait : « *Voluntas* hic accipi « videtur pro præceptis vitæ et morum, de quibus « hactenus Salvator egerat. »

10. — S. Thomas textum illum S. Joannis adducit : « *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descen-* « *dit de cœlo*; nemo potest ascendere, nisi des- « cendat ut Christus; « quibus verbis nos docet, quonam modo nobis ad ejus imitationem ascendendum sit, nimirum condescendendo, et alterius, non vero nostram voluntatem faciendo, ideo, *Joan.*, VI, 38, ipsemet Dei Filius protestatur dicens : *Descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me*; unde oportet facere voluntatem Dei, I *Thessal.*, IV, 3 : *Hæc est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra*; unde dicebat David, *Psal.* CXLII, 10 : *Doce me facere voluntatem tuam.* Idem quoque Salvator noster alibi in S. Matthæo, XII, 50, declarat, quantum sibi placeat, dum nos æterni Patris sui voluntatem facimus; dicit enim : *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater, et soror, et mater est.*

11. — Auctor Imperfecti ait : « Quæ est autem « voluntas Dei, ipse Dominus docet : *Hæc est autem* « *voluntas ejus, qui misit me, ut omnis, qui videt* « *Filium hominis, et credit in eum, habeat vitam* « *æternam*; ergo voluntatem Dei facere, hoc est, « credere in Christum. »

12. — Theophylactus, *Hom.* XIX, ait : « Non « dicit, qui semel *facit*, sed qui usque ad mortem « *facit.* »

Additiones.

a. — *Non omnis qui dicit mihi : Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum*, etc. Sunt qui hæc Christi verba ad omnes auditores dicta referant, sed accommodatius D. Augustinus, *lib.* II *de serm. Dom. in mont.* et S. Paschasius falsos Prophetas subintelligunt, de quibus erat præsens sermo, qui quamvis nomen Domini habeant in ore, operibus tamen negant. Ac proinde tanquam quædam arbores habent quidem speciosa verborum folia, operum autem fructibus carent; ac proinde regno cœlorum excluduntur. Sic quoque abominabiles esse ostenduntur mali Christiani, qui fidem quidem profitentur extrinsecus, cum tamen eamdem, per vitia et peccata sua effective negent. In principio capitis XI Apocalypseos verba nonnulla leguntur quæ prima facie contradictoria esse videntur, videlicet : *Atrium autem quod est foris templum, ejice foras.* Quis atrium anteriorem partem Ecclesiæ eique conjunctam esse ignorat? Qua igitur foras ejici et dimoveri poterit? Richardus a S. Victore dubii hujus nodum resolvit, dum verba hæc in sensu spirituali exponit, dicens : « Atrium falsi Christiani sunt, qui videntur « consecrati, eo quod sint baptisati, sed pleni sunt « cadaveribus, id est, vitiis et pravis operibus, qui « quamvis fidelibus juncti sunt nomine, longè « tamen ab eis sunt actione. Isti foras ejiciuntur, « quoties a fidelibus separari prædicantur. » Propriissima certe est hæc atrii similitudo, siquidem tametsi pars quædam Ecclesiæ sit, eique appropinquet, nihilominus revera foris est : ita quoque mali Christiani, tametsi ratione baptismi ad Ecclesiam pertineant, ratione tamen malæ vitæ suæ a bonis sunt exclusi et emolumentis, quorum alias per fidelium mutuam communionem futuri fuissent participes. *Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere*, quærit S. Jacobus, II, 14, *opera autem non habeat? Numquid poterit fides salvare eum?* « Id est, instrumentaliter ad salutem perducere, » inquit Dionysius Carthusianus; « quasi dicat : Ne- « quaquam. Imo reddit eum magis damnabilem; « quoniam *servus sciens voluntatem Domini sui et* « *non faciens plagis vapulabit multis.* Ideo malus « Christianus gravius condemnabitur, quam infi- « delis, cæteris paribus. »

b. — Jam protestati fuerant discipuli, dicentes : *Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus?* id est, futura prædiximus. Sed mox replicat Dominus, in hoc plenum ac perfectum jus ad regnum cœlorum non consistere, sed potius in vera ac perfecta charitate; unde agebat S. Gregorius, XX *Mor.*, VIII : « Probatio sanctitatis non est signa facere, sed « proximum ut se diligere; de Deo vera, de proximo « meliora quam de se sentire. » Hæc est enim voluntas Patris, ut *diligatis invicem*, omniaque Dei præcepta ad proximi dilectionem tendunt. S. Hieronymus de S. Joanne Apostolo refert, quod cum in ultima sua decrepita ætate, a discipulis suis, cœlestis et superhumanæ ejus doctrinæ audiendæ cupidis, per manus duceretur ad Ecclesiam, identidem hanc repetiverit sententiam : « Filioli, diligite alte- « rutrum. » Imo addit quod, « nihil aliud per « singulas solebat proferre collectas. » Et tamen Apostolus ille erat de quo canit sancta Mater Ecclesia : « Fluenta Evangelii de ipso sacro Domini pec- « toris fonte potavit. » Et iterum : « Beatus Apo- « stolus cui revelata sunt secreta cœlestia. » Et S. Bonaventura addit, ipsum hoc fine super omnes alios Apostolos privilegiatum fuisse, ut solus super incarnatæ Sapientiæ pectore requiesceret, nimirum, « ad aliorum omnium illuminationem. » Quomodo igitur ad erudiendum suos et Ecclesiam, tunc etiamnum nascentem erudiendam, aliud præter istud documentum tradere omisit? « Fratres et « discipuli qui aderant, tædio affecti, quod eadem « semper audirent dixerunt : Magister, quare hoc « semper loqueris? » S. Hieronymus qui documentum istud in pondere sanctuarii adæquate ponderare novit, ita scribit : « Respondit dignam Joanne « sententiam. Quia præceptum Domini est et si « solum fiat sufficit. » Hugo Cardinalis super illa Epistolæ primæ ejusdem Apostoli verba : *Et hæc est annuntiatio quam audivimus ab eo et annuntiamus vobis*, ita scribit : « Emphatice loquitur, id est, res « digna annuntiatione, quasi dicat : Dignum est « hoc, ut semper debeat esse in annuntiatione, « quam audistis ab initio prædicationis vel conver- « sationis nostræ. Et quid? *Ut diligatis alterutrum.* » Magnus inquam ille gentium Doctor, ad Romanos liberrime et imperterrite scribit, quod nullo prorsus debito ulli sive in cœlo, sive in terra, sive Deo, sive hominibus obstringantur, quam solo debito dilectionis reciprocæ, quia hoc debito semel perfecte expedito, omnis lex perfecte adimpleta et observata esse censetur : *Nemini quicquam debeatis nisi ut invicem diligatis; qui enim diligit proximum, legem implevit. Rom.*, XIII, 8. Idemque Apostolus eorum quæ asseruit optimam reddit rationem, nam ad magis præcipua Decalogi præcepta sese

reflectendo dicit : *Nam non adulterabis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces, et si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur : Diliges proximum tuum.*

c. — Non mirum quod tales regnum cœlorum non adipiscantur qui solo nomine contenti, factis non confitentur Dominum : ii enim sunt quos sic regius Vates, *Psal.* LXXVII, 36, 37, describit : *Dilexerunt eum in ore suo et lingua sua mentiti sunt ei. Cor autem eorum non erat rectum cum eo, nec fideles habiti sunt in testamento ejus.* Quibus ipsa Domini notitia in gravius peccatum cedit. « Quo fit, » inquit Salvianus, *lib.* III *de Provid.*, « ut etiam nos, qui « Christianos esse dicimus, perdamus vim tanti « nominis, vitio pravitatis. Omnino enim nihil « prodest, nomen sanctum habere sine moribus, « quia vita a professione discordans, abrogat illus- « tris tituli honorem, per indignorum actuum vili- « tatem. Quid enim est, » pergit idem, « quod nobis « de Christiano nomine blandimur? Cum utique hoc « ipso per nomen sacratissimum rei sumus, qui a « sancto nomine discrepamus. Nam et ideo plus « religionis titulo Deum lædimus, quia positi in « religione, peccamus. »

d. — Non igitur in cœlum ascenditur per verba, sed per opera ; qui verbigerando viam in cœlum sternere parat, vere nugatur. Nam ut S. Hilarius, *canon.* VII *in Matth.*, docet : « Cœlestis regni iter « obedientia voluntatis Dei, non nuncupatio reper- « tura est. Quid putas subnixum precationcula, « quam non devotio expressit, sed tumultuaria « denticulavit necessitas, te ascensurum in cœlos? « Audi : *Non omnis qui dicit mihi : Domine, Domine,* « *intrabit.* » Arnobius ita scribit : « Neque illud « obrepat, aut spe vobis aerea blandiatur, quod « Magi spondent se commendatitias habere preces, « quibus emollitæ, nescio quæ potestates, vias faci- « les præbeant ad cœlum contendentibus subvo- « lare. » Credite, nullam vide pretiunculam, quæ sine vestra opera, ac diligenti tempestive cura servare vos possit, et recta in cœlos perducere. Superstitionis pede passim impingit per errorum devia, quisquis putat nescio qua, aut verborum formula, aut devotionis phantasia et præsumptione, recto itinere se in cœlum tendere; nam exteriores illæ devotionis demonstrationes, in morte quas impii præseferunt, valde sunt fallaces.

DOMINICA OCTAVA POST PENTECOSTEN

EVANGELIUM LUCÆ, CAP. XVI, VERS. 1

1. Dicebat autem et ad discipulos suos : Homo quidam erat dives, qui habebat villicum, et hic diffamatus est apud illum, quasi dissipasset bona ipsius.

2. Et vocavit illum, et ait illi : Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuæ, jam enim non poteris villicare.

3. Ait autem villicus intra se : Quid faciam, quia dominus aufert a me villicationem? fodere non valeo, mendicare erubesco.

4. Scio quid faciam, ut, cum amotus fuero a villicatione, recipiant me in domos suas.

5. Convocatis itaque singulis debitoribus domini sui, dicebat primo : Quantum debes domino meo?

6. At ille dixit : Centum cados olei; dixitque illi : Accipe cautionem tuam, et sede cito, et scribe quinquaginta.

7. Deinde alii dixit : Tu vero quantum debes? Qui ait : Centum coros tritici; ait illi : Accipe litteras tuas, et scribe octoginta.

8. Et laudavit dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset, quia filii hujus sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt.

9. Et ego dico vobis : Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.

VERSUS 1.

Dicebat autem et ad discipulos suos : Homo quidam erat dives, qui habebat villicum, et hic diffamatus est apud illum, quasi dissipasset bona ipsius.

Dicebat autem et ad discipulos suos.

1. — Id, quod præsenti narratur Evangelio, historiam nequaquam esse asserit Lucas Brugensis, dum ait : « Fingit exemplum docendi gratia, quo « majori cum gratia doceatur, ac facilius et jucun- « dius in auditorum animos illabatur. »

2. — S. Bonaventura multa in hac parabola attente ponderanda monet : « Aliquid proponitur « recogitandum, aliquid refutandum, aliquid ut « formidandum, aliquid ut tolerandum, aliquid ut « providendum, aliquid ut imitandum et aliquid ut « commendandum. » Cajetanus quidem parabolæ confitetur claritatem et evidentiam, sed subjungit : « Applicatio ejus per singula difficilis, si non im- « possibilis est. »

3. — Idem quoque S. Bonaventura magis præcipuos hujus parabolæ fines ad tria capita reducit. Primus est, ut hanc nobis imprimat veritatem, quod nos omnium bonorum temporalium non domini, sed dispensatores simus; unde dies aliquando veniet, in quo ad rigorosissimam reddendam rationem vocabimur, ac proinde hac parabola monitos nos esse voluit, ut omni cum sollicitudine et fidelitate iis utamur, idque per solius beneplaciti divini directionem ad hoc tendit, ut, sicut œconomus ille se a sua administratione amovendum esse præsentiens, futuris suis necessitatibus curavit prospicere, dum sibi per bona domini sui mutuatarios obstrinxit, ut in tali casu eos habere posset beneficos; ita quoque nos, qui tandem aliquando omnibus hisce bonis temporalibus exuendos esse scimus, solliciti esse debeamus, ut de bonis nobis prospiciamus æternis, quæ facile consequi poterimus, si per bona illa quæ Deus in hac vita nobis contulit, liberales fuerimus erga pauperes. Tertium caput, ad quod parabola præsens dirigitur, quodque cæteris difficilius esse videtur, est : « Ut intelligamus, quod si dominus, « iniqui dispensatoris passus dispendia, laudat « dispensatoris prudentiam, quod adversus domi- « num quidem fraudaverit, sed pro se prudenter; « egerit multo magis a Domino nostro, qui et « ditissimus est, et nullum damnum potest susti- « nere, et cujus præceptum est ut pauperibus bene- « faciamus, laudandi sumus, si bonis ejus nostræ « dispensationi commissis ab ipso, ita in nostrum « commodum utamur, ut per ea nobis paremus « locum in æternis mansionibus. »

4. — Porro Salvator noster populi illius Hebræi et specialiter Pharisæorum avaritiam et cupiditatem probe noverat, ac proinde illis in hac parabola ob oculos statuere nitebatur, quidnam illis, ut salvarentur, faciendum esset; et paulo post eamdem parabolam, per aliam de epulone conceptam corroboravit, quam nonnulli veri cujusdam eventus qui reipsa accidit, historiam esse existimant : « Ut in- « telligamus, quia Pharisæi superbi et avari sunt, » inquit Glossa, « sicut petentibus veniam, ita egenti- « bus pecuniam negabant, ideo Salvator nunc ad « illos, nunc illis audientibus ad discipulos de pie- « tate verba facit. » Theophylactus ait : « Dominus « hoc loco vult nos docere, ut bene dispensentur « creditæ nobis divitiæ. »

Homo quidam erat dives.

5. — « Et quis erat homo iste, nisi Christus? » inquit Theophylactus, « quis dives, nisi ipse, qui in « paupertate nostra totius creaturæ divitias possi- « debat? Hoc Judæis sæpius inculcabat, ut intelli- « gerent, quod inesset ei locuples deitas, cui erat « humana paupertas. »

6. — S. Bonaventura quoque hæc verba de Deo interpretatur, dum ait : « Intelligitur *Deus Domi-* « *nus omnium, dives in omnes*, solus dives qui habet « omnia. »

Qui habebat villicum.

7. — Syriaca legit : *Magistrum*, sive *præfectum domus*, nam a domo regenda œconomus nomen refert, S. Hieronymus ait : « Œconomus non tam « pecuniæ, quam frugum et omnium quæ dominus « possidet, dispensator est. » Arabicus legit : *Administrator.*

8. — Quoad sensum spiritualem ait Chrysologus : « Quem, nisi hominem? cui ad colendum « mundum tota fuerat commissa possessio. »

9. — S. Bonaventura ait : « Hujus villicus est « quilibet homo, qui habet aliquid sive dignitatis, « sive divitiarum ad dispensandum. » S. Ambrosius inquit : « Ex hoc ergo discimus, non ipsos esse « dominos, sed potius villicos alienarum facultatum. » Theophylactus quoque hanc inde deducit consequentiam : « Cum non exercemus dispensatio- « nem rerum ad libitum Domini, sed ad proprias « illecebras commissis abutimur, criminosi villici « sumus. »

Et hic diffamatus est apud illum.

10. — Hic dispensator, prouti ex decursu Evangelii deducitur, circumspectus et prudens erat quoad mundum. Unde verisimile est, quod facultates domini sui clam rapuerit et dissiparit; verumtamen : *Nihil est opertum, quod non revelabitur et occultum, quod non sciatur. Matth.*, X, 26. In judicio, quod circa animam instituendum erit, *omnia nuda et aperta erunt oculis ejus, illuminabit abscondita tenebrarum et manifestabit consilia cordium. Heb.*, IV, 17; I *Cor.*, IV, 5.

11. — Dionysius Carthusianus verbum *diffamatus* idem significare censet, quod *accusatus.* « Diffa- « matio ista iniqui apud Deum seu Christum fit « variis modis, testimonio quoque multiplici; » et quidem sex modos enumerat. Primus erit : « Per « ipsam ineffabilem et omnia intuentem sapien- « tiam Dei; » unde apud Jeremiam, XXIX, 23, protestatur, dicens : *Ego sum testis et judex.* Secundus erit : « Per Angelos bonos, qui zelo justitiæ coram « Deo, opera hominum bona et mala proponunt. » Tertius erit : « Per Angelos malos. » Quartus : « Per « remorsum conscientiæ; » unde Apostolus, *Rom.*, II, 15, ait : *Testimonium reddente illis conscientia.* Quintus : Per evidentiam malorum operum, quæ manifestantur, *Gen.*, IV, 10 : *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me.* Sextus : « Querela egentium; »

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

reflectendo dicit : *Nam non adulterabis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces, et si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur : Diliges proximum tuum.*

c. — Non mirum quod tales regnum cœlorum non adipiscantur qui solo nomine contenti, factis non confitentur Dominum : ii enim sunt quos sic regius Vates, *Psal.* LXXVII, 36, 37, describit : *Dilexerunt eum in ore suo et lingua sua mentiti sunt ei. Cor autem eorum non erat rectum cum eo, nec fideles habiti sunt in testamento ejus.* Quibus ipsa Domini notitia in gravius peccatum cedit. « Quo fit, » inquit Salvianus, *lib.* III *de Provid.*, « ut etiam nos, qui « Christianos esse dicimus, perdamus vim tanti « nominis, vitio pravitatis. Omnino enim nihil « prodest, nomen sanctum habere sine moribus, « quia vita a professione discordans, abrogat illus- « tris tituli honorem, per indignorum actuum vili- « tatem. Quid enim est, » pergit idem, « quod nobis « de Christiano nomine blandimur? Cum utique hoc « ipso per nomen sacratissimum rei sumus, qui a « sancto nomine discrepamus. Nam et ideo plus « religionis titulo Deum lædimus, quia positi in « religione, peccamus. »

d. — Non igitur in cœlum ascenditur per verba, sed per opera ; qui verbigerando viam in cœlum sternere parat, vere nugatur. Nam ut S. Hilarius, *canon.* VII *in Matth.*, docet : « Cœlestis regni iter « obedientia voluntatis Dei, non nuncupatio reper- « tura est. Quid putas subnixum precationcula, « quam non devotio expressit, sed tumultuaria « denticulavit necessitas, te ascensurum in cœlos? « Audi : *Non omnis qui dicit mihi : Domine, Domine,* « *intrabit.* » Arnobius ita scribit : « Neque illud « obrepat, aut spe vobis aerea blandiatur, quod « Magi spondent se commendatitias habere preces, « quibus emollitæ, nescio quæ potestates, vias faci- « les præbeant ad cœlum contendentibus subvo- « lare. » Credite, nullam vide pretiunculam, quæ sine vestra opera, ac diligenti tempestive cura servare vos possit, et recta in cœlos perducere. Superstitionis pede passim impingit per errorum devia, quisquis putat nescio qua, aut verborum formula, aut devotionis phantasia et præsumptione, recto itinere se in cœlum tendere; nam exteriores illæ devotionis demonstrationes, in morte quas impii præseferunt, valde sunt fallaces.

DOMINICA OCTAVA POST PENTECOSTEN

EVANGELIUM LUCÆ, CAP. XVI, VERS. 1

1. Dicebat autem et ad discipulos suos : Homo quidam erat dives, qui habebat villicum, et hic diffamatus est apud illum, quasi dissipasset bona ipsius.

2. Et vocavit illum, et ait illi : Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuæ, jam enim non poteris villicare.

3. Ait autem villicus intra se : Quid faciam, quia dominus aufert a me villicationem? fodere non valeo, mendicare erubesco.

4. Scio quid faciam, ut, cum amotus fuero a villicatione, recipiant me in domos suas.

5. Convocatis itaque singulis debitoribus domini sui, dicebat primo : Quantum debes domino meo?

6. At ille dixit : Centum cados olei; dixitque illi : Accipe cautionem tuam, et sede cito, et scribe quinquaginta.

7. Deinde alii dixit : Tu vero quantum debes? Qui ait : Centum coros tritici; ait illi : Accipe litteras tuas, et scribe octoginta.

8. Et laudavit dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset, quia filii hujus sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt.

9. Et ego dico vobis : Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.

VERSUS 1.

Dicebat autem et ad discipulos suos : Homo quidam erat dives, qui habebat villicum, et hic diffamatus est apud illum, quasi dissipasset bona ipsius.

Dicebat autem et ad discipulos suos.

1. — Id, quod præsenti narratur Evangelio, historiam nequaquam esse asserit Lucas Brugensis, dum ait : « Fingit exemplum docendi gratia, quo « majori cum gratia doceatur, ac facilius et jucun- « dius in auditorum animos illabatur. »

2. — S. Bonaventura multa in hac parabola attente ponderanda monet : « Aliquid proponitur « recogitandum, aliquid refutandum, aliquid ut « formidandum, aliquid ut tolerandum, aliquid ut « providendum, aliquid ut imitandum et aliquid ut « commendandum. » Cajetanus quidem parabolæ confitetur claritatem et evidentiam, sed subjungit : « Applicatio ejus per singula difficilis, si non im- « possibilis est. »

3. — Idem quoque S. Bonaventura magis præcipuos hujus parabolæ fines ad tria capita reducit. Primus est, ut hanc nobis imprimat veritatem, quod nos omnium bonorum temporalium non domini, sed dispensatores simus; unde dies aliquando veniet, in quo ad rigorosissimam reddendam rationem vocabimur, ac proinde hac parabola monitos nos esse voluit, ut omni cum sollicitudine et fidelitate iis utamur, idque per solius beneplaciti divini directionem ad hoc tendit, ut, sicut œconomus ille se a sua administratione amovendum esse præsentiens, futuris suis necessitatibus curavit prospicere, dum sibi per bona domini sui mutuatarios obstrinxit, ut in tali casu eos habere posset beneficos; ita quoque nos, qui tandem aliquando omnibus hisce bonis temporalibus exuendos esse scimus, solliciti esse debeamus, ut de bonis nobis prospiciamus æternis, quæ facile consequi poterimus, si per bona illa quæ Deus in hac vita nobis contulit, liberales fuerimus erga pauperes. Tertium caput, ad quod parabola præsens dirigitur, quodque cæteris difficilius esse videtur, est : « Ut intelligamus, quod si dominus, « iniqui dispensatoris passus dispendia, laudat « dispensatoris prudentiam, quod adversus domi- « num quidem fraudaverit, sed pro se prudenter; « egerit multo magis a Domino nostro, qui et « ditissimus est, et nullum damnum potest susti- « nere, et cujus præceptum est ut pauperibus bene- « faciamus, laudandi sumus, si bonis ejus nostræ « dispensationi commissis ab ipso, ita in nostrum « commodum utamur, ut per ea nobis paremus « locum in æternis mansionibus. »

4. — Porro Salvator noster populi illius Hebræi et specialiter Pharisæorum avaritiam et cupiditatem probe noverat, ac proinde illis in hac parabola ob oculos statuere nitebatur, quidnam illis, ut salvarentur, faciendum esset; et paulo post eamdem parabolam, per aliam de epulone conceptam corroboravit, quam nonnulli veri cujusdam eventus qui reipsa accidit, historiam esse existimant : « Ut in- « telligamus, quia Pharisæi superbi et avari sunt, » inquit Glossa, « sicut petentibus veniam, ita egenti- « bus pecuniam negabant, ideo Salvator nunc ad « illos, nunc illis audientibus ad discipulos de pie- « tate verba facit. » Theophylactus ait : « Dominus « hoc loco vult nos docere, ut bene dispensentur « creditæ nobis divitiæ. »

Homo quidam erat dives.

5. — « Et quis erat homo iste, nisi Christus? » inquit Theophylactus, « quis dives, nisi ipse, qui in « paupertate nostra totius creaturæ divitias possi- « debat? Hoc Judæis sæpius inculcabat, ut intelli- « gerent, quod inesset ei locuples deitas, cui erat « humana paupertas. »

6. — S. Bonaventura quoque hæc verba de Deo interpretatur, dum ait : « Intelligitur *Deus Domi-* « *nus omnium, dives in omnes*, solus dives qui habet « omnia. »

Qui habebat villicum.

7. — Syriaca legit : *Magistrum*, sive *præfectum domus*, nam a domo regenda œconomus nomen refert, S. Hieronymus ait : « Œconomus non tam « pecuniæ, quam frugum et omnium quæ dominus « possidet, dispensator est. » Arabicus legit : *Administrator.*

8. — Quoad sensum spiritualem ait Chrysologus : « Quem, nisi hominem? cui ad colendum « mundum tota fuerat commissa possessio. »

9. — S. Bonaventura ait : « Hujus villicus est « quilibet homo, qui habet aliquid sive dignitatis, « sive divitiarum ad dispensandum. » S. Ambrosius inquit : « Ex hoc ergo discimus, non ipsos esse « dominos, sed potius villicos alienarum facultatum. » Theophylactus quoque hanc inde deducit consequentiam : « Cum non exercemus dispensatio- « nem rerum ad libitum Domini, sed ad proprias « illecebras commissis abutimur, criminosi villici « sumus. »

Et hic diffamatus est apud illum.

10. — Hic dispensator, prouti ex decursu Evangelii deducitur, circumspectus et prudens erat quoad mundum. Unde verisimile est, quod facultates domini sui clam rapuerit et dissiparit; verumtamen : *Nihil est opertum, quod non revelabitur et occultum, quod non sciatur. Matth.*, X, 26. In judicio, quod circa animam instituendum erit, *omnia nuda et aperta erunt oculis ejus, illuminabit abscondita tenebrarum et manifestabit consilia cordium. Heb.*, IV, 17; I *Cor.*, IV, 5.

11. — Dionysius Carthusianus verbum *diffamatus* idem significare censet, quod *accusatus.* « Diffa- « matio ista iniqui apud Deum seu Christum fit « variis modis, testimonio quoque multiplici; » et quidem sex modos enumerat. Primus erit : « Per « ipsam ineffabilem et omnia intuentem sapien- « tiam Dei; » unde apud Jeremiam, XXIX, 23, protestatur, dicens : *Ego sum testis et judex.* Secundus erit : « Per Angelos bonos, qui zelo justitiæ coram « Deo, opera hominum bona et mala proponunt. » Tertius erit : « Per Angelos malos. » Quartus : « Per « remorsum conscientiæ; » unde Apostolus, *Rom.*, II, 15, ait : *Testimonium reddente illis conscientia.* Quintus : Per evidentiam malorum operum, quæ manifestantur, *Gen.*, IV, 10 : *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me.* Sextus : « Querela egentium; »

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

unde Sapiens, *Prov.*, XI, 25, ait : *Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis.* Et S. Bonaventura dicit : « Tunc hic villicus apud Dominum diffamatur, quando clamor pauperum ascendit ad Dominum. » Similiter Interlinearis inquit : « Hæc accusatio fit, quando non exercet opera pietatis erga illos, quibus debuit. »

12. — Albertus Magnus inter infamiam et diffamationem dicit : « Diffamatio est bona fama, vel mala, longe lateque dispersa; et notatur in hoc sapientia hujus patrisfamilias, quia non credidit contra illum, quem fidelem existimavit, nisi prius longe lateque a gravioribus personis fama disperge-retur. »

13. — At vero si per hunc dominum, ut dictum est, Deus intelligatur, is aliorum relationibus non indigebat : *Eo quod ipse nosset omnes et quia opus ei non erat, ut quis testimonium perhiberet de homine; ipse enim sciebat, quid esset in homine. Joan.*, II, 25. Id quod etiam Chrysologum movet, ut diceret, *Serm.* CXXV : « Ergo ille famæ credidit, fama nuntiante cognovit? Absit, sed quia illa, quæ noverat, quæ pietate velabat, quærere tunc cœpit, quando accusabat terra. » quandiu vero publice accusatus non fuit, famæ illius consuluit, absque eo quod illa omnibus manifesta faceret, charitas enim a nobis exigit, ut abscondantur proximorum nostrorum defectus.

14. — S. Bernardus, *Hom. de villico*, ait : « Hinc instruimur, non statim debere dare fidem quibuslibet verbis, sed si sic est, ut dicitur, prius adhibere cautelam. »

Quasi.

15. — Quodnam obsecro mysterium latet in adjecta hac dictione, *Quasi?* cum enim ab ipsamet Sapientia incarnata prolata fuerit, opus est, ut aliquod in se mysterium contineat. Syriaca legit : *Ut qui profunderet.* Cajetanus vero vertit, *velut dissipans*, estque proinde dictio quædam ambiguitatis et perplexitatis expressiva; perque eamdem monemur, quod non solum data nobis a Deo dona, dissipanda sint a nobis, vel quod non solum mali esse debeamus, sed insuper eo modo teneamur vitam et mores nostros instituere, ut ne quidem pravi aliquid de nobis suspicari quis possit. Unde S. Athanasii hoc est saluberrimum consilium : « Omne quod fingi potest tanquam posse credi, caveamus, ne in illo famæ nostræ vulnere serpat nata ab occasione suspicio, non tamen nobis fides facti, sed possibilitas etiam releganda mendacii. » Inter alia documenta ab Apostolo Thessalonicensibus, I *Epis.*, V, 22, data, unum fuit hoc : *Ab omni specie mala abstinete vos;* ac proinde S. Bernardus ad Eugenium, *lib.* III *de Consid.*, ita scribit : « Sane interest tuæ perfectioni, et malas res, et malas pariter species devitare, in altero conscientiæ, in altero famæ consulis; » neque enim solum conscientiam sartam tectam conservare debemus, verum etiam tenemur bono nomini, famæ et exteriori apparentiæ bonæ consulere.

Dissipasset bona ipsius.

16. — « Dissipatio est, » inquit Interlinearis, « vel quando male congregatur, vel non bene expanditur. » S. Bonaventura ait : « Bona Dei dissipat, qui temporalia ista vel maxime retinet, vel male accipit, vel male dispensat. » — « Omnia quæ habemus, » inquit Dionysius Carthusianus, « dona sunt Dei et eorum dissipatores potius quam possessores aut domini sumus, utpote rationem de eis daturi. » Varia quoque distinguit bonorum genera, quæ a Deo recepimus : « Pretiosissima Dei dona sunt animæ rationales, Christi sanguine liberatæ; quas dissipat, qui pravis exemplis, falsis doctrinis, aut negligentia eas ad vitia trahit, aut trahi permittit, nec revocat, quod tanto sceleratius est apud Deum, quanto exterioribus rebus præstantiores sunt animæ immortales. »

17. — Principium quoddam verissimum, dignumque quod serio præcipue in hac parabola Evangelica ponderetur, est, propositio illa, quam Doctor Seraphicus super hæc verba enuntiat; dicit enim : « Bona temporalia sunt, ut per hæc acquirantur bona æterna; cum ergo hæc temporalia sic habentur, quod propter illa æterna perdantur, tunc absque dubio dissipantur; qui ergo hæc temporalia bona sic expendunt, quod non quærunt in eis meritum salutis, sed solatium carnis, temporalia non dispensant ad modum boni villici, sed dissipant ad modum filii prodigi; » adducitque textum illum Oseæ, I, 8, in quo Deus adversus populum lamentatur his verbis : *Ego dedi ei frumentum et vinum, et oleum, et argentum, multiplicavi et aurum, quæ fecerunt Baal; idcirco convertar, et sumam frumentum meum in tempore suo, et vinum meum*, etc. Didacus Stella similiter quanam in re hæc dissipatio consistat, his verbis ponderat : « Accepta, » inquit, « bona dissipamus, quando his neque ad ipsius honorem, nec ad propriam salutem, sed magis ad Dei offensam, ad proximorum injuriam et scandalum, aut propriam perniciem abutimur. » Idem quoque, quo modo hic villicus bona animæ dissiparit, his verbis declarat : « Dissipavit bona animæ, quando omne ingenii acumen, animi industriam, artem, scientiam, memoriam, cogitationes, desideria transfert ad vana, aut perpetranda accommodat sceleribus. Dissipavit bona corporis, dum fortitudinem ad vim alteri inferendam, sanitatem ad turpia, pulchritudinem ad vana dirigit; exhibens per hæc et similia membra sua, arma iniquitatis peccato; dissipat bona temporalia, non solum illicite in comessationibus et ebrietatibus, luxuriis, pompis

et vanitatibus, in vestibus, in sumptuosis ædificiis, in equis et canibus enutriendis, in alea et similibus consumendo; sed etiam cum proximorum injuria, per furta, fraudes, rapinas, usuras et per alias nefarias artes hæc acquirendo. »

18. — Lucas Brugensis paucos inveniri dicit, qui non habeant de bonis temporalibus difficillimam reddere rationem, quomodo scilicet illa impenderint : « Multi divitiis, quas Deus illis concessit, abuntur, rarusque aut nullus est, qui modum a Deo præscriptum exacte teneat. » Pauci sunt, qui illa ad eum finem dirigunt, ob quem nobis a Deo datæ fuere et cum illa animi moderatione et temperantia, prout convenit. Cibus dissipatur, si ad gulam impendatur; vestitus, si ad luxum paretur; pecuniæ, si expendantur, ubi non est necesse; et sic discurrendo de aliis.

19. — Præcipue vero Ecclesiasticis, qui redditibus perfruuntur beneficialibus, strictissimam rationem reddere incumbit, quomodo illos expenderint. Unde Lyranus ait : « Maxime Ecclesiæ ministri, quibus tradita sunt bona temporalia ad expendendum in piis operibus, frequenter consumunt ea in illicitis et superfluis, contra volutatem Domini, tradentis talia eorum dispensationi. » In collegio Apostolico, in quo unus tantum Apostolus eleemosynas tractabat et dispensabat, hoc avaritiæ et cupiditatis vitium facile contraxit, easque dissipavit; ac proinde S. Paulus, I *Cor.*, IV, 2, dicebat : *Hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur*; quasi dicat, rari sunt, qui illas facile dispensant.

Additiones.

a. — *Homo quidam erat dives*, etc. Homo iste singularis dives ponitur in exemplum, et recte intelligitur, per hunc divitem, Deus; juxta illud, *Rom.*, X, 13 : *Idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum.* Ipse enim solus est dives, qui omnia habet et omnibus abundat, vel ut ait D. Chrysologus, *Serm.* CXXV : « Quis erat homo iste, nisi Christus? Quis dives nisi ipse, qui in paupertate nostra totas creaturæ divitias possidebat, quas ille omnes, ex puro amore nostro deputavit servitio? » Richardus de S. Victore ait : « Reduc oculos ad hæc inferiora, et vide quæ videntes plerique non vident, et adverte si non cuncta quæ vel nobis in prosperis serviunt, vel contra nos sæviunt in adversis, quædam non sint charitatis calcaria urgentia quodammodo ad cursum amoris. » Discurre per universam naturam creatam et considera, omnia in ipsa ad bonum et commodum nostrum, necnon ad nostram sibi conciliandam benevolentiam et affectum, ordinata esse. « Hoc cœlum et terra, mare et aera, hic circuitus temporum redivivus, paribus antiqua innovans, dilapsa reformans, consumpta restaurans, implere non cessat, ut sic hæc communia continua beneficia respuere nemo est qui possit, ita eum qui benefacit, non diligere nemo est qui debeat. »

b. — Homo iste, singulariter dives, recte intelligitur Deus. Villico, id est, cuilibet Christiano, ut ait Dionysius Carthusianus, totam substantiam domus suæ, suarumque divitiarum administranda commisit, cum ei multa bona naturæ et gratiæ, aliaque dona superinfusa commisit, de quorum usu, administratione, ac dispensatione exactam in judicio et morte rationem exiget. Quare cum male administrat, defertur et denuntiatur. Diu enim latere crimina nequeunt, et licet occulte fiant, in publicam tamen lucem prodeunt, tum a Deo, tum a propria conscientia manifestata.

Apud Oseam, XIII, 12, dicitur : *Colligata est iniquitas Ephraim, absconditum est peccatum ejus; dolores parturientis venient ei.* Quibus verbis tam apta insinuatur ad propositum nostrum similitudo, ut aptior fere dari non possit. Licet enim adultera furtive et in abscondito corporis sui aliis permiserit usuram, illudque adulterium ad tempus aliquod abscondere possit, postquam tamen concepit, inde nasciturus infans iniquitatem, suo tempore, suis propalabit vagitibus et ejulatibus. Unde Rupertus Abbas ait : « Sicut mulier conceptum suum ad tempus quidem dissimulare potest, sed tandem parturiendo, doloribus attestantibus, occulta prodit; sic quisquis ejusmodi est, peccatum suum utcumque dissimulare ad tempus et abscondere potest, sed in tempore suo cuncta cordis ejus occulta cum dolore manifestabuntur, juxta illud : « *Nihil opertum quod non revelatur, neque occultum quod non sciatur.* » Quodnam, obsecro, primum ab humana malitia post peccatum originale commissum fuit delictum? Nimirum detestabile a Caino patratum fratricidium. Credebat hic infelix, neminem in hujus delicti venturum esse notitiam; ac proinde negative Deo respondit : *Numquid custos fratris mei sum?* At vero quia Deus illud manifestavit, sanguisque Abelis innocens in cœlum usque vociferatus fuerit, infelix hic fratricida sibi dici audivit : *Si male egeris, statim in foribus peccatum aderit.* In cujus sententiæ ultimis verbis, mystica quædam phrasis et similitudo minime spernenda observari meretur. Sæpe enim latro sub noctis tenebris ad deprædendam hanc vel illam domum ingredi vellet; at vero canis, qui portæ domus habet custodiam, latrando et mordendo illum manifestat. Idem quoque peccato accidit. Ex quo enim animam thesauris cœlestibus bonorumque operum meritis despoliare intendit, abscondite quidem latere vellet; at vero canis, id est, remorsus conscientiæ, illud prodit et manifestum facit.

Valde ergo decipimur si peccatum abscondi posse credimus. Jonas in interiori sinu conscientiæ suæ se Deo rebellem et inobedientem esse probe sciebat,

nec tamen hanc suam contumaciam ulli manifestaverat, sed intra cordis sui penetralia occultatam servabat. Deus autem de quo scriptum est, *Sap.*, v, 16 : *Armabit creaturam, ad ultionem inimicorum*, undas maris furere, impetuososque Aquilones mare in horrendas tempestates agitare fecit, quæ ipsum ad se naucleris, quis esset manifestandum coegerunt. Disposuitque Deus, ut ejus inobedientia in sacris Litteris relata, omnibus futuris sæculis innotesceret. David certo quodam adhibito artificio politico, Uriæ mortem intulit; sub colore enim quod illum in acie certantis exercitus, tanquam generosum militem collocando, eumdem honore afficere velle videretur, potius eumdem internecionis infallibilitati exposuit, ut hac ratione occisionem et mortem ipsius omnibus occultaretur. At vero quid fecit Deus? *Tu fecisti abscondite, ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israel et in conspectu solis.* Unde D. Chrysostomus, in persona Dei, ei improperat dicens : « Tu timuisti « homines et erubuisti magis quam Deum; oculum « autem Dei viventis non es reveritus, propterea « in hoc ipso puniteris. Redarguam namque te, « ante oculos omnium ponens peccata tua. »

e. — Nullus hic mentionatur accusator, nullus denuntiator; diffamatur tamen villicus, dum suum ipse crimen et delictum accusabat et diffamabat. Unde vera dixit S. Ambrosius, *in Psal.* I : « Habet « culpa characteres suos et apices, quibus proditur. « Væ mihi quod latere non possum. Quomodo enim « latebo, qui inscripta in pectore meo gero indicia « delictorum. » Impudica Ægyptia importune ad nefarium opus sollicitat castum Joseph. Cui ille : *Quomodo possum hoc malum facere? Gen.*, XXXIX. Cur timet Joseph sceleri præbere consensum? Nam cum ipse sit in domo omnium dominus, ad libitum opportunum potest eligere tempus, ut crimen ita occulte et abscondite fiat, ut sit omnibus ignotum, nullusque valeat domino nuntiare. Prudenter tamen respondet Joseph : *Quomodo possum hoc malum facere?* quia etsi nullus eum delicti arguat, nullusque eum convincere adulterii valeat, præsidet interim Deus, ipsaque conscientia, demissis oculis, pallido ore, tremula voce, proprium scelus, licet opertum, discooperiet et declarabit. Peccata quantumvis in mente nostra sint occulta, per aliquod tamen signum externum in vultu transparere solent ut omnibus fiant manifesta. Ecclesiasticus, XIII, 31, dicit : *Cor hominis immutat faciem illius, sive in bona, sive in mala.* Enimvero multæ inter lepram et peccatum intercedunt similitudines; inter alias vero una hæc est, quod scilicet morbus quidam sit, quod celari non possit, siquidem in exteriori corporis superficie apparet; et sicut Hugo Cardinalis super illa verba : *Occurrerunt ei decem viri leprosi*, optime observat : « Lepra quanto reprimitur studiosius, « tanto tandem ebullit turpius; sic peccatum, « quanto diutius occultatur, tanto turpius appare- « bit. » Esau in corde suo decreverat, post mortem patris sui, Jacob fratrem suum interficere, quam consilii sui machinam nulli unquam hominum patefecerat, quia sacer textus ait : *Dixitque in corde suo : Veniet dies luctus patris mei, et occidam Jacob fratrem meum.* Et tamen paulo post sacer textus subdit : *Nuntiata sunt hæc Rebeccæ.* Quomodo renuntiata sunt verba Esau Rebeccæ quærit S. Augustinus, cum Scriptura dicat hoc eum in sua cogitatione dixisse. Respondetur hanc esse peccati conditionem, quod licet interius in corde concipiatur, per exteriora tamen indicia reddatur manifestum. Hugo Cardinalis ex divisione veli, quæ tempore Passionis Salvatoris nostri accidit, egregiam quamdam nostroque aptam proposito dedurit moralitatem. Et primo quidem, duo vela fuisse censet, quorum unum dividebat Sancta Sanctorum, alterum vero Sancta separabat; paulo post per hoc velum in sensu mystico peccatum interpretatur, utpote quod solum a Sancta Sanctorum nos separat; horum autem velorum duo sunt, unum internum et alterum externum : « Sic etiam « duo vela duo genera peccatorum sunt, spiritualia « et carnalia. Velum interius significat peccata spi- « ritualia, velum exterius peccata carnalia; quo- « rum utrumque velat nobis faciem animæ, ut « non possit videre veritatem. » Unde Psalmista, post commissum adulterii peccatum Deum rogavit inquiens : *Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua.* Utrumque autem velum dividitur, quia omne peccatum, quantumvis sit occultum, manifestatur.

d. — Varii varie hoc nomen, *villicus*, interpretantur; et quidem D. Gaudentius, *lib. ad Germineum*, diabolum interpretatur, sed non satis apte ad parabolam. Tertullianus, *lib. de fuga et persecut.*, villicum populum Judaicum, debitores vero Gentiles esse autumat. Alii Episcopos et Prælatos qui domus Dei curam gerunt et administratores sunt, intelliguntur. Maxime placet ea quam afferunt Ambrosius, Chrysostomus, Augustinus, etc., sententia, qua dicunt denotari in villico homines divites, quibus Deus divitias in pauperum usus dispensandas tradidit. Bonorum enim temporalium sufficientia homini bene congruit, superfluitas autem condemnatur, nisi inter egenos ea quæ superfluunt, distribuantur; ad hoc enim divites obligantur. Sapiens, *Prov.*, XXV, 16, ei qui in hac vita affluentiam habet prosperitatis, cuique omnia ad votum animi fluunt, hoc præscribit salutare monitum : *Mel invenisti? comede quod sufficit tibi, ne forte satiatus evomas illud*; quibus verbis docemur, ut divitiis aliisque bonis temporalibus, in tantum utamur, quantum status nostri conditio et convenientia illas requirit; satietatem vero et superfluitatem semper, utpote valde nobis damnosam caveamus.

Nemo est qui ignoret, quid populo Dei in deserto acciderit, quando manna in deserto superflue nimis, et in majori quam Deus ordinaverit, mensura, imo supra quod ad ejus sustentationem necessarium erat, colligebat; nimirum, id quod superfluum erat confestim vermes scaturiens, computrescebat. Quam historiam S. Petrus Damianus ad nostrum propositum aptissime adducens sic loquitur : « Sic « nimirum quisquis ardore cupiditatis incensus, ut « tanquam corpori suo alimenta provideat, terre- « nam sibi substantiam thesaurisat, huic ille vermis « ebullit, qui conscientiam fodiat et arcana pecto- « ris rodat; enimvero ii sollicitudinum vermes, « quos avaritia generat, illos denuo vermes parant, « de quibus scriptum est : *Ignis eorum non extin- « guetur et vermis eorum non morietur*, ut ignis « ignem cupiditatis accendat et vermis ex verme « procedat. »

e. — Hanc parabolam Christus avaris divitibus proposuit, eorum exoptans salutem, persuadens illis eleemosynam, illa enim est, per quam divites præcipue sunt salvandi; cum enim divitiarum occasione multa committant peccata, eleemosyna tamen iterum Dei placat furorem. S. Ambrosius de virtute agens eleemosynæ, astruit quod Deus per nostram in pauperes liberalitatem adeo reconciliatur, ut protinus flagellum proficiat, quo nos percutere decreverat : « Ut quamvis offensus Deus, « quamvis criminibus provocatus, cogatur liberare « eleemosynis, quem disposuerat punire peccatis. » Quis commune illud ignorat axioma : « Munera « placant hominesque deosque? » Deus nostris offensus peccatis, in paupere inope se nobis exhibet; ad eum igitur placandum sola sufficit eleemosyna : *Munus absconditum extinguit iras.* Cui veritati et Dionysius Carthusianus, in hæc verba suscribit : « *Munus absconditum*; id est, eleemosyna data « secrete intuitu Dei, non ad laudem humanam, « *extinguit iram* Judicis summi. »

f. — D. Chrysostomus, *in Catena* D. Thomæ, et D. Augustinus, *lib.* II *quæst. Ev., q.* 34, et alii dicunt denotari in villico homines divites, quibus Deus divitias in pauperum usus dispensandas tradidit. Unde hoc cuilibet diviti supponendum, divitias non esse suas sed Dei. Bonorum enim terrenorum, ad commune beneficium creatorum, divisionem permisit Deus, ut iis abundans, superfluum indigentiæ eroget alienæ sub reatu furti. S. Thomas de Villanova, per auctoritatem S. Ambrosii conclusionem quamdam statuit quæ lumini et rationi naturali omnino conformis est, nimirum quod Deus hunc mundum indifferenter ad beneficium cunctorum hominum creaverit : « Natura omnia « fecit communia, » inquit, « et hic mundus non « est nisi quædam communis hæreditas hominum; « sed jure positivo appropriata sunt in particulari, « et locum habet in populis meum et tuum. Unde « sententia est Clementis, communis usus omnium « quæ sunt in hoc mundo, omnibus esse debuit, « sed, per iniquitatem, alius hoc dixit esse suum et « alius istud, et sic inter mortales facta est divisio, « per iniquitatem ex jure gentium. Pertinet ergo « ad justitiam, ut ex hac communi hæreditate, « nullus usurpet superflua cum damno aliorum. » Quemadmodum pater decem forax filiorum, quos æquali prosequitur amore, non uni soli hæreditatem conferret, desertis reliquis; ita Deus communis omnium pater, qui universum creavit mundum, pro hominibus omnibus, quos singulos, ut filios, amat æqualiter, noluit ut unus cum præjudicio magno alterius bona usurparet mundi hujus; ideoque per Prophetam, *Isa.*, V, 8, minatur dicens : *Væ qui conjungitis domum ad domum, et agrum agro copulatis usque ad terminum loci.*

S. Gregorius ita divites adhortatur : « Admonendi « sunt qui jam quæ possident, misericorditer tri- « buunt, ut a cœlesti Domino dispensatores se « positos subsidiorum temporalium agnoscant, et « tanto humiliter præbeant, quanto aliena esse « intelligunt quæ dispensant. » Ecclesiasticus, IV, 11, inquit : *Eleemosynam pauperis ne defraudes.* Si autem eleemosyna actus esset liberalitatis et supererogationis, non utique talem obtineret titulum, scilicet, *defraudes*; opus est igitur justitiæ et debitum; substantia est pauperi, ex jure debita. Unde Dionysius Carthusianus inquit : « Id est, injuste « non substrahas pauperibus, quod tibi superfuit « et quo indigent ipsi. »

g. — Dionysius Carthusianus, hic sub villico, quemlibet Christianum intelligit, cui tradidit Deus multa bona naturæ et gratiæ, de quorum usu, administratione, ac dispensatione exactam in judicio ac morte rationem exiget.

h. — Per divitem hunc, non incongrue intelligitur Ecclesia, per villicum vero Ecclesiastici, qui boni debent esse œconomi, et fideles dispensatores redituum Ecclesiasticorum, qui merum sunt patrimonium pauperum, et ne sint horum dissipatores bonorum, ab omni luxu et pompa aliena esse debent.

Versus 2.

Et vocavit illum, et ait illi : Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuæ, jam enim non poteris villicare.

Et vocavit illum.

1. — Quanam in re isthæc vocatio consistat, Glossa Interlinearis his verbis declarat : « Vocat, » inquit, « quando incutit timorem æternæ damna- « tionis. » Idem quoque S. Bonaventura dicit, sed adjungit : « Hac voce vocatur, qui ad consideran- « dum futurum judicium excitatur, ubi arguetur « non solum secundum famam, sed secundum

« conscientiam; propter quod addit : *Redde ratio-* « *nem*, etc. » Idem quoque Seraphicus Doctor, *Serm.* I *in hac Dom.*, dicit, quod Deus tanquam justus vivorum et mortuorum judex, in castigando peccatore, per hunc administratorem bona domini sui dissipantem, figurato : « More cujuslibet justi « judicis tria proponit: primo præmittit citatio- « nem, secundo insinuat incusationem, postremo « exigit satisfactionem. Citationis præmissio, *voca-* « *vit*; incusationis insinuatio, *quid hoc audio de* « *te?* satisfactionis postulatio, *redde rationem villi-* « *cationis tuæ.* »

2. — Per hanc porro vocationem non intelligitur illa, ad quam in puncto mortis ante tribunal Dei præsentabimur : « Sed ea, qua quis in vita præ- « senti divinitus admonetur, per inspirationem « angelicam seu divinam, » inquit Dionysius Carthusianus, « per beneficia et flagella, per prædica- « tionem hominum et comminationes æternorum « suppliciorum, ut cogitet quam suo tempore Deo « de omnibus rationem reddere possit. » Eamdem quoque observationem Salmeron adducit, dum ait : « Vocat ad pœnitentiam invitando, sive per mi- « nistros suos et Prædicatores clamando : *Facite* « *fructum dignum pœnitentiæ*; sive per synderesis « scintillam, semper ad optima deprecantis, quæ « nunquam extinguitur et sola denuntiat omnium « bonorum jacturam; vocat per infirmitates et « necessitates corporis, ut famem, sitim, laborem, « dolorem, senectam et capitis canos, qui sunt « velut mortis instantis nuntii. »

3. — Cajetanus notat quod ex hoc verbo canonistæ deducant, quod sententia contra quemcumque illa pronuntiari debet, præcipitanda non sit, quin prius reus citetur et audiatur. « Hic commendatur, » inquit Albertus Magnus, « paterfamilias de justitia, « quia licet fama laboraret contra eum, tamen « noluit condemnare, nisi prius vocatum audiret. » Non debemus faciles esse, ad credendum primis accusationibus et priusquam delicta aliorum propalemus, faciendum prius est diligens et secretum examen, ut sic in veritatis deveniatur notitiam. Unde Ecclesiasticus, XI, 7, ait : *Priusquam interroges, ne vituperes quemquam, et cum interrogaveris, corripe juste.* Joseph innocens existens, in carcerem conjectus fuit, eo quod Putiphar calumniæ, ab adultera consorte sua eidem impactæ, facilem nimis fidem adhibuit. Josue a Gabaonitis deceptus fuit, David a Siba, rex Assuerus ab Aman, qui jam de facto totius Hebraismi stragem et interitum parari jusserat. Populus quoque nimis faciliter senioribus fidem adhibendo circumventus fuit et ideo in procinctu erat, ut lapides in Susannam innocentem conjiceret; et ideo ad hosce evitandos errores leges judicia introduxerunt, in quibus per accusationes, probationes, testes, examen, processus et defensionibus remedia proceditur.

4. — Salmeron ait : « Traditur Dominus illum « ad se vocare non præcipitans sententiam, non « statim credens malum, tum ut interim omnes dati « et accepti rationes præparet, tum ut locum habere « possit ignominiosa bonorum Domini dispensa- « tio. »

5. — Chrysologus inquit : « Vocavit per Evange- « lium et quid per Evangelium non agit? per quod « mores arguit, occulta nudat, conscientiam pandit, « commissa castigat, dinumerat mala. »

Et ait illi : Quid hoc audio de te?

6. — Inter alia monita, quæ Deus in antiqua lege tradidit, unum fuit, *Exod.*, XXIII, 1 : *Non suspicies vocem mendacii*, vel ut Septuaginta vertunt : *Non suspicies auditionem vanam*, non enim judex omnem accusationem acceptare debet, sed solum illam, quæ juridice probata fuit. Unde Philo ait : « Hoc legis caput mihi videtur quidam e Græcis « legislatoribus desumpsisse e sacratissimis Moysi « tabulis et interdixisse, ne de auditis feratur tes- « timonium, quod, quæ quis vidit certa, judicanda « sunt, quæ vero audivit, non perinde firma. » Et ideo Nicodemus, *Joan.*, VII, 51, ait : *Numquid lex nostra judicat hominem, nisi prius audierit ab ipso et cognoverit quid faciat?*

7. — Dionysius Carthusianus Salvatorem nostrum in quatuor præcipue punctis Prælates his verbis instruere voluisse dicit : « Primo, ne peccata « suorum dissimulent. Secundo, ut veritatem famæ « inquirant, nam ait : *Quid audio?* Tertio, ne accu- « satores prodant, quia non ait : Ille vel talis mihi « dixit, sed *audio*. Quarto, ut articulum, de quo « quis accusatur et diffamatur, specificent, melius « enim potest se homo corrigere, dum ei exprimi- « tur in quo deliquit, aut excusare, si innocens « sit. »

8. — Albertus Magnus Deum similibus interrogationibus sæpe ad cor loqui dicit : « Hanc allocu- « tionem facit nobis Deus aliquando per inspiratio- « nem cogitationis in corde, aliquando per flagel- « lum, aliquando per beneficium, aliquando per « doctorem extrinsecum. » Hanc eamdem considerationem Didacus Stella super hæc verba scribens, his verbis adducit : « Sic loquitur ad unumquemque « nostrum : Homo cogita, quis status tuus sit; « Christianum te vocas, sed vivis gentiliter, vita « tua non respondet vocationi tuæ. »

9. — Cajetanus parabolæ hujus finem considerans, qui est, ut divites ad dispensandum bona temporalia, quibus abundant, inducantur, ut beatam per illa vitam acquirant, qua ratione ad id extimulari possint, his verbis ostendit : « Cujus « meritis, » de illorum divitum nonnemine loquitur, « cum a Deo discutiuntur, vel per internam « inspirationem, vel per ægritudinem, vel per « Prædicatores, vel per aliorum exempla, quodam-

« modo citatur ad reddendam rationem, qualiter « usus est divitiis, potestate et reliquis hujusmodi. »

Redde rationem villicationis tuæ.

10. — Didacus Stella ait : « Attende te vel « sponte, vel aliquando invitum rationem redditu- « rum; non domino terreno, sed Deo; non de im- « pensis, sed de bonis animæ, bonisque corporali- « bus, quæ tibi a Domino concessa sunt; tunc « dicetur tibi : *Redde rationem villicationis tuæ*, « quod forte hodie ante solis occasum audies. »

11. — Dionysius Carthusianus hoc monitum quoddam fuisse dicit, quod nobis Christus suggessit, ut semper ad rationes reddendas prompti simus, q. d. « Ad reddendam te præpara et quomodo red- « dere possis, examina, jamque dum tempus me- « rendi superest, coram Deo te pone et quasi ante « ejus tribunal adductus esses, a teipso exige ratio- « nem dispensationis tuæ creditæ. » Chrysostomus sæpe contingere dicit, quod ad hanc rationem reddendam evocemur, quando de ea minime cogitamus : « Quotidie talia nobis per effectus exclamat « Deus, ostendens nobis in meridie sospitate fruen- « tem, et priusquam adveseperascet, exanimem et « alium inter prandia expirantem. »

12. — Glossa ait : « Cogita dum vivis, qualiter « debeas operari, ut evadas pœnas æternas. » Hoc fine Deus nos in præsentem vitam collocavit, ut negotiemur et ex industria de arduo saluti nostræ negotio cogitemus, videamusque quomodo pœnas evadamus æternas. Sapientis monitum est, *Prov.*, III, 6 : *In omnibus viis tuis cogita illum, et ipse diriget gressus tuos.* Verum experientia, cum summa infelicitate nostra clare satis demonstrat, quod major pars mortalium, quamdiu hæc vita durat nulli alteri rei minus se applicat, aut studet, quam vitæ beatæ. Unde quidam venerabilis Dei servus miseriam hanc hisce considerabilibus verbis anxie deplorat, dum ait : « Brevi tempori maximam curam, « maximo tempori brevem curam impendunt, » nisi verius dicere velimus : « Nullam curam impen- « dunt. » Imo si qui majoris partis Christianorum modum procedendi et opera considerare, velit, inveniet illos nulli alteri rei majorem dare operam, quam ut ad æternæ perditionis barathrum viam sibi sternant et aperiant.

13. — S. Bonaventura, *Serm.* II *in hac Dom.*, varia bona distinguit, de quibus nobis exactissima est reddenda ratio : « Bona in corpore, vel in « anima, vel in rebus tibi commissis, quorum non « es hæres vel dominus, sed villicus, debes ad « voluntatem Domini dispensare; non solum ratio- « nem reddemus de bonis dispensatis, sed etiam de « lucris bonorum neglectis; quinque talenta ad « lucrandum data sunt nobis, naturæ, fortunæ, « potentiæ et gratiæ. » De *bonis corporis* nobis reddenda est ratio, quomodo illa administraverimus. Quinque corporis sensus, multarum nos transgressionum reos constituent, eo quod oculos multis impuris et lascivis profanaverimus obtutibus, aures ad consilia et documenta majorum, ad verbum Dei, ad exhortationes spirituales, divinasque inspirationes obturatas; ad detractiones vero, maledicentias et discursus impuros habuerimus apertas; gula ad crapulas et ebrietates valde fuerit proclivis, sicut et lingua ad murmurationes, injurias, obscœnitates, imposturas et blasphemias. De manibus quoque dici poterit, *Isa.*, I, 15 : *Sanguine plenæ sunt*, propter vindictas et extorsiones; de pedibus denique, *Psal.* XIII, 3 : *Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem*, de quibus etiam Job, XIII, 27, ait : *Vestigia pedum meorum considerasti*; vel ut Septuaginta legunt : *Usque ad radices pedum meorum pervenisti.* Porro regius Propheta David gratitudinem, qua ob recepta a Deo corporis dona obstringebatur, probe agnoscens, ad Deum conversus, *Psal.* LVIII, 10, dicebat : *Fortitudinem meam ad te custodiam*; at vero quot modo sunt, qui sanitate et robore corporis ad inordinatorum appetituum suorum satisfactionem abutuntur, longamque sibi vitam procurant aut promittunt, ut in peccato diutius perseverare possint! quot sunt, qui corporis pulchritudine utuntur ad incentivum propriæ et alienæ concupiscentiæ! *Bona in anima.* S. Augustinus finem, ob quem Deus animam nostram ad imaginem et similitudinem suam crearit, fuisse, *lib de spir. et anima*, dicit : « Ut factorem suum pro imagine cognoscat et pro « similitudine diligat; » at vero in illo Deo reddendo vitæ nostræ ratiocinio examinabitur, quomodo aut qua ratione huic fini corresponderit. Ibi ei exprobrabitur, quod in corde suo amorem quidem foverit ad ipsos quoque canes et equos, metalla auri et argenti, imo ad fœtidum quoddam scortum se extendentem, Deum vero, ejusque sanctam legem odio fuerit prosecutus; examinabitur quoque, quomodo vel quantum anima ex sanguine Filii Dei, pro ejus salute effuso, profecerit. Unde Eusebius Emissenus, *Hom.* II *de symb.*, ait : « Si factorem forte « non credis, interroga Redemptorem. » Convincetur anima, quod ob modicum quoddam interesse, ob momentaneam voluptatulam, ob parvum quemdam respectum humanum, eumdem sanguinem pretiosum pede sæpe conculcarit. Apostolus ait : *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis*; in sacrosancto enim Baptismatis lavacro Deus divinarum gratiarum, donorum et amoris sui thesauros in animam nostram copiose infudit et charitatem in eo præter odium, invidiam, hypocrisin, superbiam, iram et effrænem quamdam concupiscentiam, omnesque alias passiones et affectus inordinatos, nihil reperietur, convincetur homo, quod in animæ suæ sinum gratiam et amicitiam alicujus hominis, vel sordidæ cujusdam mulierculæ pluris fecerit et æsti-

maverit, quam Deum creatorem, redemptorem et glorificatorem suum. Ibi manifestum fiet, quod ingenium, prudentiam, scientiam et sapientiam, quibus Deus animam dotavit, ut plurimum fictionibus, fraudibus, lascivorum librorum compositionibus, politiæ mundanæ, sive, ut vocari solet, rationi status, quæ Evangelicæ legis observantiæ utplurimum opponitur, cavillationibus quoque et ex ambitionis interesse, aliorumque mundanorum motivo committendis et machinandis in proximum injustitiis impenderit. Tertium caput, propter quod examinandi sumus, respicit *bona in rebus tibi commissis*. Præceptum, non vero consilium Evangelicum continent in se verba illa, *Luc.*, xi, 41 : *Quod superest, date eleemosynam*. Et quidem ut ad illius adimpletionem et executionem nos tanto efficacius excitmularet, expresse declaravit, *Matth.*, xxv, 10, quod, quidquid dandum esset pauperi et egeno, id totum ipsemet in persona recepturus, idque ipsum in judicio finali publice coram toto mundo protestaturus esset : *Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis*; et tamen quamnam innumeri homines adducturi sunt rationem, quando ipsis in faciem exprobrabitur, quod panem in alia alimenta lautissima avibus et aliis similibus animalibus non tantum liberaliter, sed et prodige erogarint et tamen Filium Dei in homine paupere, fame perire et præ frigore toto corpore contremiscere permiserint, cum tamen vestes pretiosas ex lana exquisita, imo et ex serico confectas in armariis tineæ corrodendo disperderent? Quid respondebit, dum ei objicietur, quod restitutionem rei alienæ cum tam notabili proximi damno in multos annos usque diffiderit; quod litem illam adeo injustam tanto tempore, præter omne fas et nefas, mordicus prosecutus fuerit; quod denique tot cum proximo suo egeno inierit illicitos et usurarios contractus? Quartum a S. Bonaventura adductum examinis instituendi caput est, quia rationem reddemus *de lucris bonorum neglectis*, *Luc.*, xii, 47 : *Servus, qui cognovit voluntatem domini, et non fecit, plagis vapulabit multis*. Arbor illa a Christo maledicta fuit, non quod fructus vermiculosos et interius corruptos protulit, sed quod nullos in ea fructus bonos reperierit, ideo solum ad ignem condemnari meruit : *Succidite, ut quid etiam terram occupat?* Quot futuri erunt, qui tanquam arbores steriles et inutiles in flammas conjicientur infernales, ex eo solum, quod ex auxiliis, quæ Deus pro salute et profectu ipsorum illis tam copiose subministravit, nihil omnino profecerint? Tritissima sunt illa S. Gregorii, *Hom.* ix *in Ev.*, de quinque talentis disserentis verba : « Lectio, » inquit, « sancti Evangelii sollicite consi« derare nos admonet, ne nos, qui plus cæteris in « hoc mundo recepisse aliquid cernimur, ab auc« tore mundi gravius inde judicemur; cum enim « augentur dona, rationes etiam crescunt dono« rum; » quanto enim majora futura sunt auxilia, quæ pro salute nostra et pro nostro in divino servitio, spirituali profectu recepimus, tanto quoque examen Dei strictius et rigorosius futurum erit; ac proinde S. Augustinus, *Medit.*, iv, sapientissime meditatur, dum ait : « Tot judicibus inops adstabo, « quot me præcesserunt in opere bono; tot arguen« tibus confundar, quot mihi præbuerunt bene « vivendi exempla; tot convincar testibus, quot me « monuerunt et sermonibus et actionibus. *Luc.*, « xvi, 8 : *Filii hujus sæculi prudentiores filiis lucis.* » Et ideo sollicitudo, cura et circumspectio, quam mundani homines habuerunt, ne illos vel minimi lucri temporalis occasio præteriret, conferetur cum negligentia et pigritia nostra, qua usi sumus circa spiritualia et æterna.

14. — Salmeron ait : « Reddenda est ratio de « bonis commissis et malis admissis; liber scriptus « proferetur, in quo totum continetur. » A primo instanti, quo rationis usu dotati sumus, ad usque ultimum vitæ spiritum, invenientur in amplissimo illo divinæ memoriæ volumine exaratæ illæ quadraginta, sexaginta, octoginta annorum omnes cogitationes, desideria, opera, eorumque omissiones cum omnibus suis circumstantiis temporis, loci, numeri, finis, intentionis. S. Augustinus, *Ser. contra Judæos et Arrian.*, ait : « Objiciet nobis in faciem, omnia « quæcumque fecimus, in qua die, in qua hora pec« cavimus et quid facere debuimus. » Tunc verissimum esse cognoscetur, quod David, *Psal.* xxxix, 13, scribit : *Comprehenderunt me iniquitates meæ, multiplicatæ sunt super capillos capitis mei.*

15. — Lyranus ait : « Quia de omnibus tibi « traditis Deus exiget rationem usque ad minimum « quadrantem. » In vita S. Odonis Abbatis refertur, quod monachus quidam in mortis agone constitutus, coram tribunali Dei præsentatus fuerit; ideoque se sodalium suorum Ascetarum, lectum ejus cingentium, orationibus efficaciter recommendaverit, dicendo : « Modo raptus sum ad judicium, ubique « protulit accusator humani generis contra me de « micis panis sacculum plenum, quas colligere « secundum consuetudinem nolui et de mensa « ceciderunt. » Ac proinde ex hoc stringens quoddam faciamus argumentum, dicendo : « Si in ignem « mittetur, qui esurienti non dedit panem suum, « putas, ubi mittendus est qui tulit alienum? » Porro S. Bernardus, *Ser.* ii *de ver. Isa.*, rationem reddit, cur judicium Dei adeo futurum sit rigorosum; dicit enim : « Qualem putas necesse est homi« nem inveniri, qui repudiati locum Angeli sortia« tur? » cum enim homo in cœlis inter Angelos sedere debeat, opus omnino erit, ut pietatem quamdam Angelicam sibi compararit. Deus per os Davidis, *Psal.* lxxiv, 3, ait : *Cum accepero tempus, ego justitias judicabo.* Circa quæ verba S. Bernardus, *Serm.* liv *in Cant.*, ait : « Quid faciet de injustis

« judiciis, qui ipsas quoque justitias judicabit? « Verendum est, ne sub tam subtili examine multæ « nostræ justitiæ, quæ putabuntur, peccata appa« reant. » Examinabit enim finem, intentionem, modum, quo virtuose operati fuimus, an scilicet id factum sit propter vanam gloriam, vel ex hypocrisi, vel propter fines humanos. Item an opera nostra fecerimus cum negligentia et desidia; quia *maledictus qui facit opus Dei negligenter.* Jer., xlviii, 10.

16. — Salmeron ait : *Reddenda est ratio de pretiosa temporis mercs*, quod optime cum eo consonat, quod apud Jeremiam, *Thr.*, i, 15, legimus : *Vocavit adversum me tempus*, q. d. ad trutinam tempus illud vocabitur, quod Deus nobis ad saluti nostræ cooperandum indulsit. In judicium et rigidum illud examen comparebunt anni, menses, septimanæ, dies, horæ, minuta et momenta. Et ideo S. Bernardinus optime monet dicens : « Vide, peccator, temporis « pretiositatem, quia modico tempore potest homo « lucrari veniam, gratiam, gloriam; male vero « expensum obligat ad tormentum æternum; si « talis mercantia ad infernum portaretur, solum « tempus dimidiæ horæ ad pœnitendum, emerent « illud pro mille mundis, si possent. » De religioso quodam Claravallense legitur, quod, dum orationi incumberet, animam quamdam audiverit horribili cum ejulatu clamantem; qui cum Deum rogasset, ut quid clamor iste significaret, sibi revelaretur, audivit prædictam animam damnatam se esse asserentem; cumque nomen suum edidisset, subjunxit : « Inter omnia tormenta, quæ patior, unum est, quod « et alios damnatos maxime movet ad planctum, « quando recordamur gratiæ Salvatoris nobis exhi« bitæ, et contemptæ, et maxime quod tempus « indultum nobis ad pœnitendum amisimus, in « cujus tam brevi horula tantam misericordiam « potuissemus consecuti fuisse. »

17. — Idem Salmeron Ecclesiasticos alloquitur, utpote quibuscum rigorosissimum examen instituetur : « *A sanctuario meo incipite.* Ezech., ix, 6. Red« denda est ratio de animabus fidei tuæ creditis et « de ingressu in Ecclesiam, quam administras, de « ministerio verbi, Sacramentorum, quo oves pas« cuntur, de personali residentia, quam debes ovi« bus tuis, de fructibus ecclesiasticis, quorum eras « non dominus, sed dispensator. » S. Bernardus in hac materia adeo rigide procedit, ut scribere, *Ep.* ii, non dubitarit : « Quidquid præter necessarium « victum et simplicem vestitum, de altari retines, « tuum non est, rapina est, sacrilegium est. »

18. — Quid ad hæc omnia in nostram excusationem respondere poterimus? *Omnis iniquitas oppilabit os suum.* Psal. cvi, 42. Quod si opponere tentaveris, dicendo, Job., x, 9 : *Memento quæso, quod sicut lutum feceris me*; te confutabit Apostolus, *Phil.*, iv, 13, dicens : *Omnia possum in eo, qui me confortat, non ego, sed gratia Dei mecum.* Quod si te excusaveris per tentationes et validos inimici infernalis insultus, quod scilicet hi viribus tuis longe exstiterint superiores, mendacii te idem Apostolus, I *Cor.*, x, 13, redarguet, dicens : *Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.* Et quidem ut D. Chrysostomus in proposito de Christo disserens, *in cap.* iv *Matth.*, de hoc tentatore optime advertit : *Persuadere potest, præcipitare non potest.* Plurimum quidem astutiis et viribus suis confidit, nobisque per nostram cooperationem indubitate prævalet, at vero ut illos prosternere et dissipare possimus, ejusque fraudes nobis detegantur et manifestentur, datus est nobis Angelus noster custos. Forte te excusare contendes, dicendo, quod mala aliorum exempla, pravique sodales te seduxerint; at vero cur oculos tuos non conjecisti in exempla bonorum, cur aures tuas non porrexisti tot Prædicatoribus, qui in pulpitis pro te vehementer sudarunt, ut te in viam bonam salutis reducerent? Item superiorum tuorum, seu bonorum amicorum, item confessariorum et tot aliorum salutaribus admonitionibus atque consiliis? Dices forsitan, quod hæc tua natura corrupta, malæ inclinationes, appetitus et concupiscentia carnalis, sui vehementia te prævaricari fecerint; *Rom.*, vii, 23 : *Video aliam legem in membris meis, captivantem me in lege peccati*; at vero Deus tibi paterne de tot innumeris prospexit auxiliis, quibuscum debilitatem et fragilitatem hujus carnis sustinere posses, uti quoque poteras jejuniis, macerationibus et castigationibus, oratione, vigiliis, usu et frequentia Sacramentorum et præcipue Sacramenti altaris, sicut et librorum sacrorum assidua lectione; cur igitur hæc omnia adhibere neglexisti? Denique forsitan postremo ad Dei confugies misericordiam, quæ infinita est, atque ad veniam et indulgentium pronissima et facillima? Ita quidem est, ut dicis, illam tamen tibi promittere non vales, nisi solum quamdiu duraverit hæc præsens vita, siquidem post illam, *jam non poteris vilificare.* S. Paulus proinde ait, *Rom.*, ii, 4 : *An divitias bonitatis ejus, et patientiæ, et longanimitatis contemnis? an ignoras, quod benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* Magna quidem est Dei misericordia, ea tamen tibi promittitur, ad hoc ut te emendes, non vero ut majorem tibi audaciam subministret ad perseverandum in culpa, ideoque si illa abusi fuerimus, eaque nobis oblata non utamur, sed negligamus illam, væ nobis : *Secundum duritiam tuam, et impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ revelationis justi judicii Dei.* Unde S. Bernardus, *Serm. de tripl. miseric.*, nos monet, dicens : « Thesaurizas « tibi thesauros iræ, pro prorogatis misericordiæ « thesauris, quos contemnis et evacuas in te mise« ricordiam Dei. »

Jam enim non poteris villicare.

19. — S. Bonaventura postquam hæc verba : *Redde rationem villicationis tuæ*, ita exposuisset, ut sensus sit : « Cogita dum vivis, qualiter debeas « operari, ut evadas pœnas æternas, » subjungit : « *Jam enim non poteris villicare*, tempore enim « mortis non poteris operari ad satisfaciendum. » Chrysologus, *Serm.* CXXV, ait : « Quare? quia venit « finis vitæ, tempus mortis. » Ecclesiasticus, IX, 10, ait : *Nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas.* Et Job, XIV, 5, inquit : *Constituisti terminos ejus, qui præteriri non poterunt;* Christus ipse apud Joannem, IX, 4, ait : *Venit nox, quando nemo potest operari.* Devota certe et seria meditatione digna sunt verba illa, quæ S. Theresia suis inculcare conata fuit, dum filias suas sanctimoniales tria hæc continuo perpendere et meditari jussit, scilicet : « Unicam esse animam, « unicam esse vitam, unicam gloriam ; » nisi in hac præsenti vita degentes, operati fuerimus, terminata hujus vitæ periodo, nullum deinceps tempus per omnem æternitatem redibit. Igitur « meminerimus « unicam esse vitam. »

20. — Hic Dominus, qui administratorem hunc ad rationes reddendas evocavit, anteactam ipsius malam administrationem, censuumque suorum ab illo factam dissipationem probe satis noverat, et tamen advertendum est, quod non in præsenti, sed in futuro tempore ei intimaverit verba hæc : *Non poteris villicare.* Chrysologus, *Serm.* CXXV, super hac verba : *Quid hoc audio de te?* rationem illius reddit, dicens : « Cognita velut audita imputat, quia in « reum non vult accelerare sententiam, et convic- « tum penes se velut accusatum convenit, qui « judicium gestit venia sic præire ; » benignissimus enim Deus noster peccatores per suam longanimitatem lucrari summa cum sollicitudine satagit : *Exspectat Dominus, ut misereatur nostri.* Jeremias iram, quam Deus adversus animam in civitate Jerosolymitana præfiguratam concepit, his verbis insinuat, *Thren.*, II, 8 : *Cogitavit Dominus dissipare murum filiæ Sion ;* sed quonam modo id exequi contendit? *Tetendit funiculum suum.* At vero quis est qui nesciat, quod funiculus, non quando ædificium aliquod subvertitur et dissipatur, sed quando erigitur, tendi soleat? Omnino ita esse fatendum est; sed notandum, quod uno eodemque tempore, quo Deus se alicui animæ iratum exhibet, illius non exterminium, sed ædificationem intendat, eamdemque in salutis statum reducere cogitat, quando enim nos animas Dei ad mortem tendere cogitamus, easdem ad vitam potius æternam dirigi tandem deprehendimus, quia *non vult mortem peccatoris, sed magis ut convertatur et vivat.* Et ideo David, *Psal.* XXVI, 6, dicit : *Ira in indignatione ejus, et vita in voluntate ejus.* Unde Chrysologus quoque ait : « Rationem exigit, non ut petat, sed ut « relaxet : petit, ut petatur, petit hic, ne petat ibi ; « petit in sæculo, ne petat in judicio. »

Additiones.

a. — S. Petrus Chrysologus, parabolæ illius de villico seu œconomo sensum explicans ait : « *Homo « quidam erat dives.* Quis erat homo iste nisi Christ- « tus? Erat in Majestate sua dives. » Cum hac igitur majestate ad judicium procedet finale, ut ab homine de bonorum, quæ illi subministravit administratione, strictissimam exigat rationem. Unde idem Sanctus inquit : « *Habebat villicum.* Quem « nisi hominem? Huic ergo diligentissimum exac- « tissimumque intimabitur examen per verba illa : « *Redde rationem villicationis tuæ.* » Ubi prædictus Doctor addit : « Venit finis vitæ, jam te apparitio « superna constringit, jam judicium vocat. » Ubi Christo, qui tanquam Rex gloriæ in augusto residebit throno, illa ex libro II *Machab.*, I, 24, desumpta attribuere possumus verba : *Considerans Rex et rem diligenter examinans.* Ipsam namque uniuscujuscumque animæ causam, tanta cum diligentia et circumspectione discutiet, ac si unica duntaxat sententiam subitura esset, nec non si unius solummodo causa revidenda ac discutienda foret : *Redde rationem.* Prima, ut credibile est, interrogatio circa finem instituetur propter quem esse adeo nobile animæ concessum fuit, « ut factorem suum, « teste S. Augustino, « pro imagine cognoscat et pro simi- « litudine diligat. » Ast quanta tunc obruetur amaritudine, quando ab hoc fine deviasse convincetur, toto amore in bonis collocato terrenis, eorumque gregi associabitur, de quibus scriptum est, *Ps.* XVI, 11 : *Oculos suos statuerunt declinare in terram.* Inviolabile cuique homini Deus hoc statuit præceptum, *Deut.*, IV, 9 : *Custodi temetipsum, et animam tuam sollicite ;* ubi nova nos obruet confusionis congeries. Si enim thesauros materiales summa cum sollicitudine custodivimus, quam culpabiles reputabimur, si eum neglexerimus thesaurum, de quo Apostolus ita scribit, II *Cor.*, IV, 7 : *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus?* Tunc igitur Judex, apertis plagis, signoque desuper scintillante crucis, pretium inæstimabile, pro hoc datum thesauro animæ exprobrabit, quæ ipsum propter respectum humanum prodegit. Neque tunc anima sese excusare poterit, quod divinæ gratiæ thesauris locupletato non fuerit, siquidem *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis ;* et ut tritissimum fert axioma : « Fa- « cienti quod in se est, Deus non denegat gra- « tiam. »

b. — Juxta Bellovacensis doctrinam, reddere debemus rationem « de remissionibus peccatorum « quas nobis Dominus fecit. » Idque illa probat decem millium talentorum parabola, quæ servus

ille debebat, cui Rex improperavit, dicens : *Serve nequam, omne debitum dimisi tibi. Matth.*, XVIII, 32. Sed eheu, quoties in contumeliam promissionum, in sacramento pœnitentiæ Deo factarum, temeraria cum præsumptione divinæ misericordiæ iterum facti sumus recidivi? Ac proinde rigorosius nobis fidelibus formabitur examen, quam illis, qui in infidelitatis tenebris continuo vixerunt; nam *servus qui cognovit voluntatem domini sui, et non fecit, vapulabit multis. Luc.*, XII, 47.

Unde quod fidei donum receperimus, eidem tamen minime correspondentes, vitam duxerimus infideli et pagano homini dignam, hoc unum erit ex improperiis asperioribus, quæ Judex iratus reprobis exprobrabit. Interrogabit enim an in Evangelium et religionem crediderit, quam professus es Christianam et Catholicam; an Sacramentis in Ecclesia sua institutis, tempore congruo usus fueris; an post hanc vitam hominem manere firmiter existimaris; denique an Christum Creatorem, Redemptorem et Salvatorem tuum esse firmiter tibi persuasum habueris. Quod si ad hæc omnia affirmative responderis, per evidentiam manifestam convictus eris, quod in omni actione tua haud secus vixeris, ac si post hanc vitam nullus esset Deus, nec ulla alia vita, nec præmia aut pœnæ retributio æterna. Audiamus, obsecro, S. Ephrem, in oratione quadam de judicio extremo, in hæc verba lamentantem : « Heu mihi, fratres mei in « Christo dilecti! Timore periculi impedior, et vox « mea deficit, lacrymæque mihi excidunt, dum « tremendam hanc narrationem aggredior. Discu- « titur sigillum Christianismi, quod quisque nos- « trum accepit in Ecclesia, confessionis fidei et « baptismi. »

c. — Diligentissima ibi instituetur discussio, circa bona naturæ et speciatim quidem circa nobilissimas animæ potentias, intellectum videlicet, voluntatem et memoriam, nec non circa ingenium et per illud acquisitas scientias, ac proinde ibi manifestum erit, quot fuerint qui acumine et perspicacia intellectus sui, in offensam Dei fuere abusi, novos in perniciem veræ fidei catholicæ adinveniendo errores. Quot item ingenium suum exacuerint, ut per astutias et fraudes suos circumvenirent sodales; quot denique eo fuerint abusi ad adulandum et lascivas componendum poesesos cantiones; simulque ad æternam illorum confusionem manifestabuntur præjudicia et consequentiæ pessimæ quæ ex eorum scriptis et compositionibus in innumeros alios derivarunt; de quibus Apostolus, II *Tim.*, II, 17, ait : *Quorum sermo ut cancer serpit.* Severissimus pariter circa bona corporis formabitur processus : *An nescitis quia corpora vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo?* Hoc autem templum sæpissime inordinatis sordidisque appetitibus nostris, violasse atque profanasse convincemur, cum tamen ut Apostolus inquit, I *Cor.*, V, 19 : *Corpus non fornicationis, sed Domino, et Dominus corpori.* Animæ unitum est corpus, ut illius crescant merita, ut scilicet carnem subjiciat spiritui, et per macerationem castigationemque suam victima fiat illi, qui eam suis coagulavit manibus; ideoque Apostolus quondam suos exhortabatur dicens, *Rom.*, XII, 1 : *Obsecro vos ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem.*

d. — S. Anselmus ad Deum aliquando conversus, in sequentia legitur prorupisse verba : « Domine, « quia totum me fecisti, totum me debeo amori « tuo. » Qualiter igitur vires, pulchritudo, juventutem, sanitatem, dotesque corporis impendimus? *Redde rationem.* Numquid vigorem, complexionemque robustam dilapidasti in voluptatibus carnalibus, in rixis, duellis, vindictis? Pulchritudinem tuam eo contulisti, ut alios ad illicita pertraheres? Juventutem in vanitatibus, otiis, ludis, omnibusque aliis inepiiis consumpsisti? Sanitatem in crapulis et fornicationibus exhausisti? *Redde rationem* de omnibus illis nec non de aliis sensuum tuorum usibus. Aures forsitan non modo verbo divino, Patrumque temporalium et spiritualium admonitionibus surdæ obduruerunt; sed insuper discursibus patuerunt obscœnis, murmurationibus, famæque alienæ detractionibus. Oculi discutientur circa tot impurorum obtutuum, qui innumerabilibus aditum patefecere inhonestatibus, transgressiones. Linguæ discutientur maledicta, perjuria, mendacia, blasphemiæ, injuriæ, detractiones, imposturæ et discursus impudici; imo ne vel minimum indiscussum remanebit verbum otiosum, ipso protestante Judice, *Matth.*, XII, 36 : *Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii.* Reddent rationem de omnibus male institutis gressibus, dicente Job, XIV, 16 : *Tu quidem gressus meos dinumerasti.* Unde et ipse David gemebundus aiebat, *Psal.* XLVIII, 6 : *Cur timebo in die mala? Iniquitas calcanei mei circumdabit me.* Si autem tantam a pedibus exigit rationem Deus, quanto majorem a manibus, quas forte excessibus contaminavimus verberam, vulnerum, stragum, tactuum illicitorum, ludorumque si non semper illicitorum, sed honestarum quandoque limites tamen excedentium convenientes temporis, loci et personarum qualitatis; ut nihil dicam de rapinis atque extorsionibus, quarum manus fuerunt instrumentum? Iterum rationem exiget a gula, de tot violatis jejuniis, de crapulis, ebrietatibus atque excessivis in conviviorum lautitiæ dispendiis, non ob alium finem institutis, nisi ad sarciendum, opiareque tractandum implacabilem Dei animæque inimicum, qualis corpus nostrum est, delicate enutritum, quod *incrassatum, impinguatum, derelinquit Deum factorem suum. Deut.*, XXXII, 15. Præterquam

quod *corpus quod corrumpitur aggravet animam.* Sap., IX, 15.

e. — « *Redde rationem villicationis tuæ*, quia de « omnibus tibi traditis, » inquit Lyranus, « Deus « exiget rationem usque ad minium quadrantem. » Bona namque temporalia nobis ad facilitandam æternorum acquisitionem, contulit, ut iis cum subordinatione debitaque directione uteremur; tunc itaque rationem exiget, dicturus : *Esurivi, et non dedistis mihi manducare.* Ubi S. Augustinus inquit, *Serm.* XXXVIII *de Sanct.* : « Non illis dicendum est : « Quia homicidia fecistis, adulteria commisistis, « quia alienam substantiam rapuistis; sed hoc « solum audituri sunt : Quia *esurivi et non dedistis « mihi manducare.* » Heu quot tunc confundentur, qui panem canibus prodegerunt, temeissimi in pauperes, quos præ fame delicere, emorique passi sunt! « Rogo ergo vos, fratres, » subdit idem Ecclesiæ Doctor, « nolite hæc transitorie cogitare. » Merito itaque his qui fortunæ bonis abundant, atque abutuntur, S. Jacobus Apostolus, V, 1, protestatur dicens : *Agite nunc divites, plorate ululantes in miseriis vestris, quæ advenient vobis. Aurum et argentum vestrum æruginavit, et ærugo eorum in testimonium vobis erit, et manducabit carnes vestras sicut ignis. Thesaurizastis vobis iram in novissimis diebus.* Imo quanto magis quis hic deliciis, voluptatibus, opibusque gavisus fuerit, tanto severiorem ibi experietur processum et condemnationem, juxta illa Apocalypsis verba, XVIII, 7 : *Quantum glorificavit se et in deliciis fuit, tantum illi date tormentum et luctum;* hinc et Job, XX, 19, prophetizabat, dicens : *Divitias, quas devoravit, evomet et de ventre ejus extrahet eas Deus.*

f. — *Redde rationem.* « Requiret Dominus, » ait Bellovacensis, « quomodo pater et mater filium vel « filiam servavit, quomodo familiam, quomodo « magister discipulum, socius socium, vicinus vicinum. » Cujus hanc convincentem adducit rationem, quia juxta irrefragabile axioma : *Unicuique mandavit Deus de proximo suo. Eccli.*, XVII, 12. Rationem itaque reddere tenebimur, non modo de nobis, sed etiam de proximis nostris; an scilicet bona illis præbuerimus exempla, salutares præmonitiones, prudentiam et opportuna consilia; utrum temporales spiritualesque eorum sublevaverimus necessitates; cui intento confirmando apprime deservit sequens S. Augustini discursus, quando illum commentans Evangelicum textum : *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur*, ita sermocinatur : « Dominus terri« biliter nos admonet, dicens : *Omnis arbor*, etc. « Non dixit : Quæ facit fructum malum, sed *quæ « non facit fructum bonum.* Hinc ergo possumus « evidenter agnoscere, quas pœnas arbor spinosa in « die judicii patietur, quando illa, quæ fructum « non dederit, excidetur et in ignem mittetur. »

Idem S. Augustinus in alio quodam sermone notat id quod Judex ille supremus protestatus fuerat dicendo : « *Filius hominis venturus est in gloria « Patris sui, cum Angelis suis ut reddat unicuique « secundum opera sua. Matth.*, XVI. Non dixit : *Ut « reddat unicuique secundum* misericordiam, sed « *secundum opera.* » Unde Bellovacensis ait : « Hoc « autem sciendum quod Judex improperabit eis « non solum mala quæ fecerint et locuti fuerint, « aut etiam quæ cogitaverint; verum etiam bona « quæ omiserint, aut neglexerint et beneficiorum « suorum omnium immensam multitudinem, quæ « ingrate susceperint, aut abjecerint; castigationes, « medelas, atque innumera remedia, quibus curari « debuerint, et non sunt curati. »

g. — *Jam enim non poteris villicare.* Mox petiit dominus a villico sibi reddi rationem et statim ei comminatur dicens : *Jam enim non poteris villicare.* Quid sibi volunt istæ minæ? Et tamen postquam delicta villici aperte cognosceret, ut audita tantum objicit et quamvis reum statim et convictum poterat ostendere, ad rationis tamen examen prius vocat. Quid sibi aliud volunt hæ moræ, nisi ut dilatationis tempus interponatur, ut reus sibi caveat, pœnitentiam agat et misericordiam petat? Magnum profecto, hoc est, beneficium, quod Deus debitori, id est, peccatori præstat, dum æternæ condemnationis executionem suspendit et pœnitentiam expectat. Magnam S. Augustinus immensum hoc bonum ponderandi habebat occasionem, quia divina pietas ad usque ætatem 33 annorum, condemnationis ejus executionem clementer suspenderat : « Quoties me « jam absorbuerat ille draco? et tu, Domine, ab « ore ejus extraxisti me. Quoties enim peccavi? et « ipse paratus fuit deglutire me, sed tu, Domine « Deus meus, defendisti me. Descendi usque ad « portam inferni, et ne illuc intrarem, tu me te« nuisti. Sciebas tu quidem, Domine, quia si tunc « mors me occupasset, infernus animam meam « suscepisset et perpetuo damnatus fuissem. Sed « tua misericordia et tua gratia prævenit me, eri« piens me de morte corporis et de morte animæ. » Quæ sane reflexio admodum efficax est, ut debitam a nobis erga cœlestem benefactorem extorqueat gratitudinem : *Stimulus mortis peccatum est.* I *Cor.*, XV, 56. Quoniam mors, quæ tardior cæteroquin vitæ nostræ filum rescinderet, a peccato impellitur et quando hoc possessionem accepit in anima, ipsum quoque corpus ad vitam corporalem amittendam condemnatum est; ast Deus utriusque, scilicet tam animæ quam corporis et vitæ condemnatione ad tempus differenda sese interponit; ideoque S. Antonius, ita unumquemque nostrum admonet : « Debet « cogitare quam proximus fuerit, quandoque amis« sioni vitæ. »

h. — Didacus Stella, *in Luc.*, ait : « Hæc verba, « quamvis de hora mortis et de ultimo vitæ instanti « intelligenda sint; » quia deinceps nullum erit tempus villicandi, hoc est, merendi, nec demerendi; tamen in hac vita inspirationibus adducit nobis Deus hæc nobis ad memoriam, ut habentes præ oculis nostris hoc ultimum tempus constitutum, quo cum vita simul nostra finito et terminato, amplius villicare nequibimus, hic statim villicare summa cura studeamus, bonisque operibus mansionem in cœlis quæramus; tempus enim erit aliquando, quo etiamsi velimus, nullo modo prodesse possimus, ut male acti temporis pœnitentia ducii, ea quæ facere noluimus, facta lucremur. Constitue igitur ante oculos tuos tempus et horam mortis, quo ubi perveneris Deum dicentem audias : *Redde rationem villicationis tuæ, jam enim non poteris villicare.* Quare nunc cum tempus ad villicandum habes, talia opera facere debes, ut nullus unquam temporis defectus tibi nocere possit, cum ad horam mortis perveneris. *Operemur bonum dum tempus habemus*, ait S. Paulus, *Gal.*, VI, 10. Cum enim tempus non sit in nostra potestate, temerarium est de eo disponere et suam conversionem procrastinare.

Versus 3.

Ait autem villicus intra se : Quid faciam, quia Dominus meus aufert a me villicationem? Fodere non valeo, mendicare erubesco.

Ait autem villicus intra se.

1. — Chrysologus, *Serm.* CXXV, ait : « Quærit « intra se consilium, qui foris, unde sibi jam suc« curret, non habebat, pungit cor suum, stimulat « mentem suam, et omnia vexat interna, ut ad se « pœnitentiam quam pro se dare possit, extor« queat. » Et in sermone sequenti dicit : « In « se reversus, quid facere deberet, interrogat. » In Deuteronomio, XXXII, 29, monitum quoddam legimus, proposito nostro valde opportunum : *Utinam saperes et intelligeres*, quanam vero in re sapientiam et intelligentiam illam repositam esse velit, verbis illis statim sequentibus declarat, dum subdit : *Et novissima provideres.*

2. — Cajetanus ait : « Ecce effectus divinæ com« minationis, redire ad seipsum, et recogitare, ut « provideat vitæ suæ æternæ : » Et ideo Didacus Stella inquit : « Scrutare conscientiam tuam intra « te. » Filius ille prodigus, quando sub paternæ obedientiæ jugum redire constituit, prius se intra conscientiam suam recollegit, *Luc.*, XV, 17 : *In se reversus;* quanto enim rigorosiores fuerimus in accusandis nobismetipsis, nostrasque iniquitates severo quodam examine vindicaverimus, tanto Deum nostrum in judicio mitiorem erga nos esse experiemur. Unde S. Gregorius ait : « In hoc mentis « nostræ judicio, tanto citius absolvimur, quanto « nos distinctius reos tenemus. »

3. — Albertus Magnus dicit : « Hic tangitur « providentia, in qua laudatur villicus, non enim « laudatur de iniquitate, sed de providentia sui; « intra se, apud se futura sibi convenientia per« tractans, et disponens. *Ps.* LXXVI, 7 : *Meditabor « nocte cum corde meo.* »

4. — « Apud se, » inquit Lucas Brugensis, « id « est, apud animum suum. » Delictum etenim suum negare non audebat, quia nimis facile erit, ut habito respectu ad redituum recepta et exposita, commissa iniquitate evidenter convinceretur : « Obmutescens igitur anxiusque cogitabat cum « animo suo. » Ideoque hoc nobis documentum post se reliquit, ut, dum nos conscientia nostra remordet, et sceleris alicujus commissi redarguit, in conscientiæ sinum ingrediamur, salutique nostræ consulamus et prospiciamus, *Isa.*, XXXVIII, 15 : *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ : Domine, si sic vivitur, et in talibus vita spiritus mei, corripies me, et vivificabis me.* Quo facto, vide, quisnam inde protinus subsequatur fructus, *Isa.*, XXXVIII, 17 : *Tu autem eruisti animam meam, ut non periret, projecisti post tergum tuum omnia peccata mea.*

Quid faciam?

5. — Ubi Chrysologus ait : « Semper homo bona « facere tunc capit, quando mors faciendi tempus « ademit. »

6. — Non ait : *Quid dicam*, sed *quid faciam?* quia arduum æternæ salutis negotium, plus ab operibus dependet, quam a verbis, et ideo potius manus, quam lingua operi admoveri debet. Didacus Stella ait : « Non dixit : *Quid dicam*, sed *quid faciam*, « sciens, quia apud Deum plus valent opera virtu« tis, quam verba facunda, juxta illud Apostoli, « I *Cor.*, IV, 20 : *Non in sermone est regnum Dei.* »

7. — Considerari quoque hoc loco potest, quod negotium hoc nulli alteri commiserit, sed veluti proprium summa cum sollicitudine sibimetipsi vendicarit, ad corrigendum nonnullos, qui intercessionibus Sanctorum, aliorumque servorum Dei orationibus nimium confisi, ipsimet pro animæ propriæ salute nec quidquam laborant. Idem quoque Stella observat, quod Dominus villico huic dixerit : « *Redde rationem villicationis tuæ*; propriæ enim « vitæ tuæ, factorumque tuorum, non alienorum « redditurus es rationem Deo; unusquisque enim « redditurus est de factis propriis rationem.

Quia Dominus meus aufert a me villicationem.

8. — Lyranus dicit : « Quia aliquando contingit, « quod divites hujus mundi, male consumentes « bona sibi tradita, timore mortis ducuntur ad « pœnitentiam et ad cogitandum de futura.

Fodere non valeo.

9. — Beda hæc verba de impossibilitate satisfac-

tionis et pœnitentiæ pro peccatis nostris exponit, posiquam homo ad præsentis vitæ terminum pervenit : « Ablata quippe villicatione, fodere non « valemus, quia finita hac vita, in qua tantum licet « operari, nequaquam ultra bonæ conversationis « fructum, ligone devotæ compunctionis licet in- « quirere. »

10. — « *Fodere non valeo*, id est, » inquit Dionysius Carthusianus, « dura pœnitentiæ opera « exercere non queo, abstinendo, me flagellando, « flendo, et vigilando. » Per ligonem, quæ cum sudoribus et labore terram versat, intelligitur austeritas corporalis. Divites vero hac prærogativa gaudent, quod in vicem austeritatum corporalium, cœlum sibi per eleemosynas acquirere possint.

11. — Cajetanus dicit, quod villicus hic, se vitam suam fodiendo aut mendicando substentare non posse, dicens, difficultatem insinuet illorum, qui sibi vitam æternam per abstinentiarum et orationum merita concedendam esse sperant, quando extra præsentis vitæ tempus sunt constituti : « Vere « cum comminatio mortis adest, jejunare non « valemus et orare erubescimus, conscii malæ actæ « totius vitæ, nulla enim suppetit ratio, quod exau- « diamur. »

Mendicare erubesco.

12. — Albertus Magnus notat, mendicationem, erubescentiam quidem et confusionem conciliare, homini illustrioribus natalibus oriundo, et in deliciis et commoditatibus educato : « Erubescentia est « mendicare; » verumtamen considerat, quod dives ille epulo finita sua administratione, id est, vita præsenti terminata, a pauperc Lazaro in sinu Abrahæ feliciter degente, stillam aquæ mendicaverit, tametsi irritæ preces illius fuerint, imo jam mille sexcenti et amplius anni sunt elapsi, a quibus eamdem continuo repetit petitionem, nec tamen quid unquam obtinebit : « Destituta villicatione « nemo mendicanti dabit, ex quo dives epulo a « Patre misericordiarum Abraham, guttam aquæ « obtinere non potuit. »

13. — « *Mendicare erubesco*, id est, » inquit Dionysius Carthusianus, « adversa æquanimiter « ferre non possum, seu alios ad intercedendum « pro me precari verecundor, nisi et ego ipse « aliquid boni agam, et temporalia tribuendo, « merear spiritualia mihi rependi suffragia. » Quæ expositio optime convenit cum illa, quam hisce verbis adhibet Lyranus dum ait : « Quia verecun- « dum debet esse hujus mundi divitibus, petere a « pauperibus, et religiosis suffragia spiritualia, et « non rependere eis in temporalibus bonis. »

14. — Didacus Stella ait : « Deum orare, seu « alios, ut pro me intercedant, requirere pudet, « quia perseverare in oratione non possum, coram « autem Deo, qui peccata mea cognoscit, apparere « non audeo, præ confusione et verecundia delic- « torum meorum. »

15. — Chrysologus verba illa interpretatur de confusione judicii, in quo anima rea examinanda et condemnanda erit : « Confusionem futuri judicii « pertimescit, in quo jam non pœnitendi tempus « est, sed pœnarum, et ubi reus plus de conscien- « tia, quam de gehennæ erubescit incendio. »

16. — Porro hæc erubescentia et pudor, quo multi in mortificationibus et exercitiis spiritualibus suffunduntur, plurimos, quotidiana experientia testo, retrahit ab operibus bonis et vitiosis. Angelicus Doctor illa verba S. Pauli, *Rom.*, I, 16 : *Non erubesco Evangelium*, exponens; causam declarat, cur illi, qui baptizantur, in fronte quoque sacro Chrismate deliniantur et cruce signentur : « Inde « est, » inquit, « quod baptizati liniuntur Chrismate « in fronte signo crucis, ubi est sedes verecundiæ « ne scilicet Evangelium erubescant. » S. Bonaventura super illa Christi verba, apud S. Lucam, IX, 26 : *Qui erubuerit me, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua, et Patris, et sanctorum Angelorum*, exemplum adducit S. Pauli, dicentis : *Non erubesco Evangelium, virtus enim Dei est*; potius erubescere debemus vilitatem peccati, juxta illud, *Rom.*, VI, 21 : *Quem fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis?*

Additiones.

a. — *Ait autem villicus intra se : Quid faciam?* In magnis angustiis se videt constitutum iniquus villicus; et ideo timor judicii sollicitat mentem ad procurandum subterfugium. Videns enim se mox esse judicandum, requirit remedium intra se. Non se excusat, non crimen negat; sed culpa convictus omnino obmutescit et valde anxius cogitat in animo suo : *Quid faciam?* O stulta cogitatio et cogitatio indurati peccatoris, qui illud tempus Deo pro pœnitentia destinat, quod maxime inopportunum est, qualis mortalis vitæ infirmitas et agonia mortis. S. Basilius Magnus in oratione quarta de pœnitentia, de quodam, qui pœnitentiam ad agonem usque mortis distulit disserens, ait : « Tui mœrore confi- « cuntur, alieni spernunt, atque nihili pendunt, « amicus etiam ad commonefaciendum tardus est, « timens ne te magis perturbat. Quid si te medicus « sanitatem tibi promittendo decipiat, de sanitate « non desperes, eo quod natura vitæ sis cupidus? « Mors impendet et qui abducunt urgent; quis te « amabo eximet, ac ex tantis malis eripiet? Deusne « ille quem contempsisti? At hic minime preces « tuas non audiet, cum et tu ipsum non exaudieris. « Promissane exsolvet, quasi vero prius datis probe « usus sis? Nemo te inanibus verbis circumve- « niat : imminebit enim tibi subita pernicies et « mors procellæ instar aderit. Veniet Angelus « mœstus et horridus, violenter abducens ac tra-

« hens animam tuam peccatorum vinculis constric- « tam, ac frequenter se convertentem ad ea, quæ « hic sunt, denique lugentem sine voce, cum jam « lamentationis instrumentum sit sublatum. O quam « teipsum excruciabis! O quantum ingemisces, « frustra jam pœnitentiam ob mala consilia agens! »

Quando sanctissimus Christi Præcursor prima omnium vice regnum Cœlorum nobis propinquum esse nuntiavit, in hæc verba locutus fuit : *Pœnitentiam agite; appropinquavit enim regnum Cœlorum?* Ecce tibi qualiter pro regno Cœlorum acquirendo pœnitentiam exegerit et hanc non qualemcumque, sed veram, sed fructuosam, sed dignam pœnitentiam; ideo enim expresse subjungit : *Facite dignos fructus pœnitentiæ.* Hic pariter est sensus sanctæ Matris nostræ Ecclesiæ, quæ in litaniis ita nos orare docet : « Ut ad veram pœnitentiam nos perducere digne- « ris. » Quoniam vero modo homo aliquis per multos annos in peccatis inveteratus, in illo ultimo vitæ momento dignos pœnitentiæ fructus producere poterit. S. Bernardus interrogat dicens : « Quid « dissimulant homines in vita sua agere pœniten- « tiam et extrema de confessione præsumunt? Quo- « modo sub unius horæ articulo revocari possunt « omnia animæ membra, cujus concupiscentiæ et « desideria per totum mundum sparsa sunt et ubi- « que terrarum velut quodam visco tenentur? Non « dico, ait Dominus, quin et talium salvem aliquos, « potens sum enim in momento omnia revocare; « sed *non congregabo conventicula eorum de sangui-* « *nibus*, id est, de iis qui in sanguine perseverant, « donec multiplicatis infirmitatibus deserantur a « peccatis, antequam deserant ea. Non magna ta- « lium conventicula congregabo. »

b. — S. Bonaventura ait : « Timor judicii sollici- « tat mentem ad procurationem subterfugii, ideo « videns villicus se esse judicandum, requirit reme- « dium : *Ait autem intra se.* Non se excusat, nec « crimen negat, sed culpa convictus, se reum « agnoscens, cogitat de remedio. Servit hoc contra « eos qui statum nituntur occultare conscientiæ « propriæ et abscondere vel negare peccata sua. » Vitium est antiquissimum, a nostris originatum protoparentibus, ille celandi, culpamque abscondendi pruritus : *Si abscondi quasi homo*, inquit Job, *peccatum meum.* Hebræus habet : *Si abscondi quasi Adam.* Si quisquam alius, opportunissime profecto ad intentum discurrit S. Gregorius, *lib. XXII Moral.*, IX, dum ait : « Usitatum humani generis vitium « est, et latendo peccatum committere, et commis- « sum negando abscondere, et convictum defen- « dendo multiplicare. » Cujus abusus hanc assignat originem : « Ex illo quippe lapsu primi hominis « hæc augmenta ducimus nequitiæ, ex quo ipsam « radicem traximus culpæ. » Idem porro Sanctus, citatum Jobi textum ponderans in eodem capitulo, ressuscitati immiscet historiam Lazari, cui Christus non dixit : *Tibi dixi : surge*, prout alteri imperabat filio viduæ, sed : *Veni foras.* « Mortuo Lazaro, » inquit, « qui mole magna premebatur, nequaquam « dicitur : Reviviscere, sed : *Veni foras.* Ex qua « scilicet resurrectione, quæ gesta in illius est cor- « pore signatur, qualiter nos ressuscitemur in « corde; cum videlicet mortuo dicitur : *Veni foras*, « ut ab excusatione, atque occultatione peccati, ad « accusationem suam ore proprio exire provocetur, « quia igitur hæc occultationis culpa in humano « genere vehementer excrevit, bene beatus Job, « cum diceret : *Si abscondi peccatum meum*, inter- « posuit : *Quasi homo.* Hominis quippe proprium « conspicit, quod ex parentis veteris imitatione « descendit. »

c. — Ecce quantis in angustiis se collocatum reperit iniquus villicus, quia, ut inquit D. Petrus Chrysologus, « unde sibi jam succurreret, non ha- « bebat. » Ecce amicos, fratres, ac consanguineos habebat villicus; at vero cum constituitur coram Deo judice, ad reddendam rationem suæ villicationis, ac vitæ, omnes illi statim evanescunt, ac auferuntur, nullusque relinquitur, a quo levamen auxiliumque habeat. Sic erit in extremo die judicii.

d. — *Fodere non valeo, mendicare erubesco.* Ad hæc verba pulchre D. Petrus Chrysologus, *Serm.* CXXV scribit : « Confusionem futuri judicii perti- « mescite, in quo jam non pœnitendi tempus est, « sed pœnarum; et ubi reus plus de conscientiæ « quam de gehennæ erubescit incendio. » Qui, o miser homo, te in tantas angustias redegit, ut jam de præsenti dicas : *Mendicare erubesco?* Solum ad reddendam rationem vocaris et nondum aliqua pœna imposita affligeris. Cur ergo tanto mendicandi rubore conturbaris? Plus sane torquebatur, ipsa conscientia criminum, quam omni gehennali incendio. Intolerabilior enim conscientiæ cruciatus, quam omne inferni supplicium. Legitur, *Isa.*, LXVI, 24 : *Vermis eorum non morietur.* Per hunc vermem communiter malæ conscientiæ remorsus, qui velut crudelissimus carnifex damnatos cruciabit. Unde S. Augustinus ait : « Inter omnes tribulationes hu- « manæ animæ et innumerabiles afflictionum mo- « lestias, nulla est major afflictio, quam conscientia « delictorum. » Advertendum porro est, Christum de pœnarum illarum acerbitate disserere volentem, non sine mysterio ignem simul cum verme conjunxisse; siquidem non tantum semel, sed trinies in solo capite nono Marci, hæc verba repetuntur : *In ignem inextinguibilem, ubi vermis eorum non moritur.* Et ideo S. Augustinus quærit : « Seipsum « quo fugiturus est homo? Quocumque fugerit, se « talem trahit post se, et quocumque talem trahit « post se cruciat se. In se est pœna sua, quem tor- « quet conscientia sua. » Idem quoque S. Doctor soli Deo reservatum esse dicit hujus cruciatus pœnæ raræ acerbitatem, siquidem ab ipso immediate hic

cruciatus animæ et corpori reprobi infligitur. « Deus « scit tantam pœnam animæ, tanta tormenta. » S. Bernardus, in Meditationibus, hunc cruciatum expendit sequentibus verbis : « Extorres cœlo in carne « cruciabuntur per ignem, in spiritu per conscien-« tiæ vermem. » Quod et S. Prosper confirmat, dicens, damnatos « edacissimis in æternum dila-« niari vermibus, nec puniri. »

e. — Villicus vir nobilis, divitiis opulentus, in deliciis enutritus, cum imminentem paupertatem considerasset, laboriosis operibus nesciebat insistere, tum ob virium imbecillitatem, tum ob dissuetudinem : *Qui enim delicate a pueritia nutrit servum suum, postea sentiet eum contumacem. Prov.*, XXIX, 21, non solum ad opus et laborem, sed etiam ad virtutem. Ad rem moralissime Didacus Stella, *in Luc.*, ait : « *Fodere non valeo*, hoc est, duram pœni-« tentia exercere nequeo, abstinendo, flendo, jeju-« nando et alia hujusmodi operando. Quamvis « enim hæc opera sint viris perfectis dulcia atque « facilia, qui consuetudine excitatos sensus habent, « et omni virtutum actione spiritualiter delectan-« tur, mihi tamen, qui educatus sum in deliciis et « libertate, durum et rigidum videtur virtuti ope-« ram novare. » Heu sic pœnitentiam reddit difficilem, in extremo, consuetudo inveterata.

Versus 4.

Scio quid faciam, ut, cum amotus fuero a villicatione, recipiant me in domos suas.

1. — Lucas Brugensis dicit : « Secreto apud se « loquens, seipsum intelligit ; » in consilium advocat omnes animæ potentias, ad consultandum negotium maxime arduum, quod præ manibus habebat, negotium nimirum salutis æternæ. Etenim dum homo in manifestis hæret gravibusque periculis, ad intercessionem Sanctorum recurrit, fiunt vota, manus ad eleemosynas erogandas extenditur, optima firmiter concipiuntur proposita, ita quoque hic villicus necessitate et animi anxietate coactus, faciebat. Unde Lyranus circa hæc verba ita scribit : « Quia bona temporalia eis distribuam, *ut, cum « amotus fuero, recipiant me in domos suas*, id est, « per eorum suffragia et merita recipiar in beata « vita. »

Additio.

a. — *Scio quid faciam, ut cum amotus fuero*, etc. Astutum et malum consilium excogitat, consultori ipsi pessimum, magis de acquirendis amicis, quam de resarciendis male expensis divitiis, qui in eo totus intentus esse debebat, quomodo amissam reconciliaret gratiam et injuste expensa recompensare posset ; imo, ratione temporis, plus dissipat, quam ante fecerat. O male suada ratio ! Videtur hic villicus a sensualitate sua seductus omni judicio et ratione esse destitutus. Hæc merces semel commissi peccati est. Quid enim rationabilius excogitare deberet, quam totis viribus contendere ; ut satisfaciens domino, hanc domini indignationem evitet, penesque villicationem se manuteneat ? Probrosum enim est diviti, nobilique viro, culpa sua ad extremam miseriam redegi, ut mendicabulo vitam sustentare cogatur. Quomodo igitur tempore reddendæ rationis plus ardet in fraude ac de bonis sibi creditis dispergit, quam tempore suæ functionis ? Videbatur enim valde conveniens prudentiæ, quod ipsa approximatio persolvendi computationem bonorum, cohiberet manus a majori dissipatione bonorum, præcipue cum ille non haberet unde ea posset compensare. Scilicet, ait D. Chrysologus, *Serm.* CXXVI : « Aufertur pudor, violatur « innocentia, verecundia tota sepelitur, ubi villicus « reddendæ rationis tempore, plus ardet in fraude, « quam tempore villicationis anhelavit in luxu ; et « qui ante substantiam vacuaverat dissipando, va-« cuando chirographa, quod remanserat, plus ever-« tit ; nec curat unde possit sarcire quod deerat, « sed quod remansit, quomodo possit minorari, « excogitat. » Et hoc est quod Sapiens ait : *Impius, cum in profundum venerit, contemnit.* Peccator enim per consuetudinem habituatus, in profundum malæ conscientiæ, cæcitatis, desperationis, pertinaciæ, jactantiæ et damnationis æternæ corruit. Ille quoque se et suam conscientiam contemnit, leges, homines, pœnas et verecundiam flocci pendit. Judæi Christo in die festo mortem nequaquam inferre decreverant, ne forte populus multis ab eo beneficiis affectus aliquam excitaret seditionem : *Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo.* Cur igitur decretum istud, tanta cum unione et concordia stipulatum, non observarunt ? Certum est enim quod tam sacerdotes quam magistratus, principes synagogæ et pontifices populi, omnes concorditer crucifixionem Christi in solemnissimo totius anni die, *erat enim magnus dies ille sabbati*, perfici urserint ? Sed respondetur cum Cajetano : « Impii est « vilipendere jura et homines. » Pontifices enim et principes synagogæ jamdudum odio contra Christum adeo intoxicati fuerant, ut accepta occasione, rabiem suam contra Dominum emovendi, nullum habuerint respectum, sive resolutionis antea ab ipsis concorditer factæ, sive solemnitatis Paschalis ab ipsis profanandæ, ne occasionem Christum necandi amitterent.

Versus 5.

Convocatis itaque singulis debitoribus domini sui, dicebat primo : Quantum debes domino meo?

Convocatis itaque singulis debitoribus domini sui.

1. — Albertus Magnus hic ait : « Ecce ejus, quod « definivit per opus impletio ; multi enim sunt, « qui optime consiliantur, et non faciunt per opus,

« hic autem et prudens fuit in consilio, et efficax « in opere. »

Quantum debes domino meo?

2. — Lucas Brugensis œconomum hunc, quantitatem, quam hi debitores domino suo debebant, optime scivisse ostendit, ideoque interrogat, quamobrem illos de quantitate debiti exponenda requisierit? Et respondet, id œconomum, « non quod « ignoret rogasse ; apud quem cautio servabatur, « sed ut ille confessus debitum, intelligat, quantum « hic œconomus beneficii sibi præstet, dimidium « debiti remittens. »

3. — Albertus Magnus in sensu morali per hoc debitum, peccatum interpretatur, hæc enim in oratione Dominica sive quotidiana, debita appellantur : « *Dimitte nobis debita nostra.* Hæc quæstio fit « in confessione de peccatis. Unde *Matth.*, VI, 12 : « *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus « debitoribus nostris* ; hoc enim debitum minister « debet discrete requirere. »

4. — Chrysologus aliam ponderationem adducit, dum ait : « Reddendæ rationis tempore, plus ardet « in fraude, quam tempore villicationis anhelavit « in luxu. » Si enim antea priusquam ad villicationis suæ rationes reddendas postularetur, bona Domini sui dissipavit, nunc illa multo amplius disperdit, dum debitoribus Domini sui condonat in quantitate notabili, quod suum non erat. Unde clare satis verum esse videtur quod, *abyssus abyssum invocat. Psal.* XLI, 8. At vero si illum excusare velimus, dicendo, idipsum fecisse, quia periclitabatur fama ejus, quæ longe superioris ordinis est, quam bona temporalia, cur non potius dicimus, quod, ex quo omnem honoris et reputationis stimulum, imo et quamvis conscientiæ remorsum perdiderit omnia sibi licita esse existimaverit ; unde bene dicitur : *Diffamatus est*, quia quando quis eo pervenit, ut bonam famam et existimationem inter homines amiserit, tunc impudens et inverecundus fieri incipit, adeo ut nullus sit excessus adeo enormis, quem non committit. Unde Chrysologus ait : « Aufertur pudor, violatur inno-« centia, verecundia tota sepelitur : *Impius cum in « profundum venerit, contemnit. Prov.*, XVIII, 3. »

Additio.

a. — *Convocatis itaque singulis debitoribus domini sui*, etc. Ad gratias sibi referendas, dum villicus iste cupit cogere debitorum animos, expende, quali astu utatur ; et oleum et triticum domini sui remisit illis. Et quis non referat gratias Deo tritico donatus? Post cœnam ultimam Jesu, notabat Matthæus, XXVI, 30, quod *hymno dicto exierunt in montem Oliveti.* Circa quæ verba inquit D. Paschasius, *lib.* XII *in Matth.* : « Hoc est quod in Psalmo legimus. « *Manducaverunt et adoraverunt omnes pingues terræ* ; « quoniam nemo hujus adipe frumenti satiatus, « neque hujus dulcedine sanguinis Christi ebrius, « jam repletus cessat a laude Dei. » Hoc enim sacrificium corporis et sanguinis Christi institutum est ad referendas pro continuis acceptis beneficiis gratias. Psalmista incruentum in Ecclesia, spiritu prophetico prævidit instituendum sacrificium quod præterquam quod propitiatorium et impetratorium esset, insuper in gratiarum actionem ordinatum fuit, pro innumerabilibus, iisque continuis, larga Dei manu in nos collatis beneficiis, ideoque cœlo gratias acturus dicebat, *Psal.* CXV, 12 : *Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi?* Oculumque in calicem conjiciens salutarem, id est, in Missæ sacrificium, subjungit : *Calicem salutaris accipiam... Tibi sacrificabo.* Quam forte ob causam ritus jubet Ecclesiasticus, ut Sacerdos ante consecrationem, in Præfatione tributum offerat gratiarum, dicendo : « Gratias agamus Domino Deo nos-« tro, » cui respondet minister : « Dignum et « justum est, » repetitque Sacerdos dicens : « Vere « dignum et justum est, æquum et salutare, nos « tibi semper et ubique gratias agere. » Ideoque S. Augustinus nos admonet dicens : « Sacrificiis « Deum non egere quis nescit? Sed nec laudibus « nostris eget. Verum sicut nobis, non illi utile est « laudare Deum, sic nobis, non illi utile est offerre « sacrificium Deo. » Concilium Tridentinum *de Sacramentis in genere* tractans, hanc iis attribuit laudem : « Per quæ omnis vera justitia vel incipit, vel « cœpta augetur. » Hic autem effectus longe excellentior in Eucharistia, tanquam in sacramento et sacrificio relucet, ut proinde S. Epiphanius de Missa agens, in quadam ad Joannem Episcopum Jerosolymitanum epistola, Eucharistiam appellare non dubitet, « Christianorum præcipuam salutem ; » cujus fines, ob quos instituta fuit omnino sublimissimi sunt, scilicet ad infinitam Sanctissimæ Triadi dandam gloriam ; ut Christus tanquam Sponsus suæ semper præsens adesset Ecclesiæ Sponsæ ; ut vivam in se fideles semper foverent mortis Christi, redemptionisque nostræ memoriam ; ut infinitam justitiæ divinæ nostris identidem irritatæ peccatis offerret satisfactionem ; ut per infinitæ gratiarum actionis actus Deo placeret, immensamque illi præstaret complacentiam, tam dilecti ab eo pignoris oblatione pietatem nostram augeret, et devotionem, et nostram æternam assecuraret salutem.

Versus 6.

At ille dixit : Centum cados olei ; dixitque illi : Accipe cautionem tuam, et sede cito, et scribe quinquaginta.

1. — Lucas Brugensis litteralem horum verborum sensum declarans, hunc illorum sensum esse dicit : « Scito remissos tibi opera mea reliquos

« quinquaginta cados, et postquam amotum me « videris a munere dispensatoris, memineris hujus « mei erga te beneficii. »

2. — Rupertus Abbas Tuitiensis moralem horum verborum sensum ita exponit : « *Accipe cautionem « tuam*; singulis dicit : *accipe cautionem tuam*, quod « est dicere : tantum tibi caveas, ut de cætero « emendes. »

3. — Dionysius Carthusianus ad vocem, *cito*, se reflectens, dicit : « Celeriter enim agenda sunt « opera, præsertim misericordiæ, sicut enim *hilarem*, ita et celerem *datorem diligit Deus*; et qui « cito dat, bis dat; nescit dare, qui dare tardat, « propter quod asserit Augustinus : Et rem perdit « et meritum, qui pauperem molesta mora suspendit. »

Additiones.

a. — *At ille dixit : Centum cados olei*, etc. Quæstio præsens inquirit cur villicus, qui diabolum præfigurabat, ut existimat D. Gaudentius, *lib. ad Geminum*, toto suo conatu intendit, ut debita Domino suo integra non solvantur, cur illi qui oleum tenebatur solvere, non viginti, sicut in tritico, persuadet defraudare; cur illi qui centum coros tritici debebat, sufficiens reputat, si viginti diminuat, cum in oleo quinquaginta furentur; cur minorem numerum in tritico quam in oleo intendit? Respondet D. Gaudentius citatus : « Nec illud « otiosum est, quod major numerus deperiit Do« mino, cui debitores sumus ex operibus oleo figu« ratis quam ex tritico ad vitalis fidei specimen « comparato. » Minoris ac parvi numeri fraus ex tritico reputatur maxime exitialis ac damnosa servis. Quamvis enim aliarum omnium virtutum dimidiam partem diabolus tibi auferat, pro certo habe non tantum damnum tibi inferre, ac si paucis vicibus pabulo tritici divini defraudet ac separet. Tot sunt gratiarum dona, quæ in divino Sacramento communicantur, ut illius parva abstinentia maximum negotium facessat diabolo, illique maxime placeat. Spiritualis animæ nostræ vita, per gratiam, amicitiam Dei, perque charitatem et amorem divinum respirat, dicente Joanne Apostolo et Evangelista : *Qui non diligit, manet in morte.* Ast ecce in vobis præsens hujus vitæ manutenendæ nutrimentum : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Joan.*, vi, 55. Ubi S. Cyrillus Alexandrinus ait : « Vivificat sanctum Christi corpus eos « in quibus fuerit et in incorruptione conservat. » Quo supposito fundamento se intelligere non posse affirmat Sanctus illorum stultitiam, qui hunc abhorrent cibum, rariusque ad ipsum accedunt : « Si « cunctanter et longo temporum spatio, Eulogiam « frequentare desinant, et ex eo quod nolunt ei « mystice communicare, damnosum metum, ac « religionem prætexant, intelligant æternæ vitæ « seipsos excludere, dum vivificare renuunt, et « recusationem illam, tametsi a metu et religione « profecta videtur, in laqueum cedere et scanda« lum. » Non approbat Sanctus, quod quisquam ab hoc Sacramento sese elonget et sub solo timoris, majorisque reverentiæ prætextu; panem Angelorum frequentet rarius; adeoque autumat, in hoc astuti serpentis laqueum, et dolum latere reconditum : quid ergo dicemus de illis, qui ad illud accedere culpabiliter et per proprium negligentiam omittunt, imo hanc frequentiam contemnunt et ad imitationem Hebræorum, Paradisi manna nauseant et fastidiunt : *Omnem escam abominata est anima eorum et appropinquaverunt usque ad portas mortis?*

b. — Tam oleum quam triticum charitatis est symbolum. Cum igitur servi isti domino suo nihil debuerint præter triticum et oleum, signum est nos quoque nihil ei debere præter charitatem. « Solve « tributum amoris, et Domino noveris esse satis« factum, » inquit Richardus de S. Victore; per amorem namque Dei omnes adimplentur leges, tam hactenus emanatæ, quam quæ a principio in finem usque sæculorum a divino Legislatore emanabant. Eruditissimus Idiota, in aureo illo tractatu quem post se de amore Dei scriptum reliquit, ita nos instruit : « Quidquid latet et quidquid patet in « divinis sermonibus, et in tota sacra Scriptura, « dilectio ipsa comprehendit; nam tota lex, imo « tota Scriptura, aut præcipit, aut consulit ea quæ « faciunt ad tuam et proximi dilectionem. » Et quidem, ni fallor, a S. Augustino idipsum didicit, qui fere iisdem verbis idipsum postcriptum reliquit, dum ait : « Si non vacat omnes paginas Scrip« turarum evolvere, tene charitatem, et in ea « invenies omnem scientiam; quid est autem finis « præcepti, nisi præcepti adimpletio? Quid est « præcepti adimpletio, nisi legis plenitudo? Quod « ergo ibi dixit : *Plenitudo legis est charitas*, hoc « etiam hic dixit : *Finis præcepti est charitas.* »

c. — Convocatis debitoribus domini sui, non omne debitum dimisit villicus, sed aliquam partem; nam ei qui centum olei cados debebat, dixit : *Scribe quinquaginta*, et ei qui centum coros tritici debebat dixit : *Scribe octoginta.* Allegorice, dæmon villicus iste erat, qui hanc machinatur artem, ut non statim ad omnia præcepta transgredienda persuadeat, nam si in exordio suæ tentationis in omne scelus præcipitaret, illum homines exhorruissent. Sinit ille aliqua virtutum opera exercere ac solvere, et ad violanda tantummodo quædam præcepta provocat, quia minimus ad animam nostram aditus dæmoni sufficit, ut deinceps omnem suam malitiam in ipsam infundere possit. Dubitare quidem non licet, quia Judas una cum aliis Apostolis collegis suis vitam duxerit Apostolicam Christumque in jejuniis, in peregrinationibus, in actibus humilitatis et mortificationibus secutus fuerit. Itemque

Evangelium ferventer prædicaverit, miracula patraverit, et orationi sæpius incubuerit, et tamen dæmon in cor et animam ejus aliqualem aditum habebat, tenebatque concham hanc apertam, quod unicum, ad inæstimabilem animæ etiam Apostoli alicujus gemmam rapiendam et devorandam, Deumque ex eadem anima expellendum abunde sufficit. S. Jacobus ait : *Qui totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus. Jac.*, II, n, 10. Et S. Paulus, I *Cor.*, x, 21 : *Non potestis mensæ Domini participes esse et mensæ dæmoniorum.* Quot sunt inter Christianos qui sibi persuasum habent, quod Deum in corde suo habeant, eo quod se in multis devotionibus et exercitiis spiritualibus quotidie occupant, licet cæteroquin suum quoque minimum aditum, vel locum diabolo indulgeant, sed fallantur turpiter, quia ut apud Oseam dicitur : *Divisum est cor eorum, nunc interibunt.* Et S. Augustinus ait : « *Væ duplici corde*, quia in corde suo « partem faciunt Deo et partem diabolo; iratus « enim Deus, quia fit ibi pars diabolo, discedit, et « totum diabolus possidebit. »

Versus 7.

Deinde alii dicit : Tu vero quantum debes? Qui ait : Centum coros tritici; ait illi : Accipe litteras tuas, et scribe octoginta.

Versus 8.

Et laudavit dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset, quia filii hujus sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt.

Et laudavit dominus villicum iniquitatis.

1. — Venerabilis Beda, in hac parabola non omnia nobis imitanda esse monet : « Non omnia, » inquit, « debemus ad imitandum sumere; non « enim aut Domino nostro facienda est in aliquo « fraus, ut de ipsa fraude eleemosynas faciamus, « aut eos, a quibus recipi volumus, in tabernacula « æterna, tanquam debitores Dei, et Domini nostri « fas est intelligi, cum justi et sancti significentur « hoc loco, qui eos introducunt in tabernacula « æterna, qui necessitatibus suis terrena bona com« municaverint; » de quibus ut idem Beda notat, Salvator noster pariter dicit, quod si quis ex amore ipsius, alteri calicem aquæ frigidæ dederit, mercedem et remunerationem suam minime sit amissurus; tandem idem venerabilis Abbas concludit, id dictum esse, « ut intelligamus, si laudari potest ille « a Domino, cui fraudem faciebat, quanto amplius « placeant Domino Deo, qui secundum ejus præ« ceptum illa opera faciunt. »

2. — Didacus Stella sententiam suam sequenti similitudine, a Prædicatore desumpta deducit, qui, ut auditores suos ad orationem, et alia opera bona facienda exstimulet, iisdem dicit : « Ecce fures et « latrones vigilant tota nocte, ut furentur et præ« dentur cum periculo vitæ suæ, cur ergo tu non « vigilabis ad orationem et bona opera, spe æternæ « mercedis? » Talis enim Prædicator fures laudat, non de latrociniis, quæ committunt, sed de sollicitudine, vigilantia et astutia, quam furando adhibent. Similiter adducit aliud exemplum mulieris cujusdam, quæ se adornat, ut alios ad sui concupiscentiam exstimulet, indeque per consequentiam deducit, quanto magis nos solliciti esse debeamus, ut animas nostras sanctis exornemus virtutibus, ut Deo sponso nostro placeamus : « Non laudatus « modus quem habuit, nec media accipiens aliena, » exemplo nobis esse debet, inquit, de hoc villico, sed prudentiæ, qua necessitatibus suis prospexit.

3. — Jansenius observat, quod dum Salvator noster hunc villicum laudat, laus illa non super fraudem, sed super astutiam et promptam inventionem, quam ad medendum et consulendum indemnitati suæ, excogitavit : « Non quod fraudem « commisisset, sed quod prudenter fecisset sibi « prospiciens in futurum; » sicut quando scelus quoddam ab alio astuto et ingenioso, cum stratagemate et inventione patratum audimus, non delictum commendamus, sed ingenium : « Quemadmo« dum cum audimus ab aliquo patratum facinus, « sed ingeniose etsi damnemus factum, laudamus « tamen ingenium, dolemusque eum aut alios non « in aliis rebus melioribus tale ingenium exercere, « quod et hic Salvator quasi ægre ferens subjecit, « *quia filii hujus sæculi prudentiores*, etc. »

4. — Glossa ait : « Non de fraude, sed de pru« dentia, quamvis peccantem laudat, unde licet « villicus aliqua habeat in se vituperabilia, prævi« dendi tamen modus potest in exemplum bonorum « trahi; » adducitque serpentis exemplum, qui abominabilis est ratione veneni, quo mortem homini conciliat, et tamen alia ex parte illum nobis proponit Christus, ad imitandam ejus prudentiam, *Matth.*, x, 16 : *Estote prudentes sicut serpentes*, quia ex naturali quodam instinctu, ut caput salvet, totum reliquum corpus læsionis periculo exponit : « Sic villicus iste detestandus est, quia fraudem « commisit, ratione cujus villicus iniquitatis dici« tur; et laudandus est, quia prudenter sibi contra « periculum remedium adinvenit. »

5. — Lyranus idem exemplificat in divitibus, qui nequaquam laudari merentur, quod substantiam suam in rebus illicitis prodigant : « Sed de hoc, « quod prudenter se convertunt ad distribuendum « bona in piis operibus, ut per hoc provideant sibi « in vita futura, quia sola eleemosyna est comes « defunctorum, ut dicit Augustinus. »

6. — Theophylactus Antiochenus ex his verbis, pro Pastoribus et Prælatis Ecclesiasticis, insignem quamdam instructionem deducit, dicens : « Hanc

« comparationem Salvator villico justitiæ, id est, « Episcopis dedit, ut quomodo domino suo fraudem fecit, ut haberet, unde postea viveret, ita « Episcopi non omnia peccata ulcisci debeant, sed « locum pœnitentiæ reservare eis conveniat, cum « præsertim ipse Dominus dixerit : *Nolo mortem « peccatoris, sed ut convertatur a vita sua, et vivat* ; « ideo autem laudavit Dominus fraudatorem domini sui, ut ejus sequentes exemplum, non omnia « debita exigamus. »

Quia prudenter fecisset.

7. — Origenes, in *Catena* S. Thomæ citatus, sensum, quo hæc prudentia intelligenda est explicans, textum illum Geneseos, III, 1, adducit, ubi dicitur : *Serpens erat callidior*, vel ut Septuaginta legunt : « *Prudentissimus erat*, ubi prudentiam non « virtutem dicit, sed astutiam, ad mala inclinationem habentem, et secundum hoc dicitur, quod « dominus laudavit villicum, quia prudenter egisset, hoc est, callide, et forsitan quod dixit, laudavit, non secundum veram commendationem, « sed abusive dictum est. »

8. — Lucas Brugensis inquit in textu dici : « *Prudenter*, pro eo, quod est industrie, callide, « nec enim virtus prudentia esse potest, quæ cum « injustitia conjuncta est : porro rarus inveniatur « dominus, qui hujusmodi industriam laudet, conjunctam cum tanto damno suo, sed ponit Christus « virum prædivitem et liberalem, qui hujusmodi « jacturam parvifaciat, magisque delectetur ingenio dispensatoris, solerter sibi providentis, quam « contristetur de damno, quod hinc ipse patiatur. »

9. — Cajetanus alium sensum insinuat, quo Christus hoc nomen prudentiæ dici potest intellexisse. « Appellatur prudentia, non recta ratio « absolute, sed recta ratio ad suam utilitatem. » Chrysologus, *Serm.* CXXVI, ait : « Meruit laudem « domini sui, quia in chyrographis non fraudem « molitus est, sed salutem. »

Quia filii hujus sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt.

10. — Chrysologus verba illa de populo gentili et Hebræo explicat : « Ita intelligendum est, quia « qui erant filii sæculi quondam, id est, Gentiles, « nunc electi sunt Dei, et qui erant filii Dei, hoc « est, Judæi, nunc in filiis sæculi sunt relicti; in « regeneratione sua, qua renati sunt, non qua « nati sunt; scribantur hæc, *inquit, in generatione « altera*; *Psal.* CI, 19. *Altera hæc est generatio quæ « rentium Dominum. Psal.* XXIII, 6. »

11. — Jansenius ait : « *In generatione sua*; « perinde est, ac si apertius verti posset, *in genere « suo*, hoc est, eo modo, quo tales dicuntur prudentes. Sensus ergo est, quod filii hujus sæculi, « suo modo prudentiores sunt, et callidiores ad « prospiciendum sibi de iis, quæ ad præsens sæculum pertinent, quam filii lucis ad curandum ea, « quæ ad vitam illam pertinent, quam ipsi spectant, non quod illorum prudentia semper vincat « horum prudentiam, sed quod ut plurimum sic « fiat. »

12. — His verbis sibi invicem opponit homines mundanos, hominibus spiritui et perfectioni Christianæ deditis, et hos filios lucis, illos vero filios sæculi appellat. Idem Jansenius ait : « Bene autem « opponit filios lucis filiis hujus sæculi, significans « sæculum hoc tenebrosum esse, et filios ejus esse « filios tenebrarum, quod ad exaggerationem et « reprehensionem nostræ ocsitantiæ facit, quod « eis, qui luce donati sunt, major conveniebat « prudentia, quam his, qui tenebrarum sunt filii. » Venerabilis Beda eamdem distinctionem et diversitatem adducit, quæ est inter electos et reprobos. « Filii sæculi, et filii lucis vocantur, quomodo filii « regni, et filii perditionis, cujus enim unusquisque agit opera, ejus cognominatur et filius. »

13. — Lucas Brugensis de filiis lucis ita scribit, qualitates illorum exponendo : « Hominibus qui « luce divina quoad animos, mentesque illustrati « diligunt lucem, id est, Deum, justitiam, virtutem, « æternam vitam, et quæ luce digna sunt, faciunt; » de quibus Apostolus ad Ephesios, V, 8, scribit : *Ut filii lucis ambulate.*

14. — De filiis sæculi scribit Cajetanus : « Hoc « est, habentes pro fine, quæ sunt hujus sæculi, « tanquam ex fine; qui est pater et principium in « moralibus, ideo filii hujus sæculi hebraico more « dicuntur. » Didacus Stella ad hoc se reflectit, quod Sapientia Incarnata non dixerit solum, *prudentiores*, sed simul adjunxerit : « *In generatione « sua*, hoc est, in negotiis et sæcularibus rebus « pertractandis; » siquidem ut plurimum in iis, quæ emolumenta et negotia temporalia et politica attinent, Argi quidem sunt, talpæ vero in iis, quæ cultum et æternam animæ salutem spectant. Lyranus rationem reddit, cur mundani in his rebus terrenis sagaciores et callidiores sint, quam spirituales in rebus ad Deum spectantibus : « Magis, » inquit, « astuti sunt et fervidi in temporalibus « negotiis agendis, filiis *lucis*, id est, quam homines spiritualibus deputati sint in negotiis spiritualibus, » id quod experientia in multis verum esse demonstrat, ejusque has adducit causas : « Corruptio naturæ, per quam homo pronior est ad « malum, quam ad bonum. Quia bona terrena sunt « sensibilia, et ideo fortius movent animum, quia « bonum non movet, nisi ut cognitum; » adducitque auctoritatem S. Augustini asserentis : « Invisa diligere possumus; incognita autem nequaquam; « sensibilia autem bona sunt magis cognita, quam « spiritualia, quia sensibilia sunt cognita per experientiam sensus, illa autem solum per fidem. »

15. — Lucas Brugensis ait : « Verba sunt « Christi, occasione laudatæ prudentiæ iniqui hujus « villici, exprobrantis filiis Dei socordiam suam; » et vocem *prudentiores*, interpretatur : « Sagaciores, « solertiores, industrii. » Cajetanus exercitium seu practicam hujusce propositionis veritatem facit agnoscere : « Ut plurimum enim vera est, innumeras enim versutias et astutias exercent filii hujus « sæculi pro hac vita, quas filii lucis ignorant, « simpliciter gradientes in luce divinæ gratiæ. » Salmeron de hoc œconomo scribens, ingeniosam quamdam observationem adducit; nam circa illa verba : *Convocatis singulis debitoribus domini sui*, dicit : Numquid sufficiebat, quod ex debitoribus eos præcipue a debitis ipsorum exoneraret, qui illi familiariores erant, vel a quibus majorem sperare poterat gratitudinem? Cur igitur omnes vocavit? Difficilius enim erat in multis, quam in paucis hoc delictum tenere secretum, præterea omnes vocando, culpam suam notabiliter aggravabat, latrocinia et furta sua per hanc injustam debitorum domini sui diminutionem multiplicando : at vero proculi hic Doctor acute notat, non solum omnes accersivit, sed singulos separatim : « Non ait omnibus, et ne « omnes simul vocaret, et non æqualiter remitte« ret, ut hic fecit, aliquis fraudem detexisset ex « his, cui minus donaret. »

16. — Eusebius Emissenus, *Hom. in Evang.*, ait : « Prudentiores sunt illi in malo, quam isti « in bono, vix enim inveniuntur, aliqui Sancti, « qui tantam prudentiam habeant in acquirendis « bonis æternis, quantam calliditatem isti habent « in acquirendis bonis temporalibus : pro eis enim « die noctesque vigilant, laborant, angustiantur. » Solertior et vigilantior fuit Judas in tradendo Christum, quam Petrus, Jacobus et Joannes erant vigilando, in ejus defensionem : *Sic non potuistis una hora vigilare mecum? Matth.*, XXVI, 40. De aulico quodam apud Senecam scribitur, quod interrogatus, quid faciendo in aula consenuerit, responderit : « Injurias accipiendo, et gratias agendo; » multi quidem virtuosi homines reperientur, qui se de acceptis injuriis non vindicabunt, pauci vero, qui acceptas injurias per gratiarum actionem remunerent. Quis unquam inter bonos reperiatur, quantumvis etiam is spiritualis fuerit, qui tot artibus et adinventionibus in gratia Dei proficere satagat, quot aulicus adhibere solet, ut gratiam sibi et favorem apud Principem suum adaugeat, cui inservit? Salmeron ait : « Mali pro suis cupiditatibus « exsaturandis magis sunt industrii et potentes, « quam sancti et justi pro Dei gloria illustranda. » Hanc injuriam Deus noster non videtur tolerare posse, quin hisce verbis lamentetur, dum videt quod mundus, dæmon et peccatum sequaces habeat, ad comparandam sibi æternam perditionem longe solertiores et studiosiores, quam sint servi sui, quibus quoddam sempiternæ beatitudinis regnum promittit. Unde Lucas Brugensis ait : « Huc « præcipue respicit Christus, tunc esse docens, « impios in suo genere plus sapere, et certius sibi « providere, cum agatur de rebus levibus et peri« turis, quam justos in suo genere, ubi de rebus « æternis quæstio est, et comparandis præsidiis « vitæ immortalis. » Quod si diviti alicui mercatori lucrum aliquod præsentetur, illud amplecti consilium, quod ei offertur, non differt in diem sequentem; et ideo S. Ambrosius ait : « Si aurum tibi « offeratur, non mihi dicis, eras veniam, sed jam « exigis; nemo differt, nemo se excusat; redemptio « animæ offertur, et nemo festinat. »

17. — S. Isidorus, *lib.* II *de summo bono*, observat, quod mundus in omnibus professionibus vel statibus, homines habeat solertiores, magisque indefessos et industrios qui sudant, student, cunctisque se periculis exponunt, nec tamen aliud habent objectum, pro quo obtinendo id faciunt, quam gloriam mundanam, vel emolumentum aliquod, vel propriam satisfactionem, aut voluptatem : « Omnis « ars sæculi hujus strenuos amatores habet, et ad « exequendum promptissimos; » milites, mercatores, aulici, et qui turpes sectantur amores, quantum laborant, quantum student, ut fines suos assequi possint? Mox vero differentiæ illius, quæ inter sectatores sæculi hujus et servos Dei intercedit, rationem superius insinuatam subjungit, nimirum id fieri : *Quia præsentem habent operis sui remunerationem*, quod in militia Christiana non item accidit : « Plerosque habet Deus sectatores languidos, tepidos, pigritiæ inertia congelatos; hoc perinde fit, « quod labor eorum non pro præsenti, sed pro « futura remuneratione defertur. » Thomas de Kempis in aureo libello suo, *lib.* III *de im. Christi*, c. III, ita scribit : « Promittit mundus temporalia et « parva, et servitur ei aviditate magna; Christus « promittit summa et æterna, et tepescunt mortalium corda. » Quando populus Israeliticus, in Exodo, contra Aaronem se erigens, tumultuabatur, eumque videntes quasi ad fundendum illis idolum quoddam aureum perurgere contendebat, dicens : *Fac nobis deos*, non constat, ipsum tanquam divini honoris propugnandi zelotem se illis opposuisse, quin potius inaures et monilia aurea ad effectum fundendi idolum ab iis poposcit. Cajetanus id Aaronem per ingeniosam quamdam inventionem fecisse dicit, ut ab hac sua sollicitatione desisteret : « Ut dissensio domestica in qualibet domo oriretur, « reluctantibus mulieribus et pueris; » sperabat enim fore, ut, dum se his ornamentis et auro privare debeant, omnes ad unum repugnarent; at vero spes illum valde fefellit, quia certatim unusquisque in iis afferendis primus esse contendebat; quia quando de idolis nostris fabricandis agitur, profusi et prodigi sumus, neque ullus sumptuum

impendendorum habetur respectus : at vero dum aliquid in subsidium necessitatis proximi, vel ad cultum Dei erogandum venit, nec pecunia adest, nec consilium occurrit illius accipiendæ.

18. — Porro sagacitatem et astutiam, quæ virtuti Christianæ et spiritui opponitur, in Michol Davidis conjuge apte delineatam videmus; hæc enim cum de corporali conjungis sui vita salvanda agebatur, statuam quamdam ex pannorum scrutis affabre effingere, eique vultum adjicere novit, adeo pulchre confictum, ut Davidis faciem ad vivum exprimeret, eamque statuam intra lectum posuit, veluti altum obdormientem : at vero quando idem Rex ex speciali pietatis et religionis motivo, ante Arcam Domini saltare cœpit, quantum ob hunc dignissimum divini obsequii actum adirata fuit? Quam acriter illum reprehendit? *Despexit eum in corde suo;* imo in verba improperii adversus illum erupit : *Quasi si nudetur unus ex scurris.*

Additiones.

a. — *Et laudavit dominus villicum iniquitatis.* Quis non miretur, quomodo potuit hic dominus, qui Deus est, laudare malitiosum hoc villici commentum? Porro opus illud pravum fuit et malitiosum furtum; furtum autem res laudis non est apud Deum, sed vituperio et supplicio digna. Deusne encomiates erit malitiosæ rapinæ? Respondet argute Origenes : « Et forsan quod dicitur, *laudavit*, non secundum « veram commendationem sed abusive dictum est, « ut cum dicimus aliquem commendari in medio- « cribus rebus, et quodammodo mirandos esse « concursus et acumen, quibus vigor mentis eli- « citur. » Itaque vafre subdolosa villici furacitas minime laudatur, atque prudentiæ honoratur elogio, vituperio potius dignissima; sed cum ipse sub prætextu misericordiæ, damnosissimam avaritiæ cupiditatem et propriæ utilitatis libidinem celet, sub specioso titulo laudis, acriter reprehenditur et diffamatur. Deus enim merito detegit, et acriter castigat illos, qui sub zeli pallio pravas suas passiones tegunt.

b. — S. Augustinus, *lib.* II *Quæst. Evang., quæst.* XXXIV, ait : « Si laudari potuit ille a Domino, qui « fraudem faciebat, quanto amplius placent Do- « mino, qui secundum illius præceptum illa opera « faciunt. » Argumentatur Sanctus a minori ad majus. Si villicus, cum esset fraudulentus et injustus, ob astutiam ac providentiam, laudibus condecoratur; multo ergo majoribus encomiis ab ipso laudabimur, si per justam eleemosynam nulli damnum, sed multis commoda contulerimus; tali autem modo pauperibus subveniendo, a Deo impetramus, quidquid petimus.

c. — *Quia prudentiores sunt filii hujus sæculi filiis lucis.* Dolendum est videre prudentiam, diligentiam et anxietates miras quibus filii hujus sæculi terrenis hisce lucrandis incumbunt, quæ tamen Salomone teste ventus sunt et aura. Verum enim vero non solus Salomon veritati huic testimonium perhibuit, siquidem et Jeremias Prophetiæ suæ, *cap.* IV, 3, postquam terram per gyrum attente inspexisset et considerasset, absorptus in spiritu, nihil se in ea pulchri, aut boni conspexisse asserit : *Aspexi terram et ecce vacua erat, et nihil.* Ubi Hugo Cardinalis ait : « *Terram*, id est, temporalia, quæ revera vacua « sunt et nihil. » Rex Assuerus centum viginti septem provinciis, ab India videlicet, usque in Æthiopiam imperabat habebatque conjunctissimum secum aulæ suæ primatem nomine Aman, qui tametsi ad summum usque humanæ prosperitatis apicem pertigisset, quia tamen a Judæo quodam, ut caput suum coram eo aperiret, obtinere non potuit, adeo ob id afflictus fuit, ut post recensitum thesaurorum, dignitatum, deliciarum et dominiorum suorum catalogum, tandem in hæc verba conclusserit : *Cum hæc omnia habeam, nihil me habere puto, quamdiu videro Mardochæum Judæum sedentem ante fores regias. Esth.*, V, 13. Ecce igitur quam verum sit omnia hujus mundi bona, purum quoddam nihilum esse, adeo nihilum, ut etiam qui in hoc mundo sublimes valde sunt, idipsum fateri cogantur, dum vel unica, ob reverentiam, facta capitis apertio iis abnuitur.

d. — Crassissimæ sunt tenebræ quibus sæculum hoc immergitur; cum enim tam facilia sint maximique pretii Dei bona, bonaque cœlestia, non tamen student illa lucrari, et omne studium in terrenis acquirendis collocant, quæ maximas involvunt difficultates.

Versus 9.

Et ego vobis dico : Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.

Facite vobis amicos.

1. — Hi amici, quos nobis comparamus, pauperes sunt, inquit S. Bonaventura, *Ser. in hac Dom.* : « De divitiis temporalibus nobis amicos facimus, « cum eis in temporalibus subvenimus, » juxta illud *Prov.*, XIX, 4 : *Divitiæ addunt amicos plurimos.* Didacus Stella lucrum considerat, quod nobis conciliamus, dum hanc amicitiam sectamur : « Quid « vilius, » inquit, « istis terrenis rebus. Tamen « istis cœlestia possumus emere, et amicos in « æterna beatitudine comparare, sed nos omnem « curam adhibemus in amicitiis potentium et in « divitum conciliandis, Christus tamen oppositum « docet, videlicet ut pauperum amicitias quæra- « mus; » redditque rationem quamdam, quæ efficax est, nosque convincit; quia videlicet per amicitiam et benevolentiam regum et magnatum mundi hujus, tantum lucrari non possumus, quantum per amicitiam pauperum, tametsi idipsum mundus non credat, siquidem hoc, ad quod nos reges et monarchæ terreni ad summum exaltare possunt, est, si nos in partem regni sui admittant; at pauperes efficiunt, ut integrum nobis acquiramus regnum Cœlorum : *Recipiunt nos in æterna tabernacula.*

De mammona.

2. — Cajetanus vocabulum istud Caldaicum esse scribit, quo tamen Syriaca lingua pariter utitur, et divitias significat. Lyranus tamen scribit : « Mam- « mon est nomen dæmonis, tentantis de divitiis « male acquirendis, et ideo nomen ejus ad divitias « significandas derivatur. » Idem quoque Dionysius Carthusianus his verbis dicit : « Mammona est « nomen diaboli, de divitiis male acquirendis, seu « expendendis, aut avare conservandis tentantis. »

Iniquitatis.

3. — Jansenius advertit, quod Christus divitias hoc titulo appellarit, *mammona iniquitatis*, quia ut S. Hieronymus scribit : « Omnes divitiæ de iniqui- « tate descendunt, et nisi alter perdiderit, alter « non potest invenire; » ac tandem verissimam sibi semper videri propositionem illam dicit : « Dives aut iniquus, aut iniqui hæres. » Et ideo Ecclesiasticus, XI, 10, dicit : *Fili, ne in multis sint actus tui, et si dives fueris, non eris immunis a delicto.* Salvator noster divitias spinis similes esse dixit, quia sub illis serpentes, buffones, scorpiones, aliaque venenosa animalia latitant, ad denotandum, quod omnia vitia ut plurimum apud divites invalescant, et sicut spinæ nullum manui apertæ dolorem conciliant, ita in pugno constrictæ carnes manus transfigunt et perforant : eodem modo bona temporalia, aurum et argentum in manu Eleemosynarii cujusdam, et liberalis hominis positum, nullum illi damnum affert, sed potius utilitatem, in manu vero avari constitutum conscientiam possidentis multis vulneribus lethiferis transfigunt.

4. — Lucas Brugensis dicit Salvatorem nostrum non sine mysterio divitias appellasse *mammonam iniquitatis*, quin potius multas ob causas hoc eis nomen indidisse. « Primo, quia non sine iniquitate « collectæ sunt, et innocenter congregari vix pos- « sunt. » Unde Apostolus in una epistolarum ad Timotheum, dicit, I *Tim.*, VI, 9 : *Qui volunt divites fieri, incidunt in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia, et nociva, quæ mergunt homines in interitum et perditionem.* Secunda ratio est : *Quia non sine iniquitate asservantur;* unde idem Apostolus ad Ephesios, V, 5, avaritiam appellat : *Idolorum servitutem.* Præterea « Non sine iniquitate fere expen- « duntur, materia cum sint omnis iniquitatis, et « irritamenta malorum; adhæc, quia mendaces et « fallaces sunt, fallunt enim possessores suos, qui- « bus felicitatem, omneque bonorum genus pro- « mittunt. »

5. — Dionysius Carthusianus quoque divitias hoc titulo : « *Mammona iniquitatis.* » vocari dicit : « Non quod in seipsis sint malæ et vitiosæ, sed « multis de causis tales dicuntur. Primo, quia « multorum vitiorum sunt materia atque occasio, « propter quod ait Valerius : Dives currit ad libi- « tum, corruit ad illicitum. Secundo, quia commu- « niter inique acquiruntur, avare servantur, illicite « expenduntur. » Tertio vero loco aliam quamdam, etiam ab aliis sacris Expositoribus adductam, rationem tangit, dum ait : « Insuper divitiæ dicuntur « iniquitatis, quasi inæqualitatis, quia inæqualiter « possidentur et non æque retinentur, quia quod « quis ultra necessaria vitæ sibi reservat, nec « proximorum necessitati communicat, mammona « iniquitatis censetur. »

6. — S. Thomas in *Summa* sua, II, II, *q.* 32, *art.* 7, eamdem expositionem tradit, dicens : « Mam- « mona iniquitatis, id est, inæqualitatis; » bona enim hæc temporalia, ingenti cum inæqualitate inter homines distributa conspiciuntur, servato tamen in omnibus divinæ providentiæ ordine, qui errare nescit, ut videlicet divitias suas dives pauperi communicet et per hanc communicationem, cœlum incretur; pauper vero per mendicitatis et verecundiæ suæ, quam eleemosynam petendo patitur, patientem tolerantiam, vitam quoque æternam et ipse acquirat : *Beati pauperes*, quæ prima est inter reliquas beatitudines. Unde S. Augustinus, *Hom.* L, ait : « Plus tibi dedi, ut haberes unde pauperi dares, « pauperi non dedi ob hoc, ut te probarem, non « quia ambobus non habui unde darem, sed per « pauperem volui te probare. » S. Bonaventura, *Serm.* V *in hac Dom.*, ait : « Inique, id est, non « æque dispensantur, cum indigni plus vel minus « abundent; vel quilibet, ut dicit Glossa, mammon « perdet, ut per eas deperdantur homines. » Cajetanus quoque eamdem reflexionem his verbis facit : « Divitiæ in genere, appellantur divitiæ ini- « quitatis, hoc est, inæqualitatis, eo quod inæqua- « liter divisæ sint, ita quod non a vitio, sed a « relatione inæqualitatis appellantur divitiæ in- « justæ, seu iniquæ; possunt nihilominus a vitio « injustitiæ denominari; eo quod raræ vel nullæ « sunt divitiæ, in quarum congregatione, seu con- « versatione non intervenerit peccatum, vel haben- « tium, vel ministrorum. » Divisio bonorum temporalium ab initio facta, injusta utique, rationique naturali contraria futura fuisset, si ideo inæqualitas admissa fuisset, ut *unus esuriret, alius ebrius esset;* pauperes, qui majorem et numerosiorem generis humani partem constituunt, per hanc divisionem facultatum illarum, quas, de Jure naturali, cum omnibus aliis hominibus habebant communes, bonis illis sine consensu et tyrannice spoliati fois-

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS

sent, nisi illis aliquod super bona divitum jus fuisset reservatum; nunc vero in tantum illi abundant et pauperes in egestate vivunt, in quantum divitibus hæc super divitias illorum imposita est pensio et obligatio, ut hos de bonorum suorum superfluis sustentent, adeo ut substantia terrena ad divites quoscumque cum hoc vinculo et obligatione transeat. S. Basilius ait, *Serm.* II *in avar. divit.* : « Si « fateris, temporalia bona tibi divinitus provenisse, « an injustus est Deus, inæqualiter nobis res distribuens? Cur tu abundas, ille vero mendicat? Nisi « ut tu bonæ dispensationis merita consequaris, « ille vero patientiæ braviis decoretur? » Inæqualitas divitiarum in profectum deservit salutis æternæ, dum divites per misericordiam et fidelem facultatum suarum dispensationem, pauperibus subveniunt, hi vero per patientiam sibi acquirunt cœlum. Idem S. Doctor alibi quasi idem dicit; interrogat namque divitem, undenam suas habuerit divitias : « Si a casu dixeris provenire, impius es, cum eum « non agnoscas, qui te condidit, nec ei qui dedit, « gratiam rependas; » si vero illas a Deo tibi datas esse fatearis, quonam fine illas tibi datas esse existimas? « Non enim injustus est Deus, quia ea quæ « sunt ad communem victum inæqualiter diviserit; « cur ergo tu dives es et ille pauper? Profecto non « ob aliam causam, nisi ut tu benignitatis et fidelis « administrationis mercedem recipias, ille vero patientiæ præmiis honoretur. »

7. — Advertendum hoc loco est, quod Lucas Brugensis in horum verborum expositione scribit : « Quomodocumque iniquæ dicantur divitiæ, vitium « ab hominibus est, ipsa natura cum sint bonæ; » ac proinde Christus illas intitulavit *mammona*, quo nomine simulacrum quoddam marmoreum, ligneum, vel metallinum, aut fictile exprimitur, quod tamen non ex se iniquum est, sed propter impietatem et errorem eorum, qui illi adorationem et cultum latreuticum exhibent : « Iniquum est, non in se, sed « errore eorum, qui pro Deo illud colunt et expectant ab eo, quod Dei est dare; horum error idolo, « illorum vitium divitiis iniquitatem adgenerat. » Albertus Magnus similiter ait : « Nec sunt istæ « divitiæ, nisi iniquis, qui in eis constituunt spem, « atque copiam beatitudinis suæ, a justis vero cum « hæc possidentur, est quidem ista pecunia, sed « non sunt illis divitiæ, nisi cœlestes et spirituales. » Lyranus quoque hunc errorem detegit, dum ait : « Dicuntur mammona iniquitatis, quia frequenter « ad iniquitatem inducunt et implicant, non tamen « per se, sed ex abusu hominum; » qui idem testimonium citat S. Ambrosii, dicentis : « Sicut divitiæ « impedimenta sunt reprobis, ita probis sunt adjumenta virtutis. »

8. — Hugo Cardinalis advertit, quod multi dictum hoc Christi pro suo arbitrio exponentes, facillime se in barathrum perditionis præcipitare possunt, dum sibi ex his verbis licitum esse arbitrantur furari, ut dari eleemosyna possit; et ideo ait : « Non « est intelligendum de mammona iniquitatis, id « est, pecunia inique acquisita et injusto titulo « possessa, sed intellige de mammona iniquitatis, « id est, de divitiis quæ solent facere iniquos, id « est, solent esse materia iniquitatis : vel potest sic « exponi, de divitiis inique acquisitis, vel inique retentis, eas restituendo. » Eadem est interpretatio Lyrani, dicentis : « Potest exponi de divitiis, iniquo « affectu, vel malo actu acquisitis, de quibus tamen « potest eleemosyna fieri. » Exemplum esse potest in mercede prostibuli : « Dare enim talia pauperibus, est facere sibi amicos de mammona iniquitatis, id est, de divitiis iniquo actu, vel affectu « acquisitis; » unde utilissimum quoddam suggerit monitum, ut eleemosynam a restitutione distinguere sciamus : « Si injusto titulo acquirantur, vel « possideantur divitiæ, de eis non debet dari eleemosyna, sed est restitutio facienda. » Eleemosyna autem facienda est de divitiis male acquisitis, quando illæ nullam habent annexam obligationem restituendi. Unde Cajetanus quoque advertit, non esse faciendas extorsiones aut rapinas, sub prætextu voluntatis dandi eleemosynam : « Quoniam repugnat divinis præceptis, eleemosynæ sacrificium « offerre de rapina. »

Ut, cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.

9. — Invitamur hoc loco, ad trutinandum pondus hujusce ab æterna et prima Veritate et Patris Sapientia prolatæ propositionis; ait enim Jansenius : « Expendenda autem est expresse vis et « pondus hujus sententiæ Dominicæ, qua nulla alia « efficacior esse potest ad eleemosynæ commendationem, ad quam homines sunt tardissimi. » S. Gregorius notat, hæc verba valde esse efficacia ad deprimendam illorum superbiam, qui ob suas eleemosynas efferuntur et turgescunt : « Si enim « eorum amicitiis æterna tabernacula acquirimus, « dantes proculdubio pensare debemus, quia patronis potius munera offerimus, quam egenis « dona largimur : qui itaque nunc temporale subsidium pauperi tribuit, ab eo postmodum perpetuo recepturus, ut ita dicam, quasi ad frugem « terram excolit, quæ quod accepit uberius reddit. » Theophylactus quoque hujus sollicitudinis prærogativam considerat, dum ait : « Æterna tabernacula pauperibus in Christo constituta sunt, « in quæ possunt recipere eos, qui hic ipsis, amice « de bonis, quæ sunt Dominica, largiuntur; felix « permutatio, cum temporalia permutant æternis. » S. Bonaventura, *Serm.* V *cit.*, eleemosynam non gratis, sed ad usuram dari considerat : « Ecce non « gratis pauperi eleemosynam tribuisti, sed hospitium æternum tibi conduxisti. » Citatque S. Au-

gustinum, cujus hæc præclara verba adducit : « Præbe tectum et accipe cœlum; præbe calicem « aquæ frigidæ, accipe torrentem voluptatis æternæ. » Lucas Brugensis Chrysologum adducit, lucrosissimam ingeniosissimamque nos docentem alchimiam; dicit enim : « Ars artium peritissima « est eleemosyna, non enim domos nobis fabricat « luteas, sed vitam æternam impendit. » Quærit autem hic Lucas Brugensis : « Quomodo pauperes « recipiunt in cœlum amicos suos divites? Imperio, « aut auctoritate absoluta in cœlum recipere, solius Dei et Christi est; quod autem pauperum « causa et gratia facit Deus, hoc ipsi facere dicuntur : pauperum autem causa in cœlum recipit, « non raro propter preces et intercessionem eorum « quamplurimi facit, sive illi in terra adhuc agant, « sive in cœlo. » S. Augustinus rationem reddit de modo, quo pauperes benefactores suos in paradisum intromittunt : « Non propria potestate quasi « gratificando recipiunt, sed promissione et permissione illius, qui eos consilio præmonuit, ut « sibi amicos facerent, et qui seipsum pasci, vestiri, « hospitio recipi, visitari in unoquoque minimorum « suorum, liberatoris bonitate dignatus est; » ac tandem S. Augustinus pro conclusione, doctrinam quamdam affert utilissimam, maximeque necessariam divitibus ad hoc ut pauperibus, clausis oculis, divitias suas concredant, tametsi hi etiam ab æterna beatitudine reprobati essent : « Ergo si forte pauperes, quibus benefactum fuerit, ipsi a morte « exclusi fuerint tabernaculis æternis, Christus ipse « propter eleemosynam, recta piaque mente exhibitam, recipiet. » Et ratio est, quia Christus se hanc eleemosynam directe et immediate recepisse declarat, dicens, *Matth.*, XXV, 40 : *Mihi fecistis*; ipse pro paupere fide jubet, seque obsidem facit, vel ut Jansenius ait : « Sibi imputat factum, quod illis « impenditur. »

10. — Idem Jansenius notat, quam divites ad augendum et amplificandum redditus suos, avidi sint et cupidi : « Cum divitiis homines fere quærant sibi facere quæstum et lucrum augere, « ostendit, qua ratione sibi per eas maxime prospicere possint, non in aliquot annos sed in perpetuum. » Divitiæ natura sua instabiles sunt, sed ecce tibi illas in sempiternum stabiliendi modum, quo servato illas nunquam perdere possis. Adhæc tametsi divitiæ *mammona iniquitatis* appellentur, attamen « ostendit Dominus, quomodo injustitiam « illam nobis vertere possimus in justitiam. »

11. — Patriarcha Abraham tres illos viatores sub tabernaculi sui tectum recipere omni conatu studuit; sed nota modum, quem hac in re observat : *Domine*, inquit, *si inveni gratiam in oculis tuis, ne transeas servum tuum*, videtur potius æquum fuisse, ut viatores illi charitati se Abrahæ recommendarent, quam ut ipse sollicitaret illorum gratiam. Oleaster ait : « Docet nos non gratiam facere « pauperi, cum hospitio recipiendo, sed majorem « accipere, si se illi a nobis recipi permittant. » Ita vere Abrahæ contigit, prout ab immensis, quæ in retributionem impensæ illis hospitalitatis accepit, beneficiis, facile deduci potest. Unde Chrysostomus, *Hom.* IX *de pœnit.*, ait : « Mercatura, negotiatioque « tua cœlum est : da panem et accipe Paradisum; « parva da et magna suscipe; da mortalia et accipe « immortalia. » In vita S. Joannis Eleemosynarii Patriarchæ Alexandrini refertur, quod cum die quadam Episcopum quemdam, cui nomen Troilus erat, ad eleemosynam erogandam invitasset, is potius ex verecundia, quam non dando subiisset, quam ex interno pietatis instinctu, mox triginta libras in pauperes distribuit; cujus tamen ipsum paulo post vehementer pœnituit, adeo ut præ mœrore animi in febrim incidens, lecto aliquamdiu affixus fuerit; quod S. Joannes intelligens, eumdem domi suæ visitans, subridendo affatus est, his fere verbis : Nolo ut eleemosyna a te præteritis diebus erogata, in tuum videatur data fuisse dispendium, sed meis illam rationibus adscribe, a me tibi restituendam; ipse enim Patriarcha eum ad faciendam charitatem illam extimularat, eo quod eleemosynarius illius pro illo tempore nihil secum pecuniarum haberet, quas erogare posset; præcepit igitur illas triginta libras eidem restitui; quo facto Troilus Episcopus protinus convalescere et e lecto se recipere visus fuit; sanctus vero Patriarcha apocham quamdam seu chyrographum ab eo expetiit, in qua se præmium illud, quod pro eleemosyna erogata a Deo recepturus fuisset pleno jure Patriarchæ cedere confiteretur; quod ille chyrographum cum Patriarchæ expedivisset, sequenti nocte visionem quamdam a Deo habuit, in qua pulcherrimum illi et opulentissimum ob oculos palatium statuebatur, cujus frontispicio inscriptum erat : Hæc est domus, in qua deinceps in sempiternum requiescet Troilus Episcopus; quam ille scripturam cum lætis oculis conspexisset, subito ibidem gravis quidam vir senatorii ordinis cum pluribus aliis comparuit, qui deleta scriptura præfata, hunc præfato palatio titulum inscribi jussit : Hæc est domus, quam sibi Joannes Episcopus Alexandrinus triginta libris comparavit; evigilans autem Episcopus, totamque rei seriem sancto Patriarchæ enarrans, protinus resipuit et ex avaro magnus deinceps factus est Eleemosynarius.

Additiones.

a. — *Et ego dico vobis : Facite vobis amicos de mammona iniquitatis*, etc. Eleganter S. Bernardus, *Ep.* CIII, ait : « Si sapis, non contemnes eorum « amicitiam quos Veritas beatos clamat, et reges « pronuntiat cœlorum. Amicitia pauperum regum « amicos constituit, amor paupertatis reges. » Et est regiæ potestatis beare pro voluntate amicos.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Facite, inquit, *vobis amicos*. Vides ergo, quia magna dignitas, sancta paupertas, ut non modo patrocinium ipsa sibi non quærat, sed et ferat indigentibus. Magna inquam dignitas et paupertatis laus. Dicendum tamen est cum S. Basilio, super illa Psalmistæ verba, *Psal.* XXXIII : *Hic pauper clamavit et Dominus exaudivit eum* : « Non semper laudabilis « paupertas sed quæ juxta consilium Evangelicum « libera voluntate suscepta perficitur. » Et paulo post subdit : « Non qui eget, omnino beatus est « prædicandus, sed qui omnibus orbis thesauris « mandatum Christi potius existimat. Hos et Domi- « nus beatos dicit : *Beati*, inquit, *pauperes spiritu;* « non qui pauperes sunt, hoc est inopes, sed qui « paupertatem certa animi destinatione prælege- « runt. »

b. — Sanissimum, ac suavissimum consilium Dei, ut de mammona iniquitatis faciamus amicos, qui in tempore defectionis nos recipiant in æterna tabernacula; utcumque enim nunc floreas, bonisque omnibus abundes, te manet tempus defectionis, in quo tibi omnia hæc temporalia deliciant, et omnibus nudus cogaris ire in domum æternitatis. Væ tibi, si nihil ibi invenias amicorum manibus translatum! Hi amici, quos nobis comparamus, pauperes sunt, inquit S. Bonaventura : « De his divitiis tem- « poralibus nobis amicos facimus, cum pauperibus « in temporalibus subvenimus. »

c. — Hic mandat Dominus ut pauperes et egenos faciamus nobis amicos, quorum paupertatem ampla est dignitas, ut non solum sibi, sed etiam aliis possint suis orationibus parare æterna tabernacula. Sic ipsi degunt in cœlis ut sibimetipsis, ac aliis valeant parare sedes.

d. — Jubet Dominus de mammona iniquitatis facere amicos, ad hoc ut cum defecerimus, id est, vita hac defuncti fuerimus, ob eleemosynas datas præstent nobis auxilium in receptione ad æternam vitam; sed non jubet per quantum hos nobis facere debeamus amicos, ad docendum nos, a multis parum pro cœlo expendi, quia Deus illud a nobis pro illo acceptat quod habemus, etiam solam bonam voluntatem, si plura dare nequeamus.

DOMINICA NONA POST PENTECOSTEN

EVANGELIUM LUCÆ, CAP. XIX, VERS. 41

41. Ut appropinquavit, videns civitatem, flevit super illam, dicens :

42. Quia si cognovisses et tu, et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.

43. Quia venient dies in te, et circumdabunt te inimici tui vallo, et circumdabunt te, et coangustabunt te undique.

44. Et ad terram prosternent te, et filios tuos qui in te sunt, et non relinquent in te lapidem super lapidem, eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ.

45. Et ingressus in templum cœpit ejicere vendentes in illo et ementes, dicens illis :

46. Scriptum est : Domus mea, domus orationis est, vos autem fecistis illam speluncam latronum.

47. Et erat docens quotidie in templo.

VERSUS 41.

Ut appropinquavit, videns civitatem, flevit super illam.

Ut appropinquavit.

1. — « Non solum crassu corporis, » inquit Hugo Cardinalis, « sed etiam compassionis affectu; sed « inutiliter, quia civitas non appropinquavit illi « pœnitentia. » Didacus Stella similiter considerat, quod tametsi Deus noster animæ nostræ, peccatis immersæ, appropinquet per gratiam suam, nos tamen ab ipso procul abeamus per nostram obstinationem : « Singulis diebus Deus appropinquat ad « peccatores, in sceleribus et vitiis obstinatos, ac « suæ gloriæ lumine irradiat eos, cum tamen mi- « serrimi et obcæcati, inspirantem et saluberrime « exhortantem non recipiant. »

Videns.

2. — S. Bonaventura hunc Christi obtutum non solum corporis, sed etiam pietatis suæ radium quemdam fuisse scribit : « Non tantum oculis cor- « poris, verum etiam aspectu pietatis; quia prospexit « de excelso sancto suo : *Dominus de cœlo in terram* « *aspexit, ut audiret gemitus compeditorum*, etc. »

3. — S. Antonius de Padua, *Serm. in Dom. X post Pent.*, hæc duo verba, *Videns flevit*, conjunctim considerat, ac proinde exclamat dicens : « O anima, si « videres, fleres; sed quia non vides, ideo non « fles. »

4. — Didacus Stella felicem Jerosolymam futuram fuisse dicit, nisi hoc Christi aspectu abusa fuisset : « Felix illa quidem si hac visione non fuisset « abusa; non enim solet ex Dei intuitu sequi perdi- « tio, sed salus; « adducitque Zachæi et Matthæi exemplum, quos Deus suo aspectu dignatus fuit : « Misertus est eis et eos convertit; cæterum cum « Christus hunc intuitum nihil civitati profuturum « videret, super eam misericordia commotus la- « crymatus est. »

Flevit.

5. — S. Bonaventura ad hoc se reflectit, quod Christus tribus solum vicibus, juxta sacræ Scripturæ testimonium, pro nobis flevisse legatur : « Nota « quod Christus legitur ter flevisse pro nobis, super « Lazarum suscitandum, super Jerusalem, ut hic, et « in cruce, ex quo fuit pietas Christi perfectissime « manifesta ad nos. » Contemplativi quidem, ipsum quoque in infantia flevisse meditantur, sed hoc est illius ætatis proprium. Quando Lazarum ad vitam revocavit, plorabant quoque circumstantes, at vero solemni usu receptum est, quod parentes et amici defunctos suos defleant, et ut dicit Apostolus : *flemt cum flentibus*. In cruce pariter quid mirum est, ipsum lacrymas effudisse, quando in ea simul totum suum effudit sanguinem : *Clamore valido et lacrymis exauditus est*, præterquam quod dolorum, quos patiebatur, atrocitas hasce lacrymas naturaliter producere poterat; at vero summe mirandum est, quod nunc ploret, quando tota Jerosolyma festiva, cum olivis et victoriosis palmis et acclamationibus, ad ejus se triumphum accingit; ac proinde fletus hujus rationes examinare necessum est.

6. — Enimvero Evangelium nos de causa tristitiæ Christi, dubios aut anxios esse nequaquam permittit; causa etenim fuit civitatis illius ruina et excidium, quod videbat adeo illi esse propinquum : « Res observatione digna, » inquit Lucas Brugensis, « quod Romani eodem in loco in montem Oli- « veti castra ponere, et eodem fere die proximo « ante Pascha civitatem obsidere cœperunt, quo « Jesus prædixit, ac deflevit visæ excidium. »

7. — Lyranus, per civitatem hanc sanctam, in sensu allegorico, sanctam Ecclesiam intelligit : « Civitas hæc est Ecclesia, quæ tempore Antichristi « sic angustiabitur et prosternetur, quod pauci « audebunt se Christianos profiteri. »

8. — Albertus Magnus ait : « In medio suæ « exultationis, quando cum ramis excipiebatur, « flevit civitatis excidium, quod meruit in sua « passione. » Et hæc est causa, inquit idem magnus Præsul, cur Ecclesia in Dominica Palmarum, post repræsentatum hunc triumphum solita sit legere in memoriam hujus planctus, passionis historiam. Hugo Cardinalis postquam hanc eamdem considerationem exposuisset, subjungit : « Nec « solum introductum est hoc in Ecclesia, propter « Dominici facti repræsentationem, sed etiam ut « per ipsum moraliter nos instruat Ecclesia, quod, « in quantacumque gloria sit aliquis, non est gau- « dendum, quia extrema gaudii luctus occupat. » Et hoc est mysterium, ob quod in summorum gaudiorum culmine constitutus, quando in sua transfiguratione, gloriam, qua fruebatur in anima, transmisit ad corpus, ad temperendam lætitiam et excessivum illum cordis jubilum, pœnosam et amaram mortem sibi reduxit ad memoriam, *Luc.*, IX, 13 : *Dicebant excessum ejus, quem completurus erat;* ut nos doceret, quod in medio lætitiæ, doloris non sit deponenda memoria, *Prov.*, XIV, 13 : *Risus dolore miscebitur*. Dionysius Carthusianus, *Serm. in hac Dom.*, ait : « Edocemur, ne in die honorum immemores simus « malorum, neque in die nos extollemur honoris. » Considera, qualia fuerunt totius populi illius obsequia, honores et acclamationes festivæ et ex alia parte Salvatoris nostri moderationem : « Nequa- « quam inaniter motus est, sed futura intuens « mala, ad compassionem et lacrymas est induc- « tus. » Indeque pro omnibus illis, qui in prosperitatis temporalis culmine positi sunt, utile hoc deducit documentum : « Si ergo quandoque aliqua « corporalis arridet prosperitas, aliquis honor sive « promotio, tunc magis ad interiora nostra redea- « mus, vereamur, ne forte in vita hac recipiamus « bona transitoria pro mercede futura. » Vult quoque per hunc fletum nos docere, quod dum ab hoc mundo in sublime evehimur et promovemur, tristandum potius nobis sit quam gaudendum, quia nimia serenitas ingentes communiter minatur adversitates; naves pretiosis mercibus onustæ facilius merguntur in dulcibus fluminum vadis, quam in maris aquis falsis. Prævidebat Salvator noster, quod illud populare : *Euge, Euge*, faustæque illæ ejusdem populi acclamationes, *Matt.*, XXI, 9 : *Benedictus qui venit in nomine Domini Rex Israel*, tandem eadem septimana in opprobria et contumelias, nec non in tumultuosos illos clamores, quibus vociferabantur : *Tolle, tolle, crucifige eum*, terminandæ essent. *Beati, qui nunc fletis*, inquit Salvator, *Luc.*, VI, 21. Non dixit nos beatos in gaudiis et prosperitatibus humanis, sed beatos nos appellavit in lacrymis. I *Petr.*, III, 14 : *Si quid patiamini propter justitiam, beati. Qui te beatum dicunt*, inquit Isaias, I, 12, *ipsi te decipiunt;* proinde S. Augustinus dicit : « Mundus iste « periculosior est blandus, quam molestus; et « magis cavendus, cum illicit diligi, quam cum « admonet, cogitque contemni. » Nunc cum in triumphum Christus educitur, plorat; at vero eadem septimana, dum ad patibulum eductus fuit, lætus et hilaris exstitit, *Matth.*, XXVI, 30 : *Hymno*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Facite, inquit, *vobis amicos*. Vides ergo, quia magna dignitas, sancta paupertas, ut non modo patrocinium ipsa sibi non quærat, sed et ferat indigentibus. Magna inquam dignitas et paupertatis laus. Dicendum tamen est cum S. Basilio, super illa Psalmistæ verba, *Psal.* XXXIII : *Hic pauper clamavit et Dominus exaudivit eum* : « Non semper laudabilis « paupertas sed quæ juxta consilium Evangelicum « libera voluntate suscepta perficitur. » Et paulo post subdit : « Non qui eget, omnino beatus est « prædicandus, sed qui omnibus orbis thesauris « mandatum Christi potius existimat. Hos et Domi- « nus beatos dicit : *Beati*, inquit, *pauperes spiritu;* « non qui pauperes sunt, hoc est inopes, sed qui « paupertatem certa animi destinatione prælege- « runt. »

b. — Sanissimum, ac suavissimum consilium Dei, ut de mammona iniquitatis faciamus amicos, qui in tempore defectionis nos recipiant in æterna tabernacula; utcumque enim nunc floreas, bonisque omnibus abundes, te manet tempus defectionis, in quo tibi omnia hæc temporalia deliciant, et omnibus nudus cogaris ire in domum æternitatis. Væ tibi, si nihil ibi invenias amicorum manibus translatum! Hi amici, quos nobis comparamus, pauperes sunt, inquit S. Bonaventura : « De his divitiis tem- « poralibus nobis amicos facimus, cum pauperibus « in temporalibus subvenimus. »

c. — Hic mandat Dominus ut pauperes et egenos faciamus nobis amicos, quorum paupertatem ampla est dignitas, ut non solum sibi, sed etiam aliis possint suis orationibus parare æterna tabernacula. Sic ipsi degunt in cœlis ut sibimetipsis, ac aliis valeant parare sedes.

d. — Jubet Dominus de mammona iniquitatis facere amicos, ad hoc ut cum defecerimus, id est, vita hac defuncti fuerimus, ob eleemosynas datas præstent nobis auxilium in receptione ad æternam vitam; sed non jubet per quantum hos nobis facere debeamus amicos, ad docendum nos, a multis parum pro cœlo expendi, quia Deus illud a nobis pro illo acceptat quod habemus, etiam solam bonam voluntatem, si plura dare nequeamus.

DOMINICA NONA POST PENTECOSTEN

EVANGELIUM LUCÆ, CAP. XIX, VERS. 41

41. Ut appropinquavit, videns civitatem, flevit super illam, dicens :

42. Quia si cognovisses et tu, et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.

43. Quia venient dies in te, et circumdabunt te inimici tui vallo, et circumdabunt te, et coangustabunt te undique.

44. Et ad terram prosternent te, et filios tuos qui in te sunt, et non relinquent in te lapidem super lapidem, eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ.

45. Et ingressus in templum cœpit ejicere vendentes in illo et ementes, dicens illis :

46. Scriptum est : Domus mea, domus orationis est, vos autem fecistis illam speluncam latronum.

47. Et erat docens quotidie in templo.

VERSUS 41.

Ut appropinquavit, videns civitatem, flevit super illam.

Ut appropinquavit.

1. — « Non solum crassu corporis, » inquit Hugo Cardinalis, « sed etiam compassionis affectu; sed « inutiliter, quia civitas non appropinquavit illi « pœnitentia. » Didacus Stella similiter considerat, quod tametsi Deus noster animæ nostræ, peccatis immersæ, appropinquet per gratiam suam, nos tamen ab ipso procul abeamus per nostram obstinationem : « Singulis diebus Deus appropinquat ad « peccatores, in sceleribus et vitiis obstinatos, ac « suæ gloriæ lumine irradiat eos, cum tamen mi- « serrimi et obcæcati, inspirantem et saluberrime « exhortantem non recipiant. »

Videns.

2. — S. Bonaventura hunc Christi obtutum non solum corporis, sed etiam pietatis suæ radium quemdam fuisse scribit : « Non tantum oculis cor- « poris, verum etiam aspectu pietatis; quia prospexit « de excelso sancto suo : *Dominus de cœlo in terram* « *aspexit, ut audiret gemitus compeditorum*, etc. »

3. — S. Antonius de Padua, *Serm. in Dom. X post Pent.*, hæc duo verba, *Videns flevit*, conjunctim considerat, ac proinde exclamat dicens : « O anima, si « videres, fleres; sed quia non vides, ideo non « fles. »

4. — Didacus Stella felicem Jerosolymam futuram fuisse dicit, nisi hoc Christi aspectu abusa fuisset : « Felix illa quidem si hac visione non fuisset « abusa; non enim solet ex Dei intuitu sequi perdi- « tio, sed salus; « adducitque Zachæi et Matthæi exemplum, quos Deus suo aspectu dignatus fuit : « Misertus est eis et eos convertit; cæterum cum « Christus hunc intuitum nihil civitati profuturum « videret, super eam misericordia commotus la- « crymatus est. »

Flevit.

5. — S. Bonaventura ad hoc se reflectit, quod Christus tribus solum vicibus, juxta sacræ Scripturæ testimonium, pro nobis flevisse legatur : « Nota « quod Christus legitur ter flevisse pro nobis, super « Lazarum suscitandum, super Jerusalem, ut hic, et « in cruce, ex quo fuit pietas Christi perfectissime « manifesta ad nos. » Contemplativi quidem, ipsum quoque in infantia flevisse meditantur, sed hoc est illius ætatis proprium. Quando Lazarum ad vitam revocavit, plorabant quoque circumstantes, at vero solemni usu receptum est, quod parentes et amici defunctos suos defleant, et ut dicit Apostolus : *flemt cum flentibus*. In cruce pariter quid mirum est, ipsum lacrymas effudisse, quando in ea simul totum suum effudit sanguinem : *Clamore valido et lacrymis exauditus est*, præterquam quod dolorum, quos patiebatur, atrocitas hasce lacrymas naturaliter producere poterat; at vero summe mirandum est, quod nunc ploret, quando tota Jerosolyma festiva, cum olivis et victoriosis palmis et acclamationibus, ad ejus se triumphum accingit; ac proinde fletus hujus rationes examinare necessum est.

6. — Enimvero Evangelium nos de causa tristitiæ Christi, dubios aut anxios esse nequaquam permittit; causa etenim fuit civitatis illius ruina et excidium, quod videbat adeo illi esse propinquum : « Res observatione digna, » inquit Lucas Brugensis, « quod Romani eodem in loco in montem Oli- « veti castra ponere, et eodem fere die proximo « ante Pascha civitatem obsidere cœperunt, quo « Jesus prædixit, ac deflevit visæ excidium. »

7. — Lyranus, per civitatem hanc sanctam, in sensu allegorico, sanctam Ecclesiam intelligit : « Civitas hæc est Ecclesia, quæ tempore Antichristi « sic angustiabitur et prosternetur, quod pauci « audebunt se Christianos profiteri. »

8. — Albertus Magnus ait : « In medio suæ « exultationis, quando cum ramis excipiebatur, « flevit civitatis excidium, quod meruit in sua « passione. » Et hæc est causa, inquit idem magnus Præsul, cur Ecclesia in Dominica Palmarum, post repræsentatum hunc triumphum solita sit legere in memoriam hujus planctus, passionis historiam. Hugo Cardinalis postquam hanc eamdem considerationem exposuisset, subjungit : « Nec « solum introductum est hoc in Ecclesia, propter « Dominici facti repræsentationem, sed etiam ut « per ipsum moraliter nos instruat Ecclesia, quod, « in quantacumque gloria sit aliquis, non est gau- « dendum, quia extrema gaudii luctus occupat. » Et hoc est mysterium, ob quod in summorum gaudiorum culmine constitutus, quando in sua transfiguratione, gloriam, qua fruebatur in anima, transmisit ad corpus, ad temperendam lætitiam et excessivum illum cordis jubilum, pœnosam et amaram mortem sibi reduxit ad memoriam, *Luc.*, IX, 13 : *Dicebant excessum ejus, quem completurus erat;* ut nos doceret, quod in medio lætitiæ, doloris non sit deponenda memoria, *Prov.*, XIV, 13 : *Risus dolore miscebitur*. Dionysius Carthusianus, *Serm. in hac Dom.*, ait : « Edocemur, ne in die honorum immemores simus « malorum, neque in die nos extollemur honoris. » Considera, qualia fuerunt totius populi illius obsequia, honores et acclamationes festivæ et ex alia parte Salvatoris nostri moderationem : « Nequa- « quam inaniter motus est, sed futura intuens « mala, ad compassionem et lacrymas est induc- « tus. » Indeque pro omnibus illis, qui in prosperitatis temporalis culmine positi sunt, utile hoc deducit documentum : « Si ergo quandoque aliqua « corporalis arridet prosperitas, aliquis honor sive « promotio, tunc magis ad interiora nostra redea- « mus, vereamur, ne forte in vita hac recipiamus « bona transitoria pro mercede futura. » Vult quoque per hunc fletum nos docere, quod dum ab hoc mundo in sublime evehimur et promovemur, tristandum potius nobis sit quam gaudendum, quia nimia serenitas ingentes communiter minatur adversitates; naves pretiosis mercibus onustæ facilius merguntur in dulcibus fluminum vadis, quam in maris aquis falsis. Prævidebat Salvator noster, quod illud populare : *Euge, Euge*, faustæque illæ ejusdem populi acclamationes, *Matt.*, XXI, 9 : *Benedictus qui venit in nomine Domini Rex Israel*, tandem eadem septimana in opprobria et contumelias, nec non in tumultuosos illos clamores, quibus vociferabantur : *Tolle, tolle, crucifige eum*, terminandæ essent. *Beati, qui nunc fletis*, inquit Salvator, *Luc.*, VI, 21. Non dixit nos beatos in gaudiis et prosperitatibus humanis, sed beatos nos appellavit in lacrymis. I *Petr.*, III, 14 : *Si quid patiamini propter justitiam, beati. Qui te beatum dicunt*, inquit Isaias, I, 12, *ipsi te decipiunt;* proinde S. Augustinus dicit : « Mundus iste « periculosior est blandus, quam molestus; et « magis cavendus, cum illicit diligi, quam cum « admonet, cogitque contemni. » Nunc cum in triumphum Christus educitur, plorat; at vero eadem septimana, dum ad patibulum eductus fuit, lætus et hilaris exstitit, *Matth.*, XXVI, 30 : *Hymno*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

dicto exierunt in montem Oliveti. Cœnaculum egressus est cantans; quia alii legunt : *Hymno cantato. Hebr.*, XII, 2 : *Proposito sibi gaudio sustinuit crucem.* Devotas illas mulieres flere prohibuit, *Luc.*, XXIII, 28 : *Filiæ Jerusalem nolite flere super me.* Per hunc quoque planctum nobis insinuare voluit, quam parvi faceret mundi hujus applausus et honores, ut illorum vanitatem, et quibus subjacent, pericula nobis insinuaret. Lucas Brugensis ait : « Flevit « autem inter gaudia et faustas acclamationes po« puli, ostendens adversus insidias Pharisæorum « quam non his efferretur, aut extolletur, quan« quam non judicaret cohibendas, quia multo « magis cordi sibi esset civitatis salus. »

9. — Equidem admiratione dignissima est hæc Salvatoris erga populum hunc adeo ingratum et rebellem exhibita compassio, quia cum ab illo in hoc triumpho tanquam Filius Dei et promissus in lege Messias agnitus et honoratus fuisset, eadem septimana ipsum mortis reum esse exclamavit, ejusque postulavit crucifixionem. Euthymius ait : « Humano more Christus præ immensa sua boni« tate deflet, etiam hic ostendens, qualia haberet « erga ingratos viscera. » Olim per os Davidis, *Psal.* XXXVI, 5, prædixit : *Si oblitus fuero tui Jerusalem, oblivioni detur dextera mea; adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui, si non proposuero Jerusalem in principio lætitiæ meæ.* Experientia attestante videmus, quod magis soleamus lætari de adversis, quæ illis, qui nos injuriis et contumeliis infestant, eveniunt : Dei Filius autem, qui scholam illam in terra plantavit, in qua inter alias virtutes mansuetudinem nobis specialibus inculcatam animis nostris esse voluit : *Discite a me quia mitis sum*, non solum de hujus civitatis homicidæ sui excidio non fuit gavisus, verum insuper eamdem deflevit, ad insinuandam nobis, quam inimicis exhibere debemus charitatem. Unde Cornelius Jansenius ait : « Discendum quod et nos « exemplo Christi, ex animo dolere et plangere « debeamus impiorum cæcitatem et perditionem, « etiam si sint inimici, eorumque perditionem « deplorandam, magis quam mala, quæ ab eis « nobis inferuntur; quando David deflevit mor« tuum Saul et Absalon; sic et Jeremias prævidens « vastitatem populi Judaici. » Carthusianus quoque dicit, quod Christus in hisce lacrymis ardentissimam suam, erga hunc populum et civitatem sibi rebelles, elucescere fecerit charitatem : « In quæ « sceleratissimi, crudelissimi, ac ingratissimi hostes « sui, e quibus paulo post fuerat morte acerbissima « atque turpissima occidendus, non odio, indigna« tione, impatientia, aut iracundia motus est contra « eam, sed ex ineffabili charitate et pietate condo« luit eis tam vehementer, quod prorupit in lacry« mas. Hoc exemplo docemur non solum amicis, « sed etiam inimicis nostris charitative ac pie « condolere, subvenire et pro eorum salute lacry« mas fundere. »

10. — Lucas Brugensis Christum per hunc planctum, veritatem humanæ naturæ indicare voluisse existimat : « Flevit ut homo, sed ita ut « fletum non invitus pateretur, sed sponte sibi ipsi « imperaret, » nec fletus hic in ipso passio, sed propassio quædam fuit.

11. — Notandum est autem, quod S. Lucas non solum ipsum flevisse scribat, sed subjungat, ipsum flevisse super civitatem : *Videns civitatem, flevit super illam*, quasi diceret, deflevit illius ingratitudinem, obstinationem et contumaciam, et præcipue instabilitatem, quam erga ipsum exhibuit, quia tametsi ipsi lumen et notitiam divinitatis suæ impertitus fuisset, ipsaque eidem quoque fuisset cooperata, prouti triumphus hodiernus, voces honoris et cultus erga ipsum eximii demonstrationes clare satis demonstrant, in hac tamen cooperatione modico tempore constans permansit, sed eadem septimana se ad execrabilissimum sceleris in ipsum commissi excessum seduci permisit, qualis nunquam ab humana malitia commissus fuisse legitur, qualis fuit ejus crucifixio. Vere miseria isthæc lacrymis etiam sanguineis deploranda erat. *Psal.* CXXXVIII, 12 : *Sicut lumen ejus, ita et tenebræ ejus.* II *Petr.*, II, 21 : *Melius erat illis non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum converti ab eo*; ac proinde super populum illum cœlitus immissum est horrendum illud supplicium, cujus præsens meminit Evangelium, et merito; siquidem Apostolus, *Hebr.*, X, 26, ait : *Voluntarie enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia; terribilis autem quædam exspectatio judicii et ignis æmulatio, quæ consumptura est adversarios.*

12. — Glossa ait : « Plorat super civitatem, ut « misericors, nolens perdi eos, qui in illa sunt, « propter facinus contra se; ostendit itaque viscera « misericordiæ per fletum. » Longanimitas et patientia, inquit eadem Glossa, qua triginta quinque annis, comminatum civitati supplicium immittere distulit; satis quantum pœnitentiam illorum desideraril, ostendit. Unde S. Ambrosius hasce lacrymas ad aliud quoddam propositum adducens, ita scribit : « Jerusalem flevit, ut quia ipsa flere nolebat, Domini « lacrymis ad veniam pertingeret; ipsi nos flere « vult, ut evadere possimus. » S. Bonaventura quoque, *Serm.* I *in hac Dom.*, ita nos monet : « Flente « Domino pro nobis, omnes cum ipso flere debe« mus. » Unde et motiva nobis insinuat, propter quæ flere debemus : « Flendum est, » inquit, « pro culpa, ut ignoscatur; pro gratia, ut obtinea« tur; pro miseria, ut evadatur; pro patria, ut ad « eam veniatur. » Didacus Stella quoque planctum nobis pariter persuadere nititur, in satisfactionem peccatorum nostrorum : « Ad nostram eruditionem « discamus, quantum propria scelera plorare de« beamus, ita cum ille deploret aliena, flet Chris« tus nostra peccata, flet hominum stoliditatem et « risum. » Verum enimvero advertendum est, quod tametsi in primo loco pro redemptione populi illius non solum lacrymas, sed et sanguinem effuderit, utrumque tamen horum inutile fuerit, sed culpa ipsius, dum in cæcitate et obstinatione sua pertinaciter permansit, cum tamen verissimum sit axioma illud : « Qui creavit te sine te, non salvabit te sine « te. »

13. — Qui Christum in sepulcro Lazari lacrymantem viderunt, hanc inde deduxerunt consequentiam : *Ecce quomodo amabat eum.* Apostolus quoque, II *Cor.*, II, 4, ait : *Scripsi vobis per multas lacrymas, ut sciatis, quam charitatem habeam abundantius in vobis.* Neque enim dari poterat ardentis amoris et compassionis, qua Salvator populum hunc prosequebatur, manifestius et evidentius signum, quam videre flentem pro illo ipsum Deum, illum, inquam, qui facie sua lætificat et beatificat Paradisum, idque in supremo apice gloriosissimi illius triumphi, quo fuerat exceptus. Unde Cajetanus ad malignos Pharisæos conversus ait : « Vide, « Pharisæe, quam charam habeat Jesus hujusmodi « gloriam, inter tot honores sedens super asinam « flet, non extollitur, non magni facit honores, qui « fletum non continet compassionis, » plus etenim de calamitatibus, quas populo isti imminere prævidebat, contristabatur, quam gavisus fuerit de honoribus et triumphis, quibus idem populus illi applaudebat.

14. — Dubium quoddam hoc loco moveri potest, quomodo scilicet simul stare possit, quod idemmet Deus, qui exterminium civitatis illius deplorat, illud ipsum postea eidem populo immiserit; at vero facile huic dubio respondetur, adhibita similitudine amantissimi alicujus patris, qui percutit et castigat filium, quem amat, vel medici alicujus, qui palatum infirmi nauseabundis potionibus amaricat, dictis rigidissimis corpus illius affligit, illudque secat et urit, et hæc omnia non in infirmi perniciem, sed in perfectam ejusdem sanitatem et commodum præstat. Plorat igitur Salvator propter populi illius iniquitates et culpas, sed ex motivo justitiæ, easdem debita pœna castigare non omittit. Judex contra reum, sententiam mortis pronuntiat, quamvis aliunde ob naturalem benignitatis indolem se manibus ad eamdem sententiam exequendam carere exoptet; Deus quidem pius et clemens, nec tamen intermittere potest, quin etiam exerceat justitiam, utpote quæ divinum et necessarium est illius attributum, hoc tamen non obstante facit, ut quoad possibile fuerit, magis in eo reluceat clementia, sitque justitia semper superior, qua erga nos fertur, misericordia. Eamdem difficultatem Rupertus Abbas Tuitiensis, *in cap.* I *Nahum.*, movet, dum ait : « Flevit super illam et tamen non liberavit eam, « ut non circumdarent eam inimici, » respondetque protinus, quod tanquam justus judex scelera castigare debebat : « *Non possum a meipso facere quid« quam*, » in persona Christi loquitur, « videlicet « ut faciunt injusti judices. » Dum divinæ justitiæ suæ ensem vibrat, vult ut nihilominus cognoscamus verum esse, quod S. Tobias de ipso dicit : *Non enim delectaris in perditionibus nostris.* Ad deplorandam Jerosolymæ calamitatem et excidium, ipsemet in persona propria contristatur, dolet, amaro est animo et in copiosissimas resolvitur lacrymas, et ut hujus populi indomabilem duritiam pretioso suo sanguine emolliat, eadem septimana, eumdem ex omnibus venis suis copiose effundit; at vero dum illum de facto vult castigare, Titum cum Romano exercitu ex longinquis regionibus in eos immittit, ut haberet resipiscendi tempus sufficiens et opportunum. Jansenius, in sermone quodam in hanc Dominicam, ait : « Ex hoc fletu et verbis istis « Domini dicendum nobis, quod Dominus non « gaudeat, sed plane doleat interitum impiorum, « ut vere per Prophetam dixerit : *Nolo mortem « peccatoris*, etc., et subjicit velut lamentando : « *Convertimini, convertimini a viis vestris pessimis.* » Lucas Brugensis ait : « Opportune magnoque con« silio fletum adhibuit, suæ de excidio civitatis « prophetiæ, ut fidem sibi consiliaret majorem. » Idem quoque Auctor progreditur ulterius ad ponderandum in hoc fletu aliud quoddam mysterium, nimirum quod per hunc quoque indicare velit, quod ipsimet incolæ Jerosolymitani hujus sui supplicii et excidii sint fabricatores, tametsi illud, quantum est ex parte sua, sibi displiceat, in cujus signum, amare illud ipsum deflebat : « Ut constaret non voluntatis « ipsius esse, ut periret, qui contra visceribus mise« ricordiæ, quæ per fletum ostendit, » ait Theophylactus, « eam amplecteretur. » Se quidem iratum ostendit, *irascetur*, at vero simul, quam sit a nobis castigandis alienus, licet simul sit justus, declarat Propheta, *Isa.*, XXVIII, 21, dum ait : *Ut faciat opus suum, alienum opus ejus, ut operetur opus suum, ab eo peregrinum est opus ejus.*

15. — Glossa ait : « Quod si Dominus secundum « historiam semel fecit, hoc quotidie per electos « suos in Ecclesia agit; plangit reprobos, qui « nesciunt, cur plangantur, sed exultant in rebus « pessimis, qui si damnationem suam prævidérent, « seipsos cum electorum lacrymis plangerent. » Civitas illa iniquitatum plenissima animam peccatis immersam denotabat, quæ idipsum deflere non curat, imo potius læta et hilaris in miserabili hoc statu esse conspicitur. Unde Albertus Magnus ait : « Tanto plus flevit, quanto illa minus doluit. » Quisquis animæ alicujus extra Dei gratiam constitutæ miserabilem statum penitus considerat, fatebitur utique illam dignam esse, quam ipse Redemptor

lacrymis suis deploret, siquidem nec dari, nec imaginatione concipi potest status aliquis infelicior et deplorabilior, quam sit peccatoris, mortali peccato obnoxii, status.

16. — Origenes, a S. Thoma in *Catena* citatus, ait : « Fletur autem et nostra Jerusalem, quod post « peccata circumdant eam inimici, id est, spiritus « nequam. » Nullus unquam credidisset, quod Deus ille, qui unico tantum verbo universam hanc mundi machinam produxit : *Dixit, et facta sunt, ipse mandavit et creata sunt*, tot ab oculis et multo plures a corde lacrymas effusurus esset, ob mœnium civitatis illius desolationem. S. Bernardinus de Senis, in sermone quodam *de dignitate animæ*, ait : « Multi « quippe et magni thesauri in mari, et alibi amissi « sunt, milleque civitates combustæ sunt, atque « destructæ, et tamen non legimus pro eis Christum flevisse, sed pro anima sola. Hæc civitas « animam mystice præfigurat. » Cui consonat, quod S. Antonius de Padua in eamdem sententiam pariter scribit; dicit enim : « Non flet civitatem terrenam « solum, sed principaliter animam; non ruinam « lapidum, sed virtutum. » Deflebat peccata animæ, utpote quæ expianda restabant toto suo pretioso sanguine. Chrysostomus, *Hom.* LXVI *ad popul.*, ait : « Quoniam de suis non habebat quid lugeret, hoc « pro alienis agebat. » At vero dices : Ex quo damnum hoc Jerosolymam concernebat, ad ipsam potius pertinuisse videtur, ut fleret, suoque fletu divinam justitiam placaret, cur igitur Christus alienam ruinam et excidium deplorat? Nimirum ut per hoc denotaret, summa se cura et sollicitudine pro animæ nostræ salute urgeri, cujus hæc civitas figura quædam erat. Væ nobis, nisi ipse pro nobis sollicitudinem gerat. Unde in pastore illo præfiguratus fuit, qui, postquam perditam recuperasset oviculam, vicinos ad secum gaudendum, sibique congratulandum invitavit, ostendens per hoc, bonum et profectum animæ nostræ ab ipso veluti bonum proprium æstimari, utpote quæ tanti ipsi constitit. Lazari quatriduani fœtens cadaver animæ in peccato habitantis typus erat; refert autem S. Joannes quod Christus, priusquam illud resuscitaret, sæpius fleverit, *Joan.*, XI, 3 : *Vadit ad monumentum, ut ploret ibi; infremuit spiritu, et turbavit semetipsum; lacrymatus est Jesus.* Neque mirum alicui videri debet, quod Salvator noster pro una anima fleverit, qui pretiosissimi sanguinis ipsius pretium considerat, quod pro illius redemptione impendit. Unde S. Bernardus ait : « *Flevit super* « *illam.* Nec solum flevit, sed etiam occidi se per- « misit, ut pretiosissimi sanguinis sui pretio eam « redimeret. »

17. — Habemus etiam in hoc Salvatoris fletu aliud quoddam utilissimum documentum, nimirum lacrymas nostras utiliter collocandas et impendendas esse, non ad deplorandum hujus vitæ incidentes ærumnas, neque ob temporalium bonorum jacturam, sed ad deplorandam jacturam bonorum spiritualium. *Beati qui lugent*, inquit D. Chrysostomus, *Hom.* XXII *ad popul.*, « non mortuum, non « jacturam, sed peccatum, » quia ut Petrus Cellensis ait : « Sterilis est omnis effusio lacrymarum, « quæ non effunditur propter regnum Cœlorum. »

18. — Optime S. Cyprianus quoad nos considerat, quod videlicet sæpe ob mortem alicujus amicorum nostrorum contristemur, e contra vero propter mortem animæ nostræ sæpenumero rideamus et lætemur : « Si quem ex tuis charum morta- « litatis exitu perdidisses, ingemisceres dolenter; « animam tuam miseram perdidisti spiritualiter « mortuam et non acriter plangis? » quot enim sunt, qui potius *lætantur cum male fecerint et exultant in rebus pessimis?* Enimvero Deus noster hujus nostræ naturæ corruptæ, fragilis, adeoque ad ejus offensam proclivis optime conscius, ad peccatum expiandum et perpetua futura delendum, de unico hoc nobis remedio prospexit, nimirum de compunctione et fletu, nos autem illum non ad peccatum delendum, sed potius ad quævis alia exigui momenti negotia adhibemus. Didacus Stella ait : « Docet lacrymis « esse diluenda peccata, utpote quæ scelerum vul- « neribus aptissima sint medicamenta et nihil aliud « præstent quam commissa peccata abolere. » Qui idem pius Auctor in ordine ad fletum, aliam quamdam habet ingeniosam observationem; dicit enim, quod tametsi lacrymemur, dolendo ob amicorum vel parentum mortuorum jacturam, vel ob quamcumque aliam rem perditam, certum sit, quod nihil horum per hoc recuperaturi simus : « At si Deum « graviter offendisti, lacrymis offensum tibi recon- « ciliabis, obliteratisque peccatis omnibus amissam « gratiam recuperabis, hic est lacrymarum usus, « hic scopus ad quem sunt dirigendæ. » Idem quoque Auctor ponderat, quod Christus non ob mœnium desolationem fleverit, sed propter tot animarum in iniquitatibus contumacium perditionem : « Non « diruendos quidem muros, non subvertenda Jeru- « salem ædificia deplorat Dominus, sed cæcitatem « civium ejus et animarum interitum et jacturam. »

19. — Dionysius Carthusianus in quodam sermone suo existimat, voluisse Christum Dominum instruere Prælatos, ut animarum sibi commissarum damna spiritualia deplorent : « Fletus iste spectat « ad aliorum Prælatos, et Patres, et superiores, ut « subditorum et ipsi commissorum vitia ingeant. »

Additiones.

a. — *Videns civitatem flevit super illam.* Contigit hoc quando jam triumphabundus sedens super asinam, ducebatur Jesus in Jerusalem. *Videns* autem *civitatem*, descendentibus enim e monte Oliveti, Occidentem versus, proxima Jerosolyma tota erat in prospectu, viditque illam, ut inquiunt S. Bonaventura et Cardinalis Hugo, non tantum oculis corporis, sed etiam pietatis affectu. Et quidni ex pietatis affectu flere propter innumerabilium animarum interitum, quem prævidebat, qui propter unicum Lazarum adhuc salvandum infremuit spiritu, turbavit semetipsum et lacrymatus est? Quod innumerabilium animarum populi cujusquam ante tantopere dilecti damnationem amare defleat mirum non est, sicut neque mirandum est quod deploret ingratitudinem tot animarum quas redemptione sua abusuras, ejusque pretiosissimum sanguinem pedibus suis probrose conculcaturas esse prævidebat.

b. — Cajetanus Cardinalis et fletum et triumphum ponderans, ait : « Vide quam charam habeat « Jesus hujusmodi gloriam, inter tot honores se- « dens super asinum flet; non extollitur, non mag- « nifacit honores qui fletum non continent. » Inter lætas Regem filium acclamantium gratulationes, flens ac mœrens ibat; sic honoribus cruciabatur, ut tristitia et amara in illis meditaretur, quæ fletum moverent ac excitarent. Volens ostendere quo cum affectu, et nos honores ambire debeamus, eos non magnifaciendo, cum omnia molestiarum ac periculorum genera in iis occurrant. Quotidiana nos docet experientia, quod ventorum procellosorum furia magis sentiatur in locis eminentibus et elevatioribus quam in vallibus aut planitie. Auctor operis Imperfecti, super illa verba : *Audiens autem Herodes rex, turbatus est*, ita scribit : « Semper « grandis potestas majori timori subjecta est, sicut « acumen arborum in excelso positarum, etiamsi « lenis aura flaverit, movetur; sic sublimes homi- « nes in culmine dignitatum existentes etiam levis « nuntii fama conturbat. *Conturbati sunt principes* « *Edom, robustos Moab obtinuit tremor.* » S. Hieronymus quoque dicit : « Regum talis conditio, « feriuntque summos fulmina montes. »

c. — Fuerat illud excidium ac devastatio per Romanos facta, non solum civitatis Jerosolymitanæ, sed totius regni. Cur ergo piissimus Jesus solum civitatem deplorat? Rationem hujus nobis affert Origenes, *Hom.* XXXVIII *in Levit.* « Nemo Gentilis, » inquit, « fletur, sed ille qui fuit de Jerusalem; « quod post peccata circumdent eum inimici, et « lapidem super lapidem non relinquant, maxime « si post multam continentiam, post annos virtutis « victus quis fuerit vitiorum blandimentis. » Non deflet Dominus super gentium civitates, sed super Jerusalem; nemo enim Gentilis fuerat in virtute a qua recesserat; et si aliæ Judæorum civitates, sub lege fuerint, nulla tamen in justitia ac sanctitate ita resplenduit, ut Jerusalem. Unde maxime deplorandum quod post tot virtutes se tradiderit turpitudine vitiorum, quæ maxima certe miseria. Unde virtuosis et perfectis pericula fugienda sunt, neque de propriis viribus nimium præsumendum; alias enim in mediis occasionibus misere corruent. In Chronica S. Francisci, in vita B. Ægidii refertur, quod cum duo Cardinales ejus se orationibus commendaturi se convenerint, quibus vir sanctus, suas illi orationes minime necessarias esse dixit, utpote quibus persuasum esset, quod in mediis deliciis, honoribus et millies vitæ commoditatibus, de salute sua securi esse possent, cum tamen ipse et alii religiosi in continuis paupertatis, mortificationis, abstinentiæ, et austeritatis vitæ regularis incommodis, de propria salute summe timerent et toto corpore contremiscerent. Unde ambo ab ipso summe confusi recesserunt.

d. — Quare flevit pius Redemptor noster, *videns civitatem?* Dicat antiquissimus Origenes, *Hom.* XXXVIII *in Luc.*, harum lacrymarum originem et causam. « Omnes beatitudines, » ait, « quas locutus « est Jesus in Evangelio, suo firmavit exemplo. « *Beati*, inquit, *mites*; huic simile ait de seipso : « *Discite a me quia mitis sum et humilis corde. Beati* « *pacifici*; et quis alius ita pacificus, ut Dominus « mens Jesus, qui est pax nostra? » Et postea subdit : « Ad quam similitudinem, quia dixerat : *Beati* « *flentes*, et ipse flevit, ut hujus quoque beatitudi- « nis jaceret fundamenta. » Jesus qui est risus et gaudium totius mundi, tripliciter lacrymatur : in resurrectione Lazari, in cruce, teste S. Paulo, et in præsenti. Omnes virtutes quas in monte Dominus docuit, ad easque nos est exhortatus, ipse eas in se adimplevit, ac firmavit. Optimus certe ad imitandam procedendi modus; si enim boni illius, quod persuadere volumus, aliquod præmittamus exemplum, facilius illud aliis imprimere poterimus. S. Bernardus in sermone quem in exequiis devoti cujusdam monachi Humberti recitavit, inter alias virtutes quas in ipso commendat, hanc quoque recenset : « Factitium vobis sermonem in omni « forma sanctitatis, iste Dei servus exhibuit, quem « et longum fecit, et magnum. » Quando enim executioni mandatur, et factibile esse demonstratur, quod persuadetur, tunc cor auditoris subjugatur et vincitur. Et ideo priusquam cœlestis Magister noster prædicationem suam exordiretur, prius ad Jordanem se recepit, ut ibidem Præcursoris sui manibus baptisaretur : *Tunc venit Jesus, a Galilæa in Jordanem ad Joannem, ut baptisaretur ab eo. Joannes autem prohibebat eum, dicens : Ego a te debeo baptisari et tu venis ad me? Respondens autem Jesus, dixit ei : Sine modo; sic enim decet nos implere omnem justitiam.* Sed, obsecro, de quanam justitia ibi Christus loquebatur, quam implendam esse dicebat? Audiamus Auctorem operis Imperfecti, qui dicit : « « Omnem justitiam non prius verbis quam « factis implevit; unde etiam Lucas testatur de « illo, dicens : *Cœpit Jesus facere et docere.* » S. Ambrosius super Lucam scribens, eadem verba hunc in modum exponit : « Quæ est justitia, nisi ut

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEÓN

« quod alterum facere velis, prior ipse incipias, et « tuo alios horteris exemplo? » Quia igitur Salvator noster sacrum Baptismatis lavacrum pro salute generis humani instituere volebat, prius ipsemet baptisari voluit; sumpto Baptismo, statim se ad prædicandam pœnitentiam, austeritatem, jejunia, tentationumque repulsam, accingere decreverat; ac proinde ipsemet subito, in horridum quoddam desertum se subducere, ibidemque summo cum rigore jejunare atque ad prœliandum cum Lucifero se accingere voluit.

e. — Judicarunt aliquando nonnulli lacrymas Christi fuisse indecoras, quia essent languentis animi indicia; sed potius indicia pietatis et misericordiæ fuisse eaque intimo quodam compassionis affectu prodiisse, testatur D. Ambrosius, *lib.* II *de Pœnit.*, VI. « Ipse Dominus, » ait, « Jerusalem flevit, ut quia ipsa flere nolebat, lacrymis Domini « provocaretur ad veniam. Ipse nos flere vult ut « pœnas evadere possimus. » Civitas lætanter exultabat, Dominus vero illius obsidionem et excidium præmeditabatur. Ut ergo civitatem ad salutem vocaret, lacrymas interponit, ut ex tantis lacrymis civitas commota, mentem ebiberit, quia peccata sua lacrymaretur, ut inde ea abstergeret, salutem inveniret et ad Deum accederet. Sic Deus variis utitur mediis, multa culpæ et pœnæ mala, etiam incognita removendo, ut nobis beneficiat.

f. — Euthymius, in hunc locum scribens, ait: « Sciens propter immensa vitia destruendam, humano modo ipsam pro immensa sua bonitate « deflet, etiam hinc ostendens qualia haberet erga « ingratos Judæos viscera. » Peculiariter deplorat Dominus miseram destructionem Jerusalem; sic super eam deflet Dominus, cum ipsa ei datura esset crudelem mortem. O ingens Christi pietas! non irascitur in suos capitales hostes, non postulat vindictam contra eos, sed maxime super eorum desolationem dolet, eorum casum a quibus lædendus erat, deplorans. Ex quo exemplo patet, nos per veniam et dilectionem inimicis exhibitam, nobis filiationem Dei comparare, sique similes effici.

g. — Quis non miretur Christum Dominum flentem super Jerusalem, eo tempore, quo triumphum illum veræ mansuetudinis et pietatis fecit, de quo *Matth.*, XXI, 5, dicitur: *Dicite filiæ Sion: Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus.* Mansuetus venis Jerusalem, o Jesu, et ejus vicem defles? Cur lacrymas fundis super civitatem cui mansuetissima et pientissima viscera pandis? Equidem nunquam magis lugenda rebellis et peccatrix urbs, quam ubi sceleribus non iram vindicis sed mansuetudinem; non duritiem supplicii, sed teneritudinem compatientis in Deo sentit. Nonne lamentandus est impius, de quo apud Isaiam, XXVI, 10, ait Dominus: *Misereamur impio, et non discet justitiam facere?* Imo nunquam magis lamentandus impius est, quam ubi nimis misericordem sentit Judicem, quem magis deberet sentire ultorem iniquitatum; maxime quando hac Dei misericordia et indulgentia magis in peccatis firmatur iniquus. Hoc enim peccator sedulo considerare deberet, quod Dei in dissimulandis culpis nostris tolerantia ad pœnitentiam, non vero ad nostram in peccatis perseverantiam ordinetur. Quem errorem S. Paulus, *Rom.*, II, 4, a nobis abigere satagit inquiens: *Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* Divina namque bonitas patiens quidem est, sed ut ad pœnitentiam, peccatorumque nostrorum emendationem nos extimulet; ac proinde misericordia Dei ad finem ordinatur oppositum illi, quem peccator sibi inaniter fingit, utpote qui ob expertam Dei sæpius misericordiam, peccatis semper insordescit. Contra quem abusum Rabanus calamum suum in hæc verba stringit: « Nihil stultius est, quam pietatem Dei ac patien- « tiam in usum convertere peccatorum, qui ideo « delinquentes expectat, ut se convertant in melius « et agant pœnitentiam de peccatis suis. »

h. — Causam aliquam hujus fletus assignat Dionysius Carthusianus: « Videns, » inquit, « Jesus « Jerusalem, ejusque pulchritudinem exteriorem, « deflevit ipsius culpam et pœnam, non tam tem- « poralem quam æternam. » Videns civitatem lacrymabatur Dominus, non tantum illius excidium futurum, sed potius peccata, quæ tantæ ruinæ causa extabant. Hoc enim intervenit discrimen inter mundanos ac justos; nam illi mala pœnæ, hi vero culpæ noxia deplorant. Hæc autem in fundendis lacrymis regula tenenda est, cum enim valde sint pretiosæ, solum ad diluenda peccata nostra sunt impendendæ. Ira enim Dei ob peccata nostra offensi lacrymarum virtute placatur. Isaias Propheta, LIII, 6, olim lamentabatur dicens: *Cecidimus quasi folium universi, et iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos;* cujus calamitatis hanc assignat rationem: *Non est qui consurgat et teneat te.* At vero, dices fortasse, quisnam adeo erit temerarius, qui fulminibus Omnipotentis et irati Dei opponere se præsumat? Audi igitur Hugonem Cardinalem hunc textum ita scribentem: « Non est qui teneat te per lacrymarum « copiosam effusionem; lacryma enim tenet et « cogit Deum. » Similiter in Evangelio præsenti, Salvator noster populo Hebræorum et civitati sanctæ totale prænuntiavit exterminium, inquiens: *Ad terram prosternent te, non relinquent in te lapidem super lapidem;* attamen eodem tempore suo exemplo Jerosolymæ modum divinam placandi justitiam tradidit, quando *flevit super illam.* Circa quæ verba S. Ambrosius ait: « Ipse Dominus Jerusalem flevit, « ut, quia ipsa flere nolebat, Domini lacrymis ad « veniam pertingeret. Ipse nos flere vult, ut era- « dere possimus. »

i. — Cum tanto honore ac triumpho afficitur

Dominus, extremam civitatis calamitatem prædicit, illiusque deplorat miseriam. Sic nullum in mundo est bonum, quod non aliqua sit amaritudine respersum. Salomon rex inter alias delicias hortos quoque et pomaria enumerabat: *Plantavi vineas,* inquit, *Eccle.*, II, 4, *feci hortos et pomaria et conseví ea cuncti generis arboribus.* At vero inter cæteras arbores in locis illis amœnis plantatas, arborem quoque nucis habebat: *Descendi in hortum nucum. Cant.*, VI, 10. Quis autem fructus hosce corticem amarissimam habere, et nonnisi baculis et fustibus ex arbore decuti ignorat? Similiter in hortis illis, quantumvis amœni fuerint, et rosis undique referti, verisimile non est, defuisse urticas et spinas. Nam ut S. Gregorius ait: « Rosa quæ redolet crescit cum « spina quæ pungit. » Et S. Isidorus ait: « Quam- « vis aliquis in gloria fulgeat, licet purpura et « bysso resplendeat, quamvis pretioso cultu præe- « mineat, quamvis filiorum multitudine fortis mu- « niatur, quamvis protectus armis, quamvis dives « in omnibus, semper in pœna est, semper in an- « gustia, semper trepidus in pluma jacet, pallidus « in lectis aureis jacet. »

j. — Hæ Christi lacrymæ insigne in nos effundunt documentum; docent siquidem Deum misericordem simul esse et justum, quia deflet calamitatem civitatis, non tamen remittit pœnam incorrigibili, sed eamdem post annos quadraginta vastavit dirissime per Romanos. Duplici igitur facie seu oculo aspiciebat civitatem: oculo misericordiæ primum, dum super eam flevit, et ita ei significationem dedit, ut fugeret a facie arcu, ne in fine videretur esse immisericors et crudelis, ac delectari flagellis. Unde per hunc fletum præmonet antequam punit. Præterea etiam medium adhibet, quo ad frugem errantes reducat, dum mox templum ingressus ejicit vendentes et ementes, instar boni patris qui flagellat omnem filium quem recipit vel recipere cupit. Flagellum hoc erat misericordiæ quo averteret ab eis scorpionem gehennæ; igitur conabatur omni modo impedire eorum punitionem, revocando eos ad pœnitentiam et tardando usque ad quadraginta annos. Sic Deus justus est et misericors. Peccatores enormissimi, postquam divinam experti sunt pietatem, ut converterentur ad pœnitentiam, non huic soli innixi sunt, sed justitiæ suæ quoque scientes rigorem, ut ab hac securos se facerent, ad illam confugerunt, scilicet Dei misericordiam et pietatem, dolentes quod unquam illam offenderint. Sic S. Bernardus id quod Magdalene accidit, considerans ait: « Magnam prorsus mise- « riam magna misericordia diluit et abstergit, et « hoc quidem festinanter, quia sine ullo intervallo « conjunguntur et lacrymæ peccatricis et miseri- « cordia Salvatoris. » Idem quoque mellifluus Doctor mysterium consideral, ob quod Maria Magdalena lacrymis suis Christi pedem lavit, et capillis suis tersit; namque pedes isti, inquit, sunt misericordia et judicium, quorum alterum sine altero osculari, vel temeraria securitas est, vel desperatio fugienda.

k. — Aliud adhuc documentum nobis suppeditant hæ Christi lacrymæ. Docent enim miseriis proximi condolendum esse; sic enim Christus videns civitatem, civitatem, inquam, tam refractariam, idcoque macello destinatam, flevit super illam. Et quod multo plus est, super seipsum non flevit, quem sciebat toties a Judæis tam ignominiose tractandum, et post paucos dies crucifigendum et occidendum, sed super Jerusalem. Et quod amplius est, flevit is qui offensus erat, et merito gaudere poterat de hostium suorum interitu, super inimicos suos. Item quod omnium maximum est, Deus super homines. Nos certe vermiculo non compatimur, quia natura eum longe excedimus; Deus vero nos infinite excedit, et tamen compatitur nobis, ad ostendendum quantum compassio erga miserabiles, et misericordiæ opera ipsi placeant.

l. — Christus Dominus sicuti erat verus homo, ita erat et verus Deus; ideo ejus sanctissima anima, in divina essentia, omnia quæ in illa urbe erant, scelera, latrocinia, ambitiones, cupiditates, atque alias abominationes, quæ in omnibus statibus erant, contemplabatur. Videbat ex Sacerdotibus, quosdam esse insipientes, alios inhonestos, quosdam ambitiosos et alios nimia cupiditate inflammatos. Aspiciebat ministros justitiæ et reipublicæ gubernatores, suis commodis atque utilitatibus consulentes, rapinis et mendaciis plenos. Denique causas pauperum et viduarum ob defectum tutelæ cadentes; causas vero divitum erectas et in sublime elatas cernebat. Et quod pejus erat, omnes absque cura aliqua in utramque aurem dormire, multis flagitiis et sceleribus oneratos. Dominus autem brevitatem harum deliciarum et nobilissimi temporis jacturam, insuper æternitatem punitionis qua in alia vita puniendi erant, et terribilia flagella quibus in hoc mundo erant castigandi, contemplans, commotus piissimus homo lacrymas profundere cœpit. Deplorandus enim illorum hominum status est, qui tempus præsens clementer indultum ad acquirendam cœlestem gloriam et salutem suam, disperdunt et in peccatis ac divinæ legis transgressionibus insumunt. O nobile sane tempus, propter quod et ipse Salvator uberrimas lacrymas profundit! Bene igitur monet Ecclesiasticus, IV, 23: *Fili, conserva tempus ut donum pretiosum.*

Versus 42.

Quia si cognovisses et tu, et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.

Quia si cognovisses et tu.

1. — Id est, inquit Cajetanus, « si cognovisses

« mala tibi superventura, fleres; supple : quo modo « frueris bonis, quæ sunt ad pacem tuam, bonis « temporalibus; alter sensus est : *Si cognovisses « quæ ad pacem tuam*, hoc est, mea gesta, meum « adventum, mea bona, quæ sunt ad veram pacem, « quæ modo sunt abscondita ab oculis tuis inter- « nis. »

2. — Didacus Stella sermonem hunc Christi interruptam esse observat : « Adverte, quod Chris- « tus hæc verba scissa et absque perfecto integræ « orationis sensu protulit, nobis significavit ingen- « tem animi dolorem, ob quem vox hæsit faucibus, « et lingua perfecte pronuntiare et exprimere sen- « sum suum non potuit. » Verbum igitur æternum, Sapientia Patris, is inquam, *qui linguas infantium fecit disertas*, de quo ipsi quoque infideles fatentur, quod *nunquam sic locutus est homo*, modo perfecte verba enuntiare et eloqui nescit? Ecce tibi quousque tristitia illius et dolor ascenderint, qui ob animarum perditionem et propter supplicia, quæ divina justitia super illos immissura erat, illum affligunt.

3. — Volebat Christus hisce verbis dicere : Si tu me tanquam verum Messiam agnovisses, si aures prædicationi meæ adhibuisses, si ad pœnitentiam, ad quam toties te invitavi, recepisses, nequaquam perires, inquit Euthymius. Si scires imminens tibi excidium, inconsolabiliter fleres, tuamque invidiam, malignitatem et ingratitudinem deponeres.

4. — S. Bonaventura, *Serm. II in hac Dom.*, post illud : *Et tu*, subaudit, *fleres* : « Quadruplex cogni- « tio te miser homo ad fletum debet provocare; si « enim agnoscères in transgressione, peccati fœdi- « tatem, retributionis æquitatem, redemptionis « charitatem, resolutionis sive mortis calamitatem, « bene flere deberes. » Anima, quæ cognoscendo assequitur, quid sibi velit offensa Dei vel peccatum mortale, continere se nequit, quin illud defleat et detestatur. Peccata vocantur opera tenebrarum, *Rom.*, XIII, 12 : *Abjiciamus opera tenebrarum*, quia ut plurimum committuntur absque cognitione Dei offensi, sine reflexione ad culpæ gravitatem; qui in obscuro ambulat, facile cespitat et offendit. Observandum quoque est, quod huic civitati Christus non improperet directe ejus transgressiones, sed solam ignorantiam : *Quia si cognovisses et tu*, quia major pars animorum condemnatur, eo quod hoc lumen non recipiat, vel quod notitiæ huic seu lumini, quod Deus illi communicabat, minime correspondeat; siquidem ipse quidem *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, sed malum nostrum est, quod *dilexerunt homines magis tenebras quam lucem*. Argi sumus in rebus, bona temporalia spectantibus, at vero cum de salute animæ, aut de bonis æternis agitur, in obscuro et in tenebris ambulamus. Vix confusum illud chaos productum fuit : *Terra erat inanis et vacua, et tenebræ erant super faciem abyssi*, cum ecce vox illa auditur : *Fiat lux, et facta est lux, et vidit Deus lucem quod esset bona et dividit lucem a tenebris*. Porro homo extra gratiam Dei constitutus, unum pedem ori abyssi infernalis immisit, estque jam secundum præsentem justitiam condemnatus. Sed quid demum fit : *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine*; quia misericors Deus lumen et agnitionem nobis infundit miserabilis illius status et periculi, in quo sumus, divinam suam gratiam nobis offert, ut hac mediante nos erigere valeamus, imprimis nobis lumen rationis et conscientiæ remorsum, ac tandem sua nobis subministrat auxilia, ad evadendum barathrum perditionis sed nos hæc omnia surda aure excipimus : *Qui male agit, odit lucem*, et ideo majoris faciamus peccatum, quam ipsum Deum et salutem æternam. Dionysius Carthusianus ait : « Si *cogno-* « *visses* miseriam et eversionem tibi imminentem, « fleres, quæ modo infeliciter excæcata lætaris, « quia propriam perversitatem non pensas et pœnas « tibi debitas atque instantes non prævides. » Hæc causa desolationis innumerabilium animarum, quod scilicet se non applicent ad trutinandum cum pondere sanctuarii gravitatem peccati, amissionem Dei et regni cœlestis, æternitatis bonorum, ideoque incidimus in æternitatem pœnarum.

Et quidem in hac die tua.

5. — Lucas Brugensis ait : « Significat jam diem « seu tempus extremum adesse, quod alterno Dei « consilio ordinatum fuerit in salutem Jerosolymæ, « quod si elabi sineret hanc opportunitatem, fore « ut imposterum salutis janua ei præcluderetur. » S. Apostolus nos hortari volens, ut Deo ad pœnitentiam et vitæ emendationem nos vocanti et invitanti fideliter correspondeamus, de diebus et momentis semper loquitur, dicens, II *Cor.*, VI, 21 : *Ecce nunc tempus acceptabile; ecce nunc dies salutis*. Omni diluculo diurno in Matutino hæc verba recitamus : *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra*. Et ideo valde periculosum est, pœnitentiam de die in diem procrastinare, cum tempus vitæ nostræ non ab incertis annis aut mensibus, sed per dies et momenta tantum, quibus vivimus, metiri debeamus. Pro cujus meliori elucidatione necessum est, ut veritatem quamdam catholicam penitus intelligamus. Dicit igitur Salvator noster, *Joan.*, VI, 44 : *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*; hæc autem tractio fit opera et interventu Spiritus Sancti, hic autem, non quando nos volumus, sed *quando* ipse *vult spirat*, et ideo hic nobis inspirationes suas immittit, quando sibi placet, non vero ad libitum nostrum; unde væ nobis, si ipso cœlestem hunc ventum spirante, nos affectuum et cordis nostri vela non explicemus ad illum recipiendum, siquidem manifesto nos periculo exponimus, ne forte aliquando vento hoc emanante, in sicco hæreamus et in profundum inferni usque naufragari cogamur. Et ideo Jansenius in sermone quodam, super præsens Evangelium conscripto, inter cætera ait : « Nunc nostra dies est, in qua « ea curare possumus, quæ ad pacem pertinent; « venient alii dies, qui non nostri erunt, sed divinæ « remunerationis, quando qui oblatas modo salutis « occasiones non sunt amplexi, tradentur inimicis « suis, dæmonibus scilicet torquendi. »

6. — Porro de quo die Salvator noster loqui intenderit, quando dicit : *In hac die tua*, Dionysius Carthusianus his verbis pulchre ad propositum nostrum declarat, dum ait : « Id est, in tempore isto « brevi atque celerrime transeunti, in quo non Dei « honori, sed propriis vanitatibus vacas; *quæ ad « pacem tibi*, id est, ea quæ habes, ad carnalem, « temporalem et fallacem tuam pertinent pacem, « quia divitiis, deliciis et honoribus jam abundas, « nec ab hostibus infestaris. » Didacus Stella quoque hæc verba : *In hac die tua* de felicitate temporali, qua Jerosolyma tunc de facto gaudebat, interpretatur : « *Et quidem in hac die tua*, scilicet « qua lætaris et gaudes, et tibi, et non Deo vivis, « quare *tua* dicitur dies et non Dei; » nihil enim aliud tunc meditabatur, nec ad aliud se applicabat, quam ad lætitiam, voluptatem et temporalem sibi procurandam felicitatem, et ideo super Jerosolymam immissæ sunt ingentes illæ miseriæ et calamitates et flagella divinæ justitiæ. Ecclesiasticus, IX, 11, dicit : *Sicut pisces capiuntur hamo, et sicut aves laqueo comprehendantur, sic capiuntur homines in tempore malo, cum eis extemplo supervenerit*; quasi diceret : sicut pisces læti circumnatant, mox ut acceperunt simul cum hamo escam, et sicut aves accepto grano illis objecto, festive saliunt et volitant, non attendentes se esse ad mortem captivas; eodem quoque modo major pars hominum, dum in summo sunt gaudiorum gradu, morti æternæ et dæmoni cedunt in prædam, idque eo præcipue tempore, quando se vel maxime adhuc gavisuros esse sperabant. S. Gregorius, *Hom.* XXX *in Ev.*, proinde optime hac de re scribit, dum ait : « Bene autem perituræ animæ « sententia, quæ subditur, convenit : *Et quidem in « hac die tua, quæ ad pacem tibi; nunc autem abs- « condita sunt ab oculis tuis*; suum hic diem habet « anima perversa, quæ transitorio gaudet in tem- « pore, cui ea quæ adsunt, ad pacem sunt, quia « dum rebus temporalibus lætatur, dum honoribus « extollitur, dum in carnis voluptate resolvitur, dum « nulla futuræ pœnæ formidine terretur, pacem ha- « bet in die sua, quæ grave damnationis suæ scan- « dalum in die habebit aliena; ibi enim affligenda « est, ubi justi lætabuntur et cuncta quæ modo ei ad « pacem sunt, tunc in amaritudinem rixæ verten- « tur, quia rixari secum incipiet, cur damnationem « quam patietur, non expavit, cur a prospiciendis « malis sequentibus oculos mentis clausit. »

Quæ ad pacem tibi.

7. — Didacus Stella observat : « Quod hæc dies « vitæ hujus data est nobis ad pacem, ut sic possi- « mus pacem æternam nobis comparare; « modus autem hanc pacem in hac præsenti vita comparandi, in divinorum præceptorum adimpletione consistit, de qua Psalmista, *Psal.* CXVIII, 165, ait : *Pax multa diligentibus legem tuam*. Idem quoque Stella alium quemdam diem considerat, dicens : « Expectemus item diem aliam, in qua Christus in « tribunali sedebit, et puniet, quod nunc in die « gratiæ, et pacis dissimulat; hi igitur duo dies « attentissimis animis sunt considerandi; horum « dierum alter Dei, alter hominis est. »

8. — Lucas Brugensis una cum Euthymio notat, quod hic Christi loquendi modus interruptus sit : « Defectivus est sermo, » inquit Euthymius, « con- « suevernnt enim flentes, verba præ affectus « vehementia abrumpere. » Porro hæc verba simul conjunguntur, cum verbo *cognovisses*, et ideo in Syriaco textu legimus : *Nempe si tu nosses ea, quæ sunt ad pacem tuam, vel saltem isto die tuo* : « Pacis nomine intelligitur prosperitas, salus, feli- « citas et animi et corporis. » Medium autem, quo Jerosolyma et totus illius populus ad fruendum hac pace, uti poterat, erat fides in Christum, ipsum videlicet tanquam verum Messiam recipiendo et agnoscendo. « Jam quæ ad pacem Jerosolymæ face- « rent, ex quibus pendebat tota illius felicitas, erant « fides in Jesum Christum et prædicationis ejus « susceptio. »

9. — Cum igitur Jerosolyma figura sit animæ alicujus, quæ extra Dei gratiam posita, illius inimica existit, necesse est, ut, si pace gaudere velit, patulas aures porrigat, cunctis incitatoriis et inspirationibus cœlestibus, ipsam ad resipiscendum et vera pace fruendum exstimulantibus, *Isa.*, XLVIII, 22 : *Non est pax impiis, pax est, et non est pax*. Etenim quando anima in peccato mortali constituta, eousque malitiæ provenit, ut remorsum, synderesim et inquietudinem malæ conscientiæ amplius non sentiat, signum est, quod ad summum usque iniquitatis verticem pertigerit, nam *impius cum in profundum peccatorum venerit, contemnit*. *Prov.*, XVIII, 3. Vera autem pax in serenitate rectæ cujusdam conscientiæ consistit, *Rom.*, I, 7 : *Gratia vobis et pax*; ubi enim regnat gratia, ibi pax dominatur et e contra bellum est, ubicumque est peccatum; unde David, *Psal.* XIII, 3, ait : *Viam pacis non cognoverunt*, illiusque rationem reddit : *Quia non est timor Dei ante oculos eorum*.

Nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.

10. — « Hoc est, adversa tibi imminentia nunc « te latent, » inquit Dionysius Carthusianus, « quia « et mihi, ea tibi pronuntianti credere aspernaris. »

UNIVERSIDAD DE NAVARRA

Venerab. Beda similiter civitatem illam adeo lætam et jucundam nequaquam futuram fuisse scribit, si imminentia sibi infortunia prævidere potuisset ; « Si enim cordis ejus oculis, mala quæ imminerent, « abscondita non essent, læta in præsentibus pros- « peris non fuisset. » Pars quædam supplicii est animæ alicui impiæ irrogandi, si in hac vita ad alterius vitæ pœnas clausos habeat oculos, ita ut seriam ad illos reflexionem minime faciant; tunc enim sensibus et appetitibus inordinatis frena omnino laxat. Unde Didacus Stella ait : « Hæc mala « ventura abscondita dicit ab oculis tuis, quapprop- « ter multi securius peccant et patientia Dei ita « abutuntur, ut occulto pejores in dies effecti, in « consuetudinem peccati dilabantur. »

11. — Dionysius Carthusianus in eamdem incidit ponderationem, dum ait : « Ex longanimitate et « patientia Dei audentius peccant et deteriores red- « duntur, in consuetudinem peccati ruentes. » Ubi textum illum Ecclesiastici, VIII, 11, adducit, dicentis : *Etenim quia non profertur citò contra malos sententia, absque timore ullo filii hominum perpetrant mala.*

12. — Albertus Magnus per hanc abscondionem, inconsiderationem intelligit; quasi diceret : « Quia « non considerus ea, ita culpa tibi claudit oculos et « putas te semper in peccatis pacem habituram ; » at vero tanto pœnosior et acerbior mors erit, quanto anima per affectum suum hisce bonis et delectationibus mundanis tenacius adhærescit : *O mors quam amara est*, inquit Ecclesiasticus, XLI, 1, *memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis.*

13. — S. Gregorius, *Hom.* XXXIX, ait : « Per- « versa quippe anima rebus præsentibus dedita, in « terrenis voluptatibus resoluta, abscondita sibi « mala sequentia providere futura refugit, quæ « præsentem lætitiam perturbant, dumque in præ- « sentis vitæ oblectationibus se deserit, quid aliud, « quam clausis oculis ad ignem vadit. Unde bene « scriptum est : *In die bonorum ne immemor sis ma- « lorum.* »

Additiones.

a. — *Quia si cognovisses et tu, et quidem in hac die tua*, etc. Ignorantiam hic piissimus et misericors Dominus potius objicit civitati quam ejus scelera et peccata ; et ratio est quia ignorantia vitæ nostræ et peccatorum nostrorum causa omnium est malorum. Ex hoc enim fonte oritur cur nobis pestes in judicio timendum nobis sit ; nam si in hac die vitæ nostræ, quæ adhuc nobis est, per exactum conscientiæ examen *nos ipsos judicaremus, non utique judicaremur*, nec esset ulla nobis judicem timendi ratio. Non quidem absolute evasuri sumus necessitatem præsentandi nos coram supremi Judicis tribunali, sed rigorem et severitatem Judicis effugiemus, si prinsquam coram illo compareamus, nosmetipsos diligenter examinare studuerimus. Unde S. Anselmus ait : « Cessat vindicta « divina, si conversio præcedat humana, quia, ut « ait Apostolus, I *Cor.*, XI, 31 : *Si nos ipsos dijudica- « remus, non utique a Domino judicaremur.* » Et ideo S. Bernardus, tametsi adeo innocentem et immaculatam duxerit vitam, nihilominus de semetipso dicebat : « Statuam me ante me, et judicabo meip- « sum, ut illius extremæ diei judicium evadere « possim. » Ubi Sanctus ille non a judicio sed ab ejus horrore eximi postulabat ; ideoque primo severum secum ipse instituebat examen ; unde et in quodam super sacra Cantica sermone, ita scribit : « Unum est examen : *si nosmetipsos judicaverimus, « non utique judicabimur.* Bonum judicium quod « me illi districto divinoque judicio subducit et « abscondit. Prorsus horreo incidere in manus Dei « viventis. » Nec non super Psalmum : *Qui habitat*, etc., in sermone octavo, hoc idem repetit monitum dicens ; « Judicemus interim fratres, et terribilem « illam expectationem præsenti studeamus decli- « nare judicio. Non judicabit Deus bis in idipsum. » Apud Michæam Prophetam, VI, 8, salutare quoddam nobis traditur documentum, ad effectum non timendi judicium extremum. Dicit enim sacer textus : *Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum et quid Dominus requirat a te. Utique facere judicium.* Sed dicet fortasse aliquis : Numquid hoc judicium ad Filium Dei pertinet : *Pater omne judicium dedit Filio*; aut vero unius Scripturæ textus alteri contrarius erit? Rupertus Abbas dubium hoc solvit dicendo : « Quid est judicium facere, nisi judicium « Dei prævenire ? Prævenies autem judicium Dei, « si temetipsum prior judicas in conspectu Dei, ne « a Deo judiceris. »

b. — Non objicit Dominus Jerosolymæ scelera et peccata, sed solum ignorantiam, eo quod non cognoverit quæ illi ad pacem sunt et salutem. Ignorantia enim salutis et exilis nimium æstimatio qua animam appretiamur, ex modica animæ oritur notitia. Et hæc ignorantia omnium malorum causa est et origo. Filius prodigus qui ad eam redactus fuerat egestatem, ut lacer, nudus et famelicus in villa quadam immunda pascere animalia urgeretur : *Cupiebat implere ventrem suum de siquilis quas porci manducabant, et nemo illi dabat*; idem postea in domo patris sui inter symphonias circumsonantes, omniumque domesticorum solo invido fratre ejus excepto, plausus et festiva gaudia lauto cuidam epulo assidere conspicitur. Undenam putas mira hæc circa eum conditionis mutatio ortum habuit? *In se reversus dixit : Quanti mercenarii in domo patris mei*, etc., nimirum natalitium suorum nobilitatem ex una parte, ex alia vero ministerii illius cui se necessitate cogente addixerat, vilitatem generi et origini suæ indecoram probe considerans, generosam hanc apud se fecit resolutionem dicens : *Surgam et ibo ad patrem meum.* Certum namque est

quod quanto quis circa nobilitatem et excellentiam animæ suæ majus lumen, clarioremque notitiam sibi acquisierit, tanto magis se a natalibus suis degenerasse erubesceret, tantoque puriorem magisque immaculatam animam suam deinceps conservabit.

c. — Flet Christus non ruinam civitatis materialis sed spiritualis, qui non dolet toto etiam perente mundo ; ut doceret animam quamcumque universo præferendam mundo, dans animam suam pro anima unica, et non pro mundo toto. Idem enim ille Deus, qui mundum universum tribus digitis sustinet, *Isa.*, XVI, 7 : *Appendit tribus digitis molem terræ*, eumque super nihilum velut basim collocavit : *Appendit terram super nihilum*, sicut pariter totum universum ex nihilo produxit, idem inquam, et nemo alius, valoris et æstimationis qua anima reliqua rationalis et Christiana, pro toto universo pendenda venit, adæquatus Judex esse poterit, qui proinde tanquam animæ nostræ amator zelotypus clare protestatur dicens : *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? Matth.*, XVI, 26. Ponatis ex una bilancis parte universum mundum, cum omnibus suis thesauris, deliciis, voluptatibus, honoribus, imo cum omnibus quæ habet aut habuit, et ad finem usque sæculorum habiturus est aut habere potest bonis desiderabilibus; ex altera vero bilancis parte, unam duntaxat animam collocate et ponderate hæc omnia ad invicem, sed cum pondere sanctuarii, et unicam illam animam omnibus aliis ex adverso positis longe præponderare invenietis. Unde merito S. Menna Ægyptius Martyr ille gloriosissimus dicebat : « Neque enim potest totus mundus æqua lance « expensus uni comparari animæ. » Cujus S. Bernardus efficacem reddit rationem, dum ait : « To- « tus iste mundus ad unius animæ æstimari non « potest : non enim pro toto mundo Deus animam « suam dare voluit, quam pro anima humana dedit. « Sublimis ergo est animæ pretium, quæ non nisi « sanguine Christi redimi potuit. Quam ergo com- « mutationem dabis pro anima tua, qui pro nihilo « das illam ? »

d. — Merito te ipsum lugeas, o Christiane, quod cum tanta fecerit ad pacem tibi, ad justificationem et præservationem a multis peccatis et periculis, ea tamen non consideres, cum multis titulis te ad Dei amorem obligent. Et quidem primum ex iis beneficiis est vocatio ad veram et orthodoxam fidem. Etenim ut optime S. Ambrosius ait : « Nihil nasci « profuit, nisi redimi profuisset. » Ecquid enim nobis prodesset, nos esse quoddam adeo nobile accepisse, ad cœlum possidendum creatos esse, imo et redemptos fuisse, nisi etiam speciali quadam vocatione aggregati essemus in gremium sanctæ Matris Ecclesiæ. Nam ut S. Augustinus bene notavit : « Multæ generationes pertransierunt, quæ « omnes sine cogitatione Dei et pretio suæ redemp- « tionis in interitum sempiternum dilapsæ sunt ; « omnibus illis Redemptor tuus te prætulit ; quare « hoc in te factum sit, nullam præter solam Salva- « toris charitatem invenire poteris causam. Num- « quid tu fortior, sapientior, nobilior, ditior fuisti « qui hanc præ omnibus illis specialem gratiam « sortiri meruisti ? Quot fortes, quot sapientes, quot « nobiles, quot divites ibi fuerunt, et tamen uni- « versi derelicti et abjecti pericerunt. »

Non minus beneficium et manifestum Dei nos impense amantis signum est ipsa justificatio. Quoties enim anima aliqua Deo dicere jure merito deberet : *Vivificasti me et de abyssis terræ iterum eduxisti me; multiplicasti magnificentiam tuam? Psal.* LXX, 20, 21. Et ubi S. Paulus, *Rom.*, V, 10, ait : *Ubi abundat delictum, superabundat et gratia.* Eodem prorsus tempore quo degener et rebellis filius adversus Patrem insurgit et conjurat, ut quantum est ex parte sua, vitam ei eripiat, ipse velut amantissimus Pater, summa cum sollicitudine cordisque anxietate, exclamat : *Servate puerum Absalon.*

Inimici nostri dæmones in nostram perniciem indefesse vigilant, nec unquam dormiunt, qui proinde vocantur *spirituales nequitiæ in cœlestibus* ; et quis alius inde nos salvat et eripit, nisi amantissimus Salvator noster qui in salutem nostram continuo invigilat ? Unde S. Augustinus, *Soliloq.*, XVIII, ita ait : « Præcidens ante me laqueos peccatorum, « tollens occasiones et causas, quia nisi tu hoc mihi « fecisses, omnia peccata mundi fecissem. » Et alibi idem sanctus Doctor pariter ita scribit : « Adulter non fuisti in vita tua præterita plena « ignorantiis ? Hoc tibi dicit Deus tuus : Regebam « te mihi, servabam te mihi, ut adulterum non « committeres ; suasor defuit ? et ut hic deesset ego « feci ; locus et tempus defuit ? et ut hæc deessent « ego feci ; affuit suasor, non defuit locus, non « defuit tempus ? ut non consentires ego te tenui. » Imo et ipse Seneca solo licet naturali lumine præditus ait : « Relinquisse ne in scelus ruere, inter « maxima beneficia recensendum est. »

e. — Hæc Sanctorum est felicitas quod oculos habeant qui cuncta manifestent, nec res superficie tenus tantum contemplentur, sed ut in se sunt, sub labore scilicet quietem, sub cruce gloriam. Ipsi enim in cœlum oculos fidei dirigentes, omnia quibus hic in terris frui possunt, facile contemnunt.

Versus 43.

Quia venient dies in te, et circumdabunt te inimici tui vallo, et circumdabunt te, et coangustabunt te undique.

1. — Jansenius in sermone quodam super hoc Evangelium, ex severitate supplicii illius, quod de

urbe Hierosolymitana Deus sumpsit, nos pœnarum infernalium atrocitatem considerandam his verbis invitat : « Discendum, quam grave et intolerabile « sit futurum gehennæ supplicium, cum temporale « Jerusalem excidium, tantum prævisum a longe, « Christo excusserit lacrymas. » Horror etenim hujus excidii tot lacrymabilibus et funestis eventibus conjunctus, omnino videri posset incredibilis, nisi relatus et conscriptus esset ab historico veridico et teste quodam oculato, qualis Josephus Hebræus fuit, inter cujus plures, quos scripsit libros, ille, qui de excidio Jerosolymitano ab ipso conscriptus fuit, per specialem omnis erroris expertem cœli providentiam, non sine evidenti miraculo, ab innumeris occurrentibus periculis illæsus et intactus, ad hæc usque tempora ingenue conservatus et custoditus fuit, ut eorum, quæ illius excidii tempore ipso præsente et spectante acciderunt, veridicus testis esset; nec sine mysterio Deus ita disposuit, ut testimonium hoc ab Hebræo ederetur, ne, si historicus ille a Christianorum numero fuisset, suspecta redderetur historiæ ab eo conscriptæ veritas, eo quod haud irrationabiliter timeri potuisset, ne supplicia Judæis in vindictam Redemptoris nostri ab ipsis crucifixi irrogata, hyperbolice nimis et exaggerative conscripta fuissent. In decursu igitur quadraginta annorum post Christi crucifixionem a Cæsare Romanorum constituti Judææ Præsides, Pilatus, Festus, Felix, Florus, Albinus et Cestius universum Judaismum certatim angariaverunt et per continuas multiplicatasque indies extorsiones, injustitias, strages et inauditas crudelitates in tantum exagitarunt, ut ex desperatione jugum subjectionis, quo ab imperio Romano coercebantur conati fuerint excutere, non obstante quod illos, utpote toti mundo imperantes, viribus longe superiores esse evidenter agnoscerent. Porro Titus Imperator in persona propria cum exercitu validissimo in Judæam se contulit, omnesque civitates Judæis subjectas primitus sibi subjugavit, in quibus præter illos, qui per gladios et ignes, aliasque hostilitates exercitus occubuerant, multi sibi ipsis, uxoribus quoque et filiis necem violentam intulerunt, alii vero inter montium prærupta, alii in mare sese præcipites egerunt, ne a Romanis in captivitatem abducerentur. Disposuit quoque vindicativa Dei justitia, ut, quemadmodum Judæorum populus Jerosolymis Paschali tempore tumultuose clamaverat : *Tolle, tolle, crucifige*, ita quoque idem populus eodem tempore, in eadem civitate a Romanis cingeretur obsidione, a quibus tres Judæorum milliones acerbissimis fuere occisi suppliciis, siquidem ut annales Ecclesiastici testatum faciunt, tantus fuit Judæorum crucifixorum numerus, ut plantandis seu erigendis crucibus, nec ligna amplius suppeterent, nec locus aut situs. Fames qua cruciabantur, adeo erat ingens et valida, ut stercora equina, calceorum et cingulorum coria et animalium detractas pelles et excrementa, velut delicias manducare cogerentur; imo mater quænam ex violentia famis filium suum proprium ad ignem torrere et manducare coacta fuit. Per ensem et alia mortis inferendæ instrumenta integer hominum millio, seu myrias deleta fuit et centum hominum millia in continuata urbis obsidione; qui ab anno ætatis decimo septimo et ultra vivi remanserunt, positis ad collum catenis, vincti et onusti, tanquam mancipia ad metallifodinas Ægypti abducti fuere; qui vero septemdecim annis minores erant ad numerum nonaginta millium veluti mancipia venditi et in varias mundi partes fuerunt dispersi; multi autem fuerunt reservati, ut in falsorum numinum festivitatibus, feris, leonibus et ursis in theatris objicerentur. Militibus, qui necessitate suadente ad exercitum transiere Romanum, tanquam avaris et ingluviosis, postquam aurum iis devorandum ingessissent, sub spe illud denuo, quando inutile corporis pondus deponebant, recipiendi, in una nocte plusquam his millibus, venter apertus, indeque omnia interiora crudeliter extracta fuere. Hæc civitas quondam a Melchisedech Rege, ante bis mille, sexcentos et septuaginta annos, ante dictam obsidionem ædificata, tribus cincta erat fortissimis mœnium loricis et plurimis hinc inde propugnaculis communita; tertii vero ordinis mœnia civitati propinquiora nongentis tribus fortificata conspiciebantur, præter quas tres aliæ turres erant, quæ sua altitudine, invicta fortitudine et structura sine stupore videri a nemine poterant, adeo ut Imperator, qui civitatem hanc ejusque munitiones ante desolationem viderat, Deum contra Jerosolymam pugnasse dixerit, siquidem alias impossibile fuisset, ut per ullam militarium machinarum vim expugnari potuisset. Ruptis denique et in terram prostratis prædictis mœnibus, præfatus Imperator terræ adæquari jussit omnis ædificiorum moles, adeo ut vix lapis alteri lapidi cohæserit, ut adimpleretur prophetia Salvatoris dicentis : *Non relinquent in te lapidem super lapidem.* Templum tandem postquam igne conflagrasset, sicut et omnes domus civitatis diruta et desolatæ fuerunt, ac solo adæquatæ, adeo ut, quemadmodum supradictus historicus Josephus Hebræus refert, si, qui urbis locum, in quo steterat, transeundo respiciebant, jurassent, nulla unquam eo in loco hominum stetisse habitationem.

Quia venient dies in te.

2. — Didacus Stella inquit : « Adverte, quod, « quando loquebatur Christus de pace peccatorum « et de tempore vitæ præsentis, in numero singu- « lari dixit : *In hac die*, sed quando locutus est de « pœna et calamitate ventura, dixit, *dies* in numero « plurali ; hinc intelliges, quam brevis sit felicitas « mundana, quam vero longus cruciatus, utpote « sempiternus. »

3. — Albertus Magnus tandem aliquando diem illum venturum esse dicit, in quo impius oculos suos aperiet, ad cognoscendam ingentem, cui infixus hæret, miseriam : « *Venient dies*, in quibus « claro lumine aperientur tunc oculi tui per pœ- « nam, quos modo claudit culpa; » id namque impiis illis evenit, qui in libro Sapientiæ, v, 6, dixisse leguntur : *Ergo erravimus a via veritatis, et justitiæ lumen non luxit nobis; lassati sumus in via iniquitatis et perditionis, viam autem Domini ignoravimus*; hæc tamen agnitio, utpote sera nimis, inutilis fuit, quia tempus faciendi pœnitentiam fructuosam jam dudum evanuerat.

Et circumdabunt te inimici tui vallo, et circumdabunt te, et coangustabunt te undique.

4. — Venerabilis Beda per hosce inimicos, spiritus intelligit infernales, qui bellum gerunt adversus mysticam animæ nostræ Jerosolymam : « Qui un- « quam sunt humanæ animæ majores inimici, « quam maligni spiritus? Qui hanc a corpore « exeuntem obsident, quam in carnis amore posi- « tam deceptoris delectationibus fovent, quam vallo « circumdant, quia ante mentis ejus oculos, reduc- « tis iniquitatibus, quas perpetravit, hanc ad socie- « tatem suæ damnationis trahentes coarctant; » in quonam vero spiritualis hæc obsidio consistat, qua anima, ut in inimici redigatur potestatem, circumdata esse conspicitur, sequentibus verbis declarat, dicens : « Maligni spiritus animam coangustant « undique, quando eis non solum operis, verum « etiam locutionis, atque insuper cogitationis ini- « quitates replicant, ut, quæ prius se per multa « dilatavit in scelere, ad extremum de omnibus « angustietur in retributione. »

5. — Dicere quoque possumus, in hisce verbis insinuari angustias, quibus impii in judicio finali futuri erunt obnoxii, quando nimirum justitia vindicativa Altissimi omnes creaturas contra rebelles suos armabit, *Sap.*, v, 18 : *Armabit creaturam ad ultionem inimicorum*; tunc reprobus nullum poterit reperire divorticulum ad iram Dei effugiendam, *Psal.* CXXXVIII, 9 : *Quo ibo a spiritu tuo et quo a facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es; si descendero in infernum, ades; si sumpsero pennas meas diluculo et habitavero in extremis maris, etenim illuc manus tua deducet me et tenebit me dextera tua.* Quod si convertat ad cœlum, illud inimicis contra se armatum esse deprehendet; si ad terram respiciat, hæc ignem copiosum emovet; si se in speluncis abscondere nitatur, præcipitabitur in occultas voragines; si anxie amicos inquirat, qui illum adjuvent, dæmonibus occurrit. Hugo Cardinalis S. Gregorium adducit, dicentem : « Quomodo « angustæ viæ erunt utique reprobis? Superius erit « judex iratus; subtus horrendum chaos; a dextris « peccata accusantia; a sinistris infinita dæmonia « ad inferna trahentia; intus conscientia urens, « foris mundus ardens. Miser peccator sic depre- « hensus quo effugiet? latere enim impossibile; « apparere intolerabile; si quæris, quis te accuset, « dico totus mundus, quia offenso Creatore, et omnis « creatura habet perditum odio. »

Additiones.

a. — *Quia venient dies in te, et circumdabunt te inimici tui vallo*, etc. Multis hodiernum Evangelium, nonnisi quoddam terriculamentum vanum videtur; putant enim Christi prædicationem et comminationem jam in Judæis completam, ad alios non pertinere. Unde dicere videntur : Non venient hi dies in nos. Sed me, ut verum fateor, si quod terret Evangelium, terret hodiernum. Video enim manifeste quæ in hoc Evangelio prædicuntur Judæis impœnitentibus, prædici etiam peccatoribus in peccato morientibus; adeoque hoc Evangelium esse duplicem prophetiam, unam quæ Judæos, alteram quæ peccatores omnes tangat. Ut enim perditio Jerosolymæ et destructio typus est perditionis peccatorum, ita æstimandum est ea, quæ ad litteram evenerunt Jerosolymæ, spiritualiter eventura homini in peccato existenti, quia quoad omnia sicuti mortuus quoad naturalia, sic ille quoad spiritualia destructus esse censendus est. Vera enim mors, quæ ita nominari meretur, est animæ a Deo qui vera vita est separatio, qualem solum causat peccatum. Mirabitur fortasse nonnemo, qua ratione Ezechiel, XVIII, 4, animam morti subjectam esse asserere potuerit, cum anima humana a Deo creata fuerit immortalis. At vero mirari desinet si consideraret Prophetam, dum id affirmat, animam cum culpa conjungere; dicit enim : *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur.* Peccatum enim est quod mortis nomen vere meretur quia animam vera vita privat. Regius Psaltes, *Psal.* XLIII, 20, ait : *Cooperuit nos umbra mortis.* At vero quænam est hæc umbra mortis de qua loquitur? S. Gregorius idipsum exponit, dum super illa verba S. Jobi : *Obscurent eam tenebræ et umbra mortis*, ita scribit : « Umbra « mortis mors carnis accipitur, quia sicut vera « mors est, qua caro separatur ab anima. Unde « recte voce Martyrum per Prophetam dicitur : « *Humiliasti nos in loco afflictionis, et cooperuit nos « umbra mortis*; quos enim constat non spiritu sed « sola carne mori, nequaquam se vera morte, sed « umbra mortis dicunt operiri. » S. Augustinus a S. Bonaventura citatus, optime exponit quanam in re mors animæ consistat, dum ait : « Mors animæ « fit, cum eam deserit Deus, sicut corporis cum « deserit anima. » Unde S. Joannes ait : *Qui non diligit manet in morte.*

b. — Excidium civitatis antecedenter quadraginta annis minatur Christus, ut ipsi pœnitentiam agant, resipiscant et non pereant; uti imminente

diluvio fecit quoque Deus, *Gen.*, VII, Noe locutus : *Post dies septem ego pluam super terram quadraginta diebus, et quadraginta noctibus, et delebo omnem substantiam, quam feci.* Poterat quidem Deus unico momento universum orbem submergere, noluit tamen; sed concedit quadraginta dierum spatium, ut homines perterrefacti resipiscentes pœnas debitas evadant; ita hic longo tempore ponam quam imminentem ignorat civitas, prædicit pro qua debeat flere et pœnitentiam agere; quam dum dura cervice contemnit, repentinus supervenit interitus : *Eo quo non cognoverit tempus visitationis suæ.* Super quo excidio sic commentatur Cæsarius, *Hom.* XIII : « Quam multi se credebant longo tem- « pore victuros, et ita illos mors repentina sub- « traxit, ut nec ad illam momentaneam pœniten- « tiam pervenire possint. » Similibus enim mors die et hora qua minime expectatur supervenit, et ita manifesto perditionis suæ periculo se exponunt. Quid vero stultius agere potuit populus hic et hujus urbis incolæ, quam ita dudum præmoniti, nihilominus curam salutis suæ in finem differre? « Stul- « tissimum est, » ait S. Augustinus, « ut causa, qua « de necessitatibus agitur æternis, inutilibus vitæ « deficientis committatur extremis. » Et ideo juste talis contumacibus evenit perditio, ut ne lapis super lapidem in electa illa civitate relictus fuit, quia sic impœnitentes manserunt; quos merito Deus abominatur.

c. — Venerabilis Beda, per hosce inimicos, qui circumdabunt Jerusalem vallo, spiritus intelligit infernales, qui bellum gerunt adversus mysticam animæ nostræ Jerosolymam : « Qui unquam sunt « humanæ animæ majores inimici, quam maligni « spiritus? Qui hanc a corpore exeuntem obsident, « quam in carnis amore positam deceptoriis delec- « tationibus fovent, quam vallo circumdant, quia « ante mentis ejus oculos reductis iniquitatibus « quas perpetravit, hanc ad societatem suæ dam- « nationis trahentes coarctant. » In quonam vero spiritualis hæc obsidio consistat, qua anima, ut in inimici redigatur potestatem, circumdata esse conspicitur, sequentibus verbis declarat, dicens : « Maligni spiritus animam coangustant undique, « quando ei non solum operis, verum etiam locu- « tionis et insuper cogitationis iniquitates repli- « cant, ut qua prius se per multa dilatavit in « scelere, ad extremum de omnibus angustetur « in retributione. »

Versus 44.

Et ad terram prosternent te, et filios tuos, qui in te sunt; et non relinquent in te lapidem super lapidem, eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ.

Et ad terram prosternent te.

1. — S. Bonaventura hæc verba in sensu mystico de peccatore exponit : « Hoc, » inquit, « spiri- « tualiter contingit, contra quemlibet peccatorem, « manentem in prosperitate temporaliter, qui primo « circumdatur in infirmitate, coangustatur in infir- « mitatis aggravatione, ad terram prosternitur in « morte et prorsus evertitur in incineratione. » Idem quoque Seraphicus Doctor, *Serm.* III *in hac Dom.*, ita scribit : « Coangustabitur anima corporis « infirmitate, Judicis severitate, dæmonis crudeli- « tate, prosternetur corporaliter in sepulchro, spi- « ritualiter in inferno. »

2. — Venerabilis Beda ait : « Tunc anima per « cognitionem reatus sui ad terram prosternitur, « cum caro, quam vitam suam credidit, redire ad « pulverem urgetur. Tunc in morte filii illius « cadant, cum cogitationes illicitæ, quæ modo ex « illa prodeunt, in extrema vitæ ultione dissipan- « tur, sicut scriptum est : *In illa die peribunt omnes « cogitationes eorum.* »

Et non relinquent in te lapidem super lapidem.

3. — Id est, inquit Lucas Brugensis, « lapidem « lapidi cohærentem funditus destruent. » Et merito in lapidibus quoque puniuntur, cum enim antea lapides e terra sustulissent manibus, ut illos in Christum jacerent; ecce nunc proportionatum crimini supplicium illis immissum : *Non relinquent in te lapidem super lapidem.*

4. — Glossa ait : « Cum Jerusalem modo sit « constructa extra portam, ubi Dominus crucifixus « erat, apparet illam ex toto destructam fuisse. » Dionysius Carthusianus inquit : « Hoc est, funditus « te subvertent, » illudque per exaggerationem dictum esse existimat, subjungit nihilominus, quod, post hanc desolationem, cum nonnulli Hebræi, qui ad se salvandos in speluncas se receperant, redeuntes, domus nonnullas et ædificia denuo erigere cœpissent, Romani Ælium Adrianum, qui postea Imperator factus est Romanorum, istuc miserint, « a quo civitas Jerusalem fuit tunc omnino sub- « versa, ita ut non remaneret lapis super lapi- « dem. »

5. — Origenes, qui per inimicos, Jerosolymam obsidentes et destruentes, spiritus intelligit infernales, animam nostram, quamdiu in peccato mortali vivit, arcta obsidione circumvallant, subjungit : « Circumdant eam inimici, id est, spiritus nequam « et immittunt in circuitum ejus vallum, ut obsi- « deant eam et lapidem super lapidem non relin- « quant, maxime si post multam continentiam, is « post aliquot annos castitatis, victus quis fuerit et « blandimentis carnis illectus, patientiam pudici- « tiamque amiserit, si fuerit fornicatus, lapidem « super lapidem non relinquent in eo, secundum « illud : *Non recordabor primarum justitiarum ejus.* »

6. — Lyranus in sensu morali ita scribit : « Se- « cundum sensum moralem ista civitas est anima « peccatrix, quæ vallatur in morte et angustiatur a « spiritibus malignis et ejus filii prosternuntur, id « est, cogitationes ejus quibus promittebat sibi « longam vitam, honores, divitias et hujusmodi, « frustratur. » Quæ doctrina optime concordat cum verbis illis Glossæ : « Perversus cum perversio- « nem adjicit, quasi lapidem super lapidem struit, « sed cum anima ad ultionem rapitur, talis cogita- « tionum constructio dissipatur et hoc ideo, quia « non cogitat tempus visitationis suæ. »

Eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ.

7. — « Id est, » ut Dionysius Carthusianus inquit, « Christi adventum, accessum et conversatio- « nem ejus in te. » Pro cujus expositionis confirmatione textum illum Cantici Zachariæ, *Luc.*, I, 68, adducit : *Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit et fecit redemptionem plebis suæ.* Atque hinc est, inquit idem Carthusianus, quod Deus per Isaiam, I, 3, lamentetur : *Cognovit bos possessorem suum et asinus præsepe domini sui, Israel autem me non cognovit, populus meus non intellexit.*

8. — Cajetanus ait : « His verbis causa pœnæ « significatur culpa excitatis, qua non cognovit « tempus, hoc est, quo Jesus illam visitavit perso- « naliter cum tot evidentibus et claris testimoniis, « quod ipse esset Messias. » Lucas Brugensis dicit : « *Visitationis tuæ*, quo in visceribus misericordiæ « Dei ex alto te visitavit oriens. » Titus Bostrensis similiter per hanc visitationem Christi incarnationem intelligit : « Tempus visitationis, » inquit, « illud vocat, quo ipse e cœlo delapsus eum visita- « vit, multaque inter visitandum divina documenta « tradidit, ac plurima tandem stupenda miracula « in eo patravit. »

9. — Deus noster apud Isaiam Prophetam, *Isa.*, XLIX, 15, huic tantopere a se dilectæ civitati protestatur, dicens : *Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui; ecce in manibus meis descripsi te, muri tui coram oculis meis semper.* Profecto amarus ille planctus et lacrymæ, quas desolationem civitatis illius prævidens, effudit, clarum satis et evidens indicium erant, quod invitus admodum ejus ruinam videbat; præterea divinæ justitiæ flagellum, non tantum una septimana, nec uno mense aut uno duntaxat anno, sed quadraginta annis suspendit, imo mediante S. Jacobo Minore Apostolo, civitatis illius Episcopo, qui quod ei simillimus esset, frater illius cognominatus fuit, quotidie hunc populum per plurium annorum decursum ad veræ fidei agnitionem et vitæ resipiscentiam inducere conatus fuit; in aere item visa sunt portenta, per aereas illas regiones discurrentia, nimirum juxta muros visæ sunt applicari machinæ currules militares, integrique conspecti sunt in aere discurrentes armatorum diversorum exercitus; prius quoque igneus belli furor in Galilæa, cunctisque aliis circumvicinis provinciis, cum totali earum exterminio accensus fuit; ac tandem immensa Dei misericordia ordinatum fuit, quod Romani illis pacta obtulerint mutuæ pacis et concordiæ, at vero ut Deus per eumdem Prophetam, XLIX, 4, juste lamentatur, dicens : *In vanum laboravi, sine causa et vane fortitudinem meam consumpsi*, qui intellectus sui oculos aperire semper detrectarunt, nec eum Filium Dei et Messiam ipsorum cognoscere aut profiteri voluerunt, ac proinde hac notitia et agnitione destituti et privati, in prædam facti sunt mortis corporalis, ac demum etiam æternæ; equidem Catholica veritas est, quod S. Joannes, XVII, 3, claris verbis asserit, dicens : *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum et quem misisti Jesum Christum.* Et quidem quanto ejus pietas illos exspectando longanimior fuit, tanto deinceps justitia ejus in illis castigandis fuit rigidior.

10. — Porro visitatio hæc nihil aliud fuit, quam populi illius per fidem et agnitionis Divinitatis ejus facta illuminatio : *Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit et fecit redemptionem plebis suæ; visitavit nos oriens ex alto; illuminare iis qui in tenebris et in umbra mortis sedent;* sed quia obstinati et contumaces oculos suos huic lumini clauserunt, ideo ex hujusce agnitionis defectu, in profundissimum præcipitati fuerunt barathrum impietatis, cui simile in terra nunquam visum fuit, nimirum in veri Dei infamem crucifixionem; siquidem ut S. Paulus, I *Cor.*, II, 8, testatur : *Si cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent;* et hæc præcipua causa est, ob quam innumerabiles animæ perduntur, quia scilicet lumini, quod Deus illis inspiravit, minime operibus et conversatione correspondent. Unde bene Carthusianus monet, dicens : « Videamus, ne et nos « tempus visitationis nostræ parvipendamus, obli- « viscamur et ingrati reddamur. Huic visitationi « invenitur ingratus; qui secundum exigentiam « suæ vocationis, non est sollicitus digne Dei con- « versari, » cui addere possumus, « qui non est « sollicitus Deo obedire, » neque enim dum a Deo vocamur, vocationem illam surdis auribus excipere, nec obedientiam luminibus et auxiliis, quæ Deus pro salute nostra nobis offert, debitam suspendere et differre debemus, qui si hoc lumen perdiderimus, in tenebras utique corruemus sempiternas. S. Gregorius, *Hom.* XXXIX *in Ev.*, ait : « Parvam

« quamque animam omnipotens Deus multis modis « visitare consuevit, nam assidue hanc visitat præ« cepto, aliquando autem flagello, aliquando vero « miraculo, ut ea vera quæ nesciebat, audiat et « tamen adhuc superbiens, atque contemnens aut « dolore compuncta redeat, aut beneficiis devicta, « malum quod fecit, erubescat; sed quia visitationis « suæ tempus minime recognoscit, illis in extremo « vitæ inimicis traditur, cum quibus in æterno « judicio, damnationis perpetuæ societate colliga« tur. »

11. — Hugo Cardinalis ad animam, peccatis immersam et contumacem, decursum suum convertit, quæ prius modis a S. Gregorio insinuatis a Deo visitata est : « Visitat enim mittendo Prædicato« res; » per hos enim illis manifeste ostendit miserabilem statum, in quo vivit; item obligationes, quibus ad restituendam famam aut facultates, ad remittendum has vel illas injurias, ad reconciliandum se cum proximo, ad rescindendum usurarios contractus, sive ad faciendam et erogandam pauperibus eleemosynam Deo obstringitur, et væ illi, si huic ei a Prædicatore communicato lumini non correspondeat, ut decet : « Aliquando visitat flagello, « quia grandinat vineas et necat armenta, ut et ipsi « resipiscant, » fames enim, annonæ caritas, aut aeris noxia intemperies, visitationes Dei sunt, volentis, ut post tot perpessa adversa, tandem aliquando emenderemur, disceremusque deinceps bene nostros collocare redditus et messes, non vero easdem in vitiorum nostrorum fomentum adhibere. « Visi« tat flagello, » id est, vel per damnosum valde naufragium, vel per debitores alicujus foricessionem, persecutionem, infirmitatem mortalem, vel per alios modos, quibus nos percutit, ut resipiscamus. « Visitat miraculo, » dum illis quoque utitur ad magis excitandam in nobis fidem nostram, nosque exstimulandos ad majorem devotionem, compunctionem et gratitudinem.

Additio.

a. — *Eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ.* Licet Judæi intelligerent Christum apud eos venisse et præsentem esse, tamen tantæ cæcitatis erant, ut ad eum sibi præsentem non se reflecterent, sed in peccandi malitia persisterent, quod extremum malorum est et unica causa, ob quam scilicet Christianus, licet ex fide sciat, et infinitam illam Dei majestatem sibi esse præsentem, eamdem nihilominus, in oculis ejus, tam pervicaciter aspernetur et offendat, quia ad eamdem præsentiam Dei recogitandam non se reflectit et applicat; quod extremæ dementiæ est execrandum. Propheta Regius, postquam a peccato suo resipuit, mox in fervida illa pœnitentia infinitam sceleris sui gravitatem agnovit, idque ex eo vel maxime motivo, quod peccatum suum ante oculos Dei commiserit; unde ait : *Malum coram te feci*, quasi diceret : In conspectu divinæ Majestatis tuæ, in tua tremenda præsentia, te offendere non erubui. Chrysostomus differentiam quamdam insinuat inter Christianos divinam legem transgredientes et paganos, qui veri Dei notitiam non habent; dicit enim : « Qui habet « notitiam Dei et recedit ab eo, peccat in oculis « Domini; qui vero increduli permanserint, quasi « illo non vidente et negligente delinquunt. Unde « David vir sanctus, quia corruerat in peccatum « uxoris Uriæ Bethsabee, agens postea pœniten« tiam, dicit : *Tibi soli peccavi, et malum coram te « feci*, id est, in conspectu tuo. » Sicut autem nullus in conspectu sui principis, nisi forsitan omne penitus amisisset judicium, eum contumeliari auderet, licet hoc procul ab illo constitutus facillime faciat; ita quoque, nisi homo a propriæ passionis vehementia sit fascinatus, caliginosamque in intellectu suo contraxerit cæcitatem, Deum nunquam offendere audebit, si illum consideravit sibi vere esse præsentem. Unde Chrysologus ait : « Des« peratus incurrit, qui in ipsis dominantis oculis « offendit; excusationi caret, qui facinus ipso Judice « teste committit, aut quam defensionem sperat, « quem testimonium cognitoris accusat? Sic diabo« lus, cum esset Angelus, et in cœlo, et coram Deo « semper clarissimus versaretur, et fulgens, dum « Dei tentat aures, dum in Dei superbit aspectu, « lapsus ad terram, ad tartara dejectus, in diabo« lum mutatur ex Angelo. »

Versus 45.

Et ingressus in templum, cœpit ejicere vendentes in illo et ementes, dicens illis.

Et ingressus in templum.

1. — Non sine mysterio, mox ut Jerosolymam ingressus erat, abiit in templum, sed id fecit, ut Dionysius Carthusianus ait : « Primo, quia ut ipse« met dixit, in his quæ Patris sui erant, oportebat « eum esse. Secundo, propter nostram ædificatio« nem, ut scilicet civitatem quamcumque ingre« diendo, primo intremus Ecclesiam, adoremusque « Dominum. Tertio, ut abusiones, quæ erant in « templo, corrigeret et zelum Dei atque justitiæ « nos habere doceret contra peccata. »

Cœpit ejicere vendentes in illo et ementes.

2. — « Attendendum, » inquit S. Bonaventura, « quod Dominus statim post annuntiationem excidii « Jerusalem, intravit ad templum purgandum, ut « ostendat, quod maxima causa destructionis ejus « fuit peccatum Sacerdotum. » Hanc eamdem ponderationem diu ante S. Bonaventuram, his verbis in Venerabili Beda expressam legimus : « Qui enarravit « mala ventura, et protinus templum ingressus est, « ut de illo vendentes et ementes ejiceret, profecto

« innotuit, quia ruina populi maxime ex culpa « Sacerdotum fuit. »

3. — Glossa aliud tangit motivum : « Dum « ementes et vendentes percutit, » inquit, « ostendit, « unde radix perditionis processit; » quasi dicere vellet, eo ipso, quo in loci illius sacri profanatores, flagellis et verberibus animadvertit, manifeste satis indicavit, quod flagella iræ Dei super civitates et populos, per totalem illorum desolationem et exterminium ex bellis, vel aliis infortuniis exortum, exonerentur et immittantur, ob irreverentiam et profanationem Ecclesiarum. Enimvero paulo ante imminens Jerosolymæ excidium amaris lacrymis defleverat, unde satis colligi poterat, quod illud ab ea, quantum erat ex parte sua, amotum esse cuperet; ac proinde Jerosolymam ingressus, subito ad radicem mali se recipiens, profanatores e templo expellere, eosque severe percutere cœpit, ut deinceps emendarentur, divinamque justitiam amplius non irritarent : experientia etenim teste, ex eventibus, qui hactenus acciderunt, clare satis liquet, quod bella, desolationes et flagella iræ Dei severiora et atrociora semper adversus illos extiterint, qui cultum divinum profane et irreverenter tractarunt. Salvator noster apud S. Matthæum, XXIV, 15, ait : *Cum videritis abominationem desolationis, quæ dicta est a Daniele Propheta, stantem in loco sancto; qui legit intelligat; tunc qui in Judæa sunt, fugiant ad montes.* Nimirum ambabus vicibus, quibus hoc exterminium prædixit, specialem hujus peccati mentionem facit, utpote quod præ cunctis aliis peccatis ruinas publicas et irreparabiles civitatibus accersit et superinducit.

4. — S. Bonaventura, *in Luc.*, ait : « Licet esset « mansuetus in tolerando injuriam propriam secun« dum illud, *Jer.*, XI, 19 : *Et ego quasi agnus man« suetus, qui portatur ad victimam*, tamen in ulcis« cendo injuriam divinam fuit severus judex. »

5. — Porro quinam hi in templo vendentes, in sensu mystico fuerint, venerabilis Beda his verbis declarat : « Vendentes in templo sunt, qui hoc, « quod quibusdam jure competit, ad præmium « largiuntur. »

6. — S. Bonaventura ait : « In hoc autem quod « Dominus ejecit ementes et vendentes, ostendit se « maxime damnare in clericis avaritiam, et potis« simum simoniam. »

Additiones

(*Vide*, t. I, p. 658, *Evangelium Feriæ* II *post Dom.* IV *Quadragesimæ*.)

a. — *Et ingressus in templum cœpit ejicere vendentes in illo et ementes.* Intravit Jesus templum et invenit profanatum, invenit basilicam mercatorum, mensam nummulatoriorum, bovum, taurorumque stabulum, agnorum arietumque ovile; inde æterni Patris ejusdemque honoris defendendi zelo accensus, facto flagello, ut D. Chrysostomus innuit, quot vendentes et ementes invenit, ejecit. Itane in templo ad manum prompta flagella adsunt, ut illis, ii nundinatores qui ad cultum Dei promovendum negotiantur, turpissime cæsi, inde exturbentur? Merito miramur unde illa ad manum flagella fuerint. Locum ex quo ea accepit Christus, ostendit Salomon, *Prov.*, V, 22 : *Iniquitates suæ capiunt impium, et funibus peccatorum suorum constringitur.* Super quæ sic ait Ven. Beda : « Impii funibus « peccatorum suorum constringuntur, cum inces« sabili augmento suæ pravitatis intereunt. Qui « enim funem facit, torquendo semper, et invol« vendo filis fila adjunget; talis est fortitudo ma« lorum operum. » Quod alio loco clarius sic exponit : « Funiculi quibus impios flagellando de « templo expulit, incrementa sunt actionum mala« rum, de quibus materia damnandi reprobos judici « datur. » Ecce ut Christus flagella, in ipsorum iniquis manibus invenit. Certum est Apostolos non ministrasse Christo funiculos ad flagellum hoc contexendum; alias enim S. Joannes qui hoc factum refert, eidemque tanquam spectator adstitit, idipsum scripsisset. Multo minus funiculos hosce in loco aliquo vicino pretio comparari fecit, quia sacer textus clare dicit, ipsummet contexuisse flagellum, et hoc fecisse flagellum de funiculis : *Et cum fecisset quasi flagellum de funiculis.* Intelligendum est ergo funiculos inventos ibi fuisse, ubi erant boves, et ex his Christum coegisse flagellum. *Omnia in figura contingebant.* Increata namque Sapientia, per hanc actionem insinuare nobis voluit, quod Deus castigare nos volens, in nobismetipsis inveniat flagella, quibus tandem nos castigat. Hujusmodi enim flagella sunt peccata nostra, effrenes appetitus nostri, indomitæque nostræ passiones. Unde S. Thomas de Aquino ait : « Fecit flagellum de « funiculis, quia de peccatis nostris sumit mate« riam unde nos puniat. »

b. — Inter omnes delinquentes, idololatras, hæreticos, publicanos, peccatores, quos in mundo veniens Christus invenit, hos solum flagello persequitur qui oves et animalia ad sacrificium vendebant. Quod flagellum ex iisdem funibus, quibus pecora adduxerant, fabricatum, non pauci auctores volunt. Itane propriis funibus exturbantur impii? Quibus grave olim væ prædixit Evangelicus Isaias, V, 18 : *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis.* Annon ea quæ vendebant in templo, volebat offerri Deus? Cur itaque funiculis turpissime e templo eliminantur? Pulchre Hieronymus in loco citato Isaiæ dicit : « Quod vincula dicuntur esse peccata crebrius legi« mus, e quibus illud est : *Funibus peccatorum « suorum unusquisque constringitur.* Et Dominus « arguens populum delinquentem, qui peccata « peccatis cumulabat, fecit flagellum de funiculis, « ostendens eis quomodo domum Dei fecissent « speluncam latronum. » Et merito per quæ enim

quis peccat, per hæc et punitur. Homo per delicta sua Deum offendit, et per ipsa delicta quæ in funiculis obumbrantur verberatur et flagellatur. Regius Psaltes in Psalmo XXXVI, quod vindicativis frequenter contingere solet, scilicet, quod machinæ, quas ipsi in aliorum damnum fabricare student, tandem in ipsosmet recidant et exonerentur, his verbis confirmat : *Gladium evaginaverunt peccatores, intenderunt arcum suum, ut deficiant pauperem et inopem, ut trucident rectos corde.* At vero quid tandem in configuum eorum supplicium eisdem evenit? *Gladius eorum intret in corda ipsorum et arcus eorum confringetur.* Quæ verba exponens, S. Ambrosius inquit : « Ut quemadmodum revertitur pax in Dei « servulos ab eis, qui non receperint benedicentium « pacem, ita etiam malitia peccatorum qua justo « nocere conantur, in eorum perniciem revertatur, « quo suis telis et vulneribus trucidentur. Sæpe « enim jacula in ipsos qui ea jecerint refun- « duntur. »

Didacus Stella super caput nonum Lucæ ita scribit : « Sunt quædam peccata, quæ crucem suam « secum bajulant; non inquam Christi, nec boni « latronis, sed durissimum mundi supplicium; ea « sunt ambitio, odium et invidia, quæ maxime vitia « torquent cor, somnum et quietem auferunt, ac « totum hominem inanibus curis et sollicitudine « obruunt. Si invidus es, omnia proximi bona « erant tibi tormenta, si odium geris, quicquid « boni accidit illi quem odisti, immanium cruciatuum causa existit; si ambitiosus, quoties alios « erectos cernis, nimio dolore compressus, cogita- « bundus semper incedis, tecum revolvens cujus- « modi dignitate a Rege, vel Papa, vel alio principe « decorari possis. »

c. — Venerabilis Beda, ex hoc magnum elicit documentum, dicens : « Si Dominus nec ea volebat « venundari in templo, quæ in templo volebat « offerri, quanta putas animadversione puniret, si « invenisset ibi aliquos risui, vel vaniloquio vacantes? Si enim ea quæ alibi libere geri poterant, « Dominus in domo sua geri non patitur, quanto « magis quæ nusquam fieri licent? » Ideo nunc non contentus, ait S. Chrysostomus, *Hom.* XXII *in Joan.*, flagello, verbis etiam in eos invehitur, neque tantum illos ejecit, sed etiam evertit mensas, dispersit argentum. Ut te erudiat, o Christiane, in sacris templis cultum Deo exhibendum esse in silentio, exemplo sanctissimæ Virginis Mariæ, quæ mysticum Dei templum silentii post se reliquit exemplum.

S. Bonaventura ad imitationem hujus exempli, sic exhortatur sacras Virgines sorores suas : « O « Jesu Christi Sponsæ, intuemini virtutum speculum Mariam, et discite ab ea silentii disciplinam. « Quantæ maturitatis fuerit beatissima Virgo, satis « patet; si enim percurratis Evangelium, per pauca « et cum paucis eam locutam invenimus. Cum « quatuor tantum personis legimus eam habuisse « sermonem, et nonnisi septem verba eam locutam « fuisse. Cum Angelo duo; cum Filio suo duo; cum « Elizabeth duo. Cum ministris in nuptiis unum. « In hoc confunditur nostra loquacitas, qua proni « sumus ad multiplicationem verborum, cum tamen « magna sit utilitas silentii. » Sanctissimam Virginem invocamus hoc titulo : « Sedes sapientiæ; » et certum est quod Filius eam in terra reliquerit aliquo temporis spatio post Ascensionem suam, hunc in finem, ut instrueret Apostolos, doceretque Ecclesiam tunc primo nascentem. Nihilominus Spiritus Sanctus qui Evangelistarum direxit pennam, disposuit, ut ex sacris Evangeliis nobis innotesceret, septem solum vicibus Mariam locutam esse. Septem quoque verba et non plura e cathedra crucis protulit Filius ejus. Ast quale illius septenarii numeri mysterium? Considera, ait quidam speculativus, Mariam fuisse Sponsam Spiritus Sancti, qui ipsam divino suo fecundavit conceptu : *Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Quia igitur ipsam septem suis ditavit donis, in hujus mysterii significationem, toties et non pluries ipsa locuta fuit; et cum hoc simul nobis indicavit, quod quoties rupit silentium, semper id factum sit per motionem et impulsum particularem ejusdem Sanctissimi Spiritus, cujus illa erat sanctuarium : « Templum Domini, sacrarium Spiritus « Sancti. »

d. — Appropinquante Paschate, divino consilio Christus seipsum mundo manifestaturus, regnum Ecclesiæ suæ, et legem Evangelicam fundaturus, per hoc opus, flagello ementes ejiciendo, principium ei dedit. Quamvis enim intenderit legem fundare amoris, nihilominus ut illa firma consistat, sanaque conservetur, illam in timore fundare necessarium putabat. « Audax enim, » ait S. Augustinus, « est homo et temerarius, cui si digitum « porrexeris, totam arripit manum. Idcirco necesse « est, timore ejus refrenetur audacia. » Hinc Spiritus Sanctus, *Eccli.*, XXVII : *Si non in timore Domini tenueris te instanter, cito subvertetur domus tua.* Domus firmitas principaliter pendet ex fundamento; qua de causa, sapiens architectus erecturus altum ædificium, hoc primum satagit ut pro fundamento petram collocet solidissimam, qua servetur immobile. Christus Deus opificum omnium sapientissimus prainde suis statuit ædificiis, suo inquam Evangelio, ut firma consistant, fundamentum quo nullus securius. Timor autem est omnis boni principium; hinc a flagello incipit. Ad bonam enim directionem et observantiam divinarum legum ante omnia necessarium est prædicare Dei timorem. Regius Propheta sapientissimus erat, utpote qui in vanum non gloriabatur dicens : *Incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.*

Super senes intellexi. Quodam die suos sollicite ad auscultandum sermonem prædicationis suæ invitabat : *Venite filii, audite me.* Et quid eis prædicaturus est? Timorem Domini : *Timorem Domini docebo vos. Psal.* XXXIII, 12. Ad insinuandum cunctis fidelibus in sæculis subsequentibus, quantæ utilitatis sit docere animas timorem Dei. « Quid tan- « dem, » inquit S. Basilius Magnus, « pater hic « filios spirituales docturus est? *Timorem*, inquit, « *docebo vos.* » Salomon filius ejus, cui Dominus talem infudit sapientiam, qualem non habuit, nec habiturus est homo in præsenti vita, cunctos sermones, cunctosque libros, quotquot scribendi erant, hoc exiguo restrinxit compendio, *Eccle.*, XII, 13 : *Deum time, et mandata ejus observa : hoc est enim omnis homo.* Pientissimus Salvator noster misit Baptistam, ut corda hominum in peccatis inveterata sua prædicatione præpararet et ad Deum converteret : *Parate vias Domini, rectas facite semitas ejus. Luc.*, III, 9. Ad assequendum hunc finem : *Erunt prava in directa et aspera in vias planas.* Ast qualem servavit modum? Incepit a timore Dei. *Factum est verbum Domini super Joannem : Jam securis ad radicem arborum posita est.* Multi qui annuntiant verbum Dei, in hoc errant, quod ut plurimum de sublimibus altisque mysteriis discurrant, contra illud Apostoli consilium : *Non alta sapientes, sed humilibus consentientes*, suamque ostentant scientiam et ingenium, animarum profectum minime respicientes; nam ait Propheta : *Audite me, timorem Domini docebo vos.* Ad hanc invitationem reflectebat se B. Laurentius Justinianus, quando dicebat : « *Venite, et audite me, quia timorem Domini docebo* « *vos*; non cursus siderum, non rerum naturas, « neque cœlorum secreta, sed Domini timorem « docebo vos. Horum scientia sine timore inflat; « timor autem Domini absque scientia illorum « salvat. »

e. — Valde mirum est quod Christus Dominus in templum veniens, hos vendentes verbis non monuit sicut reliquos peccatores solitus fuit, ut ab illicita actione, atque divinarum rerum contemptu abstinerent, sed mox eos vehementer flagello persequitur; nullum enim tempus eis concessit sua convasandi; verum mensas evertit, argentum dispergit; nullatenus veritus, nec populi tumultum, nec principum Sacerdotum furorem, exemplo suo docens Prædicatores libenter omnem subire laborem et periculum, depositaque adulatione, a vitiis reprehendendis nequaquam desistere. Porro quam patiens et perseverans Prædicator esse debeat, D. Chrysostomus sequenti similitudine demonstrat inquiens, *Hom.* VI *in* II *ad Tim.* : « Si piscatores cum « sæpe die tota frustra jactaverint retia, non tamen « desistunt, neque desperant, multo magis nos id « facere convenit. Et vide quam id utiliter fiat. « Sæpe fit dum assiduæ doctrinæ fructus illabitur « animo, vitium quo ille perturbatur excidat. » Agricola non statim post ejectum semen in agrum, messem inde colligere prætendit, sed in multos usque menses expectat, donec *fructum afferat in patientia.*

Prædicator cavere debet ne sit adulator, sed ut S. Augustinus, *Serm.* LVII *de temp.*, ait : « Si cui « forte displiceo, consideret is periculum meum, et « audiat Deum comminantem mihi : *Si non annun-* « *tiaveris impio iniquitatem suam, sanguinem ejus de* « *manu tua requiram.* » Caveat etiam ne det pruritum auribus mundanorum per verba tersa et polita, sed reprehendat vitia et scelera eorum. Victor Antiochenus, super illum S. Marci textum : *Stupebant super doctrina ejus*, interrogat : « Cur stupe- « bant? Quia non respondebat ad gratiam, neque « ulli prorsus adulabatur, nec auditorum laudes « captabat, sed erat sermo ejus in potestate. Horta- « batur enim non ad quævis promiscue, sed ad « cœlestia et animæ salutaria, perfidisque et obsti- « natis peccatoribus imperterrite supplicia comminabantur. »

e. — Prima Jesu, utpote Pontificis et Messiæ, cura erat templi. Mirum autem fuit, uni homini pauperi, qualis erat Christus, omnia Sacerdotum lucra in templum subvertenti, nominem eorum restitisse. Et quod miror magis, Christus Deus sua auctoritate ac majestate non putavit indignum, sic homines propria manu verberibus cædere. « Consi- « deremus, » ait Origenes, *in Joan.*, « ne forte « enorme videatur, quod Dei Filius, captis funi- « culis parat sibi flagellum ad ejiciendum de tem- « plo. » Enorme quidem alicui forsan videri posset, et parum divinæ majestati illius conveniens, sic zelo severioris justitiæ accendi, ut sibi ex funiculis flagellum paret, et quodammodo verberonum ad instar, in templo traperitas diverberet. Christusne is est qui hoc ministerium, quod vile et abjectum et de ministerali infligendi supplicii officio, invidiosum videri posset, per seipsum obit? Ubi sunt Angeli, dæmonesve, illius obsequio expromptius deputati? Interim nullam horum operam expectat. Enorme quidem et Christo Deo indignum, hoc ei videri posset, qui nescit quam sint execrabiles illi qui Deum, ejusque præsentiam agnoscentes, temere peccant. Verum qui attente considerat quod Victor Antiochenus, *in cap.* XI *Marci*, ait, neutiquam mirabitur; scilicet : « Aggravat Judæorum causam, quod « Domino idem factum semel iteramque petente, « ipsi nihilominus in sua illa cauponaria arte, « infami nunditione obstinate usque persistebant. » Et ideo rigide in eos ementes et vendentes, præter gravitatem suam invehitur, et facto et verbo latrones appellat; utpote quos non emendatos, sed in sua malitia persistentes, ac relapsos videret : multum enim relapsus culpæ gravitatem aggravat, et diversa mala invehit. Serio ponderanda est pœna,

quam Salvator paralytico, si quando ad peccandum rediret, his verbis prædixit : *Noli amplius peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Joan.*, v, 14. At vero quid huic homini deterius contingere poterat, qui annorum 38 spatio omni destitutus auxilio, lecto immobiliter affixus fuerat? S. Cyprianus ait : « Sospitantis verba sunt et docentis, » verbum *sospitantis*, idem significat, quod *incolumem servantis*, « curantis pariter et monentis. » Salvator enim duplex illi præservativum subministrare voluit, scilicet unum pro corpore, alterum pro anima. « Gravius comminatur, quod scilicet nulla sit venia « ultra delinquere, postquam Dominum nosse « cœpisti. » S. Thomas hunc eumdem S. Joannis textum declarans, pariter inquit : « Quia qui post « beneficia recepta ad peccata prolabitur, gravioris « supplicii reus efficitur, propter ingratitudinem, « secundum illud, II *Petr.*, II, 21 : *Melius enim erat « illis non cognoscere viam justitiæ quam post agnitionem retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato.* Similiter etiam quia « postquam homo ad peccatum semel redierit, « facilius peccat, secundum illud Matthæi, XII, 45 : « *Fiunt novissima hominis illius pejora prioribus.* » Nullum dari potest desperatæ salutis evidentius signum, quam quando medicina infirmo in venenum transmutatur. Unde ad populum Antiochenum D. Chrysostomus, *Hom.* XXI *ad pop.*, in hæc verba prædicavit : « Timor non parvus et periculum non « mediocre, ne rursus ad ea redeamus et vulnus « nobis fiat de medicina. Quanto namque major « gratia, tanto amplius postea peccantibus pœna. » S. Cyrillus Alexandrinus ait : « Relapsus in ægritudinem periculosior esse solet et exitio propior, « quam prior ille langor; et quos prima valetudo « adversa non extinxit, sæpius iterata post redditam incolumitatem ægrotatio sustulit e vita. « Haud secus frustra pœnitentiæ medicamentum « sumitur, si post eam peractam ad præteritæ vitæ « sordes reditur. Hæc enim secunda ad modum « periculosa est animæ febricitatio. »

f. — Maxime expendendum est, quod cum Christus esset veritas, vendicans domum suam, ejiciebat ex ea vendentes et ementes. Ubi humana negotiatio est, ibi necessum est mendacium intervenire; nequeunt enim simul cohabitare mundana negotia et veritas; et ideo cum Christus summa Veritas domum suam expurgaret, ut in veritate consisteret, veritasque in ea tractaretur, mundanas negotiationes procul ejecit. Mendacium enim, licet apud omnes, in negotiationibus maxime locum habet. Dei vero providentia fit, ut lucrum per mendacia comparatum disperdatur.

Versus 46.

Scriptum est : Domus mea domus orationis est, vos autem fecistis illam speluncam latronum.

1. — S. Bonaventura, *in Luc.*, verba illa ad Sacerdotes directa fuisse asserit, non vero ad negotiatores, qui animalia sua eo conduxerant. « Hoc « dicitur ipsis Sacerdotibus ; » mox vero quomodo domus Dei in speluncam latronum convertatur, his verbis declarat : « Tunc autem domus Dei fit spe« lunca latronum, quando contra voluntatem Christi « contrectatur patrocinium Christi crucifixi, hoc est « enim furari et latrocinari, quando publice fit. »

2. — Idem quoque Seraphicus Doctor verba illa : *Vos autem*, egregie ponderat, dum ait : « Ideo spe« cialiter dixit, *vos*, quorum erat eam purgare, et « in sanctitate custodire. » Olim Deus per os Davidis, *Psal.* LIV, lamentabatur, dicens : *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique; et si qui oderat me, super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo ; tu vero homo unanimis, dux meus, et notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulavimus cum consensu* ; tandem vero severissimum ipsis supplicium comminatur, dicens : *Veniat mors super illos, descendant in infernum viventes* ; quasi diceret : Si Hebræi, idololatræ, aut Mahometani loca sacra profanarent, tolerabilius longe esset quam quod Christiani id faciant, qui innumeri a Deo beneficia in ejus domo recipiunt, imo vero reverentia, quam infideles illis idolis suis et dæmoni in Moschæis suis, summa cum devotione exhibent, condemnabit, quam maxime fideles, qui Ecclesiis majorem non deferunt respectum, quam si publica essent prostibula.

3. — Glossa in sensu spirituali ait : « Domus Dei « est conscientia fidelium, quam facit speluncam « latronum, qui relicta simplicitate sanctitatis illud « meditatur agere, unde proximum possit lædere « innocentem. »

Additio.

a. — *Domus mea domus orationis vocabitur*, etc. Templa Dei ad orationem et servitium sunt consecrata et ideo in iis Deus supplicationes nostras facilius exaudit : quod si vero in illa orantes interdum a Deo non exaudiamur, id fit vel quia impertinentia petimus, vel quia domum Dei latronum facimus speluncam. In Concilio quodam sequentia verba leguntur : « Filiationem vestram, charissimi, « commonemus, ut convenientes ad sacratissimum « Dei templum, id diligenter pertractare studeatis, « ad quod venistis. Si enim veraciter creditis templum Dei esse illud ad quod convenitis, id procul « dubio, inibi operari debetis, quod ei placeat. « cujus templum est, ad quod convenitis. Cum « enim ubique Deus sit, in suo tamen templo spe« cialiter debet requiri et quantum ipse inspirare

« dignatus fuerit, inibi quod ei placet, debet ex« peti. » Examinemus igitur diligenter, an supplicationes nostræ quas ei in sua domo præsentamus, divino ejus beneplacito conformes sint, et bene regulatæ aut vero an sanctæ ejus legi potius repugnent; si enim hoc postremum verum esse deprehendatur, lamentari profecto non possumus, si non exaudiamur : « Veri adoratores, » inquit Hugo Cardinalis, « adorant eum in Spiritu, id est, spiri« tualiter, contra illos qui adorant Deum carnalia « petentes et carnaliter de Deo sentientes, ut filii « Zebedæi ; vel in spiritu, id est, pro spiritualibus « donis, id est, virtutibus. » Sequentia quoque verba : *Et in veritate*, exponit dicens : « Id est, pro « veris et æternis bonis. » Quonam vero modo veri adoratores, qui adorant in spiritu et veritate, dici poterunt, qui tanta cum irreverentia sanctam ejus domum profanant, domumque orationis in speluncam latronum convertunt? Quisquis igitur in Ecclesiam ire contendit, ut Deum inibi offendat et nihilominus Deo supplex in oratione fieri præsumit, *oratio ejus fiet in peccatum. Psal.* CVIII, 7. Sicut enim is qui eodem tempore, Henrico III memoriale præsentabat, cultrum quoque in eum stringens, ipsum contrucidavit, parricida erat, ita quoque si is qui ad Ecclesiam orandi causa accedit eodem tempore per irreverentiam, dissolutionem et scandala sua, domum orationis profanat, Deum utique mortaliter offendit.

Versus 47.

Et erat docens quotidie in templo.

1. — S. Gregorius optime hoc loco considerat quod, tametsi populi illius ingratitudinem probe cognosceret, maximisque Sacerdotibus in templo afficeretur injuriis et contumeliis, hoc tamen non obstante a Dei verbo illis ministrando desistere noluerit; Redemptor vero noster prædicationis verba nec indignis, nec ingratis subtrahit, unde postquam rigorem ejiciendo perversos tenuit, donum his gratiæ ostendit, nam subditur : *Et erat docens*, etc.

2. — Jam paulo ante ex auctoritate Glossæ ostendimus quod Sapientia incarnata Christus Magister noster, post prædictam Jerosolymæ devastationem, in templum se profinus contulerit, ut illius profanatores castigaret : « Ostendit, unde radix « perditionis processerit; » quia ruina illa a templi profanatione procedebat, idem vero nunc dici posse videtur de prædicatione ipsius, quæ hanc prædictionem protinus subsecuta fuit, quod nimirum causa exterminii ipsorum fuerit, quia divino ejus verbo aures præbere faciles et patulas detrectabant, atque ideo subito illis indefesse prædicare cœpit. Jeremias, capite VIII, vaticinabatur, quod ossa Sacerdotum, Regum, Prophetarum, omniumque aliorum e sepulcris suis eruenda, et vel in aerem cineres, aut vero in sterquilinium ossa et carnes eorum projiciendæ essent, mulieres quoque eorum dandæ essent alienigenis, quodque civitas illa severissimis a Deo castiganda esset suppliciis; sed quam putas ob causam illud futurum erat? *Verbum enim Domini projecerunt.* Ecce tibi unicum tot miseriarum immittendarum motivum. Idem quoque Propheta, XXVI, 6, ex ore Dei loquens ait : *Si non audieritis me, ut audiatis sermones servorum meorum, quos ego misi ad vos, et non audistis, dabo domum istam sicut Silo, et urbem hanc dabo in maledictionem cunctis regibus.* Unde clare et evidenter deducitur quod salus, stabilimentum et felicitas populorum, ex auditu pariter et reali executione auscultati Verbi Dei unice dependeat; ac proinde Salvator noster exterminium hoc ab Jerosolyma removere cupidus ad ultimum usque diem ab hoc ministerio Evangelico desistebat, dummodo ipsi prædicationi ipsius aures præbuisseat et ad eum conversi fuissent. Eodem sæculo, quo B. Laurentius Justinianus Venetiis vivebat, Respublica Veneta in magnis erat angustiis ob bella et controversias, quas cum Mediolanensibus habebat; accidit autem quod dum nobilis quidem in Corfu profectus sanctum quemdam ibi degentem Eremitam convenisset, ab eo quis tandem hujus calamitatis publicæ finis futurus esset, interrogarit; cui ille se quamdam a Deo revelationem habuisse respondit, hanc nimirum, quod Deus urbi Venetiarum graviter offensus esset, eo quod incolæ illius divinum ejus verbum spernerent, et valde invitis auribus auscultarent, ideoque ipsam in cinerem protinus redigendam fuisse, nisi se, per suam pro hac urbe ad Deum effusam orationem, B. Laurentius Justinianus interposuisset : *Si populus meus audisset me, pro nihilo forsan inimicos eorum humiliassem, et super tribulantes eos misissem manum meam.*

Quotidie in templo.

3. — Id est, ut Dionysius Carthusianus ait, de illo et duobus aliis diebus sequentibus, quia in feria quarta in Bethaniam abiit, unde Judas ab eo sanguinem ipsius Judæis venditurus recessit : « Ita« que Christus passione instante a prædicationibus « et sanctis increpationibus non cessavit, quo do« cemur, ne timore mortis, aut cujuscumque in« commodi cessemus a spiritualibus actibus debitis; « per quod etiam quorumdam increpatur pigritia, « qui dum senescunt, exponunt se otio et corporali « quieti, dum adhuc gregi sibi commisso, ac aliis « multis possint prodesse ; imo tunc cum majori « reverentia audirentur; advertant hi, quod ait « Salvator : *Qui perseveraverit usque in finem, hic « salvus erit.* »

4. — Possumus quoque dicere quod verbum Dei quotidianus sit animæ nostræ panis, teste S. Augustino, *Serm.* III *in Ps.* XXX, qui ait : « Panis noster

« est verbum Dei, quod quando audis, aut quando « legis, manducas; quando jam recogitas, rumi- « nas. » S. Ambrosius considerans quod populus Hebræus a mane usque ad vesperam Moysi assistens, eum attentis auribus auscultarit : « Assistebat « Moysi a mane usque ad vesperam, » ad nos Christianos conversus, nostram reprehendit pigritiam, dicens : « Moyse magistro usus est populus « Judæorum quotidie in sermonibus suis, a mane « usque ad vesperam, tu Christiane dormis, cui « magister est Christus? » In eodem Exodi libro, XXX, 30, habemus, Moysi præceptum fuisse : *Pones super mensam panes propositionis in conspectu meo semper*; cum igitur verissimum sit illud S. Pauli axioma : *Omnia in figura contingebant illis*, hoc utique præceptum figura quædam fuit illius, quod in Ecclesia sua fieri postulabat, nimirum ut Sacerdotes quotidie et continuo præparati essent, ad frangendum fidelibus quotidianum divini verbi panem. Unde Venerabilis Beda in hujus textus expositione, de illis scribit : « Cunctis Ecclesiam « intrantibus, refectionem verbi cœlestis offerunt, « qui recte propositionis panes vocantur, quia in « propatulo semper esse debet universis sermo « salutis, nec unquam in Ecclesia deesse oportet « piis auditoribus verbum solatii. » Baronius in tomo primo Annalium Ecclesiasticorum, de illis congregationibus loquens, quas primitivi fideles, secundum formam ab Apostolo in Epistola ad Corinthios præscriptam instituebant, declarat quod opera S. Philippi Nerii et instituti ab ipso fundati, optimus ille et salutaris usus Romæ introductus fuerit, quo verbum divinum quotidie cum insigni fructu et utilitate animarum annuntiatur, dum ad mediæ horæ spatium lectio quædam spiritualis præmittitur, et post hanc quatuor discursus instituuntur, quorum quilibet etiam ad mediam horam pariter extenditur, idque cum maximo et continuo auditorum profectu.

DOMINICA DECIMA POST PENTECOSTEN

EVANGELIUM LUCÆ, CAP. XVIII, VERS. 9

9. Dixit autem ad quosdam, qui in se confidebant tanquam justi, et aspernabantur cæteros, parabolam istam.

10. Duo homines ascenderunt in templum, ut orarent, unus Pharisæus, et alter Publicanus.

11. Pharisæus stans, hæc apud se orabat : Deus gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum, raptores, injusti, adulteri, velut etiam hic Publicanus.

12. Jejuno bis in sabbato, decimas do omnium, quæ possideo.

13. Et Publicanus a longe stans, nolebat nec oculos ad cœlum levare, sed percutiebat pectus suum dicens : Deus propitius esto mihi peccatori.

14. Dico vobis, descendit hic justificatus in domum suam ab illo, quia omnis qui se exaltat, humiliabitur, qui se humiliat exaltabitur.

VERSUS 9.

Dixit ad quosdam, qui in se confidebant tanquam justi, et aspernabantur cæteros, parabolam istam.

Dixit ad quosdam.

1. — Albertus Magnus modum considerat, quo horum, ad quos parabola ista dirigebatur a Christo mentio facta fuerit : « Ad quosdam nomine indig- « nos, propter malum meritum ipsorum. *Psal.* XV, « 4 : *Nec memor ero nominum eorum per labia mea.* »

2. — Salmeron Christum illos prudenter et ex singulari charitate non nominasse dicit : « Pruden- « tiæ fuit, neminem in singulari notare, fugienda « est enim fratris infamia. » Nullus ex malignis perversisque Pharisæis in Evangelio speciatim nominatus fuisse reperitur, bene autem nomen proprium exprimebatur, quando de aliquo ex melioribus mentio incidebat, ut videre est in Nicodemo, Simone leproso, et aliis similibus.

Qui in se confidebant tanquam justi.

3. — Arias legit : « Ad quosdam persuasos in « seipsis, quod essent justi. » S. Bonaventura ait : « Tunc confidit in se quis tanquam justus, quando « se justum reputat ex suis operibus. »

4. — Salmeron notat quod hæc confidentia, quam de nobismetipsis concepimus, nos ut plurimum fallat et decipiat : « Experientia teste, » inquit, « a nullo magis homo, neque frequentius, « neque forte periculosius decipitur, quam a « seipso; » atque hinc est quod, ut idem Auctor notat, S. Chrysostomus librum illum scripserit, cujus titulus sive inscriptio est : *Nemo læditur nisi a seipso.*

5. — Theophylactus ad hoc se reflectit, quod quia superbia inter cunctas alias passiones majorem in humana corda tyrannidem exercet, ideo Salvator noster haud immerito eamdem præ cæteris ab iisdem cordibus profligare contendat : « Est « autem superbia Dei contemptus; quoties enim « aliquis non Deo sed sibi describit bona quæ facit, « quid est aliud quam Dei negatio? » Contra illos igitur, qui in seipsis confidunt, opera sua non Deo, sed sibi ipsis attribuendo, et insuper proximos suos contemnendo, hanc parabolam proponit, « osten- « dens, quod quamvis justitia approximet Deo, si « tamen assumat superbiam, ad infimum dejicit « hominem. »

6. — Considerabilis est hoc loco dictio illa, *tanquam*, quia ut Hugo Cardinalis observat : « Non « erant vere justi cum nullam haberent justitiam, « quia non habebant humilitatem, sine qua nihil « placet Deo. »

7. — Æternæ et primæ Veritatis propositio est, quod *nesciat homo, utrum amore an odio dignus sit*, nisi desuper revelationem habuerit. Imo S. Paulus a Deo, qui mentiri nequit, habebat indubitatam prædestinationis suæ promissionem, *Act. Ap.*, IX, 15 : *Vas electionis est mihi iste*; idemque jam ad tertium usque cœlum raptus fuerat, ubi, secundum quod scholæ asserunt, oculos suos in divinam essentiam ei defigere licuit, per modum transeuntis, et tamen præ timore nimio totus contremiscebat; unde dicit : *Castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne reprobus efficiar.* Non quidem sua ipsum mordebat conscientia : *Nihil mihi conscius sum*; et tamen hoc non obstante, protinus subjungebat : *Sed non in hoc justificatus sum.* Quamnam putas, ex mente S. Gregorii, esse differentiam inter eos, qui sub signis militaribus militant, et alios qui sub vexillo crucis apud Deum sua merentur stipendia? Hæc nimirum, quia milites nullo timore anguntur, at vero Christianis semper de suis viribus diffidendum est : *In timore Domini*, inquit Sapiens, *fiducia fortitudinis.* Petrus qui Christum non hominis tantum, sed etiam Dei Filium esse confessurus fuerat; eumdem postea sæpius turpiter et proterve negavit, protestandoque dixit : *Non novi hominem*; cujus quidem præcipitii causa fuit, quia sibi ipsi nimium confidebat, adeo ut in sui comparatione suos aspernaretur alios coapostolos. Unde S. Ambrosius ait : « Lapsus est, quia dixit : *Etsi omnes scandalizati « fuerint in te, ego nunquam scandalizabor.* Quis « alius jure de se præsumat? » Theophylactus quoque ait : « Idcirco permisit illum Christus, cadere, « ut doceat, ne quis in seipso confidat, sed in « Deo. » Et quia ter se suum secuturum esse Magistrum temere jactavit, seque quovis alio eidem fideliorem futurum esse stulte promisit, Deus juste ipsum non semel tantum, sed trina voce negare permisit, in pœnam trium errorum quos commisit, tum nimium sibi ipsi confidendo et promittendo, tum aliis se præferendo, illosque contemnendo, tum Christo fidem adhibere renuendo.

8. — Mundi hujus innavigans mari Scyllam inter et Charybdim pertransire debet, si portam attingere desiderat; per medias diffidentiæ et confidentiæ angustias transiliat, necessum est, si enim in alterutram, quamcumque demum, partem declinaverit, naufragium patitur. Unde Tertullianus, *lib. de cultu femin.*, inquit : « Qui præsumit, minus veretur, « minus præcavet, plus periclitatur, timor funda- « mentum salutis est, præsumptio impedimentum « timoris; utilius ergo, si speremus nos posse de- « linquere; sperando enim timebimus, timendo « cavebimus, cavendo salvi erimus. » Considerandum est, sed non inutiliter; diffidendum est, at iterum certos inter limites; dum plus nimio diffidit Cain, in desperationem incidit, dicens, *Gen.*, IV, 13 : *Major est iniquitas mea, quam ut veniam promerear.* Talem Pharisæus ille de se, deque suis meritis præsumptionem habebat, ut crederet cœlum se capite contingere, dum pedibus esset in inferno.

Et aspernabantur cæteros.

9. — Arias legit : *Nihil facientes cæteros.* Dionysius Carthusianus ex hoc Pharisæorum, quo reliquos omnes aspernabantur contemptu, falsas minusque solidas eorum deducit fuisse virtutes, inquiens : « Denique ipsa eorum aspernatio ostendit « quod vere justi non erant. » Pro cujus confirmatione S. Gregorii adducit auctoritatem, dicentis : « Vera justitia compassionem habet, falsa dedig- « nationem; quantumvis et justi soleant recte « peccatoribus dedignari; sed aliud est quod agitur « typo superbiæ, aliud quod zelo disciplinæ. »

10. — Minatur Spiritus Sanctus, per os Isaiæ Prophetæ, condignam contemptoribus hisce pœnam, nimirum : *Væ qui spernis, nonne et ipse sperneris? cum fatigatus desineris contemnere, contemneris.* Quorum mores fusius porro idem prosequitur Carthusianus, discursu sequenti : « Nec in vero spiritualis « vitæ fundamento se figunt, sed religiosiores cu- « piunt apparere, et cum carnales sint, spirituales « se arbitrantur. » De quibus proinde loqui voluisse existimat sanctum Apostolum Judam, in illo Epistolæ suæ textu : *Hi sunt qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes.*

11. — Quemadmodum nulla est infirmitas corporalis, quæ ita affligit unum, quin non etiam quemcumque possit invadere alium, utpote qui omnes ex una eademque fragili et corruptibili compingimur massa, ita pariter nulla datur animæ alicujus macula talis, quam non possit quæcumque contrahere alia, et de facto contractura

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

« est verbum Dei, quod quando audis, aut quando « legis, manducas; quando jam recogitas, rumi- « nas. » S. Ambrosius considerans quod populus Hebræus a mane usque ad vesperam Moysi assistens, eum attentis auribus auscultarit : « Assistebat « Moysi a mane usque ad vesperam, » ad nos Christianos conversus, nostram reprehendit pigritiam, dicens : « Moyse magistro usus est populus « Judæorum quotidie in sermonibus suis, a mane « usque ad vesperam, tu Christiane dormis, cui « magister est Christus? » In eodem Exodi libro, XXX, 30, habemus, Moysi præceptum fuisse : *Pones super mensam panes propositionis in conspectu meo semper*; cum igitur verissimum sit illud S. Pauli axioma : *Omnia in figura contingebant illis*, hoc utique præceptum figura quædam fuit illius, quod in Ecclesia sua fieri postulabat, nimirum ut Sacerdotes quotidie et continuo præparati essent, ad frangendum fidelibus quotidianum divini verbi panem. Unde Venerabilis Beda in hujus textus expositione, de illis scribit : « Cunctis Ecclesiam « intrantibus, refectionem verbi cœlestis offerunt, « qui recte propositionis panes vocantur, quia in « propatulo semper esse debet universis sermo « salutis, nec unquam in Ecclesia deesse oportet « piis auditoribus verbum solatii. » Baronius in tomo primo Annalium Ecclesiasticorum, de illis congregationibus loquens, quas primitivi fideles, secundum formam ab Apostolo in Epistola ad Corinthios præscriptam instituebant, declarat quod opera S. Philippi Nerii et instituti ab ipso fundati, optimus ille et salutaris usus Romæ introductus fuerit, quo verbum divinum quotidie cum insigni fructu et utilitate animarum annuntiatur, dum ad mediæ horæ spatium lectio quædam spiritualis præmittitur, et post hanc quatuor discursus instituuntur, quorum quilibet etiam ad mediam horam pariter extenditur, idque cum maximo et continuo auditorum profectu.

DOMINICA DECIMA POST PENTECOSTEN

EVANGELIUM LUCÆ, CAP. XVIII, VERS. 9

9. Dixit autem ad quosdam, qui in se confidebant tanquam justi, et aspernabantur cæteros, parabolam istam.

10. Duo homines ascenderunt in templum, ut orarent, unus Pharisæus, et alter Publicanus.

11. Pharisæus stans, hæc apud se orabat : Deus gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum, raptores, injusti, adulteri, velut etiam hic Publicanus.

12. Jejuno bis in sabbato, decimas do omnium, quæ possideo.

13. Et Publicanus a longe stans, nolebat nec oculos ad cœlum levare, sed percutiebat pectus suum dicens : Deus propitius esto mihi peccatori.

14. Dico vobis, descendit hic justificatus in domum suam ab illo, quia omnis qui se exaltat, humiliabitur, qui se humiliat exaltabitur.

VERSUS 9.

Dixit ad quosdam, qui in se confidebant tanquam justi, et aspernabantur cæteros, parabolam istam.

Dixit ad quosdam.

1. — Albertus Magnus modum considerat, quo horum, ad quos parabola ista dirigebatur a Christo mentio facta fuerit : « Ad quosdam nomine indig- « nos, propter malum meritum ipsorum. *Psal.* XV, « 4 : *Nec memor ero nominum eorum per labia mea.* »

2. — Salmeron Christum illos prudenter et ex singulari charitate non nominasse dicit : « Pruden- « tiæ fuit, neminem in singulari notare, fugienda « est enim fratris infamia. » Nullus ex malignis perversisque Pharisæis in Evangelio speciatim nominatus fuisse reperitur, bene autem nomen proprium exprimebatur, quando de aliquo ex melioribus mentio incidebat, ut videre est in Nicodemo, Simone leproso, et aliis similibus.

Qui in se confidebant tanquam justi.

3. — Arias legit : « Ad quosdam persuasos in « seipsis, quod essent justi. » S. Bonaventura ait : « Tunc confidit in se quis tanquam justus, quando « se justum reputat ex suis operibus. »

4. — Salmeron notat quod hæc confidentia, quam de nobismetipsis concepimus, nos ut plurimum fallat et decipiat : « Experientia teste, » inquit, « a nullo magis homo, neque frequentius, « neque forte periculosius decipitur, quam a « seipso; » atque hinc est quod, ut idem Auctor notat, S. Chrysostomus librum illum scripserit, cujus titulus sive inscriptio est : *Nemo læditur nisi a seipso.*

5. — Theophylactus ad hoc se reflectit, quod quia superbia inter cunctas alias passiones majorem in humana corda tyrannidem exercet, ideo Salvator noster haud immerito eamdem præ cæteris ab iisdem cordibus profligare contendat : « Est « autem superbia Dei contemptus; quoties enim « aliquis non Deo sed sibi describit bona quæ facit, « quid est aliud quam Dei negatio? » Contra illos igitur, qui in seipsis confidunt, opera sua non Deo, sed sibi ipsis attribuendo, et insuper proximos suos contemnendo, hanc parabolam proponit, « osten- « dens, quod quamvis justitia approximet Deo, si « tamen assumat superbiam, ad infimum dejicit « hominem. »

6. — Considerabilis est hoc loco dictio illa, *tanquam*, quia ut Hugo Cardinalis observat : « Non « erant vere justi cum nullam haberent justitiam, « quia non habebant humilitatem, sine qua nihil « placet Deo. »

7. — Æternæ et primæ Veritatis propositio est, quod *nesciat homo, utrum amore an odio dignus sit*, nisi desuper revelationem habuerit. Imo S. Paulus a Deo, qui mentiri nequit, habebat indubitatam prædestinationis suæ promissionem, *Act. Ap.*, IX, 15 : *Vas electionis est mihi iste*; idemque jam ad tertium usque cœlum raptus fuerat, ubi, secundum quod scholæ asserunt, oculos suos in divinam essentiam ei defigere licuit, per modum transeuntis, et tamen præ timore nimio totus contremiscebat; unde dicit : *Castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne reprobus efficiar.* Non quidem sua ipsum mordebat conscientia : *Nihil mihi conscius sum*; et tamen hoc non obstante, protinus subjungebat : *Sed non in hoc justificatus sum.* Quamnam putas, ex mente S. Gregorii, esse differentiam inter eos, qui sub signis militaribus militant, et alios qui sub vexillo crucis apud Deum sua merentur stipendia? Hæc nimirum, quia milites nullo timore anguntur, at vero Christianis semper de suis viribus diffidendum est : *In timore Domini*, inquit Sapiens, *fiducia fortitudinis.* Petrus qui Christum non hominis tantum, sed etiam Dei Filium esse confessurus fuerat; eumdem postea sæpius turpiter et proterve negavit, protestandoque dixit : *Non novi hominem*; cujus quidem præcipitii causa fuit, quia sibi ipsi nimium confidebat, adeo ut in sui comparatione suos aspernaretur alios coapostolos. Unde S. Ambrosius ait : « Lapsus est, quia dixit : *Etsi omnes scandalizati « fuerint in te, ego nunquam scandalizabor.* Quis « alius jure de se præsumat? » Theophylactus quoque ait : « Idcirco permisit illum Christus, cadere, « ut doceat, ne quis in seipso confidat, sed in « Deo. » Et quia ter se suum secuturum esse Magistrum temere jactavit, seque quovis alio eidem fideliorem futurum esse stulte promisit, Deus juste ipsum non semel tantum, sed trina voce negare permisit, in pœnam trium errorum quos commisit, tum nimium sibi ipsi confidendo et promittendo, tum aliis se præferendo, illosque contemnendo, tum Christo fidem adhibere renuendo.

8. — Mundi hujus innavigans mari Scyllam inter et Charybdim pertransire debet, si portam attingere desiderat; per medias diffidentiæ et confidentiæ angustias transiliat, necessum est, si enim in alterutram, quamcumque demum, partem declinaverit, naufragium patitur. Unde Tertullianus, *lib. de cultu femin.*, inquit : « Qui præsumit, minus veretur, « minus præcavet, plus periclitatur, timor funda- « mentum salutis est, præsumptio impedimentum « timoris; utilius ergo, si speremus nos posse de- « linquere; sperando enim timebimus, timendo « cavebimus, cavendo salvi erimus. » Considerandum est, sed non inutiliter; diffidendum est, at iterum certos inter limites; dum plus nimio diffidit Cain, in desperationem incidit, dicens, *Gen.*, IV, 13 : *Major est iniquitas mea, quam ut veniam promerear.* Talem Pharisæus ille de se, deque suis meritis præsumptionem habebat, ut crederet cœlum se capite contingere, dum pedibus esset in inferno.

Et aspernabantur cæteros.

9. — Arias legit : *Nihil facientes cæteros.* Dionysius Carthusianus ex hoc Pharisæorum, quo reliquos omnes aspernabantur contemptu, falsas minusque solidas eorum deducit fuisse virtutes, inquiens : « Denique ipsa eorum aspernatio ostendit « quod vere justi non erant. » Pro cujus confirmatione S. Gregorii adducit auctoritatem, dicentis : « Vera justitia compassionem habet, falsa dedig- « nationem; quantumvis et justi soleant recte « peccatoribus dedignari; sed aliud est quod agitur « typo superbiæ, aliud quod zelo disciplinæ. »

10. — Minatur Spiritus Sanctus, per os Isaiæ Prophetæ, condignam contemptoribus hisce pœnam, nimirum : *Væ qui spernis, nonne et ipse sperneris? cum fatigatus desineris contemnere, contemneris.* Quorum mores fusius porro idem prosequitur Carthusianus, discursu sequenti : « Nec in vero spiritualis « vitæ fundamento se figunt, sed religiosiores cu- « piunt apparere, et cum carnales sint, spirituales « se arbitrantur. » De quibus proinde loqui voluisse existimat sanctum Apostolum Judam, in illo Epistolæ suæ textu : *Hi sunt qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes.*

11. — Quemadmodum nulla est infirmitas corporalis, quæ ita affligit unum, quin non etiam quemcumque possit invadere alium, utpote qui omnes ex una eademque fragili et corruptibili compingimur massa, ita pariter nulla datur animæ alicujus macula talis, quam non possit quæcumque contrahere alia, et de facto contractura

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

sit, nisi Deus speciali auxilio et gratia sua tum assistat tum præservet. Nullus omnino a nobis despiciendus est, maxime in rebus spiritum concernentibus; non solum quia virtutis, amoris aut gratiæ divinæ, in proximi anima latentis, thesaurus absconditus est ab oculis nostris, sed etiam, quia nescimus, quid tandem in illa, a nobis contempta, anima Deus operari velit. Contingit quandoque, quod domum quis intret sculptoris, videnque projectum in terra saxum aut lignum parvum, credat, illud igni destinatum esse, ut comburatur, sed longe aberrat, de uno namque formabitur crucifixus, de altero vero statua, verbi gratia S. Francisci. Ita pariter *potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ*. *Luc.*, III, 8. Si quis nostrum ambos illos in prætorio Pilati vidisset latrones, qui cum Christo crucifixi sunt, quis credidisset unquam, quod alteruter illorum præ S. Joanne Baptista, præ S. Petro, præ dilecto discipulo, imo præ ipsa sanctissima Virgine et Matre Dei, introitum habiturus esset in Paradisum, juxta illam æternæ veritatis vocem, *Luc.*, XXIII, 43 : *Hodie mecum eris in Paradiso*. Quando filius Bernardoni exercebat mercaturam, cumque cœtaneis suis ad libitum divagabatur, quis talem in eo præsumpsisset exitum, qualem tandem omnipotentia et sapientia divina mediante, nactus est. Non contemplemur sublimem in equo Apostolum, quando erat *adhuc spirans minarum et cædis, in discipulos Domini*; sed miremur prostratum in terra, et dicentem : *Domine, quid me vis facere?*

12. — Erant equidem familiaria S. Philippo Nerio verba ista : « Spernere mundum, spernere « nullum, spernere seipsum, spernere se sperni. » Sed immediate iis subjungere solebat : *Hæc sunt dona superni*.

13. — Ut bonorum a nobis factorum operum merita tuta conservemus, non ea magni faciamus necessum est, quia *cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite : Servi inutiles sumus*. *Luc.*, XVII, 10. Proximos nostros, et in meritis, et in amicitia divina superiores nobis reputare debemus. Unde optime nos admonet S. Gregorius, *lib.* XIX *mor.*, c. XVII, verbis sequentibus : « Perit omne, « quod agitur, si non sollicite in humilitate custo- « ditur. »

Parabolam istam.

14. — Hæc verba Albertus Magnus ita interpretatur : « Hoc est, similitudinariam historiam, et « tamen sæpe verum facit in rei veritate. » Ejusdem pariter opinionis fuit Lucas Brugensis, scilicet potuisse hunc casum vere contigisse. Unde ait : « Respondeo, facile fieri potuisse, fuisse rem ges- « tam Jesu cognitam, ea qua omnia nosset scien- « tia. »

Additio.

a. — *Dixit ad quosdam, qui in se confidebant tanquam justi, et aspernabantur cæteros*. Nempe ad Pharisæos seu de cœtu Pharisæorum, qui se justos reputabant, et in justitia sua multum confidebant, et hoc quidem male. Deus enim simul misericors et justus considerandus est, ac propterea semper in timore et spe, ambulare debemus. Ecclesiasticus, V, 6, sollicite nos admonens, ait : *Miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur; misericordia enim et iræ ab illo cito proximant, et in peccatores respicit ira illius*. Ubi ecce invicem sibi unitas societasque inseparabiliter misericordiam et justitiam. Qui textus cum illo Psalmi CXX, 15, concordat, dicentis : *Semel locutus est Deus : Duo hæc audivi, quia potestas Dei est, et tibi, Domine, misericordia, quia tu reddes unicuique secundum opera sua*. Ubi adverbium *semel*, idem sonat, quod immutabiliter. Et Genebrardus, pro verbis illis *potestas Dei est*, legit *potestatem justitiæ*. Hoc igitur loquendi modo Psalmista se per os æternæ et infallibilis Veritatis audivisse affirmat, justitiam atque misericordiam Dei sibi invicem vicinas paresque esse. Quem proinde textum Jansenius ita exponit : « Verum « quidem est misericordiam Dei non difficilem se « præbere hominibus, sed cito eam advenire illis « ab ipso; sed simul etiam verum est, iram ab illo « festinare, eaque a Deo missa respicit ad pecca- « tores, atque super eos quiescit, perficiens quod « jussa est, ac proinde ad illos non pertinet miseri- « cordia, sed tantum ad justitiæ studiosos. Pecca- « tores enim hic vocat eos qui in peccatis suis « animo sunt obfirmati, quos frustra significat de « Dei misericordia præsumere, cum ad tales non « misericordia sed gravissima Dei vindicta perti- « neat. » Unde idem Ecclesiasticus eos qui temerarie ut ne peccatis perseverent, de Dei longanimitate confidunt, ab errore revocaturus, postquam justitiam individuam esse docuisset Dei misericordiæ sociam, hæc minitabunda subjicit verba : *Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem, subito enim veniet ira illius, et in tempore vindictæ disperdet te*. S. Augustinus, gregem suum, ne de Dei patientia atque tolerantia præsumptiosus, in peccatis persisteret, ita admonet : « Quantumvis « multum præsumere debeamus de misericordia « Dei, non tamen negligenter debemus timere justitiam ejus, cum justitia enim te judicabit, qui « cum misericordia te redemit. Nam quod tam « longo tempore peccamus et parcit, non est negli- « gentia, sed patientia; non ille potentiam perdi- « dit, sed nos ad pœnitentiam reservavit. Teneamus « ergo justitiam, cujus misericordiam desidera- « mus. » Quam eamdem doctrinam S. Augustinus in Psalmi XXXIX commentario repetit, dum ait : « Non sic est Deus misericors, ut injustus sit; nec « sic justus ut et misericors non sit. Parvane mise- « ricordia tibi est? Non imputabit priora omnia; « male vixisti usque in hodiernum diem? adhuc

« vivis : bene vive hodie. Misericordia itaque Dei « non in peccatorum nostrorum continuatione, sed « malæ vitæ nostræ emendatione fruemur. »

VERSUS 10.

Duo homines ascenderunt in templum, ut orarent, unus Pharisæus, et alter Publicanus.

Duo homines.

1. — Bene considerando eam, quæ inter duos hosce intercedit disparitas, videmus utique, non potuisse majorem inter eos dari inæqualitatem : alter namque tantam præseferebat perfectionem, quasi jam ipsam sanctitatis eminentiam attigisset; alter vero tam se impium esse protestabatur, ut nec supercilia sua sursum elevare auderet : nihilominus totum id, quod in Pharisæo eminebat, vitium erat, et e contra, quidquid apparebat in Publicano defectus, vera et summa virtus erat. Ecce quam facile decipiamur; bonitas namque et malitia operis, in intentione et fine operantis, quem nos non videmus, non vero in apparentia externa consistit. »

Ascenderunt.

2. — Hugo Cardinalis tradit, quod « septem « erant gradus, per quos ascendebatur in templum, « *Ezech.*, IV, per quos significantur septem dona « Spiritus Sancti. « Templum porro, ut Lyranus observat, in alto monte situatum erat.

3. — Albertus Magnus inquit : « Oratio, ut dicit « Damascenus, est ascensio intellectus in Deum, et « ideo omnem orationem oportet ascendere. »

In templum, ut orarent.

4. — S. Bonaventura, utrusque hujus in templum ascendentis finem, bonum dignumque laude fuisse advertit, inquiens : « Ad hoc enim debemus « in templum condescendere, ut oremus. » Citatque pro confirmatione sui, S. Augustini sententiam, dicentis : « Nemo in oratorio aliquid agat, nisi « illud, ad quod factum est, unde et nomen accepit. « Propterea Dominus eos, qui in templo non ora- « bant, sed mercabantur, ejecit non sine asperitate « verborum. » Eamdem in præsenti nobis doctrinam tradit Salmeron, scilicet quod Ecclesiam, orandi gratia frequentare debeamus : « Non ad « negotia, vel ad pompæ ostentationem, ad aspec- « tus vel obscœnos et lascivos, ut plerique fa- « ciunt. » Quando judicabimur de peccatis nostris, quibus loca sacra contaminavimus, hi nobis duo objicientur, Pharisæus scilicet et Publicanus, licet enim ille admodum impius, hic vero usque ad collum immersus esset negotiationibus et commerciis, uterque tamen uno eodemque fine Ecclesiam adiit, scilicet *ut orarent*; ad confusionem Sacerdotum, quibus in faciem exprobrabat Christus, *Joan.*, II, 16 : *Nolite facere domum meam, domum negotiationis*.

Unus Pharisæus, et alter Publicanus.

5. — Dionysius Carthusianus ait : « Pharisæi « erant religiosi Judæorum, sicut nunc Monachi « Christianorum; erantque Pharisæi ab aliis in « habitu, in observantiis multis, cultu religionis « distincti; propter quod dicebantur Pharisæi, id « est, divisi, eratque secta eorum inter Judæos « celebris. » Idem omnino S. Bonaventura docet et supperaddit, quod « Pharisæus apparenter bonus « erat; Publicanus erat patenter malus, quia Publi- « cani dicebantur exactores vectigalium publico- « rum. » Non solum hi omnibus erant exosi, sed insuper exiguæ aut nullius reputabantur esse conscientiæ, quia, ut Albertus Magnus ait, officia et exactiones illiæ, « vix aut nunquam juste exercen- « tur, semper tamen sunt cum violentia et oppres- « sione. » Insinuat insuper idem auctor differentiam, quæ inter hosce duos non modo, quo ad statum et apparentiam externam, sed etiam quo ad ipsam rei veritatem intercedit, in hæc verba : « Quia Pharisæus per arrogantiam, suam justitiam « labefaciebat, et Publicanus per pœnitentiam suam « justitiam expurgabat. »

6. — Simon de Cassia sequentem super hæc verba discursum instituit : « Erant isti duo, sed « neque voluntate aut intentione coibant in unum; « alter sibi placens, alter sibi per omnia displicens; « sed sibi placens, Deo displicens factus erat; et « sibi displicens, Deo humilitate placebat. » S. Ambrosius in commentario Psalmi CXVIII, *Serm.* III, scribit, quod Salvator noster hosce duos in templo orantes, ad nostram nobis instructionem proponat, ut nimirum « doceret, etiamsi bona cætera habeat, « quod magis superbus offendat, quam humilis, « qui nulla virtutum dote subnixus est.

7. — Glossa in sensu allegorico verba illa explanat, inquiens : « Pharisæus populum Judæorum « designat, qui ex justificationibus legis extollit « merita sua, et superbiendo recedit; humiliatus « Publicanus Gentilem, qui longe a Deo positus « peccata confitetur, et lamentando appropinquat « Deo, et exaltatur. »

Additiones.

a. — *Duo homines ascenderunt in templum*. Inter omnia, quæ præscripsit Ecclesiastes, etiam hanc circa ingressum templorum præscribit regulam, *Eccle.*, IV, 17 : *Custodi pedem tuum, ingrediens domum Dei*; indicans haud dubie, non parum referre, qua ratione quis ingrediatur templum, ut cum fructu in eo moretur et inde regrediatur. Certam ergo dispositionem et virtutum comitatum requirere videtur. In cujus rei figuram templum Jerosolymitanum in edito erat loco, ut intelligeremus, ascen-

dendum nobis esse cum conatu et labore aliquo, tam corporis quam animi, cum ingredi templum volumus. Si autem hoc requisierit Ecclesiastes de templo in quo umbræ tantum tractabantur et figuræ, quid non requiretur a Christianis, qui vero sæpe astant in templis sacrificio, in quo unigenitus Dei Filius, Sacerdos est et sacrificium? quanta non requiritur mentis applicatio, devotio interior et exterior, silentium et mentis recollectio?

S. Bernardinus de modo, quo Missa audienda est, disserens, hunc ab Ecclesia institutum considerat ritum, quo Sacerdos, priusquam canonem Missæ incipiat, circumstantes ad mentes et corda ad Deum elevanda, his verbis invitat : « Sursum corda ; » post quæ, dum clericus omnium nomine respondit : « Habemus ad Dominum, » Sacerdos ad complendum sacrificium ulterius progreditur. Cujus ritus mysterium in hæc verba exponit : « Ideo Sacerdos « ante orationem, Præfatione præmissa, parat fra- « trum mentes, dicendo : Sursum corda, ut, dum « respondet plebis : Habemus ad Dominum, admo- « neatur nihil se aliud cogitare debere quam « Dominum. » Observandum vero est, quod Sacerdos absoluta Præfatione subito silentium servet et orationes in secreto dicere incipiat, ut tempore approximantis sacrificii a circumstantibus non intelligantur. Sicut enim Redemptor noster passione sua appropinquante, juxta desertum in civitatem Ephrem se subduxit, seque in publico videri non permisit, ita quoque cum Missa passionis et mortis Christi sit repræsentativa, videtur, quod ad imitationem illius, appropinquante consecrationis tempore, similiter nos, in nobismetipsis et mentem nostram recolligere et in solitudinem quasi revocare debeamus.

b. — Moraliter si consideretur hoc quod dicitur : *Duo homines*, tunc bene dicitur, quod homo nomen habet magnitudinis, ac excellentiæ præsefert; tamen si eos consideres, unum invenies Pharisæum, alterum Publicanum. Pharisæum quidem hypocritam, ac propterea coram Deo abominabilem; nullum enim vitium ab incarnata Sapientia in universo historiæ Evangelicæ volumine, adeo frequenter reprehenditur et arguitur, quam hypocrisis vitium. In solo capite XXIII, S. Matthæi, Christus Scribas ac Pharisæos, hac lepra contaminatos, non semel, sed octies acriter reprehendit, iisque per verbum hoc Væ, sempiternarum ærumnarum expressivum æternam comminatur damnationem. In S. Lucas, *cap.* XII, legimus quod Christus discipulos suos, qui universum mundum docturi, suæque Ecclesiæ bases futuri erant, instruere volens, specialiter eosdem de hypocrisi fugienda commonuerit, ita tamen ut hanc illis doctrinam non in privato tradiderit, sed eam præstolatus fuerit occasionem in qua ingens populi multitudo congregata, eamdem audire posset, ut hac ratione unicuique constaret, quam illa sit abominabilis, omnesque ad eam detestandam inducerentur; dicit enim Evangelista : *Multis autem turbis circumstantibus, ita ut se invicem conculcarent, cœpit dicere ad discipulos suos : Attendite a fermento Pharisæorum quod est hypocrisis.* Alter autem Publicanus erat, reputatus peccator, sed humilitate sua Deum appropinquavit et quasi ad se traxit, quod est insignis humilitatis effectus. Quando Deus apud Isaiam, LXVI, 2, inquit : *Ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum?* per pauperem, humilem intelligit, prima namque beatitudo : *Beati pauperes spiritu*, ad pauperes ordinatur. Unde et S. Augustinus super illa Psalmi CXXXVII, 6, verba : *Excelsus Dominus, et humilia respicit, et alta a longe cognoscit*, inquit : « *Alta* posuit pro superbia; *humilia* « vero respicit ut attollat, superba cognoscit, ut « ejiciat; discamus humilitatem per quam Deo pro- « pinquare poterimus. » Paulo post vero idem S. Doctor subjungit : « Quicumque humilis et quietus « non fuerit, non potest in eo habitare gratia Spi- « ritus Sancti. » Quidnam aliud, præter humilitatem, Deum e cœlo in terram attrahere potuit, ut nostræ se naturæ copularet, nosque unum secum efficeret? *Respexit humilitatem ancillæ suæ*, inquit beatissima Virgo; quæ eadem vix verba hæc protulerat : *Ecce ancilla Domini; fiat mihi secundum verbum tuum*, cum ecce Filius Dei se nostræ humanitati univit : *Et Verbum caro factum est.* Unde Richardus a S. Laurentio inquit : « Cupiens Filium « procreare, qui servus noster fieret, ideo se nomi- « navit *ancillam*, quia partus ventrem sequitur; « quod etiam innuit Filius Patri dicens : *Servus « tuus sum ego et filius ancillæ tuæ.* »

c. — Duo homines ascenderunt, ambo pietatis studium præ se ferentes, longe tamen mente dispares erant. Et ideo Publicanus, utpote charitate et rectitudine cordis instructus, exauditus fuit; alter Pharisæus, cujus quidem cor cum verbis minime concordabat, non exauditus fuit. Deus enim primo omnium loco rectitudinem cordis in operibus nostris requirit; siquidem opera nostra, quantumvis extrinsecus bona sint, sine hac inutilia sunt et mortua. Hypocrita est corpus sine spiritu, quia habet opera sine charitate. Assimilantur quoque hypocritæ sepulchris forinsecus dealbatis, quæ intus mortuorum plena sunt ossibus : *Væ vobis Scribæ et Pharisæi hypocritæ, quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ a foris parent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum.* Abulensis de motivis ob quæ hypocrita sepulchris assimilatur, diffuse discurrens, inquit : « Corpus mortuum similitudi- « nem quidem habet humanam, sed homo non « est; ita hypocritæ videntur quidem justi, sed « justitiam nullam habent. Qui autem vere boni « sunt, sunt sicut corpora viventia, quia illa simili- « tudinem habent humanam et vere sunt homines, « quia vitam habent et animam. »

d. — Pharisæus et Publicanus ascenderunt in templum ut orarent; Publicanus tamen solus exauditus est, Pharisæus vero non exauditus, quia charitate deficiebat, sine qua nullum opus Deo placere potest. S. Paulus Apostolus, I *Cor.*, XIII, 3, sic ait : *Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Unde S. Bernardinus Senensis, inquit : « *Charitatem si non ha-* « *buero nihil sum;* id est, ad meritum nihil mihi « prodest, ac si nihil esset. » Quod itidem Idiota confirmat, dum ait : « Ubi amor defuerit, nihil « valet quidquid agitur, omnia valent quæ cum « amore agnntur. » Et alio in loco, dum ad illum Psalmistæ textum, *Psal.* CXLIV, 20, sese reflectit quo dicitur : *Custodit Dominus omnes diligentes se* : « Non « sic de alia virtute; quia tu, si quis sine dilectione « aliquid faciat, non sic præsto es ei, nec assistis « ad adjuvandum. Dilectio vera in se reddit homi- « nem invincibilem; cum enim ab omni parte pro- « tegit et defendit, quod nulla facit alia virtus, sed « ex una parte tantum. Abstinentia a gula tantum « defendit; pudicitia a luxuria et ita de aliis; imo « alia virtus sine dilectione ex una parte defendit, « et ex alters succumbit; dum scilicet de ejus actu « et opere oritur jactantia et nascitur vana gloria, « ut patet in eleemosyna et jejunio, quæ nihil « valent, nisi tua dilectione directa sint; et ideo « diabolus hanc armaturam dilectionis invadere « summopere studet, nam si castitas in nobis fue- « rit sine dilectione, non timet, quia ipse in carne « non premitur, ut in luxuriam dissolvatur. »

e. — Nec erat aliud amborum horum negotium, quam ut orarent; debemus enim intrare in Ecclesiam ad orandum, ut notant D. Bonaventura, Carthusianus et alii. Ipse enim Salvator ait : *Domus mea domus orationis est.* Non enim est intrandum ad Ecclesiam ad fabulandum, ad aspiciendum. Merito ergo perstringuntur ii qui ad Ecclesias se recipiunt, ut cordis sui carnalia desideria foveant, quique per incautos obtutus aliosque actus impuros easdem profanant. Angeli qui Creatoris sui scabelli et sedis loco servire debebant : *Qui sedes super Cherubim*, thronum suum pari in culmine, quo Dei thronus collocatus est, elevare studuerunt : *Similis ero Altissimo;* atque ideo in infernalis abyssi profundum præcipitati fuerunt. Similis porro finis est multorum Christianorum, qui cum obligati sint, ut in Ecclesiis devote genuflectant, iisque reverentem et profundum cultum exhibeant, honorem Deo debitum sibi potius usurpant, illecebrosisque et impuris objectis in Ecclesia præsentibus impendunt. Quot enim sunt mulieres, quæ ad Ecclesiam accedunt, non tam ut Deum debite honorent, quam ut in iis honorentur, ne dicam, adorentur. Origenes ait : « Væ vobis qui ridetis nunc quoniam plangetis « et flebitis. Inter templum et altare ab impiis « memoria interficitur Dei, quando et templum « Dei a lascivis corrumpitur et altare ipsius, per « negligentiam orationum, sordidate coinquina- « tur, quando et oratio alicujus fit in peccatum « ipsius. »

f. — Voluit Deus nobis esse vicinus, domumque suam inter nostras collocare, ut necessitatibus oppressi, domum illius noscceremus et quo nobis esset recurrendum. Unde proprie templum dicitur esse domus, ubi Deus habitat; quocirca, locus omni reverentia dignus, atque ex præsentia Angelorum terribilis. Ubi enim rex est, ibi et curia. Nota utique vobis est illa in Genesi, XXVIII, 16, Jacobo Patriarchæ exhibita visio quæ seriam meretur ponderationem. Dicit enim S. Patriarcha : *Vere Dominus est in loco isto; non est hic aliud, nisi domus Dei et porta Cœli.* Quam veraciter autem hæc propositio a Jacob prolata fuerit, Rupertus Abbas illius quoque rationem reddens, his verbis declarat : « In omni « loco ubi invocatur nomen Domini, veraciter hoc « protestatur Ecclesia; ubi enim sanctum celebra- « tur Baptisterium, ubi sacrosanctum corporis et « sanguinis Christi conficitur Sacramentum, ubi « fideles animæ renascuntur, et Angelorum ascen- « dentium, et descendentium manibus orationes « feruntur in Cœlum, quid nisi porta Cœli et infer- « nalibus portis terribilis locus? » S. Bernardus, *Serm.* IV *de Dedic. Eccles.*, sic ait : « Nemo jam « nesciat, nemo vestrum ignoret siquidem non « accipimus spiritum mundi hujus, sed spiritum « qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo data sunt « nobis. Terribilis plane locus et dignus omni « reverentia, quem fideles viri inhabitant, quem « Angeli sancti frequentant, quem suæ quoque « præsentia Dominus ipse dignatur. Ibi vere Domi- « nus est, ubi in ejus nomine Angeli simul et « homines congregantur. » Paulo post vero idem mellifluus Doctor modum exponit, quo nobis Dei in Ecclesia præsentiam et assistentiam promittere valeamus. Dicit enim : In hoc loco isto, vere Dominus est, si tamen serviamus ei in spiritu et veritate; non vere Dominus erat apud eos quibus dicebat : *Quid vocatis me Domine, Domine, et non facitis quæ dico?*

g. — Persuadebant sibi Pharisæi, quod Deum suis orationibus sibi haberent quasi devinctum. Sed e contrario Deus eos execrabatur, utpote superbos. Primum igitur omnium oratio, ut gratias et dona Dei impetret, postulat humilitatem; humiles enim ad recipiendas gratias et dona Dei capaciores sunt et magis dispositi. Spiritus veritatis per os Ecclesiastici, XXXV, 21, nobis promittit quia : *Oratio humiliantis se nubes penetrabit.* Quamvis enim Filius Dei ad dexteram excelsi resideat Patris, in majestate et eminentia infinita, nihilominus quanto magis in humilitatis nostræ centrum, nos ipsos demersérimus, tanto magis nostræ apud Altissimum exaudientur preces. Ideoque Hugo Cardinalis ait : « Ora-

« tio non omnium, sed humilium, nubes penetra-« bit. » Chananea, ut omnes novimus, animam designat orantem; cujus preces admirans Albertus Magnus verbum *clamavit*, sequenti illustrat commentario : « Non tam alta voce oris, quam magna « cordis devotione. » Primo itaque benignissimus Salvator, licet miracula sua liberaliter multiplicaret circa omnes, preces ejus quasi surdaster sprevit : *Qui non respondit et verbum*. Permoti itaque Apostoli pro supplicante intercesserunt, sed et ipsi repulsam tulere apud Dominum dicentem : *Non sum missus, nisi ad oves quæ perierunt domus Israel*. Cumque illa nihilominus instaret, iterum respondit Dominus : *Non est bonum sumere panem filiorum et mittere canibus*. Quod cum audiret supplex, mox subjecit, dicens : *Etiam, Domine, nam et catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum*; et ecce subsignatam mox supplicam, abundantius quam petisset, respondente Domino : *O mulier fiat tibi sicut vis; magna est fides tua. Et sanata est filia ejus ex illa hora*. Ubi vocabulum, *tunc*, notetis velim, utpote relationem ad præcedentia verba habens; quasi S. Matthæus inferre voluisset orationem, ejus exauditam fuisse, quando se humilis cani assimilavit. Unde et D. Chrysostomus ait : « Ex hac humi-« litate, ex abjecta conditione canum, filia facta « est. » S. Bernardus in præsenti exemplum desumit a mendicis dicens, *Serm.* IV *de Ann.* : « Aliter « et sapientius mendici, quam nos, misericordiam « implorant, nam eleemosynam petentes, non pre-« tiosas vestes ostentant, sed seminuda membra, « atque ulcera. »

VERSUS 11.

Pharisæus stans, hæc apud se orabat : Deus, gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum, raptores, injusti, adulteri, velut etiam hic Publicanus.

Pharisæus stans.

1. — Lucas Brugensis litteralem horum verborum sensum sequitur, dicitque in antiquo templo Jerosolymitano moris fuisse, ut homines stantes orarent : « In illo templo veteri fere moris erat « stare; nam quamquam nunc in genua, nunc « etiam in faciem procideretur, tamen quia non « poterat id esse continuum, quamdiu Religionis « officia durarent, stabatur fere a viris, cum com-« moditas sedendi nulla esset. » Soli Regi et summo Pontifici intra templum sedes ponebatur. Nihilominus idem Auctor denique, juxta communem Expositorum opinionem, a sensu litterali ad spiritualem transiens, concludit, Christum hisce verbis superbiam Pharisæi insinuare voluisse; unde ait : « Cæterum fieri potest, ut hic notetur Pharisæi « arrogantiæ. » Idem documentum affert Lyranus : « *Stans*; ecce jactantia, quia stabat, ut ab aliis « videretur orare. » Albertus Magnus inquit : « *Stans orabat*, cum procumbens et pronus debuis-« set orare. » Eadem est sententia Cardinalis Hugo, dicentis : « Ipse situs corporis exprimit elationem « mentis, id est, superbiam. « Salmeron idem dogma sed expressioribus verbis adducit, dum inquit : « Stabat plus mente elatus, quam corpore; « currit impius erecto collo contra Deum. » Imo juxta opinionem Basilii Seleuci, *Orat.* XXXV, tanta fuit hujus Pharisæi superbia, ut crediderit, se capite cœlum contingere : « In nubes se raptum « iri propemodum sperabat, ut in cœlo cum Deo « colloqueretur. » Eamdem penitus atque explicitam horum verborum interpretationem facit Theophylactus, dum ait : « Ostendit autem Dominus, « ut per stationem, superbiam ejus et humilitatis « inopiam cognoscamus, humilis enim viri est, et « aspectu humiliari, hic autem et habitu et gestu « superbus agnoscitur. » Bene equidem pariter de Publicano dicitur : *Stans autem Publicanus*; sed propter ea, quæ sequuntur verba, scilicet : *Nec audebat oculos ad cœlum levare*. Ex quibus verbis idem auctor sequens deducit documentum : « Sta-« tio ejus, » nempe Publicani, « incurvata erat, » hujus vero, scilicet Pharisæi, « extento collo. »

Hæc apud se orabat.

2. — Venerabilis Beda curiose contemplando animalia illa, quæ nobis in Ezechiele repræsentantur, plena oculis ex omni circumquaque parte, mysterium illud ad sequentem traducit moralitatem : « Corpora quippe animalium idcirco plena « oculis describuntur, quia Sanctorum actio ab « omni parte circumspecta est, bona desiderabiliter « providens, mala solerter cavens : sed nos, sæpe « dum aliis rebus intendimus, fit ut alia negliga-« mus; et ubi negligimus, ibi procul dubio oculum « non habemus. » Mox que exemplum subjungit Pharisæi, inquiens : « Ecce Pharisæus ad exiben-« dam abstinentiam, ad impendendam misericor-« diam, ad referendas Deo gratias, oculum habue-« rat; sed ad humilitatis custodiam non habebat, et « quid prodest, quod contra hostium insidias pene « tota civitas caute custoditur, si unum foramen « apertum relinquitur, ubi ab hostibus intretur? » Non reprehenditur Pharisæus, quod Ecclesiam frequentarit, quod orationibus, eleemosynis aut jejuniis vacet, neque quod Deo gratias agat, sed quia in his et similibus inaniter et jactabunde sibi complacuit; hoc namque agendi modo, omnia sua irritavit merita et exosa Deo reddidit opera. Apposite ad intentum nostrum Optatus Mil. dicit : « Meliora « sunt peccata cum humilitate, quam innocentia « cum superbia. »

3. — Hugo Cardinalis inquit : « *Apud se*, tanquam « sibi placens. » Adducitque auctoritatem S. Gregorii, dicentis : « Oratio hominis placentis sibi non « ascendit ad Deum. » Cujus rationem plenius dilatat S. Basilius in hæc verba : « Cum preces ejus « debuissent ad cœlum ascendere; inanis merito-« rum gloriatio eum deprimebat et faciebat, ut « apud se esset. » Similitudinem porro idem Auctor adducit, desumptam a fumo, qui dum exitum non reperit, sursum se erigit, tectumque petit, postea vero deorsum relapsus, circumstantium oculos excæcat. Ita pariter *oratio humiliantis se, nubes penetrabit. Eccli.*, XXXV, 21 : Superbi vero, fastuosi et arrogantis, qualis erat hujus Pharisæi, ne quidem templi tornices penetrare potest; imo non tantum cœlos non petit, sed etiam in se ipsa suffocata, precatorem suum spiritualiter excæcat, ut arrogantiam et præsumptionem suam, qua se inaniter supra se extollit, Deoque inimicum constituit, non recognoscat. Chrysostomus, porro citatus in *Catena*, docet, quod superbia orationem non solum non in cœlos ascendere faciat, sed etiam cœlo vicinam retrahat, et in abyssum præcipitet : « Hæc « igitur fastus inflatio ab ipsis cœlis potest depri-« mere non caventem, humilitas vero et ab ipsa « abysso reatuum, hominem sublimare; hæc enim « præ Pharisæo Publicanum salvabit, latronem ante « Apostolos in Paradisum duxit. »

4. — Glossa dubium movet in præsenti, quare scilicet reprehendatur et reprobetur Pharisæus, ob eum, quem formavit bonorum operum suorum catalogum, cum tamen Job, idem faciendo laudatus fuerit. Sed facilis est difficultatis solutio, si bene consideretur, quod hypocrita Pharisæus totum hoc fecerit sine causa, ex motu arrogantiæ, et sola magni nominis sanctæque famæ consequendæ intentione : « Job vero, prementibus se amicis et « gravius incumbentibus, quam calamitas ipsa, « dicentibusque, quod per peccata, illa sit passus, « compulsus est enumerare sua opera, idque per « gloriam Dei, ne scilicet homines a recto virtutum « cursu excederent; nam si comperissent homines, « peccata fuisse, quæ fecerat Job, ac propter illa « passum, cavissent ne eadem facerent, factique « insuper fuissent osores, inhospitales, immisericor-« des et injusti, hæc enim erant omnia opera Job. »

5. — Negat Guillibertus Abbas, *Serm.* XXXIII *in Cant.*, veræ orationis nomen competere illi, quam Pharisæus instituit precationem : « Pharisæe non « rogas, » inquit, « sed prope astanti Publicano « injurias irrogas. » Proinde acute advertit Jansenius, Christum non sine mysterio dixisse : *Hæc apud se orabat*. Quæ verba auctor ille ita explicat : « Bene sane apud se orasse dicitur, quia non orabat « apud Deum, qui ejus orationem non audivit nec « approbavit. »

6. — Oratio illa Pharisæi, ut Lucas Brugensis scribit, continebat gratiarum actionem, et ideo ex hac parte bona rectaque erat; ex alia vero parte omnino reprehensibilis, tum quia ordinabatur ad inanem sui ipsius jactantiam, tum quia nihil petebat nec supplicabat Deo, cum tamen hæc sit principalior orationis pars, quam proinde ab aliquibus Magistris spiritualibus definitur, quod sit « Petitio « decentium a Deo. » At vero « nihil Pharisæus « petit a Deo, non remissionem peccatorum, vel « illorum, sine quibus hæc vita a justis non dicitur, « non augmentum virtutum, non perseverantiam. » Idem attigit S. Augustinus, *Serm.* XXXVI *de ver. Dom.*, dicendo : « Tanquam superbus et inflatus repre-« henditur; non quia Deo gratias agebat, sed quia « velut sibi nihil addi cupiebat. »

7. — Considerat Albertus Magnus, hanc a Pharisæo orationem, institutam fuisse, conformiter inclinationi propriæ, et ideo ex hac parte etiam vitiosam fuisse, docente Apostolo, ut in orando non appetitum proprium, sed impulsum Spiritus sequamur, *Rom.*, VIII, 26 : *Nam quid oremus, secundum quod oportet, nescimus; ipse autem Spiritus postulat pro nobis, gemitibus inenarrabilibus*; « et ideo non « hæc orare debuit, quæ sibi videbantur; nam et « Paulus pro stimulo petiit, II *Cor.*, XII, et non exau-« ditus fuit. »

8. — Dionysius Carthusianus etiam Pharisaicæ hujus orationis fallaciam discooperit, inquiens : « Orat simulatorie magis quam vere : Oratio enim « est devota elevatio mentis in Deum cum impe-« trandi affectu : atque, ut ait Gregorius, orare, « est in compunctione amaros gemitus ex corde, « non composita verba sonare. »

9. — Christus Dominus, *ipse sciebat, quid esset in homine*, utpote *qui scrutatur renes et corda*, et ideo scienter de hoc Pharisæo affirmare poterat, quod *orabat apud se*; circa quæ denique verba ita discurrit Albertus Magnus : « Reprehenditur, quod « apud se orabat, non apud Deum; apud se enim « orat, qui se, et quod sibi placens est, orat. *Rom.*, « XV, 1 : *Non debemus nobis placere*; apud Deum « habet orationem, qui totam suam petitionem Deo « committit. »

Deus, gratias ago tibi.

10. — Lucas Brugensis ait : « Verbis agnoscens « Dei bona et gratiam, reipsa placet sibi in illis, « non secus a seipso haberet, et diligentia sua « assecutus esset. » Non solum gloriatur de bonis operibus suis, et de sanctitate, in seipso temerarie sumpta, sed etiam in iisdem sibi complacet : « Non « tam Deum laudans, quam seipsum, specie gratia-« rum actionis, ad se laudandum abutens, idque « cum aliorum contumelia. »

11. — Quærit Jansenius, quo justo motivo reprehendantur hæc Pharisæi verba, utpote quibus non tantum Deo gratias agit, sed etiam attribuit quicquid in se recognoscit boni? Ipsemet autem Doctor respondet in hæc verba : « Non reprehendi-« tur, quia Deo gratias egit, sed quia gratias agendo

« et male sibi placuit, et alios præ se superbe con-
« tempsit, sic enim sibi placuit, ut in sua gratia-
« rum actione, suas tantum laudes commemoraret,
« et ob quasdam virtutes se justum esse confideret,
« adeo ut nihil sibi ad complementum, petendum
« putaret. »

12. — Textum illum Apostoli, *Gal.*, VI, 3 : *Si quis existimat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit; opus autem suum probet unusquisque*, Hugo Cardinalis transfert ad discursum Evangelii hodierni, dicitque : « Duæ sunt partes justitiæ; scili-
« cet declinare a malo et facere bonum ; iste Pha-
« risæus, ut perfecte justus appareat, de utraque
« gratias agit ; » quoad primam siquidem partem, quæ jubet fugere malum : *Declina a malo*, dicit : *Non sum ut cæteri hominum, raptores, injusti*, etc. Quoad secundam vero, quæ præcipit : *Fac bonum*, etiam ait : *Jejuno bis in Sabbato*, etc. Sed mentiebatur; nullas Deo agebat gratias, quia *qui in uno offendit, factus est omnium reus*. Id quod docte prosequitur Albertus Magnus hisce verbis : « Qui
« penitus destitutus est, de quo gratias agit? Sicut
« enim ingratus est, qui de percepto munere gra-
« tias non agit de hoc, quod nunquam percepit. »
Optatus Milevitus voces : *Deus, gratias ago tibi*, ita interpretatur, quasi Pharisæus diceret : « Gratias
« tibi Deus, quia nihil peccavi, et non habeo, unde
« ignoscas. » Opera quidem ejus, quantum ad externam apparentiam bona erant, sed perversa animi intentio, illa omnino inutilia et prorsus culpabilia efficiebat, ita ut in præsenti vere adimpleatur illud Christi monitum, *Matth.*, VII, 25 : *Veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces*. Optime Pharisæo competit ille Isiæ, LXIV, 6, textus, dicentis : *Quasi pannus menstruatæ, universæ justitiæ nostræ*; quia ubi non est charitas nec gratia Dei, etiam exspirat omne meritum, nec ullum ibi opus Deo gratum aut acceptum esse potest, quia superbis nunquam datur gratia cœlestis. Adducit porro Dionysius Carthusianus diversas hujus pharisaicæ arrogantiæ causas, inquiens : « Multiplici
« laboravit superbia. Primo, quia etsi omne bonum
« cognovit esse a Deo, bona tamen sua sibi a Deo
« præstita æstimavit, non solum ex divina clemen-
« tia, sed etiam pro sua industria sive justitia. Se-
« cundo, quia etsi verbis gratias egit, tamen mente
« ad seipsum reflectebatur, videri cupiens et lau-
« dari; imo et de sua gratiarum actione vanitatem
« concepit. Tertio, quia de bonis suis super alios
« insipienter se extulit. Quarto, quoniam alios
« temere judicavit et sprevit. »

13. — S. Bernardus, *de grad. humilit.*, aliam subjungit hujusce malitiæ rationem, dicens : « Gra-
« tias agit, non quia bonus, sed quia solus; non
« tam de bonis, quæ habet, quam de malis, quæ in
« aliis videt. » Unde deducitur, ne minimam quidem in hoc Pharisæo fuisse charitatis scintillam; cujus arrogantem de seipso conceptum et nimiam, de suorum meritorum honorumque operum abundantia, præsumptionem respicit illa S. Paulini, *Ep.* LVIII, sententia : « Quod justitia ædificabat, superbia
« destruebat. » Didacus Stella sibi persuadet, Pharisæum hunc multa admisisse peccata, quæ omnia supprimit in silentio : « Cœlavit Pharisæus peccata,
« quæ confiteri debuerat; et bona, si quæ fecerat,
« patefacit. Qui enim sana membra medico ostendit
« et vulnera tegit, nunquam curari poterit, imo
« potius quotidie pejus habebit. » Applicat denique auctor ille similitudinem hanc ad illos, qui magnam sui apud alios gestiunt comparare æstimationem et passim haberi volunt, tanquam homines justi et sancti, propter ea, quæ in publico faciunt, opera bona. Quorum proinde genium hisce verbis describit : « Postquam facta sunt, » scilicet opera bona,
« illis, quos latere putant, illa referunt, ut inde ab
« illis, quibus illa referunt æstimentur. »

14. — Aliud quoddam argumentum, Pharisæi hujus impietatem evincens, elicit idem auctor ex illo textu Proverbiorum, XVIII, 17 : *Justus prior est accusator sui*; dicitque : « Justus in principio accu-
« sator est sui; et sic oportebat, ut iste faceret :
« tamen a suis laudibus incipit. »

15. — Lucas Brugensis docet Pharisæum hunc, modum, debitam dignamque laude gratiarum actionem instituendi, nimirum : « Si sincere Deo
« gratias agat, cognoscens, se Dei gratia, sine
« meritis suis a sceleribus, quæ passim inter ho-
« mines regnant, præservatum fuisse; et non insul-
« tet peccatori præsenti, sed misereatur ejus et
« conjunctim cum eo oret. » Non displicet Deo, quod recognoscamus ea, quæ ab ipso recipimus bona, utpote qui super omnia, vitium detestabitur ingratitudinis, sed in eo offenditur, quod homo per collata sibi a Deo beneficia, non solum Deo placere non studeat, sed iis insuper abutatur ad offensam sui benefactoris, ad illusionem et contemptum proximi.

16. — Glossa Interlinearis talem ex prædictis deducit consequentiam; si reprehensione dignus fuit, qui cum fastu et arrogantia gratias Deo egit, quanto majorem reatum contrahet et graviori dignus erit supplicio, qui divinam oppugnaverit gratiam? « Si reprehenditur, qui superbe gratias
« agit, quid ergo ille, qui impugnat gratiam? »

Quia non sum sicut cæteri hominum.

17. — S. Bernardus, *de grad. humilit.*, ait : « Nondum de suo trabem ejecerat et festucas in
« oculis fratrum enumerat. » Si namque contra hunc Pharisæum, processum formare laberet, reperiremus utique ipsum multorum reum criminum, omni vacuum merito, nullis bonis cumulatum operibus.

18. — Juxta ejusdem auctoris judicium : « Si
« amittitur humilitas, virtutum congregatio nonnisi

« ruina est. » In hoc autem Pharisæo ne vel unicum suberat humilitatis vestigium; cui merito culpæ excessum Lucas Brugensis exprobrat, verbis sequentibus : « Se criminibus et peccatis absolvere,
« alios omnes onerare, temerariæ atque arrogantis
« superbiæ est. » Perpendit Cajetanus, quod quidem Pharisæus rationabiliter admodum fecerit, Deo gratias agendo, propter omnimodam a rapinis, adulteriis, injustitiis, aliisque vitiis immunitatem,
« quemadmodum divinæ gratiæ munus est, quid-
« quid non delinquimus, » sed in eo turpiter aberravit, quod in superbia, tanquam unico sibi proposito fine, « respexerit ad se, relatum ad alios,
« quod est officium superbiæ, quod est singulari-
« tatis tumor; ex relatione scilicet ad alios, se
« præferre. » Nullum denique in hoc Pharisæo spiritum aut virtutem fuisse, patet ex eo, quod nulla sit virtus sine humilitate, sed juxta intensionem aut remissionem humilitatis, deficiat aut proficiat quæcumque virtus. Unde Ecclesiasticus, III, 20, inquit : *Quanto major es, humilia te in omnibus et coram Deo invenies gratiam.*

19. — S. Propheta Job, teste Veritate æterna, nullum sibi super terram habebat æqualem in sanctitate : *Considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis in terra? Job.*, II, 3. Nihilominus ipse protestabatur, *Job*, IX, 20, dicens : *Si justificare me voluero, os meum condemnabit me, si innocentem ostendero, pravum me condemnabit; etiamsi simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea.* Rationem adducit Salmeron, quare servi Dei se nominent peccatores, prout legitur de S. Francisco qui se maximum mundi peccatorem compellabat. Nimirum, « tum quia tales sunt ex natura sua, tum quia
« latere potest aliquod occultum delictum. » Juxta quem discursum, inquit Lucas Brugensis : « A pec-
« catorum numero se eximit, quando etiam ii, qui
« sanctitate excellunt, agnoscere debent, multis se
« adhuc peccatis esse obnoxios. »

20. — Summa perfectionis et sanctitatis non in sola mortalium, sed in omni insuper possibili, plenaque peccatorum venialium fuga consistit. Unde aptissime Salvianus, *lib.* V *de Pr.*, ait : « Perfectis-
« simæ et sincerissimæ sanctitatis volens cultores
« suos facere Salvator, jussit, ab eis cautissime
« etiam minima servari. » Qui mundi hujus innavigant mari, non ab Aquilonaribus solum ventis subvertuntur, sed sæpe etiam, dum in occultas rupes impingunt, naufragi fiunt : unde rogabat Psalmista, *Psal.* XVIII, 13 : *Ab occultis meis munda me, Domine.* Sentit Chrysostomus, *Hom.* XLVII *in Matth.*, Pharisæum magis venialia, quam sua mortalia considerasse peccata; quia nimirum illa, scilicet mortalia, « natura sponte aversatur, hæc autem
« hac ipsa re, quia parva sunt, desides reddunt;
« unde ex parvis maxima fiunt, negligentia nos-
« tra. » Hic equidem Pharisæus, si verbis ejus credimus, adulteria, latrocinia et injustitias fugiebat, sed alia interim spiritualia et occulta peccata minime declinabat, prout ex dicendis patebit.

21. — « Bellum sane, » inquit Basilius Seleucus, *Orat.* XXXV, « gratiarum actionis exordium ;
« mundi criminatio et judex et mortis sententiam
« in omnes ferens : *Non sicut cæteri.* » S. Augustinus, *Serm.* XXXVI *de ver. Dom.*, quærit : « Quid est,
« *cæteri homines*, nisi omnes, præter ipsum? Ego,
« inquit, justus sum, cæteri peccatores. » Idem prosequitur S. Basilius, dicens : « Deo exprobra-
« turus intonuit; non habes justum alterum in
« terra, ego tibi solus virtutum thesaurus; deserta
« sit a justitia terra, nisi hanc ego calcarem. »
Severius omnibus hæc Pharisæi verba discutit Didacus Stella, *in Luc.*, inquiens : « Expende arrogan-
« tissima verba : *Non sum sicut cæteri hominum*;
« cum se solum bonum credit, quodammodo male
« de Deo sentit, quia credit quod Deus in uno solo
« divitias posuerit et quod alio non sit bonus, nisi
« sibi. » S. Bonaventura præsenti loco accommodat textum illum libri Regum, ubi Elias se in medio idololatrarum constitutum videns, lamentabatur : *Derelictus sum ego solus*; cui Dominus respondit : *Nequaquam*; septem namque millia adhuc supererant eorum, qui non curvaverant genua ante Baal. Ex quibus Seraphicus Doctor hujusmodi deducit consequentiam, in confusionem Pharisæi : « Hic
« autem cum sit in immensum Elia inferior, non
« solum se dicit justum, verum etiam cæteros asse-
« rit peccatores. »

22. — Docet nos genium nostrum regius Psaltes, *Psal.* LXI, 10, inquiens : *Mendaces filii hominum in stateris, ut decipiant.* Adjungamus nos : *Ut decipiant* seipsos. Vere namque seipsum fefellit Pharisæus, jactitans : *Non sum sicut cæteri hominum*; volensque seipsum ab humana conditione eximere; cui proinde viriliter se opponit Chrysostomus, *in Psal.* XXXIX, in hæc verba : « Quomodo sententiam
« de omnibus hominibus, cum te jactas, dedisti, ut
« diceres : *Quia non sum sicut cæteri homines?* Si
« homo es, casibus plenus es; si homo es, pugnas
« cum sarcina carnis, cum voluptatibus ventris,
« cum avaritiæ cupiditatibus; si homo es, sensus
« tui impugnantur desideriis : agnosce miser, quia
« caro concupiscit adversus spiritum et spiritus
« adversus carnem, hæc enim invicem sibi adver-
« santur, ut non ea, quæ vis, facias. Quomodo ergo
« non es sicut cæteri homines, cum teipsum non
« videas quid sis? » Verissimum status et conditionis nostræ judicium tulit Propheta Job, V, 18, asserens, nullum omnino hominem de sua coram Deo puritate et innocentia gloriari posse : « Ecce qui
« serviunt ei nont sunt stabiles et in Angelis suis
« reperit pravitatem; quanto magis hi, qui habitant
« domos luteas, qui terremum habent fundamen-
« tum, consumentur velut a tinea. »

UNIVERSIDAD DE NAVARRA

23. — S. Bonaventura Pharisæum hunc mendacii arguit, « quia dicebat se non esse peccatorem; » adducitque illud S. Joannis, I *Epist.* I, 8, testimonium, protestantis : *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus et veritas in nobis non est;* « falsum ergo dicebat, quia se « solum dicebat justum. » Bene advertit S. Bernardus, Davidem, licet vir esset secundum cor Dei, neutiquam tamen communi humanitatis et mortalitatis nostræ conditione se majorem reputasse : « Non se excipit a communi miseria, ne excipiatur « a misericordia; Pharisæus exsufflat misericor- « diam, dum dissimulat miseriam. Propheta affir- « mat tam de omnibus, quam de se : *Omnis homo « mendax.* Pharisæus confirmat de omnibus, præter « se, *non sum,* inquiens, *sicut cæteri hominum.* » Citat Albertus Magnus auctoritatem Aristotelis, dicentis apposite ad rem nostram : « Qui non est « sicut homines, aut aliquid melius est omni ho- « mine sicut Deus; aut aliquid vilius omni homine, « sicut bestiæ. » Ex quibus verbis S. Archiepiscopus hanc adversus Pharisæum elicit consequentiam : « Deus iste non fuit, ergo in bestiam est conver- « sus; de hoc igitur stultus gratias agit. »

24. — Admonuerat Christus Scribas et Pharisæos, dicens, *Matth.*, VI, 1 : *Attendite, ne justitiam faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis;* hic vero in conspectu omnium et quidem apparenter tantum, bonis operibus vacabat. Iterum, præceptum noverat datum : *Cum facis eleemosynam, nolo tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis;* nihilominus ille non in synagogis, sed in medio templi, coram copiosa hominum multitudine, in præsentia omnium, elata voce, sua deprædicabat jejunia, eleemosynas, orationes et quæcumque alia bona. Longe oppositum Virgini Eustochio S. Hieronymus suasit, dicens : « Cum facis eleemosynam, « Deus solus videat; cum jejunas, læta sit facies « tua; vestis nec satis munda, nec sordida, et nulla « diversitate notabilis; nec satis religiosa velis « videri, nec plus humilis quam necesse sit, ne « gloriam fugiendo quæras. » Rationem, quare Christus apud S. Matthæum tanta cum instantia, totque multiplicatis verbis inculcare volebat Judæis, ut opera sua bona absconderent ab oculis mundi hujus, insinuat S. Bernardus, *Serm.* LXXXVI *in Cant.*, dum ait : « Ne coram orantibus laus humana ora- « tionis furetur fructum, frustretur effectum. » Mirabile videtur esse præceptum, quod Dominus dedit Moysi, *Exod.*, XXV, 18, dicens : *Duo Cherubin utrumque latus propitiatorii tegant, expandentes alas et operientes oraculum.* Ad quid hoc, cur duo Cherubin alis suis oraculum cooperient, ex auro purissimo conflatum? Respondet Oleaster, quia « summus « benefactor est et nihilominus tectus; ut te doceat « benefacere et nolle videri in bonis operibus. » Dona Dei semper occultare, nunquam propalare debemus, citra urgentem majoris Dei gloriæ aut boni animarum nostrarum casum. Unde S. Augustinus, *in Ps.* CII, ait : « Quando suadet necessitas « gloriæ Christi, vel ad id urget pia utilitas proximi, « modo illa dona Dei agnoscant et illa humilien- « tur. » In commentario textus illius Evangelici, *Matth.*, XIII, 44 : *Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito;* acute observat S. Bernardus, Christum non dicere quomodocumque : *Simile est regnum cœlorum,* id est, gratia divina, nam *regnum Dei intra vos est, thesauro,* sed insuper addere : *abscondito.* Quia nimirum « necesse est abscondere interim, si « quid habemus boni. » Quibus porro idem Sanctus aliam superaddit, proposito nostro accommodatissimam, absconsionis seu occultationis circumstantiam, dicens : « Necessaria est hæc absconsio non « solum ante oculos aliorum, sed etiam multo ma- « gis ante teipsum. » Thesaurus, quem sibi innumerabilium meritorum comparavit S. Paulus, testis est irrefragabilis, verissime eum dixisse, I *Cor.*, XV, 10 : *Abundantius illis omnibus laboravi;* majorem bonorum operum collectam fecerat, quam omnes Apostoli simul, nihilominus tantum abest, ut vanam in iis gloriam consectaretur, quin potius omnia ea perpetuæ tradiderit oblivioni : *Quæ retro sunt obliviscens. Phil.*, III, 13. Quanto plus meriti nobis comparavimus, tanto vigilantius insidias inimici præcavere debemus, nam prædatores et piratæ pretiosioribus semper inhiant et insidiantur mercibus. Unde S. Prosper, *Epist.* LXXXIV, ait : « Vigilant ten- « tatoris insidiæ, ut ubi proficit devotio, subrepat « elatio; et ut homo de bono opere in se potius « quam in Domino gloriatur. » Quapropter nos admonet S. Augustinus deducta similitudine a gallina, ovum enitente, ut videamus : « Ne bonis contingat, « quod gallinis, quæ, mox ut ova pepererunt, cla- « more suo dominos excitant, qui ova edita illis « auferant. »

25. — Salmeron subtilem quamdam serpentis infernalis prodit astutiam, nimirum quod « sæpe « dæmon sinit opera bona et multa homini perfi- « cere, quo magis postea de illis superbiens con- « fundatur. » S. Gregorius huic discursui historiam interserit Eleazari, qui elephantem quidem invasit et occidit, ipse nihilominus sub ejus bestiæ cedentis mole sepultus, exspiravit : « Elephantem feriens « stravit, sed sub ipso, quem exstinxit, occubuit; « quos ergo iste significat, quem sua victoria op- « pressit, nisi eos, qui vitia superant, sed sub ipsis, « quæ subjiciunt, superbiendo succumbunt? »

26. — Ipsemet de se Apostolus protestatur, *Phil.*, III, 17 : *Fratres, ego me non arbitror comprehendisse, unum autem, quæ retro sunt, obliviscens, ad ea vero, quæ sunt priora, extendens meipsum, ad destinatum persequor bravium supernæ vocationis.* Prosequitur et tandem concludit, quod omnes perfectionis amantes idem secum sentire debeant :

Quicumque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus. In hujus textus glossa, S. Augustinus doctrinam adducit, præsenti proposito nostro apprime faventem, dum ait, *in Ps.* LXIX : « Nemo dicat : sufficit, justus « sum; ubi dixerit : sufficit, ibi hæsit. » Attende Apostolum, cui non sufficit; ille currit, tu hæsisti? ille dicit se nondum comprehendisse, tu de perfectione gloriaris? quoties de progressu spirituali agitur, toties nos cursum spiritualem incipere, nobis persuadeamus oportet, non aliter quam si hodie primum scholæ Christi pedem inferremus. Irridet proinde idem S. Doctor, alio in loco, Pharisæi stultitiam, dicens : « Nihil sibi addi cupiebat; ergo jam « plenus es, jam abundas, non erit, quare dicas : « *Dimitte nobis debita nostra.* »

27. — Hugo Cardinalis animadvertit, quod Pharisæus Publicanum sibi ob oculos posuerit, eam inter et se comparationem instituendo : « Ecce « Pharisæus considerat, quæ non habet; hinc præ- « cipue oritur in nobis superbia, qua consideramus « quæ nos habemus bona et quæ alii non habent, « cum e contraria fieri deberet. » Justam profecto habemus causam humiliandi nos, dum videmus, quod Deus alios donis et gratiis suis locupletet, alios non; cum tamen omnes, quotquot sumus, ex eadem compacti massa, iisdem subjiciamur miseriis, filii unius ejusdemque patris; et nos utique pariter cum reliquis derelicti essemus, nisi benigna et benefica Dei manus liberaliter sustineret nos. Glossa quatuor numerat superbiæ differentias : « Quatuor sunt species tumoris, cum vel quis bo- « num quod habet, a se habere æstimat; aut si « datum a Deo credit, pro meritis datum putat, « aut cum jactat se habere, quod non habet; aut « cum despectis cæteris, appetit singulariter videri « habere, quæ habet; hac Pharisæus peste labo- « rabat. » Dives avarus, ut cupiditatem suam reprimat, in eos oculorum suorum aciem defigere debet, penes quos bonorum temporalium parcitas et spiritualium viget abundantia : attamen ut intentum suum assequatur, non quoslibet horum, sed eos præcipue contemplari debet, qui majorem habent virtutum, meritorum, spiritusque copiam; si igitur talis se cum antiquo, in Christi schola exercitato comparaverit, magnum utique se peccatorem agnoscet.

28. — Eusebius Gallicanus, *Serm.* VI *de orat.*, de hoc Pharisæo loquens fert judicium : « Odibile « fecerat sacrificium orationis suæ, fœtore jactan- « tiæ : « sibi nimirum per vanam gloriam attri- « buendo, quod Dei donum erat. Unde S. Augustinus, *in Psal.* XCVIII, ait : « Dum coronat Deus merita « tua, non coronat nisi dona sua. » Abutebatur Pharisæus sibi a Deo concessis beneficiis, ad ipsiusmet Dei offensam, fur sacrilegus, dum sibi appropiavit laudem et gloriam, soli Deo debitam, et proximum contempsit, quem Deus tanti facit, ut amorem ejus, sui comparet dilectioni æqualem, dicens, *Matth.*, XXII, 39 : *Secundum simile est huic.*

29. — Didacus Stella ostendit, quod hic Pharisæus actum quidem orationis præ se tulerit, sed in rei veritate plus non intellexerit, quid faceret, quam stultus aliquis, qui eleemosynam ostiatim collecturus, et collum suum aureis circumdaret monilibus et pretiosis corpus indueret vestimentis, credens, hæc sibi fore media ad majorem in proximorum animis excitandam compassionem, cum potius laceras debuisset induere vestes et sua manifestare vulnera : « Eodem modo nos in oratione, si volu- « mus Dei misericordiam flectere, non virtutes, ut « Pharisæus hic, ostentemus, sed potius cum Publi- « cano peccata fateamur : nam quemadmodum « ægrotus, qui a medico ictus, puriorem sangui- « nem emittit, et grossiorem retinens deficit; ille « vero, qui puriori retento, inutiliorem foras proji- « cit, convalescit, sic peccator, qui bona sua præ- « dicat, et mala tacet, salute caret; ille autem « vivit, qui bonis non omissis quid mali habet, « humiliter coram Deo medico sapientissimo expo- « nit. »

30. — Super hæc omnia declarat Pharisæus se omni privatum charitate, quandoquidem coram tanta multitudine in templo publico peccata Publicani propalavit, ampliavit, exaggeravit, eos distrahendo defectus per ora vulgi, quos ipse non sciebat, et temerarium insuper formando judicium affirmativum, in materia gravissima, qualis est bona fama et salus animæ; judicavit namque Publicanum omni Dei gratia destitutum esse, et hominem pessimæ vitæ, non obstante veridico incarnatæ Sapientiæ testimonio : *Descendit hic justificatus in domum suam.*

31. — Salmeron plures hujus Pharisæi enumerat defectus, inquiens : « Peccavit etiam in enumeran- « dis vitiis et virtutibus; nec enim omnia vitia « complexus est, non enim dixit : non sum super- « bus, aut aliorum contemptor, aut propriæ nitens « prudentiæ, et justitiæ. Nec omnes virtutes recen- « suit; non enim cum jejunio et decimis, addidit : « servo humilitatem et charitatem ad proximum. »

Raptores, injusti, adulteri.

32. — « Et tamen ignorabat, » prosequitur Salmeron « quod ipse esset vere raptor, opinionem « sanctitatis furto surripiens; » id quod proprium est hypocritarum. « Injustus etiam erat, quia alie- « num servum sine cognitione et discussione causæ « judicabat atque damnabat. Adulter vero, quia « gloriam bonorum operum, quam sibi Dominus « ut propriam vendicaverat et retinuerat, ipso « dicente : *Gloriam meam alteri non dabo,* quasi « alieni thori invasor usurpat. »

Velut etiam hic Publicanus.

33. — Didacus Stella tantam Pharisæi detestatur injustitiam et impietatem verbis sequentibus : « Proximum non auditum prius, nullis testibus, nullis « indiciis temere damnabat, digitoque ostendens « Publicanum trahebat in exemplum accusationis « suæ, in quo istius perspicue cernitur impietas, « quia non modo se jactitabat, sed etiam alios « vituperabat. » Ponderat Jansenius, Pharisæum non modo inique egisse, quia omnes despexit homines, et quibuslibet in genere se prætulit peccatoribus, sed etiam, et vel maxime, quia in individuo diffamavit Publicanum, qui cum eo ascenderat, orasturus in templo. « Condemnans eum, » inquit Jansenius, « cujus cor non novit; imo in quo pœni« tentiæ et correctionis signa advertere potuisset, « quia vidit templum Dei ingredientem, externis« que gentibus pœnitentiam præseferentem, ut ob « id merito non solum a condemnatione ejus absti« nere debuisset, sed et provocari ad spem correc« tionis ipsius, et communem pro ejus correctionis, « et Dei indulgentia precationem. » Considerat Lucas Brugensis, quod quidem Publicanus omnibus notus erat ratione officii sui; unde credi poterat promiscue, Publicanum iisdem insordisse vitiis, quibus id hominum genus conspurcari solet; « tamen cum in templo orantem et religionis officio « vacantem inspiceret, sperare debebat ejus emen« dationem. »

34. — S. Bonaventura mentem, quam in hisce verbis Publicanus habuit, explicat sequentibus : « Quod non dicit, Publicano compatiendo, sed « potius despiciendo et irridendo. »

35. — Salmeron denique ostendit, Pharisæum calumniosa et contumeliosa lingua sua omnes feriisse absentes : *Non sum sicut cæteri hominum, raptores, injusti, adulteri;* a quibus postea ad præsentem Publicanum contumeliosus graditur : « Non « contentus cæteros traducere absentes, etiam in « præsentem injurias esse voluit, illumque aculeo « linguæ suæ vulneravit : imprudentar judicabat de « Publicano, cum recte de illo sentire deberet; « præsertim cum ad deprecandum divinam miseri« cordiam in templum venisset; erat etiam bene de « illo cogitandi causa, eo quod longe esset, et « verecundo vultu, et percutiendo pectus, preces « ad Deum effunderet. » Eamdem cum S. Bonaventura sententiam nobis scriptam reliquit Cajetanus dicens : « Præfert se Publicano, religionis offi« cio vacanti, et hoc despective, dicendo : *Hic « Publicanus.* »

Additiones.

a. — *Pharisæus stans hæc apud se orabat*, etc. Stans dicitur hic Pharisæus, ut fastum denotet pharisaicum, quod vultum erigeret in cœlum, quasi cum Deo disputaturus, vel rationem meritorum suorum innuturus et exacturus. Nam humilis veri est etiam aspectu humiliari, hic autem et habitu, et gestu, et ore superbus agnoscitur, ideo ait : *Gratias ago.* Verum enimvero, tametsi Pharisæus hic merito Christi Dei censura culpatur, et inde omnium reprehensionem incurrit, non tamen ejus crimen facile apparet. Pharisæus erat stans, similiter Publicanus orat; deinde Pharisæus sua allegat merita, quæ falso allegata fuisse, non legitur. Publicanus autem quid istiusmodi posset allegare? Præterea, quid culpæ apparet quod dum in templum ascendit orare, gratias Deo agat? Num otiatur oratio in gratiarum actione sedulo negotiosa? Demum apud se orat, non ad se. An non licet ore tacito, in mentis solitudine, et silentio Deum orare, præsertim cum interior, orantis solitudo maxime commendetur? Verum dum videmur Pharisæum excusare, fastum et summam superbiam in oratione accusamus; qua supra re sic discurrit D. Basilius Seleucus, *Orat.* XXXV : « Bellum sane, » ait, « gratiarum actionis « exordium, mundi criminatio, et judex, et mortis « sententiam in omnes ferens. » *Non sum sicut cæteri.* O linguam tyrannicam! se omnium loco statuit, et omnes partis alicujus, et reliquiarum nomine habet. *Gratias tibi ago, quia non sum sicut cæteri.* Deo opprobraturus intonuit : Non habes justum alterum in terra; ego tibi solus virtutum thesaurus; deserta sit a justitia terra nisi hanc ego calcarem. In exordio Pharisæus gratitudinis virtutem ostentat, et tamen sub illius prætextu, bellum et criminationem subinfert; nec solum tyrannica lingua homines criminatur, sed etiam ipsum Deum omnium facit auctorem, quasi omnes a virtutibus expoliet, ut omnes virtutes in se uno collocaret. Et hæc superbiæ natura est, et supra alios, et super Deum sese erigere. « Superbia nominatur ex hoc, » ait Doctor Angelicus, II, II, *q.* 162, *art.* 1, « quod « aliquis per voluntatem tendit supra id quod « est; unde dicit Isidorus in libro *Etymologiarum* : « Superbus dictus est, quia super vult videri, quam « est. Qui enim vult subgredi quod est, superbus « est; habet enim hoc ratio recta, ut voluntas unius« cujusque feratur in id, quod est proportionatum « sibi. Et ideo manifestum est, quod superbia im« portat aliquid, quod adversatur rationi rectæ. » Quid est homo nisi pauxillum terræ et luti, *putredo et vermis?* Quid igitur indecentius, quam quod prætendat se super omnes alios efferre, simulque rebellis existat supremæ illi Majestati : « Quam « adorant Dominationes, tremunt Potestates? » *Quid superbis terra et cinis? Eccli.*, x, 9. Quæ major excogitari potest præsumptio temeraria, quam quod superbiat pulvis et cinis? Pessimum signum est quando in corpore humano, præter consuetudinem apparet aliquis tumor : « Est superbia, non « magnitudo, sed tumor, » ait S. Augustinus; « quod

« autem tumet videtur magnum sed non sanum. » Eodem modo discurrere possumus de eo qui intumescit, seu corde tumidus est, ac de se multum præsumit; est nimirum indicium malignitatis et malæ dispositionis, quod appetitus suos non habeat sedatos, sitque anima infirmus.

b. — Reprobus Pharisæi animus, arroganter elatus ipso etiam corporis habitu superbiam spirat, et ideo *apud se orabat*, quasi non apud Deum, quia per superbum elationis supercilium, ad seipsum redibat, tanquam vel Deum supplicare dedignatus; quin et impugnare videtur gratiam quam non expetit. Imo seipso plenus, charitate vacuus inventus et sceleribus atque injuriis opulentus, dum lingua maledica, qua propria debuisset inculcare crimina, alios injustitiæ, alios rapacitatis, alios adulterii sua oratione insimulat. O Pharisæe, idcirco in templum ascendis, ut in eo, quasi in religionis sacrario Deum ores; an ut oratione tua, tuæ vitiositatis sentinam exponas? Quæ est hæc tua in templo oratio? Respondet, sed non sine felle, Salvianus Massiliensis, *lib.* III *de Gubern. Dei* : « Novi monstri « genus est, eadem pene homines faciunt, quæ « fecisse se plangunt; et qui intrant ecclesiasticam « domum, Dei templum, ut mala antiqua deficant, « exeunt; et quid dico exeunt? In ipsis pene hoc « orationibus suis et supplicationibus moliuntur; « aliud quippe ora hominum, aliud corda agunt; « et dum verbis præterita mala plangunt, sensu « futura meditantur, ac sic oratio eorum rixa est « magis criminum quam exoratrix, ut vere in eis « illa maledictio compleatur, ut de oratione ipsa « exeant condemnati, et oratio eorum fiat in pecca« tum. » Itane Pharisæi oratio pene scelerum meditatio, et tumultuans vitiorum rixa est, quia superba erat? Superbia enim cunctorum aliorum vitiorum et peccatorum origo est, et eorum annexam habet congeriem. *Initium omnis peccati est superbia*, ait Ecclesiasticus, x, 15. Dubium movet D. Angelicus : « Utrum superbia sit primum omnium peccato« rum? » Et respondet affirmative, inhærens auctoritati præfati textus, subditque hanc conclusionem : « Superbia per quam maxime a Deo avertimur, est « primum et principium omnium peccatorum. » Ratio quam assignat hæc est : « Dicendum quod « illud quod est per se, est primum in quolibet « genere. Dictum est autem, quod aversio a Deo « quæ formaliter complet rationem peccati perti« net ad superbiam per se, ad alia autem peccata « ex consequenti; et inde est, quod superbia habeat « rationem primi, et etiam principii omnium pecca« catorum. » Nullum dari potest peccatum quod non includat contemptum Dei, divinarumque legum. Unde docet S. Augustinus : « Omnium peccatorum « initium et finis, » loquitur de superbia, « quia « non solum peccatum est ipsa superbia, sed etiam « nullum peccatum esse potuit, aut potest sine « superbia; siquidem nihil aliud omne peccatum « est, nisi Dei contemptus, quo ejus præcepta « contemnimus; et hoc nulla res alia persuadet « homini, nisi superbia. » Docet nos S. Bonaventura in quo superbia opponatur Deo. « In hoc, » ait, « contrariatur Deo, quia cum omnia subjecta « sint ei, ipsa vult se sui juris, et spoliat eum debito « honore suo, id est, universali dominio, quantum « in se est. » Alio in loco idem Seraphicus Doctor cum distinctione declarat quomodo superbia sit principium omnis peccati : « Superbia dicitur ini« tium omnis peccati, triplici ratione. Primo, prop« ter causam quæ invenitur in omni peccato, quia « in omni peccato invenitur contemptus Dei, qui « est quædam causa peccati; iste autem contemptus « est aversio a Creatore, quæ in omni peccato est, « ubi præponitur bonum commutabile, bono incom« mutabili, quia sicut sine charitate aliæ virtutes « nihil sunt, ita sine superbia alia vitia nihil sunt. » Secunda ratio quam adducit, est : « Quia primum « peccatum fuit, hoc enim genere peccavit diabolus « in Cœlo, et homo in Paradiso. » Tertia ratio : « Quia ex ea nascuntur alia vitia secundum prius et « posterius. » Abulensis ubi tractat de malignitate hujus vitii asserit peccatores divinarum legum transgressores nonnisi uno moveri passu : « Mali ab « uno capite movent passus suos, scilicet a super« bia. »

c. — Esto Pharisæus hæc verba vere dixerit : *Quia non sum sicut cæteri homines*, reliquosque suæ ætatis homines virtute superaverit, tamen dum vanæ gloriæ reus invenitur, laudatas in se virtutes damnat; et numerosa hactenus virtutum prærogativa, defectu humilitatis abrogatur. Nam, « sicut « hedera, » ait S. Nilus, *Orat. vm ado. vitia*, « sic « arborem complectitur, ut cum altius sese sustu« lerit, radicem ejus arefaciat; inanis gloria sic « juxta virtutes nascitur, ut non recedat, prius« quam vim illarum exciderit. » Qui enim ob vanam gloriam operatur, veræ gloriæ facit jacturam, et sine omni fructu laborat. Time ergo, o Pharisæe, plus donorum spiritualium habere, quam habent alii, nisi humilitate quoque alios excellas; nisi enim in hac excellas, quod in aliis virtutibus, donis, gratiis singulariter præcellis non parva est jactura virtutis. Ecclesiastæ sententia est : *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas. Quid amplius habet homo de universo labore suo, quo laborat sub sole?* Ac si diceret : Omnia perdit, cuncta secum tollit et rapit ventus vanæ gloriæ. *Laborare sub sole*, idem est ac laborare in vinea Dei, ita tamen, ut habeat laudem et applausum mundi; at hoc est recipere hic mercedem suam : et quæ hujus utilitas? Magna profecto dementia est, quod rationalis creatura, ad æternam creatam gloriam, in præsenti vita sudet, incessanter laboret, ob mundi gloriam, non modo vanam, sed etiam transitoriam et fallacem, idque ex inimici

sui instigatione. Quod primus reprobus damnetur et pereat ob invidiam et homicidium, Abiron propter ambitionem, Zambri ob luxuriam, Judas propter avaritiam, dives epulo propter crapulam, quid mirum? Ast quot homines Christiani per exercitia bonorum sanctorumque operum, per quæ æternam lucrari possent beatitudinem, præcipites agantur in abyssum perditionis, quia in operibus bonis superbiunt et vane gloriantur, magna sane stultitia est : « Pœnam de pretio salutis miseri mercantur æternam, » ait Venerabilis Beda; et S. Petrus Chrysologus, *Serm.* VII, asserit : « Nec ab hominibus « invenisti laudem, et apud Deum fructum jejunii « perdidisti. » Hoc secundum facile intelligitur; at primum, videlicet, quod non recipiat laudem apud homines, quomodo verificatur? Respondeo, non tantum homines sapientes et cautos, verum etiam alios mundanos, Deo permittente, advertere et penetrare intentionem illam et finem vanæ gloriæ, et ostentationis, quo moventur tales ambitiosi, et cupidi inanis gloriæ; unde tantum abest, quod inde ædificentur, ut potius scandalisentur.

d. — Publicanus sua flagitia ingenue professus, descendit justificatus præ Pharisæo. O Pharisæe, conscientia, quæ cum sit graviorum scelerum rea, nil in se reperit, quod confessione accuset, sed innocentiam dissimulatione prætendens, suum reatum flagitiosius exaggerat, dum causat, quod Christus ipse, qui alienæ famæ observantissimus erat, ne proximorum occulta peccata detegeret, nimiam hypocrisim Pharisæorum publicaverit! Peccatum enim mortale occultari nequit, sed tum a Deo, tum a propria mala conscientia manifestatur. Ecclesiasticus, XXIII, 28, eos qui sibi persuadent, quod in densis tenebris, peccata celare possent, ad meliorem volens reducere mentem, inquit : *Et non intelligit quoniam omnia videt oculus ejus, et non cognovit quoniam oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, et profundum abyssi, et hominum corda intuentes in absconditas partes.* S. Propheta Job, XXIV, 15, de adultero disserens inquit : *Oculus adulteri observat caliginem dicens : Non me videbit oculus; et operiet vultum suum. Perfodit in tenebris domos, sicut in die condixerant sibi et ignoraverunt lucem. Si subito apparuerit aurora, arbitrantur umbram mortis; et sic in tenebris quasi in luce ambulant.* At vero quam turpiter hi qui tales sunt, hallucinantur! siquidem *oculi Domini plus lucidiores sunt super solem.* Et ideo Deus etiam sub obscurissima noctis caligine eosdem manifestat, quia *illuminabit abscondita tenebrarum.* David pœnitens, suamque culpam agnoscens, dicebat : *Tibi soli peccavi et malum coram te feci,* quia adulterium cum Bethsabea commissum, omni cum industria occultare satagebat, ne, quam sibi comparaverat, bonam famam et existimationem perderet, aut populum scandalisaret; unde Uriam instigavit, ut cum Bethsabea conjuge sua concuberet, hocque modo peccatum suum occultaret. Sed Deus illud non solum coram Israel, verum et omnibus futuris sæculis, ad finem usque mundi, manifestavit, disponendo ut adulterium, et homicidium illius a veridico Spiritu Sancti calamo in annalibus æternitatis ad perpetuam memoriam descriptum legeretur a cunctis. Et vero posito etiam casu, quod peccatum nostrum omnino celaretur hominibus, nihilominus per continuum et indesinentem remorsum conscientiæ, jugiter manifestaretur nobis ipsis. Unde Seneca in Epistola quadam ita scribit : « Tum felicem te esse judica, cum « poteris in publico vivere, cum te parietes tui « tegent, non abscondent; quos plerumque circum- « datos nobis judicamus, non ut tutius vivamus, « sed ut peccemus occultius. Rem dicam, ex qua « mores æstimes nostros, vix quemquam invenies, « qui possit aperto ostio vivere. Janitores conscien- « tia nostra, non superbia apposuit. Sic vivimus, ut « deprehendi sit, subito aspici. Quid autem prodest « recondere se et oculo hominum aureque vitare? « Bona conscientia turbam advocat, mala etiam in « solitudine anxia atque sollicita est. Si honesta « sunt quæ facis, omnes sciant; si turpia, quid « refert neminem scire, cum tu scias? O te mise- « rum si contemnas hunc testem! »

e. — Mirum cur hic Pharisæus referens laudes suas apud Dominum damnetur, cum tamen e contra, Ezechias, Jobus, ac Zachæus in suis commendationibus approbentur. In prompto causa est : Pharisæus jactat, ac prædicat sua opera : *Jejuno bis in sabbato, decimas do omnium, quæ possideo.* Ezechias autem rex sic de se loquitur : *Obsecro, Domine, memento quomodo ambulaverim coram te in veritate et corde perfecto.* IV *Reg.*, XX, 3. Ecce uterque sua opera extollit, uterque sua facinora commendat et tamen Pharisæo datur repulsa, Ezechiæ autem præmium. Respondet Eucherius, *lib.* IV *in lib. Reg.* : « Ecce Pharisæus se justificavit in opere; « Ezechias justum etiam se asseruit in cogitatione, « atque unde ille offendit, inde iste Domino placuit. « Cur itaque hoc, nisi quia Deus singulorum verba « pensat, et in ejus aure superba non sunt, quæ « humili corde proferuntur? » Pharisæus in oratione sua ostentabat verba : *Non sum sicut cæteri hominum;* a corde inflato superba verba exibant. At vero Ezechias non externum verborum nitorem, sed intimum cordis affectum divinis repræsentabat oculis. Illud autem Deus auscultat, idque ei maxime placet, quod interna cordis vox loquitur.

Versus 12.

Jejuno bis in sabbato, decimas do omnium, quæ possideo.

Jejuno.

1. — Ecce manifestam hujus hypocritæ malitiam, qui orationibus, jejuniis, eleemosynis, aliisque bonis operibus vacat, non meritorio vitæ æternæ intuitu, sed amore præsumptionis, vanæ confidentiæ et propriæ æstimationis, consequendæ. « De « dono Dei Pharisæus, » inquit Eusebius Gallicanus « nimis, sibi securus, præsumptionis reportavit « offensam, » dum scilicet eo abutitur ad contemptum et despectum aliorum, S. Chrysologus, *Serm.* VII, in hunc modum Pharisæi inconstantiam exprobrat : « Enatasti jejunii pelagus, et in ipso portu « jejunii naufragasti, quia non comparasti lucrum, « sed mercatus es vanitatem, qui de Dei credito « humanum negotium perfecisti. » Si Pharisæus hoc sibi concreditum Dei donum bene impendisset, vitam utique lucrifecisset æternam, qui eo ad vanitatem, gloriam inanem et stultam de se conceptam præsumptionem abusus, debitum contraxit pœnæ æternalis.

2. — S. Ambrosius, *Serm.* III *in Psal.* CXVIII, hanc, quam Pharisæus instituit jejuniorum, eleemosynarum et orationum enarrationem, non mendacem, sed veram fuisse existimat : « Sed *omnis qui* « *se exaltat*, etiamsi vera dicat, offendit. O quantum « crimen superbia, ut ei etiam adulteria præferan- « tur? » Ulterius Salvianus progreditur, *lib.* II *de provid.*, dicens : « Nos hoc solum malis nostris « addere possumus, ut nos innoxios judicemus. » Vere namque crimen æstimationis propriæ, vitium superbi fastus et conceptus de suipsius perfectione et sanctitate tam exitiosum est, ut evacuet annihiletque omnia bonorum operum nostrorum merita : et ideo crimen illud S. Basilius nuncupat, « dulcem « spiritualium operum spoliatricem, jucundum ani- « marum nostrarum hostem, tineam virtutum. » Stimulum ad hoc præsumptionis vitium penitus exterminandum, non imbecillem nobis subministrat illa S. Petri Damiani doctrina, *in vita S. Barbatiani* : « Affectantes laudes hominum in semetipsis, dissi- « pant fructum laborum, eumque se ostendere « alienis oculis appetunt, ante divinæ Majestatis « intuitum, damnant omne quod agunt. »

3. — Didacus Stella e converso Pharisæum mentitum fuisse asserit, dicendo : *Jejuno*, quia tanquam cameleon, cui ventus in cibum servit, ille se flatu vanæ gloriæ saginabat : « Tamen non abstinebat a « vento vanæ gloriæ, quo pascebatur. »

4. — Gravis et enormis multorum error est, sibi persuadentium, quod suis jejuniis, eleemosynis, orationibus, aliisque similibus operibus bonis tantum in vivendo sibi redimant libertatem, ut sine timore vindictæ divinæ, solutum aliis suis cupiditatibus frenum laxare possint; audiant illi, sibique factum existiment illud S. Hieronymi ad Celantiam monitum : « Quid autem prodest extenuari absti- « nentia corpus, si animus intumescat superbia? « quam laudem merebimur de pallore jejunii, si « invidia lividi simus? quid virtutis habet vinum « non bibere, et ira atque odio inebriari? » Verissimum et notatu dignissimum est illud S. Chrysostomi, *Hom.* III, ad populum Antiochenum loquentis effatum : « Honor jejunii non est ciborum « abstinentia, sed peccatorum fuga. » Quod in consideratione Pharisæi jejunantis, et Publicani non jejunantis, sed peccata sua detestantis, latius prosequitur, inquiens : « Pharisæus ille jejunavit; « sed post jejunium illud ascendit inanis; Publica- « nus non jejunavit, et Pharisæum jejunantem « præcessit, non jejunans; at discas quod jejunii « utilitas nulla, nisi et reliqua omnia consequan- « tur. »

Bis in sabbato.

5. — « Semel, » inquit Albertus Magnus, « ad « ostentationem, et semel ad avaritiam. »

6. — Ex verbis illis evincitur, Pharisæum hunc opera supererogationis fecisse, suumque sæpe corpus macerasse. Verumtamen : *Nonne hoc est magis jejunium quod elegi? dissolve colligationes impietatis. Isa.*, LVIII, 6. Videtur equidem legem hanc adimplesse Pharisæus, si testimonio ejus proprio credimus, dicentis : *Non sum sicut cæteri hominum, raptores, injusti, adulteri. Frange*, subjungit Isaias, *esurienti panem tuum.* Neque in hoc se defecisse gloriatur, inquiens : *Decimas do omnium quæ possideo.* At quam exigua hæc erant plurimorum pauperum subsidia! Quanto horrore Christus inanem jejunii ostentationem et vanam ejus apparentiam persequatur, deducitur ex illo S. Matthæi, VI, 17, textu : *Cum jejunas, unge caput tuum, et faciem tuam lava, ne videaris hominibus jejunans, sed Patri tuo, qui est in abscondito.* E contra Pharisæus in medio templi, elatis quasi tubis, coram omni populo sua declamabat et publicabat jejunia. *Vide fusius Evangelium Feriæ quartæ Cinerum.*

Decimas do omnium quæ possideo.

7. — Theophylactus insigne quoddam, hunc jejunio et eleemosynæ innixum, attingit punctum, verbis sequentibus : « Est et alius profundior sermo, « nam contra adulterium gloriabatur de jejunio; a « deliciis enim petulantia. Contra rapinam et injus- « titiam proferebat dationem decimarum omnium, « quæ possidebat : tantum, inquit, contrarius sum « rapinæ et injustitiæ, ut etiam, quæ mea sunt, « expendam. »

8. — S. Bonaventura scribit, Pharisæum hoc loquendi modo voluisse coram mundo probare, se virum esse consummatæ sanctitatis et virtutis : « Quasi diceret : Perfectam justitiam servo, et erga « meipsum et erga Deum, quia carnem macero « jejunando, et pietatem ad Deum servo, reddendo « decimas; et hæc duo sunt, quæ maxime placent « Deo : sed suam justitiam per vanam gloriam « fœdat. *Prov.*, XXVII, 2 : *Laudet te alienus, et non os « tuum.* » Quam porro Pharisæus in decimarum so-

lutione exactus fuerit, probat Jansenius, *cap.* XCIX, discursu sequenti : « *Omnium, quæ possideo.* Non « tantum quemadmodum vulgus, frumenti, vini, et « olei, sed etiam *omnium quæ possideo*, decimans « etiam mentam, rutam, cyminum, et minutissima « quæque. » Apud S. Matthæum, VI, 5, Salvator noster protestatur, quod bona hypocritarum opera sua destituantur mercede. *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.* Id quod evenit Pharisæo, evenietque omnibus ejus sequacibus, quia inanem mundi gloriam venantur; quos S. Augustinus ab impio cursu retrahere satagens, *lib. X conf., c.* XXXV, ita præmonet : « Qui laudari vult ab hominibus « vituperante te, non defendetur ab hominibus « judicante te, nec eripietur damnante te. » Mare altum quandoque sulcare incipit vento propitio, pretiosis onusta navis mercibus, haud dubia de portu, sed ecce cum minime sperat, in præsens naufragii periculum incidit, subitoque omnes thesauri, quibus abundabat, submerguntur. Quis eam pirata spoliavit, quæ tempestas evertit? Unica rupes occulta totius mali causa est. Ita pariter multæ sunt animæ, inæstimabilibus oneratæ mercibus, cœlestium donorum, gratiarum, virtutum et meritorum, quæ in mari hujus mundi navigantes ad portum cœlestem tendunt, sed in ipso cursu, dum ad superbiæ scopulum impingunt, subito naufragæ in infernum miserrime corruunt. Unde apposite S. Nilus ait : « Inanis gloria est veluti scopulus sub aqua la- « tens, ad quem si navem alliseris, periisti. »

9. — « Insistamus orationi, » monet Chrysologus, « vacemus jejunio, serviamus misericordiæ. » In tribus hisce manifestum est, hallucinatum fuisse Pharisæum, defecit enim in tertio, scilicet eleemosyna : pro cujus intelligentia notandum, eleemosynam misericordiæ titulo condecorari, quia ubi non est compassio et charitas in proximum, nullum est eleemosynæ meritum; I *Cor.*, XIII, 3 : *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* In corde autem Pharisæi ne minima erat charitatis in proximum scintilla, quia omnes despiciebat et illudebat, peccata etiam Publicani coram omnibus propalabat, formato insuper judicio temerario pessimo, quia de peccato damnabat eum, *qui descendit justificatus in domum suam.* S. Bonaventura de Pharisæo, gratias Deo agente, ita discurrit : « Gratias agit non tam « de bonis quæ habet, quam de malis quæ in aliis « videt. »

10. — In judicio extremo Pharisæus multos videbit in inferno damnatos, raptores, homicidas, injustos, adulteros; e converso plurimos obstupescet in cœlesti gloria conspicuos, qui in vitæ suæ tempore, abstinentias, jejunia, orationes, eleemosynas frequentarunt, et nihilominus se inveniet reprobatum, non obstante, quod dicta tum mala declinarit, tum bona practicarit : ecce tibi fructum hypocrisis. « In Pharisæi spiritu, » inquit S. Gregorius, *in Serm.* II *de pœnit.*, « dolus fuit, quia magis « videri, quam justus esse optavit; « vana gloria omne ejus extinguente meritum : « Per super- « biam, si quæ in eo fuerant, minuit merita, qui « humiliari contemnens, auxit peccata. » Non ex apparentia externa, sed ex fine et intentionis rectitudine discerni debet, si opera cujuscumque meritoria sunt apud Deum; unde S. Augustinus, *in Psal.* LI, monet : « Non valde attendas, quid homo « faciat; sed quid, cum facit, aspiciat. » Tota externa Pharisæi perfectio in hisce duobus polis volvebatur Davidicis : *Declina a malo, et fac bonum*; nihilominus totus Deo exosus erat, quia teste S. Gregorio, *lib.* I *dial.*, : « Cum perversa est intentio, quæ « præcedit, pravum est omne opus quod sequitur, « quamvis rectum esse videatur. »

Additiones.

a. — *Jejuno bis in sabbato, decimas de omnium quæ possideo.* D. Chrysologus pro more suo magno acumine Pharisaicum hoc pungit jejunium, *Serm.* VII, cum Pharisæo hunc in modum discurrens : « Enatasti, » ait, « jejunii pelagus et in ipso portu « jejunii naufragasti, quia non comparasti lucrum, « sed mercatus es vanitatem, qui de Deo credito « humanum negotium perfecisti. » Jejunaverat homo et tamen reprobatur quia de jejunio non utilitatem animæ sed ostentionem captare satagebat; quod est verissima hypocrisis, quæ omnium bonorum operum merita devorat. Tempore messis nonnunquam contingit, quod dum venti impetuosi valde spirant, frumenti spicæ granis onustæ et maturæ, per ventorum agitationem concussæ in terram cadant, granaque hinc inde dispersa intereant, adeo ut agricola qui apparentem messis liberalitatem videns, granarium suum exinde adimplere speraverat, spe sua delusus remaneat; postquam seminavit granum, illudque terræ mandando et custodiendo, plurimum fatigavit, demum se spe sua delusum conspicions, lamentatur et mœstus efficitur. Haud secus de hypocritis. Dicere quidem possunt cum Apostolo : *Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit*, I *Cor.*, III, 7; quia ille qui ait : *Pater meus agricola est*; in agrum animæ ipsorum semen jacere, illudque cultivare satagit, ut tandem illud suo tempore in granarium cœleste congregare possit, juxta illud : *Triticum autem congregabo in horreum meum.* At vero, eheu! sæpe numero accidit, ut ventus hypocrisis et applausus humani illud auferat et fructus meriti bonorum operum in paleas degeneret, cessuras in ignis inextinguibilis perpetuam escam; de quo proinde supremus agricola magnam habet lamentandi occasionem : « Non enim vult disciplinæ cœlestis Magis- « ter, » inquit S. Maximus, « irreligiose agi, quod « fieri pro religione præcipitur; nec patitur invo-

« cantium se laborem, quibus æternam parat mer- « cedem infructuosæ jactantiæ vitio deperire. » Quod si aliquem videres, qui post adhibita in agrorum culturam multa dispendia, post multos sudores et labores, aristas in spicas intumescentes amputaret, ut fenum sibi inde congregaret, numquid illum fatuum et delirum esse judicares? Et tamen hoc ipsum hypocritis frequenter accidit, qui postquam per pœnitentiarum suarum sudores, copiosam in cœlo messem congregare possent, ab aura et vanitate mundi seducti, nil nisi fenum solum et paleam, flammis infernalibus deserviturum, inde colligunt : « Multa contra hypocritas « sacer textus loquitur, » inquit Simon de Cassia; qui idem, postquam multa adduxisset sacræ Scripturæ testimonia, tandem subjungit : *Receperunt mercedem suam*; moxque addit : « Ex his quibus « possumus mercari cœlestia, perfunctoria et ter- « rena nancisci, quid hinc dementiæ possit æquari? « In malo penitus simile non invenio. »

b. — *Jejuno bis in sabbato*, id est, in hebdomada; cum ergo Pharisæus se jejunatorem dicit, castum etiam se ostendit, carnis enim concupiscentia prævalere non potest, ubi jejunium regnat. Jejunium enim luxuriam destruit, ac castitatem inducit. S. Chrysologus, *Serm. de jejunio*, sic ait : « Est jeju- « nium castitatis murus, pudicitiæ propugnacu- « lum. » Non est quod miles timore concutiatur, quandiu inter muros et mœnia, aliaque propugnacula inexplicabilia ab inimicorum telis et insultibus defenditur, siquidem nihil præter crudelem famis inediam eum ad sui potest deditionem adigere. Etenim inter eos milites, qui pro civitatibus et munimentis materialibus defendendis et conservandis dimicant et alios spirituales prælia- tores, qui pro animæ et cordis sui munditie et puritate conservanda strenue deceriant, hæc est differentia, quod dum illi per famem vincuntur, alii e contra, per famem, afflictionem et inediam triumphent; et id quidem tanto gloriosius faciunt, quanto majori se abstinentia et fame conficiunt et macerant, dummodo illa a discretionis regula dirigatur et gubernetur; *rationabile sit obsequium nostrum.*

c. — Optime præmissum est explicatione præcedenti de jejunii effectu quoad corpus et animam; bene subjungitur nunc quod de hujus Pharisæi jejunio D. Chrysologus, *Serm.* VII, loquens, ait : « Enatasti jejunii pelagus et in ipso portu pelagi « naufragasti. « Jejunium enim non ob vanam gloriam, sed libenti animo fieri debet. Ad assequendum jejunii præclarum meritum et ad exercendam utiliter abstinentiæ virtutem, oportet ut illius exercitio omnem laudem et gloriam humanam summa cum sollicitudine caveamus. Unde S. Bernardus, *Serm.* I *de Quadrag.*, super illa Salvatoris nostri verba : *Unge caput tuum et faciem tuam lava*, ita scribit : « Hoc est : Sic te irreprehensibilem « foris exhibe, ut divinam tibi conciliare studeas « gratiam et ante oculos humanos non propriam « quæras gloriam, sed auctoris. » Faciei namque ablutio indicat e medio omnino nobis tollendam esse vanitatem et ostentationem : « Alius enim « jejunat studio vanitatis et huic dicitur : *Faciem « tuam lava.* » Etenim Pharisæus arroganter de se jactabat : *Jejuno bis in sabbato*; et tamen reprobatus fuit, quia abstinentiam quam faciebat, deducebat in ostentationem. Auctor Imperfecti, super illa verba : *Faciem tuam lava*, ita scribit : « Simplex « interpretatio hujus loci est, tanquam si dicat : Sic « longe te facere debes ab ostentatione jejunii tui, « ut si potest fieri, quod non debet, etiam ea facias, « quæ ex adverso, luxuriæ et epulationis videntur « esse indicia. » S. Joannes Climacus in scholiis Photii Patriarchæ Constantinopolitani, ita loquitur : « Jejunium est remedium, quod pravas animi affec- « tiones repurgat, si privatim et seorsim exercea- « tur, sed in conventibus et publicis celebritatibus « venenum est; » cujus mox rationem subjungit : Quia medicamentum nonnunquam in venenum mutatur, id est, abstinentia et jejunium, quod ingentis esse debebat causa meriti, animam nostram potius totaliter destruit et perdit : « Quod « sæpe illi qui eo utitur exitium affert, aut aliis « scandalum præbet, aut ipsi nocet qui ex eo se « jactat, aut gloriatur, et tumet, et singularis vult « videri, quasi divisus ab aliis. »

Versus 13.

Publicanus a longe stans, nolebat nec oculos ad cœlum levare, sed percutiebat pectus suum, dicens : Deus, propitius esto mihi peccatori.

Publicanus.

1. — Id est, publicis negotiis intentus, dicit Lyranus, quæ de communi cursu implicant ad peccatum : de quibus David loquitur, *Psal.* XVI, 11, inquiens : *Statuerunt oculos suos declinare in terram.* Attamen notandum, quare Publicanus oculos suos versus terram defixos habuerit, nimirum ex impulsu humilitatis, non temporalium bonorum cupiditatis amore.

A longe stans.

2. — Albertus Magnus in præsenti exemplum adducit S. Petri divino Magistro suo ita respondentis, *Luc.*, V, 8 : *Exi a me, quia homo peccator sum, Domine.* Quantumvis enim Publicanus totus lucris et negotiationibus immersus esset, nihilominus aliqualem habebat spiritus illustrationem : « Scie- « bat, quod David dixit : *Longe a peccatoribus salus;* « hanc indignitatem sui etiam a longe stans osten- « dit. »

3. — S. Bonaventura, *in Luc.*, ita discurrit : « Per- « fectæ humilitatis insinuationem exprimit, quan-

« tum ad gestum, motum et verbum. » Propria illa suipsius vilipensio et despectus divinam attraxit misericordiam; quia *oratio humiliantis se nubes penetrabit, et donec propinquet, non consolabitur; et non discedet, donec Altissimus aspiciat, et Dominus non elongabit. Eccli.*, xxxv, 21. Hanc humilitatis suæ profunditatem Publicanus ipso loci situ prodebat, quem proinde ita laudat Albertus Magnus : « Hanc « indignitatem sui, etiam loco longe stans ostendit; « et cum longe esset, tamen stetit, et non in fastu « processit sicut Pharisæus; stans autem a peccato « surrexit, et rectitudinem justitiæ apprehendit. »

4. — Stupet hisce in verbis Didacus Stella divinæ bonitatis et sapientiæ magnitudinem, quæ de malo bonum elicere novit : « Expende Dei bonitatem « atque sapientiam, qui de peccato, quo nihil pejus « esse potest, humilitatem educit. » Vipera quidem veneno suo interficit, nihilominus idem virus beneficio artis medicinæ, in remedium servit contra venenum et mortem; ita pariter, *Eccli.*, x, 15 : *Initium omnis peccati superbia; et per peccatum mors.* At hoc non obstante, infinita Dei pietas et amor, mediante sua gratia, superbiam, crimina et abominabiles impii hujus excessus, tanquam materiam adhibuit et fontem compunctionis, pœnitentiæ, emendationis et humilitatis; in quo verificatum fuit illud Apostoli dictum, *Rom.*, v, 20 : *Ubi abundavit delictum, superabundavit et gratia.* Didacus Stella sequenti utitur similitudine : « Ille artifex « est admiratione dignus, qui non modo aurum vel « argentum optime omnium celaret, sed etiam « scoriam ipsam in aliquod opus eleganter conver- « teret. Eodem modo Deus se habet in animarum « nostrarum salute fabricanda, siquidem non tan- « tum virtutum metallo, verum etiam peccatorum « nostrorum scoria nos illustrare contendit. »

5. — Glossa dicit : « Sicut humilis non audet « appropinquare, ut ad eum Deus appropinquet. » Bene quidem S. Jacobus, iv, 8, consulit omnibus : *Appropinquate Deo, et appropinquabit vobis.* Nihilominus Publicanus, ut Deo appropinquaret in templo, ultimum locum occupat, reputans se indignum, qui vel pedem Ecclesiæ inferat; cujus ratio facti plena est, sciebat enim, quod quanto quis profundius se coram Deo humiliat, suamque indignitatem agnoscit et confitetur, tanto abundantiorem Dei gratiam et amicitiam sibi lucretur. Et ideo Glossa ait : « Non aspiciat, ut aspiciatur. »

6. — Tres in hoc Publicano, cuicumque vere pœnitenti peccatori necessarias, discutit conditiones Jansenius, dum ait : « In quo notantur tres suo « ordine conditiones, omni vere et digne pœnitenti « necessariæ et sufficientes; quarum prima est, « propriæ indignationis agnitio, et quæ ex illa nas- « citur, suipsius dejectio et erubescentia. » Hæcque eminuit in Publicano, dum proprio suipsius absorptus vilipendio, in remoto angulo substitit, non audens supercilia sua erigere sursum : « Consens « oculos indignos visione superna, ut qui maluis- « sent bona terrena sperare et quærere. » Secunda conditio, quæ respicit Publicanum percutientem pectus suum, est dolor et interna de commissis peccatis pœnitentia. His superaccedit tertia, nimirum « ne ex indignitatis consideratione in despera- « tionem prolabatur, adjungere prædictis conditio- « nibus debet bonam de divina benignitate confi- « dentiam. »

7. — Aliam super hæc verba considerationem adducit S. Augustinus, *Serm.* xxxvi *de verb. Dom.*, inquiens : « Quid miraris, si Deus ignoscit, quando « ipse agnoscat? a longe stabat, sed Dominus hu- « milia respicit. » Zachæus non solum Publicanus, sed et Publicanorum caput erat : *Princeps Publicanorum;* homo totus usuris et lucris deditus; nihilominus in domum ejus seipsum Christus invitat, dicitque illi, *Luc.*, xix, 9 : *Hodie huic domui salus « Deo facta est.* Tam ardentem autem Christi in se amorem, S. Bonaventura teste, Zachæus sola sua meruit humilitate : « Hunc aspiciebat, quia statura « pusillus erat. » Loquitur S. Doctor de hac humilitatis virtute, immediate namque subjungit : « Excelsus enim Dominus humilia respicit. » De nostro similiter Publicano infallibile habemus æternæ Veritatis assertum : *Descendit justificatus in domum suam;* quia « Inclinatio humilitatis, » verba sunt Hildeberti, « ascensio est beatitudinis. »

Nolebat nec oculos levare ad cœlum.

8. — Jansenius particulam *nec* accuratius examinans, dicit : « *Nec oculos* significare videtur, quod « multo minus manus in cœlum levaverit et ex « opposito ipsum Pharisæum, non oculos tantum, « sed et manus in cœlum confidenter jactasse. »

9. — Lucas Brugensis docet vocem *nolebat*, idem esse, quod : « *Non audebat, pudebat.* Memor, quam « variis atque indignis Deum offendisset, ut aspice- « retur non aspiciebat, ait Augustinus. »

10. — Theophylactus dicit : « Verebatur oculos « in cœlum attollere, indignos judicans, qui sur- « sum spectarent, quia voluerant videre bona ter- « rena et illis frui. »

11. — Evidenter ex hisce verbis deducitur, quanta in humilitate fundatus fuerit Publicanus, plenus affectibus illis, quorum sacra Scriptura meminit, I *Esdr.*, ix, 9, dicens : *Deus meus confundor et erubesco levare faciem meam ad te, quoniam iniquitates nostræ multiplicatæ sunt.* Lyranus nimiam Publicani modestiam et timorem obstupescens, inquit : « Ecce Dei timor, quasi non esset dignus, « appropinquare nolebat, nec oculos ad cœlum « levare; ecce pudor, quasi pro peccatis præteritis « non audens cœlum aspicere. »

12. — Albertus Magnus quemdam Ecclesiastici textum, *Eccli.*, xxiii, 4, præsenti discursui applicans,

ita discurrit : « *Domine pater et Deus vitæ meæ, ne « derelinquas me in cogitatu illorum,* superborum « scilicet; *extollentiam oculorum meorum ne dederis « mihi;* sciebat, quod signum fornicantis a Deo « animæ, est in extollentia oculorum. »

13. — Advertendum autem, quod tunc vel maxime non solum oculos, sed et cor sursum elevare dignus fuerit, quando minime se dignum reputabat : « Quod perfectum est, » inquit Beda, « ut « cœlum posset ad se inclinare. » Unde et S. Bernardus scribit : « Vim faciebat regno Cœlorum « Publicanus ille, qui, dum non auderet oculos ad « cœlum levare, ipsum cœlum ad se potuit incli- « nare. » Lia propter oculorum defectum, minusque egregiam formæ pulchritudinem et sterilitatem a Rachele sorore sua despiciebatur, sed eam humilitas prole fœcundavit, cui nomen imposuit Ruben : *Vocavitque nomen ejus Ruben, dicens : Vidit Dominus humilitatem meam.* In cujus loci glossa S. Victor ita discurrit : « Recte, eo nato, mater ejus exclamat : « *Vidit Deus humilitatem meam,* eo quod nunc vera- « citer incipiat videre et videri, Deum agnoscere « et a Deo agnosci. » Pharisæus in conspectu omnium, vilipendebat et aspernabatur Publicanum, at hic interius tamen majori accendebatur amore Dei, juxta quem sensum explanat Hugo Cardinalis illa Psalmistæ verba, *Psal.* x, 2 : *Dum superbit impius, incenditur pauper.* Quanto sublimius cum despectu Publicani se erigebat Pharisæus, tanto profundius seipsum deprimebat in conspectu Dei Publicanus, se indignum reputando, qui vel oculos in cœlum elevaret; at hæc ipsa tanta humilitas, efficax ad cœlestem lucem recipiendam medium fuit; tunc : *Circumfulsit eum lux de cœlo.* Dicit quidem Prophota regius, *Psal.* xxxv, 10 : *In lumine tuo videbimus lumen; prætende misericordiam tuam scientibus te, et justitiam his, qui recto sunt corde;* sed immediate ipsum horum acquirendorum medium subjungit his verbis : *Non veniat mihi pes superbiæ.* Quasi diceret : Modus lumen et notitiam Dei acquirendi, sola est humilitas.

Sed percutiebat pectus suum.

14. — Non levem hæc pectoris percussio exigit discussionem, summe commendata fidelibus omnibus, de qua Albertus Magnus ita scribit : « Percussio « pectoris est unum de delentibus peccatum et « maxime venialia. »

15. — S. Augustinus, *Ser.* viii *de ver. Dom.*, ita explicat : « Tundere autem pectus, quid est nisi « arguere, et evidenti pulsu occultum castigare « peccatum; » id quod iisdem pene verbis expressit Cajetanus, inquiens : « Fit in signum redargu- « tionis cordis. » Juxta testimonium Christi, qui *scrutatur renes et corda,* omnia peccata ex corde procedunt, *Matth.*, xv, 19 : *Ex corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ;* omnis prævaricationis scaturigo voluntas nostra est. Et ideo S. Zeno ait : « Sua peccata contestans secundum Domini dictum, « a quo procedunt universa genera peccatorum, « pectus crebro percutiens, quodammodo cor suum « manu verecundiæ castigat. » S. Bonaventura, *in Luc.*, ponderans verba illa Regis Davidis : *Peccavi valde,* quando scilicet, numerato populo, desuper vidit evaginatum divinæ justitiæ gladium, ita discurrit : « In hoc quod pectus percutitur, ostendi- « tur, cor introrsus supplicio dignum, in cujus rei « signum dicitur : *Percussit David cor suum.* » Jansenius etiam hisce expositionibus adhærens, ait : « Veluti reprehendens cor suum, quod admissorum « criminum origo illi fuisset et causa; pectoris « enim percussio, interioris pravitatis seria est « redargutio. »

16. — Theophylactus tunsionis pectoris aliud motivum adducit, inquiens : « Cor videlicet propter « malas cogitationes, est ut excitet, quod obdor- « miersit. » Sæpius enim impii, nec remorsum peccati, nec suæ persentiscentes synderesim conscientiæ, in peccatorum suorum lethargo sepulti vivunt, et ideo, inquit Theophylactus, percutiebat « cor quodammodo pungens et excitans. » Aliter Salmeron explicat, dum ait : « Quo verbo innuitur « contritio et dolor cordis, de admissis peccatis, « juxta illud : *Scindite corda vestra et non vestimenta « vestra;* deinde innuitur cor, sedes peccatorum « omnium, ac propterea dignum plagis. » Quibus immediate idem auctor eamdem subjungit, quam modo a Theophylacto audivimus rationem, scilicet : « Cor percutit, ut quasi dormiens a somno « excitetur. »

17. — Hugo Cardinalis in hac pectoris tunsione, tres insignes observans circumstantias, inquit : « Est ibi læsio, per quam significatur contritio; et « sonus, per quem significatur confessio; et manus « appositio, per quam significatur satisfactio; hæ « sunt tres partes pœnitentiæ, quæ est via redeundi « ad Deum. » Easdem considerationes Albertus Magnus instituit ad unguem.

18. — Considerandum vero occurrit, non dici : *Percutiebat* corpus, sed *pectus suum;* quia præter ictum, corporis afflictivum, insinuatur insuper mortificatio appetituum internorum per pectus, ut doceamur, macerationi externæ conjungendam esse mortificationem simul internam, si pœnitentiam nostram stabilem, Deoque gratam et meritoriam esse desideremus. Unde S. Leo, *Serm.* i *de jejun.*, inquit : « Tanto fit rationalis anima purga- « tior, quanto fuerit substantia carnis afflictior. » Præmittit quidem S. Doctor macerationem corporalem mortificationi internæ, ita tamen, ut in reciproco et mutuo fundentur subsidio; cujus etiam opinioni fuisse videtur Richardus a S. Victore, *in Psal.* lxx, qui vitia carnalia a spiritualibus distin-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

gnens, ita nos admonet : « Contra hos utrosque « animæ hostes oportet sane fortiter dimicare et « alii quidem conterendi sunt corporis afflictione, « alii autem cordis contritione affligendi. »

Dicens : Deus, propitius esto mihi peccatori.

19. — « Oratio brevis verbo, » inquit Dionysius Carthusianus, « sed magna virtute, modica quan- « titate, sed plena sententia, quæ de fonte pectoris « Christi processit. » Si præsens Evangelium solum parabolam continet, dicendum est, verba illa ab increata et incarnata Sapientia Christo adinventa et dictata esset, ut doceat animeque peccatores omnes ad pœnitentiam. Lucas Brugensis ita scribit : « Pau- « cis utitur verbis et pene solis duobus, quorum « uno peccatorem se confitetur, altero veniam petit ; « verbis brevis oratio, nec enim multiloquio demul- « cetur Deus, sed personæ congrua. » Neque ullam reddit rationem, quia confusio, pudor et dolor interrumpere amant loquelam, ita ut homo, dum peccata sua vere plangit, plus suspiriis et singultibus quam lingua sua sermocinetur.

20. — Jansenius diversas in hac precaria Publicani formula observat virtutes : « Nihil aliud quam « misericordiam petit et talem misericordiam, qua « Deus reconciliatur, nulla prætendit merita, nullas « affert excusationes in peccatis, sed libere se pec- « catorem confitetur. »

21. — S. Bonaventura duas potissimum Publicani virtutes in hac oratione relucere asserit : « Nota « hic brevissimam orationem et efficacissimam, « quia in hac orans, seipsum humiliat et Deum « exaltat. »

22. — Salmeron, insistens sententiæ Chrysostomi, *Hom.* xv *in Act. Apost.*, existimat, Publicanum audisse improperia Pharisæi : « Tulisse tamen « animo patienti et ita probrum convertisse in lau- « dem suam, coronam et emendationem ; tanta est « virtus patientiæ et humilitatis, quæ signum fuit « veræ suæ pœnitentiæ et justificationis. » Utiturque illo Psalmistæ textu, *Psal.* LXIV, 4 : *Verba iniquorum prævaluerunt super nos et impietatibus nostris tu propitiaberis.* In hujus Publicani laudem docte exclamat Basilius Seleucus : « O Publicanum, cle- « mentiæ mercatorem ! Non desisti vectigal pos- « cere, dum Christum ipsum vectigalem fecisti. » Terrena et temporanea commercia sua in cœlestes et spirituales mutat negotiationes. Ponderat in præsenti S. Augustinus, *lib. de S. Virg.*, *c.* XXXII, et ad invicem comparat merita, operaque bona Pharisæi et peccata Publicani, sic tandem concludens : « Enumerationi meritorum præfertur confessio « peccatorum. » Audiens namque Publicanus illatas sibi a Pharisæo superbo injurias et insultus, intuitu meritorum unius et offensarum alterius, sese humiliare, compungi, veniamque petere debebat, sine ulla vindictæ apparentia, juxta illud Christi documentum, *Matth.*, VI, 12 : *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.*

23. — Albertus Magnus observat, Publicanum non dixisse, *mihi peccanti*, sed, *peccatori*, quibus nimirum verbis, se in peccatis habitualiter inseruisse, protestatur : « Ut se accuset, non dicit : « *peccanti*, sed *peccatori*, qui ex habitu et consuetu- « dine se peccatorem confitetur. » Id quod Psalmista spectasse videtur, cum diceret, *Psal.* XXIV, 11 : *Propter nomen tuum, Domine, propitiaberis peccato meo, multum est enim.* Putari quidem posset, satius Publicanum facturum fuisse, si peccatorum suorum veniam imploraturus, eadem minuisset ; at ille nihilominus prudenter illa aggravat, probe memor, quod juxta quantitatem miseriæ, mensura obtingat misericordiæ divinæ : *Ubi abundavit delictum, superabundavit et gratia. Rom.*, V, 20 : Notanda porro est dicta Davidicæ orationis formula, non enim deprecative sed imperative, culparum suarum veniam urget, dicens : *Propitiaberis*, nec sine mysterio, quia, qui vere pœnitens, sincerusque peccatorum suorum osor, divinam pietatem implorat, jus obtinet exigendi et consequendi illam, divina clementia, hanc omni veraciter pœnitenti peccatori, indulgente prærogativam, ut non tam flagitet quam potius præcipiat.

24. — Pharisæus de suis inaniter præsumebat operibus bonis, at Publicanus de divina solide confidebat misericordia, non obstante peccatorum mole ; id quod Salmeron tali prosequitur discursu : « Nec tam paucis orasset, si non multum confisus « fuisset de Dei benignitate ; oratio sane verbis « brevis, sed sensu et efficacia magna, quam Domi- « nus ob id expressit, ut discamus et nos modum « preces nostras ad Deum fundendi, maxime cum « a Domino, parabolam confingente, sit excogitata, « qua nihil aliud quam misericordiam reconcilia- « tionis petit. »

Additiones.

a. — *Publicanus, a longe stans, nolebat nec oculos ad cœlum levare, sed percutiebat*, etc. Uterque stat, uterque orat, et in pari utrinsque habitu dispar negotiatio in utroque invenitur : *Descendit hic justificatus ab illo.* Quod ergo arcanum latet in hac ordinatissima Publicani oratione, præter ea, quæ extrinsecus apparent ? Nempe a longe stabat, ab omni vano strepitu semotus. Multorum enim conversatio, inimica virtuti, inimica orationi est, « Solitaria namque vita, cœlestis doctrinæ, » ait S. Basilius, *de laudibus Eremi*, « schola est et divina- « rum artium disciplina. » Procul a turbis exaudit Deus deprecantes et cœlestia docet mysteria. Eremus gymnasium Dei est et eruditio cœlestis, ubi Deus veros veri Dei adoratores fabricat ; sequestratio enim et solitudo orationi suffragatur ; siquidem Salvator noster nobis consulit, *Matth.*, VI, 6 : *Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito ; et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.* Oratio, velut omnibus notum est, est elevatio mentis nostræ in Deum, et figuratur per incensum : *Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo.* Igitur notandum est quod, quando in sacris Canticis hujus fit mentio, eodem tempore fiat etiam commemoratio collium, montium, aliorumque desertorum locorum ; *Cant.*, IV, 6 : *Vadam ad montem myrrhæ et ad collem thuris.* Præterea quando in multis locis repræsentatur anima contemplativa elevata in Deum, eodem tempore indicatur quod ascendat de deserto ; *Cant.*, VIII, 5 : *Quæ est ista quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum ?* In Osea quoque legitur : *Ducam eam in solitudinem, et ibi loquar ad cor ejus. Ose.*, II, 14. « Quid est, « inquit Hugo de S. Victore, « quod « semper loquitur in secreto Deus, nisi quod nos « ad secretum vocat ? » Divus Augustinus causam hujus attribuit unioni quam cum Deo antiqui Eremitæ acquisivere, mediante vita contemplativa : « Desertissimas terras incoluit. » Et quid inde sequebatur : « Perfruentes colloquio Dei, cui puris « mentibus inhæserunt. »

b. — Ecce verus pœnitentis habitus describitur in Publicano : verecundia enim plenus, non audet oculos in cœlum levare ; sic ante illum, Esdras, I, IX, 6, Deum deprecaturus dicebat : *Deus meus, confundor, et erubesco levare faciem meam ad te ; quoniam iniquitates nostræ multiplicatæ sunt.* Nam, ut dicebat Job, XI, 14 : *Si iniquitatem quæ est in manu tua abstuleris a te, tunc levare poteris absque macula faciem tuam.* Hanc res vilis et infamis peccatum est ? Ita sane : nil enim hominem vilem et vitupe- rio, et contemptu dignum reddit præter peccatum.

c. — Publicanus ille pœnitens, templum ingressus, peccatorum mole, decurvata cervice et oculorum palpebris, ex gravi morbo compressis, cœlum non audebat aspicere, et retro gradum timidus revocat, et extremum se, non tam loco, quam conscientiæ judicio sistit, et veniam impetrat. « Agno- « vit peccata et deposuit peccata, » ait Chrysostomus, *Hom. de David et Saul ;* « et criminum accu- « satio facta est illi criminum remissio. » Quot labores erant subeundi Publicano, jejunando, humi dormiendo, vigilando, bona sua egenis impertiendo, ut illa tam multa peccata posset deponere ? At nunc cum nihil tale fecerit, simplici verbo omnem deposuit iniquitatem. Miror igitur vocem mundanorum hominum, hujus Publicani exemplo sibi blandientium et dicentium : Tetricus mihi vivendi modus ille est, ut ætatem floridam, in continuis lamentis et pœnitentiæ actibus impendam. Facilis peccato est venia, dummodo longo post tempore verus e profundo cordis, cum Publicano exurgat gemitus et flebilis illa erumpat vox : *Deus, propitius esto mihi peccatori.* Falleris, o Christiane, in hoc confidens ! Samson inermis mandibula asini premit hostes ; num ideo omnis inermis descendet in prælium ? Quod alicui gratiose conceditur, ab aliis non debet trahi in exemplum ; reprehensibiles enim valde sunt, qui in exemplis, in fine resipiscentium, confisi, pœnitentiam differunt. Verum quidem est quod misericors Deus qualibet hora ingemiscenti peccatori promiserit veniam, non tamen quod verum compunctionem dare, aut ad illam usque nos expectare velit. *Nemini dedit spatium peccandi ; Eccli.*, XV, 21 ; id est, ut Dionysius Carthusianus exponit : « Nemini dedit tempus ad hoc ut peccet, « sed ut bene vivendo gloriam mereatur æter- « nam. » Ideo scriptum est, *Job.*, XXIV, 23 : *Deus dedit illi locum pœnitentiæ, et ille abutitur eo in superbiam.* Cornelius a Lapide, ex græco, *spatium*, idem quod *dilatio* significare deducit. Id quod congrue deservit, ad erudiendum illos, qui sibi persuadent Deum ideo nobis prolongare vitam, ut eum tanto diutius et libentius offendamus. Quod utique verum non est, quia *nemini dedit Deus spatium*, id est, dilationem, *peccandi.* S. Augustinus, super Psalmum CXLIV scribens, postquam impium nequaquam de divina pietate desperare debere docuisset, subjungit : « Timendus est alius la- « quens, ne ipsa spe amplius peccet. Quid ergo et tu « dicebas, qui spe magis peccas ? Audi Scriptu- « ram : *Non tardes converti ad Dominum, neque « differas de die in diem ; subito enim veniet ira « illius, et in tempore vindictæ disperdet te.* Noli « ergo dicere : Cras me convertam. Verum quidem « dico, quia Deus conversioni tuæ indulgentiam « promisit, sed dilationi tuæ diem crastinum non « promisit. »

d. — Contrarium hic Publicanus se præbet Pharisæo, quia qui superbus erat, Publicano superemi- nere volebat, quod proprium est superborum. Ast humiles et veri Dei servi, qualis erat Publicanus, sese omnino indignos reputant, atque ex hoc motivo, se maxime dignos reddunt. Justificati enim cum Publicano descendunt.

e. — Theophylactus rationem assignans, cur Publicanus ille suos ad cœlum oculos elevare non præsumpserit inquit : « *Nec audebat oculos ad cœlum « levare*, indignos visionis supernæ eos, « videlicet oculos, « qui maluerunt bona terrena spectare et « quærere. » Ac proinde quisquis animo suo ab hisce terrenis alienus est, æternorum bonorum secum pignus portat. Unde S. Fulgentius ad quemdam qui relicto mundo Deo se consecraverat, scribens ait : « Multum gaudeo quod jam sæcularis « dilectionis nexibus non tenearis et contemnendo « calcas, a quo cum eum diligeres, calcaberis. » S. Basilius ab Eubulo magistro suo interrogatus : « Quis est mundus ? » Respondit : « Qui est supra « mundum. » Quanam aucupes astutia et indus-

tria uti consuevisse existimas, ut volucres, quæ libertate maxima gaudent, et ut plurimum cœlum versus subvectæ vivunt, capere possint? Nimiram laqueos tendunt, in eisque escam qua illas maxime delectari norunt, immittere solent, ut per hanc ad laqueum sponte ingrediendum alliciantur : *Creaturæ Dei in odium factæ sunt, et in tentationem animabus hominum et in muscipulam pedibus insipientium. Sap.*, XIV, 11.

f. — Bene hic per Publicanum confunduntur illi, qui sine ea quæ Deo summe placita est, et pœnitenti maxime utilis, et non minima satisfactionis pars est, verecundia confitentur. Quanto enim execrabilior atque damnosior est confusio et pudor ille, qui nos a confessionis integritate abstrahit et evellit, tanto laudabilior, nobisque utilior est verecundia illa, quæ nostras in confessionis tribunali ita perfundit genas, ut debita cum contritione atque humilitate, nostras patefactamus transgressiones; ut proinde non immerito idem asseruerit Ecclesiasticus, IV, 15 : *Est confusio adducens gratiam et gloriam.* Non ignoro equidem generosos quos S. Bernardinus ad intrepidæ confessionis frequentationem addit, stimulos, dum ait : « Itaque dicite « audacter; » sed neque notitiam meam subterfugi ea quam immediate subdit, coarctatio : « Sed « cum pudore dicite peccata vestra. » Quos dum conscientiæ et modestiæ limites, aliqui etiam illius temporis pœnitentes impudenter transilirent, *nescientes erubescere*, in ipsos idem Sanctus sequentem Sapientis, *Prov.*, II, 14, detorquet attestationem : *Lætantur, cum male fecerint, et exultant in rebus pessimis.* Contra quos increpatio est Psalmi : *Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate?* Quos et Hugo Victorinus acriter perstringendos censuit, dum ait : « Sunt quidam sicut impudentes « ad faciendum, sic inverecundi ad dicendum; qui « quoniam turpitudinem suam in faciendo non « vident, verecundiam in dicendo non habent; « quibus utique per Prophetam dicitur : *Frons mu-* « *lieris meretricis facta est tibi; nescivisti erubescere.* « Isti nonnunquam, sine aliquo compunctionis « motu, sine aliquo timore, vel amoris Dei at- « tactu, pro sola consuetudine explenda, ad di- « cenda peccata sua se ingerunt, existimantes se « propter solam verborum prolationem, a debito « peccatorum suorum absolvi. Quibus recte di- « citur : Prius flendum est, postea confiten- « dum. »

g. — S. Augustinus, *Serm.* VIII *de Verb. Dom.*, in hæc verba scribit : « Publicanus, a longe stans per- « cutiebat pectus suum; tundere autem pectus « quid est, nisi arguere quod latet in pectore et « evidenti pulsu, castigare peccatum? » Stat Publicanus a longe, non excusans sua peccata, sed omnia confitens, non solum patentia, sed etiam occulta et abdita. Ingenua enim confessio, sine excusationis ambitu, patentia et occulta fatetur flagitia, ut pro omnibus assequatur sanitatis medicamentum. S. Bonaventura verba Psalmistæ : *Confitebor tibi in directione cordis*, discutiens, sequentem pro omni pœnitente elicit doctrinam : « Debet confiteri tri- « pliciter, videlicet patenter, ferventer, festinan- « ter; patenter, ut sit confessio nuda sine excusa- « tione; festinanter, ut sit confessio prompta sine « dilatione. » Maxime vero ad confessionem requiritur integritas, ab omnibus sacris unice commendata Doctoribus. « Sic integra sit, » ait S. Bonaventura, « ut effundas in confessione, quidquid « culparum habes in corde; » juxta illum Isaiæ, *Thr.*, II, 19, textum : *Effunde sicut aquam cor tuum.* Non dicit : Effunde sicut oleum, vel sicut sanguinem, vel sicut lac, vel sicut vinum; in his enim aliquid remanet, vel de substantia, vel de colore, vel de sapore, vel de odore, dum effunduntur : *Effunde* integraliter, *sicut aquam.* Quem ob defectum, gravissimum mortis æternæ incurrere supplicium Ananias et Saphira : *Cur tentavit Satanas cor tuum, Anania, mentiri te Spiritui Sancto? Non es mentitus hominibus, sed Deo.* Maximam pecuniæ partem miseri ad Apostolum detulerant, exilem sibi reservantes; atque ideo æternæ mortis contraxerunt reatum. Ecce vobis typum eorum qui omnia quodammodo confitentes peccata, unum, alterumve, ob respectus humanos, tacent, dissimulant, aut abscondunt.

h. — Divus Bernardus ex hac orantis Publicani humilitate, violentiam quamdam subinfert, quam per orationem suam Deo subinferebat : « Vim, » ait, « faciebat regno cœlorum Publicanus ille, qui « dum non auderet oculos in cœlum levare, ipsum « cœlum ad se potius inclinaret. » Tam potens est oratio ipsa cum humilitate, qua oculi dejecti erant in terram, ut et cœlum ad se potuerit trahere et inclinare. In libro Esther, XIII, 9, quidem dicitur : *Domine Rex omnipotens, non est qui possit tuæ resistere voluntati, nec est qui resistat Majestati tuæ.* Et tamen hoc non obstante, Dei quoque manus nonnunquam vinctas fuisse, in Scriptura legimus; nam ut S. Hieronymus optime notat circa hæc verba Exodi, XXXII, 9 : *Rursum ait Dominus ad Moysen : Dimitte me, ut irascatur furor meus* : « Qui dixit : « *Dimitte me*, ostendit se teneri posse ne faciat quod « minatus est. » At vero quis unquam tantæ potuit esse fortitudinis ut illas manus quæ tribus digitis totum mundum sustinent, ligare possit? Idem Hieronymus subjungit : « Dei potentiam servi preces « impediebant. » Preces igitur non Mariæ magnæ Matris ejus, non cœlestium Hierarcharum, sed cujusdam servi sui talem ei inferebant violentiam, ut manus suas levare justique furoris sui flagellum arripere et vibrare minime posset. Unde S. Antoninus ait : « Valet oratio, ut ita dicam, contra Deum; « exemplum in Moyse, cui oranti pro populo dixit « Deus : *Dimitte me, ut irascar*; quasi oratio tene- « ret ipsum ligatum. »

i. — Publicanus priusquam orei, dicatque : *Deus propitius esto mihi peccatori*, percutit ac tundit pectus in quo sunt terreni affectus, quia ut oratio nostra ad Deum accedat, ipsumque solum respiciat, prius omnia carnalia desideria pessumdanda sunt. Nam ut oratio robur accipiat, cunjungenda est cum mortificationis exercitio. Cœlestis Sponsus non sine mysterio prius ad montem myrrhæ iturum se dicit, priusquam collem thuris ascendat; quia cum thuris nomine oratio symbolice intelligatur, anima orans ad sanctum hoc exercitium quam maxime disponitur, si mortificationem quæ per myrrham denotatur, sibi faciat familiarem. « Eos namque familiari- « ter visitat, » inquit S. Gregorius, « quos per mor- « tificationem vitiorum ad alta proficere et per « mundas et utiles orationes suaviter redolere per- « spicit. » Idem S. Pontifex paulo ante dixerat : « Quid per montem myrrhæ, nisi altitudinem « mortificationis in opere? et quid per collem « thuris intelligimus, nisi altam humilitatem in « oratione? » Simili quoque modo Hugo Cardinalis hæc verba exponit, inquiens : « Ad montem myr- « rhæ vadunt, qui carnem suam mortificant. » Quando enim per mortificationem, anima depurata est ab his terrenis et carnalibus affectibus, qui eam depressum tenent, agilior fit, ut in Deum elevetur. Unde in vita S. Ignatii de Loyola refertur quod cum de quodam dici audiret, quod vir esset magnæ orationis, subjunxit vir Dei : Ergo et vir est magnæ mortificationis, maxime illius quæ in voluntatis propriæ abnegatione consistit. Alvarez de Paz inter alia Christianæ perfectionis documenta, quoad unionem harum duarum virtutum, orationis scilicet et mortificationis, ita scribit : « Oratio mentalis est « purissima quædam rerum cœlestium inspectio, « qua mediante, nos ipsos provocamus ad odium « mali et ad boni amorem. Hæc autem oculos « mentis mundos, puros et serenos exposcit; quia « sicut oculi corporis ab aliquo pulveris atomo ob- « tenebrati, vel obfuscati, ab alio quodam humore « noxio, ad discernendos colores idonei non sunt, « ita quoque spirituales mentis et intellectus nostri « oculi, sine tranquillitate et munditia, in bona « superna defigi nequeunt. Hunc autem oculum « spiritualem mortificatio purgat et purum ac « serenum efficit. »

j. — Pectus percutit bonus hic Publicanus, ut in pectoris percussione et contritione intimam cordis sui exprimat pœnitudinem; quis enim credat esse cor vere contritum in eo, cui omnia sunt integra, et vel a quovis vulnere libera? Quæ exterius cernitur corporis contritio et percussio, id est, mortificatio illa, vere est fidelis index intimæ jam perfectæ salutis. Huc accedant sæculares peccatores, qui sibi blandiantur de intima animi contritione, cum nihil patiantur in splendore vultus, in ornatu corporis, in abundantia convivii, in risu, in hilaritate esse non integrum. Non per corporis commoditates superplenas et integras, sed per carnis vulnera intimæ se ostendit species salutis. Mortificatio autem est optima ad acquirendam gloriam dispositio, siquidem animæ saluti cooperatur.

k. — « Publicanus ille, » inquit S. Augustinus, *Serm.* XXXVI *de verbis Dom.*, « ut aspiceretur, non « aspiciebat, respicere sursum non audebat, pre- « mebat conscientia, spes sublevabat. » Conscientia humiliabatur, spe tamen erigebatur ad Deum. Ait Job, XXII, 29 : *Qui inclinaverit oculos, ipse salvabitur.* Qui inclinat se humilitate, inde potest habere spem, quod Deus se inclinet ad ipsum, humilitas enim Deum in animas hominum attrahit, S. Laurentius Justinianus, in libro cui titulus, *de humilitate*, ad præsens descendens punctum, scilicet quod humilitas magnus sit, ipsummet ad se attrahens Deum, idipsum ex illo S. Lucæ probat texto : *Regnum Dei intra vos est.* Quæ verba postquam considerasset subjungit dicens : « In cordibus quippe « humilium regnum cœlorum esse narratur. » Quo alio fine Publicanus ille ad templum se contulit, nisi ut in gratiam Deo se insinuaret, ferventer ad hunc effectum ibidem orando? At vero quodnam in eo putas latere mysterium quod Publicanus a longe stans, nolebat nec oculos ad cœlum levare, sed percutiebat pectus suum dicens : *Deus, propitius esto mihi peccatori?* S. Antonius de Padua respondet : « Publicanus, sicut humilis, non audebat appro- « pinquare, ut Deus ad eum appropinquet, non « aspicit, ut aspiciatur. » Unde in nullo Deo acceptiori situ corporis in templo se præsentare poterat, quam si in quodam angulo et ultimo templi loco se absconderet. « Nihil enim Deo tam charum est « quam in extremis seipsum numerare, » inquit S. Chrysostomus.

Versus 14.

Dico vobis, descendit hic justificatus in domum suam ab illo; quia omnis, qui se exaltat, humiliabitur; et, qui se humiliat, exaltabitur.

Dico vobis.

1. — Quasi Christus protestari vellet, inquit Lyranus : *Fideliter dico vobis.* Rem non exaggero per comparationem superbiæ Pharisaicæ et pœnitentiæ Publicani, sed sicut res in veritate se habet, denuntio; estque hoc non Evangelistæ, sed ipsismet increatæ Sapientiæ quæ mentiri nescit et de qua scribitur, quod *alta a longe cognoscat. Psal.* XXXVII, 6.

Descendit hic justificatus in domum suam ab illo.

2. — Lyranus verba illa ita interpretatur : « *Descendit hic* de domo Dei, quæ erat in monte, « *justificatus ab illo*, id est, præ illo, remanente in « fæcibus suis. » At juxta mentem Hugonis Cardi-

nalis : *Ab illo*, idem est quod, plus quam ille. Cujus majoris justificationis causam nos docet S. Bonaventura, inquiens : « Dominus plus pensat unam « humilem supplicationem peccatoris pœnitentis, « quam innumerabiles actiones alicujus justi de se « præsumentis. » Pharisæus quidem multis bonis, iisque sanctis abundabat operibus, scilicet eleemosynis, jejuniis, orationibus et gratitudine erga Deum, sed hæc omnia umicum conspurcabat vitium superbiæ; unde S. Paulinus ait : « Quod justi- « tia ædificabat, superbia destruebat; ille in corde « contrito, sui accusator accipitur et obtinet veniam « de confessis peccatis propter gradum humilitatis, « sancto illo Pharisæo, quales Judæi sancti sunt, « reportante, sarcinam peccatorum de jactantia « sanctitatis. » Eamdem penitus sententiam de damnosissimo præsumptionis et complacentiæ propriæ crimine, tulit S. Chrysostomus, *Hom.* XXXI *in Gen.*, inquiens : « Etsi quis innumera bona fecerit, « virtutemque omnem absolverit; si tamen mag- « num quid de se sentit, maxime omnium misera- « bilis est et miser. » Qui idem S. Doctor in alio quodam loco, *Hom.* IV *de verb. Isa.*, similitudinem instituit duarum navium, quarum prima pretiosis operata mercibus, Pharisæi designat bonitatem et spiritualitatem; altera vero vacua et dissuta Publicanum peccatorem figurat : « Vis tibi dicam, quan- « tum bonum sit humilitas et quantum malum « arrogantia? Venerunt duæ naves, habentes onus, « ambæ portum ingressæ sunt, sed Publicanus pul- « chre in portum appulit, Pharisæus autem naufra- « gium perpessus est; ut disceres, quantum malum « sit animi tumor. » Præsumptio hæc in malacia seu tranquillitate maris denotatur, quia sicut hæc majorem debito confidentiam et securitatem nautis ingerendo, eosdem in præsens periculum præcipitat, ita pariter, qui gradiens per viam Domini, ablactatur a superbia, in extremo periculo versatur. Et ideo forte notanter dicitur : *Pharisæus stans*; quasi Christus docere vellet, hunc a Pharisæo electum esse corporis situm, ut contra omnem se casum firmaret; sed turpiter aberravit, juxta quod scriptum est : *Qui se existimat stare, videat ne cadat*; I *Cor.*, X, 12; *cum metu et tremore salutem vestram operamini. Phil.*, II, 12.

3. — Nimiam divinæ misericordiæ abundantiam obstupescens Jansenius, ait : « Observandum, quanta « sit Dei benignitas, qui tam brevi oratione, tamque « parva pœnitentia superatus, mox pœnitentem in « gratiam recepit et rursus, quanta sit apud Deum « humilitatis vis. » Didacus Stella, sollicite considerata Publicani humilitate, plurimis onerata peccatis, hujusmodi tandem discursum adducit : « Si « humilitas cum peccatis tantum valet, ut etiam « Pharisæi sanctitatem superet, quid effecisset « eadem humilitas cum pietate conjuncta? Si arro- « gantia adeo mala est, ut sanctitatem vincat, si « fuisset cum peccatis aliis copulata, quid egisset. »

4. — Chrysostomus, Publicanum nimia sua in sufferendis Pharisaicis contra se insultibus patientia, misericordiam sibi divinam promeruisse existimat, dicens, *Hom. de David et Saul* : « Accepit « probrum et abluit probrum, agnovit peccata et « deposuit peccata, et criminum accusatio facta est « illi criminum remissio, quot labores erant Publi- « cano subeundi, jejunando, humi dormiendo, vigi- « lando, bona sua egenis impertiendo, longo tem- « pore in sacco et cinere sedendo, ut illa tam « multa peccata posset deponere? At nunc cum « nihil tale fecerit, simplici verbo omnem deposuit « iniquitatem; ac probra, conviciaque Pharisæi, qui « videbatur illum contumelia afficere, pepererunt « justitiæ coronam; idque sine laboribus, sine « sudoribus et absque longi temporis mora. »

5. — *Pro anima tua ne confunderis dicere verum*, docet nos Ecclesiasticus, IV, 24, 25, *est enim confusio adducens peccatum; et est confusio, adducens gratiam et gloriam.* Publicanus hic non solum se peccatorem profiteri non erubescit, sed suis etiam verbis et actibus enormem se et maximum reum esse protestatur, indignum, qui oculos sublevet in cœlum, dignum, qui omnes a Pharisæo patiatur insultus. Ast hæc tanta confasio, qua se exinanivit Publicanus, gratia eumdem plurima locupletavit et tam apud homines quam Deum, in terris et in cœlis, in gloria sublimavit; unde S. Ambrosius, *lib.* II *de Officiis*, XVIII, ait : « Multum verecundia placet, « multum conciliat gratia apud Deum; nonne hæc « prætulit Publicanum et commendavit eum, qui « nec oculos audebat ad cœlum levare? »

Quia omnis, qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur.

6. — Acute advertit Didacus Stella, Christum tertio hujus sententiæ meminisse in Evangelio, scilicet, *Matth.*, XXIII, *Luc.*, XIV, et hodie. Sancta Mater Ecclesia, a Spiritu Sancto edocta, tertio pariter per annum, in tribus Evangeliis, eamdem nobis doctrinam inculcat; neque mirum, quia in Christi, Sapientiæ æternæ et increatæ schola, nulla erat lectio frequentior aut crebrior quam hæc : *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.* Cujus tamen aliam rationem et moralem quidem ipse Stella tradit, inquiens : « Ad innuendam triplicem humilita- « tem, cordis scilicet, oris et operis. »

7. — Lyranus denique hanc adducit similitudinem, a statera desumptam : « Sicut enim in statera « materiali, una parte depressa, altera elevatur et « e converso; sic in statera divinæ justitiæ decre- « tum est, ut, qui elevantur per superbiam in præ- « senti vita, deprimantur per pœnam confusibilem « in futura, et e converso, qui se humiliant in « præsenti propter Deum, in futuro ad gloriam « elevabuntur. »

Additiones.

a. — *Dico vobis, descendit hic justificatus in domum suam ab illo.* Cur hic Publicanus potius quam Pharisæus? Respondet D. Zeno Veronensis, *Serm.* I *in Psal.* XIII : « Publicanus enim, » ait, « non mem- « bratim, sed totus exorat; quia timore totus est « humilis, sua peccata contestans, secundum Do- « mini dictum; a quo proceduut universa genera « peccatorum, pectus crebro percutiens, quodam- « modo cor suum manu verecunde castigat. » Opponitur Publicanus Pharisæo; nam Pharisæus membratim oculis, manibus ac voce sese Deo offerebat, cor tamen sibi retinebat. At Publicanus non membratim, sed ipsum cor Deo, a quo dimanat quidquid in nostra vita est, totum Deo dabat. Deus enim totum cor nostrum habere desiderat. S. Petrus utique magno Dei amore exarsit, nam interrogatus : *Petre, amas me?* Ex vestigio respondit : *Tu scis quia amo te.* Hujus autem ardentissimi amoris luculentum indicium edidit, siquidem suo et omnium discipulorum nomine protestatus, dixit : *Ecce nos reliquimus omnia.* Notate verbum, *omnia.* Ipse autem *Deus pacis*, dicebat Apostolus Paulus, *sanctificet vos per omnia, ut integer spiritus vester et anima, et corpus sine querela servetur*, I *Thes.*, V, 22. At vero quæ sunt quæ Petrus reliquit? Num forte ad suum erga Christum testificandum amorem sceptra dereliquit? Minime, sed potius lacerum rete quoddam, et cariosam quamdam deseruit naviculam; at vero, ut ait Origenes : « Magis confidebat de affectu suo, quam « de quantitate rerum relictarum; » sciebat enim quod Deus ille, qui *scrutatur renes et corda*, oculum suum ad affectum, ad amorem et ad cor nostrum directum habeat, non vero ad res illas exteriores; sciebat utique Deum optime perspectum habere, quod modicum donum quod Deo offerebat, ex toto cordis amore ei donaret, hocque omnibus mundi hujus regnis præponderabat.

b. — Bene dicitur, *qui seipsum exaltat, humiliabitur*; non vero qui exaltatur. Aliud enim est honores et gradus quærere, et aliud non quæsitos, imo contemptos admittere. Ibi enim non honor, sed honoris et prælaturæ reprobatur ambitio. Illi autem qui dignitates fuginnt, et accipere detrectant illis accipiendis, digniores et aptiores fiunt.

DOMINICA UNDECIMA POST PENTECOSTEN

EVANGELIUM MARCI, CAP. VII, VERS. 31

31. Exiens de finibus Tyri, venit per Sidonem ad mare Galilææ, inter medios fines Decapoleos.

32. Et adducunt ei surdum et mutum; et deprecabantur eum, ut imponat illi manum.

33. Et apprehendens eum de turba seorsum, misit digitos suos in auriculas ejus, et expuens tetigit linguam ejus.

34. Et suspiciens in cœlum, ingemuit et ait illi : Ephpheta, quod est, adaperire.

35. Et statim apertæ sunt aures ejus, et solutum est vinculum linguæ ejus, et loquebatur recte.

36. Et præcepit illis, ne cui dicerent. Quanto autem eis præcipiebat, tanto plus prædicabant.

37. Et eo amplius admirabantur, dicentes : Bene omnia fecit, et surdos fecit audire, et mutos loqui.

VERSUS 31.

Exiens de finibus Tyri, venit per Sidonem ad mare Galilææ, inter medios fines Decapoleos.

Exiens de finibus Tyri.

1. — Probe equidem noverat Salvator noster, populum Gentilem sibi in fide esse desponsandum, juxta illud propheticum dictum, *Ose.*, II, 20 : *Sponsabo te mihi.* Sciebat ex eo coadunandam fore fidelium suorum multitudinem; nihilominus ut omnem declinaret præcaveretque Judæorum suspicionem et murmur, transeunter tantum beneficia impertiit Gentilium districtibus. Unde Theodoretus ait : « Confestim revertitur. » Id quod etiam, diversis licet verbis, insinuat Theophylactus, dicens : « Non moratur diu in Gentilium locis, sed statim « transit, ne daret occasionem Judæis dicendi, « quod prævaricaretur legem, Gentilibus se mis- « cens. » Quia enim, ut Matthæus, XV, 22, refert, filiam Chananææ, quæ Gentilis erat, sanaverat, ideo, ne Hebræis occasionem præberet causandi, quod in gratiarum suarum distributione, erga illos partialis esset, parcus vero erga se, de industria,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

nalis : *Ab illo*, idem est quod, plus quam ille. Cujus majoris justificationis causam nos docet S. Bonaventura, inquiens : « Dominus plus pensat unam « humilem supplicationem peccatoris pœnitentis, « quam innumerabiles actiones alicujus justi de se « præsumentis. » Pharisæus quidem multis bonis, iisque sanctis abundabat operibus, scilicet eleemosynis, jejuniis, orationibus et gratitudine erga Deum, sed hæc omnia umicum conspurcabat vitium superbiæ; unde S. Paulinus ait : « Quod justi- « tia ædificabat, superbia destruebat; ille in corde « contrito, sui accusator accipitur et obtinet veniam « de confessis peccatis propter gradum humilitatis, « sancto illo Pharisæo, quales Judæi sancti sunt, « reportante, sarcinam peccatorum de jactantia « sanctitatis. » Eamdem penitus sententiam de damnosissimo præsumptionis et complacentiæ propriæ crimine, tulit S. Chrysostomus, *Hom.* XXXI *in Gen.*, inquiens : « Etsi quis innumera bona fecerit, « virtutemque omnem absolverit; si tamen mag- « num quid de se sentit, maxime omnium misera- « bilis est et miser. » Qui idem S. Doctor in alio quodam loco, *Hom.* IV *de verb. Isa.*, similitudinem instituit duarum navium, quarum prima pretiosis operata mercibus, Pharisæi designat bonitatem et spiritualitatem; altera vero vacua et dissuta Publicanum peccatorem figurat : « Vis tibi dicam, quan- « tum bonum sit humilitas et quantum malum « arrogantia? Venerunt duæ naves, habentes onus, « ambæ portum ingressæ sunt, sed Publicanus pul- « chre in portum appulit, Pharisæus autem naufra- « gium perpessus est; ut disceres, quantum malum « sit animi tumor. » Præsumptio hæc in malacia seu tranquillitate maris denotatur, quia sicut hæc majorem debito confidentiam et securitatem nautis ingerendo, eosdem in præsens periculum præcipitat, ita pariter, qui gradiens per viam Domini, ablactatur a superbia, in extremo periculo versatur. Et ideo forte notanter dicitur : *Pharisæus stans*; quasi Christus docere vellet, hunc a Pharisæo electum esse corporis situm, ut contra omnem se casum firmaret; sed turpiter aberravit, juxta quod scriptum est : *Qui se existimat stare, videat ne cadat*; I *Cor.*, X, 12; *cum metu et tremore salutem vestram operamini. Phil.*, II, 12.

3. — Nimiam divinæ misericordiæ abundantiam obstupescens Jansenius, ait : « Observandum, quanta « sit Dei benignitas, qui tam brevi oratione, tamque « parva pœnitentia superatus, mox pœnitentem in « gratiam recepit et rursus, quanta sit apud Deum « humilitatis vis. » Didacus Stella, sollicite considerata Publicani humilitate, plurimis onerata peccatis, hujusmodi tandem discursum adducit : « Si « humilitas cum peccatis tantum valet, ut etiam « Pharisæi sanctitatem superet, quid effecisset « eadem humilitas cum pietate conjuncta? Si arro- « gantia adeo mala est, ut sanctitatem vincat, si « fuisset cum peccatis aliis copulata, quid egisset. »

4. — Chrysostomus, Publicanum nimia sua in sufferendis Pharisaicis contra se insultibus patientia, misericordiam sibi divinam promeruisse existimat, dicens, *Hom. de David et Saul* : « Accepit « probrum et abluit probrum, agnovit peccata et « deposuit peccata, et criminum accusatio facta est « illi criminum remissio, quot labores erant Publi- « cano subeundi, jejunando, humi dormiendo, vigi- « lando, bona sua egenis impertiendo, longo tem- « pore in sacco et cinere sedendo, ut illa tam « multa peccata posset deponere? At nunc cum « nihil tale fecerit, simplici verbo omnem deposuit « iniquitatem; ac probra, conviciaque Pharisæi, qui « videbatur illum contumelia afficere, pepererunt « justitiæ coronam; idque sine laboribus, sine « sudoribus et absque longi temporis mora. »

5. — *Pro anima tua ne confunderis dicere verum*, docet nos Ecclesiasticus, IV, 24, 25, *est enim confusio adducens peccatum; et est confusio, adducens gratiam et gloriam.* Publicanus hic non solum se peccatorem profiteri non erubescit, sed suis etiam verbis et actibus enormem se et maximum reum esse protestatur, indignum, qui oculos sublevet in cœlum, dignum, qui omnes a Pharisæo patiatur insultus. Ast hæc tanta confasio, qua se exinanivit Publicanus, gratia eumdem plurima locupletavit et tam apud homines quam Deum, in terris et in cœlis, in gloria sublimavit; unde S. Ambrosius, *lib.* II *de Officiis*, XVIII, ait : « Multum verecundia placet, « multum conciliat gratia apud Deum; nonne hæc « prætulit Publicanum et commendavit eum, qui « nec oculos audebat ad cœlum levare? »

Quia omnis, qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur.

6. — Acute advertit Didacus Stella, Christum tertio hujus sententiæ meminisse in Evangelio, scilicet, *Matth.*, XXIII, *Luc.*, XIV, et hodie. Sancta Mater Ecclesia, a Spiritu Sancto edocta, tertio pariter per annum, in tribus Evangeliis, eamdem nobis doctrinam inculcat; neque mirum, quia in Christi, Sapientiæ æternæ et increatæ schola, nulla erat lectio frequentior aut crebrior quam hæc : *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.* Cujus tamen aliam rationem et moralem quidem ipse Stella tradit, inquiens : « Ad innuendam triplicem humilita- « tem, cordis scilicet, oris et operis. »

7. — Lyranus denique hanc adducit similitudinem, a statera desumptam : « Sicut enim in statera « materiali, una parte depressa, altera elevatur et « e converso; sic in statera divinæ justitiæ decre- « tum est, ut, qui elevantur per superbiam in præ- « senti vita, deprimantur per pœnam confusibilem « in futura, et e converso, qui se humiliant in « præsenti propter Deum, in futuro ad gloriam « elevabuntur. »

Additiones.

a. — *Dico vobis, descendit hic justificatus in domum suam ab illo.* Cur hic Publicanus potius quam Pharisæus? Respondet D. Zeno Veronensis, *Serm.* I *in Psal.* XIII : « Publicanus enim, » ait, « non mem- « bratim, sed totus exorat; quia timore totus est « humilis, sua peccata contestans, secundum Do- « mini dictum; a quo proceduut universa genera « peccatorum, pectus crebro percutiens, quodam- « modo cor suum manu verecunde castigat. » Opponitur Publicanus Pharisæo; nam Pharisæus membratim oculis, manibus ac voce sese Deo offerebat, cor tamen sibi retinebat. At Publicanus non membratim, sed ipsum cor Deo, a quo dimanat quidquid in nostra vita est, totum Deo dabat. Deus enim totum cor nostrum habere desiderat. S. Petrus utique magno Dei amore exarsit, nam interrogatus : *Petre, amas me?* Ex vestigio respondit : *Tu scis quia amo te.* Hujus autem ardentissimi amoris luculentum indicium edidit, siquidem suo et omnium discipulorum nomine protestatus, dixit : *Ecce nos reliquimus omnia.* Notate verbum, *omnia.* Ipse autem *Deus pacis*, dicebat Apostolus Paulus, *sanctificet vos per omnia, ut integer spiritus vester et anima, et corpus sine querela servetur*, I *Thes.*, V, 22. At vero quæ sunt quæ Petrus reliquit? Num forte ad suum erga Christum testificandum amorem sceptra dereliquit? Minime, sed potius lacerum rete quoddam, et cariosam quamdam deseruit naviculam; at vero, ut ait Origenes : « Magis confidebat de affectu suo, quam « de quantitate rerum relictarum; » sciebat enim quod Deus ille, qui *scrutatur renes et corda*, oculum suum ad affectum, ad amorem et ad cor nostrum directum habeat, non vero ad res illas exteriores; sciebat utique Deum optime perspectum habere, quod modicum donum quod Deo offerebat, ex toto cordis amore ei donaret, hocque omnibus mundi hujus regnis præponderabat.

b. — Bene dicitur, *qui seipsum exaltat, humiliabitur*; non vero qui exaltatur. Aliud enim est honores et gradus quærere, et aliud non quæsitos, imo contemptos admittere. Ibi enim non honor, sed honoris et prælaturæ reprobatur ambitio. Illi autem qui dignitates fuginnt, et accipere detrectant illis accipiendis, digniores et aptiores fiunt.

DOMINICA UNDECIMA POST PENTECOSTEN

EVANGELIUM MARCI, CAP. VII, VERS. 31

31. Exiens de finibus Tyri, venit per Sidonem ad mare Galilææ, inter medios fines Decapoleos.

32. Et adducunt ei surdum et mutum; et deprecabantur eum, ut imponat illi manum.

33. Et apprehendens eum de turba seorsum, misit digitos suos in auriculas ejus, et expuens tetigit linguam ejus.

34. Et suspiciens in cœlum, ingemuit et ait illi : Ephpheta, quod est, adaperire.

35. Et statim apertæ sunt aures ejus, et solutum est vinculum linguæ ejus, et loquebatur recte.

36. Et præcepit illis, ne cui dicerent. Quanto autem eis præcipiebat, tanto plus prædicabant.

37. Et eo amplius admirabantur, dicentes : Bene omnia fecit, et surdos fecit audire, et mutos loqui.

VERSUS 31.

Exiens de finibus Tyri, venit per Sidonem ad mare Galilææ, inter medios fines Decapoleos.

Exiens de finibus Tyri.

1. — Probe equidem noverat Salvator noster, populum Gentilem sibi in fide esse desponsandum, juxta illud propheticum dictum, *Ose.*, II, 20 : *Sponsabo te mihi.* Sciebat ex eo coadunandam fore fidelium suorum multitudinem; nihilominus ut omnem declinaret præcaveretque Judæorum suspicionem et murmur, transeunter tantum beneficia impertiit Gentilium districtibus. Unde Theodoretus ait : « Confestim revertitur. » Id quod etiam, diversis licet verbis, insinuat Theophylactus, dicens : « Non moratur diu in Gentilium locis, sed statim « transit, ne daret occasionem Judæis dicendi, « quod prævaricaretur legem, Gentilibus se mis- « cens. » Quia enim, ut Matthæus, XV, 22, refert, filiam Chananææ, quæ Gentilis erat, sanaverat, ideo, ne Hebræis occasionem præberet causandi, quod in gratiarum suarum distributione, erga illos partialis esset, parcus vero erga se, de industria,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quævis ad illum adducta infirmorum genera sanare voluit; qua in re etiam docere voluit, ut ex Christiana charitate omnem ex parte nostra removeremus a proximis nostris occasionem murmurationis et scandali, ne forte sinistrum alias de nobis sibi forment conceptum.

2. — Dionysius Carthusianus, civitatem hanc divitem et opulentam fuisse observat, prouti ex Ezechielis cap. XXVI, 27, colligitur. Verba Dionysii, *Serm.* I *in Evang.*, sunt : « Quæ fuit urbs antiqua « ac opulenta et olim clarissima; » ac proinde, Redemptorem nostrum in ea modico tempore demoratum fuisse mirum non est, quia divites communiter ejus sunt indolis, ut licet nonnunquam in timore Dei vivere incipiant, in eo tamen ut plurimum minime perseverent, *Deut.*, XXXII, 15 : *Incrassatus, impinguatus dereliquit Deum.*

3. — Est porro et alia ratio, cur civitates hasce adeo cito deserucrit, nimirum ne discipulos suos alicui perversionis exponeret periculo, utpote qui Spiritus Sancti adventu mediante, in gratia nondum confirmati fuerant : *Cum perverso perverteris, Psal.* XVII, 17.

Venit per Sidonem.

4. — Glossa Interlinearis ait, quod « Titus *an-* « *gustia* Sidon *venatio* interpretatur. » Et ideo Albertus Magnus ait : « Transiens ut venator ani- « marum, quia Sidon *venatio* interpretatur; » etenim nulla est ad animas capiendas melior occasio, quam dum inter adversa angustiantur : *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt. Psal.* XV, 4.

Ad mare Galilææ inter medios fines Decapoleos.

5. — Erat hic districtus regio quædam, quæ ut Venerabilis Beda asserit, decem sinu suo civitates complectebatur : « Regio decem urbium trans Jor- « danem ad Orientem. » Interlinearis in illis verbis : *Ad mare Galilææ*, « fluctuosam volubilitate « notat; per vocem *Decapoleos*, « mandata Decalogi » intelligit.

6. — Haymo Halberstadiensis quoque dicit : « Per decapolim designantur Judæi propter deca- « logum legis. Per mare Galilææ designantur Gen- « tiles, qui timidi erant. Veniens Dominus in « mundum relinquit Judæos, qui de præceptis legis « erant imbuti et venit ad tumentia corda gentium, « ut gratiam ejus, quam Judæi amittebant non cre- « dendo, Gentiles reciperent credendo. »

Additiones.

a. — *Et iterum exiens de finibus Tyri, venit per Sidonem*, etc. Duo hic objicit Jansenius, quæ nobis ad utiles materias pertractandas viam sternunt. Primo, quomodo Christus venerit per Sidonem, qui prohibuerat Apostolis gentium civitates ingredi? Ideo autem Christus prohibuerat Apostolis has ingredi civitates, quia licet Apostolorum esset officium gentes convertere, quia tamen boni cum malis conversando citius pervertuntur quam convertant, hinc ad gentes eos divertere noluit. Tametsi Propheta regius, bonum esse hominem in societate bonorum trinies repetat, dicens : *Cum sancto sanctus eris, cum viro innocente innocens eris, et cum electo electus eris; Ps.* XVII, 26; verumtamen mox ibidem infallibiliter futurum esse asserit, ut idem homo innocens, electus et sanctus, quamprimum in perversi alienjus diuturnum consortium incideri, protinus sit pervertendus. Statim enim subjungit : *Cum perverso perverteris.* Causa vero hujus tam acceleratæ perversionis a vitæ spiritualis Magistris hæc communiter assignatur, quia licet firma et stabilia nobis faciamus proposita cavendi, ne a malorum torrente in illorum rapiamur sequelam, vel mala ipsorum imitemur exempla, attamen quia natura nostra ad vitium prona est, magna cum facilitate ab eodem attrahitur et imbuitur. S. Bernardus ad Eugenium scribens, ait : « Ne te dixeris « sanum, dolentem latera; » ubi per latera, malos Eugenii indicabat consiliarios, utpote lateri ejus quotidie adhærentes; unde statim subdit : « Hoc « est, ne te dixeris bonum, malis innitentem. » Idem quoque Mellifluus Doctor, in quadam Epistola sua, salutare quidem esse scribit, cum bonis assidue conversari, sicut et summa laude dignum est in medio perversorum in vitæ bonitate perseverare; cum hac tamen distinctione, quod illud tantæ virtutis sit, quantæ et difficultatis; hujus vero difficultatis rationem duabus similitudinibus breviter exponit, quale nempe est, tangere picem et non inquinari ab ea; in igne sine læsione versari. Etenim virtus in arduo, et circa contraria versatur, et ideo ut secure possideatur ab homine, vel acquiquiratur, necessum est, ut sensualitati suæ, nec non depravatæ et corruptæ naturæ violentiam inferat, quod non item verum est de vitio, quin potius contrarium, siquidem quilibet homo ad illud naturaliter propendet et inclinat.

Secundo objicit Jansenius : Quomodo egressus de finibus Tyri, per Sidonem iter instituit ad mare Galilææ, a quo tamen Sidonem longius multo abesse constat quam Tyrum? Respondetur, quod divinus Magister non parcebat suo labori, ac itineri, ut nostro commodo consuleret et saluti, et ideo forte per Sidonem inflexit iter, ut per viam aliquos lucrifaceret. Ad animandum nos quoque in studio lucri animarum.

b. — « Sanata filia Chananææ, » ut ait Theophylactus hic, « non moratur diu in Gentilium « locis, sed statim transit, ne daret occasionem « Judæis, quod prævaricaretur legem Gentilibus se « miscens, dicendi. » Quamvis enim in regionibus illis Dominus in sanctis ac piis negotiis versetur,

statim revertitur, suo exemplo nos informans, ne aliis scandali occasionem præstemus. Magnam enim semper viri sancti, ac servi Dei sollicitudinem habuerunt de edendis bonis exemplis, arcendisque proximorum scandalis. Tametsi Salvator noster S. Petro claves Cœli consignasset, eumdem velut ab æterno Patre suo in intelligentia, et altissima divinitatis suæ scientia cœlitus edoctum declarasset, quando ipsum Filium Dei confessus fuit, nihilominus, quia ex nimia affectus tenerilitudine cœlestem Magistrum suum a redemptione generis humani, quam mediante patibulo crucis, operaturus erat, dimovere volebat; eumdem his verbis reprehendit : *Vade post me, Satana.* Cujus tam acerbæ reprehensionis rationem immediate subjungit, dum ait : *Scandalum es mihi, quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed quæ hominum.* Quibus verbis omnes fideles instruere voluit ut scirent nunquam se Spiritum Dei habituros esse, sed potius spiritum mundi, nisi caveant ne aliis sint ruinæ et offendiculi occasio. Moyses Deo adeo, ut omnibus constat, acceptus et gratus fuit, ut Dominum *a facie in faciem* viderit et tamen, quando mortuus fuit, disposuit, ut S. Michael Archangelus, prout S. Judas in Epistola sua testatur, post multos cum dæmone habitos certaminis conflictus, corpus ejus absconderet et venerationi Judæorum subtraheret : sed cur, obsecro, hanc gloriam, licet accidentalem, totque aliis sanctis in conspectu totius mundi concessam, quoad hunc magnum Prophetam, impedire voluit? Ratio clara est, quia ut B. Petrus Damianus ait : « Quid est, « quod Moyses ab hominum notitia removetur, « nisi ut tollatur occasio, ne qui tam Deo charus et « familiaris extitisse cognoscitur, divinus honor illi « ab Israeliticæ plebis perfidia præbatur? » Præ omnibus aliis sanctum illum senem Eleazarum quis non admirabitur, qui ab amicis, multisque aliis suasus, ut ad dandam Antiochio satisfactionem, saltem simularet se vetitas in lege carnes manducare, intrepide respondit : *Præmitti se velle in infernum?* cujus hanc subjunxit rationem : *Non enim ætati nostræ dignum est fingere, ut multi adolescentium arbitrantes, Eleazarum nonaginta annorum transisse ad vitam alienigenarum, et ipsi propter meam simulationem, et propter modicum vitæ tempus decipiantur.*

VERSUS 32.

Et adducunt ei surdum et mutum, et deprecabantur eum, ut imponat illi manum.

1. — Lucas Brugensis optime hoc loco notat, quod S. Marcus ex ingenti miraculorum a Christo patratorum multitudinem, quam S. Matthæus, XV, 30, recenset, insigne hoc miraculum præ cæteris describendum susceperit, quod proinde per multas circumstantias in præsenti Evangelio recenset : « In « quo singularibus Jesus usus est agendi modis; » idemque Auctor haud procul a vero abesse existimat, quod omnes alii, hujus tam insignis miraculi fama attracti et permoti, ad Salvatorem convolarint.

2. — Salmeron notat, quod secundum aliorum Evangelistarum contextum, homo iste non ex defectu aut vitio naturæ, sed dæmonis opera, surdus et mutus effectus fuerit, quia obsessus erat : « Prop- « terea merito deductus fuit ad Jesum, cum per « se venire non potuisset; » ex quo enim homo ille surdus et mutus, figura quædam erat peccatoris habituati, utique impossibile erat, ut ad Deum recurreret, nisi is ei manum porrigeret, divinoque cum auxilio suo prævenire, inspirando nimirum et movendo servos suos, ut pro eo orarent, *Joan.*, VI, 44 : *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum.* Miser hic homo, tametsi Christum continuo miracula patrare sciret, ad ejus tamen divinam beneficentiam implorandam ne pedem quidem movit; peccatori namque proprium est, potius a Deo suo fugere et salutem suam declinare. Admiranda est hominum illorum charitas, qui sine ulla remuneratione, hunc mutum et surdum ad Christum perducunt, quia ut S. Jacobus Apostolus, V, 20, scribit : *Qui converti fecerit peccatorem, salvabit animam suam a morte;* sicut enim dæmones nihil aliud adeo sollicite moliuntur, quam ut easdem animas a Deo seducant : ita ex alia parte hi, qui Dei sequaces existunt, nihil adeo curant, quam ut easdem animas ad Dei servitium allicere satagant. Quot sunt, qui peccatis suis immersi, utique se emendarent et vitiorum suorum sordibus emergerent, si Christiana fidelium charitas illos ad audiendum Dei verbum et spiritualium exercitiorum frequentationem perduceret, sicut illos mundanorum perversitas ad ludos, recreationes, malas et lubricas societates, aliasque profanas recreationes seducere nititur.

3. — Observandum hic quoque est differentia, quæ inter Centurionem et Regulum ex una parte et hunc surdum ex alia intercedit; neque enim Centurio servum suum, nec Regulus suum filium ad Christum adduxerunt, sed tam dominus, quam pater pro infirmis suis Salvatori nostro supplicationes suas obtulerunt. At vero hic surdus et mutus personaliter ad Christum adductus fuit. Et ratio est facilis, quia tam filius Reguli, quam servus Centurionis inhabiles erant, ut Christum accederent, tanquam moribundi enim sese movere handquaquam poterant; hic autem, licet surdus et mutus esset, pedibus tamen suis progredi poterat; ex qua proinde differentia docemur, quod Deus, ut nobis suas impertiatur gratias, illam saltem a nobis cooperationem expectet, quæ nobis possibilis est, atque conveniens. Unde Chrysostomus, *Hom.* LIII *in Gen.*, ait : « Considera, quando quod in nobis est, offeri- « mus, largiter divinam operationem consequi- « mur. »

4. — Enimvero Salvator noster, utpote ex itinere defatigatus, licet refectione quadam et refocillatione indigere videretur, ejus tamen loco, illi non solum hic mutus et surdus, sed ut S. Matthæus scribit, innumeri alibi ab eo sanandi infirmi adducuntur, quia optima et gratissima, quam Christus habere poterat, refectio, hæc erat, quod se ad benefaciendum animabus nostris impendere posset, prouti in occasione occurrenti ad puteum Samaritanæ videre licet, quando ex itinere lassus, famelicus et sitibundus dixit, sapidissimum et gratissimum cibum esse, animæ illius peccatricis conversionem.

Surdum.

5. — Per hunc miserabilem virum, aurium surditate laborantem, peccator denotatur, peccatores enim, ut Dionysius Carthusianus, *Serm.* II *in hac Dom.*, ait : « Surdi vocantur, quoniam verba salutis, « aut omnino non audiunt, aut si ea corporaliter « audiunt, non tamen secundum eadem conversan- « tur, sed in suis permanent peccatis. » Idem quoque Doctor observat, quod Christus sæpius dixerit : *Qui habet aures audiendi, audiat*, quo loquendi modo Christus non vult dubitare, quin illi, quibuscum loquebatur, revera audirent, sed insinuare vult, quod non cum fructu debito audiant, eaque, quæ audierunt, non exequantur : « Insinuat eos, qui verba « Dei non audiunt per salubrem effectum, per obe- « dientiam et consensum, aures cordis non habere, « ideoque spiritualiter surdos esse. »

6. — Quidam Evangelii S. Marci interpres, hanc surditatem de illis exponit, qui admonitiones et consilia salutaris inviti auscultant : « Surdus, non « habens auditum Dei, est, qui non vult audire « bonum, sepit aures spinis et negotiorum multi- « tudine, ne audiat legem. »

7. — Salmeron surditatem hanc tunc dignosci posse observat, quando quis strepitum seu rumorem quemdam aut sonum, quantumvis vehementem, surdus non audit : « Surdus est, qui vehemen- « tem sonum vel clamorem non percipit; talis est « peccator, qui seipsum ignorans, non audit ver- « bum synderesis, et vermis conscientiam rodentis, « et arguentis de peccato; quæ pœna gravissima « est, et propterea ab inferno non aberit. » Verbum Dei animæ vita est, sicut aer respirantis corporis, *Joan.*, VI, 6 : *Verba, quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt.* Sed suas sæpe anima aures voci divinæ occludens, mortem æternam irremediabiliter occurrit.

8. — Albertus Magnus existimans, hunc hominem a diabolo obsessum fuisse, hanc surditatis ejus causam adducit : « Quia aures arma iniquitatis pec- « cato exhibuerat, ideo diabolus in auribus fecerat « surditatem et maxime a verbo Dei audiendo. »

9. — Salmeron addit : « Surdus præterea est, « qui Deum præcipientem aut promittentem non « audit, aut qui Deo comminanti et pœnas gehennæ « proponenti aures non præbet. » Teste Christo, manifestum reprobationis cujuscumque animæ est surditas hæc spiritualis : *Qui ex Deo est, verba Dei audit; propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. Joan.*, VIII, 47.

Et mutum.

10. — Per hunc hominem, surdum simul et mutum, Dionysius Carthusianus illos designat peccatores, qui confessionem, suorumque peccatorum accusationem negligunt : « Qui sua peccata sincerii- « ter confiteri non curant, item qui ab orationibus « et laudibus Dei tepescunt. »

11. — Per mutum, Albertus Magnus, *Serm.* VI *in hac Dom.*, eos intelligit, qui quidem discurrere norunt, sed nihil sermonis divini aut ad salutem pertinentis important : « Mutus est etiam peccator, « quia non invocat Deum cum affectu quamdiu « delectatur in peccatis; os enim habent multi « peccatores et tamen raro loquuntur bonum, sed « malum. »

12. — Salmeron porro per hunc mutum, dicit figurari spiritualem animæ aversionem, qua ille a peccatorum confessione sese subtrahit : « Mutus est, « peccator, qui non confitetur, ob dæmonem, qui « ut fortis armatus possidet castrum cordis et por- « tam, per quam est expellendus, claudit. » Motiva autem, quæ hujusmodi hominibus confessionem odiosam reddunt, eosque mutos efficiunt, idem auctor adducit sequentia : « Pudore infandorum « criminum, et impunitatis pollicitatione, et spe « longioris vitæ, et confessionis suo tempore fa- « ciendæ, tanquam pessulo quodam claudit os- « tium, » scilicet diabolus.

13. — Prædictus idem Auctor in sensu morali, tria alia adducit mutorum genera, ad rem nostram accommodatissime : « Mutus est, qui Deum non « confitetur coram hominibus, qui taciturnitate sua « permittit irrogari proximo, quem loquendo arce- « bat, qui delinquentem ex ignorantia non instruit « vel corrigit. » In quo sensu longe ante compellavit reprehenditque Propheta Isaias, LVI, 10, superiores et prælatos illos, qui taciturni nimium ad omnia obmutescunt suorum vitia : *Canes muti, non valentes latrare, videntes vana, dormientes.*

14. — Surditas hominem eliminem reddit, qui surdus loquelam addiscere nequit, inque hoc astutia se prodit diaboli, primo homines reddentis surdos, ne divinam vocem aut inspirationes internas auscultent, postea autem eorumdem occludentis ora, ne vel peccata sua confiteantur, vel orationes frequentent, vel de divinis sermones instituant. Unde Jansenius inquit : « Surdus iste et mutus designat « eum, qui nec aures habet ad audiendum sermo- « nes Dei, sed obturatas habet in modum aspidis, « adversus sapientis incantatoris vocem, nec lin-

« guam habet ad confessionem propriæ turpitu- « dinis, ac divinæ misericordiæ et bonitatis, sed « tantum ad obtrectationes, maledicentiam, stulti- « loquia; et id genus, ita loquitur quidem, sed non « recte. »

15. — Dionysius Carthusianus, in hocce misero, peccatorem contemplatur in criminibus habituatum : « Præcipue consuetudo prava efficit men- « tem mutam et surdam. » Id quod S. Augustinus sibi, tanquam triginta et plurium annorum insordidato peccatori applicans, exclamat, *Solil.*, XXXI : « Væ surditati illi, quando non audiebam te, in- « tonasti desuper voce grandi in interiorem aurem « cordis mei, rupisti surditatem meam et audivi « vocem tuam. »

16. — Hugo Cardinalis in sensu allegorico miserum hunc ita repræsentat : « Surdus et mutus est « genus humanum, quod in Adam est surdum per « inobedientiam et mutum a confessione laudis « divinæ; quia *non est speciosa laus in ore pecca- « toris. Peccatori autem dixit Deus : Quare tu enarras « justitias meas?* » Præcipue autem auctor in præsenti Ecclesiasticos redarguit negligentes in officiis suis et disciplina sæcularium, quos vi muneris sui erudire tenentur : « Specialiter surdi sunt clerici, « quia verbum Dei audire nolunt; et muti, quia « prædicare nolunt, nec in Ecclesia cantare. »

17. — Eamdem nobis allegoriam tradidit Beda, *Hom. in hac Dom.*, inquiens : « Obsurdit namque « homo ab audiendo vitæ verbo, postquam morti- « fera serpentis verba contra Deum tumidus audi- « vit; mutus a laude Conditoris effectus est, ex quo « cum seductore colloquium habere præsumpsit. »

18. — Albertus Magnus, *Serm.* LXVI *in hac Dom.*, in hoc surdo et elingui conditiones notat peccatoris, juxta illud Davidis, de adulterio profitentis, testimonium : *Ego autem tanquam surdus non audiebam et sicut mutus non aperiens os suum.* Quæ ita prosequitur : « Peccator quamdiu in peccatis est, « surdus est, quia non audivit cum effectu clamo- « rem vocationis divinæ, qua nos vocat ad pœni- « tentiam. » Unde merito Deus per eumdem Psalmistam lamentatur in hæc verba, *Psal.* LVIII, 4 : *Laboravi clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ.*

19. — S. Thomas, *Serm. in hac Dom.*, tres a quocumque peccante contrahi docet infirmitates; nimirum : « *Primo*, cæcitatem, per mentis obte- « nebrationem; *Sophon.*, I, 17 : *Ambulabunt ut* « *cæci, quoniam Domino peccaverunt.* Et *Eph.*, IV, « 18 : *Tenebris obcæcatum habentes intellectum.* « *Secundo*, surditatem, per inobedientiæ rebellio- « nem. *Tertio*, mutitatem propter peccatorum « suorum occultationem. *Job.*, XX, 12 : *Cum dulce* « *fuerit in ore ejus malum, abscondit illud sub lin-* « *gua.* »

Et deprecabantur eum.

20. — Rationem sollicite discutit Dionysius Carthusianus, quare hæc pia et devota turba miserum istum hominem ad Christum portarit, proque eo supplex facta fuerit, dicitque : « Per hoc spiri- « tualiter datur intelligi, quod mente surdi seu « vitiosi, per seipsos se non valent accedere, cum « non sint in charitate, quæ sola ducit ad Deum. » In quorum confirmationem, adducit S. Augustinus exemplum, quem hæreticum, vitæque dissolutæ deditum, sanctissima ejus mater vi et efficacia orationum suarum ad S. Ecclesiæ sinum reduxit : « Deus frequenter confert aliquibus gratiam, meritis « et precibus aliorum, utpote Sanctorum in cœlo « triumphantium, ac devotorum in terris adhuc « militantium. » Salmeron mutum hunc intercessionem aliorum necessariam habuisse docet, utpote qui ipse linguæ beneficio destitutus esset : « Haben- « tes usum linguæ, deprecabuntur pro eo, ut intel- « ligant justi, qui usum linguæ liberum habent et « gratia valent apud Deum, se intercedere debere « pro nescientibus vel impotentibus deprecari, id « est, pro peccatoribus. »

21. — Albertus Magnus autem discurrit : « Hæc « est intercessio astantium, quædam sanctæ Eccle- « siæ intercessio, *Jacob.*, V, 16 : *Orate pro invicem,* « *ut salvemini; multum enim valet deprecatio justi* « *assidua.* » Benignissimus Deus unicum omnium malorum nostrorum remedium nobis assignavit orationem, quam proinde turba hæc ex charitatis visceribus, ut miraculosam miseri illius sanitatem impetraret, liberaliter impendit; gaudet Deus impertiri nobis beneficia sua, sed non sine prævia oratione nostra; si namque turba hæc ex precibus et instantiis suis non supplesset defectum muti, nunquam sanitatem ejus extorsisset; at proh dolor, peccatores multi in tantam Dei sæque salutis oblivionem venere, ut nunquam a peccatorum statu recederent, nisi aliorum precibus suffulcirentur.

22. — Horum damnationis impatiens, ferventissimus ille salutis animarum zelator, S. Joannes, ita quemlibet interpellat Christi fidelem, I *Joan.*, V, 1, 14 : *Hæc est fiducia quam habemus apud eum, quia quandocumque petierimus secundum voluntatem ejus, audit nos; et scimus, quia audit nos, quidquid petierimus. Qui scit, fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat; et dabitur vita peccanti non ad mortem.* Ubi Jansenius ita subsumit discursum : « Docemur in offerentibus, quid valeat aliena fides « et oratio, et quam sollicitudinem debemus his « maxime, qui sibi non sufficiunt. »

23. — Chrysostomus ponderans illa Apostoli, II *Cor.*, I, 9, verba : *Ut non simus fidentes in nobis; sed in Deo, qui de tantis periculis nos eripuit et eruit, in quem speramus, quoniam et adhuc eripiet; adjuranti- bus et vobis in oratione pro nobis*; ita scribit : « Deus « frequenter reveretur multitudinem unanimem et « consentientem in precando, ut velut pudore vic- « tus, non audeat illi denegare. »

24. — Salmeron moralem horum verborum sensum adducens, ex prædictis verbis debitum elicit advocatorum, ut scilicet ad imitationem horum spontaneorum bajulorum et oratorum, ipsi quoque ex charitate, pauperum causis et negotiis patrocinentur : « Advocati etiam et judices agant causas « pauperum, qui loquela destituuntur et jus suum « vel non intelligunt, vel proponere non valent. » Porro Glossa Interlinearis per hosce deprecatores, sedulosque intercessores, intelligit : « Patriarchas « vel Prophetas, incarnationem Domini desideran- « tes. »

Ut imponat illi manum.

25. — Archisynagogus filiæ suæ resuscitationem a Christo imploraturus, *Matth.*, IX, 18 : *Impone*, inquit, *manum tuam super eam et vivet.* Iterum S. Marco, VI, 5, teste, Christus *infirmos impositis manibus curavit.* Hanoque illius petitionis causam in turba præsenti fuisse existimat Salmeron, quia « ita « viderant, Jesum alios hujusmodi infirmos cu- « rasse. » Nihilominus ad sensum moralem transiens, docet, quod hæc religiosæ turbæ supplicia, ut intentum assequeretur, sequentibus debuerit esse vestita conditionibus ut imponat illi manum, non tantum sinistram in timoris, de qua Job, XIX, 21 : *Manus Domini tetigit me*, sed etiam manum dexteram amoris, de qua dicitur, *Psal.* CXVIII, 173 : *Fiat manus tua ut salvet me.* Et rursus, *Psal.* CXLIV, 16 : *Aperis tu manum tuam et imples omne animal benedictione*; manum etiam Sacerdotis, ministri Dei, cui dictum est : *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Sacerdotis enim maxime est, manus imponere super ægros, ut bene se habeant.

26. — Præclaram aliam ex hisce verbis doctrinam deducit idem auctor, dicens, nostrarum quidem partium esse, pro salute proximi intercedere et supplicare; at solius Dei, manum imponere, id est, salutem conferre. « Fac quod tu potes; et « Deus præstabit quod tu non potes : *Nisi Dominus* « *custodierit civitatem, frustra vigilat, qui custodit* « *eam. Psal.* CXXVI, 1. »

27. — Denique Simon de Cassia ingeniosum simul et moralem circa hæc verba instituit discursum, inquiens : « Habet autem quid occulti mysterii « et moralis, quod manus expetitur imponenda; ut « eadem manus sit plasmans et liberans : *Manus* « *tuæ, Domine, fecerunt me et plasmaverunt me. Psal.* « CXVIII, 73. » Neque enim incredibile est, turbam hanc, cœlesti suggerente Spiritu, cognovisse, quod Christus verus esset Creator, posseique corpus hoc defectuosum sanare, restituendo illi omne id, quo ipsum inimicus infernalis spoliaverat, nam teste Dionysio Carthusiano : « Factus fuit talis a dæmone, « ipsum possidente, qui usum linguæ et aurium « impedivit in eo; unde in Matthæo legitur : *Tunc* « *oblatus est dæmonium habens, cæcus et mutus.* « *Matth.*, XII, 22. » Notandum vero, nullam de hac turba fieri mentionem reddendi auditus aut loquelæ, sed tantum *deprecabantur, ut imponat illi manum*; quasi diceret : Profitemur, te ipsum illum esse, de quo S. Propheta David testatur : *Manus tuæ, Domine, fecerunt me et plasmaverunt me, totum in circuitu.* Cognoscebant utique hanc eamdem esse manum, quæ S. Zachariæ, S. Joannis patri loquelam restituit : *Etenim manus Domini erat cum illo; apertum est os Zachariæ. Luc.*, I, 66.

Additiones.

a. — *Et adducunt ei surdum et mutum.* Hæc mala invenerunt hunc hominem ob sua peccata; de ipso enim sanato dicitur : *Loquebatur recte*; quod interpretari potest, non solum expedite et absque balbutione, sed etiam bene et consone, quasi quod antea esset linguosus, et male proferret verba, modo vero infirmitate depulsa morigeratus, ac in sermone prudens; ideo ergo hæc mala eum apprehenderunt, ut ipse in sua castigatione emendaretur, ac ab ipsis vitiis resipisceret. Suam enim Deus offert misericordiam, nosque invitus et remisse castigat, supplicia ad nostrum ordinans utilitatem, nunquam a divina misericordia separata, licet nos ipsi eadem per peccata nostra provocemus. *Expectat Dominus ut misereatur vestri, et ideo exaltabitur parcens vobis. Isa.*, XXX, 18. Cum patientia nos præstolatur, et expectat, ut suam nobis misericordiam exhibeat, idque cum non minori sollicitudine et anxietate, ac si ab hoc, exaltatio et gloria ejus dependet. D. Chrysostomus, in sermone quodam, cui titulus : *Dæmones non gubernare mundum*, inquit : « Nunc mihi sermonem meum memoria tenete, « nunquam ex ea elabi sinite : Deum nimirum, non « modo cum afficit beneficiis, sed etiam cum punit, « bonum esse ac benignum, nam et ipsius pœnæ ac « supplicia beneficiorum ejus sunt pars maxima et « providentiæ genus maximum. Cum ergo famem, « pestes aeris, siccitates, imbres continuos, et aeris « inæqualitates, vel aliud quidpiam videris, quo « genus humanum puniatur, ne ægre feras, neque « indigneris, sed adora rerum illarum Auctorem. « Ille quippe est, qui hæc omnia peragit et cor- « pus castigat, ut anima emendetur; juxta illud « Psalmistæ : *Cum occideret eos, tunc quærebant* « *eum et diluculo veniebant ad eum.* Medicus non « cum ægrum in hortos ac prata deducit laudan- « dus est tantum, nec cum in balnea et piscinas « aquarum, nec cum opiparem mensam apponit, « sed cum lecto affigit, et domum convertit in « carcerem, cum secat et urit, cum acerba porrigit « medicamenta, ex quo medicus est. An non igitur « absurdum est illum tot malis illatis, medicum « vocari, Deum vero si quid tale præstiterit, si « famem et mortem invexerit, blasphemare, atque « illi curam universi detrahere? » S. Antonius de Padua similiter hanc misericordiæ Dei supplicia sua in beneficium nostrum ordinandi inventionem, his verbis considerat : « Misericordiam providit ut « juxta quantitatem delicti et culpæ, quosdam « videlicet inspirando, quosdam comminando vel « percutiendo reducat. »

b. — Venerabilis Beda hosce adducentes describens, amicos et consanguineos hujus hominis fuisse affirmat. Alii vero de turba fuisse dicunt, et inde maxime laudandi, quia charitatis affectum huic misero non denegaverunt; et certe laudabilis hic populus qui saluti proximi sic prospicit. Nam sicuti discipuli dæmonis propriis tantum student commodis, ita Dei discipuli salutem promovent etiam alienam, idque veræ charitatis motivo, quæ nos veros fideles esse ostendit; illius autem defectus convincit nos dæmonis esse sequaces. Christus Salvator noster in celeberrimo sermone illo quem in ultima Cœna, quando a discipulis quoad præsentiam corporalem separandus erat, ad eosdem habuit, certiores illos facere voluit de signo ex quo agnoscendi essent tanquam veri disciplinæ et doctrinæ suæ professores et sectatores, dum ait : *In hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei estis.* Sed ex quo signo id dignoscendum erat? Num forte ex dono prophetiæ? Ex omnium idiomatum, seu linguarum peritia? Ex scientia et sapientia infusa, in qua eminuerint? In collata ipsis super dæmones potestate? Ex idolorum demolitione, ex variorum populorum conversione? Ex arcanorum mysteriorumque divinorum revelatione? Ex paupertate apostolica? Ex libenter et patienter tolerata crudelissimorum suppliciorum carnificia? Ex patratis portentis, cæcis illuminatis, ex auditu surdis, loquela mutis, vitaque defunctis restituta? Minime gentium, quia miracula supernaturalia patrare non est indubitatum solidæ stabilisque sanctitatis signum, aut argumentum; quin probabilis, valdeque fundata est variorum Doctorum opinio, quod etiam Judas traditor vera patrarit miracula; imo multis eorum, quos mundos sanctos esse arbitratur, Dominus dicet : *Discedite a me operarii iniquitatis.* In quo igitur : *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* Unde Chrysostomus ait : « Omissis miraculis, dilectionis « eos signo notat, quando hæc maxime sanctorum « hominum est incidium. » Hi qui cum proximis concordes non sunt non merentur nomen fratrum, nec ab Ecclesia pro fidelibus recipiuntur, aut agnoscuntur. Unde in sacris Canticis verba illa dolore plena leguntur : *Filii matris meæ pugnaverunt contra me.* Circa quæ merito queri potest, cur Sponsa illos fratres suos non appellet, cur ab illa per circumscriptionem : *Filii matris meæ?* Pro responsione notandum, quod in eadem periodo rixarum mentio fiat : *Pugnaverunt.* Qui ergo amorem fraternum non habent, nec curant, non merentur ut a Sponsa, id est, ab Ecclesia agnoscantur pro fratribus, id est, pro fidelibus et sequacibus suis. S. Chrysostomus Joabi factum, quod commisit quando amasiam traditorie occidens dixit : *Salve mi frater, et tenuit manu dextera mentum Amasiæ quasi osculans eum*, hoc inquam mente recolens S. Doctor ait : « Fratrem « te vocat, et quasi hostem te occidit. »

c. — Non constat mutum fuisse dæmoniacum, licet id existimet Theophylactus. At si hoc ita esset, Evangelista expressisset, ut in aliis miraculis, id fieri solet a sacris Scriptoribus; cum dæmonis ejectio spectaret ad miraculi commendationem. Magnæ tamen hæ sunt corporis infirmitates, sed majores animæ; insigne malum est surditas animæ, sed nec minus linguæ privatio, ejus etenim salus in loquendo consistit per confessionem. *Vide quæ diximus de muto, Dom.* III *Quadrag.* Insuper surdastros ad audiendum verbum Dei nos efficit prosperitas temporalis.

d. — Non sunt homines isti contenti quod pro absente loquerentur, sed ipsum etiam adducunt, ac ante oculos Christi præsentant, ut visa summa hominis miseria, divinam pietatem ad subveniendum allicerent; sæpe quidem non rogatus Dominus similia patravit miracula; ad quid ergo voluit, ut hic homo, suis gressibus ambulans, adduceretur et pro eo adducentes deprecarentur? Sic, scilicet, sese Christus semper ostendit corporum et animarum curatorem, ut nostrum se meminisset esse Doctorem; et ideo adduci coram se surdum et mutum voluit, ut instrueremur, quod Deus semper velit, ut quantum in nobis est, Deo auxilium conferenti collaboremus, et operationem nostram adjungamus, et tunc ipse præstans suum adjuvamen, totum perficit, complet et absolvit. Ad rem pulchre D. Chrysostomus, *Hom.* LIII *in Genesi*, ait : « Considera « quando, quod a nobis est, offerimus, largiter « divinam operationem consequimur; nam ne desi- « des et supini simus, vult etiam nos aliquid con- « ferre, quo sic sua declaret, et non totum sit « superni auxilii, sed oporteat etiam nos aliquid « simul afferre; neque a nobis exigit totum, sciens « infirmitatis nostræ excellentiam, et servans suam « misericordiam; et volens aliquam occasionem « offerre, ut suam declaret liberalitatem, expectat « ut offeramus, quæ a nobis sunt. » Assistentia enim Dei, qua in tentationibus protegimur, nostram exigit cooperationem. Consulebat propterea nobis S. Apostolus, II *Cor.*, VI, 1, dicens : *Exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis; ait enim : Tempore accepto exaudivi te.* Ecce verbum hoc, *exaudivi*, supponit animam prius ad Deum fudisse preces, eique se commendasse. « Quis tam imma- « nem pugnam, » verba sunt S. Thomæ de Villanova, « tot laqueos tot insidias vincere aut declinare « poterit, nisi Dei fuerit protectione munitus? Quid « faciet homuncio fragilis et ignorans, tot venena- « torum serpentium cuneis circumvallatus? Unicum

« ei superest remedium, divinum implorare subsi-
« dium, cœlestem invocare tutelam. » Ex parte igitur nostra succursus divinus postulandus est, quia, « Dii facientes adjuvant. » *Protegam eum quoniam cognovit nomen meum; clamabit ad me, et ego exaudiam eum.* Ostendit deinde idem Villanovus Deum ex parte sua non deesse, ut nobis succurrat; at nos eum non invocamus : « Nulla est tibi excu-
« satio, si cadis, nulla quærelæ ratio, si lapsus in
« peccata damnaris. Noli causari, noli allegare,
« quod fragilis et cæcus cum astutissimo et fortis-
« simo serpente conflixisti. Quid mirum, si cado, si
« superor, si prosternor? Quis ego eram ut cum
« tanto gigante conflligerem? Non æquo marte
« pugnabam, non cum æquali decertabam. Quæ
« est hæc justitia, ut cum impari certamine victus
« perpetuo damner abysso, et supplicio deputer
« sempiterno? Audi peccator : Aderat tibi Deus a
« latere. Angelorum subsidium tibi paratum erat.
« Quare non clamasti? Quare non invocasti? Cur
« de tuis viribus confidisti? Cur solus cum multis
« certare præsumpsisti? Cur paratos Angelos tecum
« in prælium advocare neglexisti? Tua culpa, tua
« superbia, tua inertia, victus es, ac propterea
« pœnas victus lues. »

e. — *Et deprecabantur eum ut imponat ei manum.* Non vacat mysterio, quod hi viri deprecabantur Christum, ut imponeret huic misero et afflicto manum. D. Ambrosius, *in Psal.* CXVII, super hæc verba : *Manus tuæ fecerunt me*, scribens, *Serm.* X, ait, et simul nobis aperit mysterium : « Magnæ
« commendationis exordio usus est, ut opus Dei se
« esse diceret, quo facilius citra operis sui gratiam
« favor inclinaretur Auctoris. » Et sicut David citius impetrare sperabat, quia opus manus Dei se esse proponebat, sic et hi adducentes, per impositionem manus idem remonstrare volebant, ut eo citius impetrarent quod volebant. Unde maximum hominis est beneficium, dum corpus ex luto compactum, flatuque suo animatum, ad maximam utilitatem illi impertiit Deus, qua propter ad gratiarum actionem obligamur. Deum alicui dare quod sit in rerum natura, quocumque tandem modo, beneficium magnum erat, quia illum hoc faciendo e nihilo eduxit; at vero Deum nobis dedisse esse aliquod adeo nobile et sublime, quis idipsum per æquivalentem gratitudinem recompensare valebit? S. Antonius, in sua Summa, de hac materia disserens, hanc instituit considerationem : « Invitant creaturæ
« ad redintegrandum Deo, quia omnes, exceptis An-
« gelis, sunt inferiores nobis; et cum Deus potue-
« rit nos facere vilissimas creaturas, nobilissimas
« fecit. » Narrat quoque, quod dum SS. Patres in eremo, in conferentiis suis spiritualibus congregati essent, unus illorum dixerit : « Benedictus Deus qui
« fecit tot innumeras et mirabiles creaturas, ex
« quibus nulla est, quæ me non doceat Deum
« laudare et regratiari. » Quod audiens quidam qui modicam habebat vitæ spiritualis experientiam, eidem opposuit dicens : « Quomodo te docet lau-
« dare Deum bufo? Et respondit ille : Multum
« quidem et multipliciter : nam cum intueor illud
« animal, ita horribile in aspectu, veneno plenum,
« corpore turgidum, super pectus gradiens super
« terram, oculis transversis, considero Deum talem
« me potuisse facere; fecit autem rationabilem
« creaturam sui capacem. » Si enim Deus nos fecisset esse scilicem, arborem, viperam, magnum utique fuisset Creatoris beneficium; at vero ex quo nos creavit, esse tam sublime nobis dedit, longe majus nostram sibi astrinxit gratitudinem.

f. — Pulchre nec minus pie in hunc locum scribit Simon Cassianus, *lib.* V, *cap.* XXV : « Habet autem, »
ait, « quid occulti mysterii, et moralis, quod manus
« expetitur imponenda, et tandem manus sit plas-
« mans, et liberans. » Bene enim conscii erant viri quod Deus, in primo molimine rerum, suis manibus e pulvere terræ hominem in elegantem Dei imaginem formaverit. Petunt ergo, ut ipsasmet manus admoveat, ut hominem a tanta infirmitatis oppressione liberet. Sciebat enim quod Deus illius quod creavit, magnam solet gerere curam, illud amare, in illo quasi thronum et Paradisum collocare, necnon multis donis cumulare.

Versus 33.

Et apprehendens eum de turba seorsum, misit digitos suos in auriculas ejus, et exprimens tetigit linguam ejus.

Et apprehendens eum de turba seorsum.

1. — Græcus textus habet : *Cum seduxisset eum de turba seorsum.* Multæ porro sunt horum verborum interpretationes, factæ a Doctoribus et sanctis Patribus. Dionysius Carthusianus ideo miserum hunc separatum fuisse a turba existimat, eo quod Christus hanc judicarit indignam, quæ miraculum videret, ob nimiæ vitium curiositatis : « Quia turba
« fuit indigna videre istud miraculum quoniam
« forsitan ex curiositate optavit aliquod rarum
« videre. » Euthymius ait : « Cognoscens, multitu-
« dini quosdam esse immixtos, qui reprehende-
« rent. » Theophylactus vero, ideo factum censet,
« quia non erat arrogantiæ sectator, qui se humi-
« liaverat usque ad nostram inopiam. » Quocum coincidit illa Chrysostomi doctrina, inquientis : « Ut
« divina miracula non faceret manifeste, instruens
« nos vanam gloriam ejicere et tumorem; nihil
« enim est, ex quo aliquis sic miracula operetur,
« sicut si humilitatem colat et modestiam sequa-
« tur. » Idem punctum attingit Jansenius in illis verbis : « Nolens miraculum manifeste facere, ne
« videretur popularis laudis affectator. » Vel tandem etiam cum Theophylacto dicere possumus :

« Ut plurimum noluit coram multitudinem mira-
« cula facere, nisi propter videntium utilitatem. »
Cognoverat indubie Christus, majorem hujus turbæ partem, nullum ex miraculo publico habituram esse emolumentum et ideo omnem declinaturus offensæ occasionem, in locum secretiorem recessit.

2. — *Omnia in figura contingebant.* Unde Eusebius Gallicanus, in hac turba, multitudinem dicit signari vitiorum : « Hæc enim turba, de qua hic
« homo a Domino trahitur, vitiorum est multitudo,
« qui de hac turba non trahitur a Domino, non
« sanatur. »

3. — Alia insuper hujus secessus ratio dari potest; figurabat namque, ut diximus, hic mutus et surdus peccatorem, multa vitiorum consuetudine depravatum; et ideo Christus eum sanaturus, singulari cum industria a turba sequestravit : « Ad
« designandum, » verba sunt Dionysii Carthusiani,
« quod spiritualiter muti et surdi, secrete admo-
« nendi sint atque docendi, ne ex humano rubore
« retrahantur ab advertentia et pœnitentia. »

4. — Beda in homilia hujus Dominicæ sequentem nobis tradit moralitatem : « Prima namque
« salutis spes est, quemlibet assuetos vitiorum
« tumultus, turbasque deserere. » Glossa interlinearis de strepitu mundi intelligit, ut glossa ordinaria habet : « Seorsum a turbulentis cogitationi-
« bus et actibus inordinatis, sermonibusque incom-
« positis educitur, qui sanari meretur. » Ratio autem, quare Deo adhæsurus, suæque saluti consulturus, se necessario a mundo sequestrare debeat, hæc adducitur ab Hugone Cardinali : « Qui vult
« sanari a peccatis, debet tumultum mundi evitare,
« quia corrumpunt bonos mores colloquia prava. »
Quod idem insinuat Dionysius Carthusianus, *Serm.* II *in hac Dom.*, dicens : « In hoc datur intelligi,
« quod eos, quos Deus a vitiis curat et salvat,
« oportet prava vitare consortia, atque a communi
« hominum, per latam perditionis viam ambulan-
« tium, conversatione discedere. »

5. — Albertus Magnus dicit : « Tunc homo per
« Jesum a turba seorsum educitur, cum illa fugit
« et respicit, quæ amatores mundi frequentare
« consueverunt. » Pœnitentiam enim acturi de excessibus præteritis, per aliam nos viam gradiamur oportet, fugiendo imposterum omne illud, quod hucusque occasio exstiterat offensæ. « Neque
« ullatenus salvari putandus est, » ait Beda, « quam-
« diu quis inordinatis motibus adhærere, superva-
« cuis verbis delectari, turbulentis cogitationibus
« non timet devastari. Mundus, quod suum est,
« diligit. » Impossibile est, nos in vana vitæ libertate degentes, Christum sequi. Paralyticus Evangelicus 38 annis incessanter avebat in probaticam piscinam intromitti, at aliis magis industrii semper prævenientes, spem ejus eludebant; idem postea a Christo sanatus, jussusque lectum portare, reprehenditur ab inimicis objicientibus, *Joan.*, III, 10 : *Sabbatum est, non licet tibi tollere grabatum tuum.* De alio similiter paralytico testatur S. Lucas, V, 19, quod, ut Christo sisteretur, tectum solvi necessum fuerit : *Ascenderunt super tectum et per tegulas submiserunt eum ante Jesum.* Cujus facti necessitatem ipsemet S. Evangelista subjungit, nimirum : *Non invenientes, quæ parte illum inferrent præ turba.* Cæcus lumen flagitans oculorum suorum, a turba pariter objurgatur, *Luc.*, XVIII, 30 : *Et qui præibant, increpabant eum, ut taceret.* Zachæi affectum desiderantis videre Salvatorem, præpediebat populi multitudo, *Luc.*, XIX, 3 : *Quærebat videre Jesum, quis esset, et non poterat præ turba.* Quid multis? certo certius est, ipsa experientia teste, semitam mundi contrariari illi, quæ est via Dei et salutis nostræ. « Prima salutis janua est, » ait Beda, *in Marc.*, « infirmum apprehendente Domino de turba
« seorsum educi. » Hancque ipsam sequestrationis et a turba recessus causam fuisse ostendit : « De
« turba seorsum educit, cum mentem peccatis lan-
« guidam, visitatione suæ pietatis illustrans, a con-
« suetis humanæ conversationis moribus avocat,
« atque ad sequenda præceptorum suorum itinera
« provocat. »

6. — Salmeron dicit : « Opus est, ut separetur a
« turba, id est, ab occasione peccandi, cujus una
« maxima est pars, mala societas, de qua Aposto-
« lus : *Corrumpunt bonos mores colloquia prava.* »

7. — Propterea etiam advertendum est, quod Christus digitos surdi auriculis intromittens, qui idem spiritualiter suas ei divinas illustrationes impertiebatur, nos docere voluerit, opus esse dicta sequestratione, si eum, ipsiusque dona cum animarum nostrarum fructu recipere velimus; et ideo S. Augustinus se ad Deum conversurus, totumque cor suum illi reseraturus, divinis gratiis donisque cœlestibus recipiendis inidoneum se existimavit, nisi in solitudine degeret, omni proscripto sodalitio : « Solitudo enim mihi, » inquit, *lib.* VIII *conf.*, XII,
« ad negotium flendi aptior suggerebatur. » Id quod attestatur et Spiritus in verbis illis : *Ducam eam in solitudinem et ibi loquar ad cor ejus.* Hugo de S. Victore quærit : « Quid est, quod semper loquitur
« in secreto Deus? » sibique ipsi respondet : « Nisi
« quod nos ad secretum vocat. » Semel quidem iterumque in Canticis Canticorum Sponsa, figura dilectæ Deo animæ, deprædicatur, nobisque tanquam sublime cœlestium donorum et gratiarum fastigium repræsentatur, at eo tantum tempore, quo inimica multitudini sola in deserto reperta fuit. *Cant.*, III, 6 : *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ et thuris?* Et iterum, *Cant.*, VIII, 5 : *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, deliciis affluens?* Admiranda illa sacræ Apocalypseos mysteria S. Joanni non alibi, quam in solitudine exhibita fuere, *Apoc.*, XVII, 3 : *Abstulit*

me in deserto. Eamdem in secessu gratiam experiebatur anima illa, quæ dicebat, *Ose.*, III, 3 : *Cognovi te in deserto, in terra solitudinis*. Hisce addere placet illud S. Augustini, de S. Monachis, desertum incolentibus scriptitantis testimonium : « Desertissimas terras incolunt, perfruentes colloquio Dei, « qui puris mentibus inhæserunt. » Imo teste Angelico Doctore, conservandæ cordium nostrorum puritati et munditiæ, secessus servit necessarius : « Pro puritate cordis solitudo est sectanda. » Orientalium ditissimus, multorumque Dominus populorum Propheta Job de seipso asserit : *Requiescerem cum regibus et consulibus terræ, qui ædificant sibi solitudines*. Quæ verba interpretans S. Gregorius, existimat Primates illos veras sibi ædificasse solitudines, ubi, in medio licet mundi, interque alios subsisterent, ita nihilominus vitæ suæ rationem instituebant, quasi extra mundum soli degerent, sine ullo temporalium bonorum affectu : « *Ædificant solitudines*, id est, de corde suo terrena « desideria expellunt et seipsos a tumultu mundi, « quantum possunt, elongant, ut soli sint et idonei « loqui cum Deo. »

8. — Docte advertit Lucas Brugensis, quod Christus miserum hunc prisinæ sanitati restituturus, duxerit « Extra turbam populi, non tamen « extra populorum suorum et eorum, a quibus « offerebatur consortium. » Quia sicut antiquorum perversorum sodalium consortium perniciosum est resipiscenti, perque viam pœnitentiæ ad Deum reducenti, ita e converso summe eidem utilis est et necessaria bonorum, piorumque conversatio, ut per exemplarem eorum vitam, sanctasque admonitiones stabiliatur in bonis : *Cum Sancto Sanctus eris, cum viro innocente innocens eris. Psal.* XVII, 26.

Misit digitos suos.

9. — *Misit verbum suum*, inquit Psalles regius, *Psal.* CVI, 20, *et sanavit eos, et eripuit eos de interitionibus eorum*. Potuisset Christus unico verbo, imo uno simplicissimo voluntatis suæ actu hunc afflictissimum sanare, prout mundavit leprosum, dicens, *Matth.*, VIII, 3 : *Volo, mundare; et confestim mundata est lepra ejus*. Quemadmodum et in filio viduæ didicimus factum, *Luc.*, VII, 14 : *Adolescens, tibi dico surge*. Ad quid igitur hunc surdum et mutum sanaturus, tanta adhibet media? In quem finem primo turbam inducit, ut intercedat pro infirmi liberatione, deinde ipse manu apprehensa, eum a multitudine sequestrat, postmodum digitos in aures surdi immittit, linguamque muti saliva sua conspergit, cur tandem elevatis sursum oculis ingemiscit? Sapientia increata miraculum hoc dictis circumstantiis insigniri voluit, ut doceremur, eam in negotiis salutis nostræ non tantum operari et desudare, quantum potest ex parte sua, sed cognosceremus insuper insuperabilem propemodum difficultatem illam, quæ se offert in conversione inveterati cujuscumque peccatoris, qui ad omnes, tot inspirationibus internis, tot tribulationibus et pœnis, tot Prædicatorum monitis et minis replicatas, Dei voces surdaster obduruit in auditu cordis sui. De quo dicitur, *Ezech.*, XIV, 12 : *Multo labore sudatum est et non exivit de ea*, scilicet peccatoris inveterati anima, *ninia rubigo ejus*. In Hebræo textu dicitur : *Non exivit rubigo abominationis et obstinationis*.

10. — Aliam insinuat rationem Salmeron hisce verbis : « Ut ostenderet se ita salutis æternæ me« diatorem esse, ut velit salutis adjumenta non « negligi, sed suscipi debere. » Posset, quidem Deus, vi sapientiæ et omnipotentiæ suæ, perfectam operari salutem nostram, quia, *Luc.*, I, 37 : *Non est impossibile apud Deum omne verbum*; at ita negotium disposuit, ut velit a nobis etiam applicari media et instrumenta, a se hunc in finem provide ordinata; verbum scilicet Dei, orationes, frequens Sacramentorum exercitium et similia alia. Subjungit idem auctor aliam adhuc in loco citato causam hujus facti, dum ait : « Ut ostenderet, quam grave sit et « difficile, cum hominem revalescere, qui neque « bona audit, neque bona loqui potest, et ad hoc « malum, non naturali quodam defectu, sed dæmo« nis malitia pervenit. »

11. — Victor Antiochenus opinatur, Christum hoc digitorum suorum attactu significare voluisse miraculosam et supernaturalem sacratissimæ suæ humanitatis virtutem : « Infert digitos in aures ejus, « cum solo verbo miraculum patrare voluerit, quo « corpus, modo qui verbis exprimi nequit, ipsi « unitum, animaque intelligenti ac rationali infor« matum, divinæ virtutis vim et energiam obtinere « commonstret. » Eadem est sententia Dionysii Carthusiani dicentis Christum hoc fecisse, « ad « innuendum, quod divinitas sua operabatur per « corpus suum et corporis membra, tanquam per « instrumentum proprium animatum conjunc« tum. »

12. — Salmeron ex hoc digitorum Christi tactu, laudabilissimum elicit, inque Ecclesia frequentatum SS. Reliquiarum usum : « Ut ad infir« milates nostras sublevandas, doceret nos, quæ « sancta sunt vel ad Martyrum reliquias spectant, « vel quæ per Ecclesiam, benedictionem et sancti« ficationem habent, adhibere. »

13. — Albertus Magnus aliud in hisce digitis contentum docet esse mysterium : « Digiti isti « significant virtutem operativam, qua cuncta con« didit per potentiam, sapientiam et bonitatem; « *Isa.*, XL, 12 : *Qui appendit tribus digitis molem « terræ*. »

14. — Devota hæc turba, afflictissimi hominis efflagitans sanitatem, non duas, sed unam tantummodo manum Christi imponi rogat : *Deprecabantur ut imponeret illi manum*. Sed Deus noster, qui sancta

Matre Ecclesia teste, « abundantia pietatis suæ, « merita supplicum excedit et vota, » non una, sed duabus infirmum sanat manibus : *Misit digitos suos*. Euthymius dicit : « Unum quidem manus « dexteræ in dexteram aurem, unumque sinistræ « in sinistram, propter angustiam et profunditatem « auditus, ut hunc aperiat. » Insuper considerandum occurrit, quod Christus eodem, quo fuit modo a turba rogatus, infirmum sanarit, quod etiam ab eodem sapientissimo Salvatorem factitatum esse advertit S. Ambrosius, *lib.* V *in Luc.*, in sanatione leprosi; quemadmodum enim hic obtestabatur, dicens : *Si vis, potes me mundare*, ita pariter Christus, unico *Volo*, eum ab omni infirmitatis malo eripuit, dicendo : *Volo, mundare;* unde dictus Ecclesiæ Doctor ita concludit : « Illud mirabile, quod eo « sanavit, quo fuerat obsecratus. »

15. — Iii digiti Christi, juxta communem interpretum expositionem, dona significant et gratias Spiritus Sancti, qui Patris digitus nuncupatur ab Ecclesia : « Dextræ Dei tu digitus. » Similiter et a Christo, *Luc.*, XI, 20 : *Si in digito Dei ejicio dæmonia*. Unde Hugo Cardinalis ait : « Idem appellatur digi« tus et Spiritus; manus Filius, digitus Spiritus « Sanctus, a quo diversa dona quasi junctureæ. » Mysteriosam hanc digitorum cooperationem adhibebat Christus, non modo quod miser ille a diabolo, qui mediante Spiritu Sancto fugatur, obsessus esset, sed etiam perpetrandi causa miraculi, ad ostendendum scilicet effectum ejusdem Spiritus Sancti, quem Magi Ægyptiaci coram Pharaone, licet inviti, profitebantur dicentes, *Exod.*, VIII, 19 : *Digitus Dei est hic*. Glossa Interlinearis per *digitos* intelligit, « verba Spiritus. » Glossa ordinaria dicit : « Digiti, qui in aures mittuntur, verba Spiritus « Sancti, de quo dicitur : *Digitus Dei est hic*. » Beda ita discurrit : « *Misit digitos suos in auriculas*, cum « dona Spiritus Sancti, aures cordis ad intelligenda « ac suscipienda verba salutis aperit. » Dona illa cœlestia aures adaperiunt cordis ad audiendam Dei vocem, intellectum illustrant luce Veritatis æternæ, nosque divinis inspirationibus obedientes et dociles efficiunt.

16. — Ad sanandum peccatorem mutum et surdum, teste D. Thoma, *Serm. in hac Dom.*, requiruntur digiti : « Necessaria est donorum et gratiæ Spiri« tus Sancti susceptio; » citatque pro se illum Glossæ textum : « Digitos in auriculam mitti, cum per « Spiritum Sanctum aures cordis, ad intelligenda « et suscipienda verba salutis aperit. »

17. — Dionysius Carthusianus, *in Marc.*, in hisce digitis virtutem contemplatur discretionis : « Quia « per digitos, ratione articulationis et distinctionis « ipsorum, significatur discretio. » Advertant hic omnes illi, quibus ex vi officii, mutos et surdos spirituales curare, animasque in peccatis inveteratas ad pœnitentiam reducere incumbit. Ad aperiendum autem aures interiores hominis, et spiritualiter surdi, discretio magna exigitur.

18. — Quare porro Christus digitos potius quam manum ipsam huic mysterio adhibuerit, diversæ ab Expositoribus variis, eæque morales adducuntur rationes. « Digitis potius quam manibus aures ape« riuntur, » inquit Angelus Paz, *in Marc.*, « quod « durioribus Christi operibus, videlicet pœnitentiam « et angustiis, necnon molestiis, quæ impœniten« tem involverit, melius a vitiis homo retrahatur, « quam præmiis et mollioribus, quæ in carnositate « manuum designantur; digiti enim per ossa aspe« riores sunt. » Non est, cur animum despondeamus in adversis et tribulationibus, aut quando, cum Rege Israel, de persecutione et subjugatione informamur per Michæam; omnia namque hæc ordinat Deus ad recludendas aures cordis nostri, clausas cæteroquin vocibus divinis, ut tandem adversitatibus compulsi, auditum præbeamus veritati, qui nequibat extorqueri in prosperis.

19. — Albertus Magnus pariter in digitis supplicia considerat justitiæ divinæ : « Per digitos, qui « per articulos distinguntur, quid aliud intelligitur, « nisi discreta sententia Dei, quam in extremo judi« cio profert contra omnes operarios iniquitatis per « quam unusquisque recipiet, prout in corpore ges« sit, sive bonum, sive malum. Necesse habes, o « peccator, ut Dominus hos digitos suos in aures « tui cordis immittat, ut videlicet quasi jam suo « tribunali assistas, contra te æternæ damnationis « sententiam proferendam pertimescas. »

In auriculas ejus.

20. — Salmeron verba hæc peccatori applicans, necdum justificato, eum aures asininas habere affirmat : « Auriculas autem asini habet homo ani« malis, nondum justificatus; ante fidem enim non « credit, nec intelligit, nec sapit, quæ sunt spiritus « Dei, stultitia enim est illi. » Adducit porro auctor idem illum Actuum Apostolicorum textum, ubi prædicante Athenis Apostolo, multi dixisse leguntur, *Act. Ap.*, XVII, 18 : *Quid vult seminiverbius hic?* « Ejusmodi auriculis percipit, de quibus Apostolus, « II *Tim.*, IV, 4 : *A veritate quidem auditum avertent, « ad fabulas autem convertentur*; et ut istorum « dicantur auriculæ, ita virorum justorum dicuntur « aures, quia jam sunt curatæ a surditate, quibus « sapiunt divina. »

21. — Interrogaverit forte quispiam, quare increata et incarnata Sapientia primo loco surditatem curare voluerit? Ad hoc respondet Angelus de Paz : « Incipit ab auriculis curatio hujus, quia vim totam « Satan in eis posuerat, et robur fortitudinis suæ « in surditate hominis collocarat; quamdiu enim « homo respuit audire verbum Dei, est sub dæ« mone. » Præterquam quod infallibilis sit S. Apostoli sententia, *Heb.*, XI, 6 : *Sine fide impossibile est*

placere Deo. Et iterum, *Rom.*, x, 17 : *Fides est ex auditu.* Nihilominus per digitos intelligendo Spiritus Sancti dona et gratias, quis non videt, quod, ut cooperemur iis, prima omnium necessaria sit spiritualis auditus nostri restitutio? *Psal.* xcvi, 8 : *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Aures nostræ patulæ et apertæ maneant oportet vocibus et verbis divinis, si digitorum Dei operationem in nobis experiri affectemus : *Spiritus ubi vult, spirat, et vocem ejus audis. Joan.*, iii, 8.

Et exspuens.

22. — « Sputum quoque capitis et oris Domini, » inquit Beda, *in Hom. hujus Dom.*, « verbum est » Evangelii, quod ex invisibili divinitatis arcano « sumptum, visibile mundo, ut sanari posset, » ministrare dignatus est. »

23. — Dionysius Carthusianus, *in Marc.*, in hac saliva sapientiam designari docet : « Quia per sali« vam, sine qua verba formari non possunt per« fecte, sapientia figuratur, sine qua nemo rationa« biliter loquitur; exspuit ergo et tetigit linguam « surdi ac muti, ad insinuandum, quod, qui mutus « est a proclamatione verborum cœlestium ac salu« brium, recte et meritorie loqui non potest, nisi « divina sapientia perfundatur; propter quod orat « Apostolus, ut detur sibi sapientia in apertione « oris. »

24. — S. Antonius de Padua ita explicat : « Saliva dicitur, dum est in ore; dum projicitur, « sputum; sputum namque Dei est sapor divinæ « sapientiæ, quæ dicit Ecclesiasticus, xxiv, 5 : *Ego* « *ex ore Altissimi prodivi.* »

25. — Theophylactus porro Christum in hoc sputo, divinitatis suæ effectus declarare voluisse perpendit : « Ut ostenderet omnes partes sanctæ « carnis suæ sanctas ac divinas esse, adeo ut et « sputum solveret vinculum linguæ; tametsi super« fluitas sit omne sputum, sed in Domino admira« bilia erant et divina omnia. »

Tetigit linguam ejus.

26. — « Tetigit digito, » inquit Lucas Brugensis, « saliva tincto; » non intra muti fauces spuebat Christus, sed decentiori usus methodo, linguam ejus uno alterove digitorum madefacto attingit, interpretando porro in digitis Spiritum Sanctum, in saliva autem sapientiam, planum est nos doceri, sapientem sermonem non obtineri sine Spiritu Sancto, hic enim est, qui nos modum docet discurrendi de rebus divinis, bene loquendi de proximis, aliosque pios et virtuosos frequentandi sermones. Nullum corporis nostri membrum tanta refrenatione indiget, quanta unica lingua, quia *mors et vita in manu linguæ. Prov.*, xviii, 21. Unde S. Chrysostomus, *in Psal.* cxx, ait : « Lingua omnium malorum causa « si negligatur, quemadmodum bonorum, si in ea « studium et cura ponatur. » Sapienter proinde etiam sancta Ecclesia in hymno, ad Primam recitari solito, ordinavit, ut quotidie in principio diei a Deo flagitemus Christianam vitæ nostræ innocentiam, « Deum precemur supplices, Ut in diurnis « actibus, Nos servet a nocentibus. » Verumtamen ad hoc consequendum, immediate subjungitur : « Linguam refrenans temperet. » Si enim irrefrenata et dissoluta fuerit, evidens est, nec eam a digito Dei tactam, nec a Spiritu animatam esse. Exhortatur nos equidem Apostolus, *Ephe.*, iv, 30, dicens : *Nolite contristare Spiritum Sanctum.* At in solo linguæ abusu hanc constristationem consistere docet, dum parum ante præmittit : *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat; sed si quid bonum ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus.* Tanta etenim verborum obscænorum, injuriosorum, maledicorum, blasphemorum et similium est impietas, ut ipsum Spiritum Sanctum, si cæterequin doloris et afflictionis capax esset, cruciaret.

27. — Chrysostomus, *Hom.* xiv, ita nos omnes adhortatur et singulos : « Os habes spirituale obsi« gnatum Spiritu Sancto : cogita, quæ est oris tui « dignitas; cogita, qua mensa signatum sit os « tuum, quæ contingat, quæ degustet. » Hæcque inter alias non infima assignatur ratio, quare Spiritus Sanctus super Apostolos in linguæ figura descenderit, nimirum ad sanctificandam linguam omnium nostrum; unde quidam illorum verborum, *despertitæ linguæ*, interpres ita discurrit : « Lingua« rum renovatio necessaria erat; alioquin nullum « est membrum, quo plus peccetur; sic e contra « nullum membrum salubrius bona lingua. » Id quod et Salmeron prosequitur, dum ait : « Nullum « in homine membrum erat, quod Spiritus Sancti « gubernaculis magis indigeret, quam lingua; lin« guam enim nullus homo domare potest. » Sed, sicut Sapiens docet, frenum ejus in manu Domini situatum est : *Hominis est, animam præparare, et Domini gubernare linguam. Prov.*, xvi, 1. S. Antonius de Padua sequentem linguæ nostræ considerationem adducit, *Ser. in die Pentec.* : « Lingua est « membrum frigidum, natat enim in humido, et « ideo malum inquietum, plenum veneno morti« fero, quo nihil frigidius; ideo Spiritus Sanctus in « linguis igneis apparuit, ut linguas linguis, ignem « veneno mortifero opponeret. »

28. — In lingua insuper sensum gustus, saporis discretivum, residere, nemo est, qui nesciat; quam ob causam Dionysius Carthusianus, *Serm. in hac Dom.*, ait : « Quod enim peccator a verbis « salutaribus obmutescit, hinc oritur, quod ea, « quæ Dei sunt, sibi non sapiunt, sicut testatur « Apostolus, I *Cor.*, ii, 14 : *Animalis homo non* « *percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei*, nec gustat, « quam dulcis est Deus, nec cœlestia et terrena « bona desiderat, sed tota ejus affectio est ad car« nalia et terrena; dum dono sapientiæ anima « perfunditur, « quia scilicet Christus eam saliva, divinæ sapientiæ suæ symbolo, attingit, « protinus « audit, quid loquatur in ea Dominus Deus; et « incipit loqui ea, quæ Dei sunt et salutem con« cernunt, et tunc carnalia et caduca ei desipiunt. » Manifestum est hujus rei in S. Augustino exemplum, qui ad Deum conversus, *loquebatur recte* : confutando scilicet hæreses, fidem propugando catholicam, suos corruptos emendando mores, et Evangelium prædicando. Unde S. Gregorius in homilia officii hodierni matutinalis dicit : « Saliva « ex ore Redemptoris, sapientia in eloquio divina. » Quæ profecto eloquentia in ejus tum lingua, tum calamo admiranda emicuit, qui prius ad instar muti et surdi languebat.

29. — S. Antonius, *Serm. in Dom.* XI *post Trin.*, aliam hujus mysterii rationem attingens, ait : « Exspuens ergo, linguam muti, ut loquatur, tan« git; cum omnia dura guttura ad peccata sua « confitenda, ad verba sapientiæ proferenda, con« tactu suæ pietatis informat. »

30. — Lucas Brugensis naturalem hujus, mediante saliva, tactus rationem adducens, inquit : « Quia balborum lingua, præ oris siccitate, palato, « faucibusque adhærescere, eamque ob causam « difficulter, quod vult, eloqui videtur, humectabat « saliva sua Jesus hujus linguam, per salivam enim « lingua mobilis ac volubilis redditur. »

Additiones.

a. — *Et apprehendens eum de turba seorsum*, etc. Carthusianus ait : « *De turba seorsum*, vel quia « digna non erat videre mysterium hujus mira« culi, vel ad designandum quod spiritualiter surdi « et muti, secreto admonendi sunt et docendi, ne « ex humano rubore retrahantur ab advertentia et « pœnitentia. » Publica enim reprehensione homo aliquando fit impudentior et obstinatior; seorsum admonendus est, ne verecundia afficiatur, qua hebes et tardus fiat ad pœnitentiam. Charitativus ille pater filium suum prodigum sordidis lacerisque vestibus amictum « longe prospiciens, subito suis præcepit dicens : *Cito proferte stolam primam et induete illum.* Verumtamen priusquam vestes allatæ fuissent, in ejus amplexum corruit; cujus facti D. Chrysologum velim auscultetis, qui ait : « Ideo « pater peccata filii clausit amplexu, ne nudaret « pater filii crimina, pater filium ne fodaret. Sus« tulit filii sui crimina, qui non sustulit nuditatem; « hinc est quod a servis ante vestire voluit filium « quam videri, ut soli patri nota esset nuditas. » Observandum quoque est quod pater iste filium suum non reprehenderit, neque ei exprobraverit superioris vitæ ejus dissolutionem. « Non dixit : « Unde venis? Ubi fuisti? Quare tantam gloriam « tanta turpitudine commutasti? Sed : *Cito proferte* « *stolam primam et induete illum.* Delicta qui dis« cutit prodit. » Similiter quando Salvator noster lascivam illam mulierem Samaritanam ad viam virtutis et sanctimoniæ reducere, eique ejus impudicitiam manifestare voluit, ad illum se locum recepit, ubi illa se reprehendendam esse minime suspicari poterat, dimissisque discipulis suis, solus cum sola adeo secrete de ejus defectibus eam allocutus fuit, ut discipuli ex urbe Samaria revertentes, qua de re cum illa disseruisset, minime advertere potuerint : *Mirabantur quidem, quia cum muliere loquebatur. Joan.*, iv, 27. Sed qua de re cum illa loqueretur ignorabant.

b. — Ceremoniæ quibus Dominus utitur, omnes sua continent mysteria. Prima quod illum a turba seorsum ducat, intellige, si Domini quæras gratias ad animæ tuæ salutem consequendam, necesse esse, vel parum, a turba, id est, a bonis terrenis et voluptatibus sequestrandum; siquidem in bonis hisce terrenis anima perditur, dum æterna negliguntur. Felices utique essemus, si eadem nobis esset de anima, quæ de vili aliquo catello æstimatio; jam enim æterna salus nostra in securo posita esset. *Catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum*, anima autem nostra sæpe contenta esset, si gaudere posset micis, quæ cadunt de mensa servi et mancipii sui, id est, corporis. Postquam enim hoc omnia sua accepit solatia, recreationes, quietem, studium, refectiones in mensa, animæ nostræ abunde sufficeret, si vel modicum tempus adhiberemus in curam et refocillationem illius, tametsi etiam ex viginti quatuor horis, nonnisi unica quotidie in illius applicaretur obsequium. Postquam corpus delicatis cibis pastum est, sufficeret animæ si de lautæ mensæ illius reliquiis, deque divitiis quæ ipsi ad delicias superfluunt, etiam nonnihil inter pauperes distribueretur, sufficeret inquam animæ, si aliqua particula illorum Deo, aut egenis communicaretur : *Quod superest date pauperibus.* Atque vero neque hanc erga animam nostram pietatem habemus, id quod in divite illo epulone adimpletum esse clare videtur, de quo S. Augustinus in proposito de stilla aquæ, quam is a Lazaro poposcit scribens, dicit : « Qua fronte quæris gut« tam, qui noluisti porrigere micam? Juste nunc « exigeres, si dedisses. »

c. — Christus Dominus in edendis miraculis, non suæ ostentationi, sed nostræ consulebat necessitati; et sic aliquando inspectante turba, ob illius magnum bonum miracula faciebat, aliquando privatim, ne populorum plausum affectare videretur; instruens nos ad sectandam humilitatem, quæ maxime ad magna perpetranda donaque et gratias Dei recipiendas inservit. Admiramur omnes copiosos gratiarum consolationumque Paradisi torrentes in Davide, eumque cœlestibus obstupescimus illuminatum illuminationibus : *Inebriabuntur ab ubertate*

domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos; quoniam apud te est fons vitæ et in lumine tuo videbimus lumen. Prætende misericordiam scientibus te. Sed omnia hæc humiliationis ejus extitere fructus, quia immediate hanc divinæ Majestati porrigit, subjicitque supplicam : *Non veniat mihi pes superbiæ*; quasi diceret, ad conservandos dictos favorum thesauros, necessaria mihi est humilitas. Inde et in alio loco protestatur dicens : *Elegi abjectus esse in domo Dei mei*; quia scilicet quantumvis regiam portaret coronam, nihilominus ex devotionis et obsequii instinctu, inter reliquum vulgus ante Arcam ludere non erubuit : *Ludam et vilior fiam, plus quam factus sum.* Sed tantæ abjectionis atque contemptus fructum observetis velim; postquam enim dixisset : *Elegi abjectus esse in domo Dei mei*; immediate prosequitur dicens : *Gratiam et gloriam dabit Dominus.* Ita quoque alibi, postquam dixisset : *Ego autem humiliatus sum nimis*, mox extasium suarum ingerit mentionem, dicens : *Ego dixi in excessu meo : omnis homo mendax*; ut scilicet nos altissima Dei dona humilitatis fructus esse doceret; quod verissimum esse, omnium docuit temporum experientia, quando scilicet servi Dei, quo plus suum ambirent contemptum, inque oculis propriis humiles a mundo separati, saccoque vestiti viverent, tanto abundantiores donorum prophetiæ, raptuum, revelationum, visionum, apparitionum, extasium, miraculorum aliarumque similium prærogativarum possederunt thesauros.

d. — Subducendus populo tener animus et parum tenax recti. Adeo nemo eorum, qui etiam studiose ingenium ad virtutem concinnant, ferre impetum vitiorum tam magno numero venientium evolet, ni e turba sequestretur; porrarus est enim, qui frequenti turbæ tuto se credat, illæsus committat. Pulchre proinde ait Seneca, *Epist.* VII : « Quod « ægris evenit, quos longa imbecillitas usque adeo « afficit, ut nunquam sine offensa proferantur, hoc « accidit nobis, quorum animi ex longo morbo « reficiuntur. Nemo non aliquod vitium nobis « commodat, aut imprimit, aut nescientibus alli- « nit. » Utique quo major est populus, cui commiscemur, eo periculi plus est; unum enim exemplum luxuriæ, avaritiæ, ambitionis, multum mali facit. Convictor delicatus sensim enervat; vicinus dires cupiditatem irritat; garrulus maledice comes blandientis malloquentiæ pruriginem afficat. Et ideo cœlestis Medicus, hunc ægrum in corpore et animo curaturus, pericula multitudinis probe noscens, a turba seorsum subducit, ut doceat solitudinem ei sectandam esse, qui virtutes sectare et vitiorum morbos effugere anhelat. Virtutum enim gymnasium et formatrix solitudo est : hæc animum fingit et perfectionem consummat.

e. — Miser erat ille homo surdus et mutus; figura pessimi peccatoris, qui Dei legem præter-gressus, vitiis collo tenus immersus hæret; quem ut Christus verus Medicus curet, apprehensum e turba deducit. Cur autem seorsum? Quia solitudo ad observandam Dei legem et suffocanda vitia plurimum conducit. Pientissimus igitur Salvator, missurus digitos suos in auriculas hujus surdi, quod idem facit spiritualiter quando cordi peccatoris, ad vocem Dei prius surdo, insinuat suas inspirationes et gratias sanctissimi sui Spiritus, *digitus Dei est hic*, voluit ipsum semovere a turba, ad denotandum quantum peccatori suffragetur solitudo, ut ei operiatur cor ad recipiendas inspirationes Dei. Multorum annorum spatio S. Augustinus vocationi Dei surdas præbuerat aures; quando igitur illi paruit? Quando influentiis cœlestibus sinum suum aperuit? « Solitudo mihi ad negotium flendi aptior sugge- « rebatur; » sic scribit in Confessionibus, *lib.* VIII, *cap.* XII. Attenta percurrite lectione conversionem ejus, et invenietis quod ut vehementibus et abundantibus divinarum gratiarum impulsibus cooperaretur, ac Deo cor suum aperiret, in agrum secessit solus, ibique sub ficu sedens, ac cœlum suspiciens, post iterata effusa suspiria et gemitus, illam de cœlo inaudivit vocem : « Tolle, lege. » Librum excepit, eumque intelligens cœlitus missum, aperuit; legit primum caput, quod istud S. Pauli Apostoli continebat monitum : *Non in commessationibus*, etc. Sicque verificabatur ad unguem illud oraculum Prophetæ Oseæ, I, 14 : *Ducam eam in solitudinem, et ibi loquar ad cor ejus.* Quamdiu enim ipse non se sequestravit a concursu mundano, tamdiu nec a lepra inveteratorum vitiorum suorum mundatus fuit. « Probus quietæ vitæ amator, » verba hæc sunt Philonis Hebræi, « secessum et solitudinem « diligit, latere ignotus cupiens, non societatis « humanæ odio; est enim cum primis amans ho- « minum; sed quia fugiebat vitia quibus vulgus « delectatur. »

f. — Eccur seorsum apprehendit infirmum, quem mox palam sanum ostendit? Quare etiam proprio sputo muti linguam salivat? An ut muti lingua de odore salivæ Dominicæ reddatur lubrica et idoneæ loquelæ habilis? Hac super re ita philosophatur Theophylactus : « *Et expuens tetigit lin-* « *guam ejus*, ut scilicet ostenderet quod omnia « membra sacri Corporis ejus divina existunt, et « sancta, sicut et sputum, quod vincula linguæ sol- « vit. Etenim omne sputum superfluum est. » Nil Christianus in Christo ejusque sanctis membris superfluum putet. Nam quod superfluum in ipsis putatur, ut sunt vestes, sacræque reliquiæ, eas in maxima honorificentia et summi Ecclesiæ Pontifices et reges ac imperatores etiam infideles habuerunt. Quomodo enim superfluum in Christo, ejusque Sanctorum reliquiis reputes, quod ubi proficuum, et salutare, et medicum est; per quod tui corporis et animæ languores sanantur, virtutes conquiran-

tur et augentur, uti sunt reliquiæ sanctæ? Ita enim efficaces et medicæ Christi, Sanctorumque reliquiæ, ut etiamsi nihil de hujus surdi fide et devotione appareat, multoque minor illum afferentium fides comitetur, nihilominus suspicions in cœlum Jesus, dum propriæ carnis et sputi tanquam instrumenta sancta adhibet, infirmum perfecte sanat. Et per hoc instruit omnes et discipulos suos, et Christianos sancta esse Sanctorum lipsania cultuque singulari veneranda; utpote quæ ipse Jesus Christus Deus magni appretiatur, perquæ immerenti sanitatem concedere dignatur.

g. — Suffecisset, si Salvator digitum auriculis applicasset surdis; sed nec auriculæ caperent plusquam unum aut alterum digitum. Misit tamen sine discrimine Jesus digitos suos in auriculas ejus. Insuper expuens tetigit linguam ejus ut sic longius remediis superarentur vulnera, nec tot esse possent morbi, quot, divina miseratione, peccatorum remedia. Et quando remedia a Deo miserante concessa, et a nobis digne applicata, non excedunt peccatorum vulnera? Sed Deo ad pœnitentiam vocanti, sine mora parendum est. S. Augustinus ingeniose et cum magno fructu nostro observat quod Christus nos ad sequelam suam invitans in tempore præsenti dicat : *Qui sequitur me non ambulat in tenebris sed habebit lumen vitæ. Joan.*, VIII, 12. Non dicit : *Qui* sequetur *me*, in tempore futuro. « Quod promisit futuri temporis verbo posuit. Non « enim ait : *Habet*, sed *habebit*, inquit, *lumen vitæ*. « Non ait tamen : *Qui* sequetur *me*, sed *qui sequi-* « *tur me*. In eo quod facere debemus, tempus « præsens posuit. Quod autem promisit facientibus « futuri verbo significat. *Qui sequitur habebit.* » Porro illi, qui, cum de mundo deserendo agitur, oculos suos ad tempus futurum defixos habent, regnum Dei non habebunt, sicut nec verum lumen; bene tamen illi qui in præsenti tempore et sine mora Christum eos vocantem sequuntur. Similiter Christus ei, qui se divino ejus servitio mancipare volebat, dixit : *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Non dixit illi, tempore futuro, *servabis*; sed in præsenti tempore, *serva*. Zachæus publicus peccator erat et princeps Publicanorum. Audita vero per famam Christi sanctitate, curiositate sola ductus, Christum videre cupiebat, quando erat inde transiturus, non vero se Christi sequelæ consecrare intendebat. Et tamen se vocari audiens, laborante interius in ipso Spiritu Dei, cum eadem celeritate, qua ex sycomoro descenderat, et ipse pariter festinus obedivit, quia sacer textus ait : *Festinans descendit.* Ac proinde felicem illam vocem audire meruit : *Hodie huic domui salus a Deo facta est.* Notandum quoque quod idem Zachæus, ut Deo vocanti digne pareret, non dixerit in tempore futuro : Dabo, reddam, sed in præsenti tempore : *Do, redde.* S. Ambrosius ait : « Pœnitentia non « verbis agenda est sed et actu. » Etenim promissionibus nostris non creditur, nec sufficit dare verba, vota emittere et juramenta præstare; verum insuper prompta requiritur executio.

h. — Prudentem sane medicum hic se exhibet miraculi patrator Dominus Jesus qui digitos ponit ubi malum regnat, quasi aut mali naturam amplius inquirens, aut malum ipsum infirmo manifestans, ad exemplum spiritualium medicorum seu confessariorum, qui similiter facere tenentur in cura animarum. Talis igitur semper tibi eligendus erit, qui compassione, prudentia, dexteritate, vitæ integritate, scientia, multisque aliis qualitatibus præditus sit.

i. — Lingua particularem requirebat medicinam. Expuit enim ob horrorem malorum quæ lingua suscitare solet; digito utitur ut refrenet, maxime dum ad blasphemias aliquando excitanda esset; tunc enim illam digito justitiæ tuæ comprimendam esse docere voluit. Blasphemi enim linguam suam in cœlum ponere et contra Deum se erigere non dubitant. Propheta regius de blasphemis in Psalmo LXXII loquens, eosdem tanquam perditæ salutis homines, impietatibus et sacrilegiis, aliisque iniquitatibus et excessibus immersos describit : *Tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate et impietate sua; prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum; cogitaverunt et locuti sunt nequitiam*, ac tandem maximum quod sit iniquitatum ipsorum explicaturos, ad eam usque malitiam eos pervenisse dicit ut linguam suam in cœlum ponere non formidarint : *Iniquitatem in excelso locuti sunt. Posuerunt in cœlum os suum, et lingua eorum transivit in terra.* S. Ephrem hæc verba adducens subjungit : « Et audes aperire audacter os tuum et in « cœlum verba emittere, juramenta atque blaspheamias? Et non times ne forte falx ignea, quam « Propheta vidit, demoretur in domo tua? » Lorinus ait : « De Deo passim hæc verba explanant, de « quo impii blasphemant sermones contra Excel- « sum. « *Posuerunt in cœlum os suum*, id est, inquit Hugo Cardinalis, « contra Deum et cœlestia. » Daniel Propheta Antichristi tyrannidem prædicens, inter alios ejus intolerabiles excessus, hunc quoque enumerat : *Sermones contra Excelsum loquetur, et sanctos Altissimi conteret*, « blasphemando nimi- « rum, » inquit idem doctissimus Cardinalis; hoc enim proprie est in cœlum os suum ponere.

Versus 34.

Et suspiciens in cœlum, ingemuit, et ait illi : Ephphetha, quod est, adaperire.

Et suspiciens in cœlum.

1. — Insigni, circa hujus afflicti sanationem, glossa utitur Cajetanus, *in Matth.*, inquiens : « Inter

« speciales modos, quibus quandoque usus est Je-
« sus ad curandum, admiratione dignus est, cum
« tot circumstantiis, nulla necessitate, sed sola
« voluntate adhibitis. » Infirmum enim a turba
sequestrat, linguam mutam attingit et aures surdas,
salivam adhibet, lacrymas effundit, oculos sursum
elevat. Rationem autem horum omnium prædictus
auctor adducit sequentem : « Ad supplendum quæ
« deerant ex parte aliorum ad efficaciam ordinariæ
« potestatis, quæ appellatur gratia curationem. »
Non enim volebat Christus, juxta ejusdem auctoris
sententiam, sua solita potestate et absoluta auctori-
tate, circa hoc miraculum uti, sed ea tantum, quam
Apostolis suis delegarat : hæc vero dispositionem
exigit in eo, qui sanandus est. Advertendum est
insuper, nihil Christum adscribere surdi hujus fidei
aut devotioni, neque turbæ precantis zelo, præser-
tim cum et hæc non exiguum imperfectionis suæ
specimen de se ediderit, petendo manuum impositi-
onem, et consequenter, nescii, Christum unico
voluntatis suæ actu oblatum curare potuisse. Ex
quibus omnibus auctor citatus tale nobis elicit
documentum : « Undique ergo deficiente, supplet
« Jesus gemitu, suspectione in cœlum, et applica-
« tione propriæ carnis et sputi tanquam sancta
« instrumenta adhibendo; nam sancta erant omnia,
« quæ Jesus erant; et instruxit per hoc discipulos,
« ad supplendum quandoque orationibus et adhi-
« bitione sacrarum rerum, ea quæ desunt ex parte
« aliorum. » Eadem plane est Jansenii traditio,
Serm. in hac Dom., scribentis : « Forte etiam
« offerentium fides fuit imperfecta, et nihil de fide
« et devotione hujus surdi apparet. » Et ideo
Christus defectum hunc suppleturos, tot annectit
miraculo circumstantias : « In hunc usum sunt
« instituta Sacramenta ecclesiastica, ut per ea sup-
« pleretur, quod alioqui deest fidei et devotioni
« hominum, atque in ipso baptismatis Sacramento,
« a Christo facto, desumptæ sunt ex antiqua tradi-
« tione, similes cæremoniæ his, quæ Christus hic
« legitur servasse, ut et baptizandi aures et nares,
« sputo digitis imposito contingantur, et dicatur
« ei : *Ephphetha, quod est, adaperire.* »

2. — Ex hoc ultimo Christi in cœlum suspicionis
motu, sequentem Albertus Magnus deducit morali-
tatem : « Docet nos ad cœlum dirigere intentiones
« nostras, cum aliquid volumus impetrare. » Addu-
citque illum sacræ Scripturæ textum, II *Par.*, xx,
12 : *Cum ignoramus, quid agere debeamus, hoc solum
habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te.*

3. — Aliam moralitatem suggerit in *Catena*
citatus Beda : « Suspexit quidem in cœlum, ut inde
« mutis loquelam, inde auditum surdis, inde cunc-
« tis infirmitatibus doceret medelam esse quæren-
« dam, » conformiter illi S. Jacobi Apostoli, I, 17,
asserto : *Omne datum optimum, et omne donum
perfectum de sursum est, descendens a Patre luminum.*

4. — « Gemere nos docuit, » S. Antonius de
Padua inquit, et ante eum S. Hieronymus, « et in
« cœlum thesaurum nostri cordis erigere. »

5. — Convenientiam maximam fuisse perpendit
Salmeron, quod Christus cœlum respexerit, ad
instructionem scilicet nostram : « Opus est, ut
« Christus respiciat in cœlum, id est, respicere nos
« faciat, omnia Deo tribuendo, et gemere etiam
« nos efficiendo, ut sic tandem dicat : aperire, o
« homo, quantum ad intellectum, videndo cuncta,
« quæ sub sole sunt, esse meram quamdam vanita-
« tem et afflictionem spiritus. » S. Ignatius de
Loyola fixis in cœlum oculis sæpius exclamare
solebat : « O quam mihi sordet tellus, dum cœlum
« aspicio. »

6. — Dionysius Carthusianus, *Serm.* III *in hac
Dom.*, scribit : « Per quod docuit nos, in omni
« tribulatione et angustia ad Deum confugere; »
data nobis in exemplar castissima Susanna, quæ
cum velut adultera ad mortem lapidanda duceretur,
et in conspectu flagitiosorum, perversum contra
eam testimonium perhibentium senum, *Dan.*, XIII,
35 : *Flens suspexit ad cœlum, erat enim cor ejus
fiduciam habens in Domino.* Nec inaniter, subito
namque Deus miraculose innocentiam ejus pro-
didit, dum in defensionem Susannæ Danielis pueri
intellectum erudivit, linguam fœcundavit. Imo hæc
naturalis prævaluit inter nos agendi methodus,
quod scilicet in majoribus adversitatibus et incom-
modis nostris, in cœlum oculos et animum sublé-
vemus, imploraturi auxilium supernum.

7. — « Ipso quidem respectu in cœlum, » inquit
Jansenius, « significans virtutem sanandi se habere
« a Deo, atque ab illo quærendam omnem mede-
« lam. » Non est, cur animæ nostræ salutem
aliunde, quam ab hoc Protomedico cœlesti spere-
mus, de quo scriptum novimus : « Magnus de cœlo
« venit medicus, quia magnus in terris jacebat
« ægrotus : ut, ubi nobis speranda salus, » inquit
Beda, « et qua compunctionis vel lacrymarum sit
« devotione quærenda ac petenda, significet.

8. — Nos insuper cœlum intueri ad imitationem
Christi necessario debere, notat Albertus Magnus :
« Necessarium est nobis, ut ad imitationem Jesu,
« in cœlum suspicientes ingemiscamus; ille autem
« in cœlum suspicit, qui divinam patientiam et
« longanimitatem devotus attendit, et per hoc Deo
« gratias agit. »

Ingemuit.

9. — Forte ratione difficultatis, quam in perpe-
trando miraculo experiebatur, suspiravit et planxit,
Carthusianus, *in Marc.*, interrogat; respondetque :
« Non utique, sed ex compassione, qua non solum
« præsenti infirmo, sed universis condoluit, qui
« dæmonum dominatione premuntur. » Quam eam-
dem Christi ingemiscentis rationem adducit Janse-

nius : « Ipso gemitu significans, quam miseretur
« humanæ naturæ, qua tum a dæmonibus, tum ab
« aliis infirmitatibus, variis modis impetitur propter
« peccati transgressionem, ac gemendi nobis præ-
« bens exemplum, cum pro nostra, nostrorumque
« salute, superæ pietatis subsidia invocamus. »

10. — Profundebat ab oculis lacrymas Christus,
quia surdus iste peccatorum figurabat quemcum-
que, in peccatis obstinatum et contumacem; quid
igitur mirum, si pro unius animæ aberrantis salute
planctus multiplicet, quandoquidem pro redemp-
tione ejusdem, omnem paulo post venarum suarum
sanguinem erat effusurus? Omnia illa operabatur
sacrosancta humanitas, ut unum sanaret miserum,
peccatoris inveterati figuram; manibus apprehen-
sum segregat a turba, digitis attingit linguam et
auriculas, profunda e corde eructat suspiria, voce
mysteriosa, salutisque operativa edebat verba; ut
doceremur, tantum ab eo præstitum esse; quantum
sciret, quantumque conferre posset subsidii, ad
surditatem nostram sanandam et duritiam cordium
emolliendam. « Ad ostendendum, » inquit Diony-
sius Carthusianus, « quam difficile sanaretur anima,
« spiritualiter surda ac muta; » quo fine auctor ille
Lazari exemplum adducit, in quo inveterata in pec-
catis anima designatur, inque cujus resuscitatione
Christus pariter suspiravit et flevit.

11. — Beda Jansenio assentitur, dum inquit :
« Ingemuit, non quia ipsi opus esset cum gemita
« aliquid petere a Patre, sed ut nobis gemendi
« daret exempla, cum vel pro nostris, vel nostro-
« rum realibus proximorum, superæ pietatis
« præsidia invocamus. »

12. — Plangentibus nobis ad imitationem Christi,
incunctanter sublevatur malum surditatis et mutita-
tis nostræ, attamen ut, quid plangere sit, noverim-
mus, Albertum Magnum audiamus : « Ille ingemis-
« cit, qui magnitudinem et diuturnitatem scelerum
« suorum considerans, super his vera contritione
« gemit et dolet; et sic hinc ex Dei gratia contingit,
« quod aures ejus aperiantur et lingua ejus resere-
« tur, ut recte loquatur. »

13. — Beda doctam quamdam aliam hujus
gemitus rationem subinfert, dum ait : « Suspiciens
« in cœlum ingemuit, ut nobis, qui a cœlestibus
« gaudiis per terrena oblectamenta discessimus, ad
« hæc per gemitus et suspiria insinuaret esse re-
« deundum. »

14. — Dici insuper potest, Christum ingemuisse,
quia unum linguæ, multorum instrumenti pecca-
torum, restituturus erat, quo proinde homo ille
postea ad beneficii injuriam forte abuteretur; quan-
tumvis enim incarnata Sapientia, *bene omnia fecit,
et surdos fecit audire, et mutos loqui*, nostra nihilo-
minus malitia sæpissime collatis in nos a Deo bonis
et beneficiis abutitur, in quod S. Jacobus præcipue
de lingua asseverare voluisse videtur, dum ait :
Lingua universitas iniquitatis. Proinde et S. Chry-
sostomus scribit : « Dæmon undique nobis insidias
« parare consuevit, sed facilius lingua et ore pec-
« cante. Nullum enim æque congrum illi organum,
« in ministerium est interitus atque peccati; nam
« inde nobis mors, inde lapsus, inde perditio, inde
« naufragium præparatur. » Poterat merito Chris-
tus reformidare, ne diabolus, qui primitus linguæ
beneficium impedierat, postea eadem sanitate re-
cuperata fortiter instigaturus esset atque anima-
turus ad loquacitates peccaminosas, prout legitur
in vita S. Vincentii Ferrerii; ad hunc enim sanctum
virum dum vice quadam Valentiæ, in ipsa nimirum
S. Joannis Baptistæ nativitate, coram innumerabili
populo concionaretur, misera eaque muta adduci-
tur fœmina; quæ a S. Vincentio interrogata, quid
vellet, articulariter respondit : « Panem et linguam,
« o Domine. » Cui sine mora Sanctus : « Panem
« quotidianum, dum vixeris, habebis, officium lin-
« guæ non impetrabis; tu vero gratias age divinæ
« bonitatati, quæ tibi negat obfutura; lingua tua
« nisi sic esset ligata, esset mordacissima, animæ
« corporisque interitum allatura. »

Et ait illi : Ephphetha, quod est adaperire.

15. — Discutit Jansenius hunc præsentem in
Christo imperative loquendi modum : « Qui se,
« suspiciendo in cœlum et ingemiscendo, verum
« hominem ostendit, jam et divina se præditum
« potestate declaravit, cum imperativo usus verbo
« dixit : *Ephphetha, quod est adaperire.* » Quibus in
verbis idem Auctor insuper Salvatoris nostri omni-
potentiam admiratur ut, utpote qui uno verbo duo
operatus fuerit miracula : « Una vocula communi et
« per se nullius momenti tantum effecit, ut duo
« simul mala auferret; hæc enim dictio, quæ ape-
« rire significat, non ad aures tantum referri de-
« bet, sed etiam ad linguam, quæ hebraica phrasi
« dicitur aperiri. *Isa.*, XXXII, 6 : *Aperta est lingua
« mutorum.* » Id quod de Zacharia S. Joannis patre,
etiam Evangelista *Luc.*, I, 46, asserit : *Apertum est
illico os ejus et lingua ejus.*

16. — Beda existimat ab hisce Christi cæremo-
niis, illas dimanasse, quas Ecclesia in collatione
baptismatis adhibere consuevit. « Unde credo mos
« increbuit Ecclesiæ, ut Sacerdotes illius his, quos
« percipiendis Baptismi Sacramentis præparant,
« prius inter cætera consecrationis exordia, de sa-
« liva oris sui, nares tangant et aures, dicentes :
« *Ephphetha.* Salivam quidem oris sui gestum, quo
« initiandi sunt, superæ sapientiæ designant, per
« tactum vero narium, ut abjectis delectationibus
« noxiis, solum Christi semper amplectantur odo-
« rem. »

17. — Optimum incolumitatis nostræ indicium
est, quando patulis auribus vocem Dei excipimus,
consequens enim inferri potest, simul etiam Deo

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

reclusas esse cordium nostrorum januas, *Joan.*, x, 17 : *Oves meæ vocem meam audiunt.* Et ideo cœlestis paranymphus id unicum a dilectissima sua Sponsa efflagitabat, *Cant.*, v, 2 : *Aperi mihi, soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea.* Ecce tibi multiplices divinæ bonitatis affectus et appetitus, quibus rapitur trahiturque erga animam, suum ei cor aperientem, in cujus figura respondit Sponsa illa : *Surrexi, ut aperirem dilecto meo.* Surrexit fores cordis sui reseratura, et ideo nuncupatur amica, soror, columba pura et immaculata.

Additiones.

a. — *Et suspiciens in cœlum ingemuit*, etc. Suspicit in cœlum ad Patrem regnantem, doceus nos quod inde cuncta nobis bona profluant et quando illa receperimus, intelligamus esse dona Dei, pro quibus illi gratiæ sint rependendæ. Hanc enim gratiarum actionem Deus a nobis exigit. Dicit Apostolus, I *Thes.*, v, 16 : *Gratias agite; hæc est enim voluntas Dei.* Non potuisset equidem efficacioribus calcaribus fideles ad exhibendam Deo gratitudinem exstimulare, quam dum hanc Dei voluntatem esse docet; ita namque et S. Joannes Apostolus ut proximorum dilectionem audientium cordibus imprimeret tenacius, eodem usus est motivo, inquiens : *Præceptum Domini est; si hoc fiat sufficit.* Idem sane et nos de gratiarum actione et tributo gratitudinis divinæ Majestati præstando asserere possumus, dicentes cum Apostolo : *Gratias agite, hæc est enim voluntas Dei.* Ubi S. Bruno ait : « Voluntas Dei hæc « est, in omnibus, ut omnes agatis gratias. » Quem enim finem Deo præfixum fuisse putatis, dum prodige adeo in hominis beneficium innumerabilium naturæ, fortunæ, gratiæ, gloriæque bonorum thesauros dispensavit? Num forsitan luto hoc in empyreo indigebat, quod tot Hierarchiæ Angelicæ, spiritusque adeo nobiles exornant? Annon præter tot beatorum spirituum milliones, vel unico solo voluntatis actu multo plures creare non poterat, quam minutissimæ existant arenæ maris? *Quid est homo quod memor es ejus?* Propheta Regius tantam Dei beneficentiam, cui humana imbecillitas impar correspondere nequit, admirans, jure meritissimo exclamat, inquiens : *Dixi Domino : Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Ratio quare quis alteri benefacere solet, triplex potissimum hæc assignatur : « Timor mali, spes boni, virtus homi- « nis. » In Deo autem nulla harum locum habere potest. Non timor quia, *non accedet ad te malum*; neque spes boni, quia Deus omnia creata, increata et imaginabilia in se continet bona; neque tertia, scilicet virtus hominis, quia homo non modo nullum ex se habet meritum, sed et innumerabilium apud Deum est demeritorum reus. « Considera, » ait S. Bonaventura, « quod ipse benefactor tuus « Dominus Deus ita tibi benefecit, ut nihil a te « repetat, nec te, nec aliqua creatura indiget. » Quam eamdem materiam discutiens Bellovacensis, quadam Senecæ utitur auctoritate, dum inquit : « Multum interest, utrum aliquis beneficium nobis « det sua causa, an sua et nostra. » Deus autem nunquam nobis vel minimam etiam gratiam impertitur, cum spe alicujus boni, neque etiam beneficia ejus partim in nostram, partim in ejus cedunt utilitatem; siquidem nec Deus creatura indiget nec homine. Quin potius, ut Ruperius Abbas, de Altissimi infinitis nos beneficiis accumulantis, liberalitate tractans, docet : « Adhuc divina nobis tam « sedula erga nos et tam profusa beneficentia com- « mendatur, ut sollicitemur ad gratiam, invitemur « ad dilectionem. »

b. — Merito cœlum contemplans, hoc miraculum operatus est Dominus, nempe ad Patrem suum respiciens regnantem in cœlo, a quo ut a fonte omnia nostra bona, omniaque malorum fluunt medicamenta. Ingemuit autem Salvator, considerando, quod cum tanta bona in cœlo nobis reserventur, temporalia nihilominus pluris a nobis fiant, quam æterna. Enimvero anima aliqua Christiana varia quidem habere potest motiva ad contemnenda hujus vitæ bona, eaque omnia efficacia et potentia; at profecto nullum inveniri ad hunc affectum poterit efficacius, quam si cor suum erigat ad consideranda bona cœlestia, eaque sempiterna, quæ nunquam deficiunt. Dignissima est illa S. Bernardini Senensis sententia, ut serio ab omnibus ponderatur : « Nec aliquid tantum valet ad spernendum « præsentem vanitatem, quam cogitare jugiter « æternitatem. » S. Thomas de Villanova in sermone de S. Michaele Archangelo nos unico duntaxat supremæ illius lucis radio illustrari exoptat, existimans omnino quod unica solum signis illius quo Seraphini in cœlis ardent, scintilla, ad bona terrena toto corde spernenda abunde sufficeret : « O si vel tenuissimo lucis suæ radio, » inquit, « mentis nostræ oculos illius cœlestis gloriæ, quo « tendimus, immarcessibilis claritas, vel quasi subi- « tum fulgur raptim perstringeret, quomodo rape- « ret ad se animas nostras? Quanto illius desiderio « flagraremur? Quibus vocibus et affectibus, cum « Propheta clamaremus : *Quis deducet me in civita- « tem munitam? Quis deducet me usque in Idumæam?* « Sic æstuebat ille, qui illius desiderio totus absorp- « tus dicebat : *Ingrediatur putredo in ossibus meis « et subter me scateat, ut requiescam in die tribula- « tionis et ascendam ad populum accinctum nostrum*; « populum fulgidum, decorum, nobilem, beatum et « gloriosum; populum hilarem, festivum et jucun- « dum, cujus est Dominus Deus ejus. »

c. — Eleganter venerandus Joannes de Sylveria ait : « Hic ingemuit Dominus, cum ad perpetran- « dum miraculum processit, forte ideo quia ad sol- « vendam et restituendam homini linguam accede- « bat, jam tum prænoscens, quantum malum sit « homini lingua, quantumque hominis saluti obsit. » Et nescio an tantum æneus murus interpositus obsit, ut obesse solet lingua non bene custodita. Moysi gradienti cum populo Israel, obstitit interjectum mare Rubrum; verum cum extendisset manum Moyses super illud abstulit illud Dominus, *Exod.*, xiv. At postmodum, *Num.*, xx, dum elevat manum, ut percutiat petram ad extrahendas aquas, statim se divina sententia impeditum sentit, ne terram promissionis ingrediatur. Cur modo parvus fons aquæ impedit, quem vastissimum mare non impedivit? Ibi tacitus Moyses elevabat manum et fugiebat mare; hic elevat etiam manum cum virga, simul aiens : *Audite rebelles et increduli*; et inordinata locutio illi obstitit, ne terram ingrediatur, quod non valuit mare. Ita nimirum æternæ patriæ ingressui obstat inordinata lingua, cujus e contra custodia plurimum cooperatur. Gloriabatur Regius Propheta, dicens : *Perambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus meæ. Psal.* c, 3. At qua ratione et modo, is qui inter aulæ strepitus, inter tot et tanta regni negotia, curas, alloquia, in tam tædioso populi accursu et tumultu vivebat, irreprehensibilem sese ac immaculatum conservare potuit? Observetur quem habuerit scopum : collimabat, nimirum, in linguæ suæ custodiam, quem in finem suæ divinæ Majestati supplicans, dicebat : *Dixi : custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea.* « Quia neminem sciebat castum os servare posse, » ait S. Ambrosius, « ab immunditia sermonis, ipse « sibi silentio legem imposuit innocentiæ, ut ta- « cendo culpam declinaret, quam vix effugere pos- « set loquendo. » Dubium hic moveri posset, quid cæteris paribus saluti ac defensioni animæ nostræ magis expediat, an custodire linguam, vel refrenare oculos? De lingua ait S. Jacobus Apostolus, III, 6 : *Universitas iniquitatis.* De oculo loquitur Spiritus Sanctus per os Ecclesiastici, XXXI, 15, asserens : *Nequius oculo quid creatum est?* Difficultatem solvit S. Ecclesia in Hymno, quem recitamus in Prima, siquidem primatum attribuit custodiæ linguæ, dum cantat : « Jam lucis orto sidere, Deum precemur « supplices, Ut in diurnis actibus, Nos servet a « nocentibus. » Ut præservemur ab omni offensa et præcipitio, ne præcipites ruamus, ambulantes in via præceptorum divinorum, a quorum observantia dependet animæ nostræ salus, primo a Deo petitur : « Linguam refrenans temperet, Ne litis horror « insonet; » et postea in secundo loco : « Visum « fovendo contegat, Ne vanitates hauriat. »

d. — Sæpenumero Christus Redemptor noster in cœlum oculos sublevasse legitur, quippe qui ibi fixam habebat affectionem; et hoc ideo faciebat, ut nos ad idem agendum erudiret. Ingemuit namque, ut hoc indicio declararet, inter innumera mala quæ secum peccatum affert, hoc maximum et summum esse, quod is qui vilissimus est homo, per hunc surdum figuratus, summam Dei, rerum omnium Conditoris, majestatem violet. Et ideo ex hoc capite peccati gravitas et malitia dicitur esse infinita, quod adversus illum pugnet, ab eoque sese avertat, cujus bonitas et majestas est infinita. Quocirca mirandum non est, quod ille, qui quanta esset peccati deformitas, quantaque Deo, fonti omnis boni, per illud irrogetur injuria probe noverat, ingentem ex imo pectore gemitum ducat, ad illam contestandam injuriam, quam Deo irrogamus, dum a peccatoribus, ad satisfaciendum suis appetitibus, ita turpiter abjicitur. Unde Deus merito cœlos ad obstupescendum invitat, inquiens : *Obstupescite cœli super hoc : Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ. Jerem.*, II, 12. Ubi S. Hieronymus ait : « Cœlum cui dictum est : « *Attende cœlum et loquar*; et iterum : *Audi, cœlum, « et auribus percipe terra*; videns Dei præcepta « calcata inhorrescit et stuporem dissimulare non « potest. Omnis creatura ingemiscit et condolet « super peccatis hominum. » Scientes enim cœli quanta sit in seipso, pro homine fabricato, eidemque promisso, divitiarum abundantia, pulchritudo, amœnitas, amplitudo et inexhaustum gaudium, dummodo homo divinam legem observet, hinc vehementer admiratur, quod pro bonis caducis et fragilibus, pro nido formicarum, cœlum pro terra, Paradisum pro inferno commutet.

Versus 35.

Et statim apertæ sunt aures ejus, et solutum est vinculum linguæ ejus, et loquebatur recte.

Et statim.

1. — Sine mora, sine dilatione, aperiuntur aures et solvitur linguæ vinculum, ut doceantur, sine ulla temporis interruptione, summa cum sollicitudine, imperio obedire vocis divinæ. « Jussum verbi illico « res secuta est, » inquit Victor Antiochenus, *in Marc.*, « hæc dicit, unaque cum verbo miraculum « in opus abiit. »

Apertæ sunt aures ejus.

2. — Observat Albertus Magnus quod aures surdæ ab Evangelista nominatæ fuerint termino diminutivo, nunc vero completo : « Quæ prius erant « auriculæ, modo factæ aures, quia audiunt. »

3. — Causam assignat Salmeron, cur Christus primo auditum, exinde vero loquelam restituerit : « Primo aures sunt liberatæ, deinde lingua : primo « enim discendum est, ut postea recte loqui valea- « mus, *Jac.*, I, 19 : *Sit autem omnis homo velox ad « audiendum, tardus ad loquendum.* » Ut porro in discursibus de Deo instituendis proficiamus et perficiamur, primo omnium aures nostras patefaciamus oportet, sermoni et voci divinæ, qua prædica-

tiones Evangelicas et exhortationes suscipiendo, qua inspirationibus internis assentiendo : *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. Psal.* LXXXIV, 9.

4. — Simon de Cassia sentit, debuisse propheticum illud Isaiæ, XXV, 5, oraculum adimpleri : *Tunc vero aures surdorum patebunt, tunc saliet sicut cervus, claudus; et aperta erit lingua mutorum.* Hugo Cardin. dicit : « Prius audit homo, postea loqui« tur. » Quibus subserviit illud Sapientis monitum, *Prov.*, XVIII, 13 : *Qui prius respondet, quam audiat, stultum se esse demonstrat.* Quem rerum ordinem so quoque inviolabiliter observasse, testatur Regius Vates, *Psal.* XLVIII, 5, hisce verbis : *Inclinabo in parabolam aurem meam*; quo facto mox subjungit : *Aperiam in psalterio propositionem meam.*

Et solutum est vinculum linguæ.

5. — S. Bonaventura, *Serm.* III *in hac Dom.*, in sensu morali ita discurrit : « Vinculum, quo diabo« lus animam ligat, est peccatum, quo peccator « ligatur, pedibus per pravum affectum, manibus « per iniquum tactum, collo per nocivum verbum, « lingua per indebitum silentium. »

6. — S. Thomas, *Serm. in hac Dom.*, pariter sensum sequens moralem, ex hac historia salutem elicit exhibetque peccatoris, discursu tali : « Pœni« tentiæ operatio, quæ consistit in tribus, primo in « cordis dolore : *Suspicions in cœlum, ingemuit*; « secundo in oris confessione : *Et solutum est vin« culum linguæ ejus*, vinculum linguæ solvitur pec« catoris, cum peccatum confitetur; tertio in man« datorum Dei et Sacerdotis adimpletione : *Et apertæ « sunt aures ejus*; aures peccatoris aperiuntur, cum « præcepta Dei et Sacerdotis adimplendo et satisfa« ciendo obedit. »

Et loquebatur recte.

7. — « Quomodo enim non recte loqueretur, » subsumit Victor Antiochenus, « recteque audiret, « cum naturæ opifex id expleret, quod naturæ « deerat? »

8. — S. Bonaventura a sensu litterali ad spiritualem transiens, ait : « Quod fit, quando homo non « declinat cor suum ad verba malitiæ, ad excusan« das excusationes in peccatis, sed confitetur humi« liter et aperte omnia peccata sua. » Quod idem non dissimilibus omnino verbis documentum ex hoc textu deducit S. Antonius de Padua, inquiens : « Recte loquitur, qui peccatum et circumstantias « peccati, cum proposito non relabendi, plenarie « confitetur. »

9. — Hæc loquelæ rectitudo, juxta S. Ambrosii doctrinam, *in Psal.* XL, tunc vere possidetur, quando sermocinari novimus cum prudentia Christiana, id est, suo tempore et loco : « Ideo surdo illi et muto, « aures et labia tetigit Dominus in Evangelio, ut « sciret, quid audiret in mysterio, quod etiam « loqueretur et quando loqueretur. Neque enim « otiose scriptum est : *Dominus dedit mihi linguam « eruditionis, ut sciam*, quando oporteat sermonem « dicere. Scire ergo debes, quid audias; scire, quid « loqui debeas; scire etiam, quando loqui debeas. »

10. — S. Gregorius in commentario horum verborum, *Ezec.*, III, 10 : *Fili hominis, omnes sermones meos, quos ego loquor ad te, assume in corde tuo, et auribus tuis audi, et vade ad filios populi mei et loqueris ad eos*, ita discurrit : « Vigilanter intuendum « est, quod voce Domini ad Prophetam dicitur, ut « prius sermones ejus audiat, et postmodum lo« quatur; audimus enim verba Dei, si facimus; et « tunc ea proximis recte loquimur, cum prius ipsi « fecerimus. » Cui consonat pariter et illud S. An« tonius de Padua, dicens : « Recte loquitur, qui « quod prædicat, opere attestatur. »

11. — Aliter Dionysius Carthusianus hanc loquelæ rectitudinem interpretatur, dicens : « Sic qui « spiritualis visus illustrationem, interiorumque « aurium apertionem a Christo sortitur, loquitur « recte, id est, juste, sapienter atque salubriter, « prout monet Apostolus : *Sermo vester semper in « gratia, sale conditus sit.* »

12. — Beda hanc rectitudinem ad unam succincte loquendi methodum reducit : « Ille solus « recte loquitur, qui linguam tactus sapientiæ, ad « loquendum instituit. » Custodia denique linguæ principalissimum est ad salutem assequendam medium, Sapiente attestante, *Prov.*, XXI, 23 : *Qui custodit os suum, custodit et animam suam.*

13. — Psalmista, vir secundum cor Dei, docet nos omnes, quomodo ad perfectionis apicem consenderit, dicens, *Psal.* XXXVIII, 2 : *Dixi : custodiam vias meas.* At ecce, quam in custodiendis sensibus methodum servavit, quam ingressus est viam, ut nec ad dexteram nec ad sinistram devius declinaret. Ipsemet respondit : *Ut non delinquam in lingua mea, posui ori meo custodiam.* Lingus, juxta Anatomistarum traditionem, duas habet venas, quarum altera fertur ad cor, altera ad cerebrum; hæcque est causa, quare multiplex e sola lingua eliciatur notitia tam malorum quam bonorum signorum alicujus infirmitatis. Vere equidem excellentissimo ejus artifici merito dici potest : *Omnia in Sapientia fecisti*; cujus manus fabricarunt nos, *Job.*, X, 8 : *Manus tuæ, Domine, fecerunt me et plasmaverunt me totum.* Placet porro ex hoc prælibato sensu litterali ad moralem transire, *quia omnia in figura contingebant.* Altera igitur harum venarum seu nervorum ad cerebrum ascendit, ubi sedem habet intellectus, hæcque designat materiam linguæ omnimode moderatam, recteque dispositam esse debere, tam in discursu quam ratione, imo et in corde; *quia ex abundantia cordis os loquitur.* Unum inter cætera, manifestum virtutis ac malitiæ indicium in anima, est lingua, plus minusque custodita, *Eccli.*, IV, 29 :

In lingua sapientia dignoscitur, et sensus; et scientia, et doctrina in verbo sensati. Tritum est Socratis effatum, qui juvenis cujusdam mores experturus, aiebat : « Loquere, te videam. » Confirmat hoc ipsa incarnata Sapientia, dum inquit, *Luc.*, VI, 45 : *Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum; et malus homo de malo thesauro profert malum; ex abundantia enim cordis os loquitur.* Aliam adhuc eamque ingeniosam linguæ considerationem adducit Chrysostomus, *Hom. ad Basil.* « Deus enim « velut muro duplici voluit circumdari, nam den« tium tegmine et labiorum custodia continetur, « ut verba improvida garrulitate proferatur. » Natura duas quidem nobis aures, sed unam tantum impertiit linguam, ut scilicet industrie auscultemus, at caute et sobrie loquamur; docti insuper de Apostolo, *Jac.*, I, 19, ut *sit omnis homo velox ad audiendum, tardus ad loquendum*; nam teste Ecclesiastico, XIX, 5 : *Qui odit loquacitatem, extinguit malitiam.*

Additio.

a. — *Et solutum est vinculum linguæ illius, et loquebatur recte.* Super hoc sic ait Victor Antiochenus : « Quomodo non recte loqueretur, cum « naturæ opifex id suppleret, quod naturæ deerat? » Expende diligenter illud : *Recte loquebatur*, quod indicat originem rectæ locutionis; nam ex longo et diuturno silentio, in bonam loquelam venit homo; tarditas enim linguæ pulchram, ac elegantem conficit orationem; magnum silentium, alta est instructio ad recte verba proferenda. Licet enim homini difficile sit, non loqui : *Conceptum sermonem tenere quis poterit?* ait S. Job, attamen tacendo bene loqui discit. Christus in medio Doctorum audit et tacet. S. Antonius de Pythagora discurrens, et examinans qualem sibi præscripserit finem, in instruendis discipulis suis circa linguæ custodiam, ait : Pythagoras discipulis, per quinquennium, silentium imperabat, ut tacendo, discerent postea loqui. Verbis contumeliosis agitabantur, opprobriis provocabantur ut retorquerent opprobria et contumelias, et ex ipsi reprimebant silentio; quo et stipendio solvebant illos qui illos vituperabant, et injuriis afficiebant. B. Laurentius Justinianus tractans de disciplina, et perfectione monasticæ conversationis, ita scribit : « Ante Christi resurrectionem, rudes « ingenio, litteris inexpertes, mente timidos, et « carnales sensu, et divinæ legis ignaros fuisse » Apostolos « cognoscimus. At ubi Dominus cœlis « ascendit, postquam in silentio orationi vacare « cœperunt, Spiritus Sanctus super illos descendit « abunde omniumque linguarum scientiam, om« nium dogmatum disciplinam ipsis tribuere dig« natus est. » Et infra : « Propterea quicumque « sapientiæ verba utiliter fari desiderat, in silentio « prius discat intus, quod postmodum viva voce « foris loquatur. Re quippe vera nullus scit fruc« tuose loqui, qui ignorat prudenter tacere; taci« turnitas namque bene loquendi principium est. »

VERSUS 36.

Et præcepit illis, ne cui dicerent; quanto magis autem eis præcipiebat, tanto plus prædicabant.

Et præcepit illis, ne cui dicerent.

1. — Calumniabantur Pharisæi, Christum aucupandis popularibus inhiare applausibus; exhibiturus igitur, juratum se esse omnis obstinationis et vanæ gloriæ hostem, præceptive inhibet patratum a se miraculum populari. « Ut testes ex hoc præcepto « fierent, » inquit quidam Auctor, « contra calum« niatores, qui dicerent : *Tu testimonium perhibes « de teipso, testimonium tuum non est verum. Ego « gloriam meam non quæro.* »

2. — Albertus Magnus dicit id Christum præcepisse : « Non præcepto observationis sed instructio« nis, ad humilitandum magnis factis, exemplo « Domini, ne cui dicerent et per hoc non jactare « bona sua discerent. »

3. — Aliam Theophylactus moralitatem adducit, inquiens : « Docemur hoc loco, quod, quando bene« facturi sumus, ne plausus vel celebritas ex bene« ficiis quæramus. Cum autem beneficia acceperi« mus, ut benefactores, licet ipsi recusent, laudemus « et prædicemus. »

Quanto autem eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant.

4. — Quo perfectius, quantum est ex parte nostra, omnes virtutes, bonaque opera nostra, modestiæ et humilitatis instinctu occultare studeriemus, eo amplius ad majorem gloriam suam, proximorum utilitatem et excellentiorem nostri ipsius profectum ac meritum eadem propalare intendit : præterquam quod tritum sit axioma, quia honor sequitur fugientem.

5. — Turbam hanc velut devotam, suoque benefactori gratam, docet esse laudandam Jansenius, *Serm. in hac Dom.* : « Nihil peccaverunt, sed potius « id fecerunt, quod debuerunt; ut enim est homi« nis vere benefici, non exigere laudem aut gratiam « aliquam pro beneficio; ita grati est hominis hoc « impensius referre gratiam, quo qui, beneficium « dedit, nullam exspectet gratiam. »

6. — Advertit optime Angelus de Paz hanc turbis prohibitionem non obiter a Christo sed industrie inculcatam fuisse, ideoque ipsis reiteratam : « Quanto « magis ei præcipiebat, non leviter aut semel præ« cepit, facti silentium observari, sed iterum atque « iterum, ac vehementi comminatione indixit taci« turnitatem. » Quo agendi modo « nos instruit, « non sequitur velle latere et occultari facta nostra, « sed ex animo; et maxima cum diligentia opus

« abscondere, ne nos vanæ gloriæ exponamus, qui « ad eam proni sumus. Tanto magis plus prædica- « bant, » dicit idem Auctor, « quia tanto magis « Deus e cœlis præcipiebat, qui humilia respicit in « cœlo et in terra, ipsoque exaltat. »

Additio.

a. — *Et præcepit illis ne cui dicerent.* Magnum divinæ omnipotentiæ signum occultari jubet Dominus, quod ex omnia scienti sua, hos homines divulgaturos sciebat. Cur ergo præcepit, ut opus miraculosum tacerent, quod præsciebat tanto magis prædicaturos, quanto magis silentium commendabat? Et ad quid apprehendit hominem seorsum a turba, cum ipse sciret opus esse divulgandum? Respondent Eusebius Gallicanus *Hom. in Dom.* XII *post Pent.*, Beda, Haymon, Carthusianus, id factum ut ostenderet, quantopere vanam gloriam aversaretur. « Nobis, » ait Beda, « exemplum dare voluit, « ut virtutum opera facientes, vitium jactantiæ « gloriamque vitemus humanam. » Magnorum virorum est, non habere præ foribus suas virtutes, non ostentare thesauros gloriæ suæ, et ideo Christus celare miraculum jubet; quem plurimi Sanctorum secuti sunt, qui ne vanam incurrerent gloriam sanctitatem celarunt. Obtigit S. Paulo Apostolo specialis hæc prærogativa videndi Deum, ut Theologi loquuntur, *per modum transeuntis;* aliquot vicibus raptus fuit ad Paradisum, ubi ei revelata sunt secreta divina : *Audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui;* et tamen, ut colligitur ex ejus Epistola, tacuit spatio quatuordecim annorum post raptum et visionem illam, nec minimam ejus fecit mentionem. *Scio hominem ante annos quatuordecim raptum hujusmodi, usque ad tertium cœlum.* Ubi Theophylactus notat : « Ut discas, ut cum quatuorde- « cim annis conticuit, nec nunc protulisset quidem « nisi necessitate compulsus fuisset. » Ubi quoque observandum est, non id cum in propria, sed in tertia persona dicere : *Scio hominem,* ut omnem a se amoveat ostentationis umbram. Ideoque Chrysostomus ait : « Vide extenuandi verbis quam large « sit usus. »

VERSUS 37.

Et eo amplius admirabantur, dicentes : Bene omnia fecit; et surdos fecit audire et mutos loqui.

Bene omnia fecit.

1. — Angelus de Paz hujusmodi rationem reddit; quare Christus omnia fecisse diceretur bene : « Quia Deus, qui bonus per essentiam cum sit, « perfecta semper operatur; unde *vidit cuncta, quæ « fecerat et erant valde bona.* » Sed opponet forte quispiam illud Psalmistæ, *Psal.* XXXIX, 13, lamentum : *Circumdederunt me mala, quorum non est numerus.* Quis enim videt, omni ex parte, in hac lacrymarum valle, quanta in dies et pœnæ et culpæ inundent dispendia? Huic objectioni satisfacit celebre illud S. Augustini axioma, *Enchir.*, III, 25, dicentis : « Deus meus judicabit de malis benefa- « cere, quam mala nulla esse permittere. » Et alibi, *de Civit. Dei lib.* XII, *cap.* XI, pariter : « Neque « enim Deus omnipotens, cum summe bonus sit, « ullo modo sineret mali aliquid esse in operibus « suis, nisi usque adeo esset, omnipotens et bonus, « ut benefaceret etiam de malo. » Unde Joseph a fratribus suis in Ægyptum venditus, profitebatur dicens, *Gen.*, XXX, 20 : *Vos cogitastis de me malum et Deus vertit illud in bonum.* Duplex est, ut diximus, in orbe malum, culpæ scilicet et pœnæ, primum gravius secundo; illud S. Bernardus dum sollicite discutit, *Serm.* II *sup. Ps. Qui habit.*, magni perhibet esse originem boni : « Miro quodam modo « ipsum peccatum etiam in justitiam cooperatum « et humiliores efficimur et cautiores. » Hujus porro multiplices fructus paucissimis hisce verbis subtiliter concludit Apostolus, II *Tim.*, II 12 : Si *sustinebimus et conregnabimus.* Mala enim pœnæ, cum amore et patientia Christiana tolerata directam nobis in cœlum viam planant.

2. — Verbum *bene* variis vestit circumstantiis Salmeron : « *Bene omnia fecit* : potenter, sapienter, « juste, misericorditer, suaviter, opportune omnia « fecit. » S. Bonaventura *omnia* examinans, dicit : « *Omnia per ipsum facta sunt* : Per quem factus « est Angelus, et per ipsum factus est vermiculus; « unde omnes Reges, et Pontifices, et Imperatores, « de tota potentia sua non possent creare unam « muscam. »

3. — Nequaquam de nobis verificari potest : *Bene omnia fecimus.* Utpote qui collatis in nos a Deo beneficiis, qui tempore, sanitate, juventute, ingenio, sensibus, divitiis, tribulationibus et infirmitatibus abusi fuimus, cum tamen Deus hæc et illa concesserit, tanquam profectus et salutis nostræ media; Sacramenta, bona consilia, pia exempla et omnia alia, saluti nostræ cœlitus destinata, auxilia flocci æstimantes, *male omnia fecimus;* quapropter supplicemus ei, ut mala convertat in bonum, quia *potens est de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Matth.*, III, 9.

4. — « Quod certe eloquium in solum Deum « competit, » ait Jansenius, « nemo enim mortalium, « qui *bene omnia fecit;* quia *non est justus, qui non « peccet.* » Unde *Eccli.*, XXXIX, 21 : *Opera Domini universa, bona valde.*

Et surdos fecit audire et mutos loqui.

5. — Docte animadvertit Dionysius Carthusianus, S. Marcum non meminisse hujus in surdo et muto perpetrati miraculi, cum omnibus illis circumstantiis et personis, cum quibus illud nobis repræsentat S. Evangelista Matthæus, hic enim alios insuper tum surdos et mutos, cum cæcos et mancos annectit : « Sed Marcus scribit de uno, « cujus curatio solemnius facta est et multa mystica « figuravit, eratque mirabilior, quia in uno homine « tria signa simul facta videntur; dum obsessus « liberatur, surdus auditum et mutus loquelam re- « cuperat. »

DOMINICA DUODECIMA POST PENTECOSTEN

EVANGELIUM LUCÆ, CAP. X, VERS. 23

23. Beati oculi, qui vident quæ vos videtis.

24. Dico enim vobis, quod multi Prophetæ et Reges voluerunt videre, quæ vos videtis, et non viderunt; et audire quæ vos auditis, et non audierunt.

25. Et ecce quidam Legisperitus surrexit, tentans illum et dicens : Magister, quid faciendo, vitam æternam possidebo?

26. At ille dixit ad eum : In lege quid scriptum est, quomodo legis?

27. Ille respondens, dixit : Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, et ex omnibus viribus tuis, et ex omni mente tua; et proximum tuum sicut teipsum?

28. Dixitque illi : Recte respondisti; hoc fac et vives.

29. Ille autem volens justificare seipsum, dixit ad Jesum : Et quis est meus proximus?

30. Suscipiens autem Jesus, dixit : Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho et incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum, et plagis impositis abierunt, semivivo relicto.

31. Accidit autem, ut Sacerdos quidam descenderet eadem via, et viso illo præterivit?

32. Similiter et Levita cum esset secus locum et videret eum, pertransiit.

33. Samaritanus autem quidam iter faciens, venit secus eum, et videns eum, misericordia motus est.

34. Et appropians alligavit vulnera ejus, infundens oleum et vinum, et imponens illum in jumentum suum, duxit in stabulum, et curam ejus egit.

35. Et altera die protulit duos denarios et dedit stabulario, et ait : Curam illius habe; et quodcumque supererogaveris, ego cum rediero, reddam tibi.

36. Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse illi, qui incidit in latrones?

37. At ille dixit : Qui fecit misericordiam in illum; et ait illi Jesus : Vade, et tu fac similiter.

VERSUS 23.

Beati oculi, qui vident quæ vos videtis.

Beati oculi, qui vident.

1. — Textus ille contrariari videtur alteri, quem a S. Joanne allegatum, *cap.* XX, 19, et a Christo pronuntiatum novimus, nimirum : *Beati oculi, qui non viderunt et crediderunt.* Difficultatem hanc Toletus resolvit, considerans, sanctum Apostolum Thomam, negando se credituruum nisi videret, intendisse visionem, velut indicem et conditionem, sine qua non, fidei suæ; quia ut primum ipse Magistrum suum vidit, illico eum resurrexisse credidit, et ideo inibi Christus præponit illos, qui credunt absque eo, quod a sensu visus ad credendum inducantur. In præsenti autem Evangelio : « Simpliciter et abso- « lute, consideratur aspectus et præsentia Christi; « hoc autem fuit insigne beneficium et privile- « gium, nec ob eam præsentiam, discipulorum « fides minor fuit; nam etsi Christum viderunt, « ipsum tamen Messiam et Dei Filium esse non « viderunt, sed crediderunt. »

2. — S. Cyrillus Alexandrinus in *Catena* per verbum *videre* non semper visionem stricte dictam, designari docet : « Illud autem scire convenit, quia « videre non significat actum oculorum, sed mentis « recreationem in præteritis beneficiis; puta, si « quis dicat : Iste vidit bona tempora, id est, gavi- « sus est in bonis temporibus, secundum illud : « *Videas bona Jerusalem.* » Multi quidem Judæorum oculis suis viderunt Christum, sed non crediderunt in eum, nec quidquam ipsis in redemptionem profuit adventus et præsentia Christi. Albertus Magnus in persona Christi, quinam videndo Salvatorem beati sunt, ostendit inquiens : « Beati sunt, qui sic « me exterius aspiciunt, quod interius divinitatem

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

« abscondere, ne nos vanæ gloriæ exponamus, qui « ad eam proni sumus. Tanto magis plus prædica- « bant, » dicit idem Auctor, « quia tanto magis « Deus e cœlis præcipiebat, qui humilia respicit in « cœlo et in terra, ipsoque exaltat. »

Additio.

a. — *Et præcepit illis ne cui dicerent.* Magnum divinæ omnipotentiæ signum occultari jubet Dominus, quod ex omnia scienti sua, hos homines divulgaturos sciebat. Cur ergo præcepit, ut opus miraculosum tacerent, quod præsciebat tanto magis prædicaturos, quanto magis silentium commendabat? Et ad quid apprehendit hominem seorsum a turba, cum ipse sciret opus esse divulgandum? Respondent Eusebius Gallicanus *Hom. in Dom.* XII *post Pent.*, Beda, Haymon, Carthusianus, id factum ut ostenderet, quantopere vanam gloriam aversaretur. « Nobis, » ait Beda, « exemplum dare voluit, « ut virtutum opera facientes, vitium jactantiæ « gloriamque vitemus humanam. » Magnorum virorum est, non habere præ foribus suas virtutes, non ostentare thesauros gloriæ suæ, et ideo Christus celare miraculum jubet; quem plurimi Sanctorum secuti sunt, qui ne vanam incurrerent gloriam sanctitatem celarunt. Obtigit S. Paulo Apostolo specialis hæc prærogativa videndi Deum, ut Theologi loquuntur, *per modum transeuntis;* aliquot vicibus raptus fuit ad Paradisum, ubi ei revelata sunt secreta divina : *Audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui;* et tamen, ut colligitur ex ejus Epistola, tacuit spatio quatuordecim annorum post raptum et visionem illam, nec minimam ejus fecit mentionem. *Scio hominem ante annos quatuordecim raptum hujusmodi, usque ad tertium cœlum.* Ubi Theophylactus notat : « Ut discas, ut cum quatuorde- « cim annis conticuit, nec nunc protulisset quidem « nisi necessitate compulsus fuisset. » Ubi quoque observandum est, non id cum in propria, sed in tertia persona dicere : *Scio hominem,* ut omnem a se amoveat ostentationis umbram. Ideoque Chrysostomus ait : « Vide extenuandi verbis quam large « sit usus. »

VERSUS 37.

Et eo amplius admirabantur, dicentes : Bene omnia fecit; et surdos fecit audire et mutos loqui.

Bene omnia fecit.

1. — Angelus de Paz hujusmodi rationem reddit; quare Christus omnia fecisse diceretur bene : « Quia Deus, qui bonus per essentiam cum sit, « perfecta semper operatur; unde *vidit cuncta, quæ « fecerat et erant valde bona.* » Sed opponet forte quispiam illud Psalmistæ, *Psal.* XXXIX, 13, lamentum : *Circumdederunt me mala, quorum non est numerus.* Quis enim videt, omni ex parte, in hac lacrymarum valle, quanta in dies et pœnæ et culpæ inundent dispendia? Huic objectioni satisfacit celebre illud S. Augustini axioma, *Enchir.*, III, 25, dicentis : « Deus meus judicabit de malis benefa- « cere, quam mala nulla esse permittere. » Et alibi, *de Civit. Dei lib.* XII, *cap.* XI, pariter : « Neque « enim Deus omnipotens, cum summe bonus sit, « ullo modo sineret mali aliquid esse in operibus « suis, nisi usque adeo esset, omnipotens et bonus, « ut benefaceret etiam de malo. » Unde Joseph a fratribus suis in Ægyptum venditus, profitebatur dicens, *Gen.*, XXX, 20 : *Vos cogitastis de me malum et Deus vertit illud in bonum.* Duplex est, ut diximus, in orbe malum, culpæ scilicet et pœnæ, primum gravius secundo; illud S. Bernardus dum sollicite discutit, *Serm.* II *sup. Ps. Qui habit.*, magni perhibet esse originem boni : « Miro quodam modo « ipsum peccatum etiam in justitiam cooperatum « et humiliores efficimur et cautiores. » Hujus porro multiplices fructus paucissimis hisce verbis subtiliter concludit Apostolus, II *Tim.*, II 12 : Si *sustinebimus et conregnabimus.* Mala enim pœnæ, cum amore et patientia Christiana tolerata directam nobis in cœlum viam planant.

2. — Verbum *bene* variis vestit circumstantiis Salmeron : « *Bene omnia fecit* : potenter, sapienter, « juste, misericorditer, suaviter, opportune omnia « fecit. » S. Bonaventura *omnia* examinans, dicit : « *Omnia per ipsum facta sunt* : Per quem factus « est Angelus, et per ipsum factus est vermiculus; « unde omnes Reges, et Pontifices, et Imperatores, « de tota potentia sua non possent creare unam « muscam. »

3. — Nequaquam de nobis verificari potest : *Bene omnia fecimus.* Utpote qui collatis in nos a Deo beneficiis, qui tempore, sanitate, juventute, ingenio, sensibus, divitiis, tribulationibus et infirmitatibus abusi fuimus, cum tamen Deus hæc et illa concesserit, tanquam profectus et salutis nostræ media; Sacramenta, bona consilia, pia exempla et omnia alia, saluti nostræ cœlitus destinata, auxilia flocci æstimantes, *male omnia fecimus;* quapropter supplicemus ei, ut mala convertat in bonum, quia *potens est de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Matth.*, III, 9.

4. — « Quod certe eloquium in solum Deum « competit, » ait Jansenius, « nemo enim mortalium, « qui *bene omnia fecit;* quia *non est justus, qui non « peccet.* » Unde *Eccli.*, XXXIX, 21 : *Opera Domini universa, bona valde.*

Et surdos fecit audire et mutos loqui.

5. — Docte animadvertit Dionysius Carthusianus, S. Marcum non meminisse hujus in surdo et muto perpetrati miraculi, cum omnibus illis circumstantiis et personis, cum quibus illud nobis repræsentat S. Evangelista Matthæus, hic enim alios insuper tum surdos et mutos, cum cæcos et mancos annectit : « Sed Marcus scribit de uno, « cujus curatio solemnius facta est et multa mystica « figuravit, eratque mirabilior, quia in uno homine « tria signa simul facta videntur; dum obsessus « liberatur, surdus auditum et mutus loquelam re- « cuperat. »

DOMINICA DUODECIMA POST PENTECOSTEN

EVANGELIUM LUCÆ, CAP. X, VERS. 23

23. Beati oculi, qui vident quæ vos videtis.

24. Dico enim vobis, quod multi Prophetæ et Reges voluerunt videre, quæ vos videtis, et non viderunt; et audire quæ vos auditis, et non audierunt.

25. Et ecce quidam Legisperitus surrexit, tentans illum et dicens : Magister, quid faciendo, vitam æternam possidebo?

26. At ille dixit ad eum : In lege quid scriptum est, quomodo legis?

27. Ille respondens, dixit : Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, et ex omnibus viribus tuis, et ex omni mente tua; et proximum tuum sicut teipsum?

28. Dixitque illi : Recte respondisti; hoc fac et vives.

29. Ille autem volens justificare seipsum, dixit ad Jesum : Et quis est meus proximus?

30. Suscipiens autem Jesus, dixit : Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho et incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum, et plagis impositis abierunt, semivivo relicto.

31. Accidit autem, ut Sacerdos quidam descenderet eadem via, et viso illo præterivit?

32. Similiter et Levita cum esset secus locum et videret eum, pertransiit.

33. Samaritanus autem quidam iter faciens, venit secus eum, et videns eum, misericordia motus est.

34. Et appropians alligavit vulnera ejus, infundens oleum et vinum, et imponens illum in jumentum suum, duxit in stabulum, et curam ejus egit.

35. Et altera die protulit duos denarios et dedit stabulario, et ait : Curam illius habe; et quodcumque supererogaveris, ego cum rediero, reddam tibi.

36. Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse illi, qui incidit in latrones?

37. At ille dixit : Qui fecit misericordiam in illum; et ait illi Jesus : Vade, et tu fac similiter.

VERSUS 23.

Beati oculi, qui vident quæ vos videtis.

Beati oculi, qui vident.

1. — Textus ille contrariari videtur alteri, quem a S. Joanne allegatum, *cap.* XX, 19, et a Christo pronuntiatum novimus, nimirum : *Beati oculi, qui non viderunt et crediderunt.* Difficultatem hanc Toletus resolvit, considerans, sanctum Apostolum Thomam, negando se credituruum nisi videret, intendisse visionem, velut indicem et conditionem, sine qua non, fidei suæ; quia ut primum ipse Magistrum suum vidit, illico eum resurrexisse credidit, et ideo inibi Christus præponit illos, qui credunt absque eo, quod a sensu visus ad credendum inducantur. In præsenti autem Evangelio : « Simpliciter et abso- « lute, consideratur aspectus et præsentia Christi; « hoc autem fuit insigne beneficium et privile- « gium, nec ob eam præsentiam, discipulorum « fides minor fuit; nam etsi Christum viderunt, « ipsum tamen Messiam et Dei Filium esse non « viderunt, sed crediderunt. »

2. — S. Cyrillus Alexandrinus in *Catena* per verbum *videre* non semper visionem stricte dictam, designari docet : « Illud autem scire convenit, quia « videre non significat actum oculorum, sed mentis « recreationem in præteritis beneficiis; puta, si « quis dicat : Iste vidit bona tempora, id est, gavi- « sus est in bonis temporibus, secundum illud : « *Videas bona Jerusalem.* » Multi quidem Judæorum oculis suis viderunt Christum, sed non crediderunt in eum, nec quidquam ipsis in redemptionem profuit adventus et præsentia Christi. Albertus Magnus in persona Christi, quinam videndo Salvatorem beati sunt, ostendit inquiens : « Beati sunt, qui sic « me exterius aspiciunt, quod interius divinitatem

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

« per fidem in me, ex exterioribus miraculis intel-« ligant. » Dionysius Carthusianus dictam visionem tam de corporali quam et spirituali simul intelligendam esse existimat : « Prædicta intelligenda « sunt de visu et auditu interiori, conjuncto visui « atque auditui exteriori. »

Quæ vos videtis.

3. — Advertendum est, Christum non dicere tantum et solitarie : *Qui videt*; sed incunctanter adjungere : *Quæ vos videtis*. Duo autem, prout Cajetanus considerat, videnda erant in Christo, docente et miracula perpetrante : Primum omnibus tam bonis quam malis commune, scilicet contemplari miracula et visibilem humanitatis speciem; secundum, bonorum tantummodo oculorum objectum erat, viva fide credentium, ipsum esse promissum in lege Messiam Filium Dei et Salvatorem mundi. Utriusque hujus objecti differentiam prædictus Auctor sequenti assignat discursu : « Non dicit beatos « oculos, qui vident primum, cum hoc viderint « etiam multi iniqui, sed qui vident utrumque; « propter hoc enim limitando dixit : *Quæ vos*, electi « et boni *videtis*; » vos scilicet Apostoli mei, quibus *datum est nosse mysterium regni Dei*. De qua felicitate Didacus Stella ita discurrit : « Erat quædam « beatitudo, videre hominem illum, quem sciebant « verum Deum esse, in quo omne bonum nostrum « positum esse agnosceremus. » Beatos profecto hi discipuli se proclamare poterant, utpote qui præsentia fruebantur sacrosanctæ Redemptoris nostri humanitatis, intra quam pretiosissimus divinitatis Paradisum beatificantis thesaurus sese occultabat. Beati utique erant ob cœlestem Christi conversationem; unde majori cum veritate quam Apostolus Paulus, *Phil.*, III, 26, dicere poterant : *Conversatio nostra in cœlis est*. S. Petrus Christum quadam vice alloquens, *Joan.*, VI, 69, dicebat : *Verba vitæ æternæ habes*. At discipuli pignus possidebant beatitudinis; quia *hæc est vita æterna; ut cognoscant te solum verum Deum et quem misisti Jesum Christum. Joan.*, XVII, 3.

4. — Horum sese longe fortunatissimos existimare poterant, quia jam tum novæ legis gratiæ et Evangelicæ primitiis fruebantur, cum admirabili incremento et maxima ad legem Mosaicam differentia. Beatos dicebat regina Saba Salomonis famulos, III *Reg.*, X, 8 : *Beati viri tui et beati servi tui, qui stant coram te et audiunt sapientiam tuam*; sed : *Ecce plus quam Salomon hic*. Videtur in præsenti verificari potuisse, quod olim, in diverso licet proposito, populus Hebraicus asseruit, *Num.*, XXIV, 23 : *Heu quis victurus est, quando ista faciet Deus?* Industrie hanc legis gratiæ prærogativam nobis expressit Didacus Stella hocce sermonis compendio : « Vide-« mus peccatum primorum parentum per Christi « mortem abolitum, Deum factum patrem nostrum, « fratrem nostrum; vade et dic fratribus tuis : *Ad-« vocatum habemus apud Patrem, cœlum nobis patet, « non fecit taliter omni nationi.* » De antiqui Testamenti Patribus dici potest, quod *viderunt per speculum in ænigmate, nos autem facie ad faciem, gloriam Domini speculantes*. Totus olim mundus, parvo excepto Judææ districtu, per tot sæculorum intervalla, genibus flexis dæmonia falsaque simulacra adorabat; ast hodie fidei nostræ catholicæ triumphat veritas; hodie propheticum verificatur dictum : *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis. Psal.* XCII, 5. Partim tot figurarum et prophetiarum adimpletione, partim tam frequenti miraculorum confirmatione et dogmatum soliditate, ut nihil dicam de irrefragabili millium aliorum signorum evidentia. Ipsi iidem Hebræi, qui præ omnibus terrarum populis, veri Dei cognitionem habebant intolerabilibus et innumerabilibus intricati erant cæremoniis, ritibus et præceptis, sustinentes *sarcinam*, ut inquit S. Augustinus, *Serm.* IX *de verb. Dom., innumerabilium observationum*. Nos vero suave duorum præceptorum, amoris scilicet Dei et proximi jugum portamus, nobis in statu legis Evangelicæ abundans confertur gratia, negata Hebræis, præceptorum gravitate obrutis, *Joan.*, I, 17 : *Lex per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est*. Illis dicitur, *Rom.*, VIII, 15 : *Accepistis spiritum servitutis in timore*. Nobis autem : *Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus : Abba Pater*. Neque mirum, quia nos *non sumus ancillæ filii, sed liberæ*. Ipsi per multorum seriem sæculorum, grave sufferentes Mosaicæ legis jugum, post vitam hanc, æternam in sinu Abrahæ retributionem expectabant; nos vero, qui ultima laboris hora vineam Dominicam intravimus, indilate beatitudinis denarium obtinemus. Dixerit merito quilibet Christianus : *In loco pascuæ ibi me collocavit; super aquam refectionis educavit me. Psal.* XII, 2. Populus Hebræorum manna recreabatur cœlesti, nos sanctissimo Christi corpore; illis miraculose aqua fundebatur de petra durissima, nobis Dei Filius sanguinis flumen ducit e venis propriis, *ut lavaret nos a peccatis nostris in sanguine suo. Apoc.*, I, 5. Israeli Deus in hæreditatem dedit Palæstinam, at nobis regnum cœlorum. Considerate vos denique ipsimet nimiam aliorum auxiliorum ad salutem nostram cœlitus hodie subministratorum abundantiam, beneficiorum immensitatem et eminentiam, Sacrificiorum et Sacramentorum majestatem, bonorum exemplorum frequentiam, intercessionum Sanctorum efficaciam, Librorum sacrorum et spiritualium pretium, Reliquiarum et Indulgentiarum thesauros, Verbi divini disseminationem, precum fervorem et alia hujusmodi, quæ Deus legi Evangelicæ clementer impertivit.

Additiones.

a. — *Beati oculi qui vident quæ vos videtis*. Beati oculi, tum corporis, tum animæ. Matthæus addit :

Et aures vestræ; quod eodem modo intelligitur, tam externæ corporis aures, quam internæ, scilicet animi. Et est sensus : O vos Apostoli mei, beati sunt vestri oculi corporis; vident enim mea sancta opera, mysteria ac miracula, meos sanctos mores, ac gestus. Vestræ aures beatæ sunt, cum audiant meam cœlestem doctrinam. Sed multo potius beati sunt vestri oculi, vestræque aures internæ mentis, nam divina gratia illuminante, illa omnia capitis, creditis et intelligitis. Volebat illis Dominus demonstrare, quantum esset beneficium vocatio ad fidem. S. Anselmus tunc Apostoli textum ponderans : *Fidelem me existimavit*, I *Tim.*, I, 12, ait : « Justum est, ut illi grates referam, qui fidelem me « existimavit. » Idem quoque Sanctus, alibi infinitum hoc bonum meditans, inquit : « Christianum « me fecisti vocari de nomine meo, per quod et « ego confiteor, et tu noscis me inter redemptos « tuos, et erexisti, et levastis me ad notitiam et « amorem tuum. » Volvatis vellem super universæ terræ vastitate oculos vestros et majorem illius partem, Ægyptiis tenebris, atheismi, paganismi, hæbraismi et Alcorani involutam, totque hæresum erroribus implicitam esse invenietis. Quanam igitur prærogativa gratiæ est ista, quas nos in clara Evangelii luce, et in religione Catholica Romana nasci fecit? In quot eheu provinciis et regnis, justo Dei judicio fides amissa est? Quot sæcula elapsa sunt, in quibus si modicum quemdam mundi angulum, Palæstinam scilicet exceperis, totum universum dæmonibus cultum et adorationem deferens, nullam vel modicam habebat veri Dei notitiam? Quod si in hæc tempora natale tui incidissent, quidnam, obsecro, de te futurum fuisset? Quot Catholici in Germania, Belgio, Francia, Anglia et aliis mundi partibus, a diabolico Calvini et Lutheri aliorumque hæresiarcharum contagio sæculis superioribus infecti et mortui sunt? *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum. Joan.*, VI, 24. In ipso enim momento in quo anima mea creata fuit, haud dubie dena et forsitan centena millia animarum simul creata fuerunt, ex quibus paucæ in corporibus aqua baptismali ablutæ fuerint. Quodnam igitur anima mea apud Creatorem meritum habuit, ut illam inter innumeras alias erigeret, quam sanctæ et orthodoxæ fidei suæ notitia illuminaret? « Magnum æstimo beneficium, » inquit S. Augustinus, « quod ex tempore et inter tales me « nasci voluit Deus, per quos ad fidem et Sacra-« menta pervenerim. Vide innumerabilibus homi-« nibus hoc negatum, quod mihi gratulor esse « concessum, cum quibus tanto nobis est una con-« ditio. » Illi derelicti sunt per justitiam, et ego vocatus sum per gratiam. Omnes ex eodem luto plasmati sumus; omnes in Adam pariter peccavimus; omnes denique ad eamdem massam damnatam pertinemus. Quod vero Deus mihi hanc gratiam me prædestinandi, mihique tot auxilia spiritualia, porrigendi concesserit, idipsum ex sola ipsius infinita erga me beneficentia in me derivatum fuit, quia : *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei. Rom.*, IX, 16.

b. — Videtur Christus huic repugnare sententiæ, qua dixit illuminato jam D. Thomæ : *Beati qui non viderunt et crediderunt*. Si beati sint qui non viderunt, quomodo *beati qui vident?* Beatus fuit D. Thomas qui vidit oculis suis Christum a mortuis redivivum et animo credidit, quod Deus esset; et beati sunt illi qui non videndo oculis corporis, tamen credunt. Hoc Dominus dixit ad nostrum solatium; si namque doleamus eo quod illum minime videamus, ut beati, qui illo tempore vixerunt; audiamus ex ejus ore etiam beatos esse, qui illum non videntes oculis corporis, credunt tamen oculis fidei; et maxime beati illi qui oculis fidei illum credunt, etiam nunc existere in Sacramento Eucharistiæ, ad quod hæc maxime est necessaria. Hoc enim Sacramentum Ecclesia sancta a Spiritu Sancto directa, in verbis consecrationis sanguinis Eucharistici, nuncupat per antonomasiam fidei nostræ mysterium : *Hic est calix sanguinis mei, mysterium fidei*.

c. — Non hic loquitur Christus de visu spiritualis fidei, de quo quondam locutus est Thomæ Apostolo, dicens : *Quia vidisti me, Thoma, credidisti : beati qui non viderunt et crediderunt. Joan.*, XX, 29. Sed loquitur de singulari privilegio, ac insigni beneficio per respectum simpliciter ad Christi præsentiam, qua illum ut verum Messiam et Filium non viderant, sed divina fidei revelatione crediderunt, et ideo valde beati dicuntur, quia oculo corporis ac mentis eum intuiti sunt. Si igitur in mortali corpore Christum videntes, beati dicuntur, quam non magis beati sunt nunc, cum illum in essentia Deitatis contemplantur, in qua omnigena pulchritudo videtur? Quotidiana in nobis experientia verum esse comperimus, quod dum rem aliquam raræ pulchritudinis videmus, et multo magis dum eamdem ut propriam possidemus, miram inde delectationem et voluptatem capiamus. Ac proinde quis gaudium et delectationem illam pro dignitate explicare poterit, quam beati degustabunt, indeficienter videndo faciem illam, quæ gaudium est cœlestis Paradisi, simulque fruendo illo omnium spirituum Angelicorum, animarumque glorificatarum incomparabili splendore et pulchritudine; nam ut S. Bonaventura ait : « In « cœlesti patria corda beatorum sibi invicem in « claritate lucent et puritate translucent; ibi unius-« cujusque vultus aspicitur. « Quamvis omnis nostra delectatio specialissime in Dei clara visione consistat, ut proinde David merito dicat, *Psal.* XXVI, 8 : *Exquisivit te facies mea, faciem tuam Domine requiram*; et S. Augustinus : « In qua sola consistit tota « gloria sempiterna beatorum, quam quidem vi-

« dere vita æterna est et gloria sempiterna Sancto-
« rum. » Idem sanctus Doctor, in *Medit.*, XVI, ait : « Cogitemus igitur quale et quantum electorum « sit unicum et singulare gaudium, illud scilicet « summum bonum, quod vita, lux, beatitudo, « sapientia et æternitas est. » Porro primus et præcipuus hujus gaudii fons in divinæ essentiæ trium personarum, potentiæ Patris, sapientiæ Filii et bonitatis Spiritus Sancti clara visione consistit. Ibi enim videbimus, qua ratione Pater ab æterno generet Filium, suam ei communicando substantiam; et ambo, scilicet Pater et Filius, tanquam unum principium æternum spirent Spiritum Sanctum, divinam ei communicando essentiam suam, et tamen in qualibet trium personarum omnis remaneat perfectio. « Ibi videbitur, » ut S. Augustinus ait, « tranquillitas jucunditatis, jucunda felicitas, « felix æternitas, æterna beatitudo, et beata Tri- « nitas, et Trinitatis unitas, et unitatis Deitas, et « Deitatis beata visio, quæ est gaudium Domini Dei « tui. »

d. — Videbant Christum eque Judæi quam Apostoli, et tamen præ illis beati dicuntur; ast videbant Apostoli sub illa carne larva animarum nostrarum salutem; videbant mirabiles inventiones quibus Christus usus est ut magis pro nobis pateretur; videbant quomodo corpus assumendo passibile redimere nos voluit. Quod Judæis quidem scandalum, Gentibus autem scandalum reputabatur. Et idcirco Apostoli præ illis beati dicendi sunt.

e. — Christus Dominus non dicit tantum : *Beati oculi qui videt*: sed insuetanter addit : *Quæ vos videtis*. Non enim verbum, *videre*, semper visionem stricte dictam designat. S. Cyrillus Alexandrinus ait : « Illud autem scire convenit, quia, *videre*, non significat actum oculorum, sed mentis recreationem in præteritis beneficiis; puta si quis dicat : Iste vidit bona tempora, id est, gavisus est in bonis temporibus, secundum illud : *Videas bona Jerusalem*. Sic merito beati dicendi sumus Christiani, qui oculo fidei considerantes beneficium communicationis corporis et sanguinis Christi, in illo recreamur, et in fide solidamur, quod plerumque fit in sacro Missæ officio, quod est fidei nostræ columna et fundamentum quoddam. Rupertus Abbas, *de div. offe.* disserens, verba illa, quæ Christus Apostolis suis in ultima Cœna dixit, videlicet : *Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis*, ponderans, ait : « Auferatur a cœna Ecclesiæ quotidianas « Salvatoris nostri hujusmodi exequias, et vide « quam merito dicat ipse Salvator : *Quæ utilitas in « sanguine meo?* Refrigescente enim ea, quæ in hoc « mundo nunc ubique calet, ejus memoria, refri- « gesceret universa charitas, mutila erit fides, claudi- « cabit spes, conticescet magnus ille clamor san- « guinis justi Abel, qui per traditam tanti sacrificii « crinam, quotidie laxat os libantis et vociferantis « terræ, scilicet Ecclesiæ maledictum coarguens « Cain, et maturam indigne fusi sanguinis vindic- « tam reposcens. Calente ergo memoria tam cele- « bri, charitas Christi concalescit, perstat super « fundamentum suum ædificium fidei. »

Versus 24.

Dico enim vobis, quod multi Prophetæ et Reges voluerunt videre, quæ vos videtis, et non viderunt; et audire quæ vos auditis, et non audierunt.

Dico autem vobis, quod multi Prophetæ et Reges, etc.

1. — In S. Matthæo, XIII, 7, dicitur : *Multi Prophetæ et justi.* Glossa ait : « Prophetæ et justi, a « longe gloriam Domini viderunt *in speculum per « enigmate*, sed Apostoli præsentem Dominum ha- « bentes, et ab ipso, quæ volebant, interroganies, « non per Angelos, vel varias visionum species, « docebantur. » De iisdem sanctis Prophetis et Patriarchis Hugo Cardinalis dicit in persona Christi : « *Voluerunt videre, quæ vos videtis*, oculo « corporali, scilicet me miracula facientem. » Urgebat Moyses, *Exod.*, IV, 13 : *Mitte, quem missurus es.* Instabat David, *Psal.* CXLIII, 5 : *Inclina cœlos et descende; ostende faciem tuam et salvi erimus.* Clamabat Isaias, XVI, 1 : *Mitte Agnum, Domine, Dominatorem terræ.* At Christus, omnibus his sanctis Patriarchis et Regibus relictis, pauperes et contemptibiles elegit piscatores. Unde Didacus Stella ait : « Obser- « vandum, quam parum valeat, coram oculis Dei, « vel Regem esse, vel Prophetam, vel Principem, vel « Magnatem, divitem aut potentem, qui oculos con- « jicit in pauperes piscatores contemptos judicio « mundi; et hos in amplissimas dignitates elevat, « potentes vero dejicit. »

2. — Beda eodem et justos et Reges nomine nuncupari advertit, cujus rei sequentem tradit rationem : « Ipsi enim sunt Reges magni; qui ten- « tationum suarum motibus non consentiendo sue- « cumbere, sed regendo præcesse noverunt. » Rupertus Abbas Deum Abraham dicere notat : *Ponam te in gentes, hæresque egredientur ex te*; « Reges hic « recte accipiuntur, » inquit Auctor ille, « qui apud « ipsum pro fidei merito noti sunt, de quibus ipse « in Evangelio : *Dico enim vobis, quod multi*, etc. »

Audire quæ vos auditis, etc.

3. — S. Bonaventura, in *Luc.*, dicit : « Hoc enim « erat maximum beneficium, audire Deum loquen- « tem, non per creaturam, sed in propria persona, « quod commemoratione Apostolus ait : *Multifa- « riam, multisque modis olim Deus loquens in Pro- « phetis, novissime diebus istis locutus est nobis in « filio. Heb.*, I, 1. »

4. — Sciendum, nos non minori hodie privilegio

frui, quam ipsi olim discipuli, visibiliter divina Christi præsentia gaudentes, fruiti fuere; nobis namque ipsemet expresse dixit, *Matth.*, XXVIII, 20 : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus*; et nos corporalem ejus præsentiam in sanctissimo Altaris Sacramento veneramur; audierunt illi sensibilem loquentis vocem, nos eam in dies in Evangelio excipimus et per servos ejus, de quibus ipse attestatur, *Luc.*, X, 16 : *Qui vos audit, me audit.*

Additio.

a. — *Dico enim vobis quod multi Prophetæ et Reges*, etc. Magno desiderio antiqui Patres tenebantur videre Dominum, quod discipulis fuit concessum; sed tamen desiderium videndi multum fidem eorum erga futurum Messiam extulit. Ex quo desiderio et nos discamus, ut Christum in Sacramento Altaris, tanquam famelici suscipiamus, ut ejus sacramentali præsentia relevati, tanti epuli dulcedine recreemur, tantisque divitiis repleamur; nam hujus Sacramenti fructum præ reliquis participes fiunt famelici. Salvator noster inquit : *Si quis sitit, veniat ad me et bibat. Joan.*, VII, 37. Quanto autem ardentior sitis nostra fuerit, tanto copiosius ex his aquis Dominicis bibere poterimus. Unde Christus S. Catharinæ Senensi ait : « Tantum ergo percipitis « gratiæ ex ipso Sacramento, quantum vos dispo- « nitis cum sancto Sacramento ad recipiendum. » Sponsa cœlestis in sacris Canticis, II, 4, sancte gloriatur, dicens : *Introduxit me in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem*; adeoque nihil illi supererat, quod insuper desiderare posset. At vero per quid, se hanc tam excessiva divini amatoris sui gratia et benevolentia dignam effecit? Audite ipsammet ad hoc suis verbis respondentem : *Sub umbra illius quem desideraveram, sedi et fructus ejus dulcis gutturi meo.* Nimirum dilectum suum continuo suspirando et desiderando, adeo sibi illius sacratissimum corpus sapidum reddidit, ut dicat : *Fructus ejus dulcis gutturi meo.* Priusquam ad hunc fructum percipiendum accederet, jam ante, attentam passionis illius meditationem præmiserat, seque sub arbore crucis, cujus hoc Sacramentum fructus est, prius collocavit. Et ideo mirum non est, si fructus illius adeo illi sapidus fuit. Sancta Mater Ecclesia, ad hoc Sacramentum, omnes ut jejuni accedant statuit, non solum ex motivo reverentiæ, verum etiam, ut ego quidem existimo, ad insinuandum nobis famem spiritualem quacum ad illud accedendum est nobis, si ineffabiles ejus sapores et suavitates percipere, et fructum ex eo consequi velimus : *Esurientes enim replet bonis; animam esurientem satiavit bonis.* Petrus Cellensis, *de Panibus*, ad hoc Sacramentum affectus suos dirigens, ait : « Quid dabo, ut ad te veniam, ut me reficias? « *Argentum et aurum non est mihi; quod autem « habeo hoc tibi* est. Quid? Palatum apertum, fauces « esurientes, oculos præ inopia languentes. »

Versus 25.

Et ecce quidam Legisperitus surrexit, tentans illum, et dicens : Magister, quid faciendo, vitam æternam possidebo?

Et ecce quidam Legisperitus.

1. — S. Ambrosius hoc eum colore depingit : « Verba legis tenens, vim legis ignorans. » Glossa pariter malitiam hujus Legisperiti insinuans, dicit : « Legis dator, qui sine fide in lege jacebat. »

Surrexit.

2. — Albertus Magnus, verbum *surrexit*, potius litteraliter quam spiritualiter interpretans, ait : « Inter alios demonstrabilis videbatur, surrexit in « signum majoris elationis, in altum superbiæ cor « erexit; » reliquis arrogantior et petulantior Christum aggressus est.

3. — « Surgit ut stet, » inquit Glossa; « stat, « dum Magistrum vocat, sed et stando tentat Deum, « tacendo quod erat. »

Tentans illum.

4. — Citatus in *Catena* S. Cyrillus, multos tunc temporis fuisse docet, qui instigante contra Christum invidia et malitia, totam passim percurrerint Judæam, Christus accusantes, quod et legem Mosaicam inutilem esse prædicaret et nova dogmata disseminaret : « Volens ergo Legisperitus seducere « Christum, ut aliquid contra Moysen loqueretur, « adest tentans eum. » Lyranus auctoritatem Bedæ citans, existimat Legisperitum de vita æterna interrogasse, ad observandum, si quid forte Christus contra Moysen loqueretur : « Et ideo Christus, per « verba Moysi respondendo, confudit eum, per hoc « ostendens, quod derisores fidei Catholicæ sint « confutandi ab illis, qui sciunt et possunt, per « illud, quod tenent indiscusse. » Glossa tradit, quod Legisperitus ille « occasionem tentandi accipit ex « verbis Domini, ubi dicit : *Gaudete, quod nomina « vestra scripta sunt in cœlis.* »

5. — Lucas Brugensis sensui litterali adhærens ait : « Tentans, experiri volens, an esset aliquid « lege alienum responsurus, id enim ex Domini « responsione manifestum fit, ut quasi apostatam « et impiæ defectionis auctorem exagitaret. »

6. — Didacus Stella tum hujus, tum multorum aliorum impietatem Doctorum repræsentat verbis sequentibus : « Peritum se judicabat et non quere- « bat ut disceret, sed ut tentaret, sicut est mos lit- « teratorum superborum; adverte, quemadmodum « Legisperiti, Doctores et sapientiores sint capita- « les inimici Christi et qui prius eum et suam doc-

« trinam persequuntur; nulla est gens tam pesti-« fera et iniqua, quam litterati. » Modificat autem propositionem hanc subjunctis immediate verbis : « Ut litterati, qui depravatam habent conscien-« tiam; » adducitque exemplum in Luthero, quod extendere poteris ad plurimos alios hæresiarchas.

Magister.

7. — Albertus Magnus dicit : « Magistrum vocat, « ut dicit Chrysostomus, cujus non vult esse disci-« pulus. »

Quid faciendo.

8. — Solide hæc verba ponderat Dionysius Carthusianus : « *Quid faciendo*, id est, quibus operibus « promoveri potero et sortiri beatitudinem æter-« nam? Sciebat itaque, quod non loquendo dun-« taxat, sed etiam operibus virtuosis insistendo, « obtineatur felicitas. » Hugo Cardinalis ita discurrit : « Non dicit : qualiter disputando, aut qualiter « loquendo vel audiendo, cum tamen hæc bona « sint; sed bona operatio necessaria est ad salu-« tem, ubi eam necessitas non excludit; *non enim « auditores legis, sed factores justificabuntur. Rom.*, « II, 13. » Unde juxta doctrinam Toleti, legis ille peritus, verbis hisce, multorum confutavit, hodieque confutat hæresin, credentium et docentium, ad salutem sufficere solam sine bonis operibus fidem : « Hic non sola fide contentus interrogat : *quid « faciendo, vitam æternam possidebo?* » quare et Jacobus Apostolus, I, 25, postquam præmisisset : *Si quis perspexerit in lege*, mox prosequitur, dicens : *Factor operis, hic beatus in facto suo erit.* Eadem est Alberti Magni doctrina, inquientis : « Totum meri-« tum in faciendo consistit principaliter, et parum « in dicendo vel docendo, nisi conjungatur et opus. »

9. — Notissima est quoque illa apud S. Matthæum, VII, 21, Salvatoris nostri protestantis sententia : *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis est.* S. denique Jacobus Apostolus in Epistola sua canonica, ubi fuse hac de materia tractat, apertum hujusce veritatis testimonium perhibet, dicens : *Fides sine operibus mortua est. Jac.*, II, 26.

Vitam æternam.

10. — Existimat Toletus, populum hebraicum notitiam habuisse non solum remunerationis et bonorum temporalium, quæ Deus præceptorum suorum professoribus, et observatoribus promiserat, sed etiam æternorum, prout legitur in libro Tobiæ, II, 18, qui ad suarum solatium æruumnarum, dicebat : *Filii Sanctorum sumus, et vitam illam exspectamus, quam Deus daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab eo.* Similiter et in Ecclesiastico, XXIV, 31, legimus : *Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.* Et apud Danielem, XII, 2 : *Evigilabunt alii in vitam æternam.* Ad hæc erat nos inter et populum istum differentia, quod illi in Christum crederent venturum, nos in præsentem; quod illi post mortem in sinu Abrahæ exspectare debuerint reserationem regni cœlestis, usque ad Christi adventum; nobis autem, mox post nostrum ex hac vita transitum, patet ad Cœlum aditus.

Possidebo.

11. — Hugo Cardinalis hac super voce ita discurrit : « Per quod notat, vitam æternam esse « hæreditatem hominum, jure hæreditario possi-« dendam, non in præsenti, sed in futuro. » Didacus Stella docet, hoc verbo nobis significari, beatitudinis permanentiam et stabilitatem : « *Possidebo*, ait; « quia æternitas est interminabilis vitæ tota simul « et perfecta possessio. »

Additiones.

a. — *Et ecce quidam Legisperitus surrexit tentans eum.* Malitioso, ficto et doloso animo, hunc Legisperitum ad tentandum Christum accedisse, uniformiter docent sacri Interpretes. Nunc durioribus a Christo excipi et rejici promeritus quidem fuisset, sed a quibus magis impetebatur, in eos magis beneficus exstitit, bonum pro malo reddens, sicut in hoc patet Pharisæo, cujus dolum salutari doctrina recompensat. Sic cum Dei et Christi Domini proprium sit bonum pro malo reddere, amando et benefaciendo iis qui oderunt nos, similes nos ei efficimus. Postquam incarnata Sapientia, in S. Luca, VI, 35, dilectionem præscripsisset inimicorum, dicendo : *Verumtamen diligite inimicos vestros;* mox nos æterno Patri per misericordiæ actus similes effici subnectit, inquiens : *Estote ergo misericordes, sicut et Pater vester misericors est.* In quo vero divina maxime relucet pietas? Certe in eo, dum quotidie innumerabiles, easque gravissimas nobis ignoscit injurias, atque offensas; atque hæc indivisibilis est Dei proprietas, quam præ reliquis omnibus in nostrum exercet utilitatem, dicente Ecclesia sancta : « Deus cui proprium est misereri semper « et parcere. » Non enim in immensitate, infinitate, omnipotentia, sapientia, aliisque similibus attributis divinis, eum imitari possumus, similesque effici, bene tamen si ad ejus imitationem injurias nobis factas condonemus. Unde et ipse Dei Filius inter omnes virtutes, quæ in ipso resplenduerint, maxime sibi cordi habuit benignitatem, et mansuetudinem, et ad hujus virtutis exercitium singulariter nos invitans, dicebat : *Discite a me, quia mitis sum.* Ne qualiter æterno Patri similes efficiamur, quisquam ignorare queat, aut dubitare, cœlestis noster Magister nos clarissime docet et alia vice; nam postquam nobis præcepisset dicens, *Mat.*, V, 43 : *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, orate pro persequentibus et calumniantibus vos;* immediate subjungit : *Ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos.* Postquam vero, non modo amicorum, sed et inimicorum, quod longe difficilius est, nobis suasisset amorem, subdit quod per hoc exercitium perfectionem acquisituri simus Patris æterni perfectioni similem : *Estote ergo et vos perfecti, sicut et Pater vester cælestis perfectus est.* Circa quæ verba S. Basilius ita discurrit : « Quem-« admodum Deus promiscue omnibus lucem imper-« titur, sic imitatores Dei, charitatis ipsorum radium « æqualiter communicare omnibus debent. Quan-« doquidem ubi deliquium patitur charitas, ejus « loco succedit odium. »

b. — Quanquam hic D. Augustinus, *lib.* II *de consensu Evang.*, LXXIII, existimet fieri potuisse quod bono animo accesserit ille Legisperitus, tenendum tamen est cum S. Basilio, *Hom. in divites avaros*, et aliis, quod ficto et doloso animo accesserit, non ut disceret, sed ut tentaret; in quo dæmonis vices subiit, qui per insidias nos aggreditur, cuique proprium est tentare. Cum vita nostra bellum quoddam sit continuum : *Militia est vita hominis super terram*, hinc est quod non solum manifesti inimici insultus, verum etiam, et multo magis insidiæ et stratagemata nobis timenda sint occulta, et ideo sicut in libro I Machabæorum, VI, 40 : *Distincta erat pars exercitus regis per montes excelsos, et alia per loca humilia, et ibant cute, et ordinate;* ita et nos ad pugnos manifestos et technas militares semper parati esse debemus, cum certum sit dæmonem, ut Richardus de S. Victore monet, « contra « militem Christi, nunc pugnare ex pharetra, per « insidias, nunc ante faciem ejus arma vibrare, « quia alia vitia sub specie virtutum contegit, et « alia, ut sunt, aperta oculis objicit. » Non immerito igitur dæmon Evam decepturus serpentis figuram indui, quod animal astutissimum est, quod unquam super terram creatum fuit; imo « hoc « ingenio est, » ut Nazianzenus inquit, « ut nec « unquam versutiæ suæ finem statuat, quamdiu nos « ad cœlum properantes viderit, unde ipse dejectus « est. » Cui accedit quod, ut S. Cyprianus ait : « Adversarius vetus est, et hostis antiquus, cum quo « prælium gerimus. Sex millia annorum jam plene « complentur, » loquitur autem Sanctus de suo sæculo, quo vixit, quod fuit tertium post Christum natum, « ex quo hominem diabolus impugnat, omni-« nia genera tentandi et artes atque insidias deji-« ciendi usu ipso vetustatis addidicit. » Venator practicus et miles exercitatus et veteranus, inquit S. Bernardus : « Habet nequissimus ille laqueos, « habet et jacula, utpote calidissimus venator homi-« num, solum sitiens sanguinem animarum. » Per insidias nos aggreditur, nobisque passim et ubique et in omnibus rebus, innumeros tendit laqueos; nostrum quoque explorat genium, inclinationes et affectus disquirit, et secundum hos nos tentat, et in lapsum propellit.

c. — *Magister, quid faciendo, vitam æternam possidebo?* Pulchra quæstio nisi per malam quærentis intentionem vitiata esset; illa enim deberet esse prima nostra sollicitudo, quomodo vitam æternam possidere possimus, ut ex hoc facilius vitam hanc miseram consolationesque terrenas contemnere disceremus. Consideratio enim et spes bonorum cælestium vanitatem nobis indicat terrenorum. Quod si enim bravium currentibus equis propositum, animalibus illis, omni rationis et discursus expertibus, acutissima addit calcaria, quibus excitata non currunt, sed volare videntur, ut præ cunctis aliis perveniant ad metam, et bravium illis propositum assequi et lucrari possint; quomodo anima aliqua ad gloriam adipiscendam creata et tot stimulis ad Cœlum invitata, a sua non evigilabit pigritia, aut per æternæ retributionis aspectum a terra se non expediet et volabit ad cœlum? Undenam, obsecro, procedebat quod primi fideles adeo a terrenis alieni et expediti fuerint, ut certatim divitias et patrimonia ad pedes detulerint Apostolorum? Num forte non ex eadem nobiscum progenie descenderant et geniti fuerant, de quibus David dicit : *Conglutinatus est in terra venter eorum.* Imo vero multi ex ipsis, de numero illorum forsitan erant, qui ex motivo avaritiæ Filio Dei mortem machinati fuerant, ne aliquod lucris ipsorum obstaculum ponere amplius posset; et tamen, ut D. Chrysostomus ait : « Gaudebant et exultabant, cum opes offerrent, « maxima lucrari se putantes, maximæque charita-« tis esse arbitrabantur, si eas ab ipsis recipere « dignarentur Apostoli, et quasi hi qui ad magnos « quosdam magistratus accersiti, regias semper « inhabitaturi civitates, omnem substantiam suam « in pecuniam commutant et sic illo migrant, ita « plane et tunc faciebant homines illi. » Sed quodnam ad id motivum illorum erat? « Ad cœlum « vocati, » inquit D. Chrysostomus, « et ad super-« nam metropolim et regnum, quod illic est; nam « persuasum habentes illic esse patriam, omni « substantia sua in pecuniam commutata, ipsam « per Apostolorum manus, illo præmiserunt. » Quamnam putatis fuisse causam, quod S. Petrus a S. Luca arguatur ignorantiæ : *Nesciens quid diceret*, quando dixit : *Si vis faciamus hic tria tabernacula?* S. Hemigius ait : « Erravit Petrus qui regnum cœ-« lorum volunt ut constitueretur in terra, quod « Dominus promiserat dare in cœlo. » Etenim bona vera, stabilia et immortalia, in cœlis, non vero in terra quærenda sunt, hic enim nec sunt, nec esse possunt.

d. — Illa deberet esse prima nostra sollicitudo, quomodo vitam æternam possidere possimus, ut ex hoc facilius vitam hanc miseram et quidquid in ea peccaminosum est contemnere et vitam immacula-

tam ducere possemus. Ad hoc autem multum juvat judicii finalis consideratio. S. Propheta Job quærit, XXX, 24 : *Quid enim faciam, cum surrexerit ad judicandum Deus? Et cum quæsierit, quid respondebo illi?* Super quæ verba S. Gregorius ita scribit : « Qui « venturum Judicem cogitat indesinenter, quotidie « rationum suarum in melius causas parat. » E contra vero, qui male vivit, eo ipso indicat, quod diem hunc tremendum venturum, sequo coram supremi Judicis tribunali præsentatum esse minime credat. Unde idem S. Gregorius, super illa Jobi verba, XIX, 29 : *Scitote esse judicium*, ita scribit : « Omnis qui perverse agit, eo ipso, in hoc ipso quo « hoc despicit, esse Dei judicium nescit; si enim hoc « timendum sciret, quæ in eo sunt punienda non « ageret. Nam sunt plerique, qui extremum esse « judicium verbo tenus sciunt, sed perverse agendo « testantur quia nesciunt. »

e. — Merito hic Legisperitus, pro adipiscenda vita æterna utitur hoc verbo, *possidebo*; quæ enim æternum manent, ea sola sunt, ac possideri possunt; quæ vero temporalia sunt, non manent, et quia sunt quasi non sint, idcirco non vere possideri possunt et pro talibus non debent reputari. De Absalone locutus textus II *Reg.*, XVIII, 18, ait : *Porro Absalom erexerat sibi, cum adhuc viveret, titulum in Valle Regis; dixerat enim : Non habeo filium et hoc erit monumentum nominis mei.* Tres filios habebat et unam filiam Absalom. Quomodo ergo habens tres filios, erecturus monumentum nominis sui dixerat : *Non habeo filium?* Pulchre Theodoretus citatus a Glossa, rationem reddit ex Josepho desumptam, nimirum « quod filii non possint diu durare. » Merito despicit filios tanquam non essent, qui sciebat eos mortales et morituros aliquando. Quæ enim in æternum non possunt durare, nec debent inter bona existentia numerari.

Versus 26.

At ille dixit ad eum : In lege quid scriptum est? quomodo legis?

In lege quid scriptum est?

1. — Si Scripturam sacram non sola manu, sed et attento corde pervolverimus, viam salutis æternæ in ea reperiemus, *Joan.*, V, 39 : *Scrutamini Scripturas, in quibus vos putatis vitam habere*; id quod diu ante præmiserat Sapiens, *Prov.*, VI, 23 : *Mandatum lucerna est, et lex lux.* Didacus Stella sentit, incarnatam Sapientiam hoc responso voluisse docere nos, in Scripturis sacris inveneri omne id, quod nos credere et operari necessum est, pro possessione vitæ æternæ consequenda : « Ex Scriptura « discere nos oportet, quid sperandum, quid me- « tuendum, fugiendum, acceptandumque sit; *om-* « *nis enim Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad* « *docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad* « *erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei,* « *ad omne opus bonum instructus.* II *Tim.*, III, 16. » In sacræ et spiritualis lectionis encomium, Chrysostomus ita discurrit : « Perspicuum est, spirituali « lectione animam sanctificari, et gratia Spiritus « Sancti affatim infundi. » Verumtamen opportunius ad rem nostram, alio quodam in loco docet, quod « Scripturarum lectio, cœlorum est reseratio. »

2. — Hæc interrogatio Christi convenientissime nobis deservire debet, in materia quacumque dubia; ut igitur omnem in operando, vel omittendo præcaveamus errorem, ita nos ipsos alloquamur : *In lege quid scriptum est?* Estne hæc actio mea conformis legi divinæ et charitati proximi? redundatne in aliorum perniciem? estne ad majorem Dei gloriam ordinata? etc.

Quomodo legis?

3. — Merito, inquit Hugo Cardinalis, « modum « legendi quærit Dominus a magistro legis, in- « nuens, non eumdem modum legendi inesse omni- « bus magistris; quidam enim legunt legem, sed « docent ore tantum; » citatque textum illum, quo Salvator noster sedentes in cathedra Moysis, Pharisæos redarguit, *Matth.*, XXIII, 3 : *Dicunt et non faciunt.* « Alii legunt, sed docent manu tantum, ut « simplices, justi et bonæ mulieres, quorum vita « magistra est multis, et efficacius docent quam « magistri. » Cujus rei veritatem confirmat illo S. Bernardi testimonio, dicentis : « Efficacior est « prædicatio exempli quam verbi; alii legunt, seu « docent ore et manu, ut magistri, qui faciunt « quod docent : hoc tertio modo non legebat iste « magister legis; ideo quærit Dominus : *Quomodo* « *legis?* id est, quomodo doces discipulos tuos, qui « adhuc nescis, per quid venitur ad vitam? »

4. — Interrogationem hanc : *Quomodo legis?* ad multos alios Doctores dirigi posse, inquit Didacus Stella, qui in scholis cum ingenti discipulorum concursu præsident : « Legisne, ut discipulis pro- « ficias, an solum, ut sapientem te jactes et osten- « tes? quia inter Doctores Israel, qui publice « legebant, nullus erat, qui hoc adimpleret. Dixit « Isaias : Ubi est litteratus? ubi est legis verba « ponderans. »

5. — Albertus Magnus aliter commentatur, dicens : « Hoc est, ad quem intellectum legis? quasi « dicat : Multi errando legunt Scripturas. »

6. — At juxta S. Gregorii mentem, per verba illa ingens reprehenditur legentium error : « Qui- « dam non quærunt in lectione ea, unde ad virtu- « tem erudiantur, sed ea, unde singulariter eruditi « appareant. » Quapropter fructuosum nos docet libros sacros legendi medium S. Augustinus, *Ep.* CXLIX, dum ait : « Optime uteris lectione divina, si « eam tibi adhibeas speculi vice, ut ibi velut ad « imaginem suam anima respiciat, ut vel fæda « quæque corrigat, vel pulchra plus ornet. »

Additio.

a. — *At ille dixit ad eum : In lege quid scriptum est?* Scripturarum lectio, cœlorum est reseratio. Quando Salvator noster Ecclesiam suam similem esse dicit thesauro in agro abscondito, de sacris Scripturis, me judice, locutus est, quarum mysteria ut plurimum sunt recondita et occulta. In eaque opinione confirmor per D. Chrysostomum dicentem : « Merito thesauro confertur divinarum Scrip- « turarum lectio; nam sicut ex illo, quisque vel « parvum fructum capere vellet, multas sibi parat « divitias; ita et in Sacra Scriptura, etiamsi in brevi « dictione variam sententiarum vim et immensas « divitias invenire licet. » Porro hic librorum sacrorum et spiritualium thessaurus quotidie in Ecclesia augetur, dum laboribus locupletatur tot Doctorum, Theologorum, tam scholasticorum quam moralium; tot Canonistarum, Prædicatorum, Scripturæ Interpretum, Historicorum, totque aliorum librorum mysticorum et spiritualium, quemadmodum quotidie cum notabili fidelium profectu experimur.

Magna est utilitas quam Ecclesia, pro augmento et conservatione fidei et bonorum morum recepit ex libris sacris.

Libros spirituales lumen et notitiam Dei veritatisque nobis communicare innumeris potest confirmari exemplis.

Ex libris spiritualibus lectis hauritur spiritus, devotio et fervor in via Dei, et quæris alia virtus.

Lectio sacra est veluti speculum quoddam quod per reflexum divina nobis attributa ostendit, animam virtutibus venustat, atque a culparum maculis emundat.

Libri sacri in tribulationibus consolationem afferunt. Auctor illorum Deus est; et præterquam quod veritatem nos doceant, nostram quoque negligentiam excitantes, nos corrigunt.

Lectura librorum spiritualium ad perfectionem acquirendam plurimum confert, estque calcar ad virtutes et spiritualem vitam.

Scripturæ Sacræ aliique libri spirituales, a nobis lecti, instrumenta sunt æternæ nostræ salutis, et ad acquirendum cœlum.

Lectio sacra cibus est et nutrimentum animæ.

Oratio connexionem habet cum lectione sacra, ab eaque promovetur; imo in aliquibus oratione superior est; in hac enim nos loquimur cum Deo, in lectione autem Deus nobiscum sermocinatur.

Lectio librorum spiritualium perniciosa potius quam utilis nobis erit, nisi illam ad nostrum profectum ordinemus, idipsum exequendo quod docent.

Versus 27.

Ille respondens, dixit : Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex omnibus viribus tuis, et ex omni mente tua; et proximum tuum sicut te ipsum.

Ille respondens, dixit.

1. — « Dixit quod legerat, » ait glossa, « sed « non implevit, quod scriptum erat; quia in præ- « sentia habebat Deum, quem diligere debebat; « sed hunc, magistrum, non Deum vocat. »

Diliges.

2. — Convenientissime inquit D. Thomas, II, II, *qu.* XLIV, *art.* 1, constitutum fuisse homini præceptum, de amando Deum : « Cum per charitatem « dirigatur homo in ultimum finem, ac ad ea dis- « ponatur, quibus ipsum assequitur, conveniens « fuit, de divina dilectione aliqua dari præcepta. » Et ideo S. Apostolus nos docet, quod *finis præcepti est charitas, de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta.* I *Tim.*, I, 5. Imo omnia Decalogi præcepta ad Dei aut proximi amorem ordinantur.

Dominum Deum tuum.

3. — Didacus Stella diversas conglomerat rationes, ob quas Deus a nobis amari debet : « Diliges, « quia est Deus; diliges, quia Dominus; diliges, « quia tuus; diliges illum propter se; diliges « propter sua, et diliges propter te; ex omni parte « diligendum se exhibet Deus, quia *bonus*, quia « delectabilis, quia utilis. »

4. — Vocem *tuum* accurate ponderat Albertus Magnus, dicitque esse *tuum* : « Qui te jure crea- « tionis et redemptionis possedit. *Deut.*, XXXII, 6 : « *Dominus Deus tuus, qui possedit, fecit et creavit te;* « vel tuus, qui se tibi dedit ad votum et usum. »

Ex toto.

5. — S. Bonaventura docet : « Ad perfectum « modum diligendi Deum requiritur, quod refera- « mus in ipsum omnes cogitationes, omnes affec- « tiones et omnes operationes. »

6. — Tribus terminis scholasticis, comparative, finaliter et appretiative, hanc nostram Deum ex toto corde diligendi obligationem elucidare placet. Primo igitur Deus toto corde *comparative* amandus est a nobis, id est, tanto Deum amore prosequi oportet, ut nullam, ne minimam quidem cordis nostri partem possideat inimicus, diabolus scilicet, mundus, vel peccatum. Proinde S. Basilius ait : « Hoc quod *ex toto* dixit, divisionem in alia nul- « lam admittit, qui autem amicus est Dei perfec- « tus, ei totam animam tribuit. » Id quod etiam hisce verbis S. Chrysologus, *Serm.* CXLVII, docet : « Quidquid est cordis, quidquid mentis, quidquid

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEÓN

« virtutis humanæ, ita Dei amore vult possideri, ut « homo mundanus non haberet, quod violaret « affectus. » Secundo *finaliter* : quia Deus, tanquam objectum, scopus et terminus omnium cogitationum et operationum nostrarum, affectu et voluntate nostra perfecta diligi debet; ipse sit centrum oportet, ad quod tanquam ad finem ultimum, omnes dirigantur et actionum et intentionum nostrarum lineæ, præponendo ipsum omnibus rebus aliis tam integre et perfecte, ut potius omnium aliorum, quam unius Dei gratiæ et amicitiæ jacturam facere statuamus. Tertio tandem *appretiative*, id est, tantus debet nostri esse in Deum amor ut omnia alia nihil æstimemus in comparatione Dei, ut totum cor et voluntatem nostram nulli rei alteri, quam divinæ obedientiæ adimplendæ implicemus; ut diligamus eum amore non solo concupiscentiæ, sed et amicitiæ, id est, non propter interesse aut commodum quodcumque, nobis inde resultans, sed quia ipse in se et secundum se, omni amore dignus est. Nostrum hoc divini amoris debitum paucis expressit Victor Antiochenus, inquiens : « Homo « tanto Dei amore flagrare debet, ut nihil prorsus « in ullam animæ facultatem irrepere sinat, quod « suam erga Deum dilectionem excludat, aut diminuat, aut alio transferat; se in omnibus illi soli, « magis magisque assidue placere satagat, nec « alteri personæ aut rei creatæ, nisi per Deum. »

7. — Albertus Magnus bene advertit in præsenti, nihil nobis impossibile præcipi, non enim hac lege Deus ad majorem sui amorem nos astringere quærit, quam nos ipsi impertiri possimus pro viribus nostris : « Tangit dilectionis quantitatem, juxta « possibilitatem diligentis, et non secundum valo« rem rei dilectæ, quia secundum hanc non est « creatura, quæ possit diligere; sed sic se diligunt « ad invicem Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus. »

8. — Docet Toletus hanc amoris totalitatem tunc possideri : « Quando sic diligimus Deum, quod « omnes partes nostras ejus obsequio accommoda« mus. » Harum autem partium distinguit et assignat quatuor : « Mens seu intellectus; voluntas seu « affectus, quæ dicitur cor; sensus seu pars sensi« tiva, in qua appetitus sensitivi sunt, et sensus, « quæ appellatur anima; corpus, diversa et multa « membra habens, quod significatur per vires seu « virtutem; qui ergo ex Dei amore omnes has « accommodat Dei servitio, et implendæ ejus legi, « is diligit mente, corde, anima et viribus. »

Corde tuo.

9. — Dubitaverit forte quispiam, an et qualiter Deum corde diligere possimus; quia *diligere non est actus corporis*; cor autem membrum est corporis, non potentia animæ. Huic difficultati respondet S. Thomas, *qu.* XLIV, *art.* 5 : « Convenienter nobis « præcipitur, ut Deum diligamus ex toto corde, id « est, ut tota nostra in Deum referatur voluntas; « dilectio est actus voluntatis, quæ hic significatur « per cor; nam sicut cor corporale est principium « omnium corporalium motuum, ita etiam volun« tas, et maxime quantum ad intentionem finis « ultimi, qui est objectum charitatis, est princi« pium omnium spiritualium motuum. » Progredi« tur Angelicus Doctor ostendere, quo sensu verba illa sequentia, *ex tota anima, ex totis viribus*, etc., intelligenda sint : « Tria sunt principia actuum, « quæ moventur a voluntate : intellectus, qui signi« ficatur per mentem; vis appetitiva inferior, quæ « significatur per animam; et vis executiva exte« rior, quæ significatur per fortitudinem, seu vir« tutem, sive vires; præcipitur ergo nobis, ut tota « nostra intentio feratur in Deum, quod est *ex toto « corde*, et quod intellectus noster subdatur Deo, « quod est *ex tota mente*; et quod appetitus noster « reguletur secundum Deum, quod est, *ex tota « anima*; et quod exterior actus noster obediat Deo, « quod est *ex tota fortitudine*, vel *virtute* seu *viribus* « Deum diligere. » S. Augustinus, *lib.* I *de doct. in Chr.*, *cap.* XXII, cordis nomine cogitationes intelligi judicat : « *Ex toto corde*, ut omnes cogitationes « tuas; *ex tota anima*, ut omnem vitam tuam; *ex « tota mente*, ut omnem intellectum tuum in illum « conferas a quo habes ea, quæ confers. » S. Gregorius Nyssenus, citatus a S. Thoma, dicit in *corde* animam vegetativam, in *anima* partem sensitivam, et in *mente* signari intellectivam : « Quia hoc, per « quod nutrimur, sentimus et intelligimus, debe« mus ad Deum referre. »

10. — In prima fronte nihilominus, præceptum hoc diligendi Deum ex toto corde, impossibile adimpletu videri posset, quantumcumque enim Deum in hac vita amemus, attamen cor nostrum naturaliter aliis insuper occupatur affectibus; pro hujus difficultatis enodatione, Doctor Angelicus duos distinguit modos, secundum quos intelligi potest, quod Deum ex toto corde nostro diligamus : « Uno modo, id est, ut totum cor hominis semper « actualiter in Deum feratur, et ista est perfectio « patriæ; alio modo, ut habitualiter, ita scilicet, « quod nihil contra Dei dilectionem cor hominis « recipiat, et hæc est perfectio vitæ. »

11. — Dionysius Carthusianus ita verba illa, *ex toto corde*, interpretatur : « Id est, ex tota voluntate, « seu toto voluntatis desiderio et affectu. Per cor « designatur voluntas, quoniam sicut cor est pri« mum movens, et cætera membra movens, sic « voluntas per charitatem primo vivificatur, et « cæteras animæ movet vires. »

12. — Hugo Cardinalis autem cordis nomen intellectui cujusque nostrum attribuit, qui tantus, quantus est, Deo subjectus esse debet : « Id est, ex « toto intellectu; ut omnis intellectus tuus subdi« tus sit intellectui Deo; » citatque pro se illam S.

Bernardi glossam : « *Ex toto corde*, id est, sapien« ter. »

Ex tota anima sua.

13. — « Videlicet, » scribit S. Thomas, « ut om« nis noster appetitus reguletur secundum Deum. » Eadem plane est interpretatio Dionysii Carthusiani, dum inquit : « Id est, secundum potentias animales « et sensitivas, ut sensus interiores et exteriores, « appetitusque sensitivus, tam concupiscibilis quam « irascibilis, rationi ac legi divinæ subdatur; atque « secundum Deum, et, ut exigit ejus dilectio, ad « charitatisque effectum expedit, refrenentur ac « dirigantur. »

14. — Hugo Cardinalis diversa interpretatione usus per amorem totalem animæ, perfectam intelligit voluntatis nostræ subjectionem ad Deum : « *Ex « tota anima*, id est, tota voluntate, ut omnis volun« tas tua subdita sit voluntati divinæ; » utitur autem illa S. Augustini sententia : « *Ex tota anima*, « id est, tota voluntate sine contrarietate; ibi « voluntas se totam colligit, ubi ei nihil est contra« rium : » citat pariter S. Bernardum, dicentem : « *Ex tota anima*, id est, dulciter. »

Et ex omnibus viribus tuis.

15. — Objectionem facit in præsenti Dionysius Carthusianus, inquiens : « Jam de viribus, per cor « et animam designatis, mentio facta est; cur ergo « nunc addit, *ex omnibus viribus tuis?* » Respondetque ipsemet objectioni dicens : « Ut intelligatur « quantum ad executionem et usum virium in « exterioribus operibus, quatenus etiam illa virili« ter, ad Dei honorem, cum discretione agantur, « ut ait Apostolus : *Rationabile obsequium vestrum*. »

16. — Hugo Cardinalis cunctas hasce vires in unaquaque dicit exigi potentia : « Ex totis viribus « totius cordis, ex totis viribus totius animæ, ex « totis viribus totius mentis; *ex toto corde*, quia « Dominus; *ex tota anima*, quia Deus; *ex tota mente*, « quia tuus. »

17. — « Id est, » dicit S. Thomas, *art.* 5, « ut « omnis Deo noster subdatur exterior actus. »

Ex omni mente tua.

18. — Hugo Cardinalis dicit, diligere Deum ex omni mente, idem esse ac si jubereris : « Ut omnes « operationes propter Deum facias. » At Dionysius Carthusianus glossam instituit sequentem : « Id est, « toto intellectu et intentione, ne in intellectu sit « error, aut intentio charitati Dei repugnans. »

19. — S. Augustinus, a Cardinali Hugone citatus, dicit : *Ex tota mente*, id est, memoria sine difficultate vel sine oblivione; *tota mente*, ut omnes sensus tui Deo vacent, intellectus, cogitatio, sapientia, memoria. S. Bernardus, ab eodem Hugone allatus, inquit : « *Tota mente*, id est, fortiter. »

20. — Juxta D. Thomæ, *art.* 5, interpretationem : « *Ex tota mente*, id est, ut noster intellectus « Deo subdatur. »

21. — In libro quarto Regum, x, 30, laudat Dominus Jehu, Regem Israel : *Egisti, quod rectum erat, et placebat in oculis meis, et omnia quæ erant in corde meo fecisti*. Nihilominus paulo post dicitur de eodem : *Jehu non custodivit, ut ambularet in lege Domini Dei, in toto corde suo, non enim recessit a peccatis Jeroboam*. Considerans sollicite Jansenius hunc Sacræ Scripturæ locum, sequentem elicit doctrinam : « Ille non diligit Deum *ex toto corde*, « qui non studet omnia ejus præcepta adimplere. » Tandem vero immediate præmissa sacri Evangelii verba, hoc præclaro illustrat discursu : « Itaque « præceptum hoc sic explicari poterit : *Diliges*, etc. « Hoc est, non tantum timeas Dominum Deum « tuum, sed etiam diligas, idque non tantum « lingua et verbo, quemadmodum de quibusdam « dicitur : *Dilexerunt eum in ore suo, cor autem « eorum non erat rectum cum eo*, sed etiam ex corde, « neque corde diviso aut remisso, sed corde toto, « integro et perfecto; quod ut vere præstes, ante « omnia requiritur, perpensa Dei erga homines « bonitate, summaque ejus æquitate et perfectione « animadversa, sic toto affectu in illum, tanquam « in summum bonum feraris, ut nihil illi in amore « præponas, aut in amoris societatem aut qualita« tem admittas, sed illum præ omnibus ames, « reliqua vero propter illum, aut saltem non contra « ejus voluntatem aut præceptum. »

Et proximum tuum, sicut teipsum.

22. — S. Thomas, *ibid.*, *art.* 7, convenienter admodum præcepto amoris divini, aliud de dilectione proximi mandatum in lege subjunctum esse docet, conclusione sequenti : « Propter Dei dilectio« nem convenienter homini mandatum fuit, ut « proximum suum sicut seipsum diligeret, id est, « *sancte, juste et veraciter*. » Duo porro, ut idem Angelicus Doctor advertit, hoc in præcepto nobis exhibentur : « Diligendi ratio et dilectionis modus; « ratio diligendi ex eo, quod proximus nominatur, « propter hoc enim ex charitate diligere debemus « alios, qua sunt nobis proximi, et secundum natu« ralem Dei imaginem, et secundum capacitatem « gloriæ. Modus dilectionis, cum dicitur : *Sicut « teipsum*, non ut sibi æqualiter diligat, sed simi« liter sibi; et hoc tripliciter : primo, ex parte finis, « ut diligat propter Deum, sicut seipsum propter « Deum debet diligere, ut sic sit dilectio proximi « sancta; secundo, ex parte regulæ dilectionis, ut « non condescendant proximo in aliquo malo, sed « solum in bonis, sicut suæ voluntati satisfacere « debet homo, solum in bonis, ut sic sit dilectio « proximi justa. Tertio, ex parte rationis dilectionis, « ut scilicet non diligat aliquis proximum, propter

« propriam utilitatem vel delectationem, sed ea « ratione, qua velit proximo bonum, sicut vult sibi « ipsi, ut sic dilectio proximi sit vera; nam cum « quis diligit proximum, propter suam utilitatem, « vel delectationem, non vere diligit proximum sed « seipsum. »

23. — Didacus Stella nimiam et excessivam quasi docet esse Dei sollicitudinem, qua proximi nobis dilectionem inculcare conatur, hanc enim associat, et æqualem quodammodo cum amore sui præcepit : « Ab eodem fonte et radice uterque « provenit. » Imo charitatem proximi tenacius quasi cordibus nostris imprimere voluisse videtur, quia, ut idem Auctor bene advertit, Deus tractans de amore sui, in prima tabula, duobus rem totam absolvit præceptis; at in secunda, ubi agit de amore nostri in proximum, ad duplo plura, sena scilicet sese extendit mandata.

24. — « Ad commendandum hanc dilectio- « nem, » inquit Seraphicus Doctor, « voluit Deus, « quod nasceremur ex uno patre Adam, quod redi- « meremur eodem sanguine, scilicet Jesu, quod « remuneraremur eadem mercede. »

25. — Tres principaliter proximum amandi modos nobis exhibet Dionysius Carthusianus verbis sequentibus : « Vere, ordinate et spiritualiter, « optando ei bona gratiæ in præsenti et bona « gloriæ in futuro. »

26. — Prosequitur exinde idem Auctor, explanando voces *sicut teipsum*, dicitque : « Id est, prop- « ter Deum et ob æternam felicitatem; videlicet « quia Deus præcepit, et quia ad ejus imaginem « factus est proximus tuus, et quoniam Deus est « prima causa et ratio totius amabilitatis. »

27. — Ingeniose insuper Jansenius advertit, nobis non præcipi a Deo : « *Diliges proximum tuum*, « quantum *teipsum;* quia ordo naturæ charitatis, « de qua scriptum est : *Ordinavit in me charitatem*, « habet, ut plus me quam proximum diligam; sed « dicitur : *sicut teipsum*, hoc est, eo modo, quo « teipsum diligis. » Adhibetque Auctor tres præmissos in *paragr.* 22, proximum diligendi modos, a S. Thoma traditos.

28. — Differentiam propemodum exiguam, in duobus hisce Deum et proximum diligendi præceptis agnoscere videtur Chrysostomus, dum ait : « Attende, qualiter fere cum eodem excessu postu- « lat utrumque præceptum; de Deo enim ait : *toto* « *corde tuo;* de proximo, *sicut teipsum*, quod si « diligenter conservaretur, nec servus esset, nec « liber, nec victor, nec victus, nec dives, nec « pauper. »

29. — Utilissimam denique prædictus textus suggerit, omnibus nobis doctrinam, non magis speculatione, quam praxi indignam. Præcipit igitur Salvator noster, ut amemus proximos, sicut nosmetipsos, sed experientia teste, omnes et singuli seipsos amant, nullo etiam obstante personæ propriæ defectu, nec iracundia, nec paupertate, nec ignorantia aut opprobrio; nullum nos propriæ naturæ aut moris vitium ab hac nostri ipsius dilectione avellere potest; ergo pariter obligati sumus amare proximos nostros, licet diversos habeant defectus, nullamque a nobis benevolentiam promereantur; amandi sunt ex obedientia proximi quicumque, quia præcipit Dominus, quia ita beneplacitum est in conspectu Dei; diligendi sunt proximi, quia omnes consanguinei nostri, qui naturam habent nobiscum communem, etiamsi moribus forte, gratia aut fortuna discrepent.

30. — Eam porro, quæ inter utriusque hujus præcepti adimplationem differentia intercedit, assignat Toletus, dum ait : « Præceptum diligendi « Deum non impletur sine gratia et charitate; cum « enim Deus diligendus sit super omnia, qui sic « Deum diligit, a Deo diligitur et charitas Dei « manet in eo; at proximi dilectio etiam impleri « potest ab existente in peccato, quia non diligitur « super omnia, et ad diligendum eum, etiamsi « diligatur propter Deum, satis est diligere Deum « modo aliquo. »

Additiones.

a. — *Diliges Dominum Deum tuum*, etc. Ecce quam brevis lectio, quam breve compendium totius legis, scilicet amare Deum super omnia et sine modo, et proximum sicut teipsum, hoc est, cum modo. In hoc enim tota lex est, et Prophetæ; unde præceptum charitatis primum et maximum nominatur, quia omnes leges et præcepta ad charitatem diriguntur. S. Thomas de Villanova hunc amorem totius Evangelii compendium quoddam esse scribit : « In toto sacro Evangelio non invenio quid « nobis Christus Dominus noster amplius com- « mendaverit quam charitatem. » Notat insuper quod divinus Magister noster Christus discipulis suis aperte dixerit quod character iis ad hoc imprimendus ut ab omnibus ejus agnoscerentur esse sequaces et discipuli, non consistat in operatione miraculorum, neque in dono linguarum, prophetiæ, sapientiæ, aliisque similibus, sed in sola dilectionis et amoris sui virtute. De mandato charitatis dici potest, quod sit *mandatum magnum in lege*, quia omnes indifferenter, semper, in omni loco et tempore astringit : *Non est qui se abscondat a calore ejus.* Ab aliis quidem legibus aliorumque præceptorum adimplatione, eximere se nonnemo poterit, ab hoc autem præcepto nemo se subducere valebit. Unde Hugo Cardinalis ait : « Nec est qui se « possit excusare quin eum diligere non possit. » *Latum mandatum nimis*, inquit Psalmista, *Ps.* CXVIII, 96, id est, præcepti hujus exercitium et adimpletio facillima existit. S. Thomas primatum et excellentiam charitatis pluribus modis considerat, *opusc.*

LXI, dum ait : « Primum est tripliciter. Primum « est intentione jubentis : finis præcepti est chari- « tas, finis non terminans, sed consummans, ad « quem omne præceptum ordinatur; *Rom.*, XIII, « 10 : *Plenitudo legis est dilectio.* Primum in neces- « sitate observationis. Primum in ordine dignita- « tis; hic enim actus dignissimus est cujus dignitas « cognoscitur ex tribus : ex potentia a qua egredi- « tur actus; hæc est voluntas summa et dignissima « potentia animæ. Ex habitu vel dono potentiam « informante et super se elevante; hoc est charitas « quæ est summum donum, quod patet, quia ab « ipsa summus ordo denominatur, scilicet Sera- « phim, id est, ardens. Item ex objecto, quia in « summum bonum dirigitur, scilicet Deus. »

b. — *Diliges Dominum Deum tuum ex toto mente tua*, id est, ex tota memoria tua, ut memor sis divinorum beneficiorum et illorum non obliviscaris. Illorum enim recognitio, observantiæ legis divinæ, cujus observantia certissimum amoris indicium est et charitati cooperatur.

Versus 28.

Dixitque illi : Recte respondisti; hoc fac, et vives.

Dixit illi : Recte respondisti.

1. — Laudat sapientissimus Magister hanc præclaram Legisperiti responsionem, idque jure meritissimo, quia « velut epilogus legis totius sunt, » inquit Toletus, « hæc duo mandata. » Unde et apud S. Matthæum, XXII, 40, Dominus protestatur, dicens : *In his duobus mandatis universa lex pendet.* Præceptum quod nos Apostolus, *Rom.*, XIII, 10, doceat : *Plenitudo legis est dilectio.*

2. — « Perfectum iter, » scribit Glossa, appellans super Christum respondentem, « vitæ cœlestis « ostendit; dum Legisperito, de dilectione Dei et « proximi scripta proponenti, respondit : *Recte* « *respondisti.* » Observat autem Didacus Stella, Legisperitum de nullo opere bono, sed de sola responsione a Christo commendatum fuisse, unde sequentem elicit moralitatem : « Multorum verba « laudabilia sunt, opera autem non sic; pius est « quorumdam sermo, sed opera iniqua; cœlum « non emitur sermone polito et composito, sed « sanctis et justis operibus. » Suam hoc dicto Legisperitus non exiguam probavit scientiam, utpote qui tam apposite respondit, ut ab ipsamet Sapientia divina laudari meruerit; sed quid illi proderat, siquidem iniquo et perverso animo accessit ad Christum, tentaturus? Quid proderit in extrema mortis hora eloquentem fuisse, quid egregium concionatorem, si conscientiam male sanam habuerit?

Hoc fac, et vives.

3. — Existimat Salmeron, Christum hoc sermonis nexu voluisse exprobrare Legisperito, quod opera ejus non corresponderent verbis : « Quasi diceret : « dicis et non facis, qui me proximum odisti et « tentasti; plus enim plerique amamus de pietate « disputare, quam in via pietatis ambulare. » Idem ex hisce verbis documentum elicit Hugo Cardinalis, dum inquit : « Quasi dicat : hoc doces sed non « facis; si vis vivere vita æterna, *hoc fac, et vives.* « Unde quod dicit Dominus : *Recte respondisti*, non « factum ejus, sed responsum laudavit; sicut mul- « torum verba laudabilia sunt, sed facta vituperabilia. »

4. — Ingeniosam denique horum verborum glossam nobis exhibet Cajetanus dicens : « Non « cogita, non dic, non scribe, sed fac; nec dixit « hæc, sed *hoc*, quoniam unum sine altero fieri « nequit. »

Additiones.

a. — *Et dixit illi : Recte respondisti; hoc fac et vives.* Quæsierat Legisperitus : *Quid faciendo vitam æternam possidebo?* Propositæ interrogationi satisfacit Dominus. Et non ait : Hæc cogita, vel dic, vel scribe, sed *fac.* Non enim sufficit scire vel dicere, sed facere, nec tantum scire quid mandaverit Dominus, sed *observare*, quod hic idem importat ac *facere. Et* tunc *vives*, non quacumque vita, sed vita in æternum beata. Sola enim præceptorum observantia ad beatitudinem acquirendam sufficit. Albertus Magnus dicit : « Radix immortalitatis custodia « est legum divinarum, juxta illud Sapientis, VI, « 19 : *Dilectio, custodia legum illius est; custoditio* « *autem legum, consummatio incorruptionis est.* » Et ideo anima quæ irreprehensibilis est et immaculata esse desiderat, divinam legem zelose et sollicite custodiat. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Matth.*, XIX, 17.

b. — *Hoc fac et vives.* Non tantum scire sed observare oportet mandata Domini. Ideo abominabiles sunt coram Deo ii Christiani, qui fidem quidem profitentur extrinsecus et factis negant. Hanc fidei abnegationem de qua dicit Apostolus, *Tit.*, I, 16 : *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant*, sacri Expositores per varios sensus explicant. Dionysius Carthusianus hanc illis verbis subnectit interpretationem : « Qui nunc impie vivunt, ac si Deus non « esset. Operibus ergo loquuntur Deum non esse, « dum eum non sicut Deum honorant, nec ejus « justitiam pensant. » Citatque testimonium S. Joannis asserentis : *Qui se dicit nosse Deum, et mandata ejus non custodit, mendax est.* S. Thomas super illa citata ad Titum verba : *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant*, textum illum Isaiæ, XXIX, 13, adducit, in quo dicitur : *Populus iste ore suo et labiis suis glorificat me; cor autem eorum longe est a me.* « Negant eum factis; qui « enim peccat in quantum est de se, negat eum « factis. » Dicit insuper eos qui non curant bonam

UNIVERSIDAD DE NAVARRA

conscientiam, sed in quævis se peccata præcipitant, difficulter converti ad Deum, idque aliquot argumentis confirmat dicens : « Sunt tria per quæ « homo redit ad Deum, scilicet, Dei gratia, fides, « exercitium boni operis. Lex tria excludit ab « ipsis. »

VERSUS 29.

Ille autem volens justificare seipsum, dixit ad Jesum : Et quis est proximus meus?

Ille autem volens justificare seipsum.

1. — Sentit Jansenius, hunc loquendi modum ordinarie ab historia sacra in sinistram partem accipi, siquidem apud eumdem Evangelistam, Pharisæos Christus reprehensurus, inquit, *Luc.*, XVI, 15 : *Vos estis, qui justificatis vos coram hominibus.* Ex quibus evidens deducitur hujus propositionis sensus, nimirum : « Justificare hic positum est, pro « declarare et ostendere justum, quemadmodum « enim superiori responsione se declaraverat doc- « tum, Domino approbante ejus responsionem, ita « jam se voluit monstrare etiam justum. » Voluit equidem hic Legisperitus suam ostentare virtutem, et sufficientem ad alios in dilectionis præcepto instruendos scientiam, simul et insinuare, quod debitam hujusce præcepti praxim in semetipsos nosset exercere.

2. — « A Domino laudatus, « inquit Glossa, « in « superbiam prorupit; ponit namque se nullum « habere proximum, hoc est, nullum extare qui « secundum exactam justitiæ rationem cum illo « conferri queat. » Ejusdem quoque sententiæ fuit Isidorus Pelusiota, qui in hujus fastuosi doctoris persona ita inquit : « Ostende mihi aliquem, qui « tam magnus sit, ut possit mecum comparari. »

3. — Notat Lyranus, dupliciter verba illa explicari posse : primo, quod voluerit semetipsum justificare quantum ad apparentiam; secundo, quantum ad substantiam, quod scilicet in rei veritate desideraverit intelligere a Christo, quis esset suus proximus, ut dictum in eo præceptum adimplere posset. Hujus porro perplexitatis causa ex eo videtur oriri, quia nimirum initialiter ad Christum accesserat, perversa cum tentandi intentione; « sed postea « Christi verbis compunctus fuit, et ideo dixit ei « Christus : *Non longe es a regno Dei.* » Ex quibus innotescit, quam sit utilis ad Christum appropinquatio, licet primordialiter perversæ innitatur intentioni; multi namque sæpe Ecclesiam adeunt, alio quam devotionis aut divini verbi audiendi fine, Deus interim multoties corda eorum tangit et compungit. Eamdem quoque sustinet opinionem Toletus, dum ait : « Prosequitur interrogare, non « ut ante, nam prius tentans interrogavit, nunc « vero audita Christi responsione ac sui ipsius com- « mendatione, animum mutavit et iterum interro- « gavit, volens justificare seipsum, id est, animo et « studio incumbendi justitiæ, et bene operandi; « sicque quæ ignorabat, a Christo explicari petit. » Consonat huic Toleti sententiæ, illa super eumdem textum scribentis, S. Bonaventuræ glossa : « Id est, « ad justitiam præparare, quod fit per fidem et « intelligentiam veritatis. »

Et quis est proximus meus?

1. — Juxta Cajetani sententiam : « Putavit ille « appellari proximos, solos viros justos aut Israe- « litas. » Attamen plenius elucidat Toletus, quænam sincera veriorque extiterit hujus Scribæ intentio : « Particula *et*, scilicet : *Et quis est meus proximus.* « argumentum significat, quasi diceret : Dixisti « quid faciam, ut vitam æternam possideam; dic « etiam et declara, quis sit meus proximus. » Huic porro instantiæ occasionem dedisse videtur, tum Judaicarum opinionum circa hujus præcepti explicationem diversitas, tum multiplex Sacræ Scripturæ textus, ubi proximus modo sub amici, modo sub socii nomine exprimitur. Interim ex hisce omnibus prædictus Auctor sequens elicit argumentum : « Non « fuit sine fructu Domini commendatio, qua dixit : « *Recte respondisti*; mutavit enim animum hominis, « et ex tentante convertit in studiosum voluntatis « divinæ implendæ. » Ecce tibi fructum benignæ affabilitatis ad omnes, etiam ad impios; quam ob causam merito Apostolus, *Rom.*, II, 4, ait : *An ignoras, quod benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?*

5. — Iis non obstantibus, Carthusianus probare nititur, illam Legisperiti interrogationem malitioso animo factam fuisse; intelligens enim hic Scriba, quod juxta Christi sententiam et doctrinam, dilectioni proximi ipse etiam inimicus inserendus esset : « Putavit esse contra legem Moysi, quia Judæi quam « plurimum per proximum non intelligebant nisi « Judæos, et cæteros reputabant alienos. » Si igitur Christus dixisset nomine proximi intelligendum esse quemcumque hominem, illico accusasset eum tanquam legis transgressorem; si vero Christus per proximum, solummodo denotari dixisset, populum hebraicum, jactasset se utique Legisperitus de plena legis observantia, utpote qui nullum non amaret gentis suæ hominem : « Sed ut Salomon loquitur, « *Prov.*, I, 17 : *Frustra jacitur rete ante oculos pen- « natorum*; unde et Christus sapientissimus sic « respondet, quod insidiatorem propria rursus « responsione concludit. »

6. — Eamdem cum Carthusiano opinionem sustinet S. Cyrillus, citatus in *Catena* : « In hoc, quod « quærit : *Quis est meus proximus*, vacuus a dilec- « tione proximi ostenditur; cum non æstimet « aliquem sibi proximum esse, et per consequens « a dilectione divina; quoniam cum *fratrem non « diligat, quem videt, non potest Deum diligere, quem « non videt.* I *Joan.*, IV, 20. »

VERSUS 30.

Suscipiens autem Jesus, dixit : Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho, et incidit in latrones, qui etiam dispoliaverunt eum, et plagis impositis abierunt, semivivo relicto.

Suscipiens autem Jesus.

1. — Aliqui interpretes legendum existimant : *Suspiciens.* Unde S. Bonaventura inquit : « Sursum « aspiciens, in quo ostendit, quod, qui vult intelli- « gere veritatem, debet sursum aspicere, unde « micat verum lumen : *Fons Sapientiæ, et verbum « Dei in excelsis. Eccli.*, I, 5. » Sed contra hunc legendi modum pugnat Jansenius, dum ait : « Male « legitur *aspiciens*, legendum *suscipiens.* » Ita etiam habent tam exemplaria antiqua, quam editio Vulgata.

2. — Bene Lucas Brugensis advertit, quod Christus « conscius erroris, quo laborabat » Legisperitus, non requisierit ab eo, ut suum circa præcepti illius intelligentiam, edisceret sentimentum : « Verum « ipse suscepit respondendi partes, quod quæstio « utilis esset, et Legisperitorum circa eam error « merito confutandus. »

Homo quidam descendebat.

3. — S. Bonaventura, *Serm. in Ex.*, in hoc descensu ruinam in peccatum designari existimat, dicens : « Quatuor miseriæ incurrunt homines cum « peccant : cœlesti gratia privantur : *Descendebat « ab Jerusalem.* » Per Jerusalem namque intelligit visionem pacis seu cœlum, juxta illum Isaiæ textum : *Tollatur impius, ne videat gloriam Dei.* Secunda miseria est, quod « dæmonibus subjugatur, » designata in verbis : *Incidit in latrones.* Tertia consistit in exspoliatione : « Bonis gratuitis exspoliantur. » Et ideo dicitur quia *exspoliaverunt eum.* Quarta notatur in illis verbis : *Vulneraverunt eum*; indicatque quod peccatores « in bonis naturalibus vul- « nerantur. » Observat Salmeron, Christum dicere in præterito imperfecto : *descendebat*; cum tamen hæc Christo dicente, descensus jam consummatus fuisset; cujus dicti hanc esse dicit rationem : « Semper enim humana natura ad malum labilis « est. » Albertus Magnus ait : « Descendit, quando « peccato consensum dedit. » Lyranus denique hunc textum moraliter interpretatur de homine, in peccatum corruente, dum inquit : « Intelligitur « de peccatore, descendente a statu justitiæ in « peccatum mortale, qui spoliatur a dæmonibus « donis gratiæ, et vulneratur in donis naturæ, et « relinquitur semivivus, quia tollitur ab eo vita « gratiæ remanente vita naturæ. »

Ab Jerusalem in Jericho.

4. — Lyranus aliquorum citat opinionem, existimantium, hanc nudam esse parabolam, alii autem contra, taliter in rei veritate accidisse credunt, quia inter Jerusalem et Jericho quoddam erat desertum, in quo viatores sæpius spoliabantur et occidebantur; ubi etiam Rex Sedecias ab hostibus profugus, captus fuit. Ab his idem Auctor ad sensum moralem digrediens, ait : « Per Jerusalem status virtutis « designatur, et ideo per hominem descendentem « ab Jerusalem in Jericho, peccator designatur, qui « incidit in latrones, id est, dæmones spoliantes, « eum gratuitis et in naturalibus vulnerantes. »

5. — « *Descensus ab Jerusalem,* » verba sunt Simonis de Cassia, « aversio est a pace, a virtute, a « quiete, a templo sacramentorum Dei. » Per civitatem Jericho, instabilitas signatur mundi, per Jerusalem vero constantia virtutis et perfectionis, *Psal.* CXXII, 2 : *Stantes erant pedes nostri in atriis tuis Jerusalem.* Qui ergo descendit de statu hoc, id est, qui velut instabilis virtuti Christianæ non adhæret, sed peccata repetit, in mundum regreditur, is nulli non se exponit periculo. Quamdiu Sponsa, de qua in Canticis Canticorum, sequestrata resedit, merito dicere poterat : *Lectulus noster floridus; fulcite me floribus; ego murus et ubera mea sicut turris*; tamdiu sine metu et pavore, quieta delitescebat; sed quam primum suo se loco movere statuit, perque urbem divagari cœpit, symbolum animæ, quæ a secessu suo ad latam mundi viam regreditur, primarumque conversationum et occasionum impetum sectatur, si tunc subito in miserias et plancetus, inque armatas incidit cohortes : *Invenerunt me custodes, qui circumeunt civitatem, percusserunt me et vulneraverunt me; tulerunt pallium meum.* S. Hieronymus, alludens ad hunc Sacræ Scripturæ locum, in quadam epistola sic ait : « Loquatur ipsa electo : « *Introduxit me Rex in cubiculum suum*, nunquam « exeat foras, ne inveniant eam, qui circumeunt « civitatem, et non percutiant et vulnerent. » Juxta SS. Augustini et Bonaventuræ sententiam, ille de Jerusalem in Jericho descendens pessimeque in via habitus protoparentem nostrum designat; unica autem tanti adversus eum supplicii et severitatis origo, solus fuit unius pomi gustus, ideo hic descendit de Jerusalem, dum peccatum ejus aggravavit et interni luminis intensio et magna tum Dei, tum offensæ divina notitia. Vix admirari satis potest Oleaster, quomodo Deus tanta mansuetudine usus sit erga tot enormes peccatores, latronem in cruce, Magdalenam et alios similes, contra Adamum vero tam rigoroso usus est processu : « Mirum valde « videtur, quod tam leve, ut videtur, delictum tam « gravis pœna sequatur. » Huic Auctor ipse objectioni satisfacit, dicens : « Ubi simul adverte mali « conditionem, ut non solum factum sed cognitum « noceat. » Dicere nequaquam poterant cum Apostolo, I *Tim.*, I, 13 : *Ignorans feci.* Non prima prævaricatrix Eva vocata fuit, ut rationem redderet

erroris sui, sed ipse Adamus primo citatur : *Adam ubi es?* Neque sine mysterio, quia ut quidem Interpres scribit : Quo majorem scientiam et cognitionem divinæ majestatis quis acceperit, eo strictiorem reddet rationem, juxta illud : *Servus sciens voluntatem Domini sui et non faciens, vapulabit multis.* Quando juxta ordinationem divinam civitas Jericho funditus destructa fuit, Josue superiori motus instinctu, *Maledictus*, dicebat, *Jos.*, VI, 26, *vir coram Domino, qui suscitaverit et ædificaverit civitatem Jericho.* Quorsum tanta adversus civitatem illam divini furoris indignatio? Respondet in sensu morali Dionysius Carthusianus : « Per Jericho intelligitur una« quæque prava et vitiosa societas, quæ increpari « et corrigi dedignatur; qui Jericho suscitat atque « ædificat, id est, qui vitia sæcularia renovat et « mundanas societates fovet, maledictioni subjici« tur. » Quotquot derelicta via timoris Domini, civitati Jerusalem tergus vertunt, reduces in Jericho, id est, qui priora sua desideria prava et dissolutiones sectari incipiunt, hos omnes divinæ maledictionis fulmen ferit. Sed ecce novum salutis nostræ mysterium : incidit in latrones, spoliatus, vulneribusque propemodum attritus fuit, qui a civitate sancta recessit, qui templo vale dixit, qui veram religionem deseruit, semel jam sibi revelatam; non tamen e converso quidquam mali illatum esse legitur ulli illorum, nec in latrones incidisse scribuntur, qui a Jericho in Jerusalem ascenderunt; in quod ingeniose advertit Lucas Brugensis, natione Judæus sive Israelita, adeoque Jerosolymita. Homo quicumque mundanus, plus luminis non habens, quam ut per obscura gradiatur viam, in malo utique statu versatur; attamen minus divinam irritat justitiam, quam cæteri, qui in schola Christi vel veterani sunt, vel alioquin non ex fragilitate aut subreptione, sed *excogitato consilio* delinquunt. Hosce ultimos tremenda illa respicit Apostoli, *Heb.*, x, 26, sententia : *Voluntarie enim peccantibus nobis, post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia.* Exemplum sit nobis terribilis illa adversus Heli comminatio, I *Reg.*, III, 14 : *Idcirco juravi domui Heli, quod non expietur iniquitas domus ejus, victimis et muneribus usque in æternum.* At quæ, sodes, tantæ divinæ indignationis ratio? utique non alia, judicio meo, quam quod non solum Sacerdos, sed et summus Pontifex esset : *Sicut lumen ejus, ita et tenebræ ejus; cecidit de sella retrorsum et fractis cervicibus mortuus est.* Notat Origenes casum hunc mortalem fuisse, quia accidit in loco sacro : « Talis « est ergo iste locus, ubi est Heli; pro peccato enim « retrorsum cadens, expiravit; et nunc si quis « retrorsum corruerit a fide et veritate, necesse est « ut cadat et continuo moriatur. »

6. — Hugo Cardinalis descensum illum moraliter interpretans, dicit : « Descendebat a divitiis in pau« pertatem; a prosperitate in adversitatem; hoc « quotidie fit, quia rota fortunæ continuo volvitur; « et quidam descendunt et alii ascendunt. »

Incidit in latrones.

7. — « Id est, » dicit S. Augustinus, « in diabo« lum et Angelos ejus, qui per inobedientiam primi « hominis, humanum genus expoliaverunt, morum « scilicet ornamentis. » Idem sanctus in alio quodam loco per hunc viatorem, qui in latrones incidit, intelligendo pariter protoparentem nostrum ita scribit : « *Incidit in latrones*, id est, in potestatem « Angelorum noctis, qui se transfigurant in Ange« los lucis, sed perseverare non possunt; in quos « non incideret, nisi ejus mandatis, cœlestis levius « se fecisset obnoxium. »

8. — S. Bernardus in quadam epistolarum suarum, per hos latrones designari scribit, dæmones, mundum et carnem, inimicos et capitales hostes nostros : « *Incidit in latrones*, id est, in diaboli « manus, carnis illecebras et gloriam sæculi. »

9. — Rationem vero, ob quam spiritus infernales, nuncupentur latrones, hanc nobis assignat Salmeron : « Latrones isti, qui a latendo dicun« tur, quoniam transfigurant se in Angelos lucis, « dæmones sunt; qui in cœlo divinitatem sibi « usurpari conati sunt, gloriam etiam et divinos « honores, ab hominibus tribui per idololatriam « sibi contendunt. »

10. — Singularis divinæ pietatis providentia, ut viator ille in hosce prædones incideret, effecit; si enim usque Jericho, maledictam a Deo civitatem, transisset, præsens indubie salutis animæ suæ discrimen incurrisset, quis autem nescit, majus esse animæ quam corporis pretium? Hic autem penes Deum agendi modus, frequens est, scilicet quod sæpe, gradientes nos cum angustiis, infirmitatibus, carceribus, jacturis bonorum temporalium et similibus invadat et prosternat, ut majora infirmitatis et mortis spiritualis dispendia avertat.

11. — Moralem alium ex hisce verbis discursum dicit Hugo Cardinalis inquiens : « Incidit in manus « medicorum quoad infirmitatem et in manus divi« tum quoad paupertatem, in manus advocatorum, « quoad adversitatem. » Alii medicorum curæ, alii divitum potentiæ, alii advocatorum se debent committere protectioni : « Sed omnes, id est, divites « mundi, id est, et medici, et advocati, latrones « sunt, quia divites pauperes spoliant et oppri« munt, similiter medici infirmos spoliant pecunia « et occidunt; similiter advocati omnes, quot pos« sunt, spoliant, et pauperes et divites. »

Qui etiam spoliaverunt eum.

12. — Quænam porro hæc spolia fuerint, Salmeron in his verbis declarat : « Gratuitis et divinis « donis, quæ interna animæ vestimenta sunt, ut « gratia adoptionis, sapientia infusa, justitia origi« nali, immortalitatis veste, tunica fidei, fascia « spei, quæ constringit pectus, toga charitatis, « cingulo castitatis, inauribus obedientiæ, armilli « bonorum operum et pallio patientiæ. »

13. — Consideretur igitur ingens animæ cujusdam in peccatum mortale prolapsæ et in Satanæ potestatem redactæ calamitas et miseria, spolium vero et lucrum quod ex illa sibi vendicat, in eo consistit, quod illam omnium bonorum operum meritis exuat, quæ sibi per totum plurium annorum decursum sibi compararat : *Si averterit se justus a justitia sua et fecerit iniquitatem, numquid vivet? Omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur*, inquit Deus apud Ezechielem, XVIII, 24.

Et plagis impositis abierunt.

14. — Dionysius Carthusianus universo humano generi, per protoparentum nostrorum transgressionem, quatuor præcipue vulnera inflicta fuisse dicit : « Quatuor vulnera animæ ex originali pec« cato, videlicet malitiam, id est, pronitatem ad « mala, in voluntate; ignorantiam in intellectu, infir« mitatem in irascibili, concupiscentiam in concu« piscibili. » S. Bonaventura dicit : « Vulneraverunt « eum in naturalibus; » natura etenim nostra in donis naturæ sauciata permansit, siquidem contraxit cæcitatem in intellectu, in voluntate odium, oblivionem in memoria, malam in sensibus nostris propensionem, superbiam in supercilio mentis, inverecundiam in fronte, in oculis invidiam, curiositatem in auribus, in lingua libertatem. Salmeron ulterius hæc vulnera recensendo progreditur : « Vulnus, » inquit, « suscepimus in corde tristitiæ « in ventre gulæ, in renibus libidinis, in pedibus « pigritiæ et instabilitatis, in manibus avaritiæ et « rapacitatis; *omne caput languidum et cor mæ« rens, a planta pedis usque ad verticem non est in « eo sanitas, et vulnus, et livor, et plaga tumens*, « inquit Isaias. »

15. — Albertus Magnus : « Dæmones homines « vulnerant criminibus et peccatis, peccata namque « plagæ et vulnera sunt animæ; » imo peccatum non solum animæ mortem affert, quod est certissimum, sed et vitam corporalem pariter abbreviat, *Eccli.*, XXI, 4 : *Quasi romphæa bis acuta omnis iniquitas, plagæ illius non est sanitas.* Nullum reperitur venenum quantumvis mortiferum, quod ipsimet serpenti illud in visceribus suis deferenti mortem conciliet; solum peccatum adeo est pestilentiale venenum, ut temporalem corpori, æternam vero mortem animæ acceleret : *Corpus et animam perdit in gehennam. Matth.*, X, 28.

16. — Albertus Magnus, *in Luc.*, considerat, quod unusquisque nostrum per hæc vulnera propriam in recte operando experiatur debilitatem et difficultatem : « Patet omnibus, qui niti voluerint « ad bonum et difficultatem sentiunt. »

Et abierunt.

17. — Albertus Magnus in sermone quodam in hanc Dominicam dicit : « Dæmones vulneribus tam « diversimode inflictis, abeunt, peccatore semivivo « relicto. » Quomodo vero intelligendum sit, quod dæmones a peccatore discedant, sequentibus verbis declarat : « Per hoc quod abeunt » inquit, « intel« ligitur, quod dant peccatori spem et præsumptio« nem longioris vitæ; » multi enim voluptatem in peccatis suis esurientes, malæ conscientiæ remorsum et synderesim minime sentiunt, nec propriorum vulnerum, quibus sauciati sunt, percipiunt dolorem, idque quia longam vitam ipsorum futuram esse somniantes, nullum æternorum suppliciorum timorem habent.

18. — Salmeron hunc dæmonis discessum ad tempus tantum fieri dicit, quia hominem suis suggestionibus et tentationum insultibus infestare ad certum aliquod tempus desinunt : « Dicuntur « abiisse ad tempus, cessantes ab actu tentandi; « *abierunt* enim seu victores capta præda, ad alios « seducendos et spoliandos. » S. Augustinus dicit : « *Abierunt* non cessando ab insidiis, sed occultando « insidias. »

19. — Idem quoque aliam ex his verbis quoad fugacitatem voluptatum, moralitatem deducit : « Significatur etiam, » inquit, « quam cito præte« reat peccati voluptas, » adducitque textum illum, *Sap.*, V, 8 : *Quid nobis profuit superbia, aut divitiarum jactantia? transierunt omnia illa tanquam umbra* : « Etsi autem pertranseat peccati voluptas, « remanet tamen vulneris signum, ut merito con« feratur api, quæ comedentibus mel suum relin« quit aculeum, dum fugit. »

Semivivo relicto.

20. — S. Bonaventura supradictæ explicationi inhærens, scilicet per hunc despoliatum hominem nostrum intelligi protoparentem, qua ratione hoc dictum intelligendum sit, his verbis declarat : « Reliquerunt semivivum, » inquit, « quia sub« tracta similitudine Dei, ad quam creatus est « homo, remansit sola imago, ut vere possit dici « illud : *Homo cum in honore esset, non intellexit; « comparatus est jumentis. Psal.* XLVIII, 21. »

21. — S. Augustinus ait : « *Abierunt semivivo « relicto*, quia immortalitatem exuere, sed rationis « sensum abolere non possunt, quin homo sapere « et Deum possit cognoscere. » Idem quoque S. Doctor a Glossa relatus, in alieno sensu ita exponit : « Habet finalem motum, id est, liberum arbitrium « vulneratum et ad æternam vitam, quam perdi« derat, redire non sufficiebat et ideo jacebat, quia « vires ei propriæ ad surgendum non sufficiebant, « ut ad se sanandum, medicum, id est, Deum requi« rerel. »

22. — Theophylactus a Glossa citatus considerat, quod quia ex corpore et anima compositi sumus, e quibus anima immortalis, corpus vero mortale existit, ideo semivivus dicitur homo post peccatum, « ita ut medietas hominis morti succumbat, » quia anima mortem sibi æternam conciliat : « Per peccatum mors. » Albertus Magnus de peccatore ita scribit : « Postquam se dæmonibus subjecit per consensum et peccati actum, statim anima ejus morte « spirituali trucidatur et nihil in eo vivum relinqui« tur, nisi corpus tantum. »

Additiones.

a. — *Suscipiens autem Jesus dixit : Homo quidam*, etc. Allegorice, homo iste adumbrat Adamum, seu genus humanum in eo, qui incidit in latrones, hoc est dæmones, qui spoliaverunt eum divina gratia, virtutibus et excellentia, et peccatorem effecerunt vulneribus. Hoc est enim solum opus dæmonis, cujus tota potentia in solo peccato consistit, sine quo nihil adversum nos facere prævalet. Et ideo Chrysostomus unicum, infallibile, et omnipotens contra universum infernum remedium suggerit, dum ait : « Unum solum custodi, ne occurrat tibi peccatum ; « hoc enim est quod supplantat ; præter hoc vero « nec ipse diabolus nos quidpiam lædere poterit. » Apostolus ad Corinthios, I, XII, 2, scribens, inquit : *Ad simulacra muta ducebamini* ; ubi Hugo Cardinalis phrasim illam loquendi Apostoli notat, per quam innuitur quod instar irrationabilium bestiarum ligati, ad falsorum numinum cultum perducti fuerint : « Ducebamini a diabolo, quia omnis qui « est in mortali, est jumentum diaboli, et per « unum peccatum, quasi per capistrum ducetur ad « aliud ; » juxta illud Proverbiorum, VII, 21 : *Irretivit eum multis sermonibus et blanditiis labiorum protraxit illum ; statim eum sequitur, quasi bos ductus ad victimam, ignorans quod ad vincula stultus trahatur*. Ac proinde subjungit idem Hugo Psalmistam, *Psal.* XXXI, saluberrime monere dum ait : *Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus*, « id est, non permittatis vos infrenari a « diabolo ; si enim scirot equus quod infrenaretur « et duceretur in servitutem, non permitteret se « infrenari ; quid est ergo de misero homine qui « illud scit ? »

b. — Qui Jerosolymis agebat dives et ornatus, ecce tibi cum primum descendit ab illo alto tramite vitæ, latrones adsunt, qui omnia ei gloriæ ornamenta præripiant. Peccator enim dum per peccatum in dæmonum potestate transit, divina gratia, virtutibus gratuitis et donis, uti gratia adoptionis et bonorum operum meritis, crudeliter exuitur, spoliatur. Seu ut explicat Simon Cassianus, *lib.* VI, *cap.* X : « Descensus ab Jerosolymis « aversio est a pace, a virtute, a quiete, a templo « sacramentorum Dei. » Id est, ubi a Deo per peccatum discedit, statim descendit a suo honore, a suis divitiis, a pace, a quiete suæ conscientiæ, in magnam infamiam, miseriam et perturbationem, aliaque mala et animæ damna. S. Ambrosius, *lib. de Paradiso, cap.* XIV, ad illum se reflectens diem quo Deus Adam interrogavit : *Adam ubi es?* inquit : « Quid est, *Adam ubi es?* Id est, non in quo, sed in « quibus es? Non ergo interrogatio est, sed increpatio ; quasi diceret : De quibus bonis, de qua « beatitudine, de qua gratia, in quam miseriam « cecidisti ? » Idem S. Doctor, in capite præcedenti eosdem foliis se vestientes considerans, dixerat : « Docet me Adam, quæ sint folia, qui postequam peccavit, de foliis ficus fecerit sibi « succinctorium, qui magis de fructibus ejus gustare debuerit. Justus fructum eligit, folia peccator. Quis est fructus ? *Fructus*, inquit, *spiritus, est « charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, modestia, continentia, dilectio*. Non habebat fructum, qui gaudium non habebat ; non habebat « fidem, qui prævaricatus erat mandatum Dei ; non « habebat continentiam, qui de interdicto sibi gustaverat ligno. Ergo quicumque prævaricatur man« datum Dei, spoliatur atque nudatur. » Vultisne scire qualisnam fuerit hæc nuditas? Nimirum nuditas a divina gratia, cui proprium est hominem in oculis Dei facere gratum et acceptabilem ; unde manserunt deformes, inimici et filii iræ, licet ad imaginem et similitudinem Creatoris plasmati fuissent ; hanc enim adeo deformarunt ut Psalmista, *Psal.* XLVIII, 13, dicat : *Homo cum in honore esset, non intellexit ; comparatus est jumentis insipientibus et similis factus est illis*. Spoliati fuerunt jure quod habebant ad gloriam et condemnati secundum præsentem justitiam ad æternæ perditionis barathrum ; perdiderunt illum amorem, quo autea Deum plus amabant quam semetipses ; spoliati sunt justitia originaria, quæ sensum reprimendi, illumque rectæ rationi perfecte subjiciendi virtutem habebat. Abjecerunt dona Spiritus Sancti, gratiam sanctificantem et merita hactenus acquisita, nec non omnes thesauros, quos plena manu Deus in ipsos effuderat.

c. — Ex inopinatis latronum insidiis in hanc luctuosam calamitatem homo incidit et miserrimam stragem passus est. An ipse tanto periculo sponte occurrit ? Quid ergo mirum, si despoliatus omnibus divinis donis, gratiisque sit, cum is qui amat periculum in illo disperet ? Et quid est quod non ascendens, sed descendens, in crudelem latronum ferocitatem incurrit ? Tempestive Rupertus, *lib.* III *in Gen.*, ait : « Non dixit solummodo : *Homo « quidam incidit in latrones*, sed *descendebat*, inquit, ab Jerusalem in Jericho, et tunc demum « *incidit in latrones*. Nisi enim descenderet, non « incidisset : quia videlicet nisi Adam superbiret, « dati præcepti prævaricationem non incurrisset.

« Descendebat qua mente tumebat ; tumore nam« que ascendere, veraciter descendere est, quia « ubi mens elevatur, ipsa elevatione dejicitur. » Unde regius Vates ait : *Dejecisti eos dum allevarentur*. Superbia enim tumor est, non magnitudo, quæ sicut protoparentes nostros duxit in præcipitium, ita et alios perfectos præcipitare nititur.

d. — Veniunt eadem via Sacerdos, Levita et iste homo, qui nec Sacerdos, nec Levita ; sed solus iste homo a latronibus aggressus fuit. Quid hic causa subest? Sacerdos et Levita in ordine sacerdotali extabant, iste autem homo incidens in latrones, laicus erat, ut notat Hugo ; cum autem illi essent Ecclesiastici, in tanto honore ac reverentia reputabantur, ut etiam inter fures et latrones securi degerent. Disce hic Sacerdotibus et statui Ecclesiastico debitum honorem exhibere. S. Augustinus Valerio Episcopo, quoad honorem et obsequium Sacerdotibus præstandum, quo majus dari non potest, ita scribit : « Hoc honore nihil in hac vita « præstantius et acceptabilius apud homines esse « potest, nihilque apud Deum beatius, si eo modo « in eo militetur, quo cœlestis ipse Imperator ju« bet. » Salvianus Episcopus Massiliensis optime proinde considerat quam male conveniat, dum quis est dignitate eminens et sublimis, alia vero ex parte, ob malas suas qualitates contemptibilis : « Nihil est turpius quam excellentem esse quem« libet culmine et despicabilem vilitate. Quid est « dignitas indigno, nisi ornamentum in luto ? Et « ideo cunctos qui sacri altaris suggestu emi« nent, tantum excellere oportet merito quantum « gradu. »

Versus 31.

Accidit autem, ut Sacerdos quidam descenderet eadem via, et viso illo præteriit.

1. — « Persona pertransiens cum duritia, » inquit S. Bonaventura, « fuit legalis justitia, quæ nec mi« sericordiam, nec medicinam præstabat. » S. Augustinus pariter in eumdem sensum allegorice ita scribit : « Sacerdos et Levita qui transeunt, sacer« dotium et ministerium veteris figurant Testa« menti, ubi vulnera languentis mundi monstran« tur, sed non curantur. »

2. — Sensum horum verborum moralem Lyranus adducit, dum ait : « Sunt Ecclesiæ mali ministri, « curantes tantum de levatione pecuniæ et non « sanatione culpæ. » Hugo Cardinalis nimiam tum Sacerdotis, tum Levitæ, miserabili adeo spectaculo non commotorum inhumanitatem, promptæ schismatici sive Samaritani, ejusque sæcularis charitati comparans, dicere non veretur : « Judæi naturaliter « avari sunt et clerici avariores ; quasi consueti « semper accipere et nunquam dare. » Salmeron similiter Ecclesiasticorum redarguens tenacitatem, dicit : « Arguuntur, quod minus sint misericordes « et tenaciores in ope præstanda, cum tamen bona « clericorum sint pauperum et non solum debeant « occurrentibus egenis alacriter subvenire sed etiam « ipsos pauperes et egenos delitescentes inquirere, « et quoad possunt, eorum inopiam sublevare et « propterea eorum inunguntur manus, dum sacris « initiantur, ut misericordia affluant. »

3. — Deceptionem hujus populi Lucas Brugensis discutit, utpote qui pietatis et misericordiæ opera, in quibus principalis salutis ratio consistit, pertranseant, solis sacrificiis et legalibus confisi observantiis : « Notat hic ac perstringit Salvator feram « Sacerdotum Judaicorum inhumanitatem, fiden« tium sacrificiis et cæremoniis, quod vero præci« puum est, charitatem crudeliter negligentium. »

4. — Albertus Magnus per hunc vulneratum graviterque saucium, peccatorem intelligens, qui in dæmonum manus incidit, omnibusque bonorum operum meritis exutus fuit, nimiam redarguit in hoc pertranseunte Sacerdote inclementiam, indicem eorum, qui ad sanandas in anima peccatorum plagas nullo charitatis instinctu moventur : « Multi « etiam nostrorum Sacerdotum non curant saucia« tos in peccatis, sed paucula illa, quæ a dæmonibus « relicta sunt, temporalia tollunt et peccatorum « vulnera non curant per sinceram Sacramento« rum exhibitionem. »

5. — Diversas hujus facti, easque singulas notatu dignas examinat circumstantias Toletus, dicens : « Nota verba, quibus Dominus hujus prætereuntis « crudelitatem exprimit ; Sacerdos enim erat, cui « ex officio ac dignitate incumbebat misericor« diam facere ; rursus descendebat eadem via, sicut « ille miser descenderat, si unus ascendisset et alter « descendisset, poterat modo aliquo Sacerdos se « excusare a subveniendo, nimirum ne iter suum « interrumperet aut reverti coeretur, at non sic « fecit ; descendebat enim, sicut ille percussus, « poteratque Sacerdos secum illum ducere sine iti« neris detrimento ; rursus etiam vidit, si enim non « vidisset, culpa non esset. »

6. — Sacerdos hic, qui pariter de Jerusalem, civitate sancta, ad maledictam a Deo urbem Jerichontinam descendebat, a templo profugus ; clericos illos et malos designabat Ecclesiasticos, quorum major et irreparabilior solet esse casus, quia de loco corruunt eminentiori ; at vero *corruptio optimi pessima* ; et ideo omni se charitate, compassione et humanitate destitutum esse demonstrat.

7. — Sollicitaverit forsitan nonnemo, quare solus ille miser viator, non vero Sacerdos aut Levita in hac solitudine spoliatus fuerit, cum tamen omnes tres per eamdem graderentur viam ? responderi potest, prædones illos sacerdotalis et leviticæ dignitatis respectum habuisse, licet hi tali se prærogativa vere indignos præstiterint, utpote qui bonorum Ecclesiasticorum partes nequaquam adimpleverunt.

Viso illo præterivit.

8. — Si Sacerdos casum hunc matura consideratione discussisset, indubie ad compassionem animum suum inclinasset, veraciter agnoscens, nullam esse miseriam tantam humanam, in quam non omnes et singuli, nisi divinitus præservemur, cadere possimus; hac utique cogitatione motus tale sauciato illi auxilium tulisset, quale sibi in simili necessitate constituto præberi optasset. Interpres quidam supra illum Sacræ Scripturæ textum, *prætereuntes blasphemabant*, ita discurrit; isti in monte Calvariæ carnifices, dicuntur « bene prætereuntes, quia si « stetissent, nunquam blasphemassent. » Ita pariter dico ego Sacerdos hic viator bene dicitur præteriens, quia si stetisset, misericordiam cum proximo fecisset.

9. — Supposito, quod hic vulneratus peccatorem designet, justo Dei judicio a Sacerdotibus destitutus et derelictus fuit, in pœnam etenim ægrediæ præteritæ in Sacramentis aut impie susceptis aut omnino neglectis, sæpe sæpius permittit Deus, ut, quando maxima est Sacramentorum suscipiendorum necessitas, scilicet in mortis articulo, tunc Sacerdotes prætereant, id est, infirmus Sacramentis a Sacerdote conferendis omnino destituatur; nec immerito, quia per tot vitæ vestræ annos, *vocavi et renuistis, extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret; despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis : ego quoque in interitu vestro ridebo et subsannabo. Prov.*, I, 24. Sciendum insuper, miserum hunc ab illis ipsis destitutum fuisse, qui vi officii sui præ omnibus aliis obligabantur auxiliatrices ei manus præbere; ut sciamus, nos pariter justo Dei judicio, ut primum per opera mala ei renunciaverimus, ab eoque recesserimus ab illis etiam derelinquendos esse, a quibus maximam præ omnibus aliis poteramus sperare in tribulationibus opem; præterquam quod omnis anima, concitatam adversus se habens iram Dei, odibilis sit creaturis omnibus.

10. — Distinctam a prioribus rationem adducit Hugo Cardinalis, quare nimirum alii viatores similiter non inciderint in horum prædonum manus : « Forte in societate erant et ille solus; propter « quod dicitur : *Væ soli, quia cum ceciderit, non « habet sublevantem se, Eccle.*, IV, 10. » Ex quibus in rem nostram hæc deducitur moralitas, quod scilicet omnes, qui recte et secure per viam spiritus incedere gestiunt, bonum debeant habere ducem, et non dirigere gressus suos juxta proprium arbitrium.

Additiones.

a. — *Accidit autem ut Sacerdos quidam descenderet*, etc. Magna certe crudelitas. Sacerdos erat, cui ex officio et dignitate, incumbebat facere misericordiam, et vulnerato salutari medicina subvenire. Væ autem talibus Sacerdotibus, qui in procuranda peccatis vulneratarum animarum salute, negligentes sunt. Apud Ezechielem, XXXIII, Dominus dicit : *Quod si speculator viderit gladium venientem, et non insonuerit buccina et populus se non custodierit, venerique gladius et tulerit de eis animam, illi quidem iniquitate sua captus est; sanguinem autem ejus de manu speculatoris requiram.* Enimvero unica causa, propter quam Deus Sacerdotes ad sublimissimam, quæ in terris dari potest, dignitatem evexerit, hæc est, ut scilicet omni cum industria et sollicitudine custodiæ animarum, quæ pretiosissimi ejus thesauri sunt invigilent. Ac proinde S. Bernardus nos monet dicens : « Attendite vobis, quicumque opus « ministerii hujus sortiti estis; attendite inquam « vobis, et pretioso deposito, quod vobis creditum « est. Civitas est, vigilate ad custodiam concor- « diamque; sponsa est, studete ornatui; oves sunt, « intendite pastui. » S. Gregorius pastorum exemplum adducens ait : « Studeamus cor nostrum « terrenorum pastorum imitatione succendere, qui « hiemales noctes, imbribus, geluque constricti, « ducunt sæpe pervigiles, ne vel una ovis, et non « forte utilis pereat. » Rerum legitur apud eumdem Prophetam Ezechielem, III, 18 : *Si dicente me ad impium, morte morieris, non annuntiaveris ei, neque locutus fueris, ut avertatur a via sua impia et vivat, ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram.* S. Gregorius quoque valde terribilem Ecclesiasticis ob oculos ponit propositionem; dicit enim, *Hom.* XI *in Ezech.* : « Super ea mala quæ propria habemus, alienas « mortes addimus, quia tot occidimus, quot ad « mortem ire quotidie tepidi et tacentes vide- « mus. » S. Bernardus, in quodam sermone super « Cantica, *Serm.* LXXIV *in Cant.*, ait : « Boni Paste- « res dormientibus subditis ipsi pervigilant, tan- « quam rationem pro animabus eorum reddi- « turi, pernoctant in orationibus, hostium insidias « sagaciter explorant, anticipant consilia malig- « nantium, deprehendunt laqueos, illudunt tendi- « culos, retiacula dissipant, machinamenta frus- « tantur, cor suum tradunt ad vigilandum diluculo « ad Deum. »

b. — Sacerdoti incumbebat ex officio ac dignitate facere misericordiam, cum ideo, ut Hugo inquit, inunganur manus Sacerdotum, ut fluant misericordiam. Væ talibus Sacerdotibus, cum ornamenta, ritus et ceremoniæ in ipsorum reverentiam institutæ subindicent virtutes quibus illos præditos esse oporteat. Jam vero quænam ornamenta S. Paulus in Prælatis Ecclesiasticis requirat, ex sequentibus verbis sit manifestum : *Oportet Episcopum ornatum esse?* quasi diceret : Quotiescumque Episcopos pretiosis admodum ornamentis indutos, altoque throno insidentes conspicitis, sciendum vobis est hæc omnia ad magna mysteria

innuenda ordinata esse, nimirum ut per hosce ornatus, talibus Prælatis commendet, vivaciterque inculcet et imprimat quam ad perfectionem majorem, virtutumque et sanctitatis lucrum tendendi habeant obligationem. Ac proinde S. Basilius monet dicens : « Oremus, ut qui præsunt Ecclesiis, « quique duces sunt populi, non quidem testi- « ficationem reportent ab externo cultu, aut su- « perinvecto corpori decore habitu, sed ab ipsa « veritate. » Porro vestes sacræ throni, mitræ, annuli, omniaque alia similia ornamenta mystica sunt, imo viva vox quædam sunt, Prælatorum auribus et cordi insonans, vivaciterque imprimens illis virtutes quas præfigurant.

Versus 32.

Similiter et Levita cum esset secus locum et videret eum, pertransiit.

1. — « Sacerdos, » ait Glossa, « Dei legem « annuntiat; descendit quidem lex per Moysen in « mundum, et nullam sanitatem contulit; descen- « dit Levita, qui typum ostendit Prophetarum, sed « et hic nullum sanat, qui lex peccata arguit; sed « pertransit, quia indulgentiam non largitur. »

2. — Levitæ olim erant, quales hodie apud nos sunt Diaconi. Ecce tibi effectum pravum, quem in isto Levita, perversum causavit Sacerdotis exemplum : *Similiter et Levita*; nostra enim depravata indoles, malis potius quam bonis trahitur exemplis, præsertim si a Superiorum excessibus dimanent. Proinde Lucas Brugensis ait : « Qualis Sacerdos, « talis et Levita; minor sequitur majoris exem- « plum. » Aggravatur porro horum duorum defectus ex eo, quia scilicet uterque cultui divino dedicatus, debitum habebat charitatis et compassionis erga proximum, maxime eo tempore, quo ejus exercitium sine sæcularium scandalo intermittere non poterant; veruntamen *sicut lumen eorum, ita et tenebræ*. Iterum uterque de natione Hebraica oriundus erat, uterque de civitate veniebat Jerosolymitana, ubi prædicabatur et explanabatur lex illa charitatis Moysi a Deo data, de bove proximi e lacu extrahendo; si enim Dominus voluit subveniri proximi cujuscumque bovi, forte fortuito in fossam cadenti, quanto verius præceperit subsidium ferri agonizanti, et insuper ab omnibus destituto homini? Ad rem nostram S. Bonaventura ita discurrit : « Et « hoc erat magis reprehensibile in Sacerdotibus et « Levitis, quam in aliis personis, propter quod dici- « tur : *Misericordiam volui et non sacrificium*; unde « iste Legisperitus dicitur dixisse : Diligere proxi- « mum tanquam seipsum, majus est omnibus holo- « caustomatibus et sacrificiis. »

3. — Verbum *pertransiit*, Salmeron ad imitationem Glossæ in sensu allegorico ita interpretatur : « Dicuntur Sacerdos et Levita viso illo præterisse, « quippe per legem cognitio tantum peccati et « infirmitatis habita est; at per illam neque peccati « remissio, neque sanitas collata est. Per legem « notus casus Adæ, spoliatio donorum ac vulne- « ratio, remedium tamen sperandum erat ab uno « Christo; namque impossibile erat, sanguine tau- « rorum et hircorum auferri peccata. »

Versus 33.

Samaritanus autem quidam iter faciens, venit secus eum, et videns eum, misericordia motus est.

Samaritanus autem quidam.

1. — Autumat Jansenius, non sine magnæ rationis pondere Christum Samaritani ingessisse mentionem, utpote cum tota sua gente exosi apud Hebræos : « Præ omnibus gentibus Judæi maxime, » Samaritanos, « aversabantur, sicut et illi Judæos, « ut a Samaritano minime exspectanda videretur « tanta humanitas Judæo homini exhibita. » Ex quibus Didacus Stella hanc elicit moralitatem, quod scilicet in pietatis et misericordiæ operibus erga proximum nunquam attendendum sit, cujus nationis aut indolis, quorum meritorum aut demeritorum sit homo ille, cui beneficium confertur : « Tan- « tum præ oculis est habendus proximus, et ejus « necessitas; Samaritanus charitatem exercet cum « suæ nationis et gentis inimico, ut discas proximo « in necessitate subvenire, etiamsi de te male locu- « tus fuerit, » etc. Concludit denique discursum cum hac, necessaria scitu, distinctione : « Officium « justitiæ est, inquirere qualis unusquisque sit, « misericordiæ vero dolere et misereri pauperis et « proximi inopiæ. »

2. — Albertus Magnus, *Serm.* LXVII, in diversis hujus Samaritani citandis encomiis sese occupat, ex una parte considerando beneficia ab eo in vulneratum collata, et inde ex altera parte totidem in particulari ad utilitatem nostram educendo moralitates. Primum erat, quod subito ad misericordiam et compassionem commotus fuerit, utprimum eumdem miserum hominem vidit : « Igitur et nos, quia « peccatorum vulneribus sauciati sumus, rogare « primo debemus Dei Filium, creatorem nostrum, « ut circa nos misericordia moveatur. » Secundum consistebat in eo, quod accesserit et adhæserit ei, ut extrema miseria laboranti succurrere posset; ita nos pariter Salvatorem nostrum rogare debemus, ut appropinquet nobis cum misericordia sua, prout jam olim per assumptionem humanitatis nostræ visitavit nos. Tertium consistit in infusione vini in vulnera : « Rogandus est, ut vinum ferventissimæ « contritionis vulneribus animarum nostrarum in- « fundat. » Quartum relucet in effusione olei : « Supplicandum ei, ut oleum internæ consolationis, « cum vino contritionis effundat. » Quintum constituit alligatio vulnerum : « Libenter sustinere

« debemus, ut alliget vulnera nostra ligaminibus « præceptorum suorum. » Sextum eminuit in assumptione infirmi super jumentum : « Jumentum « Domini est crux, tunc jumento suo nos impo- « nit, quando nos reminisci facit et imitari ama- « ritudinem passionis suæ. » Septimum correspondet in conductione ad hospitium, per quod figuratur Ecclesia : « Tunc ducit nos in suum hos- « pitium, quando participes fit omnium bonorum, « quæ fiunt in Ecclesia per devotionem electorum : « *Particeps ego sum omnium timentium te. Psal.* « CXVIII, 63. » Octavum se extendit ad charitatem illam, qua impellente curam ejus habere gestit : « Tunc curam nostri agit, cum facit nos proficere « de bono opere in aliud bonum opus; curam circa « nos per hoc ostendit, quod nos Sacerdotibus « Ecclesiæ committit, qui Sacramenta nobis ad sa- « lutem corporis et animæ fideliter administrent. »

3. — Potuisset equidem Samaritanus sub apparenti prætextu, sauciatum hunc subterfugere, dicendo : *Non coutantur Judæi cum Samaritanis.* Judæi nauseant et fugiunt nos : nequaquam conveniens est, ut appropinquem ei, qui me et nationem meam odio et horrori habet; excusare se insuper poterat, addendo : auxiliari tibi non ad me, sed ad Levitam et Sacerdotem pertinet, qui non tantum Ecclesiastici, sed et compatriotæ tui sunt, qui eamdem pariter tenuerunt viam, si illi te dereliquerunt, consequens videtur, quod ad instar bestiæ mori merearis. Perpendit hasce circumstantias S. Ambrosius, *lib.* VII *in Luc.*, dum ait : « Non mediocris « iste Samaritanus, qui eum, quem Sacerdos, quem « Levita despexerat, non etiam ipse despexit. » Potuisset etiam Samaritanus, sub prætextu periculi, cui se exponebat, subducere; restabat siquidem in eo deserto, cum præsenti in eosdem prædones incidendi timore, maxime cum auxiliaretur illi, de quo suspicari poterat, quod forte magnus esset horum assisinorum inimicus, a quibus proinde inimicitiæ potius, quam spoliorum cupiditatis instinctu taliter afflictus esset; has inter angustias magis magisque relucit admiranda Samaritani virtus.

4. — Plurimum huic nos Samaritano debemus, ratione tot salutarium dogmatum, quæ nobis in heroica hac operatione post se reliquit : « Edoce- « mur, » inquit Didacus Stella, « neminem despi- « cere, et semper vivere sancto quodam timore et « humilitate; siquidem coram Deo pluris æstiman- « tur charitatis et pietatis opera, quam litteræ, « sapientiæ et religionis habitus; Deus autem dig- « nitates aut personas non suscipit, sed perfectos « charitate. » Levita quidem et Sacerdos Samaritano excellentiores erant in dignitate, eruditione et doctrina; at Samaritanus utrumque vincebat in charitate. Docuit nos Samaritanus ille, quod opera misericordiæ non superficialiter, aut per modum cæremoniæ, sed ex toto corde, omnique cum industria proximo sint impendenda : non enim sufficiebat Samaritano appropinquasse ad vulneratum, vulnera alligasse, de via amovisse, jumento impositum ad hospitium duxisse, sed insuper pecoris suis oleum, vinum et hospitium ei comparavit; imo ad reddendos stabulario sumptus sese obligavit, si quos forte, se absente, circa ejus curam facturus esset. Ex quibus idem Auctor talem elicit doctrinam : « Docetur etiam, ut non solum interno animi « affectu moveamur, sed etiam ut ipsis operibus « adjuvemus; hic motus misericordia est : pariter « tamen manus liberales extendit. Multi sunt « divites, qui misericordia intus moventur, loculos « tamen claudunt. »

5. — S. Gregorius docet, sæculares mundanosque homines, in operibus charitatis perfectiores esse, ad condemnandum nos, qui divino servitio consecrati, plusque luminis adempti sumus : « Ple- « rumque actione sæcularium, vita continentium « confunditur, cum illi ultra habitum assumant « opera, et illi juxta ordinem proprium non « excitant corde. » Samaritanus hic sine lege vivens, eos condemnat, qui legem indebite prædicant. Adhibet porro Auctor hunc Isaiæ, XIII, 4, textum : *Erubesce Sidon, ait mare;* « quasi enim per « vocem maris ad verecundiam Sidon adducitur, « quando per comparationem vitæ sæcularium « atque in hoc mundo fluctuantium, ejus, qui « munitus et stabilis cernitur, vita reprobatur. » Didacus Stella hocce nobis documentum reliquit : « Oportet nos discere, qui aliis sanctiores haberi « volumus, quippe professi sumus sublimiorem « vitæ statum, ne forte militibus et publicanis « deteriores evadamus. » Ecce Levitam et Sacerdotem, qui non tantum de civitate, sed etiam de templo sancto descendebant, in charitatis et misericordiæ operibus illico deficiunt, nolentes miserrimo auxiliari sæculari, quem schismaticum Deoque inimicum et adversarium esse arbitrabantur.

6. — Huic textui alia innititur ejusdem Auctoris sententia, dicentis, paucos admodum esse, qui datam de operibus misericordiæ, aliisque bonis actionibus præceptum, debite adimpleant : « Docet « locus iste, quam pauci sint, qui veram regulam « et normam proximi servent, et præceptum cha- « ritatis adimpleant; ex tribus unus solus mise- « ricordia utitur; huc enim devenimus, ut illa « tempora feliciora fuerint, quam hæc, quibus « crudelitas et impietas erga proximos exercetur. »

7. — Hic opportunus, ex singulari providentia divina, factus misero illi succursus docet nos, quod Deus nullum omnino destituat aut derelinquat, imo quod omni exspirante auxilii spe, maxime ipse et vicinissime præsto sit ut patet in præsenti; pertransierant enim isti sine compassione ulla, qui præ cæteris ad misericordiam proximo exhibendam obligati erant, et ecce Dominus statim cor Samaritani ad misericordiam inclinavit, *Luc.*, XIX, 40 et III, 8 : *Si hi tacuerint, lapides clamabunt; potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Israel.* Tunc divinam nobis opem vicinissimam spondere possumus, quando videtur esse solito remotior; *Psal.* XXXIII, 19 : *Juxta est Dominus his, qui tribulato sunt corde et humiles spiritu salvabit.* Lippomanus ait : « Ubi « omnis spes desinit et humanum auxilium, tunc « adest divinum. »

8. — S. Bonaventura sensui insistens allegorico, ita sermocinatur : « Persona subveniens ex miseri- « cordia, recte intelligitur Christus, quia Samari- « tanus interpretatur custos, ipse autem est, de « quo in Psalmo, CXVI, 1 : *Nisi Dominus custodierit* « *civitatem.* Et Isaia, XXI, 11 : *Custos quid de nocte?* « Hic venit secus vulneratum, quia in similitudi- « nem hominum factus, et in similitudinem carnis « peccati, adhibuit medicinam, et hoc per gratiam « Sacramentorum, in quibus fiunt inunctiones sa- « nantes vulnera peccatorum; adhibuit etiam vehi- « culum, scilicet per gratiam virtutum et donorum, « per quam vehimur in stabulum Ecclesiæ, secun- « dum illud, *Psal.* LXXXIII, 6 : *Beatus vir cujus est* « *auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit;* « et hoc quidem fit in stabulo Ecclesiæ; unde sub- « ditur : *Elegi abjectus esse in domo Dei mei.* »

9. — Lyranus in sensu morali per hunc Samaritanum, Prædicatores interpretatur et Confessores : « Samaritanus autem est Prædicator et Confessor : « motus ex charitate, alligans vulnera sanciati per « sanum consilium, infundens oleum misericordiæ « et justitiæ vinum, et imponens illum in jumen- « tum, quia non solum mente præbet auxilium, « sed etiam prout potest corpore, quod est animæ « jumentum, et ducit in stabulum Ecclesiæ, ubi « datur pabulum verbi Dei, et Sacramenti Eucha- « ristiæ. »

10. — S. Hieronymus, *Ep. ad Aglas.*, Salvatorem nostrum parabolæ huic, non sine magni ratione momenti, exemplum Samaritani admiscuisse advertit, inquiens : « Dicit, Samaritanum in hac parabola « poni pro signo et miraculo, quod malus benefe- « cerit. »

Iter faciens, venit secus eum.

11. — « Quia se propter nos constituit viato- « rem, » inquit Salmeron, « et hæc fuit potissima « sui itineris causa, at non fortuita, ut fuit Sacer- « dotis et Levitæ, nempe ut *quæreret et salvum* « *faceret quod perierat.* » S. Thomas similiter de Christo hunc textum explicans, *Serm. in hac Dom.*, ait : « Christus propter nos homo factus est, vitæ « præsentis iter arripuit. »

Et videns eum, misericordia motus est.

12. — Hanc parabolam, vel forte historiam, licet Christus principaliter recensuerit, ad ostendendum, quis sit proximus noster, nihilominus etiam juxta mentem Lucæ Brugensis : « Hic plane docemur, « non solum quis sit proximus noster, verum etiam, « quo diligendus modo; primum enim omnium « requiritur affectus misericordiæ et condolentia « animi, ut existimemus aliorum calamitates ad « nos pertinere. » Citat autem hic Auctor illum S. Apostoli, *Hebr.*, XIII, 3, textum : *Mementote vinctorum tanquam simul vincti, et laborantium, tanquam et ipsi in corpore morantes.*

Additiones.

a. — *Samaritanus autem quidam iter faciens*, etc. Concors est Patrum sententia, per hunc Samaritanum intelligi Filium Dei, verum hominum custodem, jampridem a Jacobo et Prophetis vocatum. Sed qui fieri potest, quod Filius Dei terat viam hominis descendentis in Jericho et incidentis in latrones? Non id te moveat, nec tibi mirum videatur, ubi enim fuerit corpus, ibi et congergatur aquila, et ubi fuerit egens, licet in recessibus terræ, et ibi Dei Filius novit appropiare. Imo inde se extollit Filii Dei beneficentia, quod nullum prætermittat horroris locum, dummodo in illo sit aliquis cui benefaciat; ad exemplum nostrum ut eidem similes fiamus per exercita misericordiæ opera.

b. — Samaritani parabola, qui tanta cum charitate infelicem illum hominem, a latronibus semivivum in via et saucium relictum, curavit, docet nos tribuere in simplicitate secundum verbum Apostoli, *Rom.*, XII, 8 : *Qui tribuit in simplicitate, qui miseretur in hilaritate.* Erat infelix viator ille Jerosolymitanus; Sacerdos et Levita sine ulla misericordia desolatum hunc hominem prætierierant; et licet Samaritanus quoque longe rationabilius excusare se potuisset, sub prætextu quod Judæi Samaritanis non coutantur, prout lasciva illa mulier Samaritana Redemptori improperaverat, dicendo : *Quomodo tu Judæus cum sis, bibere a me poscis, quæ sum mulier Samaritana? Non enim coutuntur Judæi Samaritanis.* Attamen ad hoc Samaritanus ille non respexit, probe sciens, quod quando de exercendis misericordiæ operibus agitur, etiam inimici nobis sint proximi. Unde S. Bonaventura ait : « Si illi duo « ejusdem generis erant, iste alienus. Ergo proximi « nomen non solum se extendit ad propinquos, « verum etiam ad extraneos. Unde Beda juxta « litteram ait : Patet quod alienigena Jerosolymi- « tano, cui misericordiam impendit, proximior fuit « quam Sacerdos et Levita gentis ejusdem. Patet « etiam quod proximitas magis attenditur penes « naturalem dilectionem et compassionem, quam « penes carnalem cognationem. Unde Ambrosius « ait : Cognatio non facit proximum, sed miseri- « cordia, quæ in misericordia secundum naturam

« est, quam naturam juvare consortem. » Idem Seraphicus Doctor, super illa verba : *Vade, et tu fac similiter*, inquit : « Ut omni homini misericor- « diam impendas, si vis esse vere misericors, quia « dicitur : *Misericordia Dei super omnem carnem*, id « est, quæ ex Deo procedit; Dei namque miseri- « cordia ad omnes se extendit. » Abulensis ait : « Etiamsi malis misericordiæ opera impendamus, « benefacimus, ita enim Christus hortatur : *Estote « misericordes sicut et Pater vester misericors est, qui « solem suum oriri facit super bonos et malos. Matt.*, « v, 45. » D. Chrysostomus rem hanc sequenti explicat aptissima similitudine, inquiens : « Portus « est in necessitate constitutorum homo miseri- « cors. Portus autem omnes, qui in naufragium « inciderint, excipit, liberatque, sive mali fuerint, « sive boni. Denique quicumque fuerint, qui peri- « clitantur, in sinus ille suos excipit. »

c. — Allegorice, præterierunt Sacerdos et Levita, ex semine Aaron, cum suis pervetustis sacrificiis ac ritibus; minime homini gravissime cæso, medicamen attulerunt. Accessit vero Samaritanus, id est, custos, hoc est, Christus Dominus hominum custos, et misericordia motus, homini jacenti ac mortifere vulnerato, præstitit medicinam oleo et vino sacratissimi sui sanguinis. Deus genus humanum ab æterna morte suscitare volens, primo Moysen una cum lege scripta in hunc mundum misit, sed frustra, quia *nihil ad perfectum adduxit lex. Heb.*, vii, 19. Et ideo ipsemet in hunc mundum venit : *Et homo factus est*. Venit inquam in propria persona, seque Virginis Matris suæ castissimo utero inclusit; hidemque infinitam immensitatem suam nostræ modicitati commeliens adoptavit, perque triginta trium annorum decursum obambulans : *Pertransiit benefaciendo et sanando omnes; Act.*, x, 38; mysticum Ecclesiæ suæ corpus paulatim doctrinæ Evangelicæ igne calefecit : *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur? Luc.*, xii, 49; dumque sibi minime satisfactum esse credebat, per hoc, quod damnationis nostræ chirographum in cruce delevisset, divinæque justitiæ, pro summa peccatorum nostrorum infinitato abundanter satisfecisset, quod item Sacramenta instituisset, atque in Cœlum sanguine suo adapertum, terram, id est, humanam naturam nostram intulisset, cum inquam hæc omnia, minime arbitraretur sufficere, insuper ad nos per majorem cœlestium gratiarum copiam vivificandos, ad nos per thesaurorum septemque donorum suorum plenitudinem mittere voluit Spiritum Sanctum. Jam vero quia sibi post pergrandissimum redemptionis nostræ negotium, ad Patrem redeundum esse optime noverat : *Opus consummavi quod dedisti mihi ut faciam, et ego ad te venio, Joan.*, xvii, 4, aptissimum quemdam modum, quo nobiscum hic in terris, in Sacramento videlicet Eucharistiæ, quod instituit, manere posset, excogitavit, ut hoc pacto, non solum nobiscum remaneret, verum etiam ob amorem nostrum quotidie in sacrificio incruento a Sacerdotibus offerri posset; ac proinde S. Bernardinus his verbis optime meditatur : Quasi non sufficeret amoroso Jesu ad inebriati amoris sui ostensionem, quod semel sanguinem suum sacrum pro nobis realiter effuderit in ligno, nisi nobis quotidie effundat sub Sacramento. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi. Matth.*, xxviii, 20.

Versus 34.

Et appropians, alligavit vulnera ejus, infundens oleum et vinum, et imponens illum in jumentum suum, duxit in stabulum et curam ejus egit.

Et appropians.

1. — « Propius accedens, » ait Jansenius, « per « suam nobiscum conversationem. » *Hebr.*, i, 1 : *Olim loquens Patribus in Prophetis, novissime locutus est nobis in Filio; in terris visus est, et cum hominibus conversatus est. Baruc.*, iii, 38. S. Augustinus pariter de Christo interpretatur, dicens : « Compassionis « nostræ susceptione finitimus, et misericordiæ « collatione vicinus. »

2. — Lucas Brugensis fusius nobis explanat, in quo consistat illa ad proximum approximatio : « Manum admovet, vulnera alligat, et quod necessi- « tas poscit, quodcumque potest, ipse facit, omnia « quæ habet, miseri usibus concedit. » De jumento suo descendit, et saucium ei superimponens, ipse pedester graditur : « Neque impensis, neque labo- « ribus pareit, tam absens quam præsens providet « egenti. » Hæc et similia imitando, vere appropiamus proximo nostro.

Alligavit vulnera ejus.

3. — Multa nos fortuito ascribimus eventui, quæ tamen omnia infallibilis Dei providentia taliter futura ordinat, prævidet et prospicit, id quod in hoc quoque Samaritano adimpletum fuisse, docet Origenes, *Hom.* xxxiv *in Luc.* : « Ut autem scias, « quod juxta providentiam Dei, Samarites iste « descenderit, ut curaret eum, qui inciderat in « latrones, manifeste doceberis ex eo, quod secum « habebat alligaturas, secum oleum, secum vinum. » Inspiraverat Samaritano Deus ut omnia illa secum portaret, quæ in subsidium miseri illius necessaria deserviebant, et sine quibus in vasta illa solitudine mortuus esset, *Psal.* cxlvi, 3 : *Qui sanat contritos corde, et alligat contritiones eorum, qui numerat multitudinem stellarum, et omnibus eis nomina vocat.* Non defuit, qui Samaritanum hunc operibus misericordiæ vacandi consuetudinem habuisse, pie contemplaretur, ideoque illas secus fascias deportasse. Vel etiam dicere possumus, in præsenti locum

habuisse illud Domini præceptum : *Scindite corda vestra*. Motivo scilicet misericordiæ et compassionis erga proximum; ita namque de Samaritano dicitur : *Misericordia motus, appropians alligavit vulnera ejus*; hoc est : Non habens alias secum fascias, nec linum, rupit, divisit, laceravit proprium, quod in dorso portabat indusium, ut alligaturas haberet in medelam vulnerum proximi sui.

4. — Insigne ex hoc Samaritani facto, pietatis documentum elicit Didacus Stella inquiens : « Doce- « mur, ut vulnera et ulcera pauperum non sint « nobis tædio, nec fastidium nobis generent, quem- « admodum multis, qui ut illa non videant, oculos « et capita retorquent; Samaritanus appropians « alligavit, nam si perfecta charitate es munitus, « propriis manibus pauperem debes tangere et « alligare, Christum sequens percussum et vulne- « ratum, ut animæ tuæ vulneribus ipse mede- « retur. »

5. — S. Thomas ita interpretatur : « Sacramen- « torum ad salutem peccatorum institutio *alligavit « vulnera ejus.* »

6. — S. Bonaventura autem in hac vulnerum ligatura, observantiam existimat denotari præceptorum : « Nota, quod Dominus ligaturis, scilicet de- « cem præceptis, hominem ligat sicut vulneratum, « ne in vulneribus moriatur. »

7. — Salmeron in sensu moali verba illa de protoparente et corrupta natura nostra explanans, inquit : « Hoc fuit alligare, non quidem auferre, « sed comprimere concupiscentias, illasque ut vinci « possint, mitigare; atque hoc præstitit per legem « novam, vim ligandi habentem, nam lex a ligando « dicitur; vincula illius ligatura salutis. »

8. — Jansenius pariter quidem de Christo, sed cum alio ad eum respectu exponit : « Mox cœpit « obligare vincula nostra vinculo doctrinæ et gratiæ « suæ. » S. Augustinus denique ita discurrit : « *Alli- « gavit vulnera ejus*, peccata redarguendo cohibuit. »

Infundens oleum.

9. — S. Ambrosius, *lib.* VII *in Luc.*, mentem suam ad diversa quæ Samaritanus adhibuit remedia extendit, inquiens : « Multa medicamenta medi- « cus habet iste, quibus sanare consuevit, sermo « ejus medicamentum est; alius ejus sermo con- « stringit vulnera; alius oleo foveet; alius vinum « infundit; constringit vulnera austeritate præ- « cepti, foveet remissione peccati, sicut vino com- « pungit denuntiationes judicii. »

10. — Ad charismata Sancti Spiritus locum hunc transfert S. Thomas : « Gratiæ Spiritus Sancti in- « fusio, infundit oleum. » Videtur autem Angelicus Doctor illa Ecclesiæ respicere verba quibus Spiritum Sanctum nominat unctionem spiritualem : « Spiritalis unctio. »

11. — Effectus et proprietates olei discutiens Salmeron per liquorem istum intelligit gratiam divinam : « Oleum etiam ad usum lucis, et ad un- « gendum luctatores, et ad cibos, quos edimus, « præparandos, solet deservire; et talis est divina « gratia, Christi sanguine empta, quæ illuminat « contra ignorantiam, et adjuvat contra imbecilli- « tatem, et dulcescere facit cordibus nostris præ- « cepta Dei. »

Et vinum.

12. — S. Augustinus utriusque hujus liquoris infusionem in sensu morali ita interpretatur : « In- « fundit oleum, dum pœnitentibus tribuit spem, « dicens : *Pœnitentiam agite, quia appropinquat « regnum cœlorum*; infundit vinum dum peccanti- « bus terrorem pœnæ incutit Dominus, dicens : « *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, exci- « detur et in ignem mittetur.* »

13. — S. Gregorius pariter a sensu litterali ad moralem transit, dum inquit : « Per vinum mor- « deantur vulnera, per oleum foveantur, miscenda « est lenitas cum severitate; sit rigor, sed non « exasperans; sit zelus, sed non immoderate sæ- « viens; sit pietas, sed non plus quam expediat. »

14. — Chrysostomus etiam vini et olei consideration intentus, in vino sanguinem contemplatur Redemptoris : « Vinum, id est, sanguinem passio- « nis et oleum chrismatis, quibus et delictorum « vulnera curantur et sanctificationis tutela præstan- « tur, ut indulgentia daretur per sanguinem, sanc- « tificatio conferretur per charismatis unctionem. »

15. — Salmeron non omnimodo dissimilem a Chrysostomo discursum format, dum per duos hos liquores, effusum pro nobis Christi sanguinem intelligit, dicens : « Quatenus dolorem et timorem « incutit, vinum est, quia de beneficiis Dei etiam « timendum, et quo majora, eo magis trepidandum « est nobis ne ingrati inveniamur : est ergo vinum, « quatenus pœnitentiam elicit, et obedientiam le- « gis, et limitationem suæ mortis a nobis exigit; « oleum vero liniens est, quatenus remissionem « peccatorum, et spem vitæ æternæ, et amorem, « atque in adversitatibus consolationem et patien- « tiam tribuit. »

16. — Divinum hunc Samaritanum oleo et vino convenientissime instructum esse perpendit Jansenius, dum ait : « Oleum et vinum, quæ solus ille « secum in via assumpsit, ac nobis infundere po- « tuit, hoc est, gratia et charismatibus Spiritus « Sancti, ac sui sanguinis effusione nos curans; « hæc enim recte per oleum et vinum quis in- « tellexerit; in quibus etiam duabus materiis, « omnia pene Sacramenta, quibus curamur, con- « sistunt. »

Et imponens illum in jumentum suum.

17. — Juxta S. Augustini sententiam : « Jumen-

« tum caro ipsius est, » scilicet Christi, « in qua ad « nos venit, in quam sanctum imponit, quia peccata « nostra portavit in corpore suo; imponi jumento, « est in ipsam incarnationem credere. »

18. — Theophylactus etiam, nomine jumenti corpus designari existimat, dicens : « Imposuit in « suum jumentum, hoc est, in corpus suum; mem- « bra namque sua nos fecit et participes corporis « ejus. »

19. — S. Ambrosius dicit : « Jumento imponit, « dum peccata nostra portat, et pro nobis dolet; « homo enim jumento similis factus est. »

20. — Observat Salmeron in itinere suo non qualecumque animal, sed notanter jumentum conduxisse : « Jumentum a juvando, quasi juvamen- « tum; et significat innocentissimam carnem Do- « mini, quam assumpsit, ut eam sacrificaret pro « delictis nostris et in qua onera peccatorum « nostrorum portaret. »

Duxit in stabulum.

21. — « Stabulum est præsens Ecclesia, » inquit S. Augustinus, *lib. II quæst. Ev.*, « ubi reficiuntur « viatores, in æternam patriam redeuntes; imposi- « tus jumento in stabulum ducitur, quia nec nisi « baptizatus, nisi corpori Christi adunatus Eccle- « siam intravit. »

22. — Lucas Brugensis insistens sensui litteruli, negat, nomine stabuli accipiendum esse stabulum stricte dictum sed : « Diversorium hospitium, quod « *pandochion* græce dicitur, quasi quorumvis sus- « ceptaculum, latine *stabulum* a stando, quod « viatores ex itinere fessi, illic stent. » Eamdem quoque opinionem sustinet Albertus Magnus, dum ait : « Ecce beneficium hospitalitatis, stabulum a « stando dicitur; et significat Ecclesiam, in quam « pœnitens introducitur per pœnitentiam. »

Et curam ejus egit.

23. — Circa hæc verba S. Augustinus conformiter prædictis, ita sermocinatur : « Curam egit, « ne æger præcepta, quæ acceperat, dimitteret. »

Additiones.

a. — *Et appropians, alligavit vulnera ejus*, etc. Quod iste homo asportaverit secum vinum et oleum, facile intelligitur, vinum pro potu, oleum pro cibo. Sed unde in deserto habuerit alligaturas quæritur. Respondet pulchro morali documento Chrysostomus, *Hom. super hoc Evang.* : « Teguntur vulnera « quæ fuerant ante denudata; jam cœlesti Medico « confossa loca ligantur, ut infra semetipsa reti- « nentia medicinam, operante medicamine pris- « tinæ sanitati reddantur. » Ut semimortuo medicamen ac sanitatem conferret, divinus Medicus ejus vulnera linteamentis tegit, nam si vulnerum ac peccatorum cicatrices discooperientur, ac propalantur, magis obdurescunt et deteriora fiunt. Criminum enim divulgatione sæpe impudentiores redduntur homines, cum jam proprium honorem ac reputationem parvi pendant, unde correctio quæ est medicina spiritualis debet esse secreta. *Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum. Matth.*, XVIII, 15. Quare correptio hæc facienda est inter correptorem et corrigendum solum? Doctor Angelicus respondet : « Quia « ista correctio fit ex charitate; ideo attendenda « conscientia, et bona, et bona fama corrigendi. Si « ante omnes corrigis, famam ejus tollis. » S. Hieronymus aliud quoddam notabile punctum tangit, dicens : « Corripiendus est frater seorsum, ne si « semel pudorem et verecundiam amiserit, rema- « neat in peccato. » S. Thomas auctoritatem quamdam adducit S. Augustini qui hæc verba exponens ait : « Studens correctioni, parcens pudori. Forte « enim præ verecundia incipit defendere peccatum « suum, et quem vis facere meliorem, facis pejo- « rem. Sed ad hæc tenemur per præceptum chari- « tatis, ut caveamus, ne frater deterior efficiatur. » S. Bernardinus eamdem doctrinam a S. Augustino didicit, ita enim scribit : « Peccator enim, quando « statim coram aliis increpatur, excusare se solet, « aut indignari, seu sua crimina defensare; per « talem autem secretam et charitativam correctio- « nem parcitur illius confusioni et ostenditur sig- « num charitatis, et per consequens, talis modus « magis est retractivus a malo, ac magis inductivus « ad bonum. »

b. — Samaritanus charitate vulneratus, suum commodum, suumque iter contemnit, et quæ secum ad viaticum ferebat, vinum scilicet et oleum, bonam eorum partem in homine curando impendit. Non præterit ex adverso, ut fecerunt Sacerdos et Levita; sed proxime accessit ad saucium. Et quia vera misericordia, ut ait D. Bonaventura in opere declaratur, non solum ostendit affectum, nec verba profert, non quærit, quomodo illud contigerit, sed totus in pietatis negotio intentus, accedens, manum admovit et obligavit fasciis vulnera, partim etiam ut ipsis compressa, medicinam retinerent, faciliusque coalescerent. « Confossa loca, » ait S. Chrysostomus, « ligantur ut intra semetipsa reti- « nentia medicinam, operante medicamine, sanitati « reddantur. » Quis itaque hic non admiretur singularem Dei providentiam, qua derelicto saucio succurrit per Samaritanum? Et eam quidem amplius in eo, quod secum in promptu habeat fascias pro vulneribus alligandis, in loco horrido et vastæ solitudinis? Quo tanta ipsius scilicet Dei providentia, hic clare adumbratur, ut non solum tanquam nutrix, sed et veluti mater provideat; et ita quidem singulis in particulari, quomodo universim omnibus providet.

c. — In hac hominis Samaritani pietate, nulla

ipsaque eximie prælustria effulgent, expositione et commendatione dignissima; illud tamen maxime deprædicat S. Joannes Chrysostomus, quod prætereuntium exempla minime insecutus fuerit; sic fatur : « *Accidit ut Sacerdos.* Quin etiam si alii hoc « fecerint, ne tu feceris. Ne dixeris apud temetip- « sum : Homo sum mundanus, uxorem et liberos « habeo; ista Sacerdotum sunt, ista monachorum; « neque enim Samaritanus hæc dicebat. » Sed mira pietate et misericordia hunc miserum prosecutus, alligavit vulnera infundens oleum et vinum, memor illius Sapientis consilii, *Prov.*, III, 3 : *Misericordia et veritas non te deserant*; quæ tunc deserunt te, cum proximum in necessitate jacentem deseris. Igitur Samaritanus non contentus interiorem animi affectum et misericordiam erga vulneratum gerere, eamdem ipsis operibus perfecit et publicavit, docens hocce suo exemplo, quod in omni vocatione fieri possit charitatis exercitium, quo mediante lucremur cœlestem gloriam.

d. — *Et imponens illum in jumentum suum*, etc. Hæc sunt beneficia, quæ Samaritanus in spoliatum et vulneratum contulit, ex quibus oportet eos qui aliis sanctiores esse volunt et haberi, discere; ne forte militibus, Publicanis et Samaritanis deteriores evadant. Vides hic Sacerdotem et Levitam ex populo Judæorum electo, qui sanctiores judicabantur, uti et esse debuissent, tamen nihil charitatis, nec misericordiæ in ipsis inventum est. Samaritanus vero, qui natione erat Gentilis, idololatra; quique nullam habebat cognitionem Dei et a Judæis contemnebatur; hic inquam, Judæis melior evasit. Et quidem non melior quibuscumque, sed Sacerdotibus et Levitis, in loco vastæ solitudinis, inter mera pericula maxime charitativus existens. Ut hinc evidenter colligere liceat, quod nec locus, nec status sæcularis, virtutis exercitio, aut sanctitatis lucro præjudicet, aut obsistat. Sic nimirum in statu etiam sæculari humanæ prosperitatis merita acquiri possunt paria iis qui in perfectiori statu vivunt. David Rex Israel, regio insidens throno, ad excipiendas subditorum causas querelasque expositus publicisque expediendis intentus negotiis; ille inquam qui frequenter militiæ assistebat, bello personaliter præerat, asserit nihilominus incolam se esse eremi : *Ecce elongavi fugiens et mansi in solitudine.* S. Francisca Romana quamvis tota proclivis esset ad vitam religiosam, Deus tamen, mediante Confessario, ei significavit divinæ suæ esse voluntati conforme, si nuberet et in statu conjugali ei serviret. Obedivit illa, regimen domus et familiæ conjunxit cum solitudine mentis, cui sæpe ipsa vacabat. Job multorum statuum dominus erat et princeps, plurimos sub se habebat subditos, Deus insuper specialiter ei benediebat, dederatque numerosam familiam, solitudines tamen sibi ædificabat : *Nunc silerem et requiescerem cum regibus et consulibus terræ, qui ædificant sibi solitudines. Job.*, III, 13. S. Philippus Nerius continuo visitabatur a Cardinalibus aliisque Prælatis, qui ad ipsum tanquam ad oraculum recurrebant; nihilominus nihil prorsus de sua interna mentis recollectione et solitudine remittebat, imo eminentis sanctitatis lucrum facit in mundanæ conversatione gentis.

e. — Non reliquit Samaritanus miserum hominem in eo loco, sed manibus sublatum a terra, imposuit eum in suo jumento, seu ut legit Arrias, in proprio jumento, a quo ipse descenderat; et sic pedes incedens, jumentum freno prehensum, duxit in stabulum. Itane qui summæ charitatis leges et regulas omnes perfecte adimplet, adeo improvidus est, ut semimortuum ad animalium stabulum deducat, ubi ex fœtore eorum, facillime expirare poterat? Satius in molli culcitra reclinatum et in suaveolente cubili collocasset, quo sic suavissimo aromaticarum specierum odore, debilitatas vires restaurasset? Verum non sine mysterio in stabulum duxit; infelix enim ille homo sic a latronibus despoliatus, peccatorem quemlibet figurabat, quem piissimus Samaritanus Christus, ideo in stabulum duxit, ut recognosceret se per peccatum bestiis assimilatum et comparatum, quorum propria habitatio stabulum est. « Vere namque sordida luxurio- « saque vita, » ut ait S. Gregorius Nyssenus, « ex « corrupto fœtidoque limo passionum profecta, « dubium quoddam animal est : homo natura « est; quia vero ita vivit electione, pecus pecude- « que sordidius. »

VERSUS 35.

Et altera die protulit duos denarios, et dedit stabulario, et ait : Curam ejus habe, et quodcumque supererogaveris, ego cum rediero, reddam tibi.

Et altera die protulit duos denarios.

1. — « Sed non vacat Samaritano, » inquit S. Augustinus, « diu in terris degere; redeundum « erat, unde descenderat; itaque *altero die*, id est, « post resurrectionem quia fortassis parvam habebat, « secundum illud, *Tob.*, IV, 9 : *Quomodo potueris, esto « misericors; si multum tibi fuerit, abundanter tri- « bue; si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum imper- « tiri stude*; et quia quamvis modica esset pecu- « nia, magna tamen erat subveniendi voluntas, « ideo subditur : *Curam illius habe et quodcumque « supererogaveris*, etc. »

2. — Salmeron ex hoc duplici denario obligatio-

nem et debitum elicit Prælatorum et superiorum Ecclesiasticorum : « Præpositis ad bene gubernan- « dum dedit duos denarios, id est, potestatem Verbi « et Sacramenti, vel intelligentiam novi et veteris « Testamenti, quæ eamdem Dei imaginem referunt « et secundum quam, Ecclesiam regere debent; « vel dilectionis et proximi præcepta, sine quibus « nemo bene gubernat. »

Et dedit stabulario.

3. — S. Augustinus per stabularium Apostolos intelligens, dicit : « Id est, Apostolis dedit, quia « tunc illis sensum aperuit, ut intelligerent Scriptu- « ras. » Origenes quoque, *Hom.* XXXIV *in Luc.*, stabularium vocat : « Ecclesiæ præsidens cui dispen- « satio credita est. »

Et ait : Curam illius habe.

4. — « Hoc dictum est, » ait Salmeron. « Petro, « et in illo, et per illum, in consecratione, omnibus « Episcopis dicitur. » Quamdiu divinus Samaritanus ipse nobis præsens aderat, vulneribus peccatorum nostrorum sanandis sollicite invigilabat, *Joan.*, XVII, 12 : « *Cum essem cum eis, ego servabam eos* usque ad « diem resurrectionis, sive ascensionis; nam ille « est dies alter a passione, et tunc *protulit duos* « *denarios*, quos *dedit stabulario* sive hospiti, hoc « est, Petro Apostolorum Principi et Ecclesiæ « Pastori, cui ad litteram post resurrectionem data « est tanquam Pastori, cura ovium Christi; et in « eo intelligendus est omnis ordo Prælatorum. » Considerat, quod sæpe sæpius per fragilitatem nostram in priora peccata relabamur et consequenter iterum a latronibus infernalibus spoliemur; propterea : « Congruum erat, ut tantæ sapientiæ « medico spiritualiter relinqueret. » Insignem horum verborum contemplationem, nobis post se scriptam reliquit, in Epistola ad Eugenium Papam, S. Bernardus inquiens : « Audisti, *curam illius habe*, « non cura, vel sana illum; verum dixit, quidam : « Non est in medico, semper relevetur ut æger. « Fac tu quod tuum est, nam Deus quod suum est, « absque tua sollicitudine et anxietate curabit. »

Et quodcumque supererogaveris, ego cum rediero, reddam tibi.

5. — S. Augustinus hujusmodi desuper discursum format : « Supererogat Apostolus, cum dicit : « *De virginibus præceptum Domini non habeo, consi-* « *lium autem do*; supererogat, cum non utitur « potestate accipiendi necessaria; rediens in judicio « reddet, dicens : *Quia supra pauca fuisti fidelis,* « *supra multa te constituam.* » Notandum vero occurrit, Samaritanum hospitio certum dedisse duorum denariorum pretium, pro laboribus transactis; at pro impendendis certam indefinite promisisse satisfactionem : *Quodcumque supererogaveris*; ratio differentiæ hæc est, quæ fiunt præceptorum adimplendorum gratia, suam habent limitatam mercedem; at opera supererogationis merces manet indefinita et illimitata. Differentiam porro, quæ inter hæc præcepti et consilii opera intercedit, hanc nobis tradit Salmeron : « Erogat, qui sibi « talenta credita distribuit; supererogat, qui am- « plius quam accipit, impendit, id est, qui præ- « ceptis Christi adjungit Ecclesiæ mandata, et illa « pro tempore, et loco, et personarum ratione « constituit, pro melius serventur divina et Evan- « gelica decreta, præscriptisque Domino adjungit « consilia. »

6. — Neque obiter consideranda erit hæc in subventione miseri, tanta Samaritani liberalitas, nullum enim sanationis aut sollicitudinis definit pretium, sed : *Quodcumque supererogaveris* ; non obstante, quod de natione oriundus esset veræ religioni inimica; ecce tibi eleemosynarum, etiam a malis sæcularibus factarum utilitatem, dum tales Dominus gratiose illuminat et in veræ cognitionis viam reducit.

Additiones.

a. — *Et altera die protulit duos denarios*, etc. Quod stabulario promisit, supererogatur redditurum, effectus eximiæ charitatis Samaritani in vulneratum fuit, quam maxime sequentibus verbis commendat Bachiarius, dicens : « Magister noster a « latronibus vulneratum, non solum cura dignum « judicat, verum etiam ad stabulum suum restituit; « ac datis stabulario duobus denariis, majus ei « præmium pollicetur. » Ex vi sui eximii amoris, Samaritanus, id est, Christus, sollicitus fuit de homine miserrimo, atque ad ejus curam protulit duos denarios, qui gratiam in præsenti, et gloriam in futuro designant, quam acquirunt, qui cum hoc vulnerato patienter corporis adversa tolerant. Nam infirmitates corporales divini amoris signa et indicia sunt, multaque bona conferant. Illis compati et condolere solemus, qui tribulationibus et adversitatibus vel maxime premuntur; at decipimur, quia Deus amando justos, eos instar auri in fornace tribulationis vult mundari in hac lacrymarum valle : « Cavete, » dicit Eusebius, « ne in arena « mundi, in quam ad subeundos labores missi « sumus, aliquam felicitatem expectandam pute- « tis. » Malum signum est si nobis prospera obtingat fortuna. Sane æternæ retributionis obtinendæ signum non est, quæ indissolubilem cum ærumnis et adversitatibus habet connexionem. *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum.* Ubi advertendum, Salvatorem non dicere, *expedit, decet*, sed *oportet*. David homo erat secundum cor Dei : *Inveni hominem secundum cor meum*; jussit quadam vice, aut ex instinctu vanitatis, aut certe ut regni sui vires et potentiam haberet perspectam,

lustrari et numerari totum sibi subjectum populum; qua propter Deus graviter indignatus, ei intimari fecit, ut unum e tribus hisce eligeret flagellis, nempe, vel persecutionem, aut famem, aut pestilentiam. Et quia hoc ultimum elegerat, quam ferociter lues pestifera in totum sævierit populum cunctis notum est. Verum numquid Cæsar Augustus, totius mundi monarcha, jussit describi ac annumerari omnes suos subditos? Et tamen non constat, illum fuisse castigatum. Responsio in promptu est : Deus noster quem titulo Patris honoramus et vocamus, *flagellat omnem filium quem recipit.* Ex hoc filiorum Dei numero non erat Augustus.

b. — Vere pius, vere misericors fuit hic Samaritanus. Tam absens quam præsens providet indigenti, et non relinquit eum hospitis expensis curandum, sed de suo profert, ut ei ministretur. Securus hic esse poterit in extremo die Judicii, in quo processus præcipue circa opera misericordiæ instituetur, quibus se electi tuebuntur; eorum vero omissio reprobis in damnationem cedet. De S. Elisabetha Hungariæ regina refertur, quod cum ei hospitalia sæpe frequentanti, infirmisque ibidem decumbentibus, magna cum charitate et compassione inservienti, pium hoc ministerium a pedissequis suis dissuaderetur, ipsa eas responso adæquato compescuerit, imo ad se sequendam et imitandam stimulos addiderit, dicendo : Ego me dispono et præparo ad diem judicii, ut examinanti me Judici apte respondere possim; dictura enim sum Christo : Recordare quod tibi in hospitalibus infirmanti tanta cum charitate inservierim, ut pedissequæ meæ ab hoc pietatis officio me revocare conatæ fuerint. Porro quod judicandi de sola sint misericordia examinandi, an scilicet eamdem adimpleverint, et circa quos, an vero eamdem neglexerint, hujus veritatis plenæ sunt antiqui et novi Testamenti paginæ. Et certe si in illa die congregares omnes eloquentissimos totius mundi oratores, advocatos idem celeberrimos, sanctos quoque Paradisi efficacissimos, causam tuam in illo tribunali nulla ratione tueri, vel ab inexorabili Judice gratiam quantumvis minimam obtinere posses. At vero, si tecum habere potueris pauperculum aliquem a te sublevatum, vel infirmum sollicite a te curatum, vel vinctum in carcere a te visitatum, hi utique efficacius et potentius te juvabunt, quam omnes mundi thesauri, omnesque cœlites Paradisi. Auscultemus igitur illud salubre Tobiæ, IV, 7, consilium : *Ex substantia tua fac eleemosynam, et noli avertere faciem tuam ab ullo paupere. Ita enim fiet ut nec a te avertatur facies Domini.* Ast quia mendicus se excusare poterat, eo quod inops ipse alienas non posset sublevare necessitates, vel infirmus, quod aliis servire non posset, ideo subdit Tobias, inquiens : *Quomodo potueris, ita esto misericors.* Deus enim non tam manus quam cor respicit, dicente S. Gregorio : « Ante Dei oculos, « nunquam est vacua manus a munere, si fuerit « arca cordis repleta bona voluntate. » S. Bernardus addit : « Deus indubitanter tribuit bonæ volun- « tati, quod deficit facultati. »

VERSUS 36.

Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse, qui incidit in latrones.

1. — Isidorus Pelusiota pluribus docet, quis in præsenti per proximum intelligendus fuerit : « Proxi- « mitas natura æstimatur non virtute, substantia « non dignitate, compassione non loco, curationis « modo et non loci perpetuitate; illum namque ar- « bitrare proximum, qui tui maxime indigeat, et « sponte tua ad auxilium ei ferendum accede. »

2. — Hanc quæstionem format sapientissimus Magister, volens, ut Samaritanus ex hisce tribus designet eum, qui vere illius vulnerati proximus fuisse dicendus sit, quatenus ita ore proprio seipsum condemnet, suamque reprobet opinionem, vi cujus tenebat, solos suæ nationis homines, Judæos scilicet, proximos denominandos esse. Et ideo Salmeron ait : « Dominus hac parabola indicat, proxi- « mum non concludi Judaicæ gentis angustiis, sed « quemlibet hominem hac appellatione compre- « hensum esse. »

3. — Advertit Theophylactus, ipsum, qui Legisperito loquebatur, eumdem fuisse, qui nostram coagulaverat naturam : « Salvator, quoniam condi- « tor ipse erat, sciens nos omnes unam creaturam, « non operibus neque dignitatibus, sed natura « definit proximum; omnes enim inquit, qui ejus- « dem naturæ sunt, proximi tui sunt. » Scriba autem nec Sacerdotem, nec Levitam, hujus vulnerati proximos censebat esse compellandos, ratus proximitatem non a personarum dignitate, non a nationum diversitate, neque a prudentum scientia, sed a dilectionis præcepto derivandam esse : *Diliges proximum tuum sicut teipsum*, ideoque respondere coactus fuit : *Qui fecit misericordiam.*

4. — Contra quem pariter militat hæc Lucæ Brugensis doctrina : « Ratio proximi in communi « hominis natura fundatur, hominem enim homi- « nis causa creavit Deus, cunctosque inter se ita « devinxit, ut se mutuo diligere juvareque tenean- « tur, nullo habito respectu justitiæ, amicitiæ, « generis, patriæ, nationis, aut quorumvis alio- « rum. »

VERSUS 37.

At ille dixit : Qui fecit misericordiam in illum; et ait illi Jesu : Vade et tu fac similiter.

At ille dixit : Qui fecit misericordiam in illum.

1. — « Non enim cogitatio, » inquit S. Ambrosius, « facit proximum, sed misericordia; quia

« misericordia secundum naturam; nihil enim tam « secundum naturam, quam juvare consortem na- « turæ. »

2. — S. Bonaventura hac S. Ambrosii sententia propriam stabilire nititur, dum ait : « Patet, quod « proximitas magis autem attenditur penes natura- « lem dilectionem et compassionem, quam penes « carnalem cognationem. »

3. — Accommode ponderat Salmeron, hunc Legisperitum contra propriam etiam voluntatem suam, compulsum fuisse ad veritatem edicendam : « Tanta « est vis veritatis, ut ex ore hostium etiam capita- « lium interdum prorumpat. » Tales autem erant inimici adversum Judæos Samaritani.

Et ait illi Jesus : Vade et tu fac similiter.

4. — Epilogum hunc Albertus Magnus sequenti illustrat doctrina. « *Vade* potius profectu virtutis, « quam passu pedis. *Fac*, non doce tantum, sed ad « opus convertere; ideo enim *Levit.*, I, præcipitur : « *Os turturis in sacrificio ad ascellas retorqueri*, ut « os doctrinæ verbi ad opus retorqueatur. »

Additio.

a. — *Vade et tu fac similiter.* Samaritani misericordia proponitur, et statim ait Dominus Judæo : *Vade et tu fac similiter.* Et cur fidelis homo non facit bona quæ vel ab infidelibus fieri videt? Equidem efficacissimæ sunt infidelium misericordiæ, ut fideles misericordes efficiant et humanos. Et quid homo hominem non efficeret elementem et humanum, cum ipsamet natura multaque animalia ad misericordiam nos exstimulent, quæ præcipuus est Christiani character. Malachias Propheta, II, 10, sic ait : *Numquid non pater unus omnium nostrum? Numquid non Deus unus creavit nos? Quare ergo despicit unusquisque nostrum fratrem suum?* His verbis insinuatur, capere se non posse, quomodo unus homo alium in suis necessitatibus deserere valeat, cum tamen omnes non solum proximi, sed etiam fratres sumus, utpote qui eamdem ab eodem patre, scilicet Deo, originem habemus. Porro natura ipsa ad misericordiam et compassionem nos instigat; unde Bellovacensis ait : « Propter naturale « vinculum, quia omnes fratres sumus in Christo, « nos mutuo diligere et juvare debemus. » Apostolus quoque, I *ad Cor.*, XII, 25, 26 : *Idipsum pro invicem sollicita sunt membra, et si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra.* Sunt et alia multa motiva ad misericordiam erga proximum nos inflammantia, quæ examinare possemus; verum sufficiat id quod Salvator noster inquit : *In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.*

DOMINICA TERTIADECIMA POST PENTECOSTEN

EVANGELIUM LUCÆ, CAP. XVI, VERS. 11

11. Dum iret in Jerusalem, transibat per mediam Samariam et Galilæam.

12. Et cum ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi, qui steterunt a longe.

13. Et levaverunt vocem, dicentes : Jesu, præceptor, miserere nostri.

14. Quos ut vidit, dixit : Ite, ostendite vos Sacerdotibus; et factum est, dum irent, mundati sunt.

15. Unus autem ex illis, ut vidit, quia mundatus est, regressus est, cum magna voce magnificans Deum.

16. Et cecidit in faciem ante pedes ejus, gratias agens; et hic erat Samaritanus.

17. Respondens autem Jesus, dixit : Nonne decem mundati sunt, et novem ubi sunt?

18. Non est inventus, qui rediret et daret gloriam Deo, nisi hic alienigena.

19. Et ait illi : Surge, vade, quia fides tua te salvum fecit.

VERSUS 11.

Dum iret in Jerusalem, transibat per mediam Samariam et Galilæam.

Dum iret in Jerusalem.

1. — Rationem, quare præsens nobis exhibeatur historia, assignat Glossa sequentem : « Post para- « bolam, qua invitat Dominus ad humanitatem et « perseverantiam in diversis officiis Dei, reprehen- « duntur ingrati de impensis beneficiis. »

2. — Miraculum istud Christus perpetravit itinerans, quia scilicet, *Act. Ap.*, X, 38 : *Pertransit benefaciendo et sanando omnes.* Aliquam porro causam, quare Christus in ipso actuali itinere dictam sanationem operari voluerit, hanc nobis moralem tradit Didacus Stella : « Ut significaret, virtutem « tam frequentem esse faciendam, ut, etiamsi in « itinere et obiter sese occasio obtulerit, bene ope- « remur. »

Per mediam Samariam et Galilæam.

3. — Dionysius Carthusianus, sensum secutus moralem, per Jerusalem, quæ visio pacis interpretatur, signari docet cœlestem beatorum patriam; per Samariam, quæ dicitur custodia, vitam activam, in observantia præceptorum situatam; per Galilæam denique, quæ transmigratio nominatur, vitam intelligit contemplativam, quæ spiritualiter a bonis visibilibus ad invisibilia transit : « Qui ergo ad super- « nam cupit pertingere patriam, primo se in actibus « exerceat vitæ activæ, deinde in actibus contem- « plativæ, ad quam ducit vita activa, sicut ad habi- « taculum janua. »

4. — S. Antonius de Padua, *Serm. in Dom.* XIII *post Pent.*, ordinem discutiens hujus itineris in sensu pariter morali docet debere omnes, quotquot Jerusalem intrare gestiunt, primo per Samariam et Galilæam transire, idque non sine mysterio : quia « Samaria custodia, Galilæa transmigratio, Jerusa- « lem visio pacis interpretatur; qui præcepta cus- « todit, ad virtutes transit, ut sic in Jerusalem ire « possit. »

5. — « Samaria, » dicit S. Bonaventura, « custo- « dia interpretatur, quæ debet esse in hac actione : « *Custodi pedem tuum, ingrediens domum Dei.* »

6. — Hugo Cardinalis de cordis et sensuum custodia intelligendum esse existimat : « Ideo per « mediam Samariam et Galilæam transit Jesus, « dum vadit in Jerusalem, quia quilibet, volens « pervenire ad cœlestem beatitudinem, oportet, ut « transmigrando mundum, custodiam cordis et « sensus habeat. » Perpendit idem insuper Auctor, quod hic Christi transitus duplicem nobis, præceptorum scilicet ac consiliorum exhibeat semitam : « Hic ostenditur duplex via ad vitam æternam, una « communis, quæ est omnium, hæc est Samaria, id « est, præceptorum; alia est semita, quæ est per- « fectorum, et hæc est Galilæa, id est, adimpletio « consiliorum; interpretatur enim transmigratio « facta, quod competit perfectis, qui de præceptis « ad consilia servanda transmigrant; per hæc duo « siquidem itur in Jerusalem. » Adducitque Auctor illum Sapientis, *Prov.*, III, 21, textum : « *Custodi « legem meam atque consilium meum*, ecce Samaria « et Galilæa, *et erit vita animæ tuæ*, ecce Jerusa- « lem. Quod autem dicitur *per mediam*, significat, « quod non tota vita danda est activæ, nec tota « contemplativæ; sed medium inter utrumque « tenendum est; sic Moyses modo in valle cum « populo, modo in monte cum Domino. »

7. — Quare Christus in Samaria non substiterit, sed potius transiisse dicatur, causam adducit Didacus Stella, quia scilicet Samaritani Gentiles erant. « Transibat, non permanebat; docens nos, quod non « morandum est inter malos; ideo transibat etiam, « ne Judæos scandalizaret, multum cum Gentibus « conversans. »

Additiones.

a. — *Dum iret Jesus in Jerusalem, transibat per mediam Samariam et Galilæam.* Iter hoc erat institutum ad Festum Tabernaculorum, fuitque ultimus Domini descensus in Jerusalem, ante mortem nimirum et passionem suam; sed viam suam direxit, neque sine mysterio, per mediam Samariam et Galilæam. Cujus rei rationem quamdam moralem assignat Titus Bostrensis. « Erat enim, » inquit, « discordia inter Samaritanos et Judæos, quam « ipse quasi componens per utrosque transit, ut « utrosque in unum novum hominem compingat. » Samaritani, ac Galilæi enim, magno odio ac inimicitia inter se dissedebant; per eos transit pacis Auctor Jesus, ut utrumque populum in se charitate ac fide coadunaret, ac pacificaret, eosque maxime unitos, ac concordes redderet. Hoc unicum Christi fuit studium. Dicit enim, *Luc.*, XII, 49 : *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur?* Quisnam est ignis alius quam charitatis et dilectionis? *Deuter.*, XXXIII, 2 : *Ignea lex. Rom.*, XIII, 10 : *Plenitudo legis est dilectio.* Totum enim Evangelium ad nihil aliud ordinatur quam ad adimpletionem et inculcationem hujus præcepti. Unde Apostolus illud appellat Evangelium pacis, *Eph.*, VI, 15 : *Calceati pedes in præparationem Evangelii pacis.* Apostolis explicare volens, qualis sit lex Evangelica et gratiæ novi Testamenti, eisdem dixit, *Joan.*, XIII, 34 : *Præceptum novum do vobis ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, ut et vos diligatis invicem. Joan.*, XV, 12 : *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem.* Id quod alia quoque vice iterum replicavit. Unde Salmeron ait : « Repetit præceptum prius datum, « ut rem tam necessariam magis eorum mentibus « imprimeret, quemadmodum clavus, ut tenacius « parieti inhæreat, non uno tantum ictu, sed tertio, « aut quarto, pluribusve defigitur. » S. vero Augustinus illud repetitum esse dicit, ut semel mandatum magis recommendaret. « Mandati repetitio com- « mendatio est. Dictum est *meum*, ne contemnen- « dum putemus. Ubi charitas est, quid est quod « possit deesse? Ubi autem non est, quid est quod « possit prodesse? »

b. — Samaritani et Galilæi, magno odio et inimicitia inter se dissedebant : Jesus Auctor pacis per eos transit, ut eos pacificaret et unitos redderet; unde patet quanta sit virtus in curanda reconciliatione mutua. Non modo Salvator noster præceptum dilectionis inimicorum nobis præscripsit, sed et insuper ut inimicum pro reconciliatione adeamus et requiramus commendavit. Ex quo salutari consilio fideliter adimpleto ingentia penitus bona hau-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

« misericordia secundum naturam; nihil enim tam « secundum naturam, quam juvare consortem na- « turæ. »

2. — S. Bonaventura hac S. Ambrosii sententia propriam stabilire nititur, dum ait : « Patet, quod « proximitas magis autem attenditur penes natura- « lem dilectionem et compassionem, quam penes « carnalem cognationem. »

3. — Accommode ponderat Salmeron, hunc Legisperitum contra propriam etiam voluntatem suam, compulsum fuisse ad veritatem edicendam : « Tanta « est vis veritatis, ut ex ore hostium etiam capita- « lium interdum prorumpat. » Tales autem erant inimici adversum Judæos Samaritani.

Et ait illi Jesus : Vade et tu fac similiter.

4. — Epilogum hunc Albertus Magnus sequenti illustrat doctrina. « *Vade* potius profectu virtutis, « quam passu pedis. *Fac*, non doce tantum, sed ad « opus convertere; ideo enim *Levit.*, I, præcipitur : « *Os turturis in sacrificio ad ascellas retorqueri*, ut « os doctrinæ verbi ad opus retorqueatur. »

Additio.

a. — *Vade et tu fac similiter.* Samaritani misericordia proponitur, et statim ait Dominus Judæo : *Vade et tu fac similiter.* Et cur fidelis homo non facit bona quæ vel ab infidelibus fieri videt? Equidem efficacissimæ sunt infidelium misericordiæ, ut fideles misericordes efficiant et humanos. Et quid homo hominem non efficeret elementem et humanum, cum ipsamet natura multaque animalia ad misericordiam nos exstimulent, quæ præcipuus est Christiani character. Malachias Propheta, II, 10, sic ait : *Numquid non pater unus omnium nostrum? Numquid non Deus unus creavit nos? Quare ergo despicit unusquisque nostrum fratrem suum?* His verbis insinuatur, capere se non posse, quomodo unus homo alium in suis necessitatibus deserere valeat, cum tamen omnes non solum proximi, sed etiam fratres sumus, utpote qui eamdem ab eodem patre, scilicet Deo, originem habemus. Porro natura ipsa ad misericordiam et compassionem nos instigat; unde Bellovacensis ait : « Propter naturale « vinculum, quia omnes fratres sumus in Christo, « nos mutuo diligere et juvare debemus. » Apostolus quoque, I *ad Cor.*, XII, 25, 26 : *Idipsum pro invicem sollicita sunt membra, et si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra.* Sunt et alia multa motiva ad misericordiam erga proximum nos inflammantia, quæ examinare possemus; verum sufficiat id quod Salvator noster inquit : *In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.*

DOMINICA TERTIADECIMA POST PENTECOSTEN

EVANGELIUM LUCÆ, CAP. XVI, VERS. 11

11. Dum iret in Jerusalem, transibat per mediam Samariam et Galilæam.

12. Et cum ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi, qui steterunt a longe.

13. Et levaverunt vocem, dicentes : Jesu, præceptor, miserere nostri.

14. Quos ut vidit, dixit : Ite, ostendite vos Sacerdotibus; et factum est, dum irent, mundati sunt.

15. Unus autem ex illis, ut vidit, quia mundatus est, regressus est, cum magna voce magnificans Deum.

16. Et cecidit in faciem ante pedes ejus, gratias agens; et hic erat Samaritanus.

17. Respondens autem Jesus, dixit : Nonne decem mundati sunt, et novem ubi sunt?

18. Non est inventus, qui rediret et daret gloriam Deo, nisi hic alienigena.

19. Et ait illi : Surge, vade, quia fides tua te salvum fecit.

VERSUS 11.

Dum iret in Jerusalem, transibat per mediam Samariam et Galilæam.

Dum iret in Jerusalem.

1. — Rationem, quare præsens nobis exhibeatur historia, assignat Glossa sequentem : « Post para- « bolam, qua invitat Dominus ad humanitatem et « perseverantiam in diversis officiis Dei, reprehen- « duntur ingrati de impensis beneficiis. »

2. — Miraculum istud Christus perpetravit itinerans, quia scilicet, *Act. Ap.*, X, 38 : *Pertransit benefaciendo et sanando omnes.* Aliquam porro causam, quare Christus in ipso actuali itinere dictam sanationem operari voluerit, hanc nobis moralem tradit Didacus Stella : « Ut significaret, virtutem « tam frequentem esse faciendam, ut, etiamsi in « itinere et obiter sese occasio obtulerit, bene ope- « remur. »

Per mediam Samariam et Galilæam.

3. — Dionysius Carthusianus, sensum secutus moralem, per Jerusalem, quæ visio pacis interpretatur, signari docet cœlestem beatorum patriam; per Samariam, quæ dicitur custodia, vitam activam, in observantia præceptorum situatam; per Galilæam denique, quæ transmigratio nominatur, vitam intelligit contemplativam, quæ spiritualiter a bonis visibilibus ad invisibilia transit : « Qui ergo ad super- « nam cupit pertingere patriam, primo se in actibus « exerceat vitæ activæ, deinde in actibus contem- « plativæ, ad quam ducit vita activa, sicut ad habi- « taculum janua. »

4. — S. Antonius de Padua, *Serm. in Dom.* XIII *post Pent.*, ordinem discutiens hujus itineris in sensu pariter morali docet debere omnes, quotquot Jerusalem intrare gestiunt, primo per Samariam et Galilæam transire, idque non sine mysterio : quia « Samaria custodia, Galilæa transmigratio, Jerusa- « lem visio pacis interpretatur; qui præcepta cus- « todit, ad virtutes transit, ut sic in Jerusalem ire « possit. »

5. — « Samaria, » dicit S. Bonaventura, « custo- « dia interpretatur, quæ debet esse in hac actione : « *Custodi pedem tuum, ingrediens domum Dei.* »

6. — Hugo Cardinalis de cordis et sensuum custodia intelligendum esse existimat : « Ideo per « mediam Samariam et Galilæam transit Jesus, « dum vadit in Jerusalem, quia quilibet, volens « pervenire ad cœlestem beatitudinem, oportet, ut « transmigrando mundum, custodiam cordis et « sensus habeat. » Perpendit idem insuper Auctor, quod hic Christi transitus duplicem nobis, præceptorum scilicet ac consiliorum exhibeat semitam : « Hic ostenditur duplex via ad vitam æternam, una « communis, quæ est omnium, hæc est Samaria, id « est, præceptorum; alia est semita, quæ est per- « fectorum, et hæc est Galilæa, id est, adimpletio « consiliorum; interpretatur enim transmigratio « facta, quod competit perfectis, qui de præceptis « ad consilia servanda transmigrant; per hæc duo « siquidem itur in Jerusalem. » Adducitque Auctor illum Sapientis, *Prov.*, III, 21, textum : « *Custodi « legem meam atque consilium meum*, ecce Samaria « et Galilæa, *et erit vita animæ tuæ*, ecce Jerusa- « lem. Quod autem dicitur *per mediam*, significat, « quod non tota vita danda est activæ, nec tota « contemplativæ; sed medium inter utrumque « tenendum est; sic Moyses modo in valle cum « populo, modo in monte cum Domino. »

7. — Quare Christus in Samaria non substiterit, sed potius transiisse dicatur, causam adducit Didacus Stella, quia scilicet Samaritani Gentiles erant. « Transibat, non permanebat; docens nos, quod non « morandum est inter malos; ideo transibat etiam, « ne Judæos scandalizaret, multum cum Gentibus « conversans. »

Additiones.

a. — *Dum iret Jesus in Jerusalem, transibat per mediam Samariam et Galilæam.* Iter hoc erat institutum ad Festum Tabernaculorum, fuitque ultimus Domini descensus in Jerusalem, ante mortem nimirum et passionem suam; sed viam suam direxit, neque sine mysterio, per mediam Samariam et Galilæam. Cujus rei rationem quamdam moralem assignat Titus Bostrensis. « Erat enim, » inquit, « discordia inter Samaritanos et Judæos, quam « ipse quasi componens per utrosque transit, ut « utrosque in unum novum hominem compingat. » Samaritani, ac Galilæi enim, magno odio ac inimicitia inter se dissedebant; per eos transit pacis Auctor Jesus, ut utrumque populum in se charitate ac fide coadunaret, ac pacificaret, eosque maxime unitos, ac concordes redderet. Hoc unicum Christi fuit studium. Dicit enim, *Luc.*, XII, 49 : *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur?* Quisnam est ignis alius quam charitatis et dilectionis? *Deuter.*, XXXIII, 2 : *Ignea lex. Rom.*, XIII, 10 : *Plenitudo legis est dilectio.* Totum enim Evangelium ad nihil aliud ordinatur quam ad adimpletionem et inculcationem hujus præcepti. Unde Apostolus illud appellat Evangelium pacis, *Eph.*, VI, 15 : *Calceati pedes in præparationem Evangelii pacis.* Apostolis explicare volens, qualis sit lex Evangelica et gratiæ novi Testamenti, eisdem dixit, *Joan.*, XIII, 34 : *Præceptum novum do vobis ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, ut et vos diligatis invicem. Joan.*, XV, 12 : *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem.* Id quod alia quoque vice iterum replicavit. Unde Salmeron ait : « Repetit præceptum prius datum, « ut rem tam necessariam magis eorum mentibus « imprimeret, quemadmodum clavus, ut tenacius « parieti inhæreat, non uno tantum ictu, sed tertio, « aut quarto, pluribusve defigitur. » S. vero Augustinus illud repetitum esse dicit, ut semel mandatum magis recommendaret. « Mandati repetitio com- « mendatio est. Dictum est *meum*, ne contemnen- « dum putemus. Ubi charitas est, quid est quod « possit deesse? Ubi autem non est, quid est quod « possit prodesse? »

b. — Samaritani et Galilæi, magno odio et inimicitia inter se dissedebant : Jesus Auctor pacis per eos transit, ut eos pacificaret et unitos redderet; unde patet quanta sit virtus in curanda reconciliatione mutua. Non modo Salvator noster præceptum dilectionis inimicorum nobis præscripsit, sed et insuper ut inimicum pro reconciliatione adeamus et requiramus commendavit. Ex quo salutari consilio fideliter adimpleto ingentia penitus bona hau-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

rire possumus. Unde D. Chrysostomus inquit : « Non « dixit : Expecta donec ille veniat ad te, aut ut « aliquo alio intercessore reconciliationem insti- « tuas, aut deprecantem alleges, sed tu ad illum « accurre; abi prius reconciliari fratri tuo. » Quando lucrum aliquod insigne consequi possumus, utique non præstolamur, donec ipsum ædibus nostris inferatur, sed nos sollicite illi occurrimus, omnique studio nostro et accurata industria illud procuramus. Hanc igitur diligentiam et sollicitudinem similiter pro reconciliandis inter nos inimicis adhibere debemus, siquidem maximum inde apud Deum lucrum facimus et apud omnes, dicente S. Bernardino : « Signum largissimæ indulgentiæ et magni « meriti est, quod offensus non expectet, quod ab « offendente indulgentia requiratur, sed præveniat « offendentem et ab eo, humili corde et ore, et « humili genuflexionis signo veniam petat. » Et D. Chrysostomus inquit : « Quæris si tibi injuriatum « est a fratre, utrum debeas ejus inimicitiam que- « rere? Et respondeo quod sic, ut duplicem gloriam « consequaris, scilicet quia injuriam passus es, et « indulsisti, et quia prior rogasti. » Idem S. Chrysostomus in homilia quadam *de simultate sive ira*, confutat eos qui credunt reputationem eorum diminutam iri, si ab aliis læsi, primi reconciliationem et amicitiam cum inimico procurarent : « Imo « verecundiæ esse debet, » inquit, « si in eo affectu « persistas, expectesque donec injuriæ auctor pro « reconciliatione te adeat; id probrum, id vitium, « id ingens damnum. Qui enim prior venit, in « totum lucrum anticipat. Si enim ab alio exoratus « iram relinquit, illi imputatur, cujus precibus « impetratum est, non enim Deo obtemperans, sed « illi gratificans legem adimplevisti; quod si nemine « intercedente, neque illo qui læsit adeunte aut « preces adhibente, ipse rejecto ipso pudore, nihil « cunctatus, ad injuriæ auctorem accurreris, eique « iras tuas resolveris, tum ex toto sit illud offi- « cium et opus virtutis, universamque mercedem « ipse recipis. » Idem quoque Chrysostomus, in progressu ejusdem homiliæ, ut nos confundat, quando primi reconciliationem hanc, ob varios mundi respectus quærere aut procurare, tergiversamur, Christi nobis proponit exemplum, inquiens : « Ipse ut reconciliaret te Patri, ne mactari quidem « recusavit, aut sanguinem effundere; tu autem ut « reconcilieris conservo, nec verbum vis emittere, « aut prior accedere. » Quisnam gravius non solum verbis injuriosis, verum etiam lethiferis vulneribus sauciatus fuit Stephano? *Stridebant dentibus in eum; impetum fecerunt unanimiter in eum. Act. Apost.*, VII, 54. Tanquam blasphemum illum lapidaverunt; et tamen, ex motivo propriæ, non vero alienæ charitatis permotus est, ut pro lapidantibus suis intercederet; adeo ut S. Bernardus illum obstupescat, utpote qui se majorem salutis inimicorum suorum, quam propriæ sollicitudinem habere demonstravit : « Quod in ipso mortis articulo, pro « persequentibus, quam pro seipso sollicitudinem « gereret ampliorem, vincerelque in eo sensum « corporeæ passionis, internæ compassionis affec- « tus, ut illorum magis scelera, quam sua vulnera « plangeret. » Ejusdem quoque conditionis S. Job erat, qui, ut S. Ambrosius notat, in improperiorum cumulo gaudebat : *Ecce rideo in opprobriis et non loquar; nec respondebo conviciis vestris.*

c. — Cur Dominus eundo in Jersusalem transierit per mediam Samariam, aliam adhuc habet causam et rationem, nostræ instructioni non parum servientem; nam Samaritani Dominum Jesum euntem in Jerusalem noluerunt hospitio excipere, sed a quodam vico suo eum excluserunt. *Luc.*, IX, 53. Galilæi vero ejecerunt Dominum extra civitatem suam, et eum tentarunt de supercilio montis præcipitare. *Luc.*, IV, 29. Samaritanos tamen et Galilæos non respuit, sed beneficio curationis illos voluit prævenire, ut pro maleficio rependeret beneficium; et propter hoc non est dubium magnum Deum habere complacentiam, et affectum specialem erga illos, qui male se tractantibus bonum pro malo reddunt. Quis intimam Moysis in veteri lege non obstupescit cum Majestate divina familiaritatem? *Loquebatur Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut solet homo loqui ad amicum suum. Exod.*, XXXIII, 11. Intimo adeo charitatem, lumenque coeleste participabat Moyses, ut in vultus ejus splendores, utpote humanam excedentes conditionem, suos filii Israel non possent dirigere obtutus. Undenam tanta Moysis prærogativa, et similitudo divina processit! Forsitan hanc meruit quia Hebræos ex Egyptiacæ servitutis compedibus liberavit? Aut vero, quia sceptrum coronamque regiam Ægypti contempsit, quando *negavit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo? Hebr.*, XI, 24. Vel denique prodigiosis virgæ suæ prodigiis, quibus ista maleficos confudit, ut dixerint : *Digitus Dei est hic?* Resolutionem a S. Ambrosio discamus, dicente : « Quantas Moyses a populo illatas absor- « bebat contumelias, et cum Dominus in insolentes « vindicare vellet, se tamen pro populo offerebat « frequenter, ut indignationi divinæ plebem subdu- « ceret. Quam miti sermone post injurias appella- « bat populum, consolabatur in laboribus, delini- « bat oraculis, fovebat operibus? Merito æstimatus « est supra homines, ut et vultui ejus non possent « intendere, et sepulturam ejus non repertam « crederent, quia sic sibi totius plebis mentes « devinxerat, ut plus eum pro mansuetudine dili- « gerent, quam pro factis admirarentur. » Nullus porro est qui magis dæmonem imitetur, quam vindicativus; de dæmone enim dicitur : *Hic homicida erat ab initio.* Et consequenter, a sensu contrario, nemo est, qui perfectius Deum imitetur, eique

similis sit quam qui mitis est, et erga inimicos benignus. Unde S. Prosper suadet, ut pro male nos tractantibus oremus, duplici de lucro inde nasciturO, nihil dubitantes : « Orandum, » inquit, « pro « inimicis, ut aut obtineatur eorum conversio, aut « in nobis divinæ bonitatis inveniatur imitatio. » S. Augustinus de homine ad imaginem et similitudinem Creatoris sui creato disserens, qua ratione divinam hanc similitudinem in nobis exprimere valeamus, his verbis ostendit : « Non locorum « intervallis acceditur ad Deum, aut receditur ab « eo; dissimilis factus longe recessisti, similis factus « proxime accedis. Vide quomodo nos vult accedere « Dominus, faciens primo similes ut accedamus. « *Estote*, ait, *sicut Pater vester, qui in cœlis est, qui « solem suum oriri facit super bonos et malos.* Disce « diligere inimicum, si vis cavere inimicum. In « quantum autem in te charitas crescit, efficiens te « et revocans te ad similitudinem Dei, pertendit « usque ad inimicos, ut sis ei similis, qui *solem « suum oriri facit super bonos et malos, et pluit*, non « super justos tantum, sed *super justos et injustos.* » David in hoc specialiter virum secundum cor Dei fuit, quia erga inimicos suos mitis fuit. S. Cesarius Arelatensis, *Hom.* II, ait : « David licet multis virtu- « tibus fuerit ornatus, nulla tamen cum familiarius « Deo conjunxit quam dilectio inimicorum suo- « rum. »

d. — Discesserat Jesus a Jerusalem in Galilæam; reversus jam inde, viam suam direxit, transiens per medium Galilææ et Samariæ, ubi erant idolatræ et Gentiles. Erat autem hæc via communis et recta in Jerusalem, et transibat per medium, ut omnibus æqualiter suam divinam virtutem diffunderet. Pulchre ad rem Eusebius Gallicanus, *Hom. in Dom.* XIV *post Pent.*, ait : « Quid per Galilæam, nisi « Judæos, et quid per Samariam nisi Gentiles intelli- « gimus? Inde est quod dicitur : *Non confunduntur « Judæi Samaritanis.* Per medium autem illorum « transibat Jesus, quia hos et illos vocabat, ad hos « et illos prædicabat, hos et illos sanabat, et ad « fidem convertebat. » Inter Judæos et Gentiles benefaciendo transit Jesus, quia pro omnibus de cœlo descendit, ut per seipsum æterno Patri omnes homines reconciliaret, sine personarum respectu; ipse enim cum sit omnium Salvator, omnium salutem vult. Apud eum enim *non est Judæus neque Græcus, non est servus neque liber, non est masculus neque fœmina*, ait Apostolus, *ad Galatas*, III, 28. Nam in omni statu operari possumus nostram salutem, dummodo exerceamus opera virtutum statui nostro conformia. S. Joannes Baptista a Publicanis, a militibus aliisque similibus mundanis hominibus, qui spiritum compunctionis conceperant, interrogatus, quam viam ad salutem æternam obtinendam tenere deberent, non illis suasit aut intimavit eremum sive solitudinem, non rigorem abstinentiæ; bene quidem : *Facite fructus dignos pœnitentiæ*; per quod dicere nimirum volebat : *Digne ambulate vocatione, qua vocati estis. Quis est homo qui timet Dominum? Legem statuit ei in via, quam elegit.* Conjugatus aliquis non debet gestare cilicium, longa et austera protrahere jejunia, veluti faciunt observantissimi religiosi, quia offenderet leges matrimoniales. Qui non abundat bonis temporalibus, numerosa tamen ei est familia, injuriam huic irrogaret, si in erogando eleemosynas, nimis liberalis esset. Adolescens qui non est vocatus ad statum perfectionis, intra limites bonæ educationis se continere debet. Quem in finem semper timeat Deum et a sociis derisus, omnem ruborem vincat, omnemque conculcet respectum humanum. Apposite scribit quidam auctor, in extremo die judicii, nullum instituendum processum et examen rigorosius, quam circa statum, officium et professionem cujuslibet personæ. Non petet Christus a principe, num sacros et spirituales legerit libros, sed an pro conservatione bonorum morum, et publicæ quietis curaverit observari leges. Ab advocato, procuratore, vel etiam notario, non exiget, num frequentarint Chorum et Psalmos decantarint, sed an cum integritate et diligentia causis patrocinati fuerint, fideliterque officium suum administraverint. Apud Scholasticos recepta est hæc doctrina, non esse virtuti conformes et rationi, actus illos qui propriæ vocationi non sunt commensurati et conformes, esto alias per se et ex se boni sint, quia hic et nunc sunt deordinati.

VERSUS 12.

Et cum ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi, qui steterunt a longe.

Et cum ingrederetur quoddam castellum.

1. — S. Antonius de Padua per hoc castellum in sensu allegorico mundum intelligit, quem Christus ingrediens, obvios habuit leprosos decem, id est, totum genus humanum, in decem leprosis figuratum : « Quia contra decalogum peccaverat et adeo « lepra iniquitatis respersum erat; ideo clamabat : « *Jesu, præceptor, miserere nostri*; salutem vocavit et « misericordiam postulavit genus humanum, et « Dominus utrumque fecit. »

Occurrerunt ei.

2. — Occursum hunc non casualem aut fortuitum, sed excogitato consilio, ordinatum esse, docet Lyranus : « Quia audierant famam de mirabilibus « Christi. » Verbum autem *occurrerunt*, industrie ponderat Didacus Stella inquiens : « Occurrere, pro- « dire obviam est; nemo ad Deum vadit, nisi prius « Deus ad eum veniat; ipse eos quærit, illis occur- « rit. »

3. — Præclaram, hujus occursus, in ingressu

Christi in castellum, facti, moralitatem Albertus Magnus verbis assignat sequentibus : « Jesu castel- « lum ingredienti occurrunt; ille Jesu occurrit, qui « hoc firmiter credit, quod Jesus ad judicium in « mundum veniet et quod in sua carne resurget, et « coram Deo judice stabit, vel vitæ æternæ, vel « mortis perpetuæ sententiam auditurus. »

4. — Lucas Brugensis eamdem cum Lyrano horum verborum considerationem instituit, dicens : « Occurrerunt non casu, sed studio, postquam au- « divissent, quod Jesus illuc erat transiturus; cujus « potentiam cum beneficiendi promptitudine con- « junctam, fama noverant. »

5. — Advertit præterea idem Auctor inimicitias ad invicem et odia exercuisse Judæos et Samaritanos, quo fine Salvatori objiciebat Samaritana illa, *Joan.*, IV, 9 : *Quomodo tu Judæus cum sis, bibere a me poscis, quæ sum mulier Samaritana?* Unde et S. Joannes subjungit : *Non enim conuntur Judæi Samaritanis.* Alia etiam vice quadam, ex eodem in Judæos odii impetu, in facie Christi portas ei civitatis occluserunt Samaritani; his tamen non obstantibus, in societate reliquorum leprosorum Judæorum, unus quoque comparet hodie Samaritanus, omnesque concorditer ac unanimiter sese Christo repræsentant : « Non solum morbi communio eos inter « se conciliaverat, sed et commune studium sani- « tatis, ut simul omnes quasi facta manu, Christi « benevolentiam expugnarent. »

6. — Insignissimum salutis promovendæ documentum nobis tradunt hi leprosi, ut scilicet ad eorum imitationem nullas sinamus præterlabi, quæ salutis nostræ sese offerunt occasiones, id quod Didacus Stella pariter advertit, dum ait : « Doce- « mur, summam sollicitudinem circa salutem nos- « tram adhibere, ne remedium differentes, occa- « sionem salutis consequendæ amittamus. » Stabant igitur eo loco prompti, ubi perdere non poterant Salvatorem, quia scilicet necessario istac transiturus erat; imo ne a Salvatore præventi, omni destituerentur spe sanitatis obtinendæ, ante viam occuparunt, quam Christus transiret, aut castellum intraret, quia ipsis loca ab hominibus inculta ingredi prohibitum erat, ne inficerent alios. Optime profecto hi leprosi cognoscebant, quanti referat, bonas nunquam perdere occasiones et societates.

Decem.

7. — « Sunt peccatores, decem mundatorum « transgressionibus vitiosi, » inquit S. Bonaventura, *Serm.* I *in hac Dom.*

8. — At S. Thomas per decem hosce, decem intelligit peccatorum turmas : « Decem leprosi pos- « sunt significare decem genera peccatorum; pri- « mus infidelis; secundus blasphemator et detrac- « tor; tertius gulosus; quartus avarus; quintus « superbus; sextus ambitiosus; septimus hypocrita, « vel vane glorius; octavus luxuriosus; nonus homi- « cida; decimus obstinatus et desperatus. » In hoc denique discursu sanctus Angelicus Doctor singulis eorum in particulari applicat certos Sacræ Scripturæ textus in quibus diversæ illæ lepræ species exprimuntur.

9. — S. Antonius de Padua hunc denarium leprosorum numerum ad omnes porro peccatores extendit; quia quotquot sunt, « quinque lepræ « generibus et in quinque locis respergunturr. » Utiturque quodam Levitici textu, cujus mentionem faciemus infra, ubi varietatem infectionis lepræ distincte assignabimus. *Vide* § 12.

10. — Decem hi denique leprosi in Scriptura sacra expressi videntur, si utrumque Testamentum perlustremus. Primus quidem in Naaman Syro, idololatra, quem sanavit Eliseus. Secundus in Simone Pharisæo, contra Magdalenam murmurante, cujus lepram manifestat sanctus Evangelista Marcus, XIV, 3, corporalem, S. vero Lucas, VII, 39, spiritualem, dum ejus animam de Christi divinitate anelpitem in hisce verbis repræsentat : *Hic si esset Propheta, sciret quæ et qualis esset mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix est.* Tertius denotatur in Rege Ozia, qui dum ministerium sacerdotale arroganter usurpare præsumpsit, frontem suam lepra infecit. Quartum designat Maria, soror Moysis, lepra percussa in vindictam murmuris contra fratrem excitati. Quintus indicatur in ipso Moyse, cujus manus e sinu extracta ad instar nivis, plena lepræ incanduit, manus nimirum illa, qua flagellaturus erat universam terram Ægypti et occiderat Ægyptium, Hebræo insultantem. Sextus perhibetur in Giezi, qui dum avare inhiaret muneribus, quæ dominus ejus spreverat, se suosque posteros indelebili lepræ macula conspersit. Quatuor residui enumerantur, *lib.* IV *Reg.*, III, qui de Samaria orti, nocte ingressi sunt castra Assyriorum; per hosce decem leprosos significantur omnes præceptorum decalogi transgressores.

Viri.

11. — Congrue hosce omnes viri nomine condecorari animadvertit Albertus Magnus : « Omnes « isti, qui ad Deum veniunt, sunt viri, virilem ani- « mum induentes, quia spem, fidem habentes, ad « Salvatorem viriliter venerunt. »

Leprosi.

12. — S. Antonius de Padua multiplicitatem et varietatem hujus leprosæ infectionis, e Levitico compendiose elicuit, dicens : « Lepra coloris can- « didi, lucidi, obscuri, rufi et pallidi, » quibus in differentiis diversa postmodum docet signari vitia : « Candida lepra hypocrisis et simulatio religionis; « lucida, ambitio transitoriæ dignitatis; obscura, « immunditia fornicationis; rufa, rapina et usura; « pallida, invidia alienæ felicitatis. »

13. — Contemplatur Salmeron Christum petiisse Jerusalem, ut suum ibi sanguinem spargeret, totumque humanum genus a peccati lepra mundaret : « Ibat ad passionem Dominus, in qua quasi « leprosus reputatus est, sanaturus spiritualem « omnium hominum lepram, qui ex Adam nati, « lepram peccati contrahunt. »

14. — Glossa in hisce leprosis solos scribit designari hæreticos : « Leprosi sunt hæretici, qui quasi « varios colores habentes, eodem tempore varias « sectas nunc falsitatis, nunc veritatis permiscent « in eadem prædicatione. »

15. — Hugo Cardinalis postquam dixisset, in hisce decem leprosis designari decem præceptorum transgressores, postea subdit : « Per leprum signi- « ficatur peccatum; » nec immerito, multi namque ejus infectionis effectus proprii sunt culpæ. S. Antonius de Padua in sensu morali, eas corporis partes principaliter discutit, in quibus lepra se maxime prodit : « In capite, in barba, in corporis cute, in « veste et in domo. Lepra in capite, est immundi- « tia in cogitatione; in barba, iniquitas in mani- « festatione; in cute, inhonestas in conversatione; « in veste, dissensio in fide Christi, vel imprudentia « in virtutum operatione vel executione; lepra in « domo, est discordia in congregatione. »

16. — Hugo Cardinalis lepræ et peccati effectus ad invicem comparat, inquiens : « Lepra hominem « fœtidum facit et sanis intolerabilem; sic pecca- « tum hominem fœtidum facit et justis abomi- « nabilem; » juxta id, quod apud Oseam, IX, 10, legimus : *Facti sunt abominabiles, sicut ea quæ dilexerunt.*

17. — Prosequitur idem Auctor, dicitque : « Lepra deformat hominem et membrorum officio « venustateque privat; sic peccatum deformat ho- « minem interiorem. » Ad dignoscendam hujus deformitatis enormitatem, non abs re fuerit contemplari Luciferum, primitus Angelorum pulcherrimum in Paradiso, in loco creationis suæ; postea vero admissa prævaricatione, dæmonium ignobilissimum. Accommode autem deformitatem, a peccato ortam, internam esse, asseverat Auctor, dicendo : « Deformat omnem interiorem; » anima etenim peccans dæmoni se mancipat, omnibusque donis, Spiritus Sancti gratiis et bonorum operum meritis se privat; nihil autem hujus turpitudinis in oculos incurrit externos.

18. — « Lepra facit hominem æstuare, sic pec- « catum. » Carni nostræ pruritum imprimit et inquietum impii caloris incendium; hunc autem effectum tam in corpore quam in anima operatur; unde Propheta, *Isa.*, LVII, 20, ingemiscit : *Impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest.* « Mare quo- « que ipsum, » inquit S. Ambrosius, « temporum « vicibus solet fluctuare; at vero caro nostra sem- « per exæstuat, sibique ipsi tempestas est. »

19. — « Lepra quanto reprimitur studiosius, « tanto tandem ebullit turpius; sic peccatum quanto « diutius occultatur, tanto turpius apparebit in die « Judicii coram Deo; » quanto hodie sollicitius prævaricationes nostras tenebris involvere nitimur, tanto frequentius easdem Deus innotescere faciet, non solum in Judicio finali, sed etiam in vita præsenti.

20. — « Lepra per totum corpus diffunditur, sic « peccatum per totum corpus, ad modum cancri. » Peccatum multis afficit corpus infirmitatibus, animæ potentias corrumpit et debilitat, intellectum excæcat, voluntatem contumacem reddit et obstinatam, cor divinis vocibus et inspirationibus occludit; quid multa? *Corpus et animam perdit in gehennam.*

21. — « Leprosus sitim patitur; nunquam est « satietas pariter in peccando. » Insatiabilis peccatorum cupiditas non sensualitate, non divitiis, non honoribus, non potest deliciis exhauriri ullis.

22. — « Lepra, » inquit S. Bonaventura, « affli- « git gravamine infirmitatis. » Peccatum pariter verme et malæ conscientiæ remorsu peccatorem angustiat et discruciat; nulla carpitur rosa, nisi innumeris circumdata spinis. Proinde dicebat Psalmista, *Psal.* LIV, 11 : *Labor in medio ejus et injustitia.*

23. — « Lepra contagiosa est, alios inficiendo. » Ita peccatum subito malum aliis exemplum præbet, sumusque proclives admodum ad spiritualem hanccе lepram contrahendam, quæ indubie causa unica fuit, cur leprosis conversatio aliorum interdiceretur; hunc nobis effectum repræsentat Spiritus Sanctus in illis Psalmistæ, *Psal.* CV, 35, verbis : *Commixti sunt inter gentes et didicerunt opera eorum, factum est illis in scandalum.*

24. — S. Bonaventura dicit : « Lepra privat « solatio societatis. » Id quod fusius prosequitur Dionysius Carthusianus, dum ait : « Sicut lepra « efficit hominem ita affectum, contagiosum et « fœdum, quod a communi hominum conversatione « dividatur, atque seorsim habitare compellitur; « sic omne peccatum mortale privat hominem com- « munione fidelium, facitque coram Deo excommu- « nicatum. »

25. — Revocans in memoriam S. Bonaventura illum, quem Dominus in capite XIII Levitici ordinem et præceptum statuit de comburenda leprosi veste, sequentem ex hac lege elicit moralitatem : « Præcipitur vestem leprosam igne comburi; sicut « vestis munda est consuetudo bona, ita vestis « leprosa est consuetudo vitiosa, quæ debet igne « comburi, cumburetur igne gehennæ. » Peccator etenim inveteratus, impœnitens moritur quam plurimum; si vero, dum vivit, seria quadam consideratione ignem illum infernalem in corde suo succendisset, divino indubie amore cor suum inflammasset.

26. — Leprosis etiam lex data fuerat, ut in

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

lateribus seu femoribus vestes portarent dissutas, ut ab aliis dignosci et agniti vitari possint, præterea capite discooperto incedere jubebantur, ad docendum nos moraliter nullum esse malum, quod magis Deus execretur, minusque toleret, quam si leprosus spiritualis inter alios compareat in habitu sano; in fictione scilicet et hypocrisi.

27. — Septem enumerat S. Bernardus, *Serm.* v *de Pascha.*, lepræ spiritualis species; duas docet reperiri in corde, voluntatem scilicet, opinionem propriam; duas in ore, laudem nimirum sullpsius et verba impatientiæ; tres residuas in corpore, quarum prima est indulgentia sensuum, secunda luxus et pompa vestium, tertia consistit in injusta bonorum temporalium professione et usu.

28. — « Sicut lepra facit hominem civiliter « mortuum, » scribit Dionysius Carthusianus, « ita « quod ad actus vitæ civilis et socialis ineptus est et « mortuus; sic mortale peccatum facit Deo spiri- « tualiter mortuum, id est, ad omnem actum vitæ « æternæ meritorium, Deoque placitum, prorsus « ineptum. »

29. — Digna insuper notatu alia circa lepram sese offert consideratio, quod scilicet infirmitas hæc nullo artis medicinalis beneficio curetur; unde S. Bonaventura inquit : « Lepra est morbus miserabilis « calamitatis, quia aufert remedium artis; tales « desolati recursum habere debent ad Patrem mi- « sericordiæ. » Ita similiter peccatum nullo remedio aut industria sanatur humana, sed pro sublevanda hac lepra spirituali ad Deum necessario recurrendum est.

Qui steterunt.

30. — Causam hujus stationis duplicem nobis litteralem subindicat Lyranus, dum ait : « Tum « propter Christi reverentiam, tum quia non debe- « bant appropinquare sanis hominibus, ne eos infi- « cerent. »

31. — Albertus Magnus duas alias ex hisce verbis elicit moralitates, dum ait : « In quo duo « notantur, rectitudo voluntatis et humilitatis; » circa rectitudinem voluntatis, ponderat verbum *steterunt*, inquiens : « Qui stat, immobilis est, per « quod significatur status talis, quod ulterius non « processerunt in peccatis, ne morbus cresceret in « eis. » Eamdem hanc duplicis moralitatis doctrinam ipse pariter Hugo Cardinalis nobis tradit hisce verbis : « Quod autem dicitur : *steterunt*, in bono « accipitur, id est, peccatis suis finem imposuerunt; « per positionem autem corporis, quæ recta et « erecta est in stante, duo rursus significantur, sci- « licet voluntatis rectitudo et cordis, per intentio- « nem ad cælum directio et erectio. »

A longe.

32. — Albertus Magnus in quodam supra hoc Evangelium sermone ita discurrit : « Ille a longe « stat, qui se humiliat et Christum judicem sperando « formidat, in hoc enim notatur spes, quod *stete- « runt*; timor in hoc innuitur quod *steterunt a « longe*, tanquam non audentes propius accedere. »

33. — S. quoque Bonaventura, *Serm.* IV *in hac Dom.*, hunc sequestratum leprosorum situm, humilitati eorum ascribit, dicens : « Non accesserunt « tanquam superbi præsumptuosi, sed tanquam « humiles reverenter. » Utiturque Publicani exemplo, de quo dicitur, *Luc.*, XVIII, 3 : *Publicanus a « longe stans, nolebat nec oculos ad cœlum levare, sed « percutiebat pectus suum, dicens : Propitius esto mihi « peccatori.* Ubi Glossa ita scribit : « *A longe stans* « sicut humilis, non audet appropinquare, ut Deus « ad ipsum appropinquet. » Licet interdicti et a consortio aliorum proscripti essent, sciebant nihilominus ex altera parte, quod, sicut sol radios suos non conspurcet, etiamsi eos ad sordes et cloacam destinet, eodem quoque modo nulla possit infirmitas contrahi ab eo, de quo scriptum legitur, *Sap.*, VII, 26, quod sit *candor lucis æternæ, speculum sine macula. Luc.*, VI, 19 : *Virtus de illo exibat et sanabat omnes.* Sed stabant a longe, non ex solo humilitatis instinctu, sed ex propriæ utilitatis amore, certi, quod hoc agendi modo ad gratiam Christi consequendam magis magisque se disponerent, ac de optato eventu nihil dubitare possent, *Isa.*, LXVI, 2 : *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum et contritum spiritu?*

34. — S. Bonaventura hac leprosorum motus humilitate, in eos invehitur, qui, licet indignos se sciant, nihilo tamen minus sacrosancto Salvatoris nostri corporis, sub speciebus sacramentalibus contento appropinquare non verecundatur : « Si leprosi « non audebant appropinquare ad Jesum, sed « « longe clamabant; quomodo leprosi hodie in « animabus audent appropinquare, et non solum « appropinquare, imo etiam tangere corpus Christi, « cum lepra animæ multo abominabilior sit lepra « corporis. »

Additiones.

a. — *Occurrerunt ei decem viri leprosi.* Non otiose factum est ut cum novem Judæis leprosis, unus Samaritanus esset, inter quas gentes consuetudo nulla erat. In unam tamen societatem convenerant, non solum conciliante eos atque cogente communi morbo, ut Theophylactus et Euthymius observarunt, sed studio etiam conjungente, ut quasi una manu Christum expugnarent. Ad quorum humiles preces cœlestis Medicus inclinatus, protinus eos exaudit et a se ablegatos in via mundat. Etenim concors multorum oratio germana est bellatrix, imo debellatrix divinarum misericordiarum. Non resistit Deus oranti in concordia multitudini, sed quasi devictus adest. Quod meditatus D. Chrysostomus, *Hom.* III *de natura Dei*, sic ait : « Cur quoties « ad cœlestem Imperatorem placandum ire pergi- « tis, ut ejus iræ eximatis universos peccatores « terræ, omnes dæmone agitatos, a flagello libere- « tis diaboli; foris seditis, non universi concurritis « et Ecclesiam penetratis, ut Deus vestram reve- « ritus atque exosculatus concordiam et illis pœnam « dimittat et vobis peccata absolvat? » Ubi hæc verba diligenter notanda veniunt : « Vestram Deus « reveritus et exosculatus concordiam, » quæ causam exponunt, quare decem illi leprosi tam cito liberati sint; solet enim devictus et confractus homo victores suos revereri, et dominantium sibi manus exosculari. Sic Christus unanimi multorum prece expugnatus, quasi devictus, victricem concordiam reveritus, nil negat, sed protinus a lepra mundatos dimittit. En igitur quantopere Deus pacem curet et quanti illam æstimet.

b. — Ecce vobis decem viri leprosi, munditiem obtenturi, Christo Domino occurrerunt, et sane felices, qui tali Domino occurrerunt; nullius vanus cursus extitit, omnes inveniuntur mundati. Sed quomodo omnes bravium sanitatis consecuti sunt, cum Apostolus dicat, I *Cor.*, IX, 24 : *Nescitis quoniam hi, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium?* Hic vero, non unus, sed omnes. Expendendum est quod simul Apostolus addit : *Sic currite ut comprehendatis.* Quibus verbis non ait, ut comprehendat unus, sed ut omnes currentes comprehendant. Est enim stadium in quo ex pluribus currentibus unius cursus coronatur, quale est rerum mundalium stadium; et est aliud, longe præstantius stadium, nimirum virtutis, in quo omnes qui currunt, coronam salutis capiunt; ut bene notavit D. Thomas, comparans cursum temporalis bravii cum Evangelii præmio, dicens : « Non sic « est de Evangelii præmio, vel de cursus bravio, « quia hic unus accipit bravium, ibi omnes accipere « possunt. » Quotquot currunt obtinent cœleste bravium, ut hi decem sanitatis præmium, si tamen ad exemplum horum leprosorum currant, nec desistant. Ergo perseverans in vita spirituali et pœnitente tolerantia habenda est, cum respectu ad cœlestem remunerationem.

c. — Decreverat olim Deus ne leprosi habitarent in locis populosis, ob morbi contagionem; magna enim est lepræ efficacia ad sese inter homines diffundendum. Similis lepra est mala societas, cujus efficacia maxima est ad pervertendum nos. Salvator de cœlestis ad beatitudinem et infernalis semitæ ad damnationem, diversitate tractans, *Matth.*, VII, 13 : *Intrate*, inquit, *per angustam portam; quia lata porta et spatiosa via est quæ ducit ad perditionem, et multi sunt qui intrant per eam. Quam angusta porta et arcta via est, quæ ducit ad vitam, et pauci sunt qui inveniunt eam.* Ubi notandum, quod Salvator, modum nos edocturus, qualiter perditionis viam declinare valeamus, immediate subdat : *Attendite a falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces*; quasi diceret : Recta ad cœlos via, malorum sociorum fuga est, quos ut a bonis secernere possimus, mox subdit : *A fructibus eorum cognoscetis eos. Numquid colligunt de spinis uvas aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona*, etc. Audite Lyranum : « Quia supra « Dominus demonstraverat, » inquit, « legem Evan- « gelicam esse observandam et quia ad eam obser- « vandam facit evitatio mali consortii, ideo dicit : « *Attendite a falsis Prophetis.* » Seriam meretur ponderationem quoddam S. Cyrilli Alexandrini assertum, inquientis : « Modus peccandi nondum « apparuerat, cum homo unus tantummodo esset. « Quamdiu solus degebat Adam, nesciebatur in « terris quid esset peccatum; sed ut primum « sociæ et consortis suæ seu conjugis mentionem « fecit, in eodem pariter tempore sese divinæ « transgressionis confessus est reum et culpabi- « lem. Dixitque Adam : *Mulier quam dedisti mihi « sociam, dedit mihi de ligno, et comedi.* » Adeoque peccatum, quod innumerabilibus aliis, usque ad sæculorum finem committendis barathrum patefecit, a malæ societatis culpa originem traxit : *Mulier quam dedisti mihi sociam.*

d. — Cum lepra morbus sit incurabilis et contagiosus, et facile serpat, in sensu morali per lepram bene significari puto malum exemplum seu scandalum. Lepra contagione serpit; sic scandalosi causa sunt ruinæ multorum. Lepra ejiciebat leprosum extra castra; sic scandalosi ejiciuntur ex cœlo; sunt enim scandalosi velut ligna ignem infernalem nutrientia. Seneca moralis scandali efficaciam, quam in ordine ad alienam ruinam habet, ingeniosa quadam similitudine demonstrat, inquiens : « Quod in strage hominum magna evenit, cum « ipse se populus premit, nemo ita cadit, ut non « alium in se attrahat, primi exilio sequentibus « sunt. Hoc in omni via accidere videas, licet. « Nemo sibi tantum errat, sed alieni erroris causa « et auctor est. Nihil magis præstandum est, « quam ne pecorum ritu sequamur antecedentium « gregem. » Alio in loco idem auctor scribit : « In- « ter causas malorum nostrorum est, quod vivimus « ad exempla, nec ratione componimur, sed con- « suetudine abducimur. Quod si pauci facerent, « nollemus imitari; cum plures facere cœperunt, « quasi honestius sit, quia frequentius, sequimur « et recti apud nos locum tenet error, ubi publicus « factus est. » Quandoque autem non modo plurium, sed etiam paucarum, imo vel unius personæ exemplum sufficit ad seducendam multitudinem integram. Tam is qui scandalizat, quam is qui malum sequitur exemplum, in voraginem se æternæ damnationis præcipitat, quia ut Seraphicus Doctor optime distinguit : « Est scandalum activum et

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

« passivum. Activum quo quis alii dat occasionem « ruinæ spiritualis. Passivum est ipsa ruina, facta « ab obice mali exempli alterius, ut eum quis for- « nicatur ob exemplum alterius. » In cujus confirmationem illa a Salvatore incredulis Hebræis intentata comminatio considerari meretur : *Væ vobis Scribæ et Pharisæi, qui claudítis regnum cœlorum ante homines, vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare.* Ubi pœnam reprobationis non solum in Scribas et scandalosos Pharisæos fulminat, verum etiam expresse dicit quod regnum cœlorum claudebant illis quos scandalizabant. Unde Origenes ait : « Qui scandalizaverit unum de pusillis Eccle- « siæ, prohibens illos intrare in regnum cœlorum, « patietur quod scriptum est in Evangelio : Væ. »

6. — *Qui steterunt a longe.* Leprosi hi peccatorem adumbrant, qui ex malitia sua quidem Deum deserit, ad quem tamen sine speciali ipsiusmet Dei auxilio redire nequit. Atque ideo steterunt procul, qui multum a Deo defecerant, donec gratiæ et misericordiæ beneficium consequerentur. Et vere immensum est Dei beneficium, dum Deus æternæ condemnationis executionem expectat, eumque in finem auxilia et gratias suas offert. Ecce vobis quod in dies singulos magnæ accidit impiorum parti. Ad infernalem condemnati sunt ignem, super quem per unicum duntaxat filum suspensi hærent; siquidem vita humana soli flatui, qui filo minor est et debilior, annexa manet; divina autem pietas sententiam differri urget, et nihilominus, eodem tempore, non modo sese non emendat homo, sed et insuper iisdem insistit peccatis, imo et quandoque graviora frequentat, et magis, magisque obstinatus est et rebellis. « Cui gratias re- « ferre debeo, » ita meditatur S. Augustinus, « quod non secundum iniquitates meas retribuisti « mihi, quod me terra non absorbuit, non me « cœlum fulminavit, non me fulgur combussit, « non flumina submerserunt, nec alia pœna vel « morte, prout dignus eram, me afflixisti? Cum « enim peccando a te recederem, non solum iram « tuam promerui, sed et omnem creaturam tuam « adversum me excitavi. Nam si servus cujusdam « a domino suo recederet, non solum dominum « ipsum exacerbaret, sed et totam ejus familiam « justissime irritaret. »

7. — Certum est etenim quod procul a Deo per peccatum effecti, ad illum redire non valeamus, nec a lapsu nostro resurgere, nisi Deus nobis porrexerit manum : *Perditio tua ex te; tantummodo in me auxilium tuum. Ose.*, XIII, 9. Et tamen licet offensus sit graviter et enormiter, suam tamen nobis, non solum ad sublevandum nos, porrigit manum, verum etiam cœlestes nobis inspirationes immittit, totque aliis modis nos ut ad eum denuo revertamur, benigne invitat : *Ego sto ad ostium et pulso.* Glossa interlinearis addit : « Cor scilicet pec- « catoris, quod peccato clausit hostis; ad hoc pulsat « Deus sanctis inspirationibus suis. » Omni tempore et quovis in loco, mortis, judicii, inferni, severitatis divinæ justitiæ, brevitatis hujus vitæ, cœlestium bonorum, denique æternitatis, pietatis, misericordiæ et amoris sui memoriam vividam ei ob oculos ponit, quibuscum eamdem ad pœnitentiam benigne expectat et invitat : *Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem suam, in capite turbarum clamitat, in foribus platearum urbis profert verba sua. Prov.*, I, 20. Dum per vicos et plateas urbis ambulamus, sæpe nobis juvenem aliquem dissolutum, ex improviso ab aliis occisum videndum objicit; dum in Ecclesiam ingredimur, fortuito nos in cadaver quoddam viri divitis, potentis, juvenis, in deliciis enutriti, robusta complexione alias præditi incidere facit; transeuntibus domum in qua aliquando voluptati operam dederunt, in memoriam reducit, quam sit momentaneum quod delectat, æternum quod cruciat, et qualiter elanguescente rosa, viva tamen semper perseveret remorsus conscientiæ punctura. Nonnunquam etiam occurrentia horrenda pericula imminentia, unde ob mortis, infamiæ, jacturæ facultatum aliorumque infortuniorum timorem, homo abrigescere pilique capitis se erigere possent, nihil aliud sunt, quam particulares amantis nos Dei inventiones, quibus utitur ad procurandam resipiscentiam nostram, salutemque alias magnopere periclitantem, omni meliori modo assecurandam. Unde David dicebat, *Psal.* XXII, 4 : *Virga tua et baculus tuus ipsa me consolata sunt.* Quot sunt nostrum qui vere dicere possunt : *Nisi quia Dominus adjuvit me, paulo minus habitasset in inferno anima mea? Psal.* XCIII, 17. Optime S. Bernardus hac de re scribit : « Ego peccabam, et tu « dissimulabas; non continebam a sceleribus, et tu « a verberibus abstinebas; prolongabam ego nulla « tempore iniquitatem meam, et tu, Domine, pie- « tatem tuam. Sed quid prodest expectatio, nisi « sequeretur pœnitudo? » S. *Bern., Serm.* I *de septem miser.* Verum enimvero, prout optime idem sanctus et mellifluus Doctor advertit, nequaquam nobis hac charitate et patientia abutendum est; alias enim nobis bonitas Dei amantis, prout paulo post subjungit « cumulus esset damnationis. »

VERSUS 13.

Et levaverunt vocem, dicentes : Jesu, præceptor, miserere nostri.

Et levaverunt vocem.

1. — Non aliud mihi Evangelista insinuare velle videtur, quam quod leprosi isti quam diligentissime, cum ferventi et zelosa oratione Domino supplicarint. Ita namque apud Isaiam, XXVI, 16, pariter legimus : *Domine, in angustia requisierunt te in tribulatione murmuris doctrina tua eis; sicut quæ concipit, cum appropinquaverit ad partum, dolens clamat in doloribus suis; sic facti sumus a facie tua, Domine.* Quod idem clarissimis verbis exprimit Regius Vates, *Psal.* CVI, 6, dum ait : *Clamaverunt ad Dominum, cum tribularentur, et de necessitatibus eorum eripuit eos.*

2. — Consequenter ex hisce planum esse evincit Jansenius, quod, quanto secundum substantiam corporalem a Christo remotiores essent, tanto ei viciniores facti sint per vocem et supplicationem suam : « Procul stantes, voce sublevata acclamave- « runt Domino; et loco quidem procul stant, ora- « tione tamen prope fiunt : *Prope est Dominus « omnibus invocantibus eum, omnibus invocantibus « eum in veritate. Psal.* CXLIV, 18. »

3. — Juxta Alberti Magni, *Serm.* LXVIII, doctrinam : « Ille ad Deum vocem levat, qui per pœni- « tentiam et justitiam ad Deum clamat. »

4. — Quantumvis decem numero vociferentur, clamarentque leprosi, nihilominus juxta Evangelistæ testimonium, non *levaverunt voces*, sed *vocem.* Supra quod se reflectens Lucas Brugensis, sequens hoc nobis præclarum tradit documentum : « *Vocem,* « una voce, unam omnium causam esse declarant, « non pro se quisque, sed omnes pro omnibus « orantes, » quod est verisimile, eos ex industria fecisse, quo magis et numero et communi causa, quasi conjunctis viribus, factaque velut conspiratione quadam, Christum ad misericordiam commoverent.

5. — Optatum hujus clamoris exitum contemplans, vocem eorum ad benignissimas Christi aures pertigisse ostendit, inquiens : « Audit clamorem « Jesus, tiduciæ tessera, nec surda pertransiit aure, « sed mox convertit oculos ad illos; felix clamor, « qui facit attentum et aspicientem Dominum. »

Dicentes : Jesu.

6. — Super quæ ita commentatur S. Bonaventura, *Serm.* IV *in hac Dom.* : « Commendantur « quantum ad davotam præconium laudationis, « invocando principium humanæ salvationis, « nomen scilicet Jesu, « *Non est aliud nomen sub « cœlo datum, quo oporteat nos salvos fieri.* » Rupertus Abbas super illa verba, *Joan.*, XVI, 23 : *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis,* ita discurrit : « Solum hujus unigeniti Filii tui nomen, « quod est Jesus, necessarium universæ orationis « est vehiculum, quo in cœlum directo cursu per- « lata, consistat ante Patris conspectum, salutemque « in sinu ejus et gratiam sugere valeat. » S. Gaudentius ponderans illa Evangelici paralytici verba : *Jesus, qui me sanum fecit*, ita ad rem nostram sermocinatur : « Sciebat utpote Hebræus, nomen « Jesus ex virtute descendere sanitatis; ille ergo, « inquit, « fecit me sanum, cujus et nomen salus est. »

Præceptor.

7. — Non solo Jesu seu Salvatoris, sed et Magistri titulo compellabant Christum leprosi : *Jesu præceptor.* Unde Venerabilis Beda, *Hom. in hoc Ev.*, inquit : « Bene, ut salventur, Jesum præceptorem nomi- « nant, quia enim in ejus verbis se errasse signi- « ficant, hunc salvandi humiliter præceptorem « vocant. » Loquitur Auctor de hæreticis, hos enim paulo ante per leprosos intelligendos esse dixerat : « Qui scientiam veræ fidei non habentes, « varias doctrinas profitentur erroris. »

8. — Existimat Hugo Cardinalis, voluisse leprosos hac formula suam accusare divinorum præceptorum transgressionem : « In hoc, quod præceptorem « vocant, de præceptorum transgressione se accu- « sant, quod decem præcepta sumus transgressi, et « propter hoc facti sumus leprosi; *miserere nostri,* « curando a lepra peccati. »

9. — Reputari possent convenientius egisse si Christum titulo et nomine medici compellassent, non vero Magistri; quia sanitatem non doctrinam quærebant; verumtamen quia *nescimus quid petimus,* ideo Magistrum nominarunt, q. d. : « Dominus « scit quid opus sit nobis, » dicit quidam Interpres modernus, « quid nos deceat, quid ad salutem « necesse sit, quare merito eum Præceptorem ac « Magistrum omnia scientem vocant. » Iterum dicere licet, quod convenientissimo Christum titulo insignierint, quia ut ipsemet apud S. Joannem, XIII, 13, attestatur : *Vos vocatis me Magister et Domine, et bene dicitis : unus est Magister noster.* In hoc porro titulo Magistri, simul nomen includebatur Christi et Salvatoris. Lucas Brugensis Theophylacti testimonium in præsenti adducens ait : « Amplius aliquid hac voce significari existimat « Theophylactus, quam Doctorem, nempe Domi- « num, curatorem, id quod est putare illum, prope « Deum; id præsefert et vox latina *præceptoris,* « proprie enim Domini est præcipere. » Potest esse, quod eum denominarint *præceptorem* a præcipiendo; id quod Centurio etiam his volebat insinuare verbis : *Dic tantum verbo, et sanabitur puer. Mat.*, VIII, 8. Unde ipsemet Christus alium quemdam sanaturus leprosum dicebat : *Volo, mundare.*

10. — Optima hæc ad saluti animæ nostræ implorandum divinum auxilium, jaculatoria deserviet oratio : *Jesu* id est, *Salvator, Præceptor* (hoc verbo precamur, ut nos in rebus ad salutem æternam spectantibus erudire dignetur : *Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu*) *miserere;* vox ista divinam pro nobis sollicitat pietatem, ut scilicet miseris nostris tam spiritualibus quam corporalibus compati dignetur.

Miserere nostri.

11. — Hanc leprosorum supplicam Dionysius

Carthusianus sequenti amplificat discursu : « Id « est, *compatere*, et compatiendo succedere nobis « infirmis; præterea quanto ratio mali amplius « competit malo culpæ, quam malo pœnæ, tanto « plus exoremus tolli a nobis peccata, quam corpo- « ralia incommoda; sed heu multi plus dolent ac « dellent mala exteriora corporalia et caduca, quam « interiora, spiritualia et æterna, quorum valde « obscuratus internus oculus. » Experientia quotidiana teste multi quidem in necessitatibus et tribulationibus suis temporalibus ad Deum recurrere sciunt, at pauci in spiritualibus.

12. — Albertus Magnus ita inquit : « Petunt « misericordiam, ostendentes paratum esse mise- « riam. » Quæ omnia sedulo advertamus oportet, non dicere leprosos : Sana nos a lepra, sed tantum : *miserere*; ostendentes suam hoc in puncto cum divina voluntate conformitatem, quia nimirum *nos ipsi nescimus quid petamus*. Lucas Brugensis talem hæc super verba format discursum : « Bre- « vis, sed ardens oratio; non dicunt, qua in re « cupiant, Jesum sui misereri, quia manifesta « miseria ipsorum erat. » Eodem modo Jansenius sermocinatur, dum ait : « Non explicant, qua in re « misericordiam sibi exhiberi postulent; tantum « misericordiam ejus implorant, nihil dubitantes, « quin si tantum miseretur illorum, et vellet et « posset eos curare, quantumvis multi essent, et « incurabilis esset eorum morbus. » Neque eleemosynam urgent, dum Magistrum compellant.

13. — Diversas hujus supplicæ circumstantias discutit Salmeron; primo namque : « Brevis est « hæc precatio; » deinde, « dulcis, humilis, spiri- « tualis, communis et confidentiæ plena. » Brevis est, quia quatuor tantum continet verba, sed ea virtutis magnæ; dulcis est, dum incipit a suavissimo *Jesu* nomine, quod est « melos in aure, mel in ore, « jubilus in corde; *psallite nomini ejus, quoniam* « *suave*. » Fuit humilis, dum se Christi, tanquam Magistri et Præceptoris substravit nutibus; spiritualis erat, quia misericordiam non justitiam, gratiam non debitum, pietatem non denarios aut eleemosynam sollicitabat; communis erat omnibus decem, una mutuaque inter se voce precantibus, prout monet S. Jacobus Apostolus, v, 16 : *Orate pro invicem, ut salveminí*. Quantum is unus inter eos schismaticus esset, quippe Samaritanus, nihilominus eum, tanquam proximum suscipiebant reliqui, nequaquam ipsum a communis Salvatoris misericordia excludentes, quo in facto veraciter hoc charitatis præceptum adimpleverunt, II *Cor.*, xiii, 5 : *Charitas non quærit quæ sua sunt*. Prærogativam porro hujus universalis et communis peccatoris, ex ipsis placuit assignare Salmeronis verbis dicentis : « Generalis oratio gratior est et ex auditione dignior « apud Deum, *qui vult omnes homines salvos fieri*; « fuit confidentiæ plena, quia dixerunt : *Jesu præ-* « *ceptor*, id est, salvans solo præcepto et imperio, « et cui parent dæmones et morbi. »

Additio.

a. — *Et levaverunt vocem suam dicentes : Jesu, præceptor, miserere nostri*. Una nempe voce clamabant, non unusquisque pro se, sed omnes pro omnibus, idque de cordis intimo, non tantum ore, sed corde, quia afflicti et a terrenis cupiditatibus erant denudati. Tales non sunt orationes tuæ, quæ ore tantum fiunt, et non corde, quod terrenis lucris tuis geris occupatum, quæ a desiderio et lucro bonorum cœlestium te retrahunt; et ideo quanto magis ab hujusmodi bonis nudus et alienus extiteris, tanto magis cœlestibus abundabis. Manna utpote cœlitus Israelitis missa annona, bona significabat cœlestia et æterna; e contra vero fructus terræ, labore et industria humana excultæ, symbolum erant bonorum, divitiarumque temporalium. Et quia verissimum semper est axioma illud Apostoli : *Omnia in figura contingebant illis*, increata Dei Sapientia ita disposuit, ut manna confestim in populo suo deficeret, quamprimum sibi de terrestribus victualibus prospicere incipiebat; ut per hoc nobis insinuaret, quod quanto vehementior est ad bona caduca et terrena animi affectus et amor, tanto majus quoque impedimentum et obstaculum nos habituri simus ad considerandum cum fructu, vel comparandum bona cœlestia. *Deficitque manna postquam comederunt de frugibus terræ*. *Josue.*, v, 12.

Versus 14.

Quos ut vidit, dixit : Ostendite vos Sacerdotibus; et factum est, dum irent, mundati sunt.

Quos ut vidit.

1. — Omnia bona et beneficia nobis præstita ab hoc benignissimo Salvatoris intuitu originem trahunt, quem supplex implorabat obtutum Psalmista, cum postularet, *Psal.* cxviii, 132 : *Aspice in me, et miserere mei*. Albertus Magnus, *in Luc.*, inquit : « Visio Dei est processus hominis gratiæ ad illumi- « nandum tenebras infirmitatum et peccatorum. » De cujus visionis utilitate ita sermocinatur Jansenius : « Ejus intuitus sic provocatus non potest non « esse salutaris, et exhibere imploratum beneficium; « *quos ut vidit*, non oculis tantum corporis, sed « oculis etiam misericordiæ suæ. » Afflictus quidam alius, *respice*, dicebat Salvatori, *Luc.*, ix, 38, *in filium meum*; non expulsionem urgebat dæmonis, nec recensendis immorabatur ludibriis, quæ inferebant rebelles spiritus, sed tantum : *Respice*; quam supplicam hoc extollit præconio Titus Bostrensis : « Sapiens mihi hic videtur esse, non enim dixit « Salvatori : Fac hoc vel illud; sed, *respice*, hoc « enim sufficit ad salutem. »

Dixit : Ite.

2. — Dionysius Carthusianus, adhibita Chrysostomi auctoritate nimiam Christi admiratur in agendo modestiam : « Non dixit, jubeo vos sanari, aut curo « vos; sed, *ostendite vos Sacerdotibus*, ut doceat nos, « omnem ostentationem superbiamque vitare; ne « magna agamus, aut agere cupiamus propter « hominum admirationem, applausum, seu lau- « dem. »

3. — Poterat equidem Christus lepram hanc unico mundare verbo, quemadmodum illi leproso præstitit, cui dicebat : *Volo, mundare*. Ad quid igitur leprosis præcipit templum adire? *Ite*, etc. Respondet Didacus Stella : « Voluit Dominus istos « probare, et ut salutem suo proprio labore et obe- « dientia et merito consequerentur. » Audito hoc Christi præcepto potuissent leprosi hæc aut similia objicere : Quo fine templum adibimus, quid in eo faciemus, quid nobis cum Sacerdotibus ante mundatiem? ante iis nos sistere non possumus, quam sanati sumus; nec inepte forsan, nulla enim a Sacerdotibus sanatio, sed solum ab iis requirebatur judicium, ut scilicet sententiam edicerent, si hic et ille a lepra mundatus esset, et consequenter aliorum sanorum commerciis iterum se ingerere potest : « Quid ad Sacerdotes ibimus? nec mundare nos « possunt; neque sanitatis nostræ testes esse, quo- « niam immundi sumus; siquidem non potuit præ- « sens nobis mederi, quid faceret absens? inutilis « est labor, ne eamus; hæc potuissent dicere, at « fides vera et simplex non disputat, non ratioci- « natur. » Volebat sapientissimus Magister non solum modo fidei, obedientiæ, fiduciæ et promptitudinis horum leprosorum specimen capere, sed et insuper tam excellentes eorum virtutes universo mundo manifestare : « Nisi hi fuissent humili fide « præditi, » inquit Jansenius, « cogitare potuissent; « ut quid nos mittis necdum curatos ad Sacerdotes? « semel enim illi nobis adjudicaverunt lepram, nec « quidquam ipsi de lepræ morbo dubitamus, con- « tractam autem semel lepram illi nequaquam « tollere possunt, sed tantum pro curata sacrificium « offerre; frustra ergo nos mittis ad illos, cum nec « illorum judicio nobis opus sit, nec illorum legis « expiatio impendi possit; nihil autem tale cogi- « tant, sed simplici humilique præditi fide, certo « confidebant, se ideo mitti ad Sacerdotes, quod, « antequam ad illos pervenirent, mundandi essent. » Plena erant et superplena corda eorum fide sincera, perfecte sperantium in omnipotentia Christi, et firmiter confidentium se inter gradiendum sanandos fore : « Quia alias non ivissent, « subjungit Salmeron, « ne a Sacerdotibus cum opprobrio pelle- « rentur. » Unde concludit Jansenius : « Hactenus « quidem declaratur, omnibus istis decem parem « fuisse fiduciam; at sequentia ostendunt, non « parem omnibus fuisse gratitudinem. » Quamdiu duravit lepra, omnesque decem communi affligebantur infirmitate, tamdiu ad unum omnes, viros se præstabant, orationis, fidei, devotionis, obedientiæ exercitia frequentantes, usque eo omnes simul obsequiosi, inque Christum reverentes erant; sed vix receperant sanitatis beneficium, et ecce subito omnes, unico Samaritano excepto, terga vertunt, et in bono deficiunt : ex quibus duo hæc eliciuntur salutis nostræ documenta; primum, quod pancissimi sint, qui in bono persistant; secundum, verissimum esse, quod stante precandi, Deum sollicitandi, nosque illi commendandi necessitate, plurima faciamus proposita bona, vota, eleemosynas et opera bona alia; at suppressa procella adversitatis, omnium obliviscimur bonorum.

4. — Deus noster ut suas nobis conferat gratias et mirabilia operetur, nostram sæpissime etiam exigit cooperationem; id quod in præsenti docet Lucas Brugensis dum ait : « Dicendum est, Jesu « verba tacitam continere promissionem, si id « facerent, si obedirent, irentque ad Sacerdotes, « mundandos esse. Si ire recusassent, » verba sunt Didaci Stellæ, « aut contradicendo, aut non obtem- « perando, nunquam ab infirmitate mundati fuis- « sent; vides ergo, plane Dei voluntatem esse, ut « omnes laboremus, quantum in nobis sit, ne ejus « auxilium cassum reddamus. » Hebræi in deserto læsi a serpentibus, liberationem quærebant et medelam; at Deus non aliud illis præscripsit sanitatis remedium, quam intuitum serpentis æenei : *Qui aspexerit eum vivet*; non quasi illud simulacrum æneum talem in se habuerit sanandi virtutem; sed quia, ut notat Abulensis, nolebat Deus ulli læso pristinam sanitatem, nisi eum præcepto suo probasset obedientem : « Cum ipse ad sanitatem con- « sequendam aliquid specialiter definisset agen- « dum. »

Ostendite.

5. — Ostendere in præsenti idem sonat, quod sincere et integre conscientiam nostrum Sacerdotibus, ad sanandam peccati lepram deputatis, aperire, « quia, » ut bene inquit Albertus Magnus, « cursri non potest, qui medico non ostendit « vulnera. *Prov.*, xxviii, 13 : *Qui abscondit scelera* « *sua, non dirigetur*. » Id quod probe cognovit, inque praxim reduxit Regius Psaltes, unde inquit, *Psal.* xxxi, 5 : *Delictum meum cognitum tibi, Deus, feci et injustitiam meam non abscondi*. In quem locum S. Gregorius ita commentatur : « Ille delic- « tum cognitum facit, quia non solum quod fecit, « annuntiat, sed etiam omnem peccandi causam et « originem narrat. » In tribunali divino prorsus diversum accidit ab eo, quod in tribunalibus judicum temporalium contingere solet; in his enim reus, quantum potest, condemnationem fugere,

crimenque abscondere conatur; in eo autem, in confessione dico sacramentali, quo perfectius crimina sua peccator detegit, eo de indulgentia remissione securior evadit. Petrus Blesensis, *in Job*, contemplans illa verba Psalmi xxxi, 5 : *Dixi : confitebor adversum me injustitiam meam, et tu remisisti impietatem peccati mei*, sequentem format discursum : « Si peccatum tuum aperias, dicit Dominus, ego « illud operio; si agnoscis, ignosco, si accusas, « excuso; si te judicas et condemnas, te nec judico « nec condemno. » Confessionem sacramentalem his prædixit verbis Oseas Propheta, xiv, 3 : *Tollite vobiscum verba, convertimini ad Dominum, et dicite ei : Omnem aufer iniquitatem; reddemus vitulos labiorum nostrorum.* Impropria equidem videri posset hæc similitudo, quæ enim inter victimas et sacramentalis confessionis verba proportio? nihilominus responderi poterit, quod, sicut olim in peccatorum expiationem, sacrificium facturi utebantur victimis, ita nos hodie loco victimarum adhibeamus verba; unde versio Chaldaica habet : *Afferte vobiscum verba confessionis;* cui versioni insistens S. Hieronymus ait : « Placabilis Deo hostia, est pura confessio. » Ast una proposito nostro principaliter deserviens, in victimis offerendis circumstantia hæc est : quod scilicet omnes aperiebantur, ut cuncta earum paterent interiora, nec quidquam horum lateret; ita pariter ut confessio nostra Deo sit accepta, intima debemus pandere cordium nostrorum, ut confessarius omnes in conscientia nostra cogitationes, fines, intentiones, imaginationes et similia perfecte videre et legere possit.

Vos.

6. — Accommode prosequitur discursum nostrum S. Antonius de Padua, *Serm. in hac Dom.*, dum ait : « *Ostendite vos*, non per alios; peccasti enim per « te, ideo per te debes te ostendere. » Quam tamen veritatem diu ante in hisce verbis expressit S. Augustinus : « Præcepit Dominus mundatis, ut osten- « derent ora Sacerdotibus, docens corporali præ- « sentia, confitenda peccata; dixit enim : Ora « monstrate; et omnes non unus pro omnibus, ut, « qui per vos peccastis, per vos erubescatis. »

Sacerdotibus.

7. — Etiamsi Christus probe nosset horum Sacerdotum malitiam et improbam, quam contra eum, sacrumque Evangelium, quod prædicabat et docebat, exercebant inimicitiam, debito tamen eos recusat privare respectu; unde Salmeron ait : « Docet « reverentiam præstare Sacerdotibus, utcumque « Sacerdotes impii fuerint. » Hoc facto instruit nos Christus, ut semper cum debita submissione veneremur Superiores nostros, ad quos principaliter spectat formare judicium et sententiam de subditorum statu.

8. — Dionysius Carthusianus leprosos ad Sacerdotes ablegari docet : « Ob potestatis clavium com- « mendationem; Sacerdotum enim novæ legis est, « mundos seu pœnitentes admittere, immundos et « impœnitentes excludere. » In figura hujus a Domino præceptum et ordinatum fuit in Levitico, ut leprosi sese sisterent Sacerdotibus in lege scripta : « Quia judicare debebant, » inquit Lyranus, « utrum « talis esset vere curatus; » quod fusius prosequitur Lucas Brugensis dum ait : « Ad Sacerdotes « spectabat lepræ judicium, nec poterant, qui se- « mel leprosi judicati fuerant, hominum societati « restitui, nisi judicati a Sacerdotibus liberi et oblato « sacrificio expiali : ita Christus et jus suum Sacer- « dotibus relinquebat et testes atque approbatores « eos faciebat sui miraculi. »

9. — Insigne quoddam aliud ex hac, ad Sacerdotes facta ablegatione, documentum elicit Dionysius Carthusianus inquiens : *Quamvis Deus veraciter pœnitenti statim indulgeat, vult tamen, ut peccator suo confessori confiteatur et vultum conscientiæ suæ ei plane humiliterque ostendat.* Eamdem etiam nobis doctrinam tradidit Lyranus in his verbis : « Quia « licet peccata dimittantur, in confessione tamen « tenetur ea homo confiteri. »

10. — Aliam hujus ad Sacerdotes missionis causam idem auctor fuisse, debitum oblati seu sacrificii, ad quod vi præcepti legalis obstringebantur leprosi mundati : « Pro sua emundatione tenebantur « offerre sacrificium determinatum in lege, legalia « autem tunc cursum suum habuerunt, unde et « Christus ea servavit. » Circumcidi, in templo præsentari et pascha celebrare voluit; pro ejusdem igitur legis observantia, licet interitui jam vicina esset, hodie quoque leprosos ad Sacerdotes ablegat; id quod Salmeron advertit, dum ait : « Diligenter « considera, quam difficulter Christus aliquid de « lege veteri remiserit, non enim venit *legem sol- « vere, sed adimplere.* » Præclarum aliud ecclesiasticopoliticum, in horum verborum consideratione, documentum nobis exhibet Didacus Stella : « Docuit « etiam Christus hoc facto, non tantum aliquos « mores ab Ecclesia usitatos, sed etiam humiliter « legibus, moribus et consuetudinibus in Republica « receptis et usitatis, nos subjiciamus et conforme- « mus, etiamsi obligati non simus. »

11. — Opinatur porro Salmeron, id Christum fecisse : « Ut se majori virtute præditum, quam « lex et vetus sacrificium, facto ipso ostenderet; « nam illi quidem lepram cognoscebant, sed mun- « dare non poterant. » Præcipit Christus leprosis, ut Sacerdotibus se sistant quasi jam tum eo ipso momento, precationis suæ effectum obtinuissent : « Loquitur perinde, » ait Didacus Stella, « ac si « jam petitionem illorum fuisset executus; loquitur « eis, ac si jam essent mundati. »

12. — « Tres partes pœnitentiæ, » scribit Cardinalis Hugo, « hic tanguntur : *Ite*; contritio cor- « dis, quia si anima a peccato recedit, ad Deum « accedit. Confessio, per : *Ostendite vos.* Satisfac- « tio, per : *Dum irent.* » Ejusdem quoque opinionis est S. Antonius de Padua, cum hac tamen differentia penes satisfactionem : « In Sacerdotibus, operis « satisfactio. » Debebant namque Sacerdotes oblationem facere pro mundato : « Sacerdotibus, a qui- « bus pœnitentiam injungitur, ideo per ipsos satis- « factio figuratur. »

13. — Albertus Magnus, *Serm.* LXVIII, quatuor insignes bonæ confessionis conditiones colligit ex hac delegatione : « Prima est, ut sit humilis; unde « non dicit, equitate, sed *ite*. Secunda, quod sit « nuda et sui accusatoria : unde ait : *ostendite vos*; « tertia et quarta, quod sit discreta et frequens; « unde subdit : *Sacerdotibus*, quasi discretis et « bonis; Sacerdotes enim dicuntur, quasi sacri du- « ces; in hoc etiam, quod pluraliter ait, innuitur, « quod debet esse frequens. »

Et factum est, dum irent, mundati sunt.

Et factum est, dum irent.

14. — Priusquam templum attigissent aut Sacerdotibus sese stitissent, gratiam obtinent sanitatis; cujus rei tres nobis assignat rationes Dionysius Carthusianus, *Serm.* I *in Ev.* « Primo ad declaran- « dum Christi pietatem atque potentiam; secundo « ne virtute sacrificii legalis aut Sacerdotum, puta- « rentur curati; tertio ad commendandum meri- « tum fidei et obedientiæ leprosorum istorum, qui « juxta Christi præceptum, protinus ire cœperunt, « seque curandos firmiter crediderunt; *melior « quippe est obedientia quam victimæ.* » I *Reg.*, xv, 22.

15. — Ingeniose observat Didacus Stella, leprosos, dum crederent, mundatos non fuisse, bene tamen postea, quando fidei suæ obedientiam adjunxerunt præceptis Christi, suosque gressus inviolatæ divini mandati observantiæ consecrarunt, euntes, ut jussi fuerant, ad Sacerdotes, licet non nescirent, nullum infectionis suæ remedium a Sacerdotibus sperari posse : « Non fuerunt liberati, « quando crediderunt tantum, sed quando cre- « dentes obtemperarunt, ut intelligamus, quod « animam non mundat sola fides, sed fides, quæ « obedientiam conjunctam habet : » ita Didacus Stella.

Mundati sunt.

16. — Albertus Magnus hanc ipsis munditiem obtigisse sustinet, « merito obedientiæ, quia sim- « pliciter obediverunt; signanter ostendendo, quod « in contritione cum voluntate obediendi, pecca- « tores mundantur ante confessionem et receptio- « nem junctæ pœnitentiæ. »

17. — Certum simul et facilem spiritualis lepræ expellendæ modum nos docet S. Bonaventura, *Serm. in hac Dom.*, inquiens : *Qui vult carere lepra vitiorum, debet Sacerdotem quærere.* Nec obstat, leprosos, ante sanatos esse, quam coram Sacerdotibus comparerent, quia nihilominus obligati adhuc erant sistere se Sacerdotibus, illorumque sententiam præstolari et oblationem. Unde S. Antonius de Padua exclamat : « Ecce quanta Dei misericor- « dia, quæ in sola contritione animam mundat a « peccatis, ita tamen quod firmum propositum ha- « beat confitendi. »

18. — In via, non in templo Christus leprosis sanitatem contulit : « Ne virtute legis, » inquit Carthusianus, « sacrificiique legalis aut Sacerdo- « tum, putarentur mundati, sed sola potestate « divina. »

19. — Perpendit Lucas Brugensis, leprosos hosce, quando audierant sibi dici a Christo : *Ite, ostendite vos Sacerdotibus*, cum admiratione nihilominus contemplatos fuisse in male olentibus corporibus suis, putridas propriæ scabiei plagas; qui licet insuper certi essent, nullam Sacerdotes habere sanandi potestatem, attamen sine omni contradictione et replica promptissime, quo mittuntur, vadunt, credentes se ante purificandos fore, quam ad Sacerdotes perveniant : « Eo quod frustraneum esse « non poterat verbum Jesu; quare non urserunt, « ut, priusquam ab ipso discederent, mundarentur; « sed certo persuasi, se Jesu virtute mundandos, « vel tandem simpliciter obedierunt, fide duce iter « arripuerunt, templum versus; dum pluris ipsis « esset tacita Christi promissio, quam præsens « morbi sui intuitus. »

20. — Salmeron ex hac inter gradiendum impetrata sanitatis gratia, sequentem elicit moralitatem : « Christus est, qui liberat a morbis corporeis « nobis euntibus, id est, quod in nobis est, facien- « tibus. »

Additiones.

a. — *Quos ut vidit dixit : Ostendite vos Sacerdotibus.* Olim, ut patet ex Levitico, *cap.* xv, ad Sacerdotes spectabat judicare, an Hebræi essent lepra infecti, vel ab illa immunes. Cum ergo hi essent sanandi, ad Sacerdotes mittuntur, ut eos sanos judicent, ad declarandum id quod instituendum erat in Ecclesia Christi, nempe quod formale quoddam tribunal erigendum erat in Ecclesia, per institutionem Sacramenti pœnitentiæ, in judices eligendo Sacerdotes, plena instructos potestate sanandi lepram peccati, id est, peccata remittere. Hanc enim potestatem Salvator noster a Patre sibi concessam hominibus delegavit. Solidum equidem argumentum formare videbantur, in lege antiqua fundati, Scribæ dicentes : *Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* Discursum interim auscultare non pigeat, quem ad intentum præsens, sequentem

instituit Hugo Victorinus : « Sed dicis : Ego dico « peccatum meum, sed Deo, non homini. Scriptu- « ram sequor; illa enim mihi dicit ut Deo confitear « peccatum meum. Non me ad hominem mittit, in « quo salus non est; sed illuc trahit confessionem, « unde promittit remissionem : *Dixi, confitebor ad- « versum me iniquitatem meam Domino, et tu remi- « sisti.* Quid facit homo? Audi quid facit. Nonne « ille homo, qui dixit : *Fili, remittuntur tibi peccata « tua?* Et verum est quod ille homo fuit qui dixit « hoc; propterea qui illum hominem esse viderunt, « Deum autem non cognoverunt, murmuraverunt « inter se dicentes : *Quis est hic qui etiam peccata « dimittit?* Sciebant enim quod peccata dimittere « Dei erat, sed nesciebant, quia quod Dei erat, « homo a Deo acceperat. » Sacerdos locum sustinet Dei, homini suam Christus delegavit potestatem, homini Salvator consignavit claves. Audite quo B. Petrus Damianus præconio exaltat Apostolum Petrum : « Judicat Petrus et Petri judicia confirmat « Omnipotens, et est in manu Petri manus Altis- « simi. »

b. — Præclare scribit D. Augustinus, *lib. de vera et falsa pœnit.* : « Præcepit Dominus mundatis, ut « ostenderent ora Sacerdotibus, docens corporali « præsentia confitenda peccata. Dixit enim : Ora « monstrate; et omnes, non unus pro omnibus, ut « qui per vos peccastis, per vos erubescatis; erubes- « centia enim partem habet remissionis. » Mandat Dominus, ut omnes se ostendant Sacerdotibus, non unus pro omnibus; per hos autem mysticos Sacerdotes voluit Dominus significare, peccatores in lege nova debere adire Sacerdotes, ut per declarationem spiritualis lepræ peccati erubescentes, aliquo modo cooperentur ad satisfactionem. Innocentius tertius in quodam de sancta Maria Magdalena habito sermone, ipsam licentiosissimæ et coram universa Jerusalem scandalosæ admodum vitæ, per ruborem et verecundiam satisfecisse astruit, inquiens : « Notabili satisfecit pudore. » Id quod S. Augustinus in illa, quæ in ejus festo legitur homilia pluribus expressit, dum ait : « Vidistis mulierem in « civitate famosam, mala utique fama, quia erat « peccatrix, non invitatam irruisse convivio, ubi « suus medicus recumbebat et quæsivisse pia impu- « dentia sanitatem; irruens quasi importuna convi- « vio, opportuna beneficio. » Neque id cuipiam videatur mirum, quia ut S. Gregorius, *Hom.* XXXIV *in Evang.*, resolvit : « Quæ semetipsam graviter « erubescebat intus, nihil esse credidit, quod vere- « cundaretur foris. » Unico in momento ad sanctitatis pertigit fastigium, quæ prima veritate teste, *dilexit multum*; ideoque S. Chrysologus, *Serm.* XCIV, ait : « Conspicimus non solum caruisse peccatis, sed « ad totum sanctitatis verticem pervenisse. »

c. — Dominus ait : *Ite, ostendite vos Sacerdotibus*, quasi dixisset : Absque horrore manifesta lepram tuam Sacerdoti, hoc enim tuum est remedium. Ne tectus accedas; cum enim te non puduerit committere, nec pudeat illud confiteri; detestabiles enim sunt, quotquot a confessione abhorrent, in eoque frequenter applicando sibi remedio, vivunt negligentes. Ut autem infinitam remedium hoc aspernantium insaniam cognoscatis evidentius, sequentem accipite similitudinem. Quidam criminis læsæ majestatis reus, per justitiam ad furcam condemnatus fuit; at rex misericordia motus, indulsit, ut reus suum secretissime crimen confiteretur alicui ministrorum, ex tota gratiæ signatura ad placitum eligendo, qui ejus confessionem sub strictissimo et inviolabili secreto exciperet, nulli unquam mortali manifestandam; si feceris, ait rex, totum tibi remittam, omnia tua bona fisco addicta tibi restituam, imo majora et maximos tibi conferam honores, teque mei declarabo participem regni. Nonne vos stultissimum hunc esse, omnes uno ore clamaretis, si rarissimam miser contemneret gratiam? Ecce vobis casum in terminis : Singularissimo nos confessionis sacramentalis beneficio divina cumulavit providentia : *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus.* Nullum unquam terrenum tribunal, pietatem et beneficentiam exercuit similem illi quam Deus hoc in judicio frequentat et continuat. Homo, peccato obnoxius mortali, reus est ille, ad inferni furcam condemnatus, omnibus bonorum operum destitutus meritis; divina illa permittit clementia, ut pro beneplacito suo Confessarium eligat, cui sub inviolabili sigillo sua pandat peccata, postmodum omnibus iterum exornandus donis, gratiis et meritis per peccatum amissis, imo majoribus quam unquam cœlestibus locupletandus thesauris; insuper filius et hæres cœlestis declarandus regni. Et nihilominus quantus eorum numerus est qui ab hoc saluberrimo abhorrent remedio? « Officium suum discipulis suis peragendum in- « junxit, » inquit Hugo Victorinus, « ut medicorum « more, ægros ad se venientes exciperent et sana- « rent. Medicis dixit ut curarent, sed infirmis non « dixit, ut ad medicos sanandi venirent. Causam « nostisne? Hoc quasi certum esse voluit, quod « ægri libenter salutem quærerent, » subdit idem auctor, « et se curandos offerrent, si medicos inve- « nirent propterea solos medicos admonuit. »

d. — *Dum irent mundati sunt.* Jam lepram suam manifestaverant Christo Domino, qui erat summus Sacerdos, secundum ordinem Melchisedech; qui in spirituali lepra, scilicet in peccato per pœnitentiæ Sacramentum purificanda, ejusdem Sacramenti aliquando a se instituendi volens ostendere efficaciam, jam per se, antequam ad Sacerdotes venirent, sanatos esse ostendit; ad Sacerdotes tamen mittit declarans, quod licet quidem per veram contritionem peccatorum commissorum a Deo impetremus veniam, tamen etiam necessariam esse eorumdem

peccatorum coram Sacerdotes expressam et distinctam confessionem. Cujus sacramentalis confessionis necessitatem S. Augustinus fusius nobis demonstrare nititur, quia mirum *septies in die cadit justus. Quis est homo qui non peccet? Nemo mundus a sorde.* Ob quas similesque rationes alias, hoc nobis Sacramentum sanctus Ecclesiæ Doctor exhibet, inter omnia quasi salutis nostræ remedia, certius, infallibilius, securius, etiam ad remissionem peccatorum venialium; qua de materia, dum latius discurrit Sanctus, hæc tradit inter cætera : « Hortatur « nos sæpius Sacra Scriptura, ad medicamenta « fugere confessionis, non quod Deus indigeat con- « fessione nostra, cui omnia præsto sunt, quæ cogi- « tamus, loquimur, aut agimus. Sed nos aliter salvi « fieri non possumus, nisi confiteamur. » Nec obstat quod vel unicus contritionis actus ad assecurationem sufficiat salutis æternæ, talis namque propositum nunquam non includit confessionis.

e. — Variæ quæstiones excitari possunt inter curationem horum decem leprosorum et illius leprosi, quem Dominus descendens de monte curavit. Nobis unica hæc sufficiat, cur hic antequam ad Sacerdotem mitteretur, ob ingentem ejus fidem curatur, Christo illi dicente : *Volo, mundare*; hi autem decem sanantur postquam ad Sacerdotes mittuntur? Leprosis præcepit Dominus, ut seipsos Sacerdotibus ostendant, ut a lepræ immunditia expiarentur, ut manifesta fieret auctoritas, quam habituri essent in lege Evangelica circa curationem spiritualis lepræ, id est, remissionem peccatorum illis delegatam. Sicut enim ad Principes absolutas spectat potestas delicta condonandi, castigandi, judicandi reos, item et condemnandi, ita pariter Deus Sacerdotibus absolutam potestatem quodlibet delictum, omnesque et singulos reos, pro suo beneplacito condemnandi et absolvendi delegavit, dicens : *Quæcumque ligaveritis*, etc., adeo ut vere de ipsis dici possit : *Nimis confortatus est principatus eorum. Psal.* CXXXVIII, 12. Secundo, mandat leprosis : *Ite, ostendite vos Sacerdotibus*, ut et Sacerdotibus, etiam iniquis, quales hi erant, suam reverentiam, suum honorem, ac jus illæsum servaret; nam honorandi sunt Sacerdotes etiam indigni; Deus enim ita præcipit, cum sint ejus ministri, illiusque in anima deferant characterem, ac proinde si contemnentur, Deus ipse se in iis spretum esse censet, illisque illatas ignominias graviter castigat. *Honora Deum ex tota anima tua et honorifica Sacerdotem. Eccli.*, VII, 33. Hoc Ecclesiastici monitum quoad honorem Sacerdotibus exhibendum, mysterio non caret, siquidem prinsquam hos venerari jubeat, prius Deum honorandum esse præcipit; primo enim dicit : *Honora Deum ex tota anima tua*; et postea subjungit : *Et honorifica Sacerdotes*, quia honor, qui ministris divino ejus ministerio consecratis debetur, relationem dicit ad obsequium et devotionem quam Deo debemus. Incarnata Sapientia ad convertendos populos ad fidem, Ecclesiamque fundandam, florem Ecclesiasticorum ex pauperibus, idiotis, vilibusque piscatoribus, seligere voluit; ne tamen quis ob id debitum illis respectum et honorem denegaret, apud S. Lucam, X, 26, protestatur dicens : *Qui vos audit me audit, et qui vos spernit, me spernit; qui autem me spernit, spernit eum qui misit me.* Unde D. Chrysostomus de Sacerdote disserens ait : « Si despicis, non illum despicis, sed Deum « qui illum ordinavit. »

Versus 15.

Unus autem ex illis ut vidit, quia mundatus est, regressus est, magna voce magnificans Deum.

Unus autem ex illis ut vidit, quia mundatus est.

1. — Hunc loquendi modum ita interpretatur Salmeron : « Non quod alios non plane curaverit, « aut se mundatos non viderint, sed quod non om- « nes viderunt, hoc est, non omnes agnoverunt, « nec ex æquo ponderarunt, a quo tantum benefi- « cium accepissent, unde videre, hoc loci apte et « tempestive pro agnoscere accipitur. »

2. — Dionysius Carthusianus, *Serm.* I *in hac Dom.*, verbum *vidit* in sensu explicat litterali, inquiens : « Vidit per experientiam et corporalem « intuitum, corpore suo subito mirabiliter immu- « tato, in colore et dispositione, pristinoque ces- « sante dolore. » Putat porro hic auctor, verisimile esse hunc leprosum eodem tempore, simul etiam ab interiori animæ lepra liberatum fuisse : « Quia « ut creditur, Christus verus Deus, cujus perfecta « sunt opera, quos corpore curavit, spiritualiter « quoque sanavit ab omni culpa mortali. »

3. — Lucas Brugensis tradit incertum esse, an Samaritanus hic ad Sacerdotes iverit Hebræorum in Jerusalem, an vero ad suos in Samariam : « Aliis « opinantibus ipsum proselytum fuisse, aliis non. » Jansonius pulchram nobis rationem assignat, quare ex decem unus tantum beneficentiam Christi cum gratiarum actione recognoverit : « In quo sane facto, « tanquam typo quodam demonstratum est, primo, « ex multis vocatis et evangelicum beneficium per- « cipientibus, paucos electos fore; deinde, novissi- « mos fore primos, ac primos contra novissimos. »

4. — Lyranus inter decem, unicum duntaxat reducem, ut benefactori grates referat, contemplans, ait : « Hoc autem dicitur ad significandum, « quod pauci sunt respective, qui grati sunt de « beneficiis largitatis divinæ. » Quamdiu dignitatis gradum aut quodlibet beneficium aliud affectamus, nos humiliare, submittere et recommendare novimus, sed desideratis et quæ in voto erant, obtentis, subito memoria excidit benefactorum.

5. — Objecerit forte quispiam, quare Samarita-

nus iste templum non adierit pro explendo sacrificii debito; huic responderi potest, Samaritanum suæ nequaquam defuisse obligationi, utpote qui sacratissimæ Salvatoris humanitatis templo sacrificium dedicavit, multo pretiosius illo, quod lex præcipiebat.

6. — Glossa sensum secuta allegoricum, ita scribit: « Unus autem egressus, significat unius Ecclesiæ « devotam in Christo humilitatem, qui cadens ad « pedes ejus gratias agens, quia repressis præ- « sumptionis cogitationibus, quam sit infirmus, « videt, nihil virtutis sibi tribui, bona quæ agit de « misericordia intelligit, unde et Samaritanus, id « est, custos denuminatus, qui ita bona, quæ acce- « pit, Deo tribuit, ut cum Psalmista dicere possit : « *Fortitudinem meam ad te custodiam.* »

Regressus est, cum magna voce magnificans Deum.

7. — Albertus Magnus in hoc Samaritani facto, octo nobis scribit exhiberi virtutes. Prima est, « istius ab ingratis divisio; » secunda, « beneficio- « rum sibi impensorum, *ut vidit quia mundatus* « *est*, recognitio; » tertia, « ad benefactum regres- « sio, *regressus est*; » quarta, « vocis in laude « magnificatio; » quinta, « magnifica benefactoris « prædicatio; » sexta, « casus, in faciem adoratio; » « septima; » ad pedes Christi humiliatio; » octava, « gratiarum de beneficio accepto exhibitio. »

8. — Advertit Salmeron, quod, sicut Samaritanus ante cum reliquis omnibus, vocem suam elevaverat in prædicando : *Levaverunt vocem suam, dicentes : Jesu, Præceptor, miserere nostri*, ita nunc pariter eleve; eam ad gratificandum : « Si magna « voce petiit, cum esset leprosus, majori jam sana- « tus debuit clamare, ob fidem magnam et devo- « tionem, qua accesserat, ad plura obligatur sanus, « quam infirmus. »

9. — S. Antonius de Padua sensum secutus moralem, eumdem fere cum glossa citata discursum instituit, dum ait : « Rediit, in faciem « cecidit; ille revertitur, qui nihil virtutis sibi attri- « buit bona, quæ agit, de misericordia intelligit, « in faciem cadit, qui de perpetratis malis cru- « bescit. »

Additiones.

a. — *Unus ex illis, ut vidit quia mundatus est*, etc. Ut Samaritanus se mundatum videt, statim absque ulla mora in Dei laudes prorumpit, et omisso ad Sacerdotes itinere, ad Christum revertitur, eum ut suum sanatorem cognoscens, illique pro tanto beneficio gratias persolvens. Pro donis enim acceptis illico gratiæ sunt persolvendæ, ut receptorum beneficiorum gratitudo benefactores nostros ad nova impertienda moveat; quod Hugo Victorinus sequenti discursu magnifice confirmat, dum ait : « Origo fluminum et fontium, mare : « virtutum et scientiarum, Dominus Jesus. Ex isto « fonte manant, ut ad locum unde exeunt, flumina « gratiarum revertantur, ut iterum fluant. Remit- « tantur itaque ad suum principium, cœleste pro- « fluvium; spirituales rivi proprio fonti, sine « fraude et sine intermissione reddantur, ut arva « mentium rigare non desinat. Qualiter inquis? « Audi Apostolum : *In omnibus gratias agentes*, ut « quidquid sapientiæ, quidquid veritatis habes et « gratiæ, totum Dei virtuti et Dei ascribas sapien- « tiæ. » S. Bernardus in illa Canticorum verba, *Cant.*, VIII, 3 : *Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me*, interpretans dicit : « Felix « anima, quæ Christi recumbit pectore et inter « Verbi brachia requiescit : *Læva ejus sub capite* « *meo, et dextera illius amplexabitur me*; non ait, « *amplexatur*, sed *amplexabitur*, ut noveris prioris « gratiæ adeo non ingratam, ut secundam gratia- « rum actionem prævenerit. » Quæ verba nos do- cent ne in reddendo gratitudinis tributo, post recepta beneficia, tardi pigrique inveniamur : « Disce « in referendo gratiam non esse tardus, aut segnis; « disce ad singula dona gratias agere; diligenter « considera quæ tibi apponuntur, ut nulla videlicet « Dei dona, nulla gratiarum actione frustrentur, « non grandia, non pusilla, denique nitamur colli- « gere fragmenta ne pereant, id est, nec minima « obliviscі beneficia. »

b. — Titus Bostrensis ait : « Samaritanus solus « ad Salvatorem reversus gratiam agnovit et gra- « tiarum retulit actiones, sanitatem stabiliens, ne « forte, inquiens, propter ingratitudinem recidi- « vam patiatur. » Et bene quidem fecit hic alienigena; timebat enim ne in aliquam ingratitudinis notam incideret, ob quam totam gratiam perderet. Unde pulchre ait D. Laurentius Justinianus : « In- « gratitudo deperdit utique aggregatas cum sudore « multo spirituales divitias, obstruit contra se « ostium divinæ bonitatis, misericordiæ Dei exsic- « cat fontem et charismatum cœlestium communi- « cationem se privat. » Postquam Dominus noster, in parabola de talentis, servi illius pigri et inertis, qui cum talento recepto negotiatus non fuerat, seque benefactori suo gratum minime exhibuerat, recensuissent ingratitudinem, mox talia verba subjungit : *Omni habenti dabitur et abundabit; et autem qui non habet et quod videtur habere auferetur de eo*; *Matth.*, XXV, 29; quasi dicere vellet : Omni homini qui pro receptis beneficiis gratus fuerit, beneficium datum semper augetur; e contra vero, qui ingratus pro illis fuerit, in pœnam ingratitudinis suæ etiam dona et beneficia hactenus communicata amittet. *Et quod videtur habere auferetur ab eo*, quia ut S. Bernardus de hoc vitio scribit, *Serm. II de septem miseric.* : « Vias obstruit gratiæ, et ubi fuerat illa, « jam grata accessum non invenit, locum non ha- « bet. Nonne jure perditum reputatur, quod in-

« grato donatum est? Aut dedisse non pœnitet « quod periisse videtur? » S. Laurentius Justinianus similiter animam ingratam his verbis perstringit : « Merito quod sibi donatum est, amittit, « necnon et iis quæ nondum accepit, se reddit « indignum. Disperdit utique repente cum sudore « maximo aggregatas spirituales divitias, etc. » S. Augustinus ingratitudinem ventum urentem et dissiccantem appellat dicens : « Scio quod ingra- « titudo multum tibi displiceat, quæ est radix « totius mali spiritualis, et ventus quidam dissi- « cans et urens omne bonum. *Soliloq.*, *cap.* XVIII. » S. Bernardus, *Serm. de Quadrag.*, sic ait : « Non « vero ut minus habens quod dederat Christus « repetit, sed ne tibi pereat quidquid ad eum « referre volueris. Siquidem etiam fluminis aqua, « si stare coperat, et ipsa putrescit. Sic plane, si « gratiarum cessat decursus, ubi recursus non « fuerit, nec modo nihil augetur ingrato, sed et « quod acceperat, vertitur in perniciem. » Quo idem Sanctus, in alio quodam super Cantica sermone, damnum gratiarum divinarum, quod ingratus incurrit irreparabile perhibet in hæc verba : « Ingratitudo inimica est animæ, exinanitio « meritorum, virtutum dispersio, beneficiorum « perditio. Ingratitudo ventus urens, siccans sibi « fontem pietatis, rorem misericordiæ, fluenta gra- « tiæ. »

Versus 16.

Et cecidit in faciem ante pedes ejus, gratias agens; et hic erat Samaritanus.

Cecidit in faciem, ante pedes ejus.

1. — Citatus in *Catena* Titus Bostrensis, hujus in faciem casus causam assignat, inquiens : « *Cecidit*, ex procubitu et supplicatione fidem suam « simul cum benevolentia pandens. »

2. — Non poterant leprosi sanis appropinquare, quomodo ergo hic audet ad Christi pedes se prosternere? Respondet idem auctor : « Quia dederat « illi appropinquandi fiduciam suscepta purgatio. » Aliam hisce verbis moralitatem adducit Salmeron : « Prius, cum esset leprosus, longe stetit, quia *longe* « *a peccatoribus salus*; » mundus appropinquat Jesu, qui habitat in cordibus justificatorum.

3. — Venerabilis Beda in sensu spirituali, hujus, in faciem procumbentis Samaritani modestiam ita interpretatur : « Cadit in faciem, quia ex malis, « quæ se perpetrasse meminit, erubescit, ibi enim « cadit homo, ubi confunditur. »

4. — Hugo Cardinalis aliud, in hoc humilitatis actu occultatum, propalat mysterium, dum ait : « Ante pedes Jesu cadit, quia ejus divinitatem et « humanitatem credit, qui se infirmum recognoscit, « qui nihil sibi attribuit, sed quidquid habet, ab eo « se habere intelligit : vel ante pedes cadit, qui « beneficium suæ mundationis Christi passioni attri- « buit. »

5. — « Qui in faciem cadit, » scribit Glossa, « videt quo cadat; qui retro cadit, non videt : boni « ergo in faciem cadunt, qui humiliant se in his « visibilibus, ut ad invisibilia erigantur. »

Gratias agens.

6. — Hanc Samaritani gratitudinem Titus Bostrensis sequenti prosequitur encomio : « Reversus « gratiam agnovit et gratiarum retulit actiones, « sanitatem stabiliens, ne forte inquiens, per in- « gratitudinem, recidivam patiatur. »

7. — Nescimus equidem, an Samaritanus ille ad templum Jerosolymitanum se contulerit, ut sacrificium offerret, seu pro se offerri faceret a lege præscriptum; asseverat nihilominus Tertullianus, eum orationis faciendæ gratia, illac transiisse, proinde scribit : « Hunc non ivisse nisi ad templum, ut « faceret orationem, sed tanquam Christianum « factum, ad Christum, tanquam ad verum tem- « plum et verum Sacerdotem rediisse, ut veram « oblationem offerret et hostiam pacificam gratia- « rum actionis et laudis : » quod quam divinæ Majestati gratum sit et acceptum, ipsamet per os Psalmistæ protestatur, dicentis, *Psal.* XLIX, 23 : *Sacrificium laudis honorificabit me.*

8. — In sacrificio quotidiano incruento, quod divinæ Majestati speciatim offertur in ordine ad munditiem consequendam a peccatorum nostrorum lepra, consuevit Ecclesia hostiæ consecrationi, oblationi et communioni seu Agni immaculati, Christi Redemptoris participationi aliud præmittere laudis et gratiarum actionis sacrificium, in præfatione dicendo : *Gratias agamus Domino Deo nostro*, respondente ministro : *Dignum et justum est.* Repetit Sacerdos : « Vere dignum et justum est, æquum et « salutare, nos tibi semper et ubique gratias « agere. » Ad quod regius nos Vates allicit atque exhortatur, dicens, *Psal.* XIX, 14 : *Immola Deo sacrificium laudis et redde Altissimo vota tua.* Ad hujus porro continuam proxim frequentandam stimulos forte non remissos addet præclara hæc S. Augustini sententia : « Quod est autem sacratius laudis sacri- « ficium, quam in actione gratiarum? et unde ma- « jores agendæ sunt gratiæ Deo, quam pro ipsius « gratia, per Jesum Christum Dominum nostrum? » Philo Judæus tractans de victimis, ad Judæorum sacrificia adhiberi et offerri solitis, ad rem nostram ita accommode scribit : « Quantum aurum præstat la- « pidibus, tantum acceptior est » Deo, « suffitus « gratiarum actione, quam mactata victima. » Plurimum equidem Deo placabant antiquæ legis sacrificia, attamen quodcumque gratius ei erat sacrificium laudis; unde a Psalmista introducitur hunc in modum loquens, *Psal.* XLIX, 13 : *Numquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hirco-*

rum potabo? quasi diceret : Non ego arietes, tauros vestros, non alia quæcumque similia animalia esurio; quid ergo? immediate respondet Psalmista : *Immola Deo sacrificium laudis;* quod alibi confirmat, dicens, *Psal.* LVIII, 31, 32 : *Laudabo nomen Dei cum cantico, et magnificabo eum in laude, et placebit Deo super vitulum novellum cornua producentem et ungulas,* id est : Non alteri Deus, præterquam sacrificio laudis famelicus inhiat, quodcumque aliud Deo offertur, illi gratum est, sed isto semper inferius.

Et hic erat Samaritanus.

9. — Existimat Lyranus, hunc non fuisse origine Hebræum, sed aliquem eorum gentium et idololatrarum, qui olim in Samariam ad loca illa inhabitanda ablegati fuerant a Rege Assyriorum, qui multos, propriis sedibus exturbatos sibique mancipatos Gentiles, in regnum hoc transtulit, ubi primitus Judæi habitabant; cui favere videtur ille, per ipsum Lyranum adductus, Sacræ Scripturæ textus : « Isti « Samaritani partim colebant idola, partim Deum, « et Judæi non communicabant cum eis, sicut nec « cum aliis gentibus, ut habetur Joannis, IV. » Evidentius tamen pro hac doctrina militat quædam Lucæ Brugensis traditio, ita scribentis : « Erant « Samaritani plerique, omnes genere Babylonii, « aut ex aliis hujusmodi gentibus oriundi, quos « Salmanasar, Rex Assyriorum, adduxerat et collo- « caverat pro filiis Israel. »

10. — Quomodo vero hæc leprosi Samaritani inter reliquos Judæos commixtio acciderit, idem auctor ex discursu elicit Evangelico, reflectens se ad priora illa Evangelistæ, de Christo loquentis verba : *Transibat per mediam Samariam et Galilæam;* meminit Evangelista Samariæ, « ut osten- « deret, qua occasione contigerit, Samaritanum « admixtum fuisse Judæis. » Miraculum istud in finibus accidit Judææ, proxime conterraneis Samariæ, « idque quod multi volunt, postquam negatum « fuit Jesu hospitium, in uno Samaritanorum « vico; » de quo S. Lucas Evangelista scribit in hunc modum : *Introierunt in civitatem Samaritanorum, ut pararent illi; et non receperunt eum.* Occluserant illi quidem portas Christo in faciem, nihilominus Salvator injuriæ immemor, uni eorum sanitatis beneficium impertit, qui fide, humilitate et gratitudine sua redimere quodammodo conatus fuit injurias et ignominias Christo a nationalibus suis illatas. Nimiam hanc Christi patientissimi beneficentiam, Salmeron nobis contemplandam proponit in verbis sequentibus : « Etsi verum est, « Dominum in hac profectione expulsum fuisse, « miram Domini benignitatem licet contemplari, « qui cum ingratis et expellentibus eum, beneficiis « vincere certabat, atque hæc est Dei vindicta. »

11. — In hoc Samaritano adimpleri crediderim illud Apostoli axioma, de antiqui Testamenti eventibus discurrentis : *Omnia in figura contingebant illis.* Ita quondam docuit S. Bonaventura, *in Luc.*, inquiens : « Erat Samaritanus ad expressionem « figuræ et significationis; iste enim, quia Samari- « tanus et alienigena, significat Gentiles ad cultum « Dei redeuntes, sicut etiam ista mulier Samari- « tana. »

12. — Theophylactus hoc loco bene considerat, neminem se quo minus Deo se consecret, excusare posse, sive ex parte vocationis suæ, sive ex parte natalium suorum, quibus est oriundus, sive ob quemvis alium similem respectum : « Hinc discere « quis potest, » inquit, « quod nihil cuiquam obest, « ad hoc ut Deo placeat, etiamsi maledicti generis « sit, modo bonam voluntatem habeat; Assyrii « enim erant Samaritani, ut nullus Gentilis despe- « ret, ut nullus de sanctis parentibus glorietur. »

13. — Porro alii novem Judæi erant, solum hinc Christus advenam et peregrinum appellat : *Hic alienigena;* atque ideo hic Samaritanus in comparatione ad alios, tanto majori erat laude dignus. « Quia, » ut Albertus Magnus ait, « cum non esset « illuminatus doctrinis Prophetarum, et panca mi- « racula vidisset, tamen fide fultus rediit. »

14. — Lyranus rationem, cur alii ad Salvatorem reversi non fuerint, his verbis affirmat : « Quia « decepti a Sacerdotibus, quibus se repræsentave- « runt, qui doctrinæ Christi et miraculis detrahe- « bant, secundum eorum informationem, attribue- « runt suam sanationem, observantiæ legis, et non « virtuti Christi, licet a principio fideliter et devote « petivissent ab eo sanari. »

15. — Quantum vero ad sensum moralem idem Auctor ait : « Samaritanus qui custos interpretatur, « nam illi sunt grati Deo, qui se custodiunt a pec- « cati recidivo. »

16. — Bene hic Samaritanus dicitur, inquit Hugo Cardinalis, « id est, custos donorum Dei, quæ « bene custodivit, quod totum Deo, nihil sibi « attribuit. » Unde pulchre observat, Salvatorem nostrum tria præcipue in Samaritanis commendare, scilicet facilitatem, qua se ad ipsum convertebant, lumini et notitiæ, quam eis de sua divinitate communicabat, fideliter cooperando, prouti in muliere illa Samaritana videre licet. Deinde compassionem et misericordiam illorum erga proximum, siquidem, ut præcedenti Dominica dictum fuit, Samaritanus vulneratum illum a Sacerdote et Levita Jerosolymam ascendentibus, neglectum et derelictum, adhibito vino et oleo curavit. Denique gratitudinem, quia hic præ cunctis aliis per debitum gratiarum, et laudum repensum tributum, benefactorem suum rite agnovit.

VERSUS 17.

Respondens autem Jesus, dixit : Nonne decem mundati sunt? et novem ubi sunt?

Nonne decem mundati sunt?

1. — Prima quidem facie Salvator noster hoc loquendi modo hæc beneficia et miracula, leprosis hisce exhibita, iis exprobrasse videtur et tamen Didacus Stella ait : « Non est mos Dei, exhibita « beneficia improperare, *qui dat omnibus affluenter,* « *et non improperat;* sed ingratitudo nostra illum « quodammodo cogit. »

2. — Observat Jansenius ex hisce Christi verbis immotescere, eum tam præsentia quam absentia intueri, utpote qui sanitatem a novem quoque aliis absentibus recuperatam esse testabatur : « Declarat « se cognitorem secretorum, dum et reliquos « mandatos significat, et cujus quisque gentis « esset, se cognoscere demonstrat. »

Et novem ubi sunt?

3. — « Non quærit de novem, » inquit S. Bonaventura, « velut ignorans cujuslibet personam, sed « reprobans ingratitudinem et irreverentiam; sicut « quærebat Dominus : *Adam ubi es?* » Ejusdem est opinionis Albertus Magnus dum ait : « Ecce quod « ingratos ad gratiarum actionem requirit. » Hugo Cardinalis ita describit : « Non quærit ex ignoran- « tia, quia omnia, antequam sint, novit; sed hoc « ipso mystice insinuat, quia ingratos ignotos re- « putat. » S. Antonius de Padua, *Serm. in hac Dom.*, eumdem sensum diversis verbis exprimit, dicens : « Ingratos quasi ignotos, ubi sunt inquirit; « in quo instruimur, pro beneficiis collatis Domino « gratias referre. » Nullum profecto reprobationis indicium evidentius, quam quando Deus negat, se nosse animas nostras, prout dicebat fatuis virginibus, *Matth.*, XXV, 12 : *Amen dico vobis, nescio vos :* quodque omnibus in extremo die judicii, improperabit impiis : « Nunquam novi vos : *Discedite a me* « *omnes, qui operamini iniquitatem. Psal.* VI, 9. » Mirum videri posset, cur maximo ingratitudinis vitio nullam lex humana pœnam statuerit; at ejus rationem Seneca adducit, solo lumine naturali collustratus, dum inquit : « Ingratitudinis vitio nullam ab « humanis legibus pœnam constitutam esse repe- « rimus, quia tanta est ejus iniquitas, ut sola Dei « justitiæ rigidissimæ relinquatur punienda. »

4. — Dionysius Carthusianus et Didacus Stella dubium suscitant in præsenti, quomodo scilicet, cum omnes novem reliqui etiam in corpore et anima, prout communiter fieri amabant, per Christum sanati fuerint, se nihilominus ingratos adeo et beneficiorum immemores exhibuerint? Respondentque auctores ipsi cum Lyrano, residuos novem a Sacerdotibus seductos et perversos fuisse. « Seducti sunt, » inquit Carthusianus, « et ingrati « effecti et recidivi. » Quod clarius explicat Didacus Stella, dum ait : « Existimo, quod novem illi « decepti sunt a *Sacerdotibus,* ne crederent, quod « a Christo essent mundati, sed a Deo propter « legis observationem; invidebant enim Sacerdotes « Christo et doctrinæ ejus, et ubicumque pote- « rant, detrahebant; horum persuasionibus de- « cepti, exciderunt a fide; curatio autem Christi « etsi præstaret salutem animæ, non tamen confir- « mabat eos in gratia, ita ut non possent iterum « labi in peccatum, ut isti fuerunt. »

5. — Quærit Salmeron, quare Salvator, qui *sciebat, quid esset in homine,* gratias suas iis impertierit leprosis, quorum ingratitudinem prævidebat? respondetque : « Dicendum, Dominum libenter « contulisse beneficium, quia rogarunt, et quia « Dominus gratiam suam non impertitur intuitu « futurorum bonorum operum, et ut ostendat, se « in nos omnes diffundere dona gratiæ suæ, etiamsi « illis nostro vitio abutamur. »

6. — S. Bernardus, *Serm. cant. ingrat.*, intuitu horum novem, ingratitudinis vitium perstringens, sequentia salutis nostræ multiplicat documenta : « Bene siquidem orasse, obsecrasse, postulasse « leguntur, qui levaverunt vocem dicens : *Jesu, fili* « *David, miserere nostri,* sed defuit eis gratiarum « actio. Multos quoque videmus usque hodie, satis « importune petentes, quod sibi deesse cognove- « rint, sed paucos admodum novimus, qui dignas « super acceptis beneficiis gratias agere videantur. « Non reprehensibile, quod instanter petimus, sed « plane petitioni negat effectum, quod invenimur « ingrati; et forte hoc etiam clementia videtur, « ingratis negare quod postulant, ne contingat « nobis, ut tanto gravius de ingratitudine judice- « mur, quanto magis accumulatis beneficiis ingrati « probabimur exstitisse. »

7. — Ex contextu præsenti intensa colligitur Samaritani in proximum charitas; non enim aliquorum sociorum detrahit ingratitudini, non eos accusat, quod suas se in ædes receperint, quod admonitiones bonas a se datas surda aure contempserint; verisimile namque est, Samaritanum omnes adhortatum fuisse, ut, sicut unanimiter gratiam petierant, ita et concordi voce pro collatis beneficiis grates referrent; in his omnibus docemur, nunquam proximum nostrum culpare, quamdiu accusationem aut reprehensionem ejus licite subterfugere possumus.

8. — Verisimile equidem mihi esse videtur, Samaritanum hunc apprime a Deo illuminatum fuisse, quandoquidem ipsa increata Sapientia tantis eum laudibus extulit, quas cum principaliter meruerit per animi sui gratitudinem et debitam beneficiorum recognitionem, discursum terminare placuit hocce egregio gratitudinis encomio, quod S.

Bernardus de virtutis istius fructibus et effectibus tractans adducit : « Felix, qui ad singula gratiæ « dona redit ad eum, qui est plenitudo omnium « gratiarum, cui dum nos pro acceptis non ingratos « exhibemus, locum in nobis facimus gratiæ, ut « majora adhuc accipere mereamur. »

Additiones.

a. — *Nonne decem mundati sunt? Et novem ubi sunt?* Novem leprosi in ingratam oblivionem lapsi, non sunt reversi. Et quidem loquitur Christus in præsenti, per interrogationem, ad majorem emphasim ac energiam orationis. Ac si dicat : Cur etiam illi, sicut et tu, non agnoverunt beneficium, ut ad me redirent, mihique benefactori suo gratias referrent. *Et novem ubi sunt?* Optime sciebat Dominus, ubi ipsi existebant, tamen tali modo loquendi hic utitur. Glossa Interlinearis sic habet : « Ingratos, « quasi ignotos; *ubi sunt?* inquirit Dominus. » Quasi a Deo non cognoscerentur, qui beneficia divinitus sibi collata non recognoscunt. Ingrati enim Deo maxime abominabiles sunt. Imo adeo ingratos detestatur Deus, ut eosdem procul semper a se arceat, quia *longe a peccatoribus salus*. Posquam Redemptor noster nonnulla inter Gerasenos operatus fuisset miracula, *tota civitas*, ut Evangelista inquit, *exiit obviam Jesu et viso eo, rogabant, ut transiret a finibus eorum*. Circa quæ verba D. Chrysostomus, *Hom.* XXIX *in Matth.*, inquit : « Clementiam Christi con- « sidera, nam cum a regione sua, qui hæc miracula « viderant, cum ingrati abigerent, non repugnavit, « sed cessit. » Videri autem non nemini posset, potius Chrysostomum dicere debuisse : Vide justitiam Christi, quia in hoc suo ab eis recessu severum se judicem demonstrabat; unde per Oseam, IX, 12, comminatur dicens : *Væ eis cum recessero ab eis*. Didacus Stella super illa verba Christi apud S. Lucam, de ingratis leprosis querulose dicentis : *Nonne decem mundati sunt? Et novem ubi sunt?* inquit : « Sciebat unde essent. Rogabat tamen in « detestationem vitii ingratitudinis. Et ut magis « attenderetur ratio ingratitudinis, ostendit etiam « quantum nos a Deo separet ingratitudinis vitium, « nemo enim solet quærere eum qui adest, sed « absentem; unde sequitur, nullum malorum homi- « num genus tam esse a Deo separatum, quam « ingratus, quia omne peccatum ingratitudo est, « nullumque vitium illidem gravius quam ingrati- « tudo. »

b. — Totus in gratiarum actione effusus accedit Samaritanus hic felix, et invenit Christum excandescentem in eos qui non simul ad gratias accedebant, sed se separaverant. O bone Jesu! Cur sic accipis gratum hominem? Si alii ingrati sunt, illos corrige, modo hujus gratitudini applaude, huic te benignum exhibe. Cur te severum facit aliorum absentium ingratitudo et non magis placabilem et dulcem reddit gratitudo præsentis? Equidem minus etiam placet gratitudo, quæ non habet omnes eos socios qui beneficium acceperunt. Fallor nisi hue spectavit D. Maximus dicens : « Gratia tanquam luna; cum « plena est et perfecta, tunc pulchra videtur. » Non adeo pulchrescunt in oculis divinis gratiarum actiones, quæ per partes fiunt, quæ habent partium plurium defectum et absentiam, non sunt gratæ, nisi beneficii sociis fiant plenæ. Sic Deo discordia displicet, utpote qui eos acriter castiget qui eam seminant. Dicit enim Scriptura sacra, *Prov.*, VI, 15 : *Huic extemplo veniet perditio sua et subito conteretur, nec habebit ultra medicinam. Sex sunt quæ odit Dominus et septimum detestatur anima ejus : oculos sublimes, linguam mendacem, manus effundentes innocuum sanguinem, cor machinans cogitationes pessimas, pedes veloces ad currendum in malum, proferentem mendacia, testem fallacem*. Id vero quod præ cunctis aliis detestatur, est : *Qui seminat inter fratres discordias*. Huic igitur *extemplo veniet perditio*, non solum temporalis, sed et æterna mors supplicii loco a Deo immittitur; unde Apostolus, *Hebr.*, XII, 14, dicit : *Pacem sequamini cum omnibus et sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum*. Imo discordiæ et dissensiones fabricarunt infernum : *Deus enim mortem non fecit*, sed Lucifer cum suis sequacibus, postquam se ab Angelis bonis separavit et disjunxit, primi in infernum se egere præcipites. Primus quoque generis humani reprobus Cain fuit, qui cum innocente fratre suo Abel rixatus est. Salutare igitur est illud S. Hieronymi in Regulis Monachorum suggestum consilium dicentis : « Pax quærenda est, ut fugia- « mus bella; nec sufficit eam quærere, nisi inven- « tam fugientemque omni studio prosequamur, « *quæ exuperat omnem sensum*, in qua habitatio Dei « est, Propheta dicente : *In pace factus est locus* « *ejus*. Quicquid igitur dividit inter fratres, infernus « dicendus est. »

c. — Inter tot, nisi unus extitit, qui rediret et daret gloriam Deo, qui veritatem testificaretur confitendo et prædicando se a lepra per Christum sanatum; in quo humanam miseriam videre licet. Bene cœperant hi leprosi siquidem ad Dominum fide magna clamarunt et ejus divino præcepto prompte paruerunt; sed jam accepta gratia et salute minime perseveraverunt; in ipsum benefactorem mox injurii, in turpe ingratitudinis peccatum inciderunt; et in eo se vere stultos, non sapientes probarunt et sibi ipsis causa amissæ fidei extiterunt et salutis. Qui enim propter peccatum perseverantiam negligit, præterquam quod Deo injuriam facit, stultum se esse probat, sibique ipsi causa multorum gravium damnorum est. Multum vero sapientius egit hic alienigena, licet a religione et gente Judaica alienus, qui ex quo plenam in Christum fidem concepit, eamdem operibus suis continuavit; unde in hoc homine Dei gratia excitatus est actus contritionis, quo justificatus et relinquens errorem Samaritanorum, Christo adhæsit, ejusque baptismum postea recepit. Perseverantia enim quæ cœli porta est, merita nostra adauget et præmiat, finemque respicit. Et ideo ait illi Jesus : *Surge, vade*, securus jam de recuperata sanitate. Super quæ verba Hugo Cardinalis acute sic ait : « *Surge* credendo, *vade* ope- « rando; vel *surge* incipiendo, *vade* proficiendo; « vel *surge* per mali declinationem, *vade* per boni « operationem; vel *surge* de peccato ad gratiam, « *vade* de virtute in virtutem. » Christianus enim semper in virtutibus progredi et proficere, nequaquam vero eo virtutum statu in quo est, contentus esse debet. Inter alias beatitudines hæc quoque recensetur : *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam*. Clarum est autem quod nomine justitiæ in multis Scripturæ locis, perfectio, omnisque virtutis professio intelligatur. Ac proinde Christus illos specialiter nominat beatos, qui magna cum aviditate quotidie magis ac magis sancti fieri desiderant. Et vero hæc beatitudo, ut S. Bernardus observat, valde convenit cum illo quod dicit Sapiens, *Eccli.*, XXIV, 29 : *Qui edunt me adhuc esurient et qui bibunt me adhuc sitient*. Salvator noster non ait : *Beati qui esuriunt* humilitatem, obedientiam, castitatem, sed : *Qui esuriunt justitiam*, quia a nobis non unam dumtaxat virtutem, sed omnium virtutum cumulum desiderat. S. Evangelista Lucas non sine mysterio de Redemptore nostro dicit : *Et Jesus proficiebat sapientia, et ætate et gratia*, tametsi S. Joannes de ipso scripsisset, quod esset plenus gratia. At vero dices fortasse : Vas aliquod ad orificium usque liquore plenum, nequit habere ullam capacitatem alterius liquoris supervenientis; qua igitur ratione de Christo dici potuit : *Proficiebat?* Respondetur, quod cum Christus actionum nostrarum prototypon sit et exemplar, ideo Evangelista per verbum, *proficiebat*, insinuare voluerit continuum, quem in vita spirituali procurare debemus progressum.

Versus 18.

Non est inventus, qui rediret et daret gloriam Deo, nisi hic alienigena.

Non est inventus, qui rediret et daret gloriam Deo.

1. — Admiratus hunc Christi sermonem Salmeron, tandem duplicem assignat hujus exprobrationis causam, inquiens : « An voluit vendere « beneficium? an eget Deus laude nostra? an non « regula est, benefacientes oblivisci beneficii im- « pensi, sicut beneficium accipientis est, semper « recordari? sed voluit eos redire, non propter se; « sed primo propter Deum, cui omnis debetur « gratiarum actio et laus pro beneficio; deinde « propter alios, ut constaret de beneficio per Chris- « tum accepto, non per legem; et ut gratum ani- « mum ostendentes, majora beneficia perciperent, « nempe doctrinam fidei, ut Samaritanus. »

2. — Ex hisce rerum circumstantiis Didacus Stella non difficiliter elicit, et tribulationis utilitates et prosperitatis dispendia, adversitates namque ad Deum nos trahunt, a quo felicitatis retrahit ubertas : « Docemur ex hoc loco, quantum prosit animæ « saluti omnis fortunæ adversitas, quantum vero « obsit prosperitas; sic enim leprosi dum infirmi- « tate detinebantur, orabant Deum et clamabant, « at posteaquam sanitatem consecuti, Dei auxilio « amplius non indigere sibi visi sunt, statim dolo- « rem cum memoria beneficii simul deposuerunt. »

3. — Ex hac unius solius Samaritani redeuntis et ad Christi pedes sese prosternentis gratitudine, Dionysius Carthusianus, *Serm. III in hac Dom.*, hanc elicit tremendam adversum ingratos sententiam : « Per quod figuratum est, quod pauci sic confiten- « tur, quando recidivant; sicque Christo reddantur « ingrati et pereunt, imo plus inquinantur, quam « ante. »

4. — « Ecce, » inquit Albertus Magnus, « expro- « bratio ingratitudinis et acceptatio gratias agen- « tis. » Eamdem reliquorum, qui omnes Judæi erant, a lepra mundatorum ingratitudinem, S. Bonaventura hac justa perstringit reprehensione : « In quo manifeste ostenditur Judæorum ingrati- « tudo, quia cum essent novem, nullus ex eis « rediit, sed solus iste Samaritanus, qui unus erat, « et solus; in quo intelligitur electio gentium et « reprobatio Judæorum. » Genti huic innata videtur in Deum ingratitudo, de qua manifeste in persona Domini lamentatur Isaias Propheta, in principio libri sui exclamans : *Audite cœli, auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus est*; postquam autem in hac justissima indignatione, terræ et cœli audientiam requisivisset, ecce subnectit illico causam commotionis suæ, scilicet : *Filios enutrivi et exaltavi, ipsi autem spreverunt me*. Neque hoc contentus insuper ostendere satagit hanc electi ingratitudinem non modo a Gentilibus et quibuscumque aliis naturæ humanæ participibus, sed ab ipsis etiam irrationabilibus bestiis condemnari : *Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe Domini sui, Israel autem me non cognovit*. Proinde jure merito severissimum illis intentat supplicium : *Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis*; neque hæ nudæ fuere minæ, miserrimum exitu probante earum effectum, dum populus Hebræus duplicata et æternæ reprobationis, et temporalis per sæcula omnia exterminii, sine spe consolationis, incurrit dispendia. Nec est, ut supplicia hæc ingratitudinis judaicæ flagitio excessive improportionata reputemus, quia « quanto « majora beneficia hominibus sunt constituta » verba sunt Auctoris Imperfecti, *Hom.* I *in Matth.*, « tanto « majora peccantibus judicia sunt præparata. »

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

5. — « Cum obticesceret, » inquit Lucas Brugensis, « Samaritanus non solum gratus, sed etiam « modestus, qui venerat suo functurus officio, non « accusaturus alios, Jesus reversus ab illo ad disci- « pulos suos ac turbam, inquit : *Non est inventus,* « *nisi hic,* etc. » Ex quibus agnoscitur nimia gratitudinis prærogativa et meritum, utpote quam Filius Dei non tantum in conspectu collegii Apostolici, sed et coram universo mundo tantopere deprædicavit.

6. — Advertit præterea idem auctor omnes hosce leprosos Christi præceptis sese obedientes exhibuisse, veri namque simile est, eos adiisse templum, ut se Sacerdotibus sisterent; sed aberrarunt in eo; debebant etenim, suspensa aliquantisper ad templum profectione, cum Samaritano redire subito, gratias acturi benefactori suo pro collato sanitatis beneficio, et postea Jerusalem versus, iter suum repetere : « Atqui puduit eos ad Jesum « redire, et publice fateri se leprosos fuisse, cum « mallent quam minime sciri, et morbi memoriam « quam primum exstingui, gloriam Dei suæ vere- « cundiæ post habentes; quare taxat eorum ingra- « titudinem Christus, quod divinam erga se benefi- « centiam clam habere, et tantum Dei beneficium « cebare studuerunt. »

7. — In præsenti porro non obiter notandum occurrit, quod ingeniose advertit Jansenius, scilicet nullam a Christo gratiarum actionem, sed solam Dei gloriam sollicitari, non obstante, quod Samaritanus tributum exsolverit gratitudinis : « Dominus « tantum meminit gloriæ Deo datæ, nulla facta « mentione gratiarum actionis sibi redditæ; quo « satis significavit, se unice Dei Patris sui gloriam « quærere ac a nobis quærendam esse, non autem « se spectasse hominum applausus et laudes, sibi « tanquam homini attributas; » non dicit : *Qui* rediret et daret gloriam mihi, sed *Deo* : omnes namque Christi actiones majorem spectabant Dei Patris gloriam. In quo denique illa gratiarum actio, quam nos Deo debemus, situata sit, hoc laconico quidem, sed observatu dignissimo documento insinuat Chrysostomus, *Hom.* III *in Matth.* : « Hoc est referre « gratias Deo, peccata ei propria confiteri. »

Nisi hic alienigena.

8. — Juxta opinionem Lyrani : « In hoc significa- « catum fuit, quod Gentiles venturi erant devote « ad Christi fidem, Judæis remanentibus in suo « errore. »

9. — Optime in præsenti commentatur Lucas Brugensis, hæc nimirum Christi verba non despectum, sed commendationem potius et laudem continuisse Samaritani : « Alienigenam vocat Jesus, « non contemptus causa, sed ut reliquorum culpam « amplificet, quod is Deo gloriam dederit, a quo id « minus, quam a cæteris exspectandum fuerat. » Multi homines mundani, a Deo beneficia consecuti, majorem sæpe sæpius ei gratitudinem exhibent, perfectiusque communicato sibi cœlitus lumini correspondent et cooperantur, quam alii, divino cultui quomodolibet dedicati; propterea tantam sibi famam compararunt Zachæus, Chananea, Centurio, Magdalena et plurimi alii, præterquam quod in statera divina pluris valeat, et morosius ponderet unum etiam hominis sæcularis opus bonum, quam multa religiosorum. An non actus plurimos, eosque heroicos omnes vita nobis exhibet S. Martini, ab eo, qua Monacho qua Episcopo exercitos? quanta recenset miracula, quot exhibet virtutes, quot obstupenda enumerat merita? nihilominus sancta Mater Ecclesia inter omnes, unicum solummodo præ reliquis suscepit, deprædicat, nobisque repræsentat generositatis actum, quo chlamydem militarem divisit mediam, ut pauperis nuditatem operiret, quod factum præ omnibus aliis ipse etiam cœlestis Paradisus hoc extulit encomio : « Martinus adhuc « catechumenus hac me veste contexit. » Quæ obsecro hujus unius virtutis tot inter innumeras alias prærogativas tantam sibi in terris et in cœlis laudem ascivit? Ratio in promptu est; actus hic a S. Martino exercitus fuit in ætate, vocatione et professione, jurata quasi pietatis et compassionis hoste; tunc temporis Martinus castra sequebatur; at militum mos est, aliena potius rapere quam propria largiri; pauperem citius spoliare, quam de suis ditare; præterquam quod pro eo tempore Martinus necdum Christianismo imbutus fuerit, nec in lege Evangelica informatus. Eamdem penitus virtutem exhibet nobis hodie Samaritanus, in comparationem Hebræorum, de quo non inconvenienter asseveraverim illud quod de S. Martino affirmat S. Hieronymus, ad Exuperium scribens : « Quis non « diligat eum, qui sub paludamento et habitu « militari, agat opera Prophetarum. »

VERSUS 19.

Et ait illi : Surge, vade, quia fides tua te salvum fecit.

Ait illi : Surge, vade.

1. — « *Ait illi,* confortans eum » scribit Albertus Magnus, « ad perseverantiam. » Initialiter equidem omnes decem viros se præstiterant egregios, vivam præferentes fidem, devotionem, incorruptam voluntatis suæ in divinam resignationem, humilitatem, obedientiam, fiduciam maximam, et summam in Christum confidentiam; sed sanitatis gratia obtenta, omnes subito decem, unico excepto, beneficiorum immemores et ingrati terga vertunt, benefactorem deserunt, malignisque et perversis Pharisæorum adhærent suggestionibus : ecce tibi egregium nostræ in virtute instabilitatis et incon-

stantiæ exemplar, qui exilem, proh dolor, moram trahimus in bono opere inchoato.

2. — Idem Auctor vocem *vade* ita interpretatur : « *Vade* proficiendo ad Deum et proximorum ædi- « ficationem. » Jure sane meritissimo præcipit Christus Samaritano, ut vadat, quia in schola Christi discipulus effectus, et ex Samaritano in fidelem conversus, *fides tua te salvum fecit,* intelligere et scire debebat necessario, non sufficere saluti fidem et sine progressu in operibus bonis; apposite Salmeron ad rem nostram inquit : « Nec « fides sola est; sed conjuncta cum obedientia, « eundo ad Sacerdotes, et gratiarum actione, cum « redita et humilitate, in casu ante pedes Christi « et prædicatione gratiæ Dei. »

3. — Tandem ex hisce verbis Lucas Brugensis evidenter deducit, Christum non sibi sed fidei Samaritani miraculum adscribere : « Fidei Samari- « tani, non sibi, adscribit Jesus miraculum, non « quod ipse non fuerit præcipuus auctor, nam hoc « ipsum ferebat Samaritani fides, sed quod fides « fuerit cooperata, præparans Samaritanum et « capacem reddens tanti beneficii. »

DOMINICA QUARTADECIMA POST PENTECOSTEN

EVANGELIUM MATTHÆI, CAP. VI, VERS. 24

24. Nemo potest duobus dominis servire : aut enim unum odio habebit, et alterum diliget; aut unum sustinebit, et alterum contemnet : non potestis Deo servire et mammonæ.

25. Idcirco dico vobis : Ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini : nonne anima plus est quam esca, et corpus plus quam vestimentum?

26. Respicite volatilia cœli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, et Pater vester cœlestis pascit illa; nonne magis vos pluris estis illis?

27. Quis autem vestrum cogitans potest adjicere ad staturam suam cubitum unum?

28. Et de vestimento quid solliciti estis? Considerate lilia agri quomodo crescunt; non laborant, neque nent.

29. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum ex istis.

30. Si autem fœnum agri, qui hodie est, et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quanto magis vos, modicæ fidei?

31. Nolite ergo solliciti esse, dicentes : Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur?

32. Hæc enim omnia gentes requirunt, scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis.

33. Quærite ergo primum regnum Dei, et hæc omnia adjicientur vobis.

VERSUS 24.

Nemo potest duobus dominis servire : aut enim unum odio habebit, et alterum diliget; aut unum sustinebit, et alterum contemnet : non potestis Deo servire et mammonæ.

Nemo potest duobus dominis servire.

1. — Albertus Magnus variis, in quodam super hoc Evangelium sermone *in hac Dom.,* adductis motivis, probare allaborat, hominem obligari ad servitium divinum. « Servilis conditio : ipse enim « de limo nos plasmavit. Charissima emptio : suo « pretioso sanguine, de potestate diaboli nos rede- « mit : *Empti enim estis pretio magno.* Impensi « servili recompensatio : omnia quæ fecit in carne, « quasi quædam servitus fuit. Propriæ promissionis « obligatio : promisimus enim in Baptismo, quod « ei servire deberemus. Quotidiani boni erogatio : « quotidie enim beneficia Dei recipimus, quo « merito deservire debemus. Æternæ mercedis « expectatio, » est motivum ultimum.

2. — Sæpe equidem, ipsa experientia teste, duobus dominis serviri, obsequiumque præstari potest; nihilominus indubitata remanet conclusio a Christo facta et stabilita, verumtamen in eo sensu, quo sacri Interpretes eam exponunt; igitur Interlinearis habet : « *Duobus dominis* inter se dissidenti- « bus. » Cajetanus vero : « Quatenus duo seu « diversi sunt; » seu ut Dionysius Carthusianus scribit : « Non subordinatis, seu contrariam volun- « tatem habentibus. » Pariter et Albertus Magnus

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

5. — « Cum obticesceret, » inquit Lucas Brugensis, « Samaritanus non solum gratus, sed etiam « modestus, qui venerat suo functurus officio, non « accusaturus alios, Jesus reversus ab illo ad disci- « pulos suos ac turbam, inquit : *Non est inventus,* « *nisi hic,* etc. » Ex quibus agnoscitur nimia gratitudinis prærogativa et meritum, utpote quam Filius Dei non tantum in conspectu collegii Apostolici, sed et coram universo mundo tantopere deprædicavit.

6. — Advertit præterea idem auctor omnes hosce leprosos Christi præceptis sese obedientes exhibuisse, veri namque simile est, eos adiisse templum, ut se Sacerdotibus sisterent; sed aberrarunt in eo; debebant etenim, suspensa aliquantisper ad templum profectione, cum Samaritano redire subito, gratias acturi benefactori suo pro collato sanitatis beneficio, et postea Jerusalem versus, iter suum repetere : « Atqui puduit eos ad Jesum « redire, et publice fateri se leprosos fuisse, cum « mallent quam minime sciri, et morbi memoriam « quam primum exstingui, gloriam Dei suæ vere- « cundiæ post habentes; quare taxat eorum ingra- « titudinem Christus, quod divinam erga se benefi- « centiam clam habere, et tantum Dei beneficium « cebare studuerunt. »

7. — In præsenti porro non obiter notandum occurrit, quod ingeniose advertit Jansenius, scilicet nullam a Christo gratiarum actionem, sed solam Dei gloriam sollicitari, non obstante, quod Samaritanus tributum exsolverit gratitudinis : « Dominus « tantum meminit gloriæ Deo datæ, nulla facta « mentione gratiarum actionis sibi redditæ; quo « satis significavit, se unice Dei Patris sui gloriam « quærere ac a nobis quærendam esse, non autem « se spectasse hominum applausus et laudes, sibi « tanquam homini attributas; » non dicit : *Qui* rediret et daret gloriam mihi, sed *Deo* : omnes namque Christi actiones majorem spectabant Dei Patris gloriam. In quo denique illa gratiarum actio, quam nos Deo debemus, situata sit, hoc laconico quidem, sed observatu dignissimo documento insinuat Chrysostomus, *Hom.* III *in Matth.* : « Hoc est referre « gratias Deo, peccata ei propria confiteri. »

Nisi hic alienigena.

8. — Juxta opinionem Lyrani : « In hoc significa- « catum fuit, quod Gentiles venturi erant devote « ad Christi fidem, Judæis remanentibus in suo « errore. »

9. — Optime in præsenti commentatur Lucas Brugensis, hæc nimirum Christi verba non despectum, sed commendationem potius et laudem continuisse Samaritani : « Alienigenam vocat Jesus, « non contemptus causa, sed ut reliquorum culpam « amplificet, quod is Deo gloriam dederit, a quo id « minus, quam a cæteris exspectandum fuerat. » Multi homines mundani, a Deo beneficia consecuti, majorem sæpe sæpius ei gratitudinem exhibent, perfectiusque communicato sibi cœlitus lumini correspondent et cooperantur, quam alii, divino cultui quomodolibet dedicati; propterea tantam sibi famam compararunt Zachæus, Chananea, Centurio, Magdalena et plurimi alii, præterquam quod in statera divina pluris valeat, et morosius ponderet unum etiam hominis sæcularis opus bonum, quam multa religiosorum. An non actus plurimos, eosque heroicos omnes vita nobis exhibet S. Martini, ab eo, qua Monacho qua Episcopo exercitos? quanta recenset miracula, quot exhibet virtutes, quot obstupenda enumerat merita? nihilominus sancta Mater Ecclesia inter omnes, unicum solummodo præ reliquis suscepit, deprædicat, nobisque repræsentat generositatis actum, quo chlamydem militarem divisit mediam, ut pauperis nuditatem operiret, quod factum præ omnibus aliis ipse etiam cœlestis Paradisus hoc extulit encomio : « Martinus adhuc « catechumenus hac me veste contexit. » Quæ obsecro hujus unius virtutis tot inter innumeras alias prærogativas tantam sibi in terris et in cœlis laudem ascivit? Ratio in promptu est; actus hic a S. Martino exercitus fuit in ætate, vocatione et professione, jurata quasi pietatis et compassionis hoste; tunc temporis Martinus castra sequebatur; at militum mos est, aliena potius rapere quam propria largiri; pauperem citius spoliare, quam de suis ditare; præterquam quod pro eo tempore Martinus necdum Christianismo imbutus fuerit, nec in lege Evangelica informatus. Eamdem penitus virtutem exhibet nobis hodie Samaritanus, in comparationem Hebræorum, de quo non inconvenienter asseveraverim illud quod de S. Martino affirmat S. Hieronymus, ad Exuperium scribens : « Quis non « diligat eum, qui sub paludamento et habitu « militari, agat opera Prophetarum. »

VERSUS 19.

Et ait illi : Surge, vade, quia fides tua te salvum fecit.

Ait illi : Surge, vade.

1. — « *Ait illi,* confortans eum » scribit Albertus Magnus, « ad perseverantiam. » Initialiter equidem omnes decem viros se præstiterant egregios, vivam præferentes fidem, devotionem, incorruptam voluntatis suæ in divinam resignationem, humilitatem, obedientiam, fiduciam maximam, et summam in Christum confidentiam; sed sanitatis gratia obtenta, omnes subito decem, unico excepto, beneficiorum immemores et ingrati terga vertunt, benefactorem deserunt, malignisque et perversis Pharisæorum adhærent suggestionibus : ecce tibi egregium nostræ in virtute instabilitatis et incon-

stantiæ exemplar, qui exilem, proh dolor, moram trahimus in bono opere inchoato.

2. — Idem Auctor vocem *vade* ita interpretatur : « *Vade* proficiendo ad Deum et proximorum ædi- « ficationem. » Jure sane meritissimo præcipit Christus Samaritano, ut vadat, quia in schola Christi discipulus effectus, et ex Samaritano in fidelem conversus, *fides tua te salvum fecit,* intelligere et scire debebat necessario, non sufficere saluti fidem et sine progressu in operibus bonis; apposite Salmeron ad rem nostram inquit : « Nec « fides sola est; sed conjuncta cum obedientia, « eundo ad Sacerdotes, et gratiarum actione, cum « redita et humilitate, in casu ante pedes Christi « et prædicatione gratiæ Dei. »

3. — Tandem ex hisce verbis Lucas Brugensis evidenter deducit, Christum non sibi sed fidei Samaritani miraculum adscribere : « Fidei Samari- « tani, non sibi, adscribit Jesus miraculum, non « quod ipse non fuerit præcipuus auctor, nam hoc « ipsum ferebat Samaritani fides, sed quod fides « fuerit cooperata, præparans Samaritanum et « capacem reddens tanti beneficii. »

DOMINICA QUARTADECIMA POST PENTECOSTEN

EVANGELIUM MATTHÆI, CAP. VI, VERS. 24

24. Nemo potest duobus dominis servire : aut enim unum odio habebit, et alterum diliget; aut unum sustinebit, et alterum contemnet : non potestis Deo servire et mammonæ.

25. Idcirco dico vobis : Ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini : nonne anima plus est quam esca, et corpus plus quam vestimentum?

26. Respicite volatilia cœli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, et Pater vester cœlestis pascit illa; nonne magis vos pluris estis illis?

27. Quis autem vestrum cogitans potest adjicere ad staturam suam cubitum unum?

28. Et de vestimento quid solliciti estis? Considerate lilia agri quomodo crescunt; non laborant, neque nent.

29. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum ex istis.

30. Si autem fœnum agri, qui hodie est, et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quanto magis vos, modicæ fidei?

31. Nolite ergo solliciti esse, dicentes : Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur?

32. Hæc enim omnia gentes requirunt, scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis.

33. Quærite ergo primum regnum Dei, et hæc omnia adjicientur vobis.

VERSUS 24.

Nemo potest duobus dominis servire : aut enim unum odio habebit, et alterum diliget; aut unum sustinebit, et alterum contemnet : non potestis Deo servire et mammonæ.

Nemo potest duobus dominis servire.

1. — Albertus Magnus variis, in quodam super hoc Evangelium sermone *in hac Dom.,* adductis motivis, probare allaborat, hominem obligari ad servitium divinum. « Servilis conditio : ipse enim « de limo nos plasmavit. Charissima emptio : suo « pretioso sanguine, de potestate diaboli nos rede- « mit : *Empti enim estis pretio magno.* Impensi « servili recompensatio : omnia quæ fecit in carne, « quasi quædam servitus fuit. Propriæ promissionis « obligatio : promisimus enim in Baptismo, quod « ei servire deberemus. Quotidiani boni erogatio : « quotidie enim beneficia Dei recipimus, quo « merito deservire debemus. Æternæ mercedis « expectatio, » est motivum ultimum.

2. — Sæpe equidem, ipsa experientia teste, duobus dominis serviri, obsequiumque præstari potest; nihilominus indubitata remanet conclusio a Christo facta et stabilita, verumtamen in eo sensu, quo sacri Interpretes eam exponunt; igitur Interlinearis habet : « *Duobus dominis* inter se dissidenti- « bus. » Cajetanus vero : « Quatenus duo seu « diversi sunt; » seu ut Dionysius Carthusianus scribit : « Non subordinatis, seu contrariam volun- « tatem habentibus. » Pariter et Albertus Magnus

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

docet : « In quo notatur dominii diversitas : duo « domini convenjunt in legibus et præceptis. »

3. — Efficacissimum, maxime conveniens et rationale motivum, quare Deus totale et adæquatum sibi a nobis servilium exhiberi prætendat, absque eo quod ulli alteri rei adhæreamus; hoc ipsum est quod S. Gregorius assignat dicens : « Quia Deus totum hominem condidit, habere eum « communem cum adversario suo non dignatur. » Quod corporis nostri fabricam concernit, in eo divinas operationes admiratur Tertullianus, nobisque contemplandas proponit, dum ait : « Recogita « illi totum Deum occupatum esse ac deditum, « manu, sensu, opere, consilio, et ipsa imprimis « affectione, quæ lineamenta ductabat, « animam nostram ex proprio, ut ita dicam, præcordiis eduxit : *Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, et factus est homo in animam viventem. Gen.*, II, 7. Denique proprio sanguine hominem redemit, suo sacratissimo corpore nutrivit, mansionem ei in Paradiso fabricavit, hacque ratione exigit, ut nullus præter Deum, Creatorem et Redemptorem nostrum, cordis sibi nostri dominium usurpet.

4. — *Ego sum Dominus Deus tuus zelotes*, quondam Israelitis dicebat Legislator supremus, *Exod.*, xx, 5, hodieque nobis ingeminat; zelotypus est Dominus in amore nostro, totum vult, consortem nescit : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua*, etc. Docet S. Augustinus, quare Deus animam nostram ad imaginem et similitudinem suam creavit; nimirum ut homo tantus, quantus est, ad Deum conversus : « Factorem pro « imagine cognoscat, et pro similitudine diligat. » Ipsum se Dominus Sponsum nuncupat animæ, *Ose.*, II, 19 : *Sponsabo te mihi*, non ob aliam utique causam principaliorem, quam ut sciamus et certificemur, cum velle totius cordis, totiusque amoris nostri Dominum; neque ratio deficit, propter quam Deus sibi soli hocce dominium et cordium nostrorum principatum reservet, et amoris nostri consortem recuset; cor nostrum adeo exile est, et ideo non potest tantam intra se continere amoris intensionem, ut digne diligat objectum adeo diligibile et amore tanto dignum, quale est : conveniens igitur decensque fuerit, ut saltem illi soli, quantum possumus, cor nostrum patefaciamus, cum exclusione cujusque alterius, maxime vero inimicorum ejus, mundi scilicet, dæmonis, et sensus seu carnis nostræ. Docuit nos hujusce rei veritatem Isaias Propheta, xxvii, 20, quando vice quadam, metaphorae intentus certae alicujus consortis alteri, praeterquam soli Sponso, aditum ad se permittere volentis dicebat : *Coangustatum est enim stratum, ita ut alter decidat; et pallium breve utrumque operire non potest.*

5. — Dictam intercisi et mutilati amoris incompossibilitatem claro hoc discursu exprimit Lyranus : « Cor hominum non potest simul capere Deum et « diabolum; sed suscepto diabolo per peccatum, « exit Deus; suscepto Deo per charitatem, exit « diabolus. » Præcepta Dei et dæmonis seu mundi contrariantur sibi invicem, vexillaque et insignia erigunt sibi mutuo inimica et repugnantia, unde Glossa scribit : « Cum regnum Dei et diaboli dis- « sideant inter se, in utroque nemo potest simul « limitare; unde qui baptizantur, diabolo abrenun- « tiant, et ejus operibus. » Omnis mundi maxima præceptis et consiliis contrariatur Evangelicis; Deus namque præcepit : *Diligite inimicos vestros*; at lex militaris et duelli infamem proscribit illum, qui non reddiderit pugnum pro pugno, gladium pro gladio; mundus solos suscipit et magnificat potentes, divites, et in dignitatibus constitutos; schola Christi solos æstimat humiles, pauperes, et in hac vita contemptos; hæc autem quis non videt maxime inter se repugnare? Quare denique inter se concordiari nequeant simul in eodem subjecto, hanc rationem adducit Cajetanus : « Quia diversa juben- « tibus si quis sponte servit, unum diligit, alterum « vero odio habebit; amor enim unius contrarii, « odium est alterius. »

6. — Per duos dominos Dionysius Carthusianus Deum et mundum seu carnem intelligit, dicens : « Nemo potest servire Deo et mundo, Deo et carni; « propter quod dicit Apostolus, *Gal.*, I, 10 : *Si homi- « nibus placerem, Christi servus non essem.* » Similiter et Glossa per respectum ad Deum et mundum explicat, scribens : « Quas dicat, non poteritis ad oculum « hominum agere, et ex his Deo placere. » Ast objecerit forte quispiam, multos viros sanctos Principibus serviisse, vero Deo inimicis; in curia Neronis multos fuisse Christianos testatur ipse Apostolus, inquiens, *Phil.*, IV, 22 : *Salutant vos omnes sancti, maxime autem qui de domo Cæsaris sunt.* S. Sebastianus Diocletiano Imperatori, Daniel regi famulabatur Nabuchodonosori, et nihilominus omnes isti simul etiam unius veri Dei cultores et servi erant; sed facilis est ad objectionem responsio, cum distinctione superius allata : non absolute, sed in tantum Deus prohibet, ne hominibus serviamus, in quantum horum leges divino contrariantur famulatui, et transgressioni favent præceptorum ejus; ideo per Vicarium suum hoc omnibus nobis edictum promulgari fecit, II *Pet.*, II, 18 : *Subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis et modestis, sed etiam discolis.* Quis obsecro major veri Dei inimicus erat, quam Rex ille sacrilegus in Babylonia, et nihilominus Danielem, quem in assiduo servitio suo occupatum habebat, non suum, sed Dei famulum nuncupat, dicens : *Daniel serve Dei.* « Ipsum non suum, » ait Theodoretus, « sed « Dei servum appellat. » Imo non servum duntaxat Dei Danielem nominat, sed et perpetuum, inquiens : *Deus tuus, cui tu servis semper.* Voluit equidem

Spiritus Sanctus hanc veritatem ex ore sacrilegi illius Regis denuntiari et confirmari, ut quicumque Dei servus, licet Principibus aliis sæcularibus externum obsequium impendat, nihilominus eodem etiam tempore, cor, affectum, voluntatem, aliasque potentias suas libere in Dei servitium et obsequium sese dirigere posse noverit; et ideo quicumque de numero horum, quando ex una parte lex, gratia et amicitia urget divina; ex altera vero, edicta et leges Principum jubent contrarium, non fidei Deo date sed favoribus, thesauris, dignitatibus, statui suo, prætensioni omni et similibus quibuscumque prompti renuntiant, seque fidelissimos illius Monarchæ servos perhibent, in cujus femore scriptum est : *Rex regum*, etc. Tales se heroes probarunt Moyses Pharaoni, tres pueri Nabuchodonosori, S. Sebastianus imperatori Diocletiano, dicentes cum Apostolo, *Act. Apos.*, V, 29 : *Obedire oportet magis Deo quam hominibus.*

7. — Ab ipso etiam Apostolo hanc dominicam doctrinam stabilitam esse dicimus dum ait, I *Cor.*, X, 23 : *Non potestis mensæ Domini participes esse et mensæ dæmoniorum.* Et iterum, II *Cor.*, VI, 15 : *Quæ conventio Christi ad Beliol? aut quæ societas lucis ad tenebras?* Nesciunt in eodem simul templo dimorari Dagon et Arca; prope equidem novit astutus serpens, maximam Christianorum partem pro aliquo saltem tempore vitæ, de felicitatis æternæ securitate procuranda cogitare, et ideo ut illos ab hujus finis consecutione divertat, ecce tibi dolum et fraudem, qua plerosque infatuat; cum enim Deum, totum cor nostrum velle, sciat juxta illud, *Prov.*, XXIII, 26 : *Fili mi, præbe cor tuum mihi*; ipse consilium falsæ illius matris præponit, scilicet : *Nec mihi, nec tibi, sed dividatur*; quæ historia, *lib.* III *Reg.*, III, fuse narratur. Ambabus Rex, ut in veræ genitricis notitiam veniret, dixit : *Afferte mihi gladium, dividite infantem vivum in duas partes, date dimidium partem uni, et dimidium partem alteri.* Et ecce protinus hac sententia prolata, utra earum vera mater esset, innotuit : *Commota sunt quippe viscera ejus super filio*; et ideo Salomoni supplex facta, dixit : *Obsecro, domine, date illi infantem vivum.* E contra altera fraudulenta mulier exclamabat : *Nec mihi, nec tibi, sed dividatur.* S. Bernardus de nostro erga Deum amore tractans hanc adducit historiam, per eamque denotari dicit, quod Deus totum cor, totumque affectum nostrum desideret, ideoque illum inter creaturas dividi pati nequeat; dæmon vero consilium illud mulieris pravæ : *Nec mihi, nec tibi, sed dividatur*, proponat. Paulus de Palatio super Ecclesiastici, III, 29, textum : *Cor ingredicus duas vias, non habebit successus*, ita ait : « Bona mater integrum, non divisum vult filium, « licet, quæ se matrem fingebat, dividi filium opta- « ret : ita Deus integrum cor, non divisum vult, « quia pater illius est. Idem Ecclesiasticus, II, 14, ait : *Væ peccatori terram ingredienti duabus viis*; horum autem multi sunt, ii nimirum, qui uno eodemque tempore Deo et mundo servire volunt, de quibus Oseas, I, 2, ait : *Divisum est cor eorum, nunc interibunt.* S. Augustinus quoque dicit : « *Væ duplici* « *corde*, qui in corde suo partem faciunt Deo, par- « tem diabolo. » Sic Ananias et Saphira ex una parte Deum venerari studebant, dum aliorum ardentium fidelium exemplo, se hæc omnia bona terrena deseruisse simulabant, magnam illorum partem, post emissum paupertatis votum ad Apostolorum pedes deferebant; verumtamen non omnia tulerunt, sed bonam sibi facultatum suarum portionem fraudulenter reservarunt; unde a S. Petro magna cum severitate punili, ante ejus pedes mortui occubuerunt; quia nimirum præfigurabant illos, qui ut Deo se consecrent, mundum quidem relinquunt, ita tamen ut uno pede in sæculo remaneant, id est, aliqua affectus et cordis sui parte, vel divitiis, vel honoribus, aut similibus aliis adhærescunt. S. Gregorius de Nicodemo, qui, ne discipulus Christi se esse, manifestum fieret, nocturno tempore Christum conveniebat, tractans, eum « nocturnum « Dei cultorem » appellat, et alibi de eodem dicit : « Ille dimidiat, tantum ex parte Christum amans « Nicodemus; » hic autem valde se emendavit, quando Christum in cruce extensum vidit, tunc enim, omni postposito timore mundano, iis se junxit, qui Christum e cruce deponentes, sepulturæ mandarunt. Apud Sophoniam, I, 4, Deus comminatur, dicens : *Disperdam de hoc loco reliquias Baal, et nomina æditurorum cum Sacerdotibus, et eos, qui adorant super tecta militiam cæli, et adorant et jurant in Domino, et jurant in Melchom*; quæ verba S. Hieronymus in sensu morali exponens dicit : « Hi sunt, qui sæculo pariter et Domino putant se « posse servire. »

8. — Glossa ait : « Quidquid facis, vel amore « Dei, vel servitute diaboli facis. » S. Bonaventura autem, *Serm.* I *in hac Dom.*, magnam ostendit inter duos hosce dominos dissimilitudinem, inquiens : « O quam dissimiles sunt isti duo domini, Deus et « diabolus; primus suavissimus, secundus crudelis- « simus; alter remunerat servos suos cum corona, « alter cum gehenna; Deo servitur vigilando in « custodia contra diabolum, diabolo servitur dor- « miendo in negligentia contra Deum; Deo servi- « tur ascendendo de virtute in virtutem usque in « coelum, diabolo descendendo de vitio in vitium « usque in infernum. » Tandem S. Doctor efficaci argumento discursum concludit, dicens : « Cum « igitur certum sit, neminem duobus dominis ser- « vire posse, repudiemus diabolum, et serviamus « Deo soli : *Præparate corda vestra, et servite illi* « *soli.* I *Reg.*, VII, 3. »

9. — « Nemo potest servire vitiis et virtutibus, » inquit Interlinearis; Glossa autem ordinaria dicit :

« Nemo potest simul in cœlo et in terra thesauri-« zare. » Lucas Brugensis considerans, quod Christus Deum et divitias, tanquam duo nobis imperantes ad invicem comparet, ita dicit : « Constituit Deum « et divites tanquam duos dominos, non quod « divitiæ sint aliquis dominus, sed quod non secus, « ac si essent magnus aliquis dominus, aut certe « Deus, ita omni studio, totoque conatu illis ser-« viatur colligendis, adaugendis, asservandis, ita « cor illis apponatur, ita spes in eis figatur et feli-« citas constituatur; quam etiam ob causam Aposto-« lus avaritiam, idololatriam appellavit, res certe « indigna, ut rei inanimi, terrenæ, vili, quæ servire « homini debeat, homo subsit, obtemperet, obse-« quatur rationalis, libera, nobilis creatura. »

Aut enim unum odio habebit.

10. — Advertit S. Thomas in discursu de diabolo, nunquam fieri amoris mentionem, unde dicit : « *Odio habebit*, id est, diabolum, et non dicit : « *Diliget*, quia diabolus naturaliter diligi non po-« test. » Eamdem quoque observationem habet S. Anselmus, dum ait : « Non dicit : Diabolum « diliget, nullus enim est adeo nequam, qui diabo-« lum diligat; sed aliquid diligit, propter quod « ejus imperium patitur; » id quod declarat exemplo cujusdam, verbi gratia, qui erga ancillam mali cujusdam domini amore captus, ejus molestiam et crudelitatem libenter patitur, non quod dominum illum diligat, sed in tantum illi servit, in quantum inter domus suæ familiares habet ancillam, quam diligit : « Sic aliquis sustinet servitium diaboli, » inquit S. Thomas, « propter divitias. »

Et alterum diliget.

11. — « Deus enim, » inquit S. Thomas, « natu-« raliter diligitur. » Unde Hugo Cardinalis quoque notat, quod nulla creatura Deum proprie odio habere possit : « Nulla creatura Deum odit affectu, etsi « effectu; nec etiam diabolus odit Deum, in quan-« tum Deus est, sed in quantum puniendus est, et « sicut latro non odit judicem, quia homo, sed « quia judex et vindex. » Dionysius Carthusianus quoque S. Augustinum citat, dicentem : « Nullius « vere conscientia potest Deum odisse; » et quidem tametsi Christus de Judæis dicit, *Joan.*, xv, 24 : *Nunc autem viderunt et oderunt me*; et Psalmista, *Psal.* cxxxviii, 21 : *Nonne qui oderunt te, Domine, oderam?* et alibi, *Psal.* lxxiii, 23 : *Superbia eorum qui oderunt te, ascendit semper*; Carthusianus tamen ad hæc loca respondet, hac adhibita distinctione : « Considerando Deum secundum se, et ut causam « rerum, nemo eum odit; considerando vero eum « ut punitorem et prohibitorem delectationum et « sensualium, multi ipsum oderunt. »

Aut unum sustinebit.

12. — Albertus Magnus motivum considerans, ob quod jugum et tyrannis dæmonis a mundanis et impiis adeo patienter toleratur, dicit, mundanum id facere, « aut ob timorem mundanum, quia timet « amittere quod sub eo manet; aut propter timo-« rem humanum, quia timet separari a concupis-« centiis suis. »

13. — S. Augustinus legit : *patietur*; quia ut impius effreni appetituum desiderio satisfacere possit, libenter se indignis tyranni infernalis verberibus subjicit; aut vero ut delectatione sensuali frui possit, reputationis, facultatum et sanitatis jacturam, nec non deposita omni verecundia, se ab omnibus vilipendi et digito monstrari haud invitus patitur.

Et alterum contemnet.

14. — Paulus de Palatio verbum *sustinet* molestiis et infestationibus, quas impius a diabolo patitur, verbum vero *contemnet*, Deo ascribendum esse dicit : « Impius, » inquit, « diabolum sustinet « et Deum contemnit; pars illa, *unum diligit*, « referenda est ad justos; pars vero altera, *unum « sustinebit*, debet referri ad peccatores; jam mira-« culi loco est quod homo sustinere velit dæmonem, « quem cœli sustinere nequiverant, nec sustinere « poterat infernus, » juxta illud Isaiæ, xiv, 9 : *Infernus subter conturbatus est in occursum adventus tui.*

15. — Dionysius Carthusianus ait : « Non dicit : « *Alterum* odio *habebit*, sed *contemnet*, videlicet « Deum; quia secundum Augustinum etiam illi, « qui non serviunt Deo, non odiunt eum, sed sper-« nunt. » In quonam vero hic contemptus consistat, idem exstaticus Doctor his verbis declarat : « *Contemnit*, id est, non timet Deum, qui quasi de « ejus bonitate securus est. » S. Augustinus ait : « Non dicit, odit, sed *contemnit*; nullus enim natu-« raliter odit Deum, sed præter voluntatem ejus « præcepta contemnit. »

16. — « Nota, » inquit Hugo Cardinalis, « quod « dicit : *Contemnet*, non odiet; omni enim peccato « mortali contemptus est. »

Non potestis Deo servire et mammonæ.

17. — Ad hanc æternæ veritatis protestationem S. Hieronymus omnes avaros, ut oculos mentis aperiant, invitat dicens : « Audiat hoc avarus, au-« diat, qui censetur vocabulo Christiani, non posse « se simul divitiis Christoque servire; » notat autem idem S. Doctor, Christum hic non de illis loqui, qui divitias possident, sed de eis, qui illi serviunt, illarumque se mancipia faciunt : « Non dixit : Qui « habet divitias, sed qui servit divitiis, qui enim « divitiarum servus est, divitias custodit ut servus;

« qui autem servitutis excussit jugum, distribuit « eas ut dominus. » Ad quod probandum Divus Chrysostomus, *Hom.* xxii *in Matth.*, sanctorum illorum Patriarcharum Abrahæ, Jobi et aliorum exemplum adducit, qui divites quidem, non tamen divitiarum servi erant : « Job erat quidem dives, non « tamen pecuniæ serviebat, sed habebat divitias, « iisque ut congruit, imperabat, nec erat famulus « earum sed dominus. » Enimvero in quonam divitiarum servum esse consistat, Jansenius his verbis declarat : « Servit eis, » inquit, « qui animum suum « illis apponit, qui earum gratia facit fere, quid-« quid facit, qui ab eis pendet et felicitatem suam « hinc sperat, qui, cum recta ratio dictat, non « expendit eas in Dei gloriam, in suam et proximi « utilitatem, qui per fas et nefas congregat. » Auctor Imperfecti, *Hom.* xvi, eamdem distinctionem, quæ est inter habere vel servire, iisdem ponderans, dicit : « Si habes divitias et divitiæ illæ « non te faciunt superbum aut violentum, sed, se-« cundum quod potes, das impotentibus, dominus « es divitiarum tuarum, non servus, quia non te « divitiæ tuæ tenent, sed tu divitias tuas; si autem « divitiæ tuæ superbum te faciunt aut violentum, et « constrictus avaritia, nemini aliquid præstas, tunc « servus es divitiarum tuarum, non dominus, quia « divitiæ tuæ te tenent, non tu divitias tuas. »

18. — Porro impossibile esse, ut quis Deo simul et divitiis serviat, Carthusianus evidenter probat, dum ait : « Qui enim Deo servit, præfert spiritualia « et æterna sensibilibus et transitoriis; qui vero « divitiis servit, præfert caduca cœlestibus; » quonam vero modo hominem divitiis servire contingat, idem Doctor declarat, dicens : « Divitiis servire, « est inordinato earum affectu ligari, in eis finem « ponere, cupiditatis vitio superari atque subesse, a « quo autem victus est, ejus et servus est. »

19. — S. Bernardus de avaro scribit : « Terrena « esurit ut mendicus, fidelis contemnit ut domi-« nus. » Lyranus dicit : « Ille, qui in piis operibus « divitias expendit, non servit divitiis, sed magis « divitiæ serviunt sibi, quia iis utitur, sicut instru-« mentis ad opera virtutum, » adducitque auctoritatem S. Ambrosii, dicentis : « Sicut divitiæ sunt « impedimenta reprobis, ita probis sunt adjumenta « virtutis. »

20. — Divus Chrysostomus ad contrarietatem, quæ Deum inter et argenti ac auri cupiditatem versatur, se reflectens, dicit : « Contraria Christo « præcepit, siquidem Christus dicit : da indigenti-« bus; mammona : rape ab indigentibus; ille : pius « esto et mansuetus; hæc : crudelis et immanis. » Idem quoque in alia quadam homilia super hæc Evangelii verba, ita scribit : « Hoc loco et animo « prorsus toto perhorrescamus et corpore, intelli-« gentes istud, quod Christum dixisse memoravi-« mus; ex adverso scilicet Deum aurumque con-« sistere et componi; si igitur istud sono quoque « sermonis horribile est, quanto est horribilius, « cum ipsis operibus, tyrannis auri Dei timori præ-« fertur. »

Additiones.

a. — *Nemo potest duobus dominis servire.* In sermone illo quem Dominus in monte habuit, ad reformandum hominem, ejusque affectus, jam dixerat Dominus : *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra.* Cujus doctrinæ veritatem triplici ratione comprobat et confirmat. Primo, nam : *Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum.* Secundo : *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit.* Præsenti autem Evangelio adhibet tertiam : *Nemo potest duobus dominis servire.* Ut autem clarius inferat quidnam per duos hosce dominos intelligat, subjungit : *Non potestis Deo servire et mammonæ*, id est, divitiis. Sed ad quid divinus Præceptor ad divitiarum suadendum contemptum, tot rationibus, tamque longinquo utitur sermone? Noverat quippe beneficentissimus Jesus divitias felicitatemque corporalem animæ periculosam, per quam surdi efficimur, ne vocem Dei audire valeamus. Unde S. Antonius de Padua ait, *Serm. in Dom.* I *adv.* : « Surdus dicitur « quasi sordidus; habet enim sordes in auribus, « quibus oppilantur viæ auditus. Surdi sunt avari « et usurarii, quorum aures sunt obturatæ sordibus « pecuniæ, » juxta illud Psalmistæ : *Furor illis secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ obturantis aures suas.* Circa quæ verba idem Sanctus observat, quod sicut aspidi proprium est, ne vocem incantatoris audiat, unam auriculam terræ firmiter affigat, alteram vero cauda sua obturet : « Ita infe-« lix avarus tanto dono naturæ et gratiæ se privat, « qui ne verbum vitæ rapide rapiat, vel sonum « prædicantis hauriat, amore pecuniæ jam acqui-« sitæ et cauda, id est, turpi ambitione rei acqui-« rendæ. » Legatur Prophetæ Balaam historia, in qua refertur, quod hic Propheta, ad maledicendum populo Dei, a Balac pretio inductus, ut ab ea temeritate desisteret, necessum fuerit ut Angelus ad illum cœlitus missus coram eo, ad viam qua venturus erat obstruendam, compararet; imo ut asina quædam in humanas articulatas voces prorumpens, eum reprehenderet; et tamen auri cupiditas, in eo tanta fuit, ut hæc quoque omnia nihil in eo profecerint, ut proinde Philo Hebræus merito dicat : « Avaritia legum contemptrix est; tam scilicet « humanæ quam divinæ, ut nihil omnino veretur « propter aurum. » S. Augustinus autem specialius de hoc Balaam loquens dicit : « Hoc ipso confun-« dens illam dementiam, quod prohibitionem Do-« mini per Angelum factam, transgredi asina non « auderet, quam ille cupiditate transgredi conare-« retur. »

b. — *Nemo potest duobus dominis servire*; quod

intelligendum est si illi domini sibi invicem sint contrarii; aliter enim res se habet inter uxorem et maritum, parentem et filium, quibus sæpe unus servit famulus. Et ratio est quia Deus vult semper esse solus et absolutus Dominus, nec ullam aliorum dominorum admittit societatem; maxime in possessione cordis humani quod totum sibi dari vult. At vero figura hujusce veritatis maxime expressiva, nisi fallor, fuit illa coram Salomone a duabus matribus habita contentio et controversia quam supra, n. 7, retulimus. Bona mater integrum non divisum voluit filium; ita quoque tunc quænam anima a Deo electa et prædilecta sit agnoscetur, si diabolo consulenti ut cor, inter Deum et ipsum, per affectum dividatur, ipsa non consentiendo, solida in se et constans perseveraverit, nec cor per amorem in diversa dispersum dividi permiserit. Hac historia, Didacus Stella verba illa : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua*, exponens, utitur, dum ait : « Non vult Deus cor divisum, sed « integrum. Salomon veluti prudentissimus, infan- « tem integrum et intactum matri tradidit, et « noluit ut divideretur. Mundus inquit : Dividatur; « Deus vero contrarium. » Enimvero, si certum et indubitatum aliquod signum nosse desideremus e quo an noster erga Deum amor filialis sit, agnoscere possimus, examinandum nobis cor nostrum erit, videndumque an sit divisum, sive an aliquam illius partem creaturis cesserimus. Quia si simul cum Deo voluptates, honores, aut divitias dilexerimus, manifestum id nobis indicium erit quod Deus a nobis eo modo quo amari cupit, minime diligatur. Unde S. Augustinus ait : « Exclude malum amorem mundi, « ut impleatis amore Dei; vas enim es, sed adhuc « plenus es; funde quod habes, ut accipias quod « non habes. » Chrysostomus vero propinquius ad propositum nostrum accedit dicens : « Homo si « Deus amat, mundum non amat; si autem mun- « dum amaverit, jam Deum ex toto corde non « amat. » Porro diabolus facit quantum scit et valet, ut vel tenuem aliquem in cor nostrum aditum habere possit; optime namque novit, quod nullus sit homo, quantumvis impius, qui ad salutem æternam non aspiret, scitque insuper difficillimum sibi esse ut nos ab hoc desiderio avertat. Quid igitur facit? Modicum aliquem in animam nostram habere aditum studet et hoc sufficit, ac proinde clamat Apostolus : *Nolite dare locum diabolo. Eph.*, IV, 27.

c. — Summopere mirandum est, ut homo eo se duci sinat ut alium præter Deum agnoscat dominum, seque tradat diabolo, tanquam domino, qui tamen sibi servientes adeo crudeliter tractat, ut nihil aliud machinetur, quam quod in hominis cedit perniciem. *Væ terræ et mari quia descendit diabolus ad vos habens iram magnam, sciens quia modicum tempus habet. Apoc.*, XII, 12. Inimicus infernalis, vitam hominis brevem esse sciens, omnibus viribus illum dispergere satagit, *sciens quia modicum tempus habet; habens iram magnam.* Nimirum dum hominem ex vilissimo luto plasmatum ad tantam gratiam, favoresque cælestes videt esse sublimatum, ut Deus illum unione hypostatica dignari, et ad sublimes Paradisi sedes, unde et ipse infeliciter exciderat, sublevare decreverit, omnem suam rabiem in hominem evomere cœpit, qui contra Deum se prævalere non posse videt. Sicut enim taurus in sui agitatione graviter se vulneratum animadvertens, videnque quod furorem suum adversus eum, a quo percussus est, exerere non possit, confictum ex vetustis pannis lineis, vel stramine hominem, ad aves abigendas in agro positum, aggreditur, illumque cornibus, dentibus, pedibusque in millenas partes ferociter discerpit, suasque vindictas, hoc modo aliqualiter exercere posse sibi imaginans. Ita quoque princeps tenebrarum videns, quod de Deo qui ipsum e cœlo in profundum abyssi præcipitavit vindicare se nequeat, hominem ad imaginem et similitudinem Dei creatum, Deoque unice charum, plurimisque favoribus adauctum aggreditur, suamque rabiem in eum, in Dei ignominiam, quantum potest, eique permittitur, furibundus exerit.

d. — Tacite occurrit Dominus cuidam objectioni, qua avarus fueri se poterat, quod nempe vellet servire mundo et divitiis et non abstinere a Dei obsequio. Hanc autem cogitationem Dominus excludit : *Non potestis duobus dominis servire.* Docuit tamen etiam præsenti sermone, qua ratione etiam cum divitiis, Dei quispiam possit intendere obsequio. Dicit enim : *Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum.* Hominis autem desiderium spectat divitias; ut autem illis in grave suum incommodum cor suum nimis non colloceet, docet futurum eum divitem, divitias in cœlo thesaurisando, ideoque per eleemosynas; et ut illas eo possit destinare, mittit illi pauperes, qui omnino æternam promovent divitum salutem.

e. — Sunt qui serviunt mundo in avaritiæ usura, et Deo in obsequio eleemosynæ, nec pro mundi servitio quidquam lucrantur, quia nimium in datam eleemosynam confidentes, in Dei indignatione, peccata libere committendo persistunt. Si *distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*, dicit Apostolus, I *Cor.*, XIII, 3; quæ valde considerabilis est propositio, ad eruditionem multorum, qui per eleemosynam se in iniquitatibus suis securos esse posse confidunt, ad Dei gratiam et amicitiam minime attendentes, quibus Apostolus dicere velle videtur : Nequaquam ita se res habet, ut vos existimatis : quinimo, si non solum partem facultatum vestrarum, sed quotquot habetis divitias, pauperibus erogetis, nisi insuper in gratia Dei constituti, charitate et amore Dei ardeatis, hæ a vobis erogatæ facultates, ad vitæ beatæ consecutionem, vos nihil juvabunt. *Si distribuero*, etc.; id est, ut S. Thomas ait : « Si adest voluntas peccandi mortaliter, nihil « prodest, quantum ad meritum vitæ æternæ. » Psalmista David, *Psal.* CXXIII, 2, nos invitat dicens : *Extollite manus vestras in sancta*; ubi S. Hieronymus quærit dicens : « Quare voluit addere et dicere : *In* « *sancta?* » Respondetque, id fieri ad distinctionem infidelium, qui etiam sæpe manus ad eleemosynam porrigendam extendunt : « Et hæretici videntur « levare manus, » inquit, « et Gentiles, et Judæi; « faciunt enim et ipsi, eleemosynam, si viderint « pauperem, manum porrigunt. Quando Judæus « dederit eleemosynam, nonne tibi videtur levare « manum? Levat quidem manum, sed non levat *in* « *sancta*, quia Christum non confitetur. » S. Isidorus se ad misericordiæ etymologiam reflectens, dicit neminem mereri eleemosynarii nomen, qui non prius charitatem exercuerit erga seipsum : « Misericordia, » inquit, « a compatiendo alienæ « miseriæ, vocabulum sortita est; nullus autem « alteri misericors potest esse, qui prave vivendo « in se misericors non est. *Qui enim sibi nequam est,* « *cui bonus erit?* »

f. — Una hasta nemo duobus ducibus inservire potest, uno pileo non possunt simul duo capita cooperiri, nec uno calce duo pedes calceari, et uno oculo cœlum aspicere, et terram simul intueri nequimus : sic uno corde Deo et Satanæ minime servire possumus. *Coangustatum est stratum, ita ut alter decidat et pallium breve utrumque operire non potest*, ait Isaias, XXVIII, 20. Sic anima, velut lectus Regem regum Christum et regem super omnes filios superbiæ Satanam capere nequit, quin alter decidat. Necnon et amor noster, qui pallio recte comparatur, utrumque operire non valet : « Sic cor « hominum, » ait Lyranus, « non potest simul « capere Deum et diabolum, sed suscepto diabolo « per peccatum, exit Deus. » Tunc vero contemnit homo Deum, id est, non timet eum, cum quasi de ejus bonitate securus peccat, Deum scilicet et ejus præcepta, suis pravis desideriis et concupiscentiis postponendo, quia major injuria concipi nequit, nec omnis boni fonti irrogari.

g. — *Aut enim unum odio habebit, et alterum diliget*, etc. Loquitur hic Dominus de dura servitute, et tyrannide quam homo serviens mundo et peccatis sustinebit; maxime tamen secundum præcedentia in Evangelio recitata alludit Dominus ad duram servitutem quam patiuntur divites et avari. S. Augustinus tyrannidem cupiditatis quæ divitum corda continuo pungit et lacerat considerans, dicit : « O homo qui laboras amando avaritiam, cum « labore amatur quod amas, sine labore amatur « Deus. Avaritia jussura est labores, pericula, tri- « turas, tribulationes et obtemperaturus es; quo « fine? Ut habeas unde impleas arcam, perdas « securitatem. Implesti domum, timentur latrones; « acquisisti aurum, perdidisti somnum. » Tametsi mihi aliquem ostenderis qui Cræso sit ditior, felicior Augusto, nihilominus videbis, quod innumeræ anxietates et sollicitudines veluti totidem voraces vultures, cor et mentem ejus continuo dilacerent. Hoc est quod ait Chrysostomus, *Hom.* XV *de avar.*, ita scribens : « Dolens non terram pro aristis, et « fontes pro fluentis, et montes pro lapidibus, aurum « producere; aliorum sese successibus crucians, et « in communibus bonis animam contrahens, om- « nem occasionem aversans, unde augmentum « sumere non licet, omnia perferens, unde vel « duos obolos corradere, omnes perosus pauperes « juxta ac divites. » Idem sanctus Doctor, *Hom.* II *ad popul. Antioch.*, ait : « Stratis mollibus jacen- « tes, multoties totam noctem ducunt insomnem; « divitibus in jucunditate et multæ ægritudines « irruunt. » S. Basilius, *Hom.* VI *in ditev.*, se hisce miseris, tametsi in mari ex butyro et lacte manante natarent, viscerosissime compati dicit : « Quid « faciam? » inquit. Quis non misereatur sic misere « curis obsessi? Ipsa fertilitate miser erat, misera- « bilis præsentibus et paratis bonis, miserabilior ob « ea, quæ adhuc expectabat; non enim proventus « annui fruitionem ei terra ferebat, sed fletus et « suspiria. » S. Bernardinus divitiarum naturam considerans, illas undequaque spinis circumdatas esse fatetur : « Considera naturam divitiarum, et in « eis reperies laborem, timorem et dolorem : labo- « rem in acquirendo, timorem in possidendo, et do- « lorem in relinquendo. » D. Chrysostomus proinde divitias servum appellat traditorem, sanguinis et mortis domini sui sitibundum et cupidum : « Non « errabit, » inquit, « qui divitias ingratum servum « dixerit, sanguinis devoratorem et parricidam, « quippe quæ domino pro gratia cædem referant. » Idem quoque Sanctus alibi dicit : « Nihil divitiis « fallacius : hodie tecum et cras contra te; invido- « rum oculos armant, undique hostes sunt contu- « bernales, inimici domestici et vos possidentes « testes, qui omni modo ipsas infoditis et abscon- « ditis. »

h. — Qui mundi deliciis, ac diaboli lenociniis indulget, Deum contemnit. Pulchre D. Augustinus, *lib.* II *de Serm. Dom. in monte*, ait : « *Alterum* « *contemnet*, dicit, non *odio habebit*, nullius enim « conscientia Deum odisse potest; *contemnit* autem, « id est, non timet eum, qui quasi de bonitate ejus « securus est. » Vilis homo dum peccat, ac divinam violat legem, supremam Dei majestatem contemnit. Sed quomodo miser homo non timet tantum Dominum spernere? Quomodo ejus justitiæ timore non percutitur? Agnoscit peccator summam Dei clementiam quidem, sed de ejus bonitate securus, in peccandi licentia multam sibi confidentiam assumit.

Et ideo male : nam qui in exemplis in fine resipiscentium confisi, pœnitentiam differunt, pœnam in die ultionis sibi thesaurisant. In ultimo tomo S. Hieronymi, in quo Eusebius de morte ejusdem S. Doctoris scribens continetur, sequentia S. Eusebii verba leguntur : « Nonne benignissimus est Dominus qui tantas tolerat injurias a peccatoribus, « dans eis temporis spatium, ut emendentur? Sed « et hoc noveris, quia sicut benignus est in tolerando, ita justus est in puniendo. Sed forte quis « iterum dicet : Vir, qui toto tempore, quo vixit, « male fecit, in mortis articulo accepta pœnitentia, « a Deo veniam obtinebit. Heu quam vana suspicio « et falsa meditatio! Vix de centum millibus hominum, quorum mala semper fuit vita, meretur a « Deo habere indulgentiam unus. » Ex quibus verbis evidenter impiorum colligitur temeritas qui sibi stulte persuadent, se in extremis mortis angustiis, Deum habituros ad votum et ad libitum. Contra quos Doctor Angelicus in hæc verba docet : « Cum opus non sit hominis, sed Dei, fructifera « pœnitentia, inspirare eam potest, quandocumque « vult, ob suam misericordiam et remunerare ex « misericordia, quos damnare potest ex justitia; « sed quoniam multa sunt quæ impediunt, et languentem retrahunt, periculosum est et interitui « vicinum, ad mortem protrahere pœnitentiæ re« medium. Sed magnum est, cui Deus tunc inspi« ret, si quis est, veram pœnitentiam. » Indicium profecto manifestissimum est, unde conjici potest hominem aliquem unum pedem in inferno positum habere, parvique æternæ salutis curam æstimare, si eamdem salutem, super perplexum quoddam *forsitan* fundare præsumat; *impius enim, cum in profundum venerit, contemnit. Prov.*, xviii, 3.

i. — *Non potestis servire Deo et mammonæ.* Hanc Evangelicam Christi sententiam, S. Augustinus ad concionatores distinctius extendit, dum eorum avaritiam sic carpit : « Qui propter hoc Evangelium « prædicat, ut habeat unde manducet, et unde « vestiatur, simul se putat et Deo servire, et mam« monæ, quia propter ista necessaria prædicat; « quod Dominus dicit fieri non posse; ac per hoc « ille qui propter ista Evangelium prædicat, non « Deo sed mammonæ servire convincitur. » Quibus verbis S. Augustinus non carpit eos qui ex prædicandi Evangelii commercio, necessaria ad frugalem vestitum et victum recipiunt, sed eos, qui primario fine, esculentas et potulentas delicias, et ambitiosiorem cultum nundinantur. Et hi acuta reprehensione digni æstimantur. S. Gregorius Magnus Episcopum quemdam, cujus præcipuum munus est verbum Dei annuntiare, hisce verbis monet : « Non « plus pecuniæ quam animabus studeas; illud a « latere respiciendum est, ad hoc autem tota men« tis intentione laborandum, quia Redemptor nos« ter a Sacerdotis officio non quærit aurum, sed « animas. » Apud Isaiam Prophetam, vox Prædicatoris tubæ assimilata fuit : *Quasi tuba exalta vocem tuam, et annuntia populo meo scelera eorum.* « Tuba « autem per quam designatur Prædicator, » ut Hugo Cardinalis ait, « non resonat, nisi vacua; et Prædi« cator debet esse vacuus per rerum terrenarum « neglectum. » S. Carolus Borromæus, ex regione illarum quæ intra archidiœcesim suam situatæ, hæresi tamen infectæ erant, visitatione ingentem retulit fructum, siquidem omnes illorum provinciarum populi ad Ecclesiæ catholicæ gremium et obedientiam ab eo fuere reducti; impulsus autem quo homines illi ad fidem et morum disciplinam amplectendam fuere permoti, hic præcipuus erat, quia summopere in eo admirabantur animum ab omni lucro temporali alienum. Unde ipsum non de illorum Pastorum numero esse asserebant, qui gregis sui lacti solum et lanæ, aliisque illius fructibus percipiendis inhiaret, sed potius qui liberalibus eleemosynis suis pauperum necessitatibus subveniret, atque insuper ex censu proprio se sustentaret.

j. — Scholastes Tertulliani, *lib.* IV *in Marcionem*, optime hanc compositionem mammonæ cum Deo factam esse judicat, dicens : « Bene Dominus mam« monam veluti dominum quemdam cum Deo com« ponit ut ostendat eos qui studio pecuniarum « occupantur rei mortuæ servire, cui maxime « deberent imperare. » Sub pedibus hominum subjecit Deus omnia, hujus sæculi divitias ac bona temporalia; valde ergo durum est ut ipse pecuniæ serviat; nulla enim major miseria, quam servire cui debeas imperare, et illius jugum sufferre cujus tenebas imperium. Talis autem est natura divitiarum, quibus quo quis ditior, tanto est pauperior, quia avarus nunquam dicit, sufficit; nec gaudet, aut fruitur suis divitiis, cum sit servus et mancipium illarum, et ab illis velut dominis suis possideatur. Porro divitem avarum facultatum suarum servum et mancipium esse ac proinde ipsum non iis frui, præterquam quod quotidiana experientia docemur, sancti quoque Patres concorditer docent. Et quidem Innocentius III, Tantali fabulam memorans dicit : « Tantalus sitit in undis, et avarus eget in « opibus, cui tantum est quod habet, quantum est « quod non habet, quia nunquam utitur acquisitis, « sed semper inhiat acquirendis. » Unde Sapiens, *Prov.*, xiii, 7, ait : *Est quasi dives cum nihil habeat, et est quasi pauper cum in multis divitiis sit.*

k. — Mammona ac divitiæ, ita ad se cor ac curas avari attrahunt, ut non sinant illa Deo impendi, perfecteque in ipsum dirigi; nam divitiæ dictæ sunt, eo quod dividant mentem et ad se rapiant. S. Thomas de Villanova de suis temporibus graviter conqueritur, quibus homines certatim et turmatim felicitatem mundanam omni cum studio et conatu consectari viderentur : « Quanta mala fecit prospe-

« ritas et abundantia? » inquit. « Prosperitas facit « hominem oblivisci Dei sui; facit eum superbum, « facit eum levissimum et mundanum; prosperitas « facit vitiosum et inertem contemptorem proximo« rum; prosperitas replet hominem vitiis et pec« catis usque ad summum. » In hoc ne umbra quidem aut vestigium aliquod fidei aut characteris Christiani agnoscitur.

l. — Impossibilitas serviendi simul Deo et mammonæ non provenit ex sola occupatione in servitio utriusque, sed ex repugnantia circumstantiarum; quia Deus et divitiæ in contrarium trahunt. Nam Deus sibi servientem movet ad superiora; hoc est, qui servit Deo, cogitat de cœlestibus et terrena omnia in oculis ejus vilescunt. Divitiæ vero in inferiora inclinant, et qui eis servit semper cogitat de terrenis, et hæc sunt ei pretiosa nimis, pro iisque acquirendis omnia contemnit.

m. — Notandum est hic singulariter, cum D. Gregorio verbum *servire*. Non enim prohibet Deus habere pecuniam, sed illam habere ut dominum, cui serviatur. Quamvis enim difficile sit esse divitem sine peccato, multi tamen fuerunt, ut Abraham, Job, qui pecuniis non servierunt, sed illis pecuniæ. Item pecuniæ habendæ sunt, ut nobis sint in obsequio in succurrendo Christi pauperibus, per opera misericordiæ et pietatis.

Versus 25.

Idcirco dico vobis : ne solliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis, neque corpori vestro, quid induamini; nonne anima plus es quam esca et corpus plus quam vestimentum?

Idcirco dico vobis.

1. — Albertus Magnus ad personam loquentem se reflectens, illorum verborum sensum esse dicit : « Qui solus scio, veritatem eorum, quæ Deo bene« placent, quæ nemo scit nisi cui revelo, ego qui « secreta Patris scio, dico vobis. »

Ne solliciti sitis animæ vestræ.

2. — Divus Chrysostomus finem nobis exponit, quem benignissimus Salvator in hoc Evangelio habuit, nimirum « ut tyrannidem cupiditatis pessumdet. » Paulus de Palatio considerat, quanta cum sollicitudine Christus pessimam hanc cupiditatis radicem omnium malorum originem e fidelium suorum cordibus eradicare sategerit : « *Radix omnium ma« lorum cupiditas*, Christus multa verba expendit, « cupiens sollicitudinem temporalium a nobis « evellere, quia sollicitudo est acus, qua filum « in animam ingreditur; ex sollicitudine quidem, « divitiarum amor, ex amore apponitur cor, ex « corde apposito ingreditur cultus et obsequium « mammonæ, Deo vero contempto. »

3. — Sollicitudinis definitionem, Tullio auctore, hanc nobis scriptam reliquit Lucas Brugensis : « Sollicitudo, Cicerone definitore in IV Tuscula« narum est ægritudo cum cogitatione. » Lyranus de anxietate et cura tractans, quæ divitiis cumulandis insudat, per eam alterari et perturbari probat hominem, non modo in exterioribus sed et interioribus. Plus docet S. Antonius de Padua, dum evincit hanc sollicitudinem, mortalem esse animæ nostræ infirmitatem, dicit enim : « Sollicitudo men« tem perturbatam distrahit, distractam dividit, « divisum diabolus rapit et sic animam interficit. » Auctor Imperfecti operis, *Hom.* xvi, sollicitudinem appellat desperationis filiam, inquiens : « Sollici« tudo desperationis est filia, quia desperatio solli« citudinem generat. » Reprobatum sollicitudinis vitium Cajetanus ita delineat : « Est dubia anxia« que mens; provenit siquidem ex nulla aut mo« dica fide divinæ providentiæ circa nos. »

4. — S. Thomas, in *Summa*, sollicitudinis effectum hujusmodi assignat : « Sollicitudo importat « studium quoddam adhibitum ad aliquid conse« quendum; » ostenditque a Christo non diligentiam, non laborem, sed solam prohiberi anxietatem; proinde Cajetanus ait : « Non dicit : ne operemini, « ne laboretis, sed : ne sollicitemini, quia non « prohibetur labor sed sollicitudo. » Advertite, inquit idem auctor, non dicere Christum : Nolite campos et agros colere, aut frumentum in granaria comportare, more volucrum; nequaquam : « Non « hoc dicit, nec intendit Jesus. » Id quod fusius prosequitur Auctor operis Imperfecti, dicens : « Sol« liciti esse vetamur, laborare autem jubemur; sic « enim et Dominus loquens ad Adam, non dixit : « Cum sollicitudine facies tibi panem, sed *cum « labore et sudore faciei tuæ*, ergo non sollicitudini« bus spiritualibus, sed laboribus corporalibus « acquirendus est panis. » S. Anselmus hanc duplicis sollicitudinis adducit distinctionem : « Duæ « sunt sollicitudines; alia est rerum, alia ex vitio « hominum, ex rebus ipsis oritur sollicitudo, quia « panem habere non possumus, nisi seminemus et « laboremus; hanc sollicitudinem non prohibet, « quia Dominus ait : *In sudore vultus tui vesceris « pane tuo*. Conceditur ergo nobis providentia et « labor; sed est, quædam sollicitudo, ex vitio ho« minum superflua, quando ipsi desperantes de « bonitate Dei, frumentum plus quam est necessa« rium, reservant et dimissis spiritualibus, illis in« tenti sunt. » Eodem penitus modo discurrit Glossa, dum ait : « *In sudore vultus tui* paratur panis, sed « labor est exercendus, sollicitudo tollenda est; « mentem perturbat dum timet, ne aut possessa « dispereant, aut elaborata non contingant. »

5. — Doctor Angelicus sequentem statuit conclusionem : « Temporalium sollicitudo illicita est, « si ea, ut ultimus finis quærantur et si ad ea

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

« inquirenda superfluum studium adhibeatur, vel « nimium in his timeamus, ne nobis in necessitate « deficiant. » Evincens autem argumentum, quod multi pro fine habeant bonorum temporalium acquisitionem, deducitur inde, quando scilicet eos plus terrenis quam cœlestibus bonis comparandis insudare videmus; accommode ad intentum nostrum Albertus Magnus explicat, quomodo semen bonum suffocetur a spinis, in quibus Christus nimiam, circa bonorum temporalium possessionem, sollicitudinem designavit : « *A sollicitudinibus et « divitiis suffocatur*; fit hoc, quod verbum inter « spinas cadens, sollicitudinibus et curis sæculi « suffocatur, et non fert fructum, hæcque sollici« tudo est, quando tanta habetur cura mundano« rum, quod lucra humana præponuntur divinis. » Eamdem quoque disordinationem insinuat Paulus de Palatio, inquiens : « Quod Dominus damnat hoc « loco, id est, quod temporalia quæras, æternorum « oblitus, ita curare hæc quæ videntur, ac si nihil « essent æterna. »

6. — Prædicta verba interpretans S. Augustinus, *lib. de oper. Monach.*, Christum inferre voluisse dicit : « Ut non ista intueantur et propter ista fa« ciant, quidquid in Evangelii prædicatione facere « jubentur. » Alia ratio, sollicitudinem bonorum temporalium reprehensibilem esse demonstrans, a S. Thoma assignatur dicente : « Propter superfluum « studium, quod apponitur, propter quod homo a « spiritualibus, quibus principalius servire debet, « retrahitur. » Novistis utique causam, propter quam lux obscuretur et offuscetur in ecclipsi; nimirum quia terra inter solem et lunam sese interponit; ita pariter bonorum temporalium anxietas, quæ sese Deum inter collocat et animam nostram, magnam cordium nostrorum inducit cæcitatem, plurimamque lucem et bonorum æternorum destruit notitiam; exemplum capite similitudinis in speculo, hic namque offuscato et obvoluto opposita nulla imprimitur imago, ita pariter intellectus noster, terrenis involutus negotiis et curis, imaginem nequit recipere hominis cœlestis. « Non explodit ope« rari, » dicit Theophylactus, « sed seipsos totos « curis tradere et negligere Deum, hoc est, quod « prohibet. » Conclusionem Jansenius discutit Evangelicam, quæ sollicitudinem inculcare nititur omnibus nobis acquirendi regni cœlestis; unde manifeste deducitur quænam sollicitudinis species a Christo condemnetur; dicit itaque : « Satis signi« ficat, qualem sollicitudinem prohibeat, nimirum « quod impedimentum præstet ne quis regnum Dei « et justitiam ejus quærat, quemadmodum opor« tet. » Motivum tertium, propter quod sollicitudo ista prohibeatur, indicat idem S. Thomas; nimirum « ex parte timoris superflui, quando scilicet aliquis « timet, ne faciendo, quod debet, necessaria sibi « deficiant. » Unde Lucas Brugensis explicans, de qua Christus sollicitudine loquatur, scribit : « Solli« citudinem vetat immodicam illam et anxiam, « qua totus in hoc est homo, ut de rebus vitæ « necessariis sibi prospiciat, nihilque Deo commen« dat, nihil divinæ providentiæ relinquit, tanquam « id solus ipse curare et possit et debeat. » S. Thomas supra illa Apostoli verba : *Nihil solliciti*, ita commentatur : « Sollicitudo quandoque importat « diligentiam quærendi, quod deest, et hoc est « commendabile, et opponitur negligentiæ; quan« doque anxietatem animi cum defectu spei et « timore de obtinendo id, circa quod sollicitatur et « hanc prohibet. » Hæc nostra in Deum diffidentia, duos in nobis malos causat effectus; primus consistit in eo, quod homo necessitatibus suis provideat superflue cum quodam mentis angore et vitio, dum scilicet sub hoc necessitatis supplendæ prætextu, prædam se tacit avaritiæ; secundus est, quod nimirum pusillanimitas ista, adeo omnem nobis sufferat affectum et occupationem, ut nihil de animæ salute, nihil de bonis æternis acquirendis cogitare libeat.

7. — Paulus de Palatio ita Salvatorem mirabundus interrogat : « Quid, Domine, num providentiam « damnas? num prudentiam humanam a tuis ex« pellis? » Respondetque multipliciter ipse auctor; primo, quod Christus in præsenti suos alloquatur Apostolos et discipulos, per totum terrarum orbem, Evangelii prædicandi et divulgandi causa ablegandos : « Qui cum sarcinam verbi divini ubique ferre « debeant, liberi a curis esse debent, » ne penuriam timentes ab officio prædicationis abstineant. Secundo id Christum omnibus etiam dixisse, affirmare posse existimat, volens namque Dominus ex cordibus nostris nimiam eradicare anxietatem et bonorum temporalium cupiditatem, incurvatas versum terram mentes nostras sursum in cœlum retorquere satagebat : « Similiter fecit Dominus, ac « faciunt, qui virgam recurvam, in rectum flectere « contendunt, in diversam partem, eam reflecten« tes; ita Dominus a cura sæcularium rerum, om« nino nititur corda nostra divellere, ut vel hac « ratione minus illas curemus. » Tertia responsio ejusdem auctoris est, in tantum a Christo prohiberi bonorum temporalium sollicitudinem, in quantum hæc obstaculum esse potest in servitio divino; præmiserat enim Dominus : « *Nemo potest duobus domi« nis servire, Deo et mammonæ*; non igitur vos velo « sollicitos, velo tamen, si hæc sollicitudo mam« monæ servire coegerit. » Quarta solutio est, hoc Christi dictum, vim solius habere consilii, nullam præcepti, non enim ex verbis Christi evinci potest grave aut supplicium aut pœnam æternam contrafacientibus destinatam esse : « Non enim damnatio« nis verba aliqua profert, sed dulcedinis et cum « nimis dure loquitur, ita dicit : *Modicæ fidei*; at « modica fides non est mortalis. » In quinto tandem

et ultimo responso, declarat auctor, quænam sollicitudo a Christo fuerit improbata, quæ non; dicitque, *Serm. 1 in hac Dom.* : « Sollicitus dicitur, qui a « sollicitudine sua remedium pendere putat; at, « qui nihil omittit operæ quo minus assequatur, « quod optat, exspectans tamen operæ suæ success« sum a Deo, is jactavit vere cogitatum suum in « Domino et hæc est conditio piorum. » S. Bonaventura hanc compendiosam simul et nervosam adhibet interpretationem : « Reprehenditur Chris« tianorum sollicitudo, avaritiæ, non providentiæ. »

8. — Multis ex circumstantiis, bonorum temporalium sollicitudinem, vitiosam fieri posse et reprehensibilem probat Jansenius : « Primo, si præpos« tero ordine, pro quibusdam rebus simus solli« citi, » ut si quis concionaretur, victus lucrandi gratia; « secundo, si sit superflua, ut si pro pluribus « simus solliciti, » quam necessitas vel honestas personæ postulaverit; « tertio, si sit præoccupata » ut si hodie nobis providere vellemus de iis, quæ tempore futuro necessaria erunt, suoque commode tempore comparari possunt; « quarto, si sit anxia « et timida; ut, dum quis variis in seipso distrahi« tur cogitationibus, de futuro operationum et labo« rum suorum eventu, metuens anxie, ne non « consequatur, quod erit vitæ necessarium. »

9. — Euthymius ex hisce Christi verbis tale format argumentum : Si Christus nobis sollicitudinem prohibet etiam in necessariis, « quam sperabimus « veniam, cum de his etiam, quæ necessaria non « sunt, anxii simus. »

10. — Dionysius Carthusianus hanc nobis salutarem in præsenti facit admonitionem : « Nolite « solliciti esse cum inquietudine mentis, impe« diente pacem internam et libertatem cordis in « eo. »

Quid manducetis, neque corpori vestro, quid induamini; nonne anima plus est quam esca, et corpus plus quam vestimentum?

11. — Juxta mentem S. Thomæ, Christus hoc discursu, forti velut argumento utitur, ut a nobis nimiam non modo superfluarum sed necessariarum rerum sollicitudinem tollat; quasi proinde Christus diceret, inquit Angelicus Doctor : « Qui dedit ma« jora, dabit minora; sed Deus dedit animam et « corpus, ergo qui dedit hæc, servabit ea. » S. Antonius de Padua dicit : « Qui formavit carnem « alimentis egentem, quomodo non etiam alimenta « præstabit? » Vult quasi Christus nobis in memoriam revocare, scribit S. Augustinus, *lib. de ser. Dom., c.* XXII, longe excellentiora et quocumque tum nutrimento, tum vestimento pretiosiora, a Deo nobis in creatione donata esse, animam scilicet et corpus : « Meminerimus, multo amplius nobis Deum « dedisse, quando nos fecit et composuit ex anima « et corpore, quam est alimentum et tegumentum, « quorum cura nos duplicare cor non vult. *Nonne*, « inquit, *anima plus est quam esca?* ut tu intelligas, « eum, qui dedit animam, multo facilius escam esse « daturum et corpus, quam vestimentum. »

12. — Ad eam porro, quæ in præsenti fieri possit, objectionem, in casu scilicet, quo hæc promissio non adimpleretur, ita respondet Glossa : « In his promissis veritatis nemo dubitet, » at immediate subdit : « Sit homo, quod esse debet. »

13. — Perpendens Albertus Magnus, animam et corpus ex mero Dei dono et liberalitate, sine labore, sine cura et industria nostra, nobis concessum esse, ita concludit : « Ergo multo magis addet ea, quæ « propter animam et corpus creavit; scit, quia sine « victu et vestitu esse non possunt et omnia prop« ter hominem creavit. » Idem quoque nobis scriptum reliquit Theophylactus in hæc verba : « Qui « majus dedit, nempe animam et corpus ipsum « formavit, non dabit alimentum et indumen« tum? »

14. — Paulus de Palatio nos in sensu morali instruit, prius animæ, postea corporis cibum quærendum esse : « Si anima est plus quam esca; « quærite prius cibum animæ, quam indumentum; « quærite primum vitam æternam corpori, quam « vestem; potiorum enim potior debet esse cura. »

15. — Nihilominus apposite observat idem auctor, Salvatorem, cujus hæc sunt verba, ipsummet esse animarum nostrarum cibum et vestimentum, proinde ita Dominum compellat, inquiens : « Sed « libet te, Domine, interrogare. Tu ipse dicis : *Ego « sum panis vitæ*, tu igitur esca animæ es. Et Pau« lus dicit : *Induimini Dominum Jesum Christum*, tu « igitur vestis nostra es; si igitur anima est plus « quam esca, num est anima potior quam tu? imo « etsi corpus est veste melius, eritne melius te, qui « corporis nostri vestis est? An dedignaris minor « nobis esse? plane sicut placuit tibi minister nos« ter esse et inter nos versari, non sicut qui major « est, sed sicut qui ministrat et ita placuit hac ra« tione minor videri, quod cibus et vestitus noster « esses. »

Additiones.

a. — *Ne solliciti sitis animæ vestræ*, etc. Noverat optime Christus Dominus familiarem hanc maxime esse dæmonis tentationem, qua nimiam erga corpus nobis ingeriit sollicitudinem, contra quam ut nos armet dicit : *Nolite solliciti esse*, etc. De corpore enim quod inimicum est animæ, semper solliciti sumus.

b. — Totum præsens Evangelium in reprehendenda superflua sollicitudine temporalium est, et in nobis recommendanda paterna illa Dei providentia, quam in omnibus etiam minutissimis erga nos habet; de qua Tertullianus, *lib.* IV *in Marc.*, sic ait : « Quis enim nollet nos curam agere animæ

« de victu, corporis vestitu, nisi qui ista homini « ante prospexit? Et exinde præstans, merito cu- « ram eorum, tanquam æmulam liberalitatis suæ « prohibet. » Quia Propheta Regius variis in occasionibus divinæ providentiæ expertus fuit effectus, ideo *Psal.* XXXIII, cecinit : *Beatus vir qui sperat in eo. Timete Dominum omnes Sancti ejus, quoniam non est inopia timentibus eum. Divites egerunt et esuriérunt, inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono*; hisce dictis, David suos ad se accersivit filios, eosque modum edocuit, quo se a Deo semper bene providendos esse sperare poterant : *Venite, filii*, inquit, *audite me; timorem Domini docebo vos.* Et paulo post scribit : *Oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum.* S. Joannes in Epistola prima, III, 21, ait : *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, ut quidquid petierimus, accipiamus ab eo.* De provida Dei manu Regius Psaltes quidem ait : *Aperis tu manum tuam et imples omne animal benedictione.* Harum tamen benedictionum copiosius participes fiunt illi, qui ad easdem se per bonam conscientiam disponunt. Jeremias, XVII, 7, inquit : *Benedictus vir, qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia ejus*; ubi is qui hanc vivam in Deum fidem seu fiduciam habet, viri nomine appellatur, quia « vir a virtute. » *Benedictus* quoque dicitur, quia ut idem Propheta paulo post subjungit : *Erit quasi lignum, quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas; et non timebit cum venerit æstus, et erit folium ejus viride, nec aliquando desinet facere fructus.*

c. — Heu misera hominum stultorum anima, quam vacua in eis es, quam inanis? Tam improvidi sunt circa tua bona homines, ut nihil non meditentur corporale. Et quasi animam animam habeant, nihil præter escas et cibos corporis requirunt. Quam maculam Israelitis inurit Psalmista, *Psal.* LXXVII, 18, dicens : *Tentaverunt Deum in cordibus suis, ut peterent escas animabus suis.* Quanta autem hæc tentatio, quod famelici peterent escas? Nonne et pulli corvorum invocant eum, ut escas tribuat? Cur ergo Israelitæ famescentes offendunt, eo quod escas petant? Magister sententiarum rationem offensionis non in eo ponit, quod peterent escas, sed in eo quod animabus suis peterent escas corporales; nec unquam corporis, et alteram animæ mensam expeterent, sed una eademque mensa, et corpus et animam vellent saginare : « Petunt vitæ « suæ carnales escas, non spirituales, » ait Magister. Utinam homines constantes corpore et spiritu et corpori et spiritui suas cuique mensas expeterent, alteram spiritualem, alteram corporalem! Verum, proh dolor! majori sollicitudine bona temporalia, et salutem corporis, quam spiritualia et bonum animæ homines curant. Considerastisne aliquando infinitam illam sollicitudinem, qua homines lucra venantur temporalia, vel honores, divitias, voluptates et similia terrestria? Pro illis acquirendis nullam sinunt præterire occasionem, quin illam sine mora amplectantur. Dissoluti illi juvenes sese mutuo certatim invitabant, dicentes, *Sap.*, II, 8 : *Coronemus nos rosis, antequam marcescant; utamur creatura celeriter.* Vindictam spirantes, occasionem nullam sese vindicandi negligunt. Herodiades, ut se de Joanne Baptista vindicaret, quomodo caput ejus a filia sua postulari voluit? *Volo ut protinus des mihi in disco caput Joannis Baptistæ.* S. Gregorius Nazianzenus sine fructu perorabat dicens : « Ad scelus quidem et ad frau- « dem tardus eris; celer autem ad salutem. Paria « enim in viro sunt promptitudo ad vitium et pro- « crastinatio ad salutem. » Date mihi ambitiosum quendam, ad honores et dignitates suas adaugendas ex industria ab alio invitatum, nequaquam oblatam sibi occasionem differret, sed sine ulla replica acceptabit, ne ab æmulis suis inde arceatur. Quando Laban offerebatur consilium illud, in Genesi, XXX, descriptum, notanda est quæ ibi specificatur circumstantia; dicit enim textus sacer : *Respondebit mihi cras justitia tua, quando placiti tempus advenerit coram te*, etc. Cujus sollicitudinis mysterium Abulensis sic explicat : « Quia tantum « lætabatur Laban, intendens lucrari ex illo pacto, « quod noluerit dilatare hujusmodi rem in alte- « rum diem. » Quam merito ad confusionem nostram dici potest : *Filii hujus sæculi velociores sunt filiis lucis.* Homines enim mundani velocissimi sunt in acquirendis bonis, nos vero, ad comparanda cœlestia et æterna bona pigri sumus et tardi : « Omnis ars sæculi hujus, » inquit S. Isidorus, « strenuos amatores habet et ad exequendum « promptissimos, non vero item Deus; hic enim « plerosque habet sectatores languidos, lepidos ac « pigritiæ inertia congelatos. » Homo aliquis lucris deditus, quam est ad omnia emolumenta promptus et paratus, et nequidem momentum ab illis conquirendis sibi perire sinit. « Quid procrastinatis? » verba sunt S. Ambrosii, quibus improperat iis qui divinis inspirationibus respondere negligunt : « si « aurum tibi offeram, non mihi dicis : Cras veniam, « sed jam exigis. Aurum accipere nemo differt, « nullus excusat. Redemptio animæ promittitur et « nemo festinat. » Experimur quotidie quod res valde pretiosas unusquisque, quamprimum potest, assequi conetur, quia tritum est proverbium : « Omnis mora tribuitur vitio; » et poeta ille canit : « Nescit verus amor moras. » Nostra autem ad Deum conversio et pœnitentia, per quam regnum Cœlorum acquirimus, de die in diem, imo de mense in mensem, et de anno in annum procrastinatur; imo et magna Christianorum pars pœnitentiam ad ultimam usque vitæ periodum reservant. Id quod indubitatum est signum, quod illam abominemur; siquidem illam tanquam rem a nostro genio alienam totis viribus fugimus. Ac proinde qua ratione fieri poterit, ut illam in extremo articulo mortis validam efficiamus, ac ut quod unice requiritur, sit voluntaria et e corde procedat? Hoc enim difficulter fieri poterit quoad illum qui per totam vitæ suæ ætatem animi aversionem ac repugnantiam ab illa habuit. Reflectendum quoque nobis est ad summam sollicitudinem, qua dum informamur corporis nostri saluti prospicimus. Nam ut S. Gregorius Nazianzenus, *Orat.* XL, dicit : « Absurdum « fuerat, cum pecunias avide præripias, sanitatem « in longius differre atque extendere; cum corpus « præpurges, animæ purgationem ad aliud tem- « pus reservare. » Mox ut infirmaris, non tardas vocare medicum, qui priusquam malum vires majores accipiat, et in malignam febrem degeneret, opportuna tibi remedia præscribat. Quam parum vero in comparatione ad illam sollicitudinem, æterna salus nostra curatur? Febris peccati, quæ in anima malignatur, cum quanta lentitudine curatur? Numquid confessio per septimanas et menses procrastinatur?

d. — Damnat hic Dominus non ipsa temporalia, non ipsam escam et potum, sed nimiam erga eadem sollicitudinem. Sollicitudo autem dicit quamdam nimiam curam superfluam quam hic vetat Dominus. S. Remigius, *in cap.* IV *ad Philip.*, ad illa verba : *Nihil solliciti estis*, ita ait : « Sollicitudo est « superflua cura; sed justi non debent superfluam « curam assumere de rebus transitoriis, » ut iis nempe abundent, sed cum necessariis contenti sint; sic quoque vult Deus, ut cibus corporis suppeditetur necessarius, non superfluus. Salvator noster se corpus nostrum cum tali symetria plasmasse et organizasse sciens, ut quamdiu in hac præsenti vita respiramus, alimento indigeamus, ideo in oratione quotidiana Patrem nostrum cœlestem sic orare docuit : *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Notandum vero, solum a nobis panem petendum esse, et nihil amplius; quod guloso homini nimis frugale alimentum videri posset. Cur enim Deus in erogandis homini bonis creatis ideo liberalis, imo prodigus semper extiterit, ut David dicere non dubitaret, *Psal.* VIII, 8 : *Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves et boves universas, insuper et pecora campi, volucres cœli et pisces maris*; cumque nos paulo ante ad integrum regnum cœleste postulandum his verbis invitarit : *Adveniat regnum tuum*; cur igitur dicere posset gulosus, manum illam de qua scribitur, *Psal.* CXLIV, 16 : *Aperis tu manum tuam, et imples omne animal benedictione*, ita stringit, ut nos solum panem, et nihil aliud postulare præcipiat? S. Thomas dubium hoc solvit, inquiens : « Non docuit delicata petere, non exqui- « sita, sed panem, sine quo vita hominis duci non « potest, juxta illud *Eccli.*, XXIX, 28 : *Initium vitæ « hominis, aqua et panis.* » Deus protoparenti nostro, et una cum ipso universæ humanæ progenici dixit : *In sudore vultus tui vesceris pane tuo*, ubi etiam solius panis fit mentio, non vero alterius cibi; aut vero, si cum S. Augustino, in Epistola ad Probam, nomine panis sufficientiam vitæ intelligamus, adeoque hanc petitionem ad aliquid aliud, præter panem, extendere velimus, ad minus hoc intelligendum erit de sufficientia, non vero de superfluitate victus, ut videlicet tantum petamus quantum corpori sustentando sufficit. Deus S. Eliam servum suum sustentare volens, unicum tantum panem ei transmisit; S. Paulo primo eremitæ, per multos annos quotidie solum modicum panem, et non amplius per corvum deferri fecit; solum quo tempore S. Antonium hospitio exceperat, integrum ei panem misit, ut ambo sustentari valerent; et tamen ipse ille Deus erat, cui ab ingrato Hebræorum populo dictum fuerat : *Numquid poterit Deus parare mensam in deserto?* quique pro suo libitu eidem populo e cœlo dimittebat annonam cœlestem et coturnicum delicatissimas carnes. Nimirum erga hos charissimos servos suos, Eliam, Antonium et Paulum exhibere voluit verum esse quod Nyssenus ait : « Panem pete, « propter vitæ necessarium usum. »

e. — S. Lucas hanc eamdem sententiam referens ait : *Dixit ad discipulos suos.* Cum ergo discipuli Jesu ab eo essent constituti Prælati, Pastores ac Doctores Ecclesiarum, vult Dominus ut sollicitam curam de esca deponant, ob damna et ruinam, quæ in rempublicam ex crapula rectorum resultat. Ecclesiastes, X, 16 et 17, sic ait : *Væ tibi terra cujus principes mane comedunt; beata terra cujus rex nobilis est, et cujus principes vescuntur in tempore suo ad reficiendum, et non ad luxuriam.* In Hebræo, ut Cajetanus notat, dicitur : *Comedent in fortitudine, non in potatione.* « Ordinatur enim comedere ad ser- « vandum robur corporis, et non ideo comedendum « est, ut vacemus potationibus; intemperati enim « comedunt ea quæ provocant delectationem potus, « et convivia celebrant ad potandum, non ad refi- « ciendum corpus. » Julius Cæsar, qui primus Romanum obtinuit et fundavit imperium, cura, vigilantia et sobrietate negotia publica tractabat; de quo proinde Cato inquit : « Unum ex omnibus « Cæsarem ad evertendam rempublicam sobrium « accessisse. » Ipse enim super reipublicæ ruinas erexit imperium. Augustus quoque successor ipsius, qui in monarchia sua, universali gavisus est pace et tranquillitate, totum diem, a mane usque ad vesperam sine cibo transigebat, ut gratam omnibus daret audientiam. De Alphonso Aragoniæ rege historiæ narrant quod causam interrogatus cur adeo astemius esset, responderit : « Vino sapientia ob- « scuratur; ideoque non decet regem, ut hanc im- « modica compotatione extinguat, sine qua impe- « ratoris ac regis nomen rite tueri non potest. »

f. — Discipuli omnia sua pro Domino abjecerunt ac reliquerunt, et imposterum a se omnium rerum possessionem abdicantur; et inde maxime videbantur expositi periculo sollicitudinis eorum quæ necessaria erant ad vitæ alimentum, magis quam ii qui res suas non dimiserant; ideo ad eos Dominus hanc sententiam profert, ut quieto stent animo, cum sub cura sint cœlestis Parentis; nam rerum temporalium pro Domino abjectio, quod potissimum fit in liberali erogatione eleemosynæ, magnum est omnium bonorum incrementum. Eleemosyna enim quamdam sanctæ et lucrosæ speciem habet. « Demus in usura, » inquit S. Augustinus, « sed Deo non homini. Ei damus qui abundat, ei « damus qui dedit quod demus; se promittit, qui « promittit. Si amas illum, eme illum ab illo, et tu « noveris te ipsi dare; audi illum dicentem : *Eu-* « *rovi et dedisti mihi manducare*; hic das, ibi reci- « pis. » S. Joannes Damascenus quoque eleemosynam usuræ nomine appellat, dicens : « Qui facit « misericordiam fœneratur proximo suo, et qui « prævalet manu, servat mandata. » Divus Chrysostomus in quadam homilia eidem usuræ metaphoræ insistens, de hac materia, per ingeniosam observationem ad longum discurrit, dicens : « Quare dicit Deus, *mihi fœneratur qui dat pau-* « *peri?* Quoniam quidem nostram vidit avaritiam « ad incrementum tendere et habentem pecuniam, « nisi tuto non fœneraturum, nec velle fœnerari, « postulat enim fœnerans hypothecam, vel pignus, « vel sponsorem, nihil enim ipsi præ inopia credi- « tur, et videt eum periclitantem inopia, atque una « pecuniam habentes, propter sævitiam pessum « abire, medium sese ingessit, vadem quidem pau- « peri, pignus vero fœneranti. Non credis huic « propter inopiam, inquit, mihi propter divitias « crede; semetipsum dedit pignus nihil habenti. »

g. — Noverat Christus Dominus familiarem hanc maxime esse dæmonis tentationem, qua nimiam erga corporis, per cibum et potum etiam superfluum refocillationem, nobis ingerit sollicitudinem. Serpens enim astutus ad prosternendum hominem inter omnia alia vitia gulam elegit, quia per hanc nos disponit, ut suis facilius cedamus tentationibus; quare in cautelam non immerito dicit : *Nolite solliciti esse.* S. Basilius, *lib. de abdicatione rerum*, ita nos admonet : « Cave ne te adversarius simili « atque primum parentum peccato circumveniat, « circumventumque, quamprimum de Paradiso « deliciarum expellat; nam et illum callida escæ « objectione ita malitiose vita spoliavit, et item « Jesum eodem se modo supplantaturum spera- « bat; nihil est, quod is veretur, quin et tanto « ausit confidentius tibi quoque primam malorum « originem propinare. Etenim præsentissimum pro- « desse illi venenum intelligit. » Notandum autem quod tanto importunius nos per gulæ impugnet vitium quanto minus homo absque cibo sustentari valet. « Serpens iste gulæ designat aviditatem, » inquit S. Gregorius, « qui et respectu justæ neces- « sitatis et virus impiæ delectationis spargit. »

h. — *Nonne anima plus est quam esca?* Multis pius Dominus et Magister Jesus, iisque efficacibus rationibus, superfluam, maxime vero circa escam sollicitudinem a nostris cordibus excludere utitur, sed cur tot rationes, tot motiva adhibet? Respondetur, quod Dominus rationes adhibet, non propter se, sed propter nos, quia tanta est aviditas et insatiabilitas gulæ, ut ei nunquam satisfiat, etiamsi venter plenus existat; maximaque crapulantium præ cæteris est sollicitudo; ideo contrarium merito tot rationibus persuadere debebat.

i. — Hoc non immerito in jam citato textu advertendum, quod quamvis per escam cibus materialis intelligatur, tamen Palatius, hoc loco, et Benedictus Fidelis, in suo *Paradiso Eucharistico*, per escam moraliter sacratissimam Eucharistiam interpretantur. Sed tunc urget difficultas, quando anima dicatur plus quam illa divinissima esca; nam anima nostra entitate sua inter substantias spirituales in humili gradu reponitur, in sacra autem Eucharistia est Deus, qui est super omnia. Respondet Palatius : « Plane sicut placuit tibi minister « noster esse, et inter nos versari, non sicut qui « major est, sed *sicut qui ministrat*, ita placuit hac « ratione minor videri, quod cibus noster esses. » Summa Dei benignitas ac misericordia, cum nobiscum versaretur in terris, non dedignatus est, se nobis exhibere ministrum; nunc vero residens in cœlo, animarum nostrarum cibus effectus, quodammodo infra nos se dimittens ac humilians, nobis vitam spiritualem, omniaque cœlestia dona ministrat.

j. — Septem Dominus in præsenti Evangelio rationes apponit ut temporalium sollicitudinem a nostris cordibus amputet; cur autem Dominus tot adhibet rationes, cum ea quæ ab ipso sunt dicta, majoris sint auctoritatis, quam quælibet humana ratio? Respondet Albertus Magnus, quod Dominus ponit rationes, quia cupiditas divitiarum ita menti uniuscujusque effixa est, ut etiam timoratæ conscientiæ hominibus tenaciter adhærescat, nec cum ætate senili consenescit, sed adolescit potius, quin adeo difficulter eradicatur, ut speciali ad id auxilio Dei opus sit.

Versus 26.

Respicite volatilia cœli, quoniam non serunt neque metunt; neque congregant in horreo, et Pater vester cœlestis pascit illa; nonne magis vos pluris estis illis?

Respicite volatilia cœli.

1. — Observat Auctor operis Imperfecti, *Hom.* XVI, Christum duo fecisse argumenta, alterum a majori ad minus et alterum a minori ad majus; primum erat : « Quomodo si animam dedit, escam « non dabit? si corpus plasmavit, vestimentum non « providebit? » secundum fundatur in præsenti avium comparatione : « Si avibus præstat alimen- « tum, hominibus non præstabit? si illæ non labo- « rantes inveniunt escas, homo non inveniet, cui « Deus dedit et operandi sapientiam et fructificandi « spem? Omnia enim animalia Deus propter homi- « nem fecit, hominem autem propter se; si ergo « animalibus ministrat propter hominem, homini- « bus non ministrabit propter seipsum? quanto « pretiosior hominis creatio, quam animalium; « tanto major sollicitudo Dei de hominibus, quam « de animalibus. »

2. — Ingeniose advertit Lucas Brugensis, sapientissimum Magistrum notanter dicere : « *Volatilia* « *cœli*, ad differentiam volatilium, quæ domi alun- « tur humana cura, addit : *cœli.* »

3. — « Rubore suffundor, » verba sunt Pauli de Palatio, « hoc Domini verbum audiens. » Ergone homo, creatura adeo nobilis, ut omnes aliæ creaturæ, etiam aves, illi subjectæ fuerint : *Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves et boves, volucres cœli et pisces maris*, ad imaginem Dei creatus, hiccine ad volucres, tanquam ad magistras discipulus ablegatur? *Respicite volatilia.* « Consolabor tamen meip- « sum, is enim qui me respicere volatilia jussit, « ideo jussit, ut, dum ad volatilia cœli oculos erigo, « ad cœlum erigam, imo ad Deum potius, qui « multo locupletius me docebit, quam ipsa volati- « lia. » Perpendit insuper Auctor, Christum non sine magni ratione momenti, solam cœlestium, nullam terrestrium animalium mentionem facere : « Ne scilicet, dejiciens ad bestias oculos, terram « spectarem et a terrenis oculi detinerentur. »

4. — « Potuisset afferre in exemplum, » ait Theophylactus, *Hom.* XXII *in Matth.*, « Eliam et « Joannem, et meminit avium. » Chrysostomus pariter et ipse sedulo discutit, quare nos hodie Christus non ad homines, abunde a Deo provisos, sed ad volucres ableget pro doctrina capienda? et tandem dicit : « Dignum est, docentis sapientiam « magis magisque mirari, qui cum hominum pro- « ponere possent exempla, et Moysen et Eliam, et « Joannem cæterosque proferre, qui eorum similes, « de victu non fuerunt solliciti, ut magis audien- « tium conscientias verberaret, de irrationabilium « illos securitate commonuit. » Denique etiam rationem adducit auctor, cur Christus noluerit horum sanctorum exempla adhibere, nimirum ne causam haberemus excusandi nos : « Nondum ad eorum « virtutis cacumen ascendimus. »

5. — Curiosam aliam propositionem seu quæstionem format Albertus Magnus, quare scilicet tot inter animalia, solas Christus nobis contemplandas exhibuerit aves, cujus rei diversas ipse rationes adducit : « Primo, quia cibus volatilium magis « sparsus et incertus est, quam aliorum animalium, « propter quod natura dedit eis alas ad volandum « et pedes ad ambulandum. » Ratio secunda auctoris est, quia aves minus cæteris animalibus, intentæ sunt colligendis et conservandis alimentis : « Quoniam et gressibilia faciunt thesauros, sicut « mus montanus, et reptibilia, sicut formica; sed « volatilia omnino sunt sine sollicitudine. » Tertia, quam adducit, moralis est, desumpta ex S. Ambrosio. « Quia per altitudinem volatus, magis volatilia « spiritualibus et contemplativis viris assimilan- « tur. » Advertit quoque Lucas Brugensis, proponi a Christo leones, elephantes, ursos et similia animalia, quibus divina providentia victum abunde disposuit, « sed animalium minima, quæ cantui « fere vacantia et veluti obiter cibum sumentia « maxime a sollicitudine libera videntur. » Specifice porro, juxta S. Lucam, Christus corvos in medium adduxit, *Luc.*, XII, 24 : *Considerate corvos, quia non seminant, neque metunt, quibus non est cellarium, neque horreum, et Deus pascit illos; quanto magis vos pluris estis illis?* quid hoc rerum? Non oculos nostros columbæ, non aquilæ, non phœnici, sed avi rapaci et deformi, peccatoris prototypo, intentos esse desiderat Christus : *Quis præparat corvo escam suam, quando pulli ejus clamant ad Deum, eo quod non habeant cibum?* Assolent corvorum patres et matres, in nido existentes, hunc morem et naturalem habere instinctum, quod, quando vident pullos suos ovis exclusos, in plumis discolores, eos deserant tanquam adulterinos, neque ipsos pro fœtibus suis agnoscere velint, usque dum nigrescant; tamdiu igitur Deus illos sustentat, eorum curam habet, vel suppeditando rorem cœlestem, ut aliqui volunt, vel alia via iis providendo : *Qui dat jumentis escam ipsorum et pullis corvorum invocantibus eum*; alii scribunt, nutriri eos ex vermiculis, quos Deus intra ipsum nidum gigni facit; alii credunt sustentari ex fœtidione circumvolantium muscarum; sit ut sit, saltem modi isti non sunt ad invicem incompatibiles; id ex evangelica nobis veritate constat, quia Deus providet eis; at quanto magis benignissima ejus manus providebit nobis? qui *aperit manum suam*, etc. Unde S. Cyprianus ait : « Volucres Deus pascit et passeribus alimenta « divina præstantur et quibus nullus divinæ rei « sensus est, eis nec potus nec cibus deest; tu « Christiano, tu Dei servo, tu operibus bonis dedito, « tu Domino tuo charo aliquid existimas defutu- « rum? » S. Hieronymus comparationem instituens aves inter et animam Christianam, tale format argumentum : « Quod si volatilia absque cura et « ærumnis, Dei aluntur providentia et cras non « erunt, quanto magis homines, quibus æternitas « promittitur? » In parabola de semine Evangelico,

UNIVERSIDAD DE MONTERREY
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Christus per aves designari docet dæmones; quo supposito, quærit Paulus de Palatio, quomodo hæ aves, spiritus infernales, pascantur a Deo? Respondet autem, quod, quando diabolus licentiam petiit a Deo, cruciandi Jobum et obtinuit; intrandi immunda Geresanorum animalia et assecutus est; decipiendi Prophetas Regis Achab et impetravit, quod tunc, inquam, dæmones paverit : « Dominus « fecit voluntatem eorum; clarum vero est, quod, « cum facit, quæ illi cupiunt, velut pascit eos; audi « nunc valentissimum Christi argumentum; si dæ- « mones etiam, hostes Dei, Deus ipse pascit, non « defraudans eos a desideriis suis, quanto potius « pascet vos sibi amicos et servos? »

6. — Consideratione dignissima, quædam circa præsens punctum doctrina sese offert Dionysii Carthusiani dicentis : « Videmus tamen, quod multæ « aves congregant victum in nidos, quemadmodum « ergo volatilia pergunt ad grana et colligunt ea, « secundum naturalem instinctum, ita hominibus « committitur labor et providentia, non sollicitudo « inquieta et anxia, vel avaritia. » Docet insuper, quod etiam Cajetanus advertit, voluisse Christum hac similitudine nos inducere ad imitationem avium, « similitudine proportionali, ut, quemad- « modum volatilia pascuntur a Deo, faciendo, quod « in se est, scilicet eundo ad locum, ubi est cibus, « omittendo officia incompetentia illis et exceden- « tia vires eorum, ut sunt metere, serere et hujus- « modi; ita homo faciat, quod in se est, sua exerceat « officia, omittendo sollicitudinem. »

7. — Lyranus differentiam tradit, quare natura avibus, loco vestium, assignavit plumas et quadrupedibus pelles; cur etiam in defensionem brutorum aliis rostrum, aliis cornua, aliis ungulas, aliis suppeditavit dentes, at vero solum hominem, nudum producat et inermem? Respondet : « Quia in tali- « bus, in brutis, non est nisi natura sensitiva, quæ « est ad unum determinata, et ideo de talibus potuit « eis sufficienter providere, quæ est de se deter- « minata ad unum; sed loco hujus homo habet « intellectum, per quem potest cogitare diversas « artes et modos, faciendi sibi vestes, et arma, et « manus ad ornandum talia, et ideo oportet homi- « nem de talibus sollicitari; quia tamen homo « rationalis est, ideo ista sollicitudo debet esse « moderata secundum regulam rationis rectæ; et « talem sollicitudinem hic non excludit Salvator, « cum sit pars prudentiæ; alter sequeretur, quod « homo tentaret Deum, si expectaret ab eo conse- « qui omnia necessaria, omittendo, quod debet « fieri circa hæc opera humana. » Non dicit de avibus Christus : Non volant, non canunt, sed : *Non metunt, serunt, non congregant in horrea*; quia non hoc secundum, sed primum earum est officium; ita pariter non vult nos Deus otiosos, somnolentos et remissos; *homo enim nascitur ad laborem et avis ad volatum, Job.*, v, 7, sed omni cordium anxietate exutos et a sollicitudine liberos; « sollicitudo au- « tem, » inquit Lyranus, « quæ hic prohibetur est « deordinata et superflua, per quam postponuntur « bona spiritualia. »

8. — Notandum est volucres sementæ potissimum nutriri agrorum, unde et nos pascimur, sed ecce discrepantiam; nunquam iis nutrimentum deficit, at nobis frequentissime, non obstante quacumque improba etiam sollicitudine nostra; quæ justa hæc rerum dispensatio? nos sudamus et penuriam patimur; illæ quiescunt incuriæ, et abundant. Respondet Ambrosius : « Illis idcirco elaborati pabuli usus « exuberat, quod communes sibi fructus ad escam « datos, speciali quodam nesciunt vindicare domi- « natu; nos communia amisimus, cum propria « vindicamus. » Defectum hunc nostra causat in Deum diffidentia et cupiditas.

9. — Per hæc volatilia S. Antonius de Padua, *Serm. in hoc Dom.*, intelligit contemplativos : « Sunt « sancti, penna contemplationis in aere suspensi, « qui ita a mundo sunt remoti, ut jam in terris « nihil agant, nihil laborent, sed sola contempla- « tione jam in cœlis degant. » Prosequitur textum idem sanctus, ostenditque, qualiter isti contemplativi a Deo nutriantur : « Pascit compunctione lacry- « marum, amaritudine gemituum, desiderio æter- « norum; pascit, dum eis imprimit paupertatem et « humilitatem incarnationis suæ, dolorem suæ pas- « sionis; pascit dulcedine contemplationis et cœles- « tis visionis suavitate. »

Quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, et Pater vester cœlestis pascit illa.

10. — Paulus de Palatio, in quonam robur hujus argumenti principale versetur, declarat, dicens : « Efficacia rationis est : si volatilia, quæ non « seminant, pascuntur, quanto magis vos pasce- « mini, qui seminatis, metitis et in horrea conve- « hitis? » Sed potentior alia accedit ratio, sequentibus innixa Christi verbis : *Et Pater vester cœlestis pascit illa.* Quid equidem sentietis de Rege, qui unico sibi filio et regni successori, quem ut pupillam oculorum suorum diligit, sumptuosissimum construxisset palatium et insuper de viridariis, aurifodinis, hortorum deliciis, musicæ suavitate et omni denique causa desiderabili, eidem providisset, excepto pane, an non stultum diceretis patrem, qui filium hunc dilectissimum fame enecaret, quem tantis aliis et deliciis et divitiis repleverat? quo obsecro fine cratibus ferreis inclusit foras, quo vivariis pisces, peramplis volucres caveis? quorsum tot deliciarum construxit hortos et loca in filii gratiam, si mensam illius non modo abundantibus instruere deliciis, sed et necessariis privare velit? Ita pariter dicite, sodes, cur Deus tot produxit animalia, tot

fecit germinari herbas, quo fine tantam rerum omnium comestibilium multitudinem et varietatem suppeditavit? « Ut sint vobis in escam : *Omnia sub- « jecisti sub pedibus ejus, oves et boves*, etc. » Unde Chrysologus, *Serm.* LXIX, inquit : « Quidquid cœli « micat, radiat et splendet ornatus, quidquid terra « flagrat in floribus, sapit in fructibus, in amanti- « bus gaudet, nostro amore factum, nostræ addic- « tum est servituti. » Axioma notum est philosophicum : « Propter quod unumquodque tale et illud « magis. » Et ideo si illum, cujus modo mentionem fecimus, quotidie mane quis videret, propria manu alaudis, falconibus et equis cibos ministrantem, omnique cum sollicitudine et diligentia, dies singulos annonam distribuentem feris in suis custodiis et piscibus in piscinis; dubitari non posset illum passurum esse, ut filius, cujus amore et affectu prædicta animalia, tanta cum cura et providentia pascit, fame periret : *Aperi tu manum tuam et imples omne animal benedictione*, inquit David, et hæc adeo in cunctis animalibus pascendis liberalis et aperta manus soli homini claudetur, cujus causa Deus creavit, quidquid in terra pulchri aut boni conspicitur?

11. — Notat Jansenius Christum, quando alimenti meminit volatilium, non dicere : Pater earum sed *Pater vester illa pascit* : « Non enim dicit : *Et « Deus pascit ea*; sed *Pater vester*, et *cœlestis*. Cum « dicit : *Et Pater vester*, significat Deum, qui vola- « tilia pasci, cum illorum tantum sit Dominus non « pater, multo magis nos, quorum etiam pater, est « pasturus; cum proprium patris officium sit, filiis « alimenta prospicere. » Neque propterea, quod Christus hunc Patrem nostrum vocet cœlestem, diffidentiam aliquam aut timorem concipere debemus, quasi vero eo ipso minus diligens et providus futurus sit in sustentando nos, miseros terræ vermiculos; nequaquam : « Cum nec indignum se putet, provi- « dentiam suam extendi ad volatilia. *Sicut miserе- « tur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus « se. Psal.* CII, 13. » Eamdem Jansenii doctrinam ipse quoque Albertus Magnus nobis exhibet, dum ait : « *Pater vester*, non illorum; quia non sunt ad « imaginem ejus, neque habent spiritum adoptionis « filiorum et ideo minor cura est ei de eis, quam de « sanctis. *Numquid de bobus cura est Deo?* an prop- « ter nos utique Scriptura hæc dicit? »

Nonne vos pluris estis illis.

12. — Subtiliter ponderat Chrysostomus, *Hom.* XIII *in Matth.*, argumenti hujus robur, in una stateræ parte locando creaturas omnes irrationales, in altera vero hominem : « Multam quippe hic sermo « vim continet; ut ostenderet, quanto genus huma- « num Deus honore cumulaverit, quantam etiam « eorum curam gerat salutis; ac si diceret : Vos, « quibus rationalem animam dedit, corpusque for- « mavit; vos, propter quos fecit omnia, propter « quos misit Prophetas, legemque constituit, prop- « ter quos bona operatus est innumera, propter « quos etiam unigenitum Filium suum dedit. » Lyranus etiam particulam illam vos, pondere probans sanctuarii, ait : « *Nonne vos*, id est, natura « humana est majoris ponderis coram Deo? quia « animalia facta sunt propter hominem, finis autem « nobilior est his, quæ sunt ad finem. » Fateor equidem, Deum in principio mundi, prius bestiis, deinde nobis pascua et alimenta assignasse, unde licet prima fronte deduci posse videatur, magis Deo curæ fuisse bestias quam homines, contrarium tamen docemur a S. Ambrosio, qui difficultatem hanc movet et resolvit his verbis : « Forte mirentur « aliqui, quod prius pecori pabulum, quam cibus « homini sit creatus, in quo profundum Dei consi- « lium debemus advertere, quod etiam minima « quæque non negligat; sicut in Evangelio Sapien- « tia Dei dixit : *Respicite volatilia cœli.* » At quis non videt, horum animantium alimenta ad nostras delicias ordinata fuisse? in tantum enim liberalitas et providentia divina, suam super bestias manum extendit, pascua impertiens, in quantum nostræ serviunt aut servire ordinatæ sunt commoditati, voluptati, et necessitati et vestitui.

Additiones.

a. — *Respicite volatilia cœli, quoniam non serunt, neque metunt*, etc. Ut Dominus explanaret divitias bonitatis divinæ, ac amplitudinem suæ infinitæ providentiæ, qua homines pascit, citra eorum omnem sollicitudinem, non adducit in exemplum Israelem, per quadraginta annos alitum in deserto, sed aves cœli. Potuisset afferre, ait Theophylactus, in exemplum Eliam et Joannem et meminit avium, ut admoneat nos, etiam illis esse brutiores. Homo omnium creaturarum magister ac dominus conditus est a Deo; tamen ita per peccatum a suo honore decidit, ac insipiens factus est, ut jubeatur multa discere, ac documenta sumere ab irrationalibus animalculis. *Jerem.*, VIII, 7 : *Milvus in cœlo cognovit tempus suum, turtur, et hirundo, et ciconia custodierunt tempus adventus sui, populus autem meus non cognovit judicium Domini.* Ubi comparat eis parvis animalculis, et dicit deteriores eis homines factos. Homo enim per peccatum fit bestiis similis, imo pejor illis evadit. Regius Propheta, *Psal.* XLVIII, 13, sic ait : *Homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus et similis factus est illis.* Porro innumerabilia sunt Sacræ Scripturæ loca, in quibus peccator irrationabilium animalium nomine indigitatur. S. Paulus, *Epist. I ad Cor.*, XV, 39, de resurrectione corporum nostrorum disserens, hac loquendi utitur phrasi : *Non omnis caro eadem caro, sed alia quidem hominum, alia vero pecorum.* At vero inquies : quid caro animalium cum carne

Christianorum, in resurrectione corporum commune habebit? S. Ambrosius, *de symb. Apost.*, mysterium explicat, dicens : « Alia est caro homi- « nis, id est, servi Dei, alia est caro pecoris, id est, « peccatoris et infidelis. » Nomine igitur bestiæ S. Paulus perditæ salutis hominem indicare intendit, siquidem hic *comparatus est jumentis insipientibus.* Salvator noster S. Petro tanquam suo electo in terris Vicario, indicare volens, ut paganos quoque, qui ad fauces usque peccatis et vitiis immersi erant, ad fidem et legem Evangelicam admitteret, hunc modum observavit, *Act. Apoc.*, x, 9 : *Ascendit Petrus in superiora, ut oraret, et cum esuriret, voluit gustare; parantibus autem illis, cecidit super eum mentis excessus, et vidit cœlum apertum, et descendens vas quoddam, velut linteum magnum, quatuor initiis submitti de cœlo in terram, in quo erant omnia quadrupedia et serpentia terræ, et volatilia cœli; et facta est vox ad eum : Surge Petre, occide et manduca.* Quibus verbis Deus S. Petro gentium quoque conversionem imponere voluit; id vero quod vel maxime proposito nostro deservit, est quod impios Gentiles, per bruta et quadrupedia in hoc linteo contenta, delineare voluerit : « Utpote qui ferarum modo bestiali « viderentur induti sævitia, » inquit S. Ambrosius, « nisi Spiritus Sancti sanctificatione mitescerent. »

6. — Inauditum quid est, quod ipse Deus, qui tantopere inertiæ contrariatur, otiosas pascat aves; si enim verum est, quod Clemens Alexandrinus, *lib.* I *Stromatum*, sic alte fatur : « Otio ac socordiæ « viaticum suppeditare, minime honestum est; » quis excusabitur, quod Deus his volatilibus, quæ nec serunt, nec metunt et nullam quasi operam agunt, abunde alimenta suppeditet? An fautor otii inde proclamabitur Deus? Absit. Attamen ad has aves hominem respicere jubet Dominus, quæ in singulare exemplum homini objiciuntur. Quo mysterio? Elucidat illud D. Gregorius, *lib.* VI *Moral.*, v : « Plerumque aves, quas ad volatum pennæ suble- « vant, in vepribus resident. « O stultæ hinc sanæ aves! Ecce tibi volucris alipeta, leviter grato pennarum otio nubes transvolat, et cœlum habitare frustra præsumens, in vepribus residet, et levis ejus ignavia spinositate mulctatur, et condignas inertiæ pœnas solvit, dum negligentia torpet. Et ideo hoc respiciendum, homines otiosos monet Salvator, et fatuitatem hanc otiandi ab ipsis avibus dediscant, quæ dum otium sectantur, « vepribus plectuntur, quæ est stultitia magna, quod ab iisdem non avolent; ut bene notatur purpuratus ille Sapiens, *Prov.*, XII, 11 : *Qui sectatur otium stultissimus est.* Cunctas jam expertus fuerat Salomon et degustaverat voluptates, omnibus, quam unquam sibi quispiam imaginari potest, potitus et gavisus fuerat deliciis, siquidem ipse dixit : *Omnia quæ desideraverunt oculi mei non negavi eis;* nihilominus expressis verbis a Spiritu Sancto sibi dictatis decidit et resolvit, quod qui otio deditus est, supra modum fatuus sit et stultus. Porro variæ textus hujus a sacris Expositoribus exhibentur interpretationes. S. Hieronymus exponit : « Qui pro salute animæ suæ nunc laborare « detrectat, tunc inter stultos reputabitur. » Lyrani Glossa est : « Quia ex hoc, incurrit defectum bono- « rum temporalium et spiritualium. » Cajetanus scribit hoc modo : « Vacantes otio sine officio, sine « arte, sine industria aliqua, quod ex defectu « cordis, hoc est, internæ virtutis evenire affirmat « Salomon. » Hugo Cardinalis tamen tres distinxit gradus stultitiæ, quos incurrit temporis prodigus : « Primus gradus stultitiæ est, bonum non facere, « dum licet. Secundus, malum facere. Tertius, in « malo se assuescere. » Stultus est qui amat esse exosus Deo et hominibus; talis est otiosus, cui aperte minatur Deus : *Quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo.* Otiosus causat Deo nauseam et horrorem, veluti vomitus efficere solet. Admonitio est Episcopi Bellovacensis, quæ sequitur : « Ad « vitandum otium, movere nos debet bonorum « amissio; otiosus enim perdit tempus suum, bona « spiritualia, temporalia et æterna. » Adducit deinde alia motiva : « Temporis brevitas, velocitas, « vel labilitas ejus, irremediabilitas, pretiositas, « quia est multum debitum vitæ nostræ inseparabiliter conjunctum, quia est nostrum sive nobis « proprium, quia est rationis reddendæ obligato- « rium. » An non igitur extrema dementia est, summam capitalem tanti pretii inutiliter perfundere? Huic accedit, quod cœli, planetæ, omnesque aliæ creaturæ occupentur in continua operatione et motu, influendo propria virtute in hæc sublimaria; solus homo creatus ad operandum, *Homo nascitur ad laborem*, stabit in otio? « Quomodo non odio « prosequendum est otium, » dicebat S. Basilius Magnus, « quod formica et ape pejorem efficit « hominem? »

Versus 27.

Quis autem vestrum cogitans, potest adjicere ad staturam suam cubitum unum?

1. — « Si rem tantillam, » inquit Lucas Brugensis, « vestra sollicitudo non potest augere nonnihil « staturam corporis, quomodo poterit corpus in « vita servare, quanta vis annonæ, opumque au- « gusta copia, nisi aspiret providentia Dei? » Bene autem notandum est verbum, *cogitans*, quod juxta Interlinearem nihil est aliud, quam « sua sollicitu- « dine et sagacitate. » Proinde Glossæ capiamus et exequamur consilium : « Illi autem curam regendi « corporis relinquite, qui illud ad hanc mensuram « fecit pervenire. »

2. — In his quoque verbis illos primario redargui autumat Cajetanus, qui bonis sibi temporalibus comparandis solliciti insudant, ut vitam ducant longam, quam in penuria timent abbreviandam. « Con- « tra hunc timorem affert textus hujus a sacris Expositoribus exhibentur interpretationes. S. Hieronymus exponit : « Qui pro salute animæ suæ nunc laborare « cibi, in naturali motu augmenti, scilicet, quod « sicut vana est omnis cogitatio humana circa effec- « tum cibi in motu augmenti, nullus enim quan- « tumcumque cogitando, potest adjicere ad statu- « ram suam cubitum unum, ita vana est omnis « sollicitudo circa effectum cibi in medio nutritio- « nis; quantumcumque enim provideas de cibo et « potu, non propterea potes adjicere ad dies vitæ « tuæ annum unum. « An quisquam in congregandis et coacervandis divitiis sollicitior fuit divite illo, qui dicebat, *Luc.*, XII, 19 : *Anima mea habes multa bona reposita in annos plurimos?* Et nihilominus audivit sibi dici : *Hac nocte repetent a te animam tuam.*

3. — Chrysostomus, *Hom.* XII *in Matth.*, in hæc verba ita commentatur : « Ex quo etiam istud « ostendit, quia corpus ipsum non tam alimonia « sui crescat, quam providentia conditoris. »

4. — Auctor operis Imperfecti, *Hom.* XVI, ex illis præmissis talem dedit consequentiam : « Si ergo « cogitando, modicam partem corpori vestro addere « non potest, quando cogitando salvandi estis in « toto. »

5. — Voluit Christus hisce verbis nimiam ex cordibus nostris eradicare sollicitudinem in vestimentis, quia inquit S. Anselmus, talem Christus formavit discursum : « Si in corpore nihil addere « potestis, sed solus Deus totum facit, nolite solli- « citi esse pro indumento corporis, quia qui corpus « fecit, vestiet corpus, mediante tamen providentia « hominum, per quam operatur et dat, quando « vult et quomodo vult. » Ad eamdem pariter conformitatem Beda dicit : « Ac si dicat : Illi ergo « relinquite curam tegendi corporis, cujus cura « factum esse videtis, ut tantæ staturæ corpus « habeatis. »

Versus 28.

Et de vestimento quid solliciti estis? Considerate lilia agri, quomodo crescunt, non laborant neque nent.

Et de vestimento quid solliciti estis?

1. — Curiose advertit Jansenius, Christum dum meminit vestimenti, non adducere comparationem volatilium, quæ tamen nentiquam defuisset, imo plurimum forte servisset; pavones enim, cycnos, similesque aves alias, diversis iisque venustis natura exornavit plumis; hoc tamen non obstante, Christus solam adhibet similitudinem florum. Rationem facti hanc Auctor insinuat : « Ut ex variis rebus « exempla desumens et viliora etiam proferens, in « quibus Dei providentia elucet mire, efficacius « sollicitudinem exceuteret. »

2. — Alium ex hoc Salvatoris discursu, commentarium deduxit Lyranus, hisce verbis expressum : « Ponit duplex exemplum : primum accipitur de « eo, quod est intra hominem, scilicet magnitudo « corporis, quam Deus dat homini sine sollicitudine « sua; » ideoque Christus dicebat, non posse nos per omnem etiam possibilem industriam nostram, staturæ nostræ vel unius digiti quantitatem superaddere : « Cum ergo vestimentum competat majus « vel minus homini, secundum quantitatem corpo- « ralem et quantitas datur ei sine sollicitudine sua, « per consequens et vestimentum conveniens, abs- « que sollicitudine superflua; secundum exemplum « accipitur de eo, quod est extra hominem, scilicet « ex terra nascentibus. »

Considerate lilia.

3. — « Non solum per aves ratione carentes « admonet, sed et per lilia, quæ marcescunt, » inquit Theophylactus, « nam si Deus illa sic orna- « vit, quamvis nulla necessitas exigat, quanto magis « penuriam nostram in vestibus supplevit? » S. Hieronymus florum venustatem, omnia artificia humana excedentem, hocce nobis expressit in discursu : « Et revera quod sericum, quæ regum « purpura, quæ pictura textricum potest floribus « comparari? Quid ita rubet ut rosa? Quid ita can- « det ut lilium? Violæ vero purpuram nullo supe- « rari murice, oculorum magis quam sermonis « judicium est. »

4. — S. Nilus a sensu litterali ad moralem transiens, ita de lilio discurrit : « Animus perfectus ab « omni est sollicitudine vacuus, impius sollicitudi- « nibus teritur; de animo perfecto dicitur : *Lilium « est inter spinas*, hoc namque inter curas tranquille « degentem indicat; lilium enim et in Evangelio « quietum animum, ac minime sollicitum significa- « cat. » Juxta Christi doctrinam, sollicitudines quidem spinæ sunt, sed anima perfecta in medio nihilominus harum degere novit sine pungturæ aut læsionis discrimine; vivere namque multos novimus in mediis auri argentique thesauris, verumtamen ita innoxie, ut nullum iis affectum impendant, nec internam animi quietem ullatenus propterea interturbari sinant.

Agri.

5. — Id est, juxta Lucæ Brugensis traditionem : « Agrestia, quæ passim in agris occurrunt, hæc « enim omnem decorem suum acceptum referunt « uni Deo; hortensia videri possunt aliquid humanæ « curæ debere. » Videtur Christus hoc loquendi modo, differentiam insinuare voluisse providentiæ divinæ, diversimode prospicientis iis, qui sine curis degunt in solitudinibus, et istis, qui intra civitatem viventes, abundantiam bonorum temporalium sibi sollicite anxieque procurant. Quemadmodum enim

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

lilia silvestria diuturniorem vigorem et colorem conservant, quam domestica, quæ liberalioris figuræ et delicatioris sunt complexionis, ita pariter experientia teste, Deus longam eorum disponit et conservat vitam, qui ipsius se providentiæ totaliter commiserunt, quales sunt religiosi et servi alii fideles, qui se a turbis et curis sequestrarunt; e contra autem, qui terrenis bonis accumulandis anxie invigilant, vitam ut plurimum sortiuntur brevem et afflictam; id quod Psalmista nobis non obscure expressit, inquiens : *Non est impio timentibus eum, divites eguerunt et esuriunt; inquirentes autem Dominum, non minuentur omni bono. Psal.* XXXIII, 10.

Quomodo crescunt, non laborant neque nent.

6. — « Sine sollicitudine eorum, » ait Lyranus, « et secundum quantitatem suam a Deo vestiuntur; « propter quod dicit : *Non laborant*, scilicet ad « ornandum se, *neque nent*, id est, filant ad facien- « dum sibi vestimentum, et tamen optime vestiun- « tur. » In cujus probationem exemplum adducetur Salomonis.

7. — Auctor operis Imperfecti scribit : « Dicendo : « *Non laborant*, viros confortat; dicendo autem : « *Neque nent*, mulieres, quoniam virorum vita « seminationibus, mulierum autem lanificio sus- « tentatur. »

Additiones.

a. — *Considerate lilia agri.* Lilia maximis encomiis hic sublimantur a Christo, ita ut eorum comparatione omnis Salomonis apparatus vilescet. Sed ex quo tantam gloriam potuerunt lilia comparare? S. Paschasius, *lib.* I *in Psal.* XLIV, rationem pulchram adducit : « Virginitas, » inquit, « quæ An- « gelis comparatur, per lilia quam sæpe in sacris « Litteris præfiguratur. Et ideo dixerit Dominus « quod nec Salomon, in omni gloria sua, coopertus « sit sicut unum ex illis; in quibus nimirum flori- « bus renitentibus, floris veri incorruptio et pul- « chritudo, per charitatem, integræ residet castita- « tis. Propter quod velim vos considerare virginitas « quam præclara sit, quæ tantis et talibus attollitur « encomiis. » In liliis virginitatis candor denotatur, cujus splendor ita nitet ac fulget, ut omnis aliorum ornatus vilescat, vilis ac minor appareat etiam qualibet virginitatis umbra. Dilectus ille, qui delicias, lautumque et delicatum pastum suum inter lilia reperit, de anima virginali et casta, lilii instar florente dicit, *Cant.*, II, 2 : *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* S. Bonaventura de castitate disserens, ait : « Castitas est florens sicut « lilium, nam dicitur in Canticis : *Sicut lilium inter* « *spinas*, etc. » Petrus Blessensis porro hanc inter continentiam et virginitatem indicat differentiam : « Comparat, » inquit, « virginitatem lilio, cujus « candor nativus est manens; continentiam vero « comparat bysso; byssus enim de terra viridis et « graminei coloris oritur, sed eruta siccatur, tundi- « tur, coquitur, torquetur, et magno, longoque « exercitio ad candidum colorem perducitur. » Rupertus Abbas Tuitiensis super illa verba Apocalypseos : *Habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinaverunt vestimenta sua*, ita glossat : « Id est, « incorrupta servaverunt corpora sua. *Ambulabant* « *mecum in albis, quia digni sunt. Mecum* inquit, « scilicet cum Filio Virginis; mecum, cujus caro « virginea continentiæ dedicavit exemplum, qui « sum virgineus flos, virginitatis lilium, corona « virginum. » *Mecum ambulabunt in albis*; id est, in corporibus immaculatis. Philo Carpathius verba illa : *Qui pascitur inter lilia*, ita exponit : « Hoc est, « qui versatur inter castos, horum enim odore « delectatur Dominus, cum his conversatur assi- « due. »

b. — Ait divinus Sponsus : *Ego flos campi, et lilium convallium. Cant.*, II, 1. Hic illud maxime est ponderandum, quod cum summa charitate ac amore se diligant sponsus et sponsa, cur ergo ipse Rex se appellat florem et lilium, dilectam vero suam liliam tantum dicit? Auctor est S. Augustinus, *lib. de salutaribus docum.*, quod Christus dicitur flos campi ob decorem sanctitatis et donorum, lilium vero ob virginitatem; ex quo optime inferri potest, sanctitatem et virginitatem sibi quodammodo dispensari, nec immerito. Virginitas enim in multis sacræ Scripturæ locis, necnon a sanctis Patribus frequenter sanctitatis titulo condecoratur. Item divinus Sponsus qui Christus est, se et castam dilectam sibi animam lilium vocat, ut eam sibi persimilem ostendat. Virginitas enim Christo desponsatur, ut proinde Apostolus, II *Cor.*, XI, 2, de animabus puris et immaculatis dicere non dubitet : *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo. Et* quidem tametsi prima facie sponsalitium et nuptiæ, cum virginitate videantur incompatibiles, attamen in parabola de decem virginibus expresse dicitur : *Exierunt obviam sponso; intraverunt cum eo ad nuptias*; et tamen omnes ab ipsomet Christo virginum titulo condecorantur. Neque id empiam mirum videri debet, quia in hisce nuptiis quæ inter animam virginitate puram et Christum celebrantur, ipsemet Dei Filius Sponsus est, et ideo per hasce nuptias virginitas non amittitur sed augetur, ut proinde S. Agnes, Virgo et Martyr, merito gloriata fuerit dicens : « Amo Christum, in quem thala- « mum introibo, cujus Mater Virgo est, cujus Pater « fœminam nescit; quem cum amavero casta sum, « cum tetigero munda sum, cum accepero virgo « sum. » Hic enim Sponsus ab ipsomet Spiritu Sancto appellatur *Candor lucis æternæ*, a cujus candore omnis alia derivatur puritas et honestas, adeo ut illæ duntaxat animæ veræ Virgines sese censeantur, quæ huic Sponso vinculo sunt connubiali adstrictæ, juxta illud Psalmi : *Adducentur regi virgines.* Unde S. Bernardus ait : « Virgines dico illas « quæ ante Christo fœderatæ, quam fœdatæ mundi « complexibus, ipsi firmiter conjunctæ perseve- « rant, cui se tanto felicius, quanto maturius devo- « verunt. »

VERSUS 29.

Dico autem vobis, quod nec Salomon in omni gloria sua, coopertus est sicut unum ex istis.

1. — Variant Auctores in assignanda ratione, quare Christus Salomonis potius quam cujuscumque alterius exemplum adduxerit; Jansenius existimat id ideo factum, quia nimirum Salomon apud Judæos istos, cum quibus Christus loquebatur, fuerat gloriosissimus inter Reges et celeberrimus in ore omnium : « Omnis pulchritudinis amator et stu- « diosissimus inquisitor, ut attestatur de seipso in « Ecclesiaste. » Lyranus dicit, quod licet potentissimus fuerit, tamen in omni hac sua majestate ad vestitum adeo eximium et nobilem, qualis liliorum est, pertingere nequierit : « Quia licet ars imitetur « naturam, tamen opera artis non assequuntur « perfectionem operum naturæ. » Nullus unquam tinctorum æqualem potuit cum natura exprimere viriditatem; optime Lucas Brugensis inquit : « Re- « rum naturam, quæ a Dei providentia est, homi- « num cura et industria imitari potest, assequi non « potest. »

2. — Admirabundus interrogat Paulus de Palatio, quomodo tantus Rex, tot gemmarum coruscus varietate, ne uni quidem agresti lilio comparari potuerit. « Quid? non erat pulchrior Salomon, « gemmis fulgens et auro, quam vile lilium agri? « Regina Saba videns vestes Salomonis et servorum « ejus, præ admiratione stupet, nec in ea est spiri- « tus; num amisit spiritum, lilia considerans; jam « si Salomon sapientissimus erat, cur non potius ex « liliis vestem contexuit, quam ex gemmis et « auro? » Quis est, qui non pulchrius aurum dicat quam lilium? Respondet ipsemet Auctor et difficultatem cum S. Ambrosio solvit, dicente, avarorum oculos potius in aurum quam in solem ferri, non quasi aurum solo pulchrius esset, sed quia ipsi aurum magis quam solem appetunt : « Si tibi oculi « essent sani, in lilio spectares Dei artificis manum, « in veste aurea manum hominis. » At alia ejus responsio clarior, dum inquit : « Oculos fecit nobis « cupiditas, quibus, non quæ vere sunt pulchra, « credamus, sed quæ apparent. » Communis ille in terris agendi modus, ut juxta mundi opinionem et consuetudinem, jocus prævaleat rebus seriis et deceptio veritati.

3. — Bene considerat Jansenius hanc factam de Salomonis gloria et lilio comparationem, non deservire tantummodo ad reprimendam in nobis superfluam de vestitu sollicitudinem : « Sed etiam « ad comprimendam hominum in vestitus elegan- « tiam superbiam. Quid in ea enim superbit homo, « cum a vilissimis floribus longe in decore supe- « retur, a quibus etiam gloriosissimus Salomon « superatus est? » Eamdem multo ante tempore considerationem instituit Chrysostomus, *Hom.* XXIII, nos salutariter admonens, ut vestium luxum et pompam pro nihilo reputemus : « Quandoquidem « pulchritudo florum et decor varius herbarum, « ipsumque omnino fœnum amictu tali invenitur « pretiosius; cur igitur ex his in superbiam mentis « erigeris, in quibus perfacile de te obtinet etiam « herba victoriam? » Lucas Brugensis flori huic potentiam opponens Salomonis, « vide, » inquit, « ut omnem mundi gloriam unico agri flori post « posuerit. »

VERSUS 30.

Si autem fœnum agri, quod hodie est, et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quanto magis vos, modicæ fidei?

Si autem fœnum agri, quod hodie est, et cras in clibanum mittitur, etc.

1. — S. Thomas, *in Matth.*, dicit, Salvatorem nostrum hisce verbis herbam considerare, in fœnum degenerantem, eumque hoc modo arguere : « Si « omnibus providet, providebit et nobis, qui potio- « res sumus quoad dignitatem substantiæ, quia nos « super ista sumus; itaque ad durationem, quia nos « æterni quoad animam, illud vero *hodie est, et cras* « *in clibanum mittitur*; item quoad finem, quia « homo est propter bestitudinem, fœnum vero « propter usum hominum : *Qui producit in monti- « bus fœnum et herbam servitutí hominum.* »

2. — Auctor Imperfecti Christum argumentum a minori formasse dicit : « Si floribus sic occurrit, « qui sic nati sunt, ut tantummodo videantur et « pereant, homines vero negligat, quos sic creavit, « ut non pro tempore videantur, sed ut in perpe- « tuum sint? »

3. — Albertus Magnus super hæc verba, tres considerationes adducit : « Ostendit, » inquit, « cu- « ram Patris ad fœnum parvam ex tribus; ex « natura, cum dicit : *Si enim fœnum, quod parvi est* « *momenti*; secundo, ex loco, cum dicit : *Agri*, cui « nulla custodia adhibetur, sed decerpendum om- « nibus exponitur; tertio, ex utilitate, quia dicit : « *Quod hodie est, et cras in clibanum mittitur.* » Unde sensus verborum Christi est : Si Creator fœnum agri, quod alias adeo contemptibile est vestit, quanto magis curam habebit de nobis, qui ad imaginem et similitudinem ejus creati sumus; quorum custodiæ Angelicos spiritus destinavit, quos denique ad vitam ordinavit æternam.

4. — Porro quænam illa sint lilia et qui fœni nomine intelligantur, Paulus de Palatio in sensu

« nantem. » Paulus de Palatio ait : « Qui nihil « habent in cœlo, nihil mirum, si toti quærunt « terram. »

2. — Est et alia ratio, cur Gentiles adeo sint anxii in consectandis bonis terrenis, quia scilicet deos habent surdos et mutos, *Psal.* CXIII, 6 : *Aures habent et non audient, os habent et non loquentur;* insensibilia sunt simulacra, ligna vel marmora, oculos habent, sed non vident, et ideo illis, qui in seipsis confidunt, providere aut prospicere non possunt; ac proinde opus est, ut qui illos adorant, propria industria sibi consulant, absque eo, quod de ipsorum subsidio ferendo confidere possint. Deo autem nostro proprium est, esse beneficum : *Qui dat omnibus affluenter*, et ideo merito arbori, fructibusque onusta, in medio silvarum posita, assimilatur, *Can.*, II, 3 : *Sicut malus inter ligna silvarum, sic dilectus meus inter filios.* Imaginemini vobis in horrido quodam deserto vos constitutos esse, meris spinis et vepribus obsito, quarum hæc vos pungat et vulneret, illa vestes discerpat et lacerat, unica vero arbor adsit, quæ dulcissimos suos vobis fructus offerat; enimvero evidens ratio, per quam dii gentium se deos non esse clare insinuabant, hæc erat, quia non solum non dabant, sed avari et cupidi erant recipiendorum munerum et oblationum; quot farinæ mensuras, quot carnium moles idolum illud Beli apud Danielem quotidie requirebat? idolum Moloch continuo vociferabatur : *Afferte, afferte;* non sic Deus noster qui, ut nos benedictionibus suis locupletet, manus suas continuo apertas habet. Rupertus Abbas Tuitiensis, *lib.* IV *in Matth.*, ait : « Quid est aliud hoc dicere, « nisi ac si dicatur : Eritis enim gentibus similes, « *quarum Deus venter est*, si sollicitudini huic, quam « interdico, postponitis Deum. »

3. — Valde considerabilis est dictio illa : *Hæc omnia;* idololatræ enim beatitudinem suam in hisce terrenis bonis collocabant, *Psal.* CXLIII, 13 : *Promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud, boves eorum crassæ; non est ruina maceriæ, neque clamor in plateis eorum; beatum dixerunt populum, cui hæc sunt.*

Scit enim.

4. — Rupertus Abbas inquit, non sufficit, quod sciat, opus est insuper ut velit : *Scit, inquam, et bene scit, quid enim ille nescit?* Dic mihi, si nosti, quænam est patrem inter differentia et Principem; hæc nimirum, quia hic communitatis curam habet, ut scilicet penes populum annonæ sit abundantia, ut non desint lana, linum aut sericum pro vestibus, pro domiciliis ædes congruæ, hospitalia pro recipiendis infirmis, item providet, quidquid necessum est pro vita civili et politica; particularium vero personarum curam nullam habet, qualem pater gerit erga filium, uxorem, servum et alios familiæ suæ domesticos, et talis est sollicitudo et providentia Dei nostri. Unde S. Augustinus, *lib.* III *conf.*, XI, ait : « O tu bone omnipotens Deus, qui sic « curas unumquemque nostrum, tanquam solum « cures, et sic omnes tanquam singulos; » idque Deo facillimum est, quia distinctam habet omnium necessitatum nostrarum notitiam : *Scit, quia his omnibus indigetis; alta a longe cognoscit.* Eamdem quoque considerationem, quod scilicet Deus fixis nos oculis semper aspiciat, idem Augustinus alibi docet, *Solil.*, XIV, dum ait : « In toto tempore, « totum me simul semperque consideras, ac si « nihil aliud considerare habeas, sic super custo- « diam meam stas, sicut si omnium oblitus sis, et « mihi soli intendere velis. »

5. — Jansenius mysticum hunc loquendi modum ita ponderat : « Quæ certe sententia magnam « habent energiam, nam ad hoc ut quisquam « posita sollicitudine, totum se alicujus providentiæ « committat, nihil aliud requiritur, quam ut certus « sit de illius providentia ac potestate, et scire « illum suas necessitates; « omnes autem hæ circumstantiæ in Deo nostro concurrunt, quia de amore Dei in nos dubitare nobis non licet, quia pater est, nec potentia ejus in dubium revocari potest; denique de ea, quam habet necessitatum nostrarum notitiam, nulla est controversia : *Scit enim, quia his omnibus indigetis.*

Pater vester.

6. — Ecce tibi, qualiter Christus æternum genitorem suum nobis in patrem assignet, non vocat illum patrem ovium, nec plantarum, nec aliarum creaturarum, sed solum nostrum, et tamen licet ovium pater non sit, illas tamen quotidie nutrit; longe igitur majorem curam de nobis habebit, quorum se patrem esse declarat, maxime cum *pater* a pascendo dicatur. Chrysostomus, *Hom.* XXIII *in Matth.*, ait : « Non dixit, *novit* Deus, sed *Pater* « *vester*; ut eos profecto ad spem certiorem voca- « ret; si ergo est pater vester, et pater talis, « nequaquam patietur despici a se filios, mala « ultima sustinentis, quando ne homines quidem « patres hoc aliquando patiuntur. » Jansenius dicit : « Quis autem invenitur pater, qui non subventurus « est filiis, cum eorum necessitates agnoscit, et in « ipsius potestate est, subvenire, quod si talis om- « nino reperiri posset apud homines, non convenit « tale quid suspicari de Patre cœlesti, qui, quod « cœlestis sit, longe vincit bonitatem cujusvis « patris terreni. »

7. — Speciale nobis fidelibus in lege Evangelica factum est privilegium, quod nempe in filios a Deo adoptati sumus; unde Salvator noster in principio orationis dominicæ nos illum patrem appellare docuit; et vere pater est, imo ut Tertullianus ait : « Tam pater nemo, tam pius nemo. » S. Bonaventura, *Serm.* II *in hac Dom.*, dicit : « Adhuc vivit, « qui Judæos quadraginta annis in deserto, nec « serentes nec metentes pavit, et eisdem quadra- « ginta annis non sunt attrita vestimenta eorum; « quare ergo timent Christiani, quando ita libera- « liter procurantur Judæi; » certe illis conditione inferiores esse non possumus, siquidem, ut idem Seraphicus Doctor ait : « Qui tibi dat seipsum, « quomodo non daret tibi cibum? » Cura hæc paterna circa nos, ad eum usque apicem ascendit, ut sacratissimum Corpus suum nobis in alimentum, et Sanguinem suum in potum liberaliter porrigat.

8. — Quis nescit, justam quemcumque filium prætensionem habere, exigendi a patre alimenta vitæ suæ? ideo igitur Christus, dum Patrem suum, nostrum esse affirmat, nos omnes docere vult : Petite ab eo audacter panem vestrum, dicentes : *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Non dixit ut supplicaremus, sed ut imperativo modo quasi extorqueremus : *Panem nostrum da nobis;* non hortatur nos Christus ut panem ejus, sed nostrum quæramus, quia ex nunc filii sumus, et consequenter justam habemus a Patre, quæ nostra sunt, sive nobis debita, prætensionem exigendi. Bene observat Euthymius, Christum dixisse : « *Scit* « *enim Pater vester*; non dixit : scit Deus, sed : *scit* « *Pater vester*, quo maximam habeant fiduciam; « ex quo enim pater est, et talis pater, filios despi- « cere non poterit, et pati, ut rerum necessariarum « indigentia deficiant, cum neque terreni patres id « sustineant, sed his omnibus scit indigere, dabit « utique. » Propositio est Christi fortissima et indissolubilis ad extorquendam summam a nobis in Deum confidentiam, tanquam ad patrem in omnibus necessitatibus nostris : « Quam tibi existi- « mas esse causam sollicitudinis, magis est causa « securitatis, quia enim hæc necessaria sunt, ideo « magis fidere oportet; quis enim pater etiam « necessaria filiis denegabit? » Bene Chrysologus, *Serm.* LXIII, admonet : « Superfluus est o homo, « iste, qui te exagitat timor; nam Creatoris ad « prandium tota concurrit et advolat creatura; « nequaquam de fidelissimo conviva diffidamus : « Cum se Patrem nostrum dicit, nostri sibi piam « curam comprobat non deesse. »

Quia his omnibus indigetis.

9. — Novit cœlestis Pater, inquit Lucas Brugensis; scit ille : « Quid, quantum, quamdiu, hisce omnibus, cibo, potu et similibus. »

10. — Paulus de Palatio verbum *indigetis*, discutiens, Christum in eo nos docere voluisse scribit, quod postmodo Apostolus prædicaturus, I *Tim.*, VI, 8, nimirum : *Habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti simus;* « igitur viri pii his solis indigent, « vere Deus Pater est eorum, qui victu et vestitu « contenti sunt, reliqua contemnentes. »

Additio.

a. — *Hæc enim gentes inquirunt.* Cur Dominus hic gentes in exemplum adducat, resolvit Abulensis, *quæst.* CLXXXIV : « Quia Gentiles cum non « haberent cognitionem de futuro sæculo, nihil « sperabant; sed plurimi eorum credebant, post « hanc vitam nihil esse et consequenter nullum « bonum manere homini, nisi comedere et bibere, « et frui delectationibus in hac vita. Et ideo Gen- « tiles tam solliciti erant de cibo, potu ac vestitu. » *Hæc gentes inquirunt.* At fideles et Christi discipuli, qui non tantum Deum, sed etiam futurum sæculum agnoscunt expectantes beatam spem et gloriam magni Dei, maxime debent a superflua cura et amore terrenorum abstinere. Consideratio enim et spes bonorum cœlestium vanitatem nobis indicat bonorum terrenorum. Nabuchodonosor rex, qui se contra supremam Dei Altissimi majestatem erigere non erubuit et ut communem cum bestiis vitam ageret condemnatus fuit, quandonam resipuit, seque emendare cœpit? Scriptura sacra idipsum clare indicat, dum ait : *Igitur post finem dierum, ego Nabuchodonosor oculos meos ad cœlum levavi, et sensus meus redditus est mihi, et Altissimo benedixi.* Cum primum ad cœlum oculos suos levavit, mox monarchiæ suæ vanitatem animadvertere cœpit : *Viventem in sempiternum laudavi et glorificavi, quia potestas ejus potestas sempiterna, et regnum ejus in generationem et generationem.* Antea, priusquam suos in cœlum oculos extulisset, adeo superbus et arrogans fuerat, ut neminem præter se Cœli terræque dominum esse crederet; unde S. Hieronymus ait : « Nisi oculos levasset ad cœlum, sensum pristi- « num non recepisset, » imo nisi cor suum ad Deum erexisset, veluti bestia quædam semper romansisset, ejusque superbia majoribus in dies aucta fuisset incrementis. Præcipuus multarum animarum, quæ inferno in prædam cedunt, error hic est, quod se ad invisibilia minime reflectentes, a præsentium bonorum amabilitate sese seduci permittant; nam ut S. Ambrosius, *lib.* VII *in Luc.*, ait : « Allicit homines magis dulce peccati, quod ad « præsens influit, et impinguat videntis affectum, « quam triste virtutis, quæ fidei spem veluti quo- « dam cortice amori laboris involvit. »

VERSUS 33.

Quærite ergo primum regnum Dei, et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis.

Quærite.

1. — « Hic aperte ostendit, ista non esse « petenda, » ait Glossa, « tanquam bona nostra, « etsi necessaria; regnum autem Dei petendum « est, et in eo finis noster est ponendus. »

2. — In terris deorsum ille agendi modus est,

morali his verbis declarat : « Apertum est, lilia « campi pios significare, sicut contra fœnum signi- « ficat impios; Sponsa enim dicitur lilium et omnis « caro fœnum; » unde idem Auctor dicit, non fuisse adeo conveniens Christi argumentum; solum dicendo, quod liliis, id est, servis suis de vestimentis prospiciat, magnam vero argumento suo efficaciam addidisse, dicendo quod etiam fœnum vestiat, id est, providentiam suam etiam ad impios extendat; siquidem æternæ veritatis verbum est, quod *solem suum orri facit super bonos et malos, pluit super justos et injustos*, *Matth.*, v, 45. Quod si igitur impiis benefacit, quanto major cura ei erit, ne servos suos derelinquat.

Quanto magis vos.

5. — « Pronomen vos, » inquit Jansenius, « hic « est honoris demonstrativum, q d. longe magis « vos vestiet, qui estis pretiosa ejus possessio prop- « ter quos totum mundum et omnia quæ in eo « sunt, condidit, quos non creavit, ut in brevi tan- « tum tempore, subsisteretis more illiorum, sed ut « in æternum cum ipso vivatis. »

6. — Glossa ex his verbis efficacem quamdam rationem tangit contra eos, quoad rerum necessariam provisionem, Deo diffidunt, dicit enim : « Quod « si nec de his fidentes sumus, quomodo invisibilia « sperabimus? Permodica fides est, quæ nec de « minimis certa est. »

Modicæ fidei.

7. — « Hoc est, » inquit Albertus Magnus, « mo- « dica fiducia qui parva de Patre cœlesti præsumi- « tis; » qui idem objectioni, quæ hic moveri posset, nimirum multos nonnunquam mortuos fame omnique victu et vestitu necessario destitutos, licet in gratia et amicitia Dei consisterent; respondet : « Quando istanter ea, quæ sunt militiæ Christianæ, « exercemus, etsi tunc desunt necessaria, dispensa- « tio Patris cœlestis est, vel ad probandam nostram « patientiam, vel ad purganda delicta. »

VERSUS 31.

Nolite ergo solliciti esse, dicentes : Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur?

1. — Ex phrasi loquendi, qua Christus hic utitur, clare cognoscitur, quænam hic sollicitudo condemnetur. Unde Jansenius ait : « Satis signi- « ficat, quam sollicitudinem et curam prohibeat, « timidam scilicet et anxiam, quæ hujusmodi cogi- « tationibus, seu continuis quibusdam æstibus « hominem exagitat. »

2. — S. Thomas quatuor sollicitudinum genera, de bonis terrenis acquirendis nobis evitanda esse docet : « Primo, ut in eis finem non constituamus, « neque Deo serviamus propter necessaria victus « et vestitus; secundo, ut non sollicitemur de tem- « poralibus, cum desperatione divini auxilii; tertio, « ne sit sollicitudo præsumptuosa, ut scilicet homo « confidat, se necessaria vitæ per suam sollicitudi- « nem posse procurare absque divino auxilio; « quarto, per hoc, quod sollicitudinis tempus « præoccupat, quia scilicet de hoc sollicitus est « nunc, quod non pertinet ad curam præsentis « temporis, sed futuri; unde dicit : *Nolite solliciti « esse in crastinum.* »

3. — Ex illis verbis : *Quid manducabimus, aut quid bibemus?* anxietas deducitur, qua nobis pro futuro tempore providere studemus, cui ille opponitur Matthæi, vi, 34, textus : *Nolite ergo solliciti esse in crastinum.* S. Thomas in quodam *Summæ* suæ articulo disputat, *an quis debeat esse sollicitus futurorum?* ubi quidem prima facie videri poterat, ipsum affirmative respondere debuisse, siquidem Sapiens nos monet, *Prov.*, vi, 6, dicens : *Vade ad formicam, et considera vias ejus.* Ad hæc, sollicitudo in providendo et prospiciendo futuris, pars est prudentiæ; Christus ipse in collegio Apostolico eleemosynarum custodiam Judæ in manibus concredidit, *Joan.*, xii, 6; et tamen S. Thomas hanc statuit conclusionem : « Debet quis temporibus « debitis de futuris sollicitari, non autem præter « tempora debita, » juxta illud, *Eccle.*, viii, 6 : *Omni negotio temporis est opportunitas*; « quod non « solum, » inquit S. Thomas, « in exterioribus « operibus, sed in exteriori etiam sollicitudine « locum habet; » quodlibet enim tempus propriam sibi sollicitudinem vendicat; in æstate de messe, in autumno de vindemia curatur; quod si quis eo tempore, quo ex messe allatum frumentum in granarium deportatur, de vindemia anxius esset, « superflue præoccuparet futuri temporis solliciti- « tudinem, » quæ vitiosa est, et in Evangelio reprehenditur. Cæterum, quod servi Dei futuras necessitates prudenter prævidentes, iisdem consulant, non condemnatur : « Non ergo Dominus « improbat, si quis humano more ista procuret, « sed si quis propter ista, Deo non militet; » idem Angelicus Doctor eamdem sollicitudinem ex aliis quoque capitibus reprehensibilem esse dicit dum ait : « Esset inordinata futurorum providentia vel « sollicitudo, si quis temporalia, in quibus datur « præteritom et futurum, tanquam fines quæreret; « vel si superflua quæreret, ultra præsentis vitæ « necessitatem; vel si tempus sollicitudinis præoc- « cuparet. »

4. — « Comedere et bibere, » inquit Theophylactus, « non prohibet; dicere autem *quid comede- « mus*, prohibet, sicut dicunt divites vesperi : *quid « comedemus mane?* Vides, quod delicias et luxus « prohibet. »

5. — Cyprianus ad illa Dominicæ orationis verba se reflectit, quibus Dei Filius nos æternum Patrem pro regno suo consequendo rogare docet : *Adveniat regnum tuum*, post hanc vero propositionem, statim subjungere præcipit : *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*; at vero inquies : cur hanc petitionem tanta cum limitatione præscribit, ut scilicet victum corporalem quotidianum, de die in diem postulemus, atque insuper addit : *Hodie?* Respondet igitur : « Discipulus Christi diurnum debet « cibum petere, nec in longum desideria petitionis « extendere; » et ratio est, quia qui nos, quoad consecutionem regni cœlestis avidos ostendimus in præcedenti petitione, sustentationem hujus vitæ præsentis, quæ a cœlestis regni possessione nos impedit, non nisi de hora in horam petere debemus : « Contrarius sibi fit et repugnans, ut quæra- « mus in sæculo diu vivere, qui petimus, velociter « regnum Dei advenire. »

6. — Ex alia quoque ratione cavendum est, ne inquietemur, petendo a Deo per diffidentiam necessaria pro tempore futuro; quia ut D. Chrysostomus super illa verba, *panem nostrum quotidianum*, etc., dicit, « ut nequaquam illos ulterioris diei cura « contereret, cujus enim diei spatium visurum te « esse nescis, quam ob causam, illius sollicitudine « torquearis? » S. Gregorius Nyssenus dicit : « Pulchra est adjectio dictionis *hodie*, ut discas per « ea, quæ dicis, quod diaria ac quotidiana sit vita « hominis. »

Additio.

a. — *Nolite ergo solliciti esse dicentes : Quid manducabimus*, etc. Noli homo, inquieta sollicitus avaritia, opes providendo gemere; noli laborare caduca præparando, quia prandii tui semper et ubique, Deus præparator assistit. Quis rex devotis militibus suis debitam non procurat annonam? Quis dominus fidelibus servis suis justa cibaria non ministrat? Quis pater non dat panem filiis? Si ergo nobis Deus et Rex, et Dominus, et Pater est, quid negabit? ait S. Petrus Chrysologus, *Serm.* CLXIII, sic pergens : « Stipendiis suis militans derogat « miles regi, sumptibus suis viveus dominum ser- « vus accusat, pro se sollicitus filius culpat super- « stitem patrem. Noli ergo, o homo, explodere « Deum pro te taliter cogitando, qui et justitia « regnantis, et dominantis studio, et generantis « affectu, in se totam tui recepit sollicitudinem, « refudit et curam dicendo : *Nolite solliciti esse.* » Verum ut prudenter observat S. Cyprianus, *de Orat. Dom.* VIII, de iis hanc gerit sollicitudinem et providentiam, qui Deum toto corde quærunt, nec deserunt, dicens : « Quærentibus regnum et justi- « tiam Dei, omnia promittit apponi. Nam cum Dei « sint omnia, habenti Deum nihil deerit, si Deo « ipse non desit. » Dum vero homo de temporalibus nimium sollicitus est, vere Deo deest et diffidentiæ peccatum incurrit, ut ex prædictis S. Chrysologi similitudinibus, de milite et servo colligere est. Unde mirum non est quod similibus de Dei providentia diffidentibus summa inopia et fames oblingat; fames enim, sterilitas et annonæ caritas peccatorum effectus sunt. Quam enim uberem messem subministrabit Deus ei, qui de ejus providentia gentiliter hæsitat, atque peccatis Deum offendit. Idem ille Deus, qui postquam incarnatus fuit, de semetipso dixit : *Pater meus agricola est*, protoparentes nostros, legem suam temere transgressos, terræ sterilitate punire voluit; siquidem post peccatum commissum homo prævaricator audire debuit : *Maledicta terra, spinas et tribulos germinabit tibi.* Sic quoque Cain post commissum scelus fratricidii, eadem fuit pœna multatus, dicente Deo : *Maledictus eris super terram; cum operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos.* Id est, ut Cajetanus exponit : « Non respondebit secundum vim suam, « fructificando tibi colenti illam; » quæ non parva pœna est agricolæ.

VERSUS 32.

Hæc enim omnia gentes inquirunt; scit enim Pater vester, quia hic omnibus indigetis.

Hæc enim omnia gentes inquirunt.

1. — Ad depellendam a nobis hanc anxiam curam, efficax sane motivum est, quod hic adducit, dum illam ad gentes pertinere ait. Glossa dicit : « Quid ergo amplius habet a gentili, cujus infideli- « tas animum sollicitat, et curis vitæ hujus fatigat? « Gentes hoc faciunt, quibus de futuris cura non « est; sed filiorum est quærere regnum. » Dionysius Carthusianus hujus rationem reddit, dum ait : « Cum sollicitudine animi Gentiles inquirunt, qui « divinam providentiam vel negant, vel non atten- « dunt, præsertim quoad hæc inferiora, » dicentes illud Psalmi LXXII, 12 : *Quomodo scit Deus, et si est scientia in excelso*; atque ideo omnem curam suam in hujus præsentis vitæ felicitatibus procurandis positam habent. « Cum meliora ac veriora bona « ignorent, » inquit Jansenius, « ista potissimum « inquirunt, a quorum moribus dissimillimos esse « convenit eos, qui in filios sunt adoptati, Dei « cognitione jam donati, et ad cœlestia bona vocati. « Gentes, » inquit Albertus Magnus, « quæ ignorant « Deum, » idem præter hanc gentium cæcitatem et ignorantiam, aliam insuper ipsorum detegit stultitiam : « Putant hominem non ad aliud crea- « tum, nisi ut sua industria hic ad tempus vivat. » Auctor Imperfecti, *Hom.* XVI, alium ipsorum errorem revelat, dicens : « In rebus humanis fortunam « esse credunt, non providentia, neque judicio Dei « vitas suas gubernari æstimant, sed incerto duci « eventu, ideo merito timent, merito solliciti sunt « et desperant; quasi qui neminem habeant guber-

ut, qui ad regna aspirant, læsæ majestatis rei condemnentur ad mortem; sed contrarius mos obtinuit nos inter et Deum, omnis enim et solus ille inimicus Dei esse denuntiatur, pœnaque æterna dignus, qui non ambit nec sequitur regnum ejus : hoc enim supremus artifex pro nobis fabricavit : *Possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. Complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* Idem quoque regnum quotidie a Patre suo petere nos docuit : est nostrum velut debita nobis hæreditas : *Adveniat regnum tuum.* Similiter quia semen gloriæ et beatitudinis est divina gratia, et hæc regnum illud animabus nostris infudit : *Regnum Dei intra vos est :* hinc est, quod nos regnum illud non cum formidine aut timide, sed potius audacter quasi modo imperativo peteremus : *Adveniat regnum tuum.* Psalmista, *Psal.* XXVI, 4, ait : *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut habitem in domo Domini, omnibus diebus vitæ meæ.* S. Christi Præcursor in primo suo sermone, de hoc regno thema suum desumpsit : *Appropinquavit regnum cælorum;* quo etiam themate Dominus in prima sua concione usus fuit, imo quocumque ibat, primo omnium loco, hoc regnum nuntiabat, *Matth.*, IV, 23 : *Circuibat Jesus totam Galilæam prædicans et docens Evangelium regni;* prima enim vice, quam Apostolos docuit, ut *Matth.*, V, 2 et 3, legitur : *Aperiens os suum docebat eos, dicens : Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum,* et sic deinceps octo beatitudines prosecutus fuit; post resurrectionem suam, quadraginta diebus in terra commoratus, nihil adeo cordi habuit, quam ut suos in hujus regni desiderium accenderet, *Act. Ap.*, I, 3 : *Per dies XL apparens eis et loquens de regno Dei.*

3. — Divus Chrysostomus, *Hom.* II *in Genes.*, optime considerat, Creatorem in hac mundi machina fabricanda, modum observasse contrarium illi, quo alii architecti tui solent : « Deus præter « humanum morem suum perficiens ædificium « prius cœlum extendit, postea et terram subster- « nit; prius culmen, postea fundamentum; » id quod Spiritus Sanctus, qui Spiritus est veritatis, in primis Sacræ Scripturæ verbis testatur inquiens : *In principio creavit Deus cœlum et terram,* nec incongrue, nam sicut in quavis fabrica erigenda, pro fine non fundamenta habemus, sed tectum et interiora domus penetralia, quæ nos ab aeris inclementia tuentur et defendunt, ita quoque Deus, dum hanc totius universi fabricam erigeret, oculos nostros non in terram, quam velut exilii nostri locum produxit, dirigi voluit, sed in cœlum, quod in perpetuam mansionem nostram creavit. Cœlum empyreum inter omnia creata primum opus fuit, quod ab Omnipotentis dextra manavit, ut inde cognosceremus, hoc habitationem nostram esse debere, non terram; imo ad hoc, ut amorem et affectum nostrum ab hac terra averteret, Spiritus Sanctus immediate prædictis verbis subjunxit : *Terra autem erat inanis et vacua, et tenebræ erant super faciem abyssi.* Quare putas, incarnatam Sapientiam nos docuisse in oratione quotidiana, prius regnum cœleste petere : *Adveniat regnum tuum,* postea vero panem, id est, bona temporalia sollicitare : *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie?* certe non ob aliam causam, quam ut nobis indicaret, cœlum a nobis præ quavis alia re, omni cum cura prosequendum et quærendum esse, et postea illa, quæ terrena sunt.

4. — Paulus de Palatio super hæc verba ita scribit : « Nihil dici potuit excelsius, quam regnum « Dei, ut nescias, quid mirere prius, aut Dei « largitatem, qui in regnum suum, hominem « adsciverit; aut hominis stuporem, qui ad tantam « promissionem languet, nihilque movetur. » Etenim hæc est misera hominum conditio, quod, cum de terrenis regnis acquirendis agitur, totus mundus ab iis susque deque vertatur, imo pro uno terræ palmo assequendo sæpe cœlo renuntiare non dubitent. Creator, licet in campo Damasceno corpus e terra plasmaverit, attamen dum illud spiritu oris sui animavit, animam ad gloriam consequendam creatam, ei infundendo, corpus illud cœlum versus elevatum esse voluit, modo nimirum aliis animalibus contrario, quem faciem suam terram versus directam habent. Audite obsecro, quam graviter idipsum S. Bernardus hominibus exprobret, *Serm.* XXIV *in Cant.* : « Quid indecentius, quam curvum « recto corpore tenere animum? perversa res est et « fœda, luteum vas, quod est corpus de terra, oculos « habere sursum, cœlum libere suspicere, cœlo- « rumque luminaribus oblectare aspectus, spiritua- « lem vero cœlestemque creaturam, suos e contra « oculos, id est, internos sensus atque affectus « trahere in terram deorsum. »

Primum.

5. — Certum quidem est, quod, ex quo de terra plasmati sumus, atque in hoc exilio corpus hoc mortale per necessarium victum et amictum nutrire et tegere debemus, bonis hisce temporalibus indigemus; attamen error et inordinatio nostra in eo consistit, quod prius bona terrena et postea, forsitan etiam nec postea quidem, cœlestia quæramus. S. Augustinus super illa verba *Psal.* IV, 6 : *Sperate in Domino; multi dicunt, quis ostendit nobis bona,* dicit : « Ea tantum diligenda sunt bona, quæ ad inte- « riorem hominem pertinent, cæteris autem ad « necessitatem tantum utendum, non ad gaudium « perfruendum est. » Terram Deus nostris substravit pedibus, ut conculcaremus, magisque eam oderimus; in ejus centro infernum collocare voluit, cum sit elementum omnium infimum; quæ igitur est hæc inordinatio nostra, quod illam cœlo præferamus?

6. — B. Humbertus ait : « Naturæ ordinem hic « pervertit qui terram super omnia diligit, quam « inter elementa Creator rerum, infimam ordi- « navit. » Glossa inquit : « Cum dicit *primum,* « significat hoc posterius non tempore sed digni- « tate; illud petendum est, hoc propter illud « necessarium; ergo *primum quærite regnum Dei,* « id est, præponite omnibus cæteris rebus. »

7. — Hugo Cardinalis tria bonorum genera distinguit : « Æternum, spirituale, temporale; pri- « mum est maximum bonum, secundum minus, « tertium minimum; dicit ergo : *Quærite primum,* « id est, primo vel principaliter primum, quod est « inter alia primum; *Regnum Dei,* hoc unum cum « sollicitudine est quærendum; *quærite,* id est, ad « quærendum attendite. » Idipsum diu ante S. Anselmus super eadem verba scripserat, dum ait : « De temporalibus non debetis esse solliciti, sed de « cœlestibus et hoc est, *quærite regnum Dei* sicut « principale, sicut illud quod finis est, ad quem « tenditur, *quærite* hoc *primum,* id est, præponite « cæteris rebus regnum Dei. » Jansenius vocem *primum* ita exponit, ut sensus sit : « Ante omnia, « non tempore, sed dignitate, hoc est, maxime et « præcipue quærite; » modum quoque id adimplendi subjungit, dum ait : « Quid tum fit, cum ita « regnum Dei præponimus cæteris rebus, ut reli- « qua ad vitæ hujus sustentationem necessaria non « quæramus, nisi propter regnum Dei. »

8. — Scala Jacob bona hæc creata nobis repræsentat, secundum varios hominum gradus; sicuti igitur scalam hanc Angeli quidam descendebant, quidam ascendebant, ita quoque bonis hisce temporalibus homines utuntur, secundum varios ipsorum status, vocationes et professiones; ex hominibus enim alii spectant ad vitam activam, alii ad contemplativam; alii scientiis, alii laboribus insudant, alii Reipublicæ, alii familiæ regimini incumbunt. In hujus autem scalæ gradibus figurantur honores, divitiæ, sanitas, amicitia, salus animæ et quidquid a Creatore boni vel pulchri productum fuit; sed ubi pro Deo in hac scala locum inveniemus, in qua ejus parte ipsum locabimus? Pro resolutione hujus notandum, quod Jacob Deum in supremo scalæ vertice viderit : *Dominum innixum scalæ;* quod si scalam hanc ascendere et naturæ, fortunæ ac gratiæ donis frui velimus, felices erimus : si tamen primum in hac scala locum Deo dederimus, non vero illum scalæ pedibus substraverimus, non prohibemur bona hæc temporalia quærere, sed hæc regno Dei anteponere.

9. — Regius Vates optime nos docet quænam nobis esse debeat hac de re sententia, dum ait, *Psal.* LXXIII, 25 : *Quid mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram? Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum.* S. Bonaventura, *Serm.* II *in Dom.* III *post. Pent.*, ait : « Creatura non ob aliud perni- « ciosa est amatori, nisi quia præponitur Crea- « tori. »

Regnum Dei.

10. — Non jubet ut regna terræ quæramus, sed regnum Dei nos quærere præcipit, illa enim instabilia sunt et sicut cum anxietate, sollicitudinibus et difficultatibus insuperabilibus acquiruntur, ita pariter cum inquietudinibus et perturbationibus continuis possidentur. Innocentius III qui id, quod reipsa expertus fuit, scribit, cum de contemptu mundi tractat, ita disserens : « Sed esto, quod « sublimetur in altum, statim curæ succrescunt, « sollicitudines cumulantur, vigiliæ producuntur; » verum quidam est, purpuram propriam esse regum vestem; at vero, ut S. Ambrosius ait : « Quid pur- « puram memorem, quæ regum amictus imbuit? » sanguis quo hæc lana tingitur, ex pisce exprimitur, qui non nisi inter procellosas maris undas capitur, in quibus Magnatum sollicitudines denotantur : « Aquarum est igitur, quod in regibus « adoratur, aquarum est species illa, quæ fulget. » Nullus est pannus, qui blattis et tineis magis subjectus sit quam purpura, ut inde doceamur, quod sceptra et imperia magna annexa habeant fastidia, inquietudines, anxietates; at vero in eo, quod est regnare cum Deo animam suam invenit quietem, suum gaudium et omnimodam satisfactionem in hoc regno habet. Tria sunt illa S. Augustini verba : « Creasti nos, Domine, ad te, et inquietum « est cor nostrum, donec requiescat in te; » tunc et non prius Ecclesia quietem animæ annuntiat, quando primum huic regno pedem intulit, tunc primum dicit : *Requiescat in pace.* Mundi hujus dignitates appetitum nostrum non satiant, sed potius magis magisque accendunt. David, qui ex statu pauperis pastoris ad supremos honores ascendit, regnumque non modo Israeliticum, sed et plurimum aliarum provinciarum sibi comparavit, confessus est, se minime contentum fore, donec ipsi in beatum illud Regnum aditus concederetur, *Psal.* XVI, 15 : *Satiabor, cum apparuerit gloria tua.*

Et justitiam ejus.

11. — « Est autem justitia Dei, » inquit Jansenius, « quia coram Deo justi sumus per fidem et « mandatorum Dei operationem. » Hugo Cardinalis ait : « Quærite oratione et opere et justitiam ejus; « ecce bonum spirituale, quod est via ad regnum. »

12. — Cajetanus ait : « Non possumus vere « quærere regnum Dei, nisi simul quæramus justi- « tiam ejus, hoc est, ea quæ sunt debita secundum « regnum ejus. »

13. — Experientia nos semper quotidiana docet, quod illi, qui servitio Dei totaliter vacant, ejusque obsequio penitus se dedunt, in cunctis necessariis melius semper provisi sint, quam illi, qui in sua

industria et anxietate confisi, bona sibi temporalia accumulare student; veritas est enim in pluribus Scripturæ locis repetita, *Psal.* XXXVI, 25 : *Junior fui, etenim senui,* inquit David; *et non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem*; idem pariter alibi dicit, *Psal.* XXXII, 16 : *Ecce oculi Domini super metuentes eum, et in eis qui sperant super misericordia ejus, ut eruat a morte animas eorum, et alat eos in fame.* Apostolorum Princeps populos fideles, Deo totaliter deditos animaturus, ne de divina ejus providentia diffiderent, his eos verbis hortatur, I *Petr.*, v, 7 : *Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quia ipsi est cura de vobis.*

14. — S. Bernardinus S. Francisci sequaces considerat, qui maximam et omnem possibilem paupertatem professus fuit, eamque per inviolabilem observantiam, instituta abs se religioni imposuit, et dicit : « Sui sequaces sunt *quasi omnia* « *habentes et nihil possidentes*; omnes laboratores « et mercatores, et artifices laborant pro fratribus « minoribus; nam qui mille mundos spernit, dona- « tur mille mundis. »

15. — Salvator, priusquam nos panem in oratione dominica petere docuit, Deum a nobis Patrem prius appellari voluit : *Pater noster, qui es in cælis*, ut nos tanquam veros ejus filios exhiberemus, *Mal.*, I, 6 : *Si ego pater, ubi est honor meus?* Et ideo mox nos ipsi laudum et gratiarum tributum solvere docuit : *Sanctificetur nomen tuum* : item sanctam ejus legem adimplere : *Fiat voluntas tua*; siquidem *in lege Domini voluntas ejus* : hunceque ordinem in dicta oratione ideo servavit, ut sciremus, tunc nos bona temporalia fiducialissime petere, nobisque promittere posse, si innocentes, legis observantes, Deique timore imbuti fuerimus.

Et hæc omnia adjicientur vobis.

16. — Mysterio non vacat verbum *adjicientur*. Lyranus ait : « Non dixit, dabuntur, sed *adjicien-* « *tur*, ut discas, quod præsentia nihil sunt ad magni- « tudinem futurorum. » S. Gregorius eadem verba ponderans, dicit : « Qui enim non ait : dabuntur, « sed *adjicientur*, profecto indicat, aliud esse, quod « principaliter datur, aliud quod superadditur, quia « enim nobis in intentione æternitas, in usu vero « temporalitas esse debet : illud datur et hoc nimi- « rum ex abundantia superadditur. » Idem quoque Sanctus majori hominum parti inordinationem suam exprobrat, quod scilicet sollicite petant, quod est accessorium, neglecto eo, quod est principale : « Et tamen, » inquit, « sæpe homines, cum bona « temporalia postulent, æterna vero bona non « requirant, petunt quod adjicitur et illud non « desiderant, cui adjiciatur. »

17. — Hugo Cardinalis pœnam et supplicia, ob id nos manentia, ob oculos nobis ponens, *Hom.* XXIII, dicit : « *Adjicientur*, non dabuntur, inquit, ne puten- « tur æquiparanda regno vel virtutibus, et non « dicit, quærenda esse, ne putentur terminus esse « humanæ viæ; *adjicientur* adjectivo modo non « substantivo; væ autem illis, qui faciunt de adjec- « tivo substantivum. »

18. — Chrysostomus similem fere observationem circa hæc verba habet : « Non dixit, » inquit, « dabuntur, sed *adjicientur*, ut scilicet discretis « horum, quæ in præsenti dantur, nihil esse « omnino magnum, si futurorum magnitudini « comparentur, et idcirco ne quidem illa jussit. »

19.— S. Anselmus Christum primo dixisse observat : *Scit Pater vester, quia his omnibus indigetis*, ac proinde non dixit : quia necessitatem nostram sciens, « ideo ipse, sponte adjiciet; notat, quod « dicunt, *adjicientur*, id est, superapponentur, quia « non sunt munus principale, sed superadditamentum; » denique idem S. Doctor concludit, Christum nobis insinuare voluisse, quonam in conceptu et æstimatione bona hæc terrena nobis habenda sint : « Ne petantur ut principalia, sed ut « viaticum, quo sustentantur homines in via. »

20. — Reliquum est, ut ad objectionem quamdam respondeamus, quæ nonnullam prima facie difficultatem secum subinfert; etenim Carthusianus, *in Matth.*, ait : « Nonne aliqui Martyres fame « extincti sunt, et multi justi maximas patiuntur « penurias? » S. Thomas auctoritatem S. Augustini adducens, dicit : « Objicit Augustinus de Paulo, « quia dicit : *In fame, et siti, et nuditate laboravi.* » Paulus de Palatio ad eumdem Paulum se reflectens, dicit : « At quis Paulo regnum Dei quæsivit vehe- « mentius? Hæc cum vident imperfecti, potius « sollicitudini suæ se committunt, quam promis- « sioni divinæ; » verum enimvero omnes, quæ a sacris Interpretibus ad prædicta loca adhibentur rationes, pro intento nostro efficaciter concludunt. S. Thomas cum S. Augustino respondens, dicit : « Sicut medicus aliquando abstrahit cibum et potum « infirmo, ut curet eum, sic Dominus, qui habet « providere, permittit hominem pati, vel ut cure- « tur, si curanda sint aliqua, vel ut alii exemplum « recipiant. » Dionysius Carthusianus ait : « Sæpe- « numero subtrahuntur prædicta electis, ad eorum « probationem et copiosius meritum. » Jansenius aliam adducit ponderationem, seria consideratione dignam, præcipue ad consolationem illorum, qui licet divino servitio totaliter sint dediti, nihilominus ex paupertate sua angustiati lamentantur; dicit igitur hic Auctor : « Non promittuntur temporalia, « nisi tanquam adjutoria salutis; proinde cum Deus « illa subtrahit, quod sic expedire saluti quorum- « dam judicat, non promissionem suam irritam « facit, sed diversa ratione eamdem salutis eorum « curam gerit; » adducitque similitudinem alicujus, qui, ut infirmum jumentum suum sanet, pabulum ei tollit ac diminuit, nec tamen ob id judicandus

est modicam illius curam habere, sed potius manifestum prodit sollicitudinis indicium, qua sanitatem ejus procurare satagit. Paulus de Palatio quærit, quis panis dicendus sit sapidior et substantiosior : « Quis dicet cibum habere, an is, qui cum cibo, « quem habet, dolet, an qui cum cibo, quo caret, « gaudet? Plane cibus quæritur, ut animus cibo « contentus sit; qui igitur fame contentus est, is « magis habet, quam qui cibo contentus esse nescit. « Hæc est igitur divina providentia, ut, si regnum « quæras, aut cibus tibi adjiciatur, aut, quod est « cibo majus, animus scilicet sua sorte contentus; » quibus igitur Deus non dat panem, patientiam donat et in egestate lætitiam. Tale erat donum S. Paulo communicatum, dum ait, *Phil.*, IV, 12 : *In omnibus institutus sum, et saturari et esurire, et abundare et penuriam pati*; unde idem Auctor subjungit : « Da tu mihi hunc animum, et ego « regias opes tibi relinquo. » Inter alias similitudines una est, quæ præsenti proposito nostro specialiter deservit, *Mat.*, v, 6 : *Beati qui esuriunt et sitiunt*; et *Luc.*, VI, 21 : *Beati, quia tunc saturabimini.* S. Paulinus panem illum nunquam hominibus deesse posse ostendit, qui de semetipso dicit : « *Ego sum panis vivus*; quid igitur a me famem « metuis, si fidem habes? Panis tuus tecum est, si « verbo Dei pasceris, non desiderabis escam ven- « tris, » et paulo post subjungit : « Nihil habemus « nisi Christum, et vide, si nihil habemus, qui omnia « habentem habemus. »

Additio.

a. — *Quærite ergo primum regnum Dei et justitiam ejus.* Hic merito finis noster esse deberet, et expediret illuc semper mentis oculos dirigere, regnumque hoc serio contemplari, ut inspectis ejus bonis, diligentes redderemur in illo nobis comparando, maxime cum ad illud possidendum creati simus. Enimvero, si forsitan quæsieris, ubinam locorum regnum istud a nobis quæri debeat, quod constat multis milliarium millionibus a nobis esse remotum : *Quis ascendet in cœlum?* Huic ego vobis ipsiusmet Christi Salvatoris nostri respondeo : *Regnum Dei intra vos est. Luc.*, XVII, 21. Verum dices fortasse, qua ratione fieri poterit, quod regnum cœlorum adeo vastum et immensum, in unica dumtaxat anima reperiatur? Ac proinde sciendum, quod sicuti is qui indubitatum jus habet, ut in regno aliquo succedat, rex communiter vocari solet, tametsi sceptrum regni illius actualiter non moderetur, ita quoque dici posse videtur, quod is qui gratiam Dei in anima sua possidet, quæ pignus quoddam et semen est gloriæ, regnum Dei quoque intra se habeat. Id quod S. Ambrosius opportune confirmat, dum super illa verba : *Adveniat regnum tuum*, ita scribit : « *Veniat regnum tuum*, quasi non « venerit; sed tunc venit regnum Dei, quando ejus « estis gratiam consecuti; ipse enim ait : *Regnum* « *Dei intra vos est.* » Profecto, prima facie accommodatius nos in oratione Dominica, dicere posse videri posset, si ita orassemus : Veniamus ad regnum tuum, quam si diceremus : *Adveniat regnum tuum* intra nos. Et tamen is qui *omnia in sapientia dixit et fecit*, optime nos docuit, quia nos ad gloriam adire nequaquam possemus, nisi prius illa in animam nostram illaberetur, illamque imbueret; illa, inquam, non reipsa, sed in pignore; non in flore, vel fructu, sed in semine. Semen autem gloriæ, gratia est, quæ appellatur gloria inchoata, sicut gloria, gratia consummata; vel etiam dicere possumus, quod quia adeo in gloria cœlesti acquirenda et ambienda pigri, desides et inertes sumus, ut opus esse videatur, ad hoc ut illa frui possimus, ut illa ad nos veniat, nobisque occurrat, id quod cum illo Apocalypseos textu optime consonat, in quo S. Joannes, *cap.* XXI, 2, sequentem visionem habuisse scribitur : *Vidi Jerusalem novam descendentem de cœlo a Deo, paratam sicut sponsam ornatam.* Etenim quod in illa visione Jerosolyma cœlestis instar elegantissimæ adornatæ sponsæ cujusdam, se videndam præbuerit, nihil in se mirum habet; hoc enim factum fuisse dicere possumus, ut hac illius speciositate, et eximio ornatu, major in nobis erga illam excitetur desiderii ardor, et vehementia affectus : at vero maxime notandus est modus et phrasis illa loquendi, dum ipsamet de cœlo descendisse, et hominibus velut obvia occurrisse dicitur : *Descendentem de cœlo*, quod bene cum illis verbis Lucæ, X, 9, consonat, ubi dicitur : *Appropinquavit in vos regnum cœlorum.* Ad hoc igitur ut nos gloriam cœlestem desideremus, et ad illam consequendam nos accingamus, opus est ut cœlitus nobis gratia Dei, dona et virtutes infundantur, ut in virtute gratiæ ad gloriam conscendere valeamus.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

DOMINICA QUINTADECIMA POST PENTECOSTEN

EVANGELIUM LUCÆ, CAP. VII, VERS. 11

11. Ibat in civitatem, quæ vocatur Naim, et ibant cum eo discipuli ejus et turba copiosa.
12. Cum autem appropinquaret portæ civitatis, ecce defunctus efferebatur, filius unicus matris suæ; et hæc vidua erat, et turba civitatis multa cum illa.
13. Quam cum vidisset Dominus, misericordia motus super eam, dixit illi : Noli flere.
14. Et accessit, et tetigit loculum; hi autem qui portabant, steterunt, et ait : Adolescens, tibi dico, surge.
15. Et resedit qui erat mortuus, et cœpit loqui, et dedit illum matri suæ.
16. Accepit autem omnes timor, et magnificabant Deum, dicentes : Quia Propheta magnus surrexit in nobis, et quia Deus visitavit plebem suam.

VERSUS 11.

Ibat in civitatem, quæ vocatur Naim, et ibant cum eo discipuli ejus et turba copiosa.

Ibat in civitatem, quæ vocatur Naim.

1. — Salmeron mysticam miraculorum Salvatoris seriem considerat, quia ne forte aliquis opponere posset, quod lepram, morbum natura sua incurabilem, verbo et tactu mundare, miraculum sit non valde considerandum, ideo paulo post miraculum edidit longe excellentius, servum Centurionis moribundum, etiam procul absentem, solo vocis suæ imperio sanando; denique, ne quis calumniari posset, quod, si hic mortuus fuisset, nequivisset illum revocare ad vitam, præsens operatus est miraculum, viduæ filium mortuum resuscitando : « Et hoc minime rogatus, ut ostenderet se Domi« num vitæ et mortis. »

2. — Jansenius *Naim* civitatem quamdam parvulam fuisse scribit, adeoque Filii Dei admiratur benignitatem, qui hoc prodigium edidit : « Volens « etiam hanc, quamvis humilem et obscuram, præ« sentia sua, doctrina et miraculis illustrari. »

3. — Haymo in sensu morali dicit : « Naim motus « vel commotio » interpretatur, et ideo mundum significat, qui mari assimilatur, quod in continuo motu existens, agitatur a ventis, et continuo subjacet fluxui et refluxui : *Hoc mare magnum*. In hac sensuum et appetituum nostrorum commotione, animæ ad mortem usque infirmantur, *Isa.*, LVII, 20 : *Impii quasi mare ferveus, quod quiescere non potest.*

4. — In textu Hebraico, ut videre est apud Cornelium a Lapide, *Naim* idem est, quod « jucunda, « decora, delectabilis, » in hoc igitur loco extinctus est hic juvenis, quia deliciæ et voluptates, ut plurimum, magnes quidam sunt infirmitatum; sic filius Reguli ad mortem infirmabatur in Capharnaum, quæ dictio juxta Hugonem Cardinalem interpretatur : « Villa consolationis et pinguedinis, » et per hanc « denotatur causa morbi, id est, peccati; « scilicet abundantia temporalis. » Et ideo quod Apostolus de vidua quadam dixit, nos quoque de qualibet anima christiana asserere possumus : *Quæ in deliciis est, vivens, mortua est.* I *Tim.*, v, 6.

Et ibant cum eo discipuli ejus.

5. — Albertus Magnus inquit : « Ut ex factis « Domini exemplum acciperent, ut apud Dominum « pro petentibus intercederent. » Debebant ipsi etiam discipuli, post Christi in cœlos ascensionem, ad imitationem Magistri sui, variis mundi partibus vestigia imprimere beneficentiæ et prodigiorum suorum, a se patrandorum; vel etiam cum Salmerone dicere possumus : » Ut stellæ quædam nobis » solem sequi videntur, ita discipuli Christum; et « ut dicitur in *Prov.*, XIII, 20 : *Qui cum sapientibus « graditur, sapiens erit.* »

6. — « *Discipuli ejus,* » ait Albertus Magnus in sensu spirituali, « sunt omnis congregatio beato« rum. »

7. — Didacus Stella scribit : « Observa, quod » prius eunt discipuli, et statim post illos turba « multa, et non id mysterio vacat, nam quando « Prælati Ecclesiæ priores Christum sequuntur, « statim post illos sequuntur subditi et inferiores. »

Et turba copiosa.

8. — Lyranus tradit, Christum ab hac sequaci voluisse stipari multitudine, ut supra hujus miraculi spectatrix et testis oculata fieret. Glossa in eodem quoque sensu ait : « Multi cum Domino et « multi cum vidua, ut viso miraculo multi Dei lau« datores et testes fierent. »

9. — Dionysius Carthusianus in turba viros, mulieres, pueros et senes fuisse notat : « Nam « propter Christi sapientiam, eloquentiam, sanc« titatem et præcipue propter incomparabilem « excellentiam suam in operationibus miraculo« rum, plurimi sequebantur eum. » Salmeron aliquos illorum, Christum secutos fuisse existimat, ut sanarentur ab infirmitatibus suis, alii ut se per sequelam suam gratos exhiberent pro beneficiis receptis, alii per ejus sapientiam, alii per curiositatem allecti : « Et Christus omnes virtute sua trahe« bat, ut testes essent tanti miraculi et suscitarentur « in anima spiritualiter. »

Additiones.

a. — *Ibat Jesus in civitatem quæ vocatur Naim.* Naim erat Galilææ civitas non valde magna, prope Capharnaum, consistens ad radices montis Hermon, in latere aquilonari, quam torrens Lison alluit, distans a monte Thabor duobus milliaribus. *Naim*, ut docent Haymon et Hugo, interpretatur motus, vel motio. Accommodatius tamen dicemus cum Barrado et Cornelio a Lapide, quod *Naim* hebraice idem sit quod pulchra, decora, jucunda, delectabilis. Nunc vero in civitate hac tam jucunda, tam amœna, adolescentis hujus mors accidit, qui etiam in flore suæ ætatis cecidit, quando fertilitate loci frui incipiebat, in manifestum argumentum quod hujus sæculi voluptates et deliciæ vix capiuntur ac degustantur. Omnis enim mundi consolatio est ficta, apparens, instabilis, mœrore perfusa et remorsu. Israeli terram promissionis possessuro, Deus ad nostram instructionem dixisse scribitur : *Terra ad quam ingrederis possidendam, non est sicut terra Ægypti, de qua existi. Deuter.*, XI, 10. Quæ igitur Palestinam inter et Ægyptiacum solum erat differentia? Ecce vobis : *Ubi jacto semine, in hortorum morem aquæ ducuntur irriguæ.* Ægyptum namque cœlestes non recreabant pluviæ, sed per artificiales aquæductus. Nilus, paludes, aliæque fossæ dirigebantur per agros. Ast terra Chanaan, *de cœlo expectans pluvias, quas Dominus Deus tuus semper invisit; et oculi illius in eo sunt a principio anni usque ad finem ejus.* Ecce vobis differentiam inter veras consolationes spiritus, quas Deus suis et fictas falsasque quas suis mundus impertit sequacibus; hi consolationes, gustusque suos, in turbidis sensualium voluptatum undis, in vindictis, in avaritia, in crapula, in ebrietate, in pompa, in fastu humano et ludis quærunt : *Foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas. Et nunc quid tibi vis in via Ægypti, ut bibas aquam turbidam? Jerem.*, XV, 18. Servi autem Dei, quibus terra promissionis, paradisiacarum dulcedinum, lacte et melle fluens promissa est, *de cœlo expectans pluvias*, hi stabiles, verasque suas in Deo fundarunt lætitias, nullas nisi dependenter a Deo admittentes consolationes, quemadmodum Philippenses his verbis adhortabatur Apostolus, *Phil.*, IV, 4 : *Gaudete in Domino semper, iterum dico, gaudete : Dominus enim prope est.* S. Hieronymus ad Licinium scribens, citatæ quodammodo æqualem statuit differentiam dum Pentapolim Jerosolymæ opponens, dicit : « Ne « campestria cum Loth et amœna hortorum diligas, « quæ non irrigantur de cœlo, ut terra sancta, sed « de luluoso flumine Jordanis. » Et S. Augustinus ait : » Quale gaudium potest habere conscientia » illa, in cujus anima multis vitiis occupata, potius « diabolus probatur habitare quam Christus? »

b. — Civitas hæc non incongrue animam nostram præfigurare potest, cujus nomen est Naim, id est, pulchra seu formosa, facta est enim ad imaginem et similitudinem Dei. Adeo excessiva est, ob divinæ similitudinis rationem animæ pulchritudo, ut inimicus infernalis eadem allectus, illam omni conatu possidere satagat. Unde Origenes ait : « Vide cujus « decoris, cujus pulchritudinis est anima, quæ « imaginem habet et similitudinem Dei. Hanc pul« chritudinem contrariæ potestates cum aspiciunt, « id est, diabolus et angeli ejus conspiciunt spe« ciem ipsius, qui quia non possunt sponsi ejus « fieri, meretricari cupiunt cum ea. » Similitudo autem quam anima cum Deo habet, hæc sola est quæ tantam ei pulchritudinem conciliat, eaque in divina charitate consistit. Unde S. Bernardinus de ipsa dicit : « Si charitate anima privatur, defor« mis est. Charitas est animæ pulchritudo, sicut « ignis pulchritudo carbonis, qui cum est ignitus, « splendidus est et pulcherrimus, ignique similli« mus. » Dæmon autem divinum hunc ignem in nobis extinguere ejusque loco suum in nobis ignem accendere satagit.

c. — Civitas Naim, quæ est anima nostra, tunc vere in se defunctum quemdam habet, quando illa pulchritudo et similitudo quam habet cum Deo, per peccatum perditur. Ille vero defunctus tunc effertur, quando per confessionem emundata, rursum pulchra et decora apparet in conspectu Dei. Nimio peccatorum suorum pudore ductus, nobilis quidam Romanus S. Philippo Nerio generalem detrectans vitæ suæ facere confessionem, eamdem apud alium Sacerdotem rite cœpit et perfecit. Quo facto ad S. Philippum reversus, hoc ab eo recepit responsum : Etiamsi tua mihi peccata confessus non fueris, singula nihilominus Deo revelante didici. Moxque idem Sanctus subjunxit : Faciem tuam mutasti, optimam indutus formam; id quod Sanctus peccatoribus dicere solebat, a peccati ad gratiæ statum reversis. Hæc autem interna animæ venustas in exterioribus quandoque relucere solet, id quod serena, nimiumque jucunda multoties evincit servorum Dei facies et figura, *Isa.*, I, 16 : *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum, inquit Dominus.* « Non corporis ablutionem, » ait S. Laurentius Justinianus, « sed animæ, Dominus « commendat, præcipitque munditiam; aqua nam« que corporales abolet maculas, spirituales vero « delictorum confessio salutaris. » Experientia

teste quotidiana, eo facies nostra mundior est atque venustior, quo abluitur frequentius. « Eo quo- « que facies animæ, » subdit idem Sanctus, « fit « mundior, quo magis abluitur; » ideoque præ cæteris Deo dilectæ, atque immaculatæ animæ confessionem maxime frequentare assolent, *Psal.* XCV, 6 : *Confessio et pulchritudo in conspectu ejus, sanctimonia et magnificentia in sanctificatione ejus.* Necdum tamen a totæ faciei allusione digressus beatus, ita prosequitur discursum : « Sordes quippe « corporis aqua, cordis autem contritio diluit « et confessio. »

d. — Haymo Episcopus, nomen civitatis *Naim*, in morali sensu explicat et dicit : « *Naim*, motus « vel commotio interpretatur, ideo mundum signi- « ficat qui mari assimilatur, quod in continuo motu « existens, agitatur a ventis et continuo subjacet « fluxui et refluxui : *Hoc mare magnum et spatio- « sum. Psal.* CIII, 25. » S. Antonius de mari dicit : « Continuo fluctuat, plus tamen et minus, secun- « dum tempora varia, propter quod dicit, *Psal.* « XCII : *Mirabiles elationes maris.* Sic homines. « Mundi fluctuant continuo diversis affectibus et « passionibus. Aliquando in altum ascendunt digni- « tatis. Aliquando descendunt in profundum dejec- « tionis et vilitatis. *Cor impii quasi mare fervens « quod quiescere non potest.* » S. Joannes Damascenus in discursu, quem Barlaam ad Josaphat proposuit, ita ipsum discurrisse dicit : « Animadverte quem- « admodum tyrannus hic ac turbulentus mundus « homines tractet; eos nimirum hue atque illuc « invertens, hoc scilicet ex opibus ad egestatem, « illos rursus ex gravissima paupertate ad gloriam. « Hos e vita ducens; illos rursum eorum loco in « vitam inducens. Sapientes quosdam et ingeniosos « veros improbans, ac rejiciens, eosque qui in « honore et splendore erant, contemptos et despi- « cabiles reddens. Alios contra insipientes ac « stolidos in gloriæ thronum collocans, eosque « qui abjecti et obscuri erant, ita vehens ut ipsis « ab omnibus honor tribuatur. » S. quoque Augustinus, in sermone quodam aliam quamdam mundanorum consideral inquietudinem, inquiens : « A vobis temporalia nec sperari aliquando desinunt « et tamen crebro sperata vos fallunt; nec cessant « vos inflammare ventura, corrumpere venientia, « torquere transeuntia. Nonne ipsa sunt quæ con- « cupita inardescunt, adepta vilescunt, amissa « vanescunt? »

e. — *Naim* hebraice idem est quod pulchra. Unde Noemi socrus Ruth, defunctis filiis ac marito, flens dicebat : *Ne vocetis me Noemi, id est, pulchram, sed vocate me Mara, quia amaritudine valde me replevit Omnipotens. Ruth.*, I, 20. Tantus ergo matris luctus contigit in hac civitate tam jucunda et amœna, ut acutior esset dolor, quam si accidisset in alio loco agresti, ac rusticano; maxime enim animus cruciatur consideratione ac visione alicujus boni, quod perdit, ac amittit. Hic reflecte mentem ad pœnas damnatorum, quæ multum augebuntur propter invidiam, qua exagitabuntur ob beatorum gloriam, de tanto bono amisso perpetuo dolentes. *Sap.*, V, 2 : *Videntes turbabuntur timore horribili, dicentes intra se, et præ angustia spiritus gementes : Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum, et in similitudinem improperii. Nos insensati! vitam illorum æstimabamus insaniam. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter Sanctos sors illorum est.*

Versus 12.

Cum autem appropinquaret portæ civitatis, ecce defunctus efferebatur, filius unicus matris suæ, et hæc vidua erat, et turba civitatis multa cum illa.

Cum autem appropinquaret portæ civitatis.

1. — Hoc miraculum juxta portas urbis patrare voluit, ut tanto facilius propagaretur, olim enim juxta portas publici celebrabantur mercatus, considebant judices, causæ agitabantur, ipsaque tribunalia aperta erant.

2. — Venerabilis Beda a Glossa citatus in sensu allegorico ait : « Cum Verbum caro factum, genti- « lem populum per portas fidei ad cœlestem Jeru- « salem induceret, ecce Judaicus populus minor « propter perfidiam, defunctus affertur, quem ma- « ter Ecclesia, nil in mundo quasi proprium possi- « dens, multis populorum turbis circumsepta, a pio « affectu plorat et ad vitam piis lacrymis revocare « laborat. »

3. — Didacus Stella in sensu morali dicit : « Portæ civitatis appropinquat, quia porta, per « quam egreditur mors, ingredietur vita, nam con- « sensu voluntatis mortuus es in peccatis et eodem « consensu resipiscere debes et idcirco sine con- « tritione, postquam peccasti, salvus fieri non « potes. »

4. — Venerabilis Beda pariter in sensu morali, per hanc portam sensus nostros intelligit, quibus mediantibus aditum in animam habet mors spiritualis : « Porta civitatis qua defunctus efferebatur, « puto aliquem de sensibus esse corporis, qui enim « seminat inter fratres discordias, qui iniquitatem « in excelso loquitur, per oris portas extrahitur « mortuus. »

Ecce.

5. — S. Antonius de Padua ait : « Nota, quod « *ecce* est adverbium admirationis; » Dionysius Carthusianus, licet ad aliud propositum, dicit : « *Ecce* « ait Evangelista, id est, advertite, considerate, « attendite; » etenim compassione dignum spectaculum erat, videre exstinctum juvenem quemdam

matris viduæ unicum filium, in optimo annorum flore deferri ad sepulchrum; ecce ubi nostræ terminentur delectationes! ætas floridissima, parentum deliciæ, spes familiæ, in feretro claduntur omnia.

6. — Videtur etiam, Evangelistam hac dictione dicere voluisse, eventum hinc inexpectatum fuisse, verumtamen quod nobis casus videtur esse fortuitus, sapientiæ Dei, divinæ est providentiæ scopus. Titus Bostrensis ait : « Factum est hoc non casu, sed « summo judicio summaque sapientia, » etenim Christus in hoc itinere, unum intendebat resuscitare corporaliter, sed spiritualiter innumeros, prout ex ultimis Evangelii verbis colligitur.

Defunctus.

7. — Tametsi ut omnes sacri Doctores communiter attestantur, Filius Dei, quod in terris nobis convixit, multis defunctis vitam restituerit, « tres » attamen « mortuos, » inquit S. Augustinus, « inve- « nimus a Domino resuscitatos visibiliter, millia « invisibiliter; mortuos autem quot visibiliter sus- « citaverit, quis novit? » de tribus tamen mortuis solum distinctam in Scripturis memoriam remanere voluit; nimirum de Lazaro, filia Archisynagogi et hoc filio viduæ; hunc foris extra domum suscitavit, filiam in domo, Lazarum in sepulchro. *Omnia in figura contingebant*, in his namque defunctis, varii eorum qui spiritualiter pereunt, status repræsentantur. S. Augustinus ait : « Sicut tribus gradibus « ad peccandum pervenitur, suggestione, delecta- « tione, consensu; ita ipsius peccati tres sunt dif- « ferentiæ, in corde, et facto, et consuetudine, « tanquam tres mortes; una quasi in domo, id « est, cum in corde consentitur libidini; altera jam « prolata quasi extra portam, cum in factum pro- « cedit assentio; tertia, cum vi consuetudinis malæ « tanquam mole terrena premitur animus, quasi « in sepulchro jam patiens; quæ tria mortuorum « genera, Dominum suscitasse quisquis Evangelium « legit, agnoscit. » S. Ambrosius ait : « Adam de « terra portatur a quatuor elementis, unde homo « constat; » hæc enim quatuor omnem hominem, in via hujus præsentis vitæ, portant ad mortem; hæc vita nostra nihil est aliud quam continua mors quædam. Sic enim Apostolus eam nominat, *Rom.*, VII, 24, dum ait : *Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis hujus.* Idem S. Ambrosius, *de bon. mor.*, IX, ait : « Ista regio plena est « mortuorum, quia plena delictorum, meritoque « dictum est : *Relinque mortuos sepelire mortuos « suos.* An non mortuorum hæc regio, ubi umbra « mortis, ubi porta mortis, ubi corpus est mor- « tis? » S. Augustinus, *lib. IV conf.*, XII, similiter in Confessionibus suis dicit : « Vitam beatam quæritis « in regione mortis? Non est illic, quomodo enim « beata vita, ubi nec vita? »

8. — Enimvero effrenes appetitus nostros illos esse, qui nos ad sepulchrum portitores deferunt, S. Ambrosius his verbis evidenter demonstrat, *lib. V in Luc.* : « Quid enim aliud nisi quasi in quodam « feretro, hoc est, supremi funeris instrumento « jacemus exanimes, cum vel ignis immodicæ « cupiditatis exæstuat, vel frigidus humor exun- « dat, vel pigra quadam terreni corporis habitu- « dine, vigor habeatur animorum, vel concreta « noster spiritus labe, puræ lucis vacuus mentem « alit? Hi sunt nostri funeris portitores. »

Efferebatur.

9. — Ex hoc verbo, Judæos sepulchra sua extra civitatem posita habuisse deducitur, unde Salmeron ait : « Pondera autem verbum *efferebatur*, est « enim efferre extra ferre; nam olim defuncti « extra domum et civitatem, tam Gentiles quam « Judæi sepeliebantur; » ne videlicet ex putrefactione cadaverum, habitatio hominum inficeretur; opportunus igitur hic locus est meditandi hujus corporis nostri putridam saniem, quod ab anima derelictum, nihil est aliud, quam saccus quidem stercorum, seu mucor sterquilinii, ad agrum impingendum elatus. Ecce ubi hujus carnis deliciæ terminentur, quam ne suis voluptatibus et deliciis privemus, nos Dei inimicos reddere parum curamus, siquidem, *Sapientia carnis inimica est Deo. Rom.*, VIII, 7.

10. — « Effertur mors corporis extra domum ad « tumbam tumulandi, » inquit Albertus Magnus, ne « fetore corrumpat appropinquantes; » quotidiana enim experientia videmus, quod etiam proxime sanguine conjunctorum et charissimorum cadavera, e domibus elata, ad cœmeteria subito efferantur; et ne fetore suo alios inficiant, lacero cucidam involvantur linteamini.

11. — Idem Albertus ait : « Effertur, ut tuam « moveat misericordiam publica miseria; » usitatæ sunt in Ecclesia solemnes mortuorum exequiæ, quas numerosæ religiosorum turbæ per vias publicas, ardentes manibus suis faces portantes associant, dum interea cadaver in edito loco, in conspectu omnium expositum reponitur, omnibus conspiciendum; hacque ratione non modo compassionem excitet precesque et suffragia fidelium ab omnibus exposcat; verum etiam ut omnes præsentes moneat, ut attente videant et considerent, quis sit finis deliciarum, divitiarum et honorum, qui tantopere nos alliciunt et seducunt, *Psal.* CXLV, 4, et, *Psal.* IX, 8 : *Exibit spiritus ejus, et revertetur in terram suam, in illa die peribunt omnes cogitationes eorum; periit memoria eorum cum sonitu*; cum sonitu enim et strepitu campanarum, omnis illorum memoria evanescit. Porro antiquorum Gentilium finis, qui magnatum et regum cineres, in modica quadam urna collectos, super excelsas moles, mau-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

solæa, pyramides vel columnas collocabant, hic erat, ut ad illorum conspectum omnis a mortalium cordibus pelleretur ambitio, videndo, quis esse desideratarum dignitatum et monarchiarum finis, nimirum modicus pulvis, isque in summitate, ventorum ludibrio expositus, *Psal.* I, 4 : *Tanquam pulvis, quem projicit ventus a facie terræ.* David post omnes suas victorias, post tot thesaurorum possessiones, post tot regnorum comparationes, tandem conclusit : *Gloriam meam in pulverem deducam.*

12. — Albertus Magnus, *Serm.* LXX, in sensu morali inquit : « Per defunctum, qui ad portas civi- « tatis effertur, quilibet peccator intelligitur, cujus « peccata ad hominum notitiam pervenerunt, ma- « nifeste quippe peccare, est portari ad portam « civitatis. » Juxta Bedæ porro sententiam, elatio hæc « significat hominem lethali criminum funere « soporatum, eumdemque insuper mortem, non « cordis adhuc cubili tegentem, sed ad multorum « notitiam, per locutionis operisque indicium pro- « palantem. »

Filius unicus.

13. — S. equidem Lucas, qui eadem cum perfectione calamum tractavit et penicillum, vivacius nunquam singulas hujus historiæ circumstantias nobis repræsentare potuisset, verbis singulis suum habentibus annexum mysterium. S. Bonaventura inquit : « Major etiam erat luctus, quia erat unige- « nitus, de quo fit planctus tanto amarior, quanto « erat charior. » Virilis non imbecillis sexus erat, quia ut S. Gregorius Nyssenus inquit : « Jam nup- « tiale tempus advenerat, stirps videbatur generis, « ramusque successionis, baculus senectutis et « ætatis incrementum. » Præterquam quod mares nomen et familiam suam sustentent et propagent, fœminæ vero ad alias diversas transferantur familias. Lucas Brugensis scribit : « Unigenitus, quod « amplius est quam unicus, nullos enim alios « unquam liberos genuisse significatur, nec faciles « alius luctus major est eo, qui est de morte unige- « niti : » id quod idem Auctor probat ex illo Jeremiæ, VI, 26, textu : *Luctum unigeniti fac tibi planctum amarum.* Et Zachariæ, XII, 10 : *Ut doleri solet in mortem unigeniti.* Aliam materni doloris causam observat Salmeron, inquiens : « Erat unicus seu « unigenitus, nam quando plures sunt, amor spar- « gitur, et uno mortuo, non tam vehementi dolore « discruciantur parentes, quia manent alii. »

14. — D. Chrysostomus in epistola quadam ad Olympiam ita scribit : « In adolescentibus majus est « naturæ incendium, major concupiscentiæ tem- « pestas, infirmiora consilia, ratio quæ vitia guber- « nat, infirmior. » Didacus Stella quoque juvenilem hanc ætatem ad mortem spiritualem contrahendam, faciliorem esse considerat, dum ait : « Blande et « cum indulgentia in deliciis fuerat nutritus, quia « filius erat, quæ mundanæ voluptates ad mortis « sepulturam plurimos deferunt. »

15. — Defunctus hic adolescens, id est, juvenculus erat in pulcherrimo annorum flore constitutus, sua quoque gaudebat libertate, utpote per mortem patris, a paternæ subjectionis jugo liberatus; et tametsi matrem haberet, nullum tamen ab ea patiebatur materni onus imperii, quod vel inde colligitur, quia ipsa vidua erat, a qua proinde tenere amabatur, adeoque in lacu, butyro, lacte et melle redundante nutriebat, in summis vivebat deliciis, voluptatibus, omnisque generis recreationibus, certatim ipsum cingebat omnium civitatis filius adolescentum turba, qui post mortem etiam illum amabant, qui ad tumulum usque illum sequebantur; imo aliqui putant, ipsum familiaritatem quamdam minus honestam iniisse cum Magdalena, nobilissima Castelli Magdalici domina et patrona; et tamen quo omnes hæ humanæ felicitates in fine causæ fuerunt? *Ecce defunctus efferebatur*, etc. Unde merito cum S. Ephrem dicere possumus : « Ubi « juventutis flos et pulchritudo? Ubi venustus ille « genarum color? » Quisnam ipsum felicia et fortunata victurum fuisse sæcula non credidisset? At vero verissimum semper est illud axioma Apostolicum, I *Thes.*, V, 3 : *Cum dixerint : Pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus.*

16. — S. Joannes olim equum vidit pallidum et extenuatum, *Apoc.*, VI, 8 : *Ecce equus pallidus et qui sedebat super eum nomen illi mors*; num forte equum hunc, eo quod adeo languidus esset, lento gressu processisse existimabitis? Ita quidem aliquis credere potuisset, magno tamen errore deceptus; hic enim equus calcaribus agitabatur, atque ideo gressus suos accelerabat; mors quidem juvenum secundum naturalem complexionis, ætatis et temperiei cursum, in truncando vitæ filo ad senectutem usque tardare deberet; at vero si præter omnium exspectationem, citius, eumdem obruat, id culpa illorum accidit, eo quod mortem sibi accelerent, calcaria lateribus illius addendo; quænam autem esse putas hæc calcaria? *Stimulus mortis peccatum est*; etenim inordinationes et dissolutiones, quas frequentant, quia juvenes ad voluptates carnales, ludos et rixas, hastiludia et quosvis alios excessus propensiores sunt, mortem illis opinione velocius accelerant. Bene igitur monet Ecclesiasticus, VII, 18 : *Ne impie agas multum, ne morieris in tempore non tuo.* Jacob Patriarcha morti vicinus, Josepho filio sibi assistenti, Rachelis matris suæ mortem in memoriam revocavit dicens, *Gen.*, XLVIII, 7 : *Mihi enim, quando veniebam de Mesopotamia, mortua est Rachel in terra Chanaan, in ipso itinere, eratque vernum tempus et sepelivi eam juxta viam Euphratæ.* Hic utique Patriarchæ discursus in agonia, non sine mysterio, Josepho propositus fuit; per hunc voluit monere filium suum, quod, licet ipse in ætate decrepita

moreretur, non tamen exinde sibi magnam de morte procul absente securitatem promitteret, siquidem mater ejus in optimo ætatis flore, ex hac vita migrasset, indeque *in ipso itinere*, id quod multis quoque hodie accidit, qui priusquam designatum sibi scopum assequantur, in medio prosperrimæ fortunæ cursu deficiunt. Moriebatur Rachel, quando tempus vernum erat, quando flores pullulare incipiebant; his enim vita humana congrue assimilatur, *Psal.* CI, 15 : *Tanquam flos agri sic efflorebit. Sepelivi eam juxta viam Euphratæ*, hæc enim civitas omnium rerum abundantissima et deliciosissima erat, et tamen mortua fuit priusquam eo pertingeret, quia *in ipso itinere* mortua fuit. Ita quoque multis accidit : *Cum dixerint : Pax et securitas*, etc.

Matris suæ.

17. — Hanc circumstantiam ita discutit Salmeron : « *Erat unicus matris suæ*; non patri suo « defuncto, nam fœminæ ardentius amant quam « viri, quia novem mensibus gestant, cum dolore « pariunt, proprio lacte nutriunt, est etiam plus « certa de prole, quod sit filius suus, quam pater. » Eamdem quoque reflexionem fecit Toletus inquiens : « Majori enim ac vehementiori dolore « afficiuntur matres, quam patres filiorum amis- « sione. » Albertus Magnus scribit : « Quæ ferven- « tiorem in eo habuit amorem, quæ necessariorem « jam habuit robustam prolem; in quantum uni- « cus, totus in eo matris fuit affectus. »

18. — Quis dubitat, matri huic summam fuisse de filii salute curam et sollicitudinem, omnemque ab ea, mediis abundantissimis, commoditatibus, impensis et servitiis, possibilem pro filii conservatione diligentiam adhibitam esse? Nihilominus illis potentior invaluit infirmitas et mors. *Nisi enim Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam. Psal.* CXXVI, 1. Tres Christus suscitavit mortuos, quorum perpetuam fieri voluit in æternitatis annalibus memoriam, omnes tres nobiles, divites et juvenes fuere; Lazarus namque reliquis senior, XIX tantum annos habebat in resuscitatione sui. Evangelica singularum historia per anni circulum, tribus distinctis diebus in Ecclesia prælegitur, sed hujus specialiter juvenis tertio fit mentio per annum. Primo in feria quinta Dominicæ quartæ Quadragesimæ, secundo in festo S. Monicæ, tertio hodie; id quod sancta Mater Ecclesia *non* alio fine facit, quam ut nobis jugem inculcet mortis memoriam, qui dum minime præsumimus, dum sanitati, teneræ ætati, commodis, complexioni et similibus confidentes, mortem procul a nobis abesse credimus, ecce in foribus adest, utique nulli non notissima est ista æternæ veritatis admonitio : *Qua hora non putatis filius hominis veniet. Luc.*, XII, 40.

Et hæc vidua erat.

19. — Toletus ait : « *Vidua erat*, quod multa « comprehendit; primo, quia non erat ei spes filios « recreandi, tantæque levamen orbitatis assumendi; « secundo, unigenito mortuo nomen viro non su- « pereret super terram; tertio, hæreditas ab ejus « stirpe transibat; quarto, reliquiæ carnis ejus « periebant. » Iisdem quoque verbis et discursibus coram sapientissimo Davide usa fuit Tecuitis, docente nos Ecclesiastico, XXXV, 17 : *Non despiciet Dominus preces pupilli, nec viduam.* Aliam hujus rei causam assignat Albertus Magnus, inquiens : « Ideo « ei robusta proles erat valde necessaria, non tam « pro filio, quam vice mariti, protectore domus et « familiæ. » Considerat Cajetanus, quod, licet ex Evangelicæ historiæ contextu deduci non possit, an juvenis ille conjugatus fuerit nec ne, ex ætate nihilominus colligi videatur, eum necdum matrimonio junctum fuisse : « Ea ætate apparet, quod non « relinquebat matri nepotem. » Verisimile videtur, viduam hanc conclusisse secum in statu persistere vidnali, sine transitu ad secundas nuptias. Unde Salmeron : « *Vidua erat*, nam UXORATA spem conci- « piendi habuisset alium; solent etiam viduæ sese « consolari de morte mariti præsentia filii relicti. »

20. — Didacus Stella inquit : « Et ob id non « minoris habita a Domino, nam coram oculis « Domini potius æstimatione sunt digni, qui a « mundo destituuntur, quam qui potentes sunt. « *Tibi derelictus est pauper*, ait Psalmista, *orphano « tu eris adjutor. Psal.* X, 14. » Quot perfectionis summæ et sanctitatis suæ merita, eaque omnia eminentia, generosa Judith Deum oratura allegare poterat, et tamen ut ipsius omnipotentiam ad se in generoso illo, quod moliebatur, facinore juvandam inflecteret, solum illi viduatem statum suum proposuit : *Subveni, quæso, Domine Deus meus, mihi viduæ*; nam D. Chrysostomus, *Hom* LXIX *in Joan.*, ait : « Non parva vis lacrymarum viduæ est, sed « ipsum cœlum possunt aperire. » Joab, ut Davidis animum ab Absalone planè aversum, ad impertiendam ei paternam benedictionem inflecteret, potentius instrumentum invenire non potuit, quam viduæ cujusdam ei propositas preces, quæ se desolatam et afflictam fingebat, II *Reg.*, XIV, 2 : *Lugere te simula, et dic : Heu mulier vidua ego sum*, etc. Ubi Abulensis ait : « Vocat se viduam, ut signet se « esse personam miserabilem, et moveatur facilius « Rex ad misserendum. » Ecclesiasticus quoque, *cap.* XV, 18, ait : *Nonne lacrymæ viduæ ad maxillam descendunt, et exclamatio ejus super deducentem eas? A maxilla enim ascendunt usque ad cœlum.* Elias et Elisæus ad pauperculæ viduæ instantiam, prodigiosiora patrarunt miracula, quam unquam in veteri Testamento a Prophetis, sanctisque Pa-

triarchis patrata fuisse legantur. S. Petrus pariter Tabitham viduam resuscitavit.

21. — Ecclesia a Spiritu Sancto edocta, in festo S. Monicæ hoc Evangelium legit, eo quod in hac matre vidua, sancta hæc mulier spiritualem filii sui mortem deplorans, ejusque conversio, ad vivam exprimatur. S. Chrysologus, *Serm.* xix, de anima peccatis immersa ita scribit : « Fit in corpo- « ris sepulchro vivo funus animæ jam sepultæ. » Et S. Ambrosius ait : « Quis est tumulus, nisi mali « mores? » Sancta Mater Ecclesia, quæ per viduam figuratur, teste Hugone Cardinali dicente : « Vidua « est Ecclesia, quæ a Sponso suo peregrinatur in « terra, de qua in Psalmo cxxxi, 15, dicitur : *Viduam « ejus benedicens benedicam*; » hæc, inquam, Ecclesia tanquam spiritualis vidua pro animarum in peccatis viventium resuscitatione continuas Deo offert preces, ut a peccati morte resuscitentur.

22. — Sæpe contingit, quod viduarum filii educentur male, cujus ratio est, quia filii non illum erga ipsas respectum et timorem concipiunt, qualem paternæ auctoritati deferre solent; præterquam quod illæ hos nimis amantes, severæ disciplinæ rigoribus raro manum admoveant, quod tamen ad hujus ætatis fervores refrenandos unice est necessarium, fierique potest talem hanc matrem fuisse, quam proinde Deus punire volens, filium mori permisit; at vero quia Deus benignus et misericors est, *mortificat et vivificat, deducit ad inferos et reducit*, I *Reg.*, ii, 6, ideo ad ipsum in vitam revocandum commotus fuit, idque non modo in filii resuscitati, sed et matris omniumque circumstantium utilitatem.

Et turba civitatis multa cum illa.

23. — Toletus manifestum nobilitatis et opum hujus juvenis signum fuisse existimat, quod ab universa civitate certatim concurrente ad tumulum deductus fuerit; nam « hæreditas pinguis ad alienos « devolvebatur unico hærede defuncto. »

24. — Albertus Magnus ad hunc populi concursum, qui supra modum numerosus erat, se reflectens, considerat, multos associasse Salvatorem, alios vero defuncti hujus feretrum : « Turba « catervatim ruit ad miranda facta Domini; unde « multi hic erant cum Domino, multi cum vidua; « isti mirabilia cernere cupientes, hi autem com- « passionis affectu miserum viduam prosequentes. »

25. — Lucas Brugensis illorum temporum morem fuisse autumat, ut multi nimirum ad hoc misericordiæ opus convenire consuevissent : « Ob- « serva, » inquit, « morem funeris, ut amici noti- « que comitarentur, nec abesset mater, qui mos « non tantum exhibiti mortuo honoris officium « fuit, verum etiam pietatis opus Deum gratum, « cui placent talia pietatis officia. » Ac proinde ecce tibi hisce retributam remunerationem, qui huic adeo grato Deo operi incubuerunt, nimirum præsentes esse meruerunt huic miraculo, ipsumque salutare Dei videre et audire. David multis benedictionibus cœlestibus cumulavit illos, qui Saulis cadaver sepulturæ mandaverant; II *Reg.*, ii, 5 : *Benedicti vos a Domino*, inquit, *qui fecistis misericordiam hanc cum domino vestro Saul, et sepelistis eum; et nunc retribuet vobis quidem Dominus misericordiam et veritatem, sed et ego reddam gratiam*. Tobias huic exercitio operam suam impendens adeo placuit Deo, ut ad recipiendam copiosam hujus in mortuos impensæ pietatis retributionem, merita operis illius in cœlis ante thronum suum per Raphaelem Archangelum voluit præsentari. Tres illæ devotæ Mariæ, quæ Redemptorem secutæ sunt ad sepulchrum, hanc sibi inde meruerunt prærogativam, ut primæ fuerint, quibus post suam gloriosam resurrectionem visibiliter appareret.

26. — Enimvero Abulensis obsequium et servitium, quod, defunctos ad sepulchrum comitando præstatur ex alio capite commendat : « Cum quis « benefaciat homini præsenti, a quo potest reci- « pere vicissitudinem, non est admirandum; cum « autem benefacit mortuo, a quo non potest reci- « pere retributionem, est magis admirandum. »

Additiones.

a. — *Cum autem appropinquaret portæ civitatis, ecce defunctus*, etc. Nihil magis commune nationibus est quam quod suos mortuos quæsque efferat. Invenies forsan gentes, apud quas reges arcanis lateant penetralibus, sese ambitiosis regii cubiculi tegant, ab oculisque hominum arceant. Nunquam tamen invenies gentes apud quas mortui non statim efferantur, publicisque conspectibus donentur, quod minime naturæ tribuerim, quam potius mortis pudeat, necessum est, sed divinæ providentiæ, cujus ea est maxima cura, ne mors ab oculis removeatur humanis. Mors enim ante omnium oculos versari debet, propter varia quæ inde nascuntur bona. Continua mortis, ut quis se ad eam præparet, nec timeat, memoria efficit, et meditatio, quæ simul et frenum est contra peccatum. Quodcumque peccatum ex mortis derivatur oblivione, quam in nobis procurare satagit dæmon, utpote sciens quod peccatum per mortis cogitationem metumque prosternatur. Mortis consideratio frenum est ad carnalem reprimendam concupiscentiam; grandium fastum atque superbiam deficit; efficax est ad mundum ejusque illecebras contemnendas. Mors ad perfectionis acquisitionem, virtutum christianarum exercitium, Deique servitium plurimum conducit, cor ab inordinatis purificans affectibus, virtutibusque exornans. Utinam ergo hæc Apostoli verba : *Quotidie morior*, fidelibus omnibus ad seriam quotidie fovendam mortis meditationem deservirent. Quo de exercitio S. Hieronymus ad Helio-

dorum ita scribit : « Platonis sententia est omnem « Sapientis vitam meditationem esse mortis. Lau- « dant hoc philosophi et in cœlum usque ferunt; « sed multo fortius Apostolus : *Quotidie*, inquit, « *morior* per gloriam vestram; aliud est enim « conari, aliud agere, aliud vivere moriturum, « aliud mori victurum. » Regula itaque cujuscumque Christiani, secundum quam suam instituat, dirigatque viam, quotidiana esse deberet mortis cogitatio : vivere moriturum. Quod utilissimum studium S. Ambrosius nobis persuadere conatur, dum ait : « Illud etiam magnopere peto, ut diem « obitus, diem extremi judicii, damnationem æterni « supplicii, beatitudinemque regni futuri semper « meminerim, quod nemo indesinenter potest, nisi « qui ad vitam præordinatus est æternam. Indesi- « nenter, Domine, recolenda est dies illa, in qua « lux cum tenebris pugnat, misericordia cum cru- « delitate desudat, in qua adversarius noster, mala « quæ fecimus, locuti sumus, vel cogitavimus, « violentissimus accusator retexet, justitiam suam « ad hæc punienda deposcet. »

b. — Bene accedente Christo defunctus effertur, non permanet in civitate, quia anima animæ nostræ Deus est, quæ proinde sicut moritur dum Deum amittit, sic reviviscit dum Deum recipit. Experientia quotidiana commonstrat quod vita in corpore humano tunc deficiat, quando ab illo anima ejus separatur. Eodem modo anima desinit vivere vita spirituali et æterna, quando Deus ab illa recedit, *Psal.* lxxii, 27 : *Ecce qui elongant se a te peribunt. Mihi autem adhærere Deo bonum est*. Eosdem quippe effectus abscessus Dei spiritualiter in anima operatur, quos in corpore operatur corporalis recessus animæ ab ipso corpore humano. Unde Chrysologus ait : « Quod est anima corpori, hoc « est animæ Christus. Sine anima corpus non « vivit; non vivit anima sine Christo. Recedente « anima, mox corpori fœtor, corruptio, putredo, « vermes, et fit in sepulchro corporis vivo, funus « animæ jam sepultæ, quamprimum Deus ab anima « migravit, vitia appetitus, et passiones inordinatæ « ferocire incipiunt : *Homo cum in honore esset, non « intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, « et similis factus est illis*. Quis vivificare potuisset « Adami animam, quando hæc ob ejus transgres- « sionem derelicta fuit? Nemo utique; sed mansit « instar jumenti cujusdam mortui. »

c. — Sacer Evangelista non explicat, a quibus adolescens ille asportabatur ad sepulchrum. Sine dubio ab aliis adolescentibus, sociis et amicis. Moraliter hos portitores V. Beda describit : « Qui vero « ad sepeliendam portant, vel immunda desideria, « quæ hominem rapiunt in interitum, vel lenocinia « blandientium sunt venenata sociorum, quæ pec- « cata nimirum, dum favoribus tollunt, accumu- « lant, peccantesque contemptu, quasi aggere « terræ obruunt. » Quia autem per hunc defunctum peccator publicus denotatur, uti docent Beda, Haymon, Henricus, et alii; bene inquit Beda, per immunda et carnalia desideria hunc deportari. Vitium enim carnis, in Scriptura sacra inferni nomine appellatur, quia sectatores suos ad æternam perditionem perducit. Regius Propheta David Deo sæpius in Psalmis ob animæ suæ ab inferno liberationem a Deo factam gratias agit, *Psal.* xxix, 4, sic ait : *Domine, eduxisti ab inferno animam meam*. Et alibi dicit : *Confitebor tibi, Domine Deus meus, in toto corde meo, et glorificabo nomen tuum in æternum, quia misericordia tua magna est super me. Eruisti animam meam ex inferno inferiori*. At vero quisnam est hic inferior infernus, a quo se liberatum esse, cum tam exaggerata gratiarum actione memorat? Certe nullus alius quam adulterium cum Bethsabea commissum, cui eousque cum scandalo publico immersus fuerat, donec jussu Dei a Nathan reprehenderetur. « Mens libidinis igne succensa, » inquit B. Petrus Damianus, « nonne tibi videtur infernus, « in quo videlicet et diabolus habitat, et concu- « piscentiarum ignis æstuare non cessat? » Demum vero inordinatarum passionum et appetituum carnalium tyrannidem prosequendo dicit : « Hæc ita- « que flebilis anima gehenna facta est, tartarus et « infernus. »

d. — Pulchrum certe recipe salutis lubricæ juvenuti his verbis præscribit S. Lucas medicus, quibus petit, ut lubrica juventus hunc juvenem in flore ætatis suæ ad sepulchrum deportatum inspiciat sedulo; ut in eo videant, ut in speculo, quid sint, et licet juvenes, quam facile tamen vitam cum morte commutare possint; tali enim consideratione liberabuntur ab aquis diluvii peccatorum maxime carnalium. Meditatio enim sepulchri quod carnem nostram in vermes et cinerem redigit, ad detestandam omnem delectationem carnalem optimum est remedium. S. Ephrem in sermone quodam, cujus titulus est : *In eos qui in Christo obdormierunt*, suadet ut mente nostra homines recolamus defunctos, qui nostri fuerunt in voluptatibus lascivis pertractandis complices et sodales : « Hic qui vestros ante « oculos in sepulchro cernitur pulvis, iste quem « conspicitis cinis, hic fœtor, illa putrefacta ossa, « immundi hi vermes, corpora quæ concupiscebe- « tis olim. Hic cinis illa est caro quam complecte- « bamini. » Non est nobis respicienda Jezabel, quando mundo suo muliebri ad stuporem exornata, fucata facie, ut regem Jehu ad illicitos seducat amores, prospicit per fenestram, IV *Reg.*, ix, 30 : *Jezabel, introitu ejus audito, depinxit oculos suos stibio, et ornavit caput suum, et respexit per fenestram*; quia ab hac apparentia exteriori nimis facile nos decipi et seduci permittimus; sed consideranda nobis est eadem, quando in agro Jezrahelis, sive ut vult Abulensis, in eodem loco, in quem

alias communiter deliciandi causa divertere solebat, velut quoddam graviter olens morticinium jacet a canibus dilaniata : *In agro Jezrahel comedent canes carnem Jezabel, et erunt carnes Jezabel sicut stercus super faciem terræ, ita ut prætereuntes dicant : Hæccine est illa Jezabel?* Quando enim Jehu illam præcipitari jusserat, eamdem sepulturæ mandare volebat, inquit sacer textus : *Cum issent, ut sepelirent eam, non invenerunt nisi calcarium et pedes, et summas manus.* Inspiciatis, obsecro, sepulchrum amasiæ vestræ et considerate illud bene, quod ex dilectæ vestræ cadavere reliquum reperietis; certus enim sum, quod attoniti dicetis : *Hæccine est illa Jezabel?*

e. — Defunctus iste erat adolescens, de quibus ait S. Chrysostomus, *Epist. ad Olymp.* : « In adolescentibus majus est naturæ incendium, major concupiscentiæ tempestas, infirmiora consilia, ratio quæ vitia gubernet, infirmior. » Deinde erat mortuus, et jam ad portas civitatis deductus, et ideo, ut docent Doctores hic, adolescens iste publicum ac manifestum peccatorem exprimebat; unde ait Eusebius, quod puella filia Archisynagogi, quam Christus suscitavit domi, *Matth.*, IX, 25, peccatorem occultum et absconditum denotabat. At vero hic defunctus, cum jam esset extra domum ac civitatem, et proximus ut in terram inferretur, publicum et notorium peccatorum designabat, qui in proximo est ut in æternum sepeliatur. Tales peccatores publici sunt scandalosi. Christus Judex severus quidem sed tanto justior in castigandis impiis, dum scandali meminisse vellet, minatorium hoc præmisit verbulum : *Væ*; quæ particula æterni supplicii est imprecatio, ipsamque Salvator eodem tempore bis repetit, dicens : *Væ mundo a scandalis; væ homini illi per quem scandalum venit.* Quod væ tanquam sulphur est, et pix ignis infernalis, æternum hoc concipiens incendium; scandalum namque ut plurimum, offendiculum est, et rupes, in quam impingentes, in barathrum præcipitantur perditionis, quia ut S. Gregorius ait : « *Væ*, in « Scripturis sæpius de æterno luctu quam de præ« senti solet intelligi. In Isaia : *Væ impiis in malum*; « Job : *Væ mihi si impius fuero.* » S. Bonaventura dicit : « Dictum vel factum minus rectum præbens « aliis occasionem ruinæ, *scandalum* Græce, Latine « *obex*; sicut ad obicem in via positum lædit pes « cunctis, sic dictum, vel factum minus rectum est « obex infirmis in via morum. » S. Thomas de Villanova in sermone de S. *Michaele*, qui proximo sunt causa peccati his verbis perterret : « Numquid « melius illi fuisset mille mortes subisse, quam « tanti reus criminis esse? O quam horrendum tibi « esse deberet, ut propter te perpetuo quis ardeat « in inferno? » Neque enim in illa abysso locum habet propositio illa qua dicitur : « Solatium est « miseris socios habere pœnarum, » quia per multiplicationem damnatorum augetur in quolibet ipsorum pœna quæ accidentalis vocatur; quanto igitur majora pœnæ incrementa experietur, qui causa fuit perditionis multorum? Idem sanctus Archipræsul subjungit : « Mallem utique fratres centum homines « corporaliter peremisse, quam unam animam per« petuo incendio tradidisse, si ex solo damno culpa « pensenda est et non ex arbitrio. Si enim sanguis « Abel sic clamat ad Dominum in fratrem occiso« rem, quanto fortius clamabit sanguis animæ per« petuo damnatæ in suum interfectorem? O quo« modo conqueruntur, quomodo vociferantur? O « quomodo maledicunt et imprecantur omne ma« lum apud Dei justitiam in eos, qui eis tanti mali « et miseriæ causa fuerunt et offendiculum posue« runt, ut in tale præcipitium ruerent! » Tota Pentapolis igne consumpta fuit, quem divina justitia de cœlo misit ad castigandum hominum illorum execrabile et nefandum peccatum; nimirum etiam, in hac præsenti vita, in malitiam adeo detestabilem per sulphur ignis infernalis animadvertere voluit et quidem ut S. Judas Apostolus observat, ideo omnes æquali pœna puniti fuerunt, quia malum exemplum, ab uno in alium transfusum fuit : *Sicut Sodoma et Gomorrha*, inquit dictus Apostolus, *et finitimæ civitates, simili modo exfornicatæ et abeuntes post carnem alteram, factæ sunt exemplum ignis æterni pœnam sustinentes.*

f. — Defunctus ille adolescens, et sibi, et matri, longioris vitæ spem præbebat; hæc autem spes sæpe multum fallit. Quoties enim patres filiorum magis, quam filii parentum hæredes fiunt? Ideo omnis ætas trepida esse debet, et de morte, et de genere mortis, et de hora mortis sollicita. Alii enim naufragio, alii casu aliquo et fortuna præmature intereunt; alii ferro, alii longa ægritudine, alii celeri, alii inopinata morte rapiuntur, quibus nec testamenta condendi, nec sacramenta percipiendi, quod est maxime formidandum, facultas suppetit, idque propter admissa peccata mortalia; peccata enim mortalia qui committunt, mortem sibi accelerant. Sapiens ait, *Prov.*, XXIX, 1 : *Viro, qui corripientem dura cervice contemnit, repentinus ei superveniet interitus.* S. Joannes, in Apocalypsi, vidit in visione quadam equum pallidum : *Et ecce equus pallidus et qui sedebat super eum, nomen illi, Mors.* Qui equum macilentum, debilem et emaciatum ad velocius gradiendum urgere contendit, admotis ad latera calcaribus illum concutit; sic enim in locum a se destinatum celerius appellit, quam si lentis gressibus procedere sineretur. Mors lento passu progreditur, atque ideo sæpe sexaginta, vel septuaginta elabuntur anni, prinsquam ad ultimam suam metam, id est, ad tumulum hominem transvehat; at vero quando calcaribus adigitur, mox properat et ex improviso ad ultimam vitæ humanæ metam hominem portat, quando minus

id futurum credebat; ac proinde dicebat Ecclesiastes, VII, 18 : *Ne impie agas multum, ne moriaris in tempore non tuo.* Sic Anastasio Imperatori, de ætate quatuordecim subtracti sunt anni, quos alias supervicturus fuisset : « Eo ob tuam improbitatem, qua« tuordecim tibi vitæ annos deleo. » *Baron. an.* 518. Regius Propheta ait, *Psal.* XXXVI, 35 : *Vidi impium superexaltatum et elevatum sicut cedros Libani; et transivi et ecce non erat. Quæsivi eum et non est inventus locus ejus. Custodi innocentiam et vide æquitatem.* Oseas Propheta, X, 1, de peccatoribus, divisum cor habentibus, disserens, punctum hoc de morte improviso tangens, ita fatur : *Divisum est cor eorum, nunc interibunt.* Ubi observandum est illud verbum, *nunc*, quod idem est ac si diceretur : In unico puncto, sive momento interibunt.

g. — Heu fallax hominum vita quæ præter spem omnem nimis tempestive abripitur in hoc adolescente! Ut bene hic quadret, quod D. Hieronymus ad Heliodorum, de nepotis immatura morte lamentatur : « Quod, » inquit, « juvenis exhibere senibus « debuit, hoc juveni exhibemus senes. » Ita huic adolescenti, quod juvenis matri exhibere debuit, hoc mater senex juveni exhibet. Sic mors, die et hora qua minus putatur, venit; quare in periculo perditionis suæ sunt qui pœnitentiam procrastinant. S. Cæsarius Arelatensis, *Hom.* VI, ita scribit : « Sed « dicet aliquis : Cum ad senectam venero, tunc ad « pœnitentiæ medicamentum confugiam. Quare « hoc de se fragilitas humana præsumat, cum « unum diem vitæ suæ in potestate non habeat? « Quam multi se credunt longo tempore victuros « et ita illos mors repentina subtrahit, ut nec ad « illam momentaneam possint pœnitentiam perve« nire? » Superbus ille et arrogantissimus Aman, qui typus erat peccatoris, nam *initium omnis peccati superbia*, quando in supremo fortunarum suarum apice constitutus erat, seque a morte per multa lustra abesse putabat, præter omnem expectationem et plane ex improviso, se ad idem patibulum, quod Mardochæo æmulo suo in domo sua præparaverat, divina vindicta ita disponente, se adjudicari audivit, ejusque deprecationes, surdas apud Assuerum aures repererunt. Ita enim reprobis contingere solet : *Cum dixerint : pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus.* I *Thes.*, V, 3.

h. — *Et hæc vidua erat.* Videtur Deus cum hac vidua valde rigide processisse, idque contra regulam Spiritus Sancti dicentis : *Afflicto non addes afflictionem.* Viduitate enim illam jam afflixerat, nunc angit sollicitudine, auferens ei filium quem ad consolationem dederat ei. Sed quæ vere viduæ sunt, id est, virtutibus deditæ, hanc servant regulam in afflictionibus, quam post se reliquit sancta Paula vidua, quæ in afflictionibus constituta, jugiter repetebat verba Isaiæ Prophetæ : *Ablactati a lacte, tribulationem super tribulationem expectate.* Pro certo tenens quod simul crescerent afflictiones et præmii lucrum; unde maximæ Deo agendæ sunt gratiæ in afflictionibus, utpote ex quibus magnum lucrum capimus, dæmonium vincimus et salutem nostram, ad quam a Deo ordinantur, magnopere promovemus. Recordamini forsitan illius visionis, quam S. Joannes in Apocalypsi, circa innumerabilem cujuscumque tribus Israel, Agnum, in throno suo considentem laudantis et benedicentis, multitudinem habuit, de qua dicitur : *Clamabant voce magna, dicentes : Salus Deo nostro qui sedet super thronum et Agno.* Ubi S. Augustinus, cur ita elata voce intonarint, hanc reddit rationem, inquiens : « Magna voce salutem Deo decantant, qui magna « gratiarum actione recolunt, non sua se virtute, « sed ipso auxiliante, tribulationem impugnantium « superasse certamina. » Ili autem populi, unde venirent, dum interrogaretur, responsum fuit : *Hi sunt qui venerunt ex tribulatione magna et laverunt stolas suas in sanguine Agni.* Ast si sanguinem profuderant, si inter angustias tribulati fuerant, qua ratione voces suas in gratiarum actionem erga Deum sublimare potuerunt? Respondet S. Antoninus : « Etiam in flagellis Deo est regratiandum, « quod Job fecit, dicens : *Sicut Domino placuit, ita « factum est; sit nomen Domini benedictum.* Sunt enim « et ipsa Dei beneficia in salutem ordinata. » In cujus confirmationem, *lib.* II *Machab.*, VI, adducit textum ubi dicitur : *Etenim multo tempore non sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim ultionem adhibere, magni beneficii indicium est.*

i. — Forte Deus abstulit illi filium istum ne forte nimia sua benignitate in filium gravia et sibi et filio damna conciliaret. Sicut enim nimius parentum rigor, sic et nimia in liberos benignitas culpabilis est. Id quod S. Apostolus Colossensibus, III, 21, scribit : *Parentes nolite ad indignationem provocare filios vestros, ut non pusillo animo fiant*, idem quoque in Epistola ad Ephesios scripta, eisdem inculcarat, dicens : *Vos parentes, nolite ad iracundiam provocare filios vestros.* Circa quæ verba S. Thomas distinctionem quamdam adducit dicens : « Notandum quod « aliud est principatus patris ad filium et domini « ad servum, quia dominus utitur servo suo ad « utilitatem propriam, sed pater utitur filio ad uti« litatem filii, et ideo necesse est quod patres in« struant filios propter utilitatem ipsorum, non « tamen nimis arcendo, aut subjiciendo et ideo « dicitur, *Colos.*, III, 21 : *Patres nolite ad indignatio« nem*, etc., quia talis provocatio non animat ad « bonum. » Elias commentator Nazianzeni, de hac educationis materia disserens præcitatum S. Pauli ad Ephesios textum adducit, eumque diserete locutum fuisse considerat, dicens : « Non dixit, amate, « hoc enim natura eos docet; verum, *nolite ad ira« cundiam provocare*; ipsos videlicet exhæredando « atque abdicando, aut etiam gravia quædam et

« servilia ipsis imperando. » Parentes enim reprehendere quidem, nec non si opus est verberare debent filios suos, sed semper tanquam patres et magistri, non vero sicut lictores et carnifices. Sæpe reperiuntur filiorum nonnulli indolis adeo nobilis et generosæ, ut ad virtutem non per minas, sed per benignitatem inducantur, adeo ut rigor illos potius perversiores efficiat. S. Anselmus Archiepiscopus Cantuariensis parentes illos, qui in sola virga confidentes, filios suos gubernant, his verbis alloquitur : « Solis eos percussionibus et flagellis ad mores « bonos vultis informare? Vidistis unquam aurifi« cem ex lamina auri, vel argenti percussionibus « imaginem speciosam formasse? Non puto : quid « tunc? Quatenus aptam formam ex lamina aptet, « nunc eam suo instrumento leniter premit et per« cutit, nunc discreto levamine lenius lævat et « format; sic et vos, si pueros vestros cupitis orna« tos moribus esse, necesse est, ut cum depressio« nibus verberum impendatis eis paternæ pietatis « et mansuetudinis levamen, atque subsidium. » D. Chrysostomus scribit, se frequenter pessimum vidisse illorum filiorum exitum, qui a parentibus nimium amati, extra omnem ab illis disciplinam sunt relicti; dicit enim : « Dum inordinate, ac « dissolute viventes castigare, verbis reprehendere, « aut contristare filios nolunt, vidi sæpius in flagi« tiis deprehensos, in carcerem abripi et a carnifi« cibus capite plecti. » Idem quoque S. Doctor pergit ulterius ostendere ignominiam, quæ in eosdem parentes resultat, dum ab aliis digito monstrantur, tanquam peccatorum a filiis commissorum auctores, eo quod eosdem tempore congruo non castigarint : « Cum ipso damno, » inquit, « major « ignominia noscitur, omnibus scilicet illo e medio « sublato ejusmodi patrem digito monstrantibus et « forum penitus ipsi inaccessum facientibus. » Cum filii Heli post profanatum sanctuarium, factasque extorsiones sacrilegas, divinæ justitiæ arcum fulminibus onerassent, Deus Prophetam Samuelem misit, qui Dei furorem, quem peccatis suis extorserant, insinuaret. Sed ad quem illum ablegavit? Ad Heli : sed numquid filii ejus erant, ii qui deliquerant? Annon Heli vir raræ innocentiæ cultum Dei in omnibus zelaverat? Verum quidem hoc est, sed nimis tener amor, quo filios suos prosequebatur causa fuit, cur dum illos nimis benigne corrigeret, hi se nec quidquam emendarint, ac proinde omnes a filiis commissos excessus, ipsi tanquam causæ imputatus fuit.

Versus 13.

Quam cum vidisset Dominus, misericordia motus super eam, dixit illi : Noli flere.

Quam cum vidisset Dominus.

1. — Regius Propheta ad perpetuam memoriam conscribi voluit, quod Filius Dei suum in terram defixisset oculorum obtutum, *Psal.* ci, 13 : *Scribantur hæc in generatione altera, et populus qui creabitur, laudabit Dominum; quia prospexit de excelso sancto suo, Dominus de cælo in terram aspexit*; sed quænam fuit hujus aspectus utilitas? *Ut audiret gemitus compeditorum, ut solveret filios interremptorum, ut annuntient in Sion laudem Domini, et laudem ejus in Jerusalem*; quæ omnia in casu hoc nostro adimpleta fuerunt : siquidem hic Christi viduam suspicientis obtutus serenat tristitiam omnem, desolatæ viduæ detersit lacrymas, ejusque filium a morte liberavit; ac denique causa fuit hujus admirationis, qua miraculum hoc ad ejus gloriam, circumstantes in Sion et Jerusalem divulgarunt, acclamantes : *Propheta magnus*, etc.

2. — Jansenius ait : « Cujus occursus et obtutus « semper felix est et faustus. » In Gerasenorum dæmoniacis illis occurrit duobus, eosque confestim sanavit; in Petrum et Andream oculos suos defixit, et subito ex piscatoribus Apostolos fecit; intuitus est Levi Publicanum, et ex mensa collibystica ad apostolatus dignitatem evexit; vidit paralyticum in piscina, eumque sanavit; oculum suum in cæcum natum conjecit, eumque protinus illuminavit; respexit in atrio Petrum, qui illum negaverat, eumque ad pœnitentiam induxit; « sic et modo « occurrens viduæ, eamque flentem videns, miser« tus est ejus. » Dionysius Carthusianus ait : « Cum « non solum exterioribus oculis eam inspexisset, « sed et interioribus oculis suæ sapientiæ ac mise« ricordiæ ejus mœrorem pensasset. »

Misericordia motus super eam.

3. — Idem Carthusianus legit : *Et compatiens*; hujusque compassionis aliqua in benignissimo Domino motiva considerat, quorum primum est, quia hujus matris filius erat; secundo, quia erat illi unicus; tertio, quia vidua, a marito ac demum etiam a filio derelicta erat; quarto, quia eo tempore mortuus fuerat, quando in ætate ad prolem generandam sufficientem constitutus erat; quinto, quia labores et molestias, in ejus educationem, multis annis adhibitas simul omnes infructuose amiserat. Salmeron in textu Græco legi notat : *Ex intimis visceribus misertus est illi*. Porro qualiter hæc misericordia intelligenda sit, Lucas Brugensis declarat, dicens : « Est misericordia, alienæ miseriæ in cor « proprium admissio. »

4. — Toletus duo in misericordia ponderari posse considerat : nimirum voluntatem subveniendi alienæ miseriæ, et hæc ad superiorem animæ portionem pertinet; deinde tristitiam, qua cor ob eamdem miseriam afficitur, eaque in portione sensitiva residet, et hæc est, quæ ad subventionem præstandam nos movet : « Hunc Christus sicut et « reliquos affectus pro sua voluntate assumebat,

« quod nobis commune non est, quibus affectus « frequenter in nostra potestate aut voluntate non « sunt; dicitur igitur *misericordia commotus*, quia « non modo voluit subvenire, sed etiam dolorem « et compassionem in se excitavit de viduæ passione « ac miseria. »

5. — Dionysius Carthusianus existimat, quod motivum hoc misericordiæ et pietatis Christi, fuerit potius in ordine ad periculum animæ quam corporis hujus juvenis : « Quia adolescentes solent esse ad « mortem minus dispositi, eo quod homines, in illa « ætate consueverunt esse lasciviores, instabiliores, « et minus experti. »

6. — Basilius Seleucus, *Orat.* x, hanc misericordiam attribuit lacrymarum et planctus efficaciæ, divinæ pietatis attractivæ : « Viduæ lacrymæ, » inquit, « unigenitum Jesum traxerunt ad restituen« dam unigenito vitam. » Toletus ait : « Lacrymæ « matris filio impetrarunt vitam. » Unde D. Chrysologus, *Serm.* ciii, hanc deducit consequentiam, nimirum Deum nostrum in necessitatibus et calamitatibus publicis, multo magis ad fletum et pœnitentiam Ecclesiæ suæ reflectendum esse : « Si « enim ad unius viduæ lacrymas temporales sic « motus est Christus, ut ex oculis stillantium « dolorum fluenta restingueret, ut resuscitaret « corpus, vitam reduceret : quid modo faciet, « quando inardescit viribus suis ad Ecclesiæ suæ « lacrymas diuturnas, ad sanguineos sponsæ suæ « sudores? nam per supplicantem Ecclesiam la« crymas fundit juges, per Martyres sacrum san« guinem sudat, donec unicum suum, hoc est, « populum Christianum de mortali feretro Christus « æternæ vitæ reddat. »

7. — Toletus Christum ad compassionem motus fuisse dicit, non ob mortem filii, sed matris afflictionem et miseriam, quam ex hac jactura patiebatur : « Compassus est Christus ratione « humanæ naturæ, viduæ lacrymis ac calamitati, « non filii, qui ab hujus sæculi calamitatibus « ereptus fuerat. » Lucas Brugensis pariter ait : « Non misertus filii, qui miseriis mundi jam erat « ereptus, sed matris, inter mundi miserias fluc« tuantis. »

8. — Idem quoque considerat, Christum in hac occasione non expectasse, donec ad faciendum hoc miraculum et mulierem consolandam rogaretur : « Non continet gratiam suam, donec rogaretur, « quemadmodum alias, sed omnium preces ante« vertens, matri nihil tale expectanti, ultro benefi« cium confert, sola movet misericordia; tanta est « ejus ad sublevandum hominum miserias promp« titudo. »

9. — Jansenius aliud quoddam punctum tangit, quod etiam Toletus considerat, dicens : « Perfectam « misericordiam Dominus hic exhibet, dum et in « corde movetur misericordia, et verbis eam con« solatur, et ipso facto miseriam viduæ sublevare « studet. » Toletus pariter scribit : « Hæc enim est « misericordia perfecta, quæ non tantum cordis « compassione, nec solis verbis continetur, sed « effectu simul ac opere auxiliatur. Christus autem « tria voluit adhibere, ut nemo imitatione careret; « qui enim nec verbo, nec opere misereri potest, « habet quod imitetur in Christo, ut solo corde « compatiatur; et qui potest etiam verbo, id si « faciat, Christo similior erit; simillimus tamen, « si etiam effectu. »

Dixit illi : Noli flere.

10. — S. Bonaventura ait : « Quia misericordia « latens in affectu, apparet in effatu, dixit : *Noli « flere*, benigno sermone eam consolando. » Albertus Magnus ait : « Ecce consolationis affatus; » adducitque illud Isaiæ, lxvi, 13 : *Quomodo sicut mater blanditur, ita ego consolabor vos*. Et Jeremiæ, xxxi, 16 : *Quiescat vox tua a ploratu; et oculi tui a lacrymis*.

11. — Didacus Stella hoc loco sequens movet dubium : « Quomodo dicit, ut non fleat cum Sapiens « dicat, *Eccli.*, xxii, 10 : *Super mortuum plora; « quoniam defecit lux ejus*. Et Ecclesiasticus xxxviii, « 16, inquit : *Fili in mortuum produc lacrymas*, » adducitque exemplum ipsius Christi, qui in morte Lazari flevit; sed ad hanc difficultatem ex sacris Expositoribus facile respondetur. Beda dicit : « De« siste quasi mortuum flere, quem mox vivum « resurgere videbis. » Et Jansenius pariter ait : « Non enim deflenda erat mors ejus, qui mox « majori cum gloria et lætitia matris erat victurus. »

12. — Fletus est pretiosissimus thesaurorum in terris, siquidem cum universo auro Peruano, vel unius duntaxat peccati mortalis contractum debitum solvere non possumus, cum tamen per modicum fletum et unicam lacrymam innumera debita, quæ penes divinam justitiam contraximus, exsolvere valeamus. Unde Simon de Cassia ait : « Nil plan« gendum hominibus, quam peccatum, solum enim « peccatum justam habet materiam deplorandi, « Vult fletum Deus fieri pro spiritualibus malis, « non autem pro corporalibus damnis. » Opportune proposito nostro serviunt verba illa Chrysostomi, *Hom.* xxii *ad popul.* : « *Beati qui lugent*, non mor« tuum, non jacturam, sed peccatum. » Quid si aquam aliquam haberes, quæ ad curandam oculorum infirmitatem nonnisi a magno quodam Principe comparari posset, nonne magna foret stultitia, si eadem ad pedes lavandos utereris? Fletus, qui ex motivo supernaturali funditur, donum est Altissimi, quem is nobis ad sanandas animæ infirmitates concedit : quæ igitur est nostra stultitia, quod illum pro rebus temporalibus, de quibus Apostolus ait : *Omnia arbitror ut stercora?* Jeremias, ix, 20 Deum mulieribus Jerosolymitanis præcepisse refert : *Docete*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

filias vestros lamentum, et unaquæque proximum suum planctum. Mirum sane præceptum, quod quis alium ad fletum erudire jubeatur, quando hic a passione interna, non vero ab artificio humano derivatur! nimirum Deus vult, ut finem et motiva illas doceant, ob quæ plangere debeant, et quam in rem hoc tanti valoris pretium adhibere. Petrus Cellensis de pane lugentium ait : « Sterilis est « omnis effusio lacrymarum, quæ non effunditur « propter regnum cœlorum. » Chrysostomus in persona Christi loquens, *Hom.* VI *in Matth.*, ait : « Illas ego requiro lacrymas, quæ non ostenta- « tioni proficiunt, sed compunctioni. »

13. — Est et alia ratio, ob quam Sapientia incarnata moveri potuit, ut matrem hanc flere prohibuerit, ea nimirum, quam tangit Apostolus, I *Thes.*, IV, 12, inquiens : *Nolumus vos ignorare de dormientibus, ut non contristemini sicut et cæteri, qui spem non habent; si enim credimus, quod Jesus mortuus est, et resurrexit, ita et Deus eos, qui dormierunt per Jesum, adducet cum eo.* Unde S. Ambrosius ait : « Flere prohibet eum, cui resurrectio « debebatur. » Jansenius autem aliam conditionem adjungit, cur flere prohibemur, dum inquit : « Christus docet ob spem resurrectionis, mortem « amicorum non deflendam immoderate; » et Didacus Stella pariter ait : « Non prohibet pias « lacrymas, sed immoderatas; deinde non plo- « randi sunt illi, qui in Christo moriuntur. » S. Augustinus de morte suæ matris tractans, dicit : « Neque enim decere arbitrabamur, funus illud « quæstibus lacrymosis, gemitibusque celebrare, « quia his plerumque solet deplorari quædam mi- « seria morientium, aut quasi omnimoda exstinc- « tio; at illa nec misere moriebatur, nec omnino « moriebatur. » S. Hieronymus ad S. Paulam ob mortem Blesillæ ita scribit : « Lugeatur mortuus, « sed ille quem gehenna suscipit. » S. Bernardus de morte fratris sui ita scribit : « Videmus mortuos « quotidie plangere mortuos suos, fletum multum « et fructum nullum; plorantur damna gloriæ « carnis, vitæ præsentis commoda, sed plorandi, « qui ita plorant. » Idem in transitu Malachiæ notabilem hanc scribit sententiam : « Triplex in « morte congratulatio est; homines ab omni labore, « et peccato, et periculo liberari. » Et vero si in transitu ab hac vita in aliam, nullam haberemus aliam consolationem vel lucrum, multum profecto ponderandum esset illud, quo dicimur per mortem a peccato liberari; *Psal.* CXXIII, 7 : *Laqueus contritus est, et nos liberati sumus;* siquidem ut S. Augustinus notat, *Serm.* I *de verb. Dom.* : « Inter casus « ambulamus, si vitrei essemus, minus casus time- « remus. » At vero ut S. Job, XIV, 1, ait : *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis;* etenim homo in hac lacrymarum valle vivit, imo agonizat, cinctus undequaque ærumnis innumeris. *Circumdederunt nos mala, quorum non est numerus.* Idem S. Augustinus, *Serm.* XIII *de verb. Dom.*, ait : « Quid est diu vivere, nisi diu torqueri? « amas ergo istam vitam, ubi tantum laboras? » S. Hieronymus in epistola ad Nepotianum dicit : « Desiderandus est tibi quasi absens, non quasi « absens, non quasi mortuus, ut illum expectare, « non amisisse videaris; non tam plangendus est, « qui hac luce caruerit, quam gratulandum ei, qui « de tantis malis evaserit. » Dato casu, quod hic juvenis mortuus, damnatus fuisset; etiam ex hoc capite, posito, quod diutius supervivendo non fuisset emendatus, magnum ejus lucrum fuit, quod mortuus sit juvenis, quia diutius vivendo, plura sibi ligna, id est, plura peccata ad ignem infernalem adaugendum accumulaturus fuisset, *Apoc.*, XVIII, 7 : *Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit tantum date illi tormentum*; quod si opposueris, inquit Chrysostomus, *Hom.* XII *in Matth.*, quod si hic juvenis in ætate matura mortuus fuisset, reducendus utique fuisset ad pœnitentiam, respondeo : « Si « pœnitentiam essent acturi, Deus cui omnia patent, « non antequam eam egissent, ipsos rapuisset; » ita de impiis loquitur.

Additiones.

a. — *Quam cum vidisset Dominus, misericordia motus*, etc. Magnam hic sacer Evangelista commemorat Domini pietatem, ac benignitatem, dum inquit, quod Dominus misericordia motus fuerit, simulque commendat nobis excellentiam, ac magnitudinem beneficii, quod ex intimis misericordiæ visceribus processit, quæ supra mulierem inclinata sunt; et in donis plus, quam datum, internus affectus, ac animus æstimandus est, ac in majori pretio reputandus. Hoc et tu perpende diligenter in exercitio eleemosynæ, quam quilibet, quantumvis pauper, dare potest, quia Deus affectum potius nostrum pensat, quam effectum. Æternitatis perpetim annales heroicum illum celebrabunt S. Martini actum, quando miles existens, medietatem chlamydis suæ militaris pauperi donavit, præ frigore trementi. Causamne nostis, cur Christus in conspectu omnium Angelorum, totiusque cœli, tam gloriosam nocte insequenti ostentaverit pompam, dicens : « Martinus adhuc cathecumenus hac me « veste texit? » Totius magnificentiæ origo, tantillum extitit partis pallii quam omnibus pretiosissimis, regum, imperatorum, totius mundi monarcharum paludamentis, imo ipsomet sibi per Salomonem erecto inestimabilis valoris templo duxit cariorem; siquidem de nullo horum constat quod simili complacentiæ signum circa illa ediderit Deus. Cujus hæc unica ratio assignari potest, quia scilicet Deus excessivum respexerat affectum, quocum S. Martinus dictam vestem donarat, cognoveratque, eum omnes totius mundi thesauros, si illos habuisset, in pauperes erogaturum fuisse. Ideoque Cæsarius Arelatensis ait : « Non copia largitatis « pascitur Dominus, sed benevolentia largientis. »

b. — Vidua flebat et lacrymis ejus movebatur Dominus ad compassionem; non enim habebat cor lapideum, ut multi hodiedum Christiani, qui licet mille audiant lacrymas pauperum et viduarum, vix commoventur ad dandam modicam eleemosynam, aut si aliquam elargiantur, quasi coacte, verbisque duris deturpant eleemosynæ candorem. Eleemosyna enim voluntaria, bonisque verbis instituenda est. S. Apostolus de misericordia, qua alienis necessitatibus subvenire tenemur disserens, substantias nostras cum hilaritate communicandas esse docet, dum ait, II *Cor.*, IX, 7 : *Hilarem datorem diligit Deus.* Idem pariter ad Romanos, XII, 8, de eleemosyna scribens eodem loquendi modo utitur, dum inquit : *Qui miseretur, in hilaritate.* Ecclesiasticus quoque, *cap.* XXXV, 11, diu ante ipsum, hoc idem tradiderat documentum, dicens : *In omni dato hilarem fac vultum tuum.* Sciendum quoque S. Paulum subsidium pauperi erogatum appellasse benedictionem, dum ait : *Qui seminat in benedictionibus*; ubi Cajetanus ait : « Eleemosynam appellat *benedictionem*, eo « quod suapte natura eleemosyna debet esse non « solum beneficentia, sed benedicentia; debet enim « constare non solum ex benefacto sed ex bene- « dicto, debent siquidem adesse cum bonis factis « bona verba. » Quando enim pauper cum hilaritate recipitur, simulque cum nummo, vel alio ei porrecto subsidio, bona illi verba dantur, clare per hoc indicatur quod eleemosyna libenter, et non invito animo tribuatur. In Ecclesiaste, XI, 1, hoc nobis consilium suggeritur : *Mitte panem tuum super transeuntes aquas*; quæ verba S. Bonaventura de subsidio necessitatem patienti porrecto exponit, dicens : « *Mitte*, id est, libenter et liberaliter da, « non per extorsionem et quasi coactus. Transeun- « tes aquæ sunt pauperes et afflicti, qui per tri- « bulationes transeunt ad requiem : talibus est « eleemosyna facienda. » S. Bernardinus eleemosynarii conditiones recensens, illi quatuor sequentes conditiones necessarias esse dicit : « Primo jucun- « dum affectum; secundo hilarem vultum; tertio « suave verbum; quarto, promptum effectum, seu « modum. » Dicit enim Ecclesiasticus, IV, 3 : *Non probabas datum angustianti.* Et *Prov.*, III, 28 : *Ne dicas amico tuo : Vade, et cras tibi dabo, cum statim dare possis.* Similiter Job, XXXI, 16 : *Si negavi quod volebant pauperibus, et oculos viduæ expectare feci.* « Scilicet, » inquit S. Bernardinus, « sicut faciunt « quidam insensibiles et insensati qui pauperibus « pro eleemosyna ad ostium eorum accelerantibus, « diu nihil respondent; demum dicunt : Vadas cum « Deo. Unde Seneca : Nihil carius emitur, inquit, « quam quod multis precibus comparatur. »

c. — In hac vidua agnosces quod eadem via qua ad tribulationem duceris, eadem quoque versis passibus, et gressibus tibi auxilium et consolationem maximam a Deo occurrere. Juxta enim tribulationum pro Deo toleratarum mensuram consolationum spiritualium crescit, imo et semper superexcedit abundantia. Spiritus Sanctus suavitatem, animabus timoratis cœlitus communicari solitam, melli assimilans, ait : *Spiritus meus super mel dulcis.* Cur non potius ambrosiæ, nectari, aut saporifero manna æquiparavit? Notate mysterium. Mel fabricatur ab apibus pungenti armatis aculeo; dulcedinem spiritus amaritudo corporis comitetur oportet; non enim illa sua nos dignatur præsentia, nisi hæc dispositionem fecerit præviam. Promissionis recordamini, quam Elias Propheta viduæ fecit Sareptanæ? *Lecythus olei non minuetur usque in diem in qua Dominus daturus est pluviam super faciem terræ*, III *Reg.*, XVII, 14; quasi diceret : Oleum tuis abundabit in ædibus, quanto tempore fames et annonæ caritas prævaluerit; ut discamus lætitias spirituales, afflictionibus commensurari temporalibus, juxta alterius Prophetæ vaticinium, dicentis, *Psal.* XXXIII, 19 : *In diebus famis saturabuntur.* Et e contra mediis inter prosperitates penuria prementur; quemadmodum S. Basilius Seleucus, *Orat.* XXXIII, advertit inquiens : « Ut « cecidit pluvia, avolarunt dona Eliæ, et finem « habuit per cremum erratio, ac deinde consue- « tum naturæ panem terra oculis subjecit, tunc « manna profusio contracta est et cœleste promp- « tuarium hominibus occlusum. »

d. — *Dixit illi : Noli flere.* Quam male impenduntur lacrymæ ob mortem filii, quem tamen non possunt resuscitare, neque sunt alicujus utilitatis. Unde bene dixit Simon Cassianus, *lib.* V, *cap.* XIII : « Nil plangendum ab hominibus quam peccatum. « Solum enim peccatum justam habet deplorandi « materiam. Vult Deus fletum fieri pro spiritualibus « malis, non autem pro corporalibus damnis. » Hincque patet quanto pluris faciamus aliquando ea quæ corpus spectant, quam quæ animam concernunt, quod inconveniens est. Quæro te, quisquis es, quidnam majoris facias, vestemne an corpus quod tali veste contegitur? Utique, nisi delirus sis, respondebis stolidum esse eum qui pluris vestem æstimet quam corpus; numquid vere ita est? Et tamen hæc est innumerabilium hominum ingens stultitia, quod tametsi alias in cæteris sensati sint et sapientes, corpus tamen, quod nihil est aliud quam simplex quædam animæ vestis, majori in pretio habeant, quam animam. S. Ambrosius verba illa hominem mollibus vestitum indumentis, ponderans, de his vestibus dicit : « Humana corpora « quibus anima nostra vestitur; » et alibi quasi idem dicit, dum ait : « Anima corpore velut calceamento utitur. » Quid de illo diceres qui pluris calceum æstimaret, quam propriam vitam? Utique

stultum illum reputares : et tamen minor hæc stultitia foret, quam sit illius, qui corporis majorem quam animæ rationem habet, quia ille pro uno calceo nonnisi quinquaginta vel, ad summum, centum annorum vitam amittit; hic vero, pro mortali et fœtido corpore, jacturam facit immortalis pretiosissimæ animæ, imo vero talis Deum ipsum, æternam beatitudinem et interminatam quamdam gloriæ æternitatem amittit.

Versus 14.

Et accessit et tetigit loculum; hi autem, qui portabant, steterunt; et ait : Adolescens tibi dico, surge.

Et accessit.

1. — Quæret fortasse quispiam, cur Christus non potius cadaver reduci jussit, ut a multitudine, sequestratus, extra omnem publicum applausum, domesticos inter parietes, miraculum occulte operaretur, aut quare ipsemet ad locum se non contulit sepulchri, prout in resuscitatione Lazari accidisse novimus? Huic propositioni ita S. Ambrosius, *lib.* VI *in Luc.*, respondet : « Puto, quod in eo quoque « pietas Domini declaratur, quia vidua mater unici « non patiebatur moras, et ideo ne amplius affice- « retur, maturitas additur. » Aliud nihilominus etiam hæc acceleratio nobis perhibet documentum, nimirum omnem exterminandam esse remoram et dilationem, ubi de anima agitur, e morte peccati in vitam gratiæ reducenda, deque laqueis diaboli eripienda. Tertium præterea hujus anticipationis rationem Chrysologus, *Serm.* LXIII, hisce exprimit verbis : « Ut anticiparet sepulchrum, ut corruptio- « nem suspenderet et præveniret fœtorem, et ante « mortuo vitam redderet, quam tota mortuus jura « mortis intraret. »

Et tetigit.

2. — Præmiseral paulo ante Centurio, Salvatorem alloquens, *Matth.*, VIII, 2 : *Dic tantum verbo, et sanabitur puer meus*; qua igitur de causa, cum cæteroquin solo verbo resuscitare posset, hodie accedit, tumbamque attingit? S. Cyrillus respondet : « Ideo « autem non solo verbo peragit miraculum, sed et « feretrum tangit, ut cognoscas efficax esse sacrum « Christi corpus ad humanam salutem, » ac proinde sancta Mater Ecclesia eam introduxit consuetudinem, ut, dum Eucharistia dispensatur, dicatur : *Sanabitur anima mea.* Titus Bostrensis ait : « Ob id « autem loculum tetigit seu feretrum, quia voluit, « ut hic disceremus, corpus Christi Dei nostri, cor- « pus vitæ esse, ejusdemque carnem, unigeniti « Filii Dei Verbique cuncti potentis carnem. » Theophylactus hujus sacratissimæ humanitatis, velut evidentis contra putredinem et corruptionem antidoti efficaciam considerans, dicit : « Quondam enim « caro ejus facta est propria Verbi omnia vivifi- « cantis, propterea vivifica est, et ipsa tollit mortem « et corruptionem. »

3. — Porro causa, quoad sensum litteralem, cur feretrum tetigerit, fuit, ut cursum firmaret et sisteret eorum, qui defunctam portabant; unde Evangelista subjungit : *Hi autem, qui portabant, steterunt.* Quantum vero ad sensum spiritualem, intelligere nos voluit, quo ærumnæ et tribulationes ut plurimum cursus sistant præcipites nostrarum dissolutionum, usque ad vitam gratiæ redire faciant; etenim per tactum manus Dei adversitates symbolice significantur. Unde Job, XIX, 21, dicebat : *Manus Domini tetigit me*; tunc enim aures et maxime cor voci Dei aperitur, dum adversitates nobis immittuntur.

Loculum.

4. — Glossa de hoc feretro ita scribit : « Loculus, « quo efferitur, secura desperati peccatoris est con- « scientia, quem fert sepeliendum; vel immunda « desideria, vel adulantium blandimenta, quæ quasi « agger terræ peccantes obruunt; sed Domino « peccatoris conscientiam tangente, futuri metu « judicii turba carnalium voluptatum, et injusta- « rum laudationum coercetur, et mens ad se « reversa, Deo ad vitam vocanti occurrit. »

5. — Hugo Cardinalis quoque per hoc feretrum, conscientiam impii intelligit : « Quam Christus « tangit simpliciter, scilicet flagello adversitatis, « verbo prædicationis, et gratia inspirationis. » Similiter Albertus Magnus ait : « Loculum, id est, « conscientia peccatoris tangit, quando ei metum « extremi judicii incutit. »

6. — Jansenius S. Ambrosii auctoritatem, dicentis hanc viduam figuram esse sanctæ Ecclesiæ, adducens, subjungit : « Populum juniorem jam « amissum et mortuum, et ligno concupiscentiæ, « quod primo mortem invexit, ad inferni velut « sepulturam delatum, Christo in mundum adve- « niente; recepit, postquam lignum Dominus teti- « git; » idemque S. Ambrosius ait : « Spem resur- « gendi habebat mortuus, quia ferebatur in ligno, « quod etsi nobis ante non proderat, tam postquam « Jesus id tetigit, proficere cœpit ad vitam, ut esset « indicio, salutem populo per crucis patibulum « refundendam. »

7. — Theophylactus ait : « Loculus mentis est « corpus, tacto corpore Dominus suscitat men- « tem; » quot enim sunt, qui per infirmitates corporales reducuntur ad pœnitentiam. Carthusianus ait : « Christus electis compatiens animabus, « accedit et corpus tangit per infirmitatem, et « tribulationem multiplicem. »

Hi autem, qui portabant, steterunt.

8. — Manifesta jam facta fuerat miraculorum Christi fama, ac proinde mirum non est, hosce

cursum suum firmasse, verisimile est etenim, illos spem concepisse resuscitationis defuncti; unde S. Bonaventura ait, ipsos stetisse, miraculum exspectantes, secundum quod ipsi Jobo, XXXVII, 14, dicitur : *Ausculta hæc Job; sta et considera mirabilia.* Similiter Carthusianus, *Serm. in Evang.*, ait, illos stetisse : « Sperantes defunctum esse suscitandum, « quia fama miraculorum Christi devenit ad eos. »

9. — Albertus Magnus inquit : « Hi portitores « litteraliter sunt homines; naturaliter, ut dicit « Glossa, sunt elementa; moraliter, peccati sunt « affectiones et passiones; » quænam vero sint mala culpæ, ita declarat : « Mala peccati, deloc- « tatio, præsumptio impunitatis, spes longioris « vitæ, spes futuræ pœnitentiæ; hi stant, quia falsis « spebus nos decipiunt. »

10. — Quot sunt illorum, quorum cursum dissolutionum suarum, nisi Salvator per mortem suspectæ et lascivæ familiaritatis, per facultatum jacturam, per æmulorum licet injustam persecutionem, per immissam infirmitatem mortalem sisteret, utroque se pede in infernum præcipites factos esse conspicerent? Unde singularis Dei misericordia est, dum pravorum consiliorum iis scopum detruncat, malasque vias, quibus deducebantur ad mortem, per immissos obices et impedimenta divertit. Unde idem Albertus, *Serm.* LXX, ait : « Tunc stant, qui prius mortuum ferebant, quando « scilicet peccator compunctus, per timorem con- « teritur, et desistit a peccatis, quæ eum prius ad « puteum gehennæ portabant. »

11. — Quinam vero illi portitores fuerint, Venerabilis Beda, in sensu morali, his verbis declarat : « Qui sepeliendum portant, vel sunt « immunda desideria, quæ hominem rapiunt in « interitum; vel lenocinia blandientium sunt vene- « nata sociorum; » mali enim sodales, ut plurimum nos ad præcipitium, et nonnunquam ad corporis et animæ mortem perducunt. « Domino « loculum tangente, funeris bajuli steterunt, quia « superni formidine judicii attacta conscientia, et « carnalium sæpe affluentium voluptatum, et in- « juste laudantium turbam coercent.

12. — Didacus Stella finem considerans, quem Christus, feretrum tangens, habuit; nimirum ut portitores illius, ut diximus, firmarentur, hanc inde elicit moralitatem : « Nos ipsos tangit, » inquit, « atque castigat, ut a peccatis cessemus; nihil « credo, quod omne malum tibi eveniat ex eo, « quod gratum sistere nequeas; cum ad peccandum « pergis, inspiratione aliqua Deus te vocat, et « alieno ictu te tangit; vide quid facias, finem « peccati prospice : *Consideravi vias meas, et con- « verti pedes meos in testimonia tua. Psal.* CXVIII, 59. »

13. — Hinc quoque utilissimum confessariis educitur documentum, ut videlicet, priusquam dicant : *Surge*, id est, antequam dicant : *Absolco te*, prius cursum sistant peccatorum, id est, occasionem proximam peccati e medio tolli faciant, curentque, ut filum malæ conversationis detruncetur, ut ita securos se reddant, executioni revera mandanda esse bona proposita. Albertus Magnus ad Deum conversus, hanc ei porrigit supplicam : « Tange « loculum, vel corpus, aut conscientiam per correc- « tionem, stent portitores, occasiones et opportu- « nitates peccandi. »

14. — Carthusianus cadaver hoc a multis portitoribus in sensu spirituali deferri dicit : « Primus « portitor est amor peccandi et voluptatis; secun- « dus spiritualis laboris, seu exercitii virtuosi ac « pœnitentiæ; tertius præsentis vitæ prosperitas, « et temporalium affluentia rerum; quartus immo- « derata confidentia de misericordia Dei; » post hos, plures quoque alios insinuat portitores, quales sunt : « Fiducia longioris vitæ, consideratio culpæ « alienæ, dilatio divini judicii, adulatio ministro- « rum. »

15. — S. Antonius de Padua quatuor elementa moralizans, quibus unusquisque nostrum ad sepulturam portatur : « Nota, » inquit, « quod peccator « a quatuor elementis, unde constat, portatur; a « terra portatur, quando terrena solum cogitat : « *Statuerunt oculos suos declinare in terram*; ab « aqua, quando luxuriam cogitat : *Effusus es*, « inquit ad Ruben, *sicut aqua, ne crescas, quia « ascendisti cubile patris tui.* Ab aere portatur, « quando omnia pro laude humana facit; ab igne, « quando ira accenditur. »

Et ait.

16. — Didacus Stella inquit : « Vocavit hunc « adolescentem ille, de quo Apostolus scribit, quod « *vocat ea quæ non sunt tanquam ea, quæ sunt; ille « qui habet clavem mortis et inferni, Dominus mor- « tificat et vivificat, deducit ad inferos et reducit.* »

17. — Titus Bostrensis, in *calceo* citatus, dicit, Christum noluisse se in hujus adolescentis resuscitatione, similem exhibere Eliæ, qui mortem viduæ Sareptanæ deflevit; neque Elisæo, qui super extinctum pueri cadaver, ut illud vivificaret, corpus suum contraxit et incurvavit; nec tandem S. Petro, qui prius orationem instituit, quam Tabitham resuscitaret : « Sed ipse est, qui non entia velut entia « vocat, qui mortuos ut vivos alloqui potest. » S. Bonaventura ait : « Quæ quidem est vox imperans « et potens mortuos suscitare ratione suæ virtutis, « secundum illud, *Psal.* LXVII, 34 : *Dabit voci suæ « vocem virtutis*; et recte, quia dicit Augustinus : « Nemo tam facile dormientem excitat in lecto, « quam facile Christus revocat de sepulchro. » Pergit idem Seraphicus Doctor ostendere, quod omnipotenti voce sua uti voluerit, ad denotandum, certissimum esse, quod de semetipso dixit : *Principium, qui et loquor vobis, Joan.*, VIII, 25. « Dirigit

« hunc sermonem ad mortuum, non modo ut exci-
« tativum, sed ut auditus reparativum. »

18. — Lucas Brugensis ait : « Alloquitur mor-
« tuum tanquam vivum, ut Deus, cujus solius vocem
« mortui possunt audire, qui ut Apostolus ait, *Rom.*,
« IV, 17 : *Vivificat mortuos.* »

Adolescens.

19. — Ex quo Lazarum resuscitandum, nomine
ejus proprio appellavit, cur non quoque eumdem
stylum in præsenti servavit? Simon de Cassia in-
quit : « Non nomine proprio, sed ætate eum nomi-
« nans, ab inferis revocat, innuens, quod ætas est
« aliquando in culpa. Fervet in juvenibus sanguis,
« cum depravatur ad omnia. »

20. — Hugo Cardinalis duas affert rationes, ob
quas mortuum hunc, adolescentem appellari :
« Primo, ut innuatur, quod inveterati in peccatis
« vix resurgunt, *Prov.*, XXII, 6 : *Adolescens juxta*
« *viam suam cum senuerit, non recedet ab ea.* Secundo,
« ut ostendatur, quod peccator per peccatum fit
« adolescens, *Psal.* CII, 5 : *Renovabitur ut aquilæ*
« *juventus tua.* »

21. — Verumtamen a sensu litterali præscin-
dendo, in sensu mystico dicere possumus, quod
omnis peccans et spiritualiter moriens, sit juvenis,
siquidem in eo non viget prudentiæ et judicii ma-
turitas; adeoque peccata huic ætati propria com-
mittit, quia in annis et complexione sua nimium
confidit. Albertus Magnus ait : « Vocavit Christus
« adolescentem, nomine juvenilis ætatis, quæ causa
« multis est incontinentis et fluxibilis vitæ, *Sap.*,
« II, 6 : *Utamur creatura tanquam in juventute cele-*
« *riter*; » ubi in Græco legitur, *Adolescentulæ*. Dida-
cus Stella in juvenibus errorem quemdam observat, quo freti, ad æternam perditionem currere solent; quia « suæ prosapiæ et juventuti innixi, se « vitiis et delectationibus tradunt, putantes se « postea pœnitentiam acturos. »

22. — Experientia quotidiana docet, quod Deus
in primis vitæ annis sæpe nos vocet, ut in sancto
ejus timore vivamus et dum per fragilitatem in
defectum vel errorem aliquem prolabimur, subito
nos per divinam vocem suam, tam internam, me-
diantibus inspirationibus, quam externam per præ-
dicatores, confessarios, parentes et bonos amicos, ad
resurgendum nos excitat et in vitam revocatos,
divinæ suæ gratiæ nos denuo restituit.

Tibi dico.

23. — Salmeron ait : « *Tibi dico*, ut eadem
« omnino anima significetur, quia identitas homi-
« nis, ut philosophi loquuntur, ab identitate formæ
« est. »

24. — Basilius Seleucus, *Orat.* X, hoc loco quæ-
rit : « Cur addidit illud, *tibi?* Simplicius enim dic-
« tum fuisset : heus, mortue, surge. » Et respon-
det : « Salvatoris vox alios fuisset etiam virtute sua
« mortuos resuscitatura; ideo adjecit illud *tibi*, ut
« ad eum tantummodo mortuum, gratiæ suæ vim
« explicaret. »

25. — Albertus Magnus mysticum hunc loquendi
modum ponderans ait : « Est vocis hujus perpensa
« benignitas et potestas; benignitas in hoc, quod
« nominat eum ex nomine ætatis; potestas, quod
« ad ipsum sicut ad audientem dirigit sermonem. »
Adducit autem illum S. Joannis, V, 21, textum :
Sicut pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius,
quos vult, vivificat. « Non fecit, » inquit Cajetanus,
« sicut Elias et Elisæus, precando aut incumbendo
« super puerum, sed imperando solo verbo, non
« tangendo etiam adolescentem, solum enim locu-
« lum tetigit. » Eamdem quoque considerationem
Lucas Brugensis habet, qui et rationem reddit, cur
ita fecerit : « Jubet, » inquit, « et morti imperat,
« ostendens quod non aliena, sed sua potestate uti-
« tur; qua æqualis sit Patri et vitæ ac mortis impe-
« rium obtineat, non minus quam Pater. »

Surge.

26. — « Resonant hæc verba majestatem, » in-
quit idem Auctor, « nec aliam quam divinam. »
Albertus Magnus in sensu spirituali ait : « *Surge*, id
« est, sursum te age, ad æterna desideranda; »
reflectitque se ad illum Apostoli textum, *Col.*, III, 3 :
« *Mortui estis et vita vestra abscondita est cum Christo*
« *in Deo*, si autem est vita in Deo, non de cætero
« jaceat in pulvere, sed erigat se ad alta. » Idem
Auctor in sermone quodam supra hujus Dominicæ
Evangelium, sequentem aliam adducit moralita-
tem : « Tunc Jesus peccatori mortuo imperat, ut
« resurgat, quando videlicet ei robur gratiæ admi-
« nistrat; gratia quippe Dei dat homini vires, ut
« possit resurgere. »

27. — Existimat Carthusianus, hunc adolescen-
tem primo vitiis deditum fuisse, at resuscitatum a
Christo, suos illico malos mores, perversosque gres-
sus correxisse : « Credo, quod adolescens iste resus-
« citatus, statim sanus et fortis processerit, Christi
« namque opera fuerunt perfecta; hinc creditur
« Christus adolescentem istum, etiam spiritualiter
« suscitasse, id est, a vitiis, si quæ habuit, emen-
« dasse. »

28. — S. Antonius de Padua ex his et sequenti-
bus verbis, aliud documentum elicit, hoc expres-
sum discursu : « Hic est rectus ordo redeundi ad
« vitam; peccator debet surgere primo a peccato,
« per ipsius abominationem et delectationem;
« secundo debet sedere, id est, se humiliare in
« cordis contritione; tertio, loqui in confessione, et
« sic Dominus restituet eum matri suæ, id est, Spi-
« ritus Sancti gratiæ. »

Additiones.

a. — *Et accessit et tetigit loculum, et dixit : Ado-*
lescens, etc. Christus revocaturus hunc adolescen-
tem, in quo peccatoris figura exprimebatur, nomi-
natim, cum nomine proprio, non inclamat, sed
ætate eum nominat, ab inferis mortis ad vitam
revocat, insinuans hoc pacto, hocce tempus esse
acceptabile Domino, in quo peccator per pœniten-
tiam ad vitam resurgere debet. Et ideo stulte agit,
qui usque in ultimam senectutem pœnitentiam
differt, quasi vero Deus tempora in tua non vero
sua posuerit voluntate et potestate. Malachias Pro-
phela, I, 14, protestatur inquiens : *Maledictus dolo-*
sus, qui habet in grege suo masculum, et votum
faciens, immolat debile Domino. Quasi diceret :
Æternam expectat maledictionem, qui id quod in
grege suo deterius est, id est, annos ætatis suæ
deteriores Deo offert. Ætas enim senilis juvenili
deterior est, tum ob consequentes senectutem na-
turales defectus, tum quia ob malos diuturno tem-
pore in vitiis contractos habitus ad veram pœni-
tentiam agendam inhabilis efficitur. Unde bene
S. Chrysostomus ait : « Neminem pilus albus sal-
« vat; » ubi bene notanda est dictio illa *neminem.*
Qua enim ratione sperare potest auditurus : *Venite*
benedicti, etc., qui usque ad ætatem senilem con-
versionem suam differt? cum tamen æternæ Veri-
tatis verbum esse sciat : *Maledictus dolosus qui*
habet, etc. Primus inter homines reprobus ad
æternam damnationem viam sibi stravit, quia illo-
rum fuit typus qui quod deterius est bonorum
suorum, Deo offerunt; id quod ex sequenti lo-
quendi modo clare deducitur : *Factum est autem*
post multos dies, ut offerret Cain de fructibus, etc.,
scilicet de fructibus annosis, obsoletis, emarcidis,
non vero primitias, quales Deus requirebat; et
ideo a Deo acceptati non fuerunt. Merito contra
ejusmodi impios homines S. Bernardus, suo tem-
pore, exclamabat : « Quid facitis juvenes qui flores
« juventutis vestræ offertis diabolo, et fæces senec-
« tutis vestræ Deo? Securius esset cum Abel
« primitias Deo offerre juventutis, dicentes : *Mane*
« *astabo tibi; in matutinis meditabor in te.* » Porro
anima nostra per vineam præfiguratur, quæ pluri-
bus modis ab eo excolitur, qui ait : *Pater meus*
agricola est. Quid debui ultra facere vineæ meæ et
non feci? Sicut igitur præscindi, et radicitus evelli
mererentur vites illæ quæ domino suo solum illud
producerent vinum quod e fæcibus exprimitur,
vinum vero bonum et sincerum inimico ejus
parerent; ita quoque ad instar vitium ad ignem
infernalem præscindi et amputari merentur illæ
animæ quæ Deo annorum suorum fæces, id est,
senectutem reservant, datis dæmoni annis melio-
ribus. Unde Deus ipse apud Michæam, VII, 1, in hæc
verba lamentatur : *Væ mihi quia factus sum, sicut*
qui colligit in autumno racemos vindemiæ; non est
botrus ad comedendum, præcoquas ficus desideravit
anima mea. Et apud Malachiam, I, 8, idem Deus
conqueritur dicens : *Si offeratis cæcum ad immolan-*
dum, nonne malum est? Et si offeratis claudum et
languidum, nonne malum est? Et paulo post sequens
lamentum subjungit : *Intulistis de rapinis claudum*
et languidum, et intulistis munus. D. Chrysologus
ait : « Cain Deo parva, a quo totum perceperat,
« ingratus pontifex sic divisit, ut quod erat pessi-
« mum hoc adoleret altari, quod erat optimum in
« suam reservaret offensam. » Sacer textus de
innocente Abel, qui animarum electarum generis
humani primitia fuit, inquit : *Abel obtulit de pri-*
mogenitis gregis sui; ac proinde illorum est typus,
qui ad Dei servitium meliores et florentiores ætatis
suæ annos deputant et dedicant. De aliis vero
S. Augustinus ait : « Satis alienus est a fide, qui ad
« agendam pœnitentiam tempus senectutis expec-
« tat. Metuendum est, ne dum sperant misericor-
« diam, incidant in judicium; non enim tunc
« veniet, qui modo aptum veniæ tempus perdidit.
« Ibi a Deo non potest mereri quod petit, qui hic
« noluit audire quod jussit. »

b. — Elias Propheta suscitaturus filium mulieris
in Sarepta Sidoniæ, *expandit se et mensus est super*
puerum tribus vicibus, III *Reg.*, XVII, vitæque mor-
tuum filium mox reddidit; quod idem eodem modo
circa filiolum mulieris Sunamitidis præstitit dupli-
cis Eliæ spiritus dignus hæres, Elisæus, qui incu-
buit super eum, posuitque os suum super os ejus et
oculos suos super oculos ejus, et manus suas super
manus ejus, et incurvavit se, et mensus est super
puerum; et calefacta est caro pueri, et revixit. At
vero Dominus meus Jesus a mortuis excitaturus
filium mulieris viduæ, accedit, et solum tetigit
loculum, protinusque ad ejus imperium a mortuis
ad vitam redit adolescens. Poterat utique cœlestis
Medicus et mortuorum suscitator Dominus, sola
divina potestate, absque hujus loculi contactu, hunc
adolescentem suscitare, quemadmodum sola voce
suscitavit Lazarum, dicens : *Lazare, veni foras*; *et*
continuo surrexit, qui erat mortuus. Verum sic sese
exhibere voluit Dominus hujus adolescentis resusci-
tatorem, ut meminisset se nostrum quoque esse
Doctorem. Nam cum adolescens, juxta sanctorum
Patrum interpretationem, symbolum sit hominis
Christiani, in peccatis diu mortui; loculus vero, ut
ait Hugo Cardinalis, cujusvis hominis conscientia,
hanc prius tangere voluit, tactu pœnitentiæ, ante-
quam resuscitaret, ut inde disceres pœnitentiam
non in nostro esse positam arbitrio, sed auxilio
divinæ gratiæ, ex mera Dei bonitate nobis datæ
inniti, quam proinde exemplo matris viduæ, lacry-
mis, ad obtinendam emendationem nostram, sedulo
implorare debemus. *Lib.* II *de pœnitentia, cap.* XI,
eum qui conversionem suam procrastinat, his verbis

interrogat : « Quid enim quod differas? An ut « plura peccata committas. Ergo quia Deus bonus « est, et tu malus es, et divitias bonitatis ejus et « patientiæ contemnis! Sed bonitas Domini magis « ad pœnitentiam te debet inducere. » Subdit postea utilissimum monitum pro illis, qui in peccatis persistentes, sacramenta sibi promittunt, ut illis uti possint, quando eis videtur et placet : « Nemo, » inquit, « in peccato positus arrogare sibi debet « auctoritatem aut usurpationem sacramentorum, « quia scriptum est : *Peccasti? Quiesce.* » D. Chrysologus ad idem propositum sequentem habet ingeniosam considerationem : « Medicus non vul« neri sed curæ proficit et saluti, nec putredini, « nec morbo, sed soli congaudet ille sanitati. Ita et « Deus, qui pro magnitudine vulneris adhibuit « magnitudinem, vigoremque medicinæ; et nec « peccato, sed homini largitus est gratiam, nec ad « multiplicanda, sed ad delenda delicta imbrem « suæ pietatis effudit. Nemo, nemo sic de ægritu« dine gratuletur, ut velit in vulnere permanere. « Ingratus medico, inimicus est curæ, qui semper « curari æstuat, nec unquam desiderat hic sanari; « et ita Dei gratiam suis cupit exuberare peccatis « ut sibi cupiat peccata cumulari. » Quisquis sperat se in fine vitæ sine operibus bonis salvari, idem facit ac si præsumeret ut avis aliqua sine alis volaret : *Opera enim illorum sequuntur illos.* Qui autem male vivunt, et ad extremum vitæ suæ sine operibus meritoriis redacti, nihilominus de pietate divina præsumunt, quam per tot annos turpiter adeo repudiarunt, temeritatem inexcusabilem committunt. Nam ut S. Augustinus ait : « Promisit Deus indul« gentiam, si me mutavero. Video, scio, promisit « Deus indulgentiam; per sanctum Prophetam « hanc promittit, et per me minimum servum « suum promittit. Verum est quod promittit; hanc « promisit per unicum Filium suum. Sed quid vis « addere dies malos diebus malis? Sufficiat dici « malitia sua. Malus dies hesternus, malus et ho« diernus, malus et crastinus. An putas esse bonos « dies quando satisfacis voluptatibus tuis? Quando « in luxuriis emitris cor tuum? Quando insidiaris « alienæ pudicitiæ? Quando fraude contristas proxi« mum tuum? Quando falsum pro nummo juras? « Quando exhibes tibi bonum prandium? Ideo pu« tas quia bonum diem ducis? »

Versus 15.

Et resedit, qui erat mortuus, et cœpit loqui; et dedit illum matri suæ.

Et resedit, qui erat mortuus.

1. — Mortui suas voci divinæ aures præbent et obedientiam, nos e contra vivi, nostras recludimus, divinæque voluntati rebelles persistimus, *Joan.*, v, 25 : *Mortui audient vocem Filii Dei*, inquit S. Joannes, *et qui audierint, vivent.* S. Bernardus de fructibus et utilitatibus, ex audito verbo Dei resultantibus, discurrens, ita scribit : « Licet mortuus in « peccato, si audieris vocem Filii Dei, vives; *verba « enim, quæ* loquitur, *spiritus et vita sunt, Joan.*, vi, « 64. » Misisse quondam legitur Deus Ezechielem in campum, plenum ossibus mortuorum, quæ postquam Propheta circumcirca curiose contemplari jussus esset, tandem interrogatur a Domino, *Ezech.*, xxxvii, 3 : *Fili hominis, putasne vivent ossa ista?* Respondit Propheta : *Dominus meus tu nosti*; præcepit autem illi Dominus, dicens : *Vaticinare de ossibus istis et dices eis : Ossa arida, audite verbum Domini.* Quid hoc mysterii? ossa hæc nec aures ad audiendum, nec intellectum ad apprehendendum, nec memoriam ad conservandum, neque cor habebant ad aperiendum : an non igitur frustranea hæc erat Ezechielis prædicatio? Nequaquam : *Hæc dicit Dominus ossibus his : Ecce ego intromittam in vos spiritum et vivetis, et dabo super vos nervos, et succrescere faciam super vos carnem et scietis quia ego Dominus.* Hæ sunt gloriosæ divini Verbi victoriæ, hæ sacræ illius metamorphoses, in momento ad vitam gratiæ revocare calvariam mortuam, id est, peccatorem durum et obstinatum. *Saul spirans minarum et cædis in discipulos Domini*, subito ut Christi vocem audit, factus est vas electionis et sonora Spiritus Sancti tuba : *Factus est sonus prophetante me*, inquit Ezechiel, *et ecce commotio, et accesserunt ossa ad ossa, et unumquodque ad juncturam suam; et ecce commotio, et steterunt super pedes suos exercitus grandis.* S. Augustinus, *tract.* xix *in Joan.*, super textum illum S. Joannis supra citatum, scribit, Verbum Incarnatum illis verbis non intendisse loqui de hora illa ultima, quando nimirum in die finalis judicii, *in jussu et voce Archangeli, et tuba Dei descendet de cœlo, et mortui qui in Christo sunt resurgent primi;* ratione est, quia tempus illud adhuc futurum est, de hoc vero tempore dicitur : *Et nunc est.* Ergo intelligitur de animarum in peccato mortuarum resurrectione, quod scilicet ad vocem et verbum divini Verbi ad gratiam resurgent.

2. — S. Bernardus hunc eumdem effectum in resuscitatione Lazari considerat, qui etiam in virtute vocis Christi ad vitam rediit, sicut et hic juvenis : « Ut ostendatur, quod in verbo Dei animam « vivificante est veritas in voce, charitas in magni« tudine et potestas in clamore. » S. Ambrosius, *lib.* V *in Luc.*, ad rem nostram ita scribit : « Quis « est iste tumulus tuus, nisi mali mores? Tumulus « tuus perfidia est, tumulus tuus guttur est : *Se« pulchrum patens est guttur eorum.* Ab hoc sepul« chro te liberat Christus, ab hoc tumulo surges, si « audias verbum Dei. »

3. — Est etiam hoc loco observandum, quod inter voces *surge et resedit*, nihil ne quidem brevissimum temporis spatium intercedat; unde Titus Bostrensis ait : « Incunctanter autem erectus est, « cui sunt mandata directa; divina enim potestas « est irrefragabilis, nec ullam moram addit. » Unde docemur, quod, dum de resurrectione mortui a morte peccati, ad vitam gratiæ agitur, nulla prorsus debeat dilatio interponi; *Psal.* xciv, 8 : *Hodie si vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Apostolus autem, qui subito et sine mora, divinæ voci obedivit, ideoque sancte gloriatur, *Gal.*, i, 16, quod *continuo non acquievit carni et sanguini*, hanc nostram vocanti Deo debitam obedientiam arctius constringit, ad unicum duntaxat, *nunc*; quia dicit : *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* III *Cor.*, vi, 2.

4. — Titus Bostrensis ubi supra, litteralem quamdam rationem affert, cur adolescens iste se ad sedendum et loquendum erexerit; dicit enim : « Resedit et locutus est mortuus, ne cui secundum « externam tantum faciem et non vere resuscitatus « videretur; siquidem sedere et loqui, veræ exsus« citationis argumenta sunt; corpus enim exanime, « neque sedere, neque loqui potest. »

5. — Simon de Cassia hanc sessionem de interna inordinatorum appetituum ad rectam rationem compositione interpretatur : « Resedit, » inquit, « ad sedem rationis et ad judicium ejus interne « reversus est. »

6. — Venerabilis Beda ait : « *Resedit* quippe *qui « erat mortuus*, cum interna compunctione revivis« cit peccator. » Albertus Magnus quoque verba illa de peccatore exponit, qui ad pœnitentiam reducitur : « Tunc mortuus se erigit, » inquit, « et « sedens loquitur, cum peccator per spem veniæ se « levat ad cœlum; et tunc sedens loquitur, quando « peccata sua discrete et integre confitetur. » Idem quoque Doctor in oratione, quam in hanc Dominicam contexuerit ad Deum conversus, ita eidem supplicat : « Dic animæ jacenti in peccatis, ut resi« deat, per bonam voluntatem, incipiat loqui per « confessionem, surgat per bonam operationem, « redde illum matri suæ gratiæ nutrici, ut stet per « stabilitatem. »

7. — S. Bonaventura similiter per hanc sessionem, contritionem intelligit animæ alicujus pœnitentis : « *Resedit* per contritionem, *cœpit loqui* per « confessionem, *redditus est matri* Ecclesiæ per « satisfactionem. » Haymo ait : « Sessio humilita« tem signat, residet peccator, cum incipit pœni« tentiam agere, cum humilitate deflet, quidquid « deliquit aut cogitando, aut loquendo. »

8. — Advertendum est autem, quod non subito ambulare cœperit, sicut filia Archisynagogi, sed in feretro ad sedendum se erigens, cœperit loqui, ad denotandum, quod peccatores, qui ab inordinatis passionibus et appetitibus suis ad barathrum deferuntur perditionis, quando resipiscunt, sensim et paulatim malos suos mores et vitam reformant; primo enim vitam, id est, divinam gratiam recipiunt et postea affectu a peccatis alienati, malas deserunt et inhonestas conversationes, seque a malis consuetudinibus paulatim expediunt; tametsi enim justificatio in momento fiat, perfectio tamen et reformatio gradatim acquiritur : *Ibunt de virtute in virtutem.*

9. — S. Lucas de hoc juvene dicit, *Resedit*; S. Matthæus autem de filia Archisynagogi inquit, *surrexit*; item S. Joannes de Lazaro ait : *Prodiit ligatus.* De quo differenti modo se post resuscitationem habendi, S. Bonaventura ita loquitur : « Nec enim « vacat mysterio, quod puella in sua suscitatione « dicitur surrexisse, adolescens ille resedisse, Laza« rus vero ligatus manus et pedes prodisse. Per « puellam enim mortuam in domo, intelligitur « peccatum cogitationis; per adolescentem in porta, « peccatum operationis; per Lazarum in sepulchro, « peccatum consuetudinis; et secundum quod pec« cata sint graviora, majores relinquunt sequelas; « ideo qui solum cogitatione, peccavit, vivificatus « continuo surgit et parva remanet difficultas; qui « vero opere peccavit, vivificatus sedet, quia adhuc « pronitas remanet, qui autem in consuetudine « peccavit, vivificatus ligatus est, quia habet mag« nam pronitatem ad malum et difficultatem ad « bonum. »

Et cœpit.

10. — S. Marcus, xiv, 72, planctum S. Petri, ob Salvatorem suum negatum, describere volens, præ aliis Evangelistis specialiter utitur hoc verbo : *Et cœpit flere*, qui modus loquendi utique mysterio non vacat, per hunc enim indicatur, quod SS. Apostolorum Princeps, hunc quidem amarum fletum tunc inchoaverit, illum deinceps prosecuturus, usque ad ultimum vitæ suæ spiritum; eodem igitur modo nos in præsenti asserere possumus, hunc juvenem mox ut in feretro revixit, ut se erga benefactorem suum, gratum exhiberet, linguam suam ad promendum debitas Deo laudes et gratiarum actiones tunc quidem laxare cœpisse, ita tamen ut deinceps, quoadusque vixit, eamdem linguam suam in annuntianda, deprædicandaque divina omnipotentia et pietate, nunquam destiterit adhibere.

Loqui.

11. — Salmeron hoc loco quærit, quis fuerit hic discursus, sive quæ verba juvenis hic resuscitatus protulerit; hæc enim Evangelista sub silentio transiit : « Quidam meditantur sic dixisse : *Venite, et « audite, et narrabo omnes qui timetis Deum, quanta « fecit Deus animæ meæ*; vel : *castigans, castigavit « me Dominus, et morti non tradidit me*; vel : *dextera « Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me; « non moriar, sed vivam et narrabo opera Domini;*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

« vel illud Psalmistæ : *Quia misericordia tua magna « est super me et eruisti animam meam ex inferno « inferiori.* » S. Bonaventura inquit : Non est dubium, quin loqueretur verba divinæ laudis, quod quidem non est mortuorum, sed viventium; secundum illud Psalmi CXIII, 17 : *Non mortui laudabunt te, Domine, neque omnes qui descendunt in infernum.*

12. — Idem Seraphicus Doctor differentiam consideral, quæ inter hunc juvenem et alios resuscitatos intercedit; nam : « Suscitatio puellæ proba- « tur manducatione, quia jussit dari illi mandu- « cari; Lazari, ambulatione : *Solvite abire;* ado- « lescentis, locutione. Respicit manducatio actum « vegetabilis, ambulatio actum sensibilis, locutio « actum rationalis. »

13. — Albertus Magnus in sensu spirituali, bene loquendi rectitudinem nos docet : « Recte loqui- « tur, » inquit, « qui in oratione cum Deo, loquitur, « et Deum percipit loquentem, in prædicatione et « collatione de Deo loquitur, et in laudibus divinis « magnalia refert Dei. »

14. — Quod si experientiam facere velimus, an anima aliqua vere ex statu peccati et vitæ dissolutæ ad Deum conversa sit, certius aut melius judicium habere non possumus, quam si attendamus, de quo loquatur, vel qui sint illius discursus S. Bonaventura, quis hic defunctus sit, in sensu morali declarat, *Serm.* III *in hoc Dom.*, dicens : « Mortuus per « transgressionem peccati, justificatur per contri- « tionem, loquitur per confessionem et per Dei « laudem, vel quæcumque utilia et ædificatoria « verba. » Mox ut juvenis hic vitam recepit, ad Dei gloriam, instrumentum illud adhibuit, illico, de quo Sapiens, *Prov.*, XXVIII, 21, scribit : *Mors et vita in manu linguæ;* hæc enim mortis causa est, si ea male utamur, innumerabilium vero bonorum origo, si recte ea cum hoc juvene usi fuerimus qui eam ad referendas Deo laudes expedivit, qui unius filius est, ob quem illam ab artifice supremo accepimus. Unde D. Chrysostomus, *Hom.* XXVIII *in Gen.*, ait : « Animam nobis inspiravit et linguam dedit, ut sua « in nos beneficia animis percipientes, exhibeamus, « et pro viribus gratias agamus. »

15. — S. Augustinus, *de salut. doc.*, XXIV, pariter de hoc eodem fine nos monet : « Lingua ad bene- « dicendum et laudandum creata est. »

Et dedit illum matri suæ.

16. — Verisimile quidem est, tametsi Evangelista idipsum non exprimat, quod hic juvenis e feretro descendens, ad pedes Salvatoris sese prostraverit, atque ad sequendum illum, toto vitæ residuo, illudque in servitium et obsequium ejus, impendendum devotissime obtulerit, dicendo fortasse : *Sequar te, quocumque ieris*, attamen benignissimus Dominus, qui a principio, vi compassionis in matrem, miraculum hoc edideral, ipsum eidem matri consignare voluit, ad docendum nos, quod non ob proprium interesse aut commodum, sed solum ad suam erga nos benignitatem et charitatem exercendam operatus fuerit.

17. — Adolescentem hunc suæ genitrici restituit, ut ostendat, quanti viduslem statum æstimet. S. Bonaventura notat, Christum, huic viduæ occurrentem, summa cum benignitate, in suo se itinere firmasse, atque ex industria ad illam cordialiter consolandam composuisse, jubendo, ut a lacrymis abstineret et effusas extergeret : « Videns, » inquit, « hodierna die oculo divinæ pietatis, mulierem « viduam dolentem et flentem de morte unigeniti « filii sui, ut omnes alios exemplo suo ad pietatem « subventionis provocaret, dignatus est eam dulci- « ter alloqui et consolari, dum ei reddit filium « vivum, a mortuis resuscitatum. » Albertus Magnus ait : « Quem enim suscitando suum fecerat, « secum ducere vel aliter ad obsequia sua deputare « poterat; sed viduæ misertus omni solatio desti- « tutæ, dedit eum matri. »

18. — Lucas Brugensis Christum huic juveni dexteram porrexisse existimat, ut illum ad descendendum e feretro, quod in sublimi erat, adjuvaret; *Ecce defunctus efferebatur :* « Data dextera, » inquit, « jussit Deus, ut surgeret in pedes et de feretro « descenderet, duxitque eum ad matrem cujus « commiseratione eum suscitaverat; et dedit ma- « tri; » fuitque donum istud adeo matri gratum, ut acceptius illi dari non potuerit : « Vere donum erat « Jesu, qui non fuerat nisi per Jesum recuperabi- « lis. » Jansenius pulchre notat, quod inter alios a Christo suscitatos defunctos, hujus solius revivificatio ex propriæ compassionis motivo processerit : *Misericordia motus;* neque enim pro illius suscitatione ab ullo ei supplicatum fuit, sicuti in aliorum suscitatione contigit : « Hoc demonstravit Christus, « se viduarum maxime esse consolatorem, ac earum « lacrymis posse commoveri. » Sancta Monica S. Augustini mater vidua, non modo ob corporalem mariti mortem, sed longe magis ob spiritualem filii interitum, maxime afflicta, pro ejus conversione amarissime flebat, dumque se die quadam, Episcopi cujusdam orationibus, se et filium suum, summa cum sollicitudine recommendasset, hic eam consolatus est, dicendo : « Fieri non potest, ut « pereat filius tantarum lacrymarum. »

19. — Ad mysterium confugit Hugo Cardinalis, inquiens : « Datio filii defuncti matri suæ est « reconciliatio pœnitentis cum Ecclesia; » quæ etiam Alberti Magni opinio fuit, dum ait : « Signi- « ficat in facto, quod suscitatus spiritualiter matri « Ecclesiæ per reconciliationem est restituendus et « Sacramentorum communioni, ut sicut scandali- « zando ab Ecclesiæ gremio per peccatum accessit, « ita satisfaciendo, ad Ecclesiæ Sacramenta rever- « tatur. » Haymo similiter dicit : « Redditur matri

« peccator, cum per ministerium Sacerdotum pœ- « nitentia peracta, paci ac unitati Ecclesiæ socia- « tur. »

20. — Sic quoque filii, quos Elias et Elisæus ad vitam revocarunt, propriis consignati sunt matribus, non vero ab illis in suam adsciti societatem, idque ut omnem vanæ gloriæ et applausus humani umbram evitarent, et quidem, licet Filius Dei huic vanæ gloriæ tentationi non fuerit subjectus, omnem tamen auram popularem fugere voluit, secus enim unusquisque hos ab ipso suscitatos discipulos demonstrasset.

21. — Ipse etiam Salmeron perpendit verbum *dedit*, inquiens : « Expende verbum *dedit*, quia ado- « lescentulus ille jam Christi potius erat, quam « matris, ideo non dixit, reddidit, quem poterat « sub jure sibi retinere; si enim redemptus redi- « mentis est, multo magis suscitatus suscitantis. » Subtiliorem nihilominus ejusdem verbi considerationem habet Lucas Brugensis, dum ait : « *Dedit*, ut « quemadmodum prius obediret et opem ferret « matri. » Filiam pariter Archisynagogi suscitatam, curæ et educationi tradidit paternæ, hunc adolescentem maternæ, neutri libertatem, neutri licentiam annuit vitæ, independentem ab inspectione parentum, quia ætati illi lubricæ disciplina opus atque obedientia, ideoque de Lazaro, triginta annorum et plurium, dicitur tanquam de viro maturo : *Solvite et sinite abire.* At inquies fortasse, an non perfectior evasisset hic adolescens in schola Christi, quam in domo materna? Respondeo, utique, nihilominus eum Christus matri restituit, ad docendum nos, curam parentibus et onus grave impositum esse circa proles, ut scilicet has bonis informent moribus, observantiam doceant præceptorum divinorum et in timore Dei educent, certi se ad strictissimam rationem reddendam coram Deo obligatos esse, juxta quod ipsis præcipit Apostolus, *Eph.*, VI, 4, dum ait : *Educate illos*, scilicet filios, *in disciplina et correctione Domini;* quibus tamen præmittit illam, quam filii parentibus obedientiam præstare tenentur, jubet enim : *Filii obedite parentibus vestris in Domino et hoc enim justum est; honora patrem tuum et matrem tuam, quod est mandatum primum in promissione, ut bene sit tibi et sis longævus super terram;* ut namque parentes facile et sine labore multo bonam filiorum educationi disciplinam impendant, filios hortatus Apostolus obligat, ut debitam parentibus præstent reverentiam et obedientiam, idque non modo sub formidine pœnæ, sed et spe certa præmii.

22. — Verisimile est, matrem hanc, tenero nimis filii amore absorptam utpote quem unicum unice dilexerat, in multis dissimulasse filii dissolutionibus et insolentiis, huic ætati propriis, ne scilicet reprehensione sua affligeret eum; sed ecce præsentem in foribus, maternæ conniventiæ pœnam, filii mortem, quia *stimulus mortis peccatum est.* Postquam vero divina Christi benignitas ei filium redivivum restituit, sine dubio priorem defectum insigni sollicitudine et filialis educationis debita cura compensavit. S. Augustinus patris sui hæretici negligentiæ suum imputat errorem, dicens, *lib.* I *Conf.*, III : « Cum interea non satageret « pater meus, qualis essem tibi, dummodo essem « disertus, aut desertus potius a cultura tua Deus; » ex altera vero parte gratiam commendat Deo sibi præstitam in sollicitudine matris, quæ filii saluti intentissima, non de bonis ei temporalibus, sed de salute æterna providere satagit; id quod Sanctus ipse lacrymosis expressit verbis pietate plenis, de matre loquens : « Non a te aurum et argentum « petebat, nec aliquid mutabile et volubile bonum, « sed salutem animæ filii sui. » Apostolus scribit, II *Tim.*, V, 9 : *Vidua eligatur, non minus sexaginta annorum, quæ fuerit unius viri uxor, in operibus bonis testimonium habens.* Quibus verbis Apostolus aliarum viduarum regimini eam vult præfici, quæ virtuosæ vitæ sanctorumque operum famam habet; at vero interrogari posset Apostolus unde hanc bonitatis et perfectionis vitæ soliditatem liceat colligere, cui ipse respondet : Si *filios educaverit*, q. d. tunc de prudentia, maturitate et sanitate alicujus viduæ optime quis et secure præsumere poterit, si filios suos bene et honeste educaverit.

23. — Moveri hoc loco potest quæstio, qua de causa Sapientia incarnata, cum alias post patrata sua miracula illos, quibus benefaceret, monere solita fuerit, caverent sibi, ne in pristina relaberentur peccata; sic enim, *Joan.*, V, 14, paralytico dixit : *Ecce sanus factus es, jam noli amplius peccare;* cæcum quoque natum post illuminationem interrogavit, *Joan.*, III, 35 : *Tu credis in Filium Dei?* nihil tamen horum dixerit, sive in Lazari, sive in filiæ archisynagogi, sive denique in hujus adolescentis resuscitatione; nulli enim horum aliquod futuræ emendationis monitum dedit? Ratio esse potest, ad hoc, ut quis se contineat, ne in peccata pristina relabatur, aut pravos mores suos reformet, sufficiens motivum esse poterit, quod vel semel mortem facietenus conspexerit, aut degustarit; nam ut Sapiens ait : *Memorare novissima tua et in æternum non peccabis. Eccli.*, VII, 40.

Additiones.

a. — *Et resedit qui erat mortuus.* Audit vocem imperantem Christi; mox surgit per pœnitentiam a morte peccati, et resedit. « Residet enim, » ait Haymon, « peccator, cum incipit pœnitentiam « agere, cum deflet, quidquid deliquit, aut cogi- « tando, aut loquendo, aut operando. » Neque diu vocatus tardavit. Deo enim ad pœnitentiam vocanti, mox parendum est. Apud Matthæum, VIII, sequens narratur historia : *Alius de discipulis ejus*

ait illi : Domine, permitte me primum ire et sepelire patrem meum. Jesus autem ait illi : Sequere me, et dimitte mortuos sepelire mortuos suos. Quod utique Christi responsum multis videbitur paradoxum. Si enim ipse, in primo præcepto secundæ tabulæ, parentes honorari præcipit, quid convenientius, magisque debitum esse poterat, quam defunctum sepelire patrem? Ad hæc tempus quod in hanc sepulturam adhiberi debebat, breve erat, ipseque sepultura consummata, ad redeundum ad ejus sequelam et disciplinam promptissimus erat. Cur igitur ipsum ad hoc pietatis officium dimittere noluit? Verisimile est Christum multa prævidisse pericula ex hac dilatione secutura; siquidem post sepulturam patris aperiendum erat testamentum, adeunda hæreditas, solvenda debita, census exigendi, terminandæ lites, recipiendæ cognatorum ob defunctum patrem condolentiæ; et dum hæc facta fuissent, sine dubio pristinus vocationis suæ fervor intepuisset, seu potius evanuisset penitus. Divus Chrysostomus hac de re scribit : « Sepelire « patrem discipulus voluit, et non permisit Domi- « nus. Atqui nulla res tam necessaria videtur, « quam sepeliendi patris officium. Christus autem « non permisit. Quamobrem? Paratus semper dia- « bolus est, ut ingressum ubique attente quæritet, « et si parvæ tarditatis causam apprehenderit, « magnam inde conflabit desidiam. » S. Philippus Nerius solitus erat dicere quod transitus a malo ad bonum, subito et sine mora fieri debeat; at vero transitus a bono ad melius bonum, id est, a vita timorata et pia, ad vitam religiosam et perfectam, tempore, consilio et oratione indigeat. At vero omnibus hisce in executionem positis et absolutis, nequaquam tardandum esse. Et hoc forte est quod S. Bernardinus quoque dicere voluit, dum ait : « Cum homo instinctu Spiritus Sancti movetur ad « religionis ingressum, non est utique differen- « dum, ut humanum consilium requiratur, sed « statim impetum Spiritus Sancti debet sequi. » Idque exemplo S. Matthæi in telonio sedentis ostendit, qui licet in telonio sedens, lucris pertinaciter inhiaret, attamen ad vocationem Domini, *surgens secutus est eum.* Ubi Chrysostomus ait : « Disce « vocanti obedientiam. Neque resistit, neque do- « mum adire rogavit et suis hoc communicare. « Humana etiam pericula, quæ ei a principibus « accidere poterant, parvipendit; dum scilicet « rationes officii imperfectas reliquit, secundum « Remigium. Ex quibus omnibus patet, quod nihil « humanum debet nos retardare a servitute Dei. »

b. — Ad vocem Christi : *Adolescens, tibi dico, surge,* statim ipse surrexit, et postea resedit, et cœpit loqui; tamen Evangelista, quod fuit prius, nempe revixit, supponit ac prætermittit, et solum enarrat quod resedit ac locutus fuit. Cujus causam quamdam assignat Haymon : « Sessio, » inquit, « humilitatem signat. » Sedere frequenter in Scriptura humilitatem denotat. *Psal.* CXXXVIII, 2 : *Tu cognovisti sessionem meam et resurrectionem meam. Jerem.*, XIII, 18 : *Dic regi et dominatrici, humiliamini, sedete. Cap.* XV, 17 : *Solus sedebam, quia comminatione replesti me. Ose.*, XIV, 8 : *Convertentur sedentes in umbra ejus.* Cum iste homo ex morte peccati resurgit ad vitam, primo sedet, quia primus gradus, seu pœnitentiæ, seu cæterorum bonorum, est humilitas. Illa siquidem est fundamentum, cui cætera bona innituntur. Sponsus cœlestis in Ecclesiæ descendens hortum juxta spiritualem sensum, coronam texere cœpit ex omnibus aromatibus, id est, ex nulla non contextam virtute; per hanc autem coronam S. Antonius de Padua humilitatem intelligit, super hæc verba *Cant.*, VI, 1 : *Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum*; dicens : « Ad areolam aro- « matum; diminutive areola ab area, propter « humilitatem, quæ humilitas est procreatrix vir- « tutum. » Neque enim dignior humilitati laus attribui potest, quam quod fœcundissimi omnium virtutum partus eidem referantur in acceptis. Scio equidem, quod mihi opponeris, charitatem, juxta Apostoli doctrinam, matrem, imo reginam esse virtutum; dicit enim, I *Cor.*, XIII, 13 : *Major autem horum est charitas.* Et alibi idem Apostolus de eadem charitate inquit : *Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro*; quod S. Prosper de charitate intelligendum esse dicit, dum ait : « Hæc est charitas « vera, germana, perfecta, quam excellentiorem « viam nominat S. Apostolus, et vere ipsa est via, « quæ ducit se ambulantes ad patriam. » Si itaque amor Dei omnes alias præcedit virtutes, inque gradu eminenti eas continet et producit, qualiter idem de humilitate etiam asseri poterit? S. Augustinus optime dubium solvit, dum ait : « Charitatem « dixit superexcellentiorem viam; nihil excellen- « tius est via charitatis. » Moxque in favorem nostrum subjungit : « Et non illa ambulant nisi hu- « miles. » Vera enim nequit dari charitas nisi eam prius informaverit humilitas, ut patet in simili de arbore multos habente ramos, eosque fructibus variis onustos. Unde, obsecro, omnes suum habent nutrimentum? Quis trunco sufficientem subministrat vigorem, necnon ramis, frondibus, floribus, atque pomis? Radix. Ita quoque radix est vitæ spiritualis humilitas, quæ omnibus quidem virtutibus, singulariter autem charitati, vigorem confert, ita ut deficiente illa, totus homo in vitium degeneret; adeoque S. Augustinus, in quadam ad Dioscorum epistola, ait : « Nisi humilitas omnia quæcumque « benefacimus et præcesserit, et comitetur, et con- « secuta fuerit, et proposita, quam intueamur, et « apposita cui adhæreamus, et imposita qua impri- « mamur, jam nobis de aliquo bono facto gauden- « tibus, totum extorquet de manu superbia. » Humilitas itaque non modo omnes alias virtutes, sed et ipsam præcedit charitatem; nisi enim illa quemcumque actum, etiam virtuosissimum præcesserit, Deo gratus et acceptus esse nequit, neque virtuosi insigniri charactere. Unde idem Sanctus alio in loco de hac eadem agens virtute, eam charitatis custodem et conservatricem esse astruit; dicit enim : « Contra superbiam, matrem invidiæ, « maxime militat universa disciplina Christiana; « hæc enim docet humilitatem, qua et acquirat, et « custodiat charitatem. De qua cum dictum esset : « *Charitas non æmulatur*, velut sic causam quæra- « mus unde fiat ut non æmuletur, continuo sub- « dit : *Non inflatur.* »

c. — S. Bonaventura considerat has tres actiones : *Resedit, loquitur, redditur matri suæ*, et ait : *Resedit* per confessionem; *cœpit loqui* per confessionem; *redditus est* matri Ecclesiæ per satisfactionem, quia satisfacere est, debitum reddere non tantum Deo Patri sed etiam Matri Ecclesiæ.

d. — Non sine mysterio Dominus filium dat matri, quia dum dabat, simul et curæ ejus commendabat, volens indicare illius jam officium esse sollicitudinem gerere circa bonam filii educationem, ut qui venerat ad vitam corporis, in eo conservaretur vita gratiæ, præstat enim ut parentes solliciti sint magis circa bonam filii educationem, quam ut iisdem de divite hæreditate prospiciant. Recta filiorum educatio tanto cum rigore parentibus a Deo imposita est ut D. Chrysostomus patris nomine indignum censeat illum, qui in hoc negligentior existit; nam in homilia quadam cui titulus : *de liberorum educatione*, ejuscemodi patri exprobrat dicens : « Audes, dic mihi, adhuc pater « appellari, ita perdito filio, et ut in omnibus « vitiis perderetur, neglecto? » S. Carolus Borromæus qui gregis sui saluti summa cum sollicitudine invigilavit, omnibus verbum Dei annuntiantibus, tam parochis quam quibusvis aliis, præcepit ut parentibus, rectam et in bonis moribus bene ordinatam inculcent liberorum educationem. « De « filiorum autem educatione, et totius familiæ « cura, quam diligentissime aget, et crebro item; « cum optima hæc institutio maxime intersit ad « omnes totius Christianæ disciplinæ rationes. » S. Paulus, postquam filios ad obedientiam et subjectionem extimulasset paternam, mox ad parentes sermonem suum convertens, iisdem præcipit dicens, *Ephes.*, VI, 4 : *Educate illos in disciplina et correptione Domini.* Idem D. Chrysostomus in eadem homilia genitores propriorum filiorum suorum appellat homicidas, si illos per disciplinam convenientem educare negligant : « Qui patres filiorum « moderationem et temperantiam negligunt, libe- « rorum sunt interfectores, atque ideo illis crude- « liores, quod ad interitum et mortem animæ hæc « res tendat. »

Versus 16.

Accepit autem omnes timor, et magnificabant Deum; dicentes : Quia Propheta magnus surrexit in nobis, et quia Deus visitavit plebem suam.

Accepit autem omnes timor.

1. — Toletus miraculum istud tres præcipuos effectus produxisse considerat : « Primo, hominum « astantium corda ad reverentiam quamdam erga « Deum, a quo illud proficiscebatur, impulit, quæ « reverentia dici solet in Scriptura. Secundo, ma- « gnificabant Deum, nam ex reverentia cordis pro- « venit laus oris. Tertio, confessi sunt misisse Deum « magnum Prophetam. »

2. — Qualis autem hic ab iis conceptus timor fuerit, Carthusianus his verbis declarat : « Fuit « timor reverentiæ et admirationis, grandem con- « solationem et jucunditatem habuit admixtam, « non timor afflictionis ac desolationis. » Jansenius quoque dicit : « Fuit timor, non quo male sibi a « Domino metuerent, sed qualis nasci solet ex stu- « pore magno, dum nova aliqua et insolita res acci- « dere videtur. »

3. — Salmeron ex verbis sequentibus deduci posse existimat, quod resuscitatio corporea juvenis secum spiritualem circumstantium resuscitationem traxerit : « Sequitur resurrectio spiritualis eorum, « qui interfuerunt miraculo et primo impleti sunt « timore non tantum admirationis et reverentiæ, « sed etiam potentiæ Christi, ex quo magnificabant « Deum, ut omnipotentem et miserorum consolato- « rem, magnifica ejus opera prædicabant. »

4. — « Quanto desperatior animæ mors ad vi- « tam revocatur, tanto plures eodem corriguntur « exemplo, » inquit Venerabilis Beda.

Et magnificabant Deum.

5. — Idem quoque Sanctus ait : « Quo gratior « in eis Domini pietas apparuit, eo certior cunctis « pœnitentibus spes salutis apparuit. »

Dicentes, quia Propheta magnus surrexit in nobis.

6. — Salmeron illos ad eum se Prophetam retulisse existimat, de quo Moyses tanquam populo Dei promisso loquitur, *Deuter.*, XVIII, 15.

Et quia Deus visitavit plebem suam.

7. — Hoc dixerunt, quia jam tot transierant sæcula, a quibus Deus se populo et Synagogæ subventurum esse promiserat, ut merito ipsum eorum oblitum fuisse existimare potuerint, nisi tantum Prophetam ad illos missum, ex hoc miraculo conjicere potuissent. Unde Jansenius ait : « Si Domi- « num turba fuisse Christum credebat, visitasse « dicunt plebem suam, quod promissa sua in po- « pulo Judaico jam complere cœperit. » Salmeron

quoque dicit : « Intellige, vel quod longo tempore « non mittens Prophetas, populi sui videbatur obli« tus, vel quod per seipsum nunc visitavit, qui « olim visitavit per alios. »

8. — Albertus Magnus dicit : « Ecce beneficii « recognitio, illius nimirum, de quo Lucas, I, 78 : « *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visi« tavit nos oriens ex alto* ; et Psalmus CV, 4 : *Visita « nos in salutari tuo.* »

Additiones.

a. — *Accepit autem omnes timor, et magnificabant Deum.* Valde mirum quod cum in cæteris Christi miraculis semper adfuerint calumniatores, hic in tanta multitudine nullus fuerit ausus contradicere, sed omnes laudaverunt Deum. Ratio est quia nulli aderant improbi, nulli Pharisæi, quod patet ex eo, quia omnes ad gratitudinem excitabantur. Ingratitudo enim est reproborum tessera. Sine stupore nemo cogitare potest, quod Redemptor noster in passionis suæ tempore, in quo tanta cum liberalitate latroni donavit Paradisum, ad sui notitiam multos convertit carnifices, qui *recentebantur percutientes pectora sua*, Centurionem, qui lanceæ latus ejus aperuit, illuminavit, condonavit Petro, non semel, sed ter ipsum neganti, perfidiam ejus; et tamen, ex alia parte, Judam in desperationis æternæque perditionis barathrum cadere permiserit : *Suspensus crepuit medius*; non obstante quod pactam proditionis pecuniam Sacerdotibus retulerit, Magistrum suum innocentem declaraverit, tantique commissi sceleris pœnitudinem demonstrarit : *Retulit triginta argenteos, dicens : Peccavi tradens sanguinem justum.* Verumtamen omnem hanc difficultatem solvit sequens responsio, videlicet, quod quia post plurima a Salvatore recepta beneficia, ipse semper magis ac magis se erga Dominum suum ingratum exhibebat, evidens de se æternæ reprobationis suæ signum ediderit. Unde D. Chrysostomus ait : « Illum Judam ab intolerabili non « liberavit supplicio, quinimo multo magis jure « vexabitur, quia omnipotentiæ, lenitatisque Do« mini tot tantaque habens argumenta, omnem « feram belluam crudelitate superavit. »

b. — Visis magnis operibus ad reverentiam et recognitionem majestatis divinæ excitamur, quod et in hoc miraculo patuit; dicit enim sacer textus : *Accepit omnes timor*, reverentialis scilicet, *et magnificabant Deum.* Cuncti laudaverunt Deum, ex hac causa præcipue, quia non aderant Pharisæi, adeo proficit societas bonorum sejuncta a malorum conventu. Salutare hoc nobis Ecclesiasticus, XXXVII, 15, tradit documentum, ut strictas cum hominibus sanctis contrahamus amicitias : *Cum viro sancto assiduus esto.* Ast quia propter sanctorum in hac vita penuriam, consilium hoc difficulter in praxim redigendum noverat, dum pauci admodum in mundo hoc radiis sanctitatis præfulgent; ideo propositionem suam mox amplians, subjunxit : *Quemcumque cognoveris observantem timorem Dei.* Syriaca legit : Cum viris justis esto habitans, quia ipsi timent peccare coram Deo, et cor eorum convenit cum corde tuo. S. Ambrosius prærogativam considerans Josuæ utpote qui numerosissima Hebræorum ex Ægypto adventantium multitudine, per mortem sublata, ipse non modo supervixit, sed et ipsi Moysi substitutus, Israelem in promissionis terram introduxit; multiplices inquam has prærogativas perpendens, S. Doctor easdem conversationi ascribit, quam Josue continuam fovit cum Moyse viro sancto. « Ubique, » ait ille, « Moysi individuus « adhærebat Jesus; unde factum est, ut qui fuerat « socius conversationis fieret successor potestatis. » Unde nobis paterne S. Isidorus suadet, dicens : « Bonorum societatem require. Si fueris socius « conversationis, eris et virtutum eorum. » Cui hanc minime dissonam tradit doctrinam Seneca : « Omnium societatum nulla præstantior est, nulla « firmior est, quam cum viri boni, moribus simi« les, sunt familiaritate conjuncti. »

DOMINICA SEXTADECIMA POST PENTECOSTEN

EVANGELIUM LUCÆ, CAP. XIV, VERS. 1

1. Cum intraret Jesus in domum cujusdam Principis Pharisæorum sabbato manducare panem, et ipsi observabant eum.

2. Et ecce quidam homo hydropicus erat ante illum.

3. Et respondens Jesus dixit ad legisperitos et Pharisæos : Si licet sabbato curare ?

4. At illi tacuerunt; ipse vero apprehensum sanavit eum, ac dimisit.

5. Et respondens ad illos dixit : Cujus vestrum asinus, aut bos in puteum cadet, et non continuo extrahet illum die sabbati ?

6. Et non potuerunt ad hæc respondere illi.

7. Dicebat autem et ad invitatos parabolam, intendens, quomodo primos accubitus eligerent, dicens ad illos :

8. Cum invitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco, ne forte honoratior te sit invitatus ab illo.

9. Et veniens is, qui te et illum invitavit, dicat tibi : Da huic locum; et tunc incipias cum rubore novissimum locum tenere.

10. Sed cum vocatus fueris, vade, recumbe in novissimo loco, ut, cum venerit qui te invitavit, dicat tibi : Amice, ascende superius, tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus.

11. Quia omnis qui se exaltat, humiliabitur ; et qui se humiliat, exaltabitur.

Versus 1.

Cum intraret Jesus in domum cujusdam Principis Pharisæorum sabbato, manducare panem, et ipsi observabant eum.

Cum intraret Jesus in domum cujusdam Principis Pharisæorum.

1. — « Quamvis malitiam Pharisæorum Domi« nus cognosceret, » inquit S. Cyrillus, « fiebat « tamen eorum conviva, ut prodesset præsentibus « per verba et miracula. » Et Lucas Brugensis ait : « Nullius conversationem respuebat Jesus, ut om« nes lucrifaceret, imo quo aliquam utilitatem nisi « iis afferret, familiarem et quasi domesticum se « illis exhibebat; » neque enim domum illam ingressus, quia cibo opus haberet, sed animarum salute provocatus, inquit Tertullianus : « Curæ erat « ei animarum utilitas et propterea ingressus est; « potuissent enim vel ex doctrina et sermone, vel « ostensione miraculorum utilitatem percepisse, si « voluissent. »

2. — Causam scisciatur Didacus Stella, propter quam Princeps hic non fuerit proprio nuncupatus nomine, sicut et Simon Leprosus suo fuit appellatus; respondetque hanc esse causam, quia scilicet ille Christum invitaverat, ut accusaret eum, utque facta et dicta ejus censuraret : « Illorum nomen, « qui non casu, aut fragilitate humana, sed sicut « dæmones ex invidia et malitia, et proprio motu « peccant, Deus obliviscitur, » juxta illam per os Psalmistæ factam intentationem, *Psal.* XV, 4 : *Nec memor ero nominum eorum per labia mea.*

Sabbato manducare panem.

3. — Bene observat Salmeron, Christum in omnibus, ad quæ invitatus fuit, conviviis, suas munifice dispensasse gratias. In nuptiis in Cana Galilææ aquam mutavit in vinum; ædibus Zachæi donum impertiit salutis æternæ, *Luc.*, XIX, 9 : *Hodie huic domui salus a Deo facta est*; convivio Marthæ lautissimus permisit, quas Mariæ sorori ejus dedit, divini verbi sui delicias; discipulis, cum invitantibus in Emmaus, lumen et notitiam sui donavit, *Luc.*, XXIV, 31 : *Cognoverunt eum in fractione panis.* In præsenti denique ampla charismata contulit, quæ idem Auctor prosequitur : « In domo istius Principis « doctrinam tradit humilitatis contra ambitiosos, « deinde docuit, non esse contra legem in sabbato « benefacere ; qua in re viri spirituales instruuntur, « ut pro temporalibus quæ accipiunt, reddant sym« bolum spiritaale in doctrina, aut precibus, aut « sacrificiis, quod gratorum hominum esse solet. »

4. — Calumniabantur Pharisæi de Christo, dicentes : *Ecce potator vini.* « Expende Christi bonita« tem, » inquit Didacus Stella, « convivium Phari« sæorum acceptat, sua postponens propter nos ; « non curat de his, quæ de ipso dicuntur, ut curet « nos, tantum diligit salutem nostram, ut, quamvis « sciat illos esse murmuratores, etiam cum detri« mento honoris sui veniat ad convivium, sciens, « quod observabant eum. » Documentum scilicet nobis dare voluit, ut in beneficiis proximo, servitiis Deo et bonis præstandis animæ nostræ, omnes aspernemur respectus humanos, neque ullis nos moveri sinamus obtrectantium dictis.

Et ipsi observabant eum.

5. — Invitatio hæc non benevolentiæ, sed malitiæ innitebatur, juxta Lyranum dicentem : « Vide« tur, quod iste invitavit malitiose et non ex « devotione. » Idemque Evangelista subdit : « *Et « ipsi observabant eum*, attendentes, si inter epulas « aliquid diceret, aut faceret, unde possent eum « accusare. » Sed ecce majorem porro Principis Pharisaici malitiam, ut enim invidiæ et nimii contra Salvatorem livoris excessum patefaceret, sinistra non modo Christum intentione invitavit, sed et plures alios strenuos impietatis suæ adjutores ad idem convivium adhibuit. Unde Carthusianus dicit : « Observabant, quomodo in verbo aut facto possent « reprehendere eum, præsertim an aliquid contra « festivitatem sabbati ageret; Christus nempe, ut « ait Bernardus, in verbis passus est observatores, « in dictis contradictores, in tormentis illusores, de « quibus illusoribus Christus ait in Psalmo : *Qui « custodiebant animam meam, consilium fecerunt in « unum.* » Dicit autem S. Marcus, III, 2, expresse

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quoque dicit : « Intellige, vel quod longo tempore « non mittens Prophetas, populi sui videbatur obli« tus, vel quod per seipsum nunc visitavit, qui « olim visitavit per alios. »

8. — Albertus Magnus dicit : « Ecce beneficii « recognitio, illius nimirum, de quo Lucas, I, 78 : « *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visi« tavit nos oriens ex alto* ; et Psalmus CV, 4 : *Visita « nos in salutari tuo.* »

Additiones.

a. — *Accepit autem omnes timor, et magnificabant Deum.* Valde mirum quod cum in cæteris Christi miraculis semper adfuerint calumniatores, hic in tanta multitudine nullus fuerit ausus contradicere, sed omnes laudaverunt Deum. Ratio est quia nulli aderant improbi, nulli Pharisæi, quod patet ex eo, quia omnes ad gratitudinem excitabantur. Ingratitudo enim est reproborum tessera. Sine stupore nemo cogitare potest, quod Redemptor noster in passionis suæ tempore, in quo tanta cum liberalitate latroni donavit Paradisum, ad sui notitiam multos convertit carnifices, qui *recentebantur percutientes pectora sua*, Centurionem, qui lanceæ latus ejus aperuit, illuminavit, condonavit Petro, non semel, sed ter ipsum neganti, perfidiam ejus; et tamen, ex alia parte, Judam in desperationis æternæque perditionis barathrum cadere permiserit : *Suspensus crepuit medius*; non obstante quod pactam proditionis pecuniam Sacerdotibus retulerit, Magistrum suum innocentem declaraverit, tantique commissi sceleris pœnitudinem demonstrarit : *Retulit triginta argenteos, dicens : Peccavi tradens sanguinem justum.* Verumtamen omnem hanc difficultatem solvit sequens responsio, videlicet, quod quia post plurima a Salvatore recepta beneficia, ipse semper magis ac magis se erga Dominum suum ingratum exhibebat, evidens de se æternæ reprobationis suæ signum ediderit. Unde D. Chrysostomus ait : « Illum Judam ab intolerabili non « liberavit supplicio, quinimo multo magis jure « vexabitur, quia omnipotentiæ, lenitatisque Do« mini tot tantaque habens argumenta, omnem « feram belluam crudelitate superavit. »

b. — Visis magnis operibus ad reverentiam et recognitionem majestatis divinæ excitamur, quod et in hoc miraculo patuit; dicit enim sacer textus : *Accepit omnes timor*, reverentialis scilicet, *et magnificabant Deum.* Cuncti laudaverunt Deum, ex hac causa præcipue, quia non aderant Pharisæi, adeo proficit societas bonorum sejuncta a malorum conventu. Salutare hoc nobis Ecclesiasticus, XXXVII, 15, tradit documentum, ut strictas cum hominibus sanctis contrahamus amicitias : *Cum viro sancto assiduus esto.* Ast quia propter sanctorum in hac vita penuriam, consilium hoc difficulter in praxim redigendum noverat, dum pauci admodum in mundo hoc radiis sanctitatis præfulgent; ideo propositionem suam mox amplians, subjunxit : *Quemcumque cognoveris observantem timorem Dei.* Syriaca legit : Cum viris justis esto habitans, quia ipsi timent peccare coram Deo, et cor eorum convenit cum corde tuo. S. Ambrosius prærogativam considerans Josuæ utpote qui numerosissima Hebræorum ex Ægypto adventantium multitudine, per mortem sublata, ipse non modo supervixit, sed et ipsi Moysi substitutus, Israelem in promissionis terram introduxit; multiplices inquam has prærogativas perpendens, S. Doctor easdem conversationi ascribit, quam Josue continuam fovit cum Moyse viro sancto. « Ubique, » ait ille, « Moysi individuus « adhærebat Jesus; unde factum est, ut qui fuerat « socius conversationis fieret successor potestatis. » Unde nobis paterne S. Isidorus suadet, dicens : « Bonorum societatem require. Si fueris socius « conversationis, eris et virtutum eorum. » Cui hanc minime dissonam tradit doctrinam Seneca : « Omnium societatum nulla præstantior est, nulla « firmior est, quam cum viri boni, moribus simi« les, sunt familiaritate conjuncti. »

DOMINICA SEXTADECIMA POST PENTECOSTEN

EVANGELIUM LUCÆ, CAP. XIV, VERS. 1

1. Cum intraret Jesus in domum cujusdam Principis Pharisæorum sabbato manducare panem, et ipsi observabant eum.

2. Et ecce quidam homo hydropicus erat ante illum.

3. Et respondens Jesus dixit ad legisperitos et Pharisæos : Si licet sabbato curare ?

4. At illi tacuerunt; ipse vero apprehensum sanavit eum, ac dimisit.

5. Et respondens ad illos dixit : Cujus vestrum asinus, aut bos in puteum cadet, et non continuo extrahet illum die sabbati ?

6. Et non potuerunt ad hæc respondere illi.

7. Dicebat autem et ad invitatos parabolam, intendens, quomodo primos accubitus eligerent, dicens ad illos :

8. Cum invitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco, ne forte honoratior te sit invitatus ab illo.

9. Et veniens is, qui te et illum invitavit, dicat tibi : Da huic locum; et tunc incipias cum rubore novissimum locum tenere.

10. Sed cum vocatus fueris, vade, recumbe in novissimo loco, ut, cum venerit qui te invitavit, dicat tibi : Amice, ascende superius, tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus.

11. Quia omnis qui se exaltat, humiliabitur ; et qui se humiliat, exaltabitur.

Versus 1.

Cum intraret Jesus in domum cujusdam Principis Pharisæorum sabbato, manducare panem, et ipsi observabant eum.

Cum intraret Jesus in domum cujusdam Principis Pharisæorum.

1. — « Quamvis malitiam Pharisæorum Domi« nus cognosceret, » inquit S. Cyrillus, « fiebat « tamen eorum conviva, ut prodesset præsentibus « per verba et miracula. » Et Lucas Brugensis ait : « Nullius conversationem respuebat Jesus, ut om« nes lucrifaceret, imo quo aliquam utilitatem nisi « iis afferret, familiarem et quasi domesticum se « illis exhibebat; » neque enim domum illam ingressus, quia cibo opus haberet, sed animarum salute provocatus, inquit Tertullianus : « Curæ erat « ei animarum utilitas et propterea ingressus est; « potuissent enim vel ex doctrina et sermone, vel « ostensione miraculorum utilitatem percepisse, si « voluissent. »

2. — Causam scisciatur Didacus Stella, propter quam Princeps hic non fuerit proprio nuncupatus nomine, sicut et Simon Leprosus suo fuit appellatus; respondetque hanc esse causam, quia scilicet ille Christum invitaverat, ut accusaret eum, utque facta et dicta ejus censuraret : « Illorum nomen, « qui non casu, aut fragilitate humana, sed sicut « dæmones ex invidia et malitia, et proprio motu « peccant, Deus obliviscitur, » juxta illam per os Psalmistæ factam intentationem, *Psal.* XV, 4 : *Nec memor ero nominum eorum per labia mea.*

Sabbato manducare panem.

3. — Bene observat Salmeron, Christum in omnibus, ad quæ invitatus fuit, conviviis, suas munifice dispensasse gratias. In nuptiis in Cana Galilææ aquam mutavit in vinum; ædibus Zachæi donum impertiit salutis æternæ, *Luc.*, XIX, 9 : *Hodie huic domui salus a Deo facta est*; convivio Marthæ lautissimus permisit, quas Mariæ sorori ejus dedit, divini verbi sui delicias; discipulis, cum invitantibus in Emmaus, lumen et notitiam sui donavit, *Luc.*, XXIV, 31 : *Cognoverunt eum in fractione panis.* In præsenti denique ampla charismata contulit, quæ idem Auctor prosequitur : « In domo istius Principis « doctrinam tradit humilitatis contra ambitiosos, « deinde docuit, non esse contra legem in sabbato « benefacere ; qua in re viri spirituales instruuntur, « ut pro temporalibus quæ accipiunt, reddant sym« bolum spiritaale in doctrina, aut precibus, aut « sacrificiis, quod gratorum hominum esse solet. »

4. — Calumniabantur Pharisæi de Christo, dicentes : *Ecce potator vini.* « Expende Christi bonita« tem, » inquit Didacus Stella, « convivium Phari« sæorum acceptat, sua postponens propter nos ; « non curat de his, quæ de ipso dicuntur, ut curet « nos, tantum diligit salutem nostram, ut, quamvis « sciat illos esse murmuratores, etiam cum detri« mento honoris sui veniat ad convivium, sciens, « quod observabant eum. » Documentum scilicet nobis dare voluit, ut in beneficiis proximo, servitiis Deo et bonis præstandis animæ nostræ, omnes aspernemur respectus humanos, neque ullis nos moveri sinamus obtrectantium dictis.

Et ipsi observabant eum.

5. — Invitatio hæc non benevolentiæ, sed malitiæ innitebatur, juxta Lyranum dicentem : « Vide« tur, quod iste invitavit malitiose et non ex « devotione. » Idemque Evangelista subdit : « *Et « ipsi observabant eum*, attendentes, si inter epulas « aliquid diceret, aut faceret, unde possent eum « accusare. » Sed ecce majorem porro Principis Pharisaici malitiam, ut enim invidiæ et nimii contra Salvatorem livoris excessum patefaceret, sinistra non modo Christum intentione invitavit, sed et plures alios strenuos impietatis suæ adjutores ad idem convivium adhibuit. Unde Carthusianus dicit : « Observabant, quomodo in verbo aut facto possent « reprehendere eum, præsertim an aliquid contra « festivitatem sabbati ageret; Christus nempe, ut « ait Bernardus, in verbis passus est observatores, « in dictis contradictores, in tormentis illusores, de « quibus illusoribus Christus ait in Psalmo : *Qui « custodiebant animam meam, consilium fecerunt in « unum.* » Dicit autem S. Marcus, III, 2, expresse

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

singularem eos in hac observatione respectum habuisse sui sabbati : *Observabant eum, ut, si quid diceret aut faceret contra religionem sabbati, accusarent.* Inter cæteros etiam S. Antonius de Padua, *Serm. in Dom.* XVII *Trin.*, docet, non intendisse Pharisæos Christo convivium, sed insidias parare : « Id est, insidias intendebant, vel callide adverte- « bant, si sabbatum solveret; » quo fine hunc S. Doctor citat Psalmi XXXVI, 16, versiculum : *Observabit peccator justum et stridebit super eum dentibus suis.* Crediderim hosce Pharisæos de illa fuisse secta, de qua regius Vates inquit : *Loquuntur pacem de proximo suo; mala autem in cordibus eorum,* qui ut malitiam suam contegant, Christum speciose invitant : « *Manducare panem,* » inquit Albertus Magnus, « fuit, quantum ad exterius, causa invitationis; « interius autem erant calumniatores pessimi; sub « pallio honestatis quærentes mordere Christum. »

6. — Advertit S. Bonaventura S. Lucam non speciliee, sed indefinite dixisse, quod observarent convivæ Christum : « Non dicit in quo, ut insinuet, « quod observabant verba et miracula ad arguen- « dum; » id quod fusius hisce verbis explanat Didacus Stella : « Observabant quomodo manduca- « bat, observantes quoties biberet, utrum comedat « carnem nec ne; ut si manducet, helluonem; si « non manducet, hypocritam eum vocare possint. » Unde S. Bonaventura concludit : « Hæc observatio « procedebat ex malitia insidiante, contra quod « dicitur, *Prov.*, XXIV, 15 : *Ne insidieris et quæres « impietatem in domo justi.* » Enimvero convivia lapis lydius esse solent ad explorandam convivarum virtutem vel defectus; cum enim tunc tempus sit lætitiæ, spiritu opus est, ut quis se intra sobrietatis et continentiæ limites conservet, præterquam quod, ut dicitur, « in vino veritas est. »

7. — Nemini ignotum est illud floris emblema, ex quo apis mel, aranea venenum sumit, hac animatum epigraphe : *Hinc mel, hinc venenum.* Christus de seipso dicit, *Cant.*, II, 1 : *Ego flos campi,* ac proinde boni, miracula, virtutes, exemplaritatem vitæ ejus observantes, salutem sibi inde adsciscebant æternam; maligni autem Pharisæi livore ac furore magis magisque accendebant. Sæpe quidem contigit, quod in persona virtuosa multa videantur ad imitandum bona exempla; at vero cum omnes ex massa hac contaminata plasmati sumus, semper quoque in ea aderit defectus, quem proinde mali summa cum diligentia notant, omniumque oculis palam faciunt, ut plura ejusdem, quæ laudem merentur, bona obfuscare possint; præterquam, quod adeo lynceæ sit malorum impietas, ut vestigia impressa videant, ubi nullus unquam fixit pedem.

8. — Felices sane et fortunati fuissent Pharisæi illi, si ad hoc ut illuminarentur, rectaque cum intentione suos in solem justitiæ defixissent oculos, utpote qui omnium operationum nostrarum exemplum pariter et prototypon erant; in ipso omnia ejus observanda sunt verba, siquidem omnia, innumera in se continent mysteria et sacramenta, *Psal.* CXVIII, 105 : *Lucerna pedibus meis verbum tuum.* Omnes item illius actiones, quia omnia opera ejus ad nostram ordinantur doctrinam et eruditionem.

9. — Salmeron Christum hanc parabolam ad ipsorum instructionem et doctrinam proposuisse observat : « Qua in re, » inquit, « melius et salu- « brius eos observavit, qui se observabant; » siquidem illis occultas eorum passiones detexit, pariterque ad eas sanandas tradidit remedium.

Additiones.

a. — *Cum intraret Jesus in domum cujusdam principis Pharisæorum,* etc. Theophylactus hic inquit : « Christus in domos Pharisæorum ingreditur; curæ « enim erat ei animarum utilitas; potuissent enim « vel ex doctrina, vel ex miraculis utilitatem perci- « pere. » Aderat Christus in hujusmodi conviviis, ut præsentes tanquam verus Magister doceret verbo et etiam facto, ut exemplo suæ sanctitatis, ac virtutis, eos inescaret et alliceret ad justitiam et sui sequelam. Bonum enim exemplum impios ad Deum convertit et reformat. Cur obsecro increata atque incarnata Sapientia, manibus quæ cœlum distenderant, et illuminarant, pedes lavare voluit discipulorum? Rationem Salvator ipse his indigitat verbis : *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, et ita et vos faciatis.* Quasi diceret : Summa et perfectio totius vitæ Christianæ animarumque salutis in bono consistit exemplo. Deus olim, duce Gedeone, populo suo victoriam destinans, contra implacabiles Israelitarum inimicos Madianitas, milites manibus gestare voluit pocula testacea, inclusis intra ipsa lampadibus aliquot, quorum lumen ruptis vasis, inter mutuas collisiones compareret : *Cumque per gyrum castrorum in tribus personarent locis et hydrias confregissent, tenuerunt sinistris manibus lampades, et dextris sonantes tubas, clamaverunt : Gladius Domini et Gedeonis.* Ita quoque Dei Filius, cujus typum magnus ille dux gessit, Filius inquam Dei, qui *non venit pacem mittere, sed gladium,* Gentiles idololatras, nominisque Christiani inimicos domiturus, quo putatis usus fuerat remedio? Jussit ut multi fidelium in supplicium carnificina, corporum suorum rumperent argillam, id est, in confessione fidei constanter perseverarent, et prædicationis Evangelicæ tubas insonarent, maxime autem, ut accensarum lampadum, id est, bonorum exemplorum splendore alios illustrarent : « Vide, » inquit Origenes, « quia electi milites Dei cum « lampadibus pugnant, sic enim Christus eos « armaverat dicens : *Sint lumbi vestri præcincti, et « lucernæ ardentes in manibus vestris;* et iterum : « *Sic lucsat lux vestra coram hominibus, ut videant « opera vestra bona.* Talibus ergo lampadibus pug-

« nare decet milites Christi, luce operum reful- « gentes et splendore gestorum. »

b. — Ericus Abbas ait : « Adibat Dominus car- « nalia hominum convivia, non tam ut exterioribus « epulis vesceretur, quam ut ipse, qui est panis de « cœlo descendens, dapes superni convivii eroga- « ret. » Christus Dominus valde exiguo ac tenui cibo utebatur, et inter nos tanquam peregrinus, ac egenus, eleemosynam ab hominibus accipiens degebat. Ad quid ad hujusmodi convivia se conferebat? « Non tam ut ipse exterioribus epulis vesceretur, « quam ut ipse dapes superni convivii erogaret. » Sumebat Dominus panem ab hominibus, ut inde quodammodo obligaretur ad cœlestem panem hominibus dandum. Voluit Dominus, pane accepto ab hominibus, eis panem dare, ut homines eleemosyna, ac opere charitatis præparati, dignius cœlestia beneficia exciperent.

c. — Non immerito in quæstionem vocari posset, quare Dominus ad manducandum panem, egestatique naturæ suæ subveniendum, occasionem quæsierit, in domo cujusdam principis Pharisæorum, qui tamen induratissimi hostes ipsius erant. Sed quæstioni opportune satisfacit D. Cyrillus, dum ait : « Quamvis autem malitiam Phsrisæorum Dominus « cognosceret, fiebat tamen eorum conviva, ut « prodesset præsentibus per verba et miracula. » Sic misericordia Dei variis utitur modis, ut nos ad se trahat, et peccatores quantumvis pessimos convertat. S. Laurentius Justinianus varios considerat modos, quibus divina pietas peccatores ad se trahit. Nam ut mutentur in melius, « sua illis dona com- « municat, blanditiis afficit, muneribus ornat, pre- « mit flagellis, terret minis, exhortationibus vocat, « revocat indulgentia, charitate trahit, quoniam « non vult peccatoris mortem, sed magis ut con- « vertatur et vivat. Nempe immanis non est ut in « morientium perditione lætetur, quin potius ut « salventur per pœnitentiam, hominum peccata « dissimulat. » S. Vincentius Ferrerius alium quemdam misericordiæ Dei in trahendis ad se peccatoribus modum considerat, videlicet, quia : « Non « solum dimittit pœnitenti culpas, imo roganti « relaxat pœnas. » Cum enim pœna æterna in temporalem commutetur, vel in hac vita, vel in Purgatorio luendam, ideo Deus Ecclesiæ suæ de indulgentiarum thesauro prosperit, ut per applicata infinita sacratissimi sanguinis sui, omniumque Sanctorum merita, pœnæ illæ expientur, quas alias anima vel in hac vel in futura vita diuturno tempore pati debuissel. Unde nobis dici potest, quod Salvator noster ait : *Alii laboraverunt, nos autem in labores eorum intrevimus.*

d. — Non incongrue, nec cum injuria Christus Dominus Pharisæos alias nominavit filios diaboli, dum dixit : *Vos ex patre diabolo estis, et desideria ejus vultis facere;* quia et in hac ad convivium invitatione, ex mala intentione facta, perspicuum est, se aliter erga Christum Dominum non gessisse, quam ipsiusmet diaboli officiatores et ministros, referente textu : *Et ipsi observabant eum,* ad hoc ut ex dictis et factis Christi Domini calumniandi, et nocendi ansam haberent, laqueosque innumeros tenderent, quibus ipsum in verbis suis caperent; sic quoque erga nos se gerit dæmon, qui innumeros tendit laqueos, quibus nos circumveniat. In vita beati Henrici Susonis legitur quod cum ex præcepto Dei omnes jam intermisisset austeritates corporales, in eo se statu positum essse crediderit, in quo secundum sensum carnis omni gavisurus esset quiete et tranquillitate, unde hilariter se canere posse credidit : *Jam hiems transiit, imber abiit et recessit.* Cum ecce in sublimem raptus extasim, ad illum Jobi textum se reflectebat, in quo dicitur : *Militia est vita hominis super terram.* In cujus textus considerationé, juvenis ei quidam apparuit, ingentem secum deferens variorum armorum apparatum, qui eum ad instar equitis accingens dixit ei : Hactenus inter milites pedites sufficienter decertasti, nunc igitur Deus a te requirit, ut velut generosus eques in equo forti et generoso deinceps decertes. Cumque in hac extasi arma illa videns, militem se esse summe obstupesceret, utpote qui animum a militia omnino alienum habens, in bello nunquam cum hoste certasset, prædictus ille juvenis dixit ei : Ne te affligas propter hoc, quia nunquam tibi præliandi deerunt occasiones, cum militibus longe asperiora semper præparata sint certamina, quam olim alicui Hectori, Achillei, Julio Cæsari, vel aliis penes antiquis famosis evenisse legantur. Intelligebat igitur ex tunc servus Dei, de certamine passionum internarum sermonem esse quibuscum ipsi deinceps, post superatam vitam extrinsecus rigidam et austeram, semper viriliter esset decertandum.

S. Bonaventura modos aliquos quibus nobis dæmon damnum inferre et alios, quibus nos deludere, ac decipere potest, ordinarie, recenset. Et quidem in primis potest, ex divina permissione, corporibus nostris gravia mala infligere, prout enim Jobo intulisse constat. Organa quoque corporea turbare potest, et impedire, prout facit in obsessis. Imagines denique et phantasmata nobis imprimere potest, vel etiam per sanguinis commotionem ad peccatum stimulare. Quod vero ad deceptiones et stratagemmata illius attinet, decepit præcipue quatuor modis : « *Primo,* suadendo bonum « et hoc propter malum; » sic, verbi gratia, hominem quem instabilem esse cognoscit, ad religionem ingrediendam extimulat, sperans quod progressu temporis miser futurus sit apostata. « *Secundo,* « suadendo malum sed sub specie boni, » verbi gratia dum urget ad committendum perjurium, ad retinendum bona aliorum. « *Tertio,* dissuadendo « bonum tanquam nocivum, ut cum dissuadet bono

« viro ingressum religionis, ne de hoc pœniteat, et « egrediens confundatur, vel quando dissuadet ali- « cui eleemosynam, ne per hoc incurrat vanam « gloriam. *Quarto*, dissuadendo malum ut ducat « ad pejus, ut quando dissuadet temperantiam in « victu et somno, ut per hoc inducat ad indiscre- « tam abstinentiam quod pejus est. »

S. Gregorius multas alias deceptionum et fraudum machinas enarrat, utpote qui in Jobum, qui furiarum infernalium unicus fuit scopus et objectum, in suis *Moralibus* scribens, præ cunctis aliis cognoscere, et discernere, nobisque illas detegere potuit. Sic igitur scribit : « Hostis callidus contra « cœlestem militem diversa percussionum vulnera « exquirens, modo ex phareira per insidias eum « sagitta vulnerat; modo ante ejus faciem hastam « vibrat, quia videlicet vitia et alia sub virtutum « specie contegit, et alia, ut sunt, aperta ejus oculis « opponit. Ubi enim infirmari Dei militem conspi- « cit, illic fraudis velamina non requirit; ubi autem « sibi resistere fortem considerat, illic contra vires « procul dubio dolos parat. » Nec est quod quispiam se ab ejus laqueis exemptum esse credat, inquit S. Laurentius Justinianus, quia pro omni statu, conditione et professione hominum laqueos paratos habet : « Universis venatorum parati sunt laquei, « non uniformiter, sed juxta singulorum qualitatem « et statum. Assueti in prælio spirituales spiritua- « libus, et carnales carnalibus oppugnant insidiis; « nullum eximunt, nemini parcunt, nulliusque « pertimescunt virtutem. Verum si minime veriti « sunt ipsum mundi Salvatorem appetere, in quo « nihil esse suum sciebant, cujusnam sanctitatem « formidare valebunt? » S. Apostolus Ephesios, VI, 15, monet dicens : *Accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo.* Textus vero Græcus habet : *Assumite omne genus armorum.* Et ratio hujus est manifesta, quia quibus nos armis aggressurus sit, penitus ignoramus, ac proinde omni generis armorum omni ex parte, provisi esse debemus. « Diabolus « nunc agnum, nunc lupum, nunc tenebras, nunc « lucem, in se ostendit, » inquit S. Augustinus, « et « singulis quibusque qualitatibus, locis et tempo- « ribus, secundum rerum mutationes, varias exhi- « bet tentationes. »

e. — Advertendum hic et diligenter considerandum venit, quod hunc principem Pharisæorum, qui Christum invitavit, non nominet Evangelista, cum tamen alium illum Pharisæum, qui Christum invitavit et murmuravit, quod peccatricem suscepisset, nominaverit, Simonem vocando. Quæ causa disparitatis? Uterque Pharisæorum princeps erat, uterque obmurmurat. Respondent Joannes Baptista de Sylveria Carmelita, et Didacus Stella, *in Luc.* : Simon reprehensione Domini melior factus est, et conversus ad Dominum; at Pharisæus iste in sua inveterata malitia permansit. In quo facto agnoscendum est quantum Deus odiat peccata, quæ non casu et forte fortuna fiunt, sed ex malitia, et proposito malo peccantium. Simeon ille casu peccavit, non enim sciebat, quod Magdalena esset ventura; et licet arrogans et superbus fuerit, tamen bona intentione invitavit Jesum forsitan, et si peccavit, hoc fuit casu, et sumpta occasione. Ast iste princeps Pharisæorum, proposito malo, et malitia inveterata et recocta, invitavit in sabbato, ut sumeret occasionem accusandi, et hydropicum coram illo posuit, ut calumniari posset; et ideo utpote impœnitens et induratus, nec nomine dignus habetur. Peccatores enim surdi et indurati, Dei misericordia efficiuntur indigni, non vero qui ex fragilitate peccant, et subito ad resipiscentiam vocanti respondent. Zachæus caput erat Publicanorum, habitabatque in Jericho, civitate olim a Deo maledicta. Volens autem Salvator hunc filium diaboli in Abrahæ adoptare filium, simul etiam hac occasione hanc nobis insinuare voluit sollicitudinem, qua nostram instituere debemus conversionem. Dicit enim sacer Evangelista Lucas, XIX, 3 : *Præcurrens, ascendit in arborem. Suspiciens Jesus vidit illum, et dixit ad eum : Zachæe, festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere; et festinans descendit, et excepit illum gaudens.* Quia vero Zachæus ille omnibus fidelibus, velut veræ conversionis speculum, servire debebat, ideo observandum est, quod restitutionem rei alienæ, nequidem per unicum diem distulerit, sed in tempore præsenti dixerit : *Reddo quadruplum.* Neque facultates suas pauperibus distribuere, in tempus futurum distulit, sed de facto eas illis dispensaverit, ipsomet dicente : *Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus.* Non ait : *Dabo, sed do*; ac proinde audire a Christo meruit : *Hodie huic domui salus a Deo facta est, eo quod ipse filius sit Abrahæ.*

f. — *Et ipsi observabant eum.* Præclara Christi virtus a minima sugillationis umbra immunis erat; Pharisæi tamen, invidia pleni, facta Christi audent observare, ut detrahant ac arguant eum. Detractio enim invidiæ est partus. Invidi bonam opinionem et existimationem virtutis, et operum insignium æmulorum suorum tolerare nequeunt, ac proinde eadem, quoad possunt, depravare satagunt. Unde Petrus Blessensis ait : « Ecce quomodo invidia mel « intoxicat, et dum aliena virtute torquetur, bonum « quod apud se non invenit malitiose depravat. « Opinionis enim alienæ dispendium, suæ famæ « reputat lucrum, totumque sibi detrahi credit, « quod ad titulos vicinæ bonitatis accedit. » Et hæc est causa, cur maledicus linguas suas ad derogandum bono æmulorum suorum nomini exacuat. S. Thomas de invidia disputans, II, II, *q.* XXXVI, *art.* 4, et ipse detractionem invidiæ abortum esse agnovit dum ait : « In conatu invidiæ est aliquid tanquam « principium, et aliquid tanquam terminus. Princi-

« pium quidem est, ut aliquis diminuat gloriam « alterius, vel in occulto, et sic est susurratio; vel « manifeste, et sic est detractio. Medium autem est, « quia aliquis intendens diminuere gloriam alte- « rius, aut potest, et sic est exultatio in adversis; « aut non potest, et sic est afflictio in prosperis. « Terminus autem est in ipso odio, quia sicut « bonum delectat et causat amorem, ita tristitia « causat odium. » Hac de re Alcuinus, utpote dignus Ven. Bedæ discipulus, diu ante Doctorem Angelicum, in hæc verba scripserat : « De invidia « sive invido, qui ab invidendo alterius felicitati « dicitur, nascitur odium, susurratio, detractio, « exultatio in adversis proximi, afflictio autem in « prosperis. » Idem quoque textum quemdam S. Pauli ponderans, ulterius dicit : « De hac Apostolus « comminatur, dicens : *Qui odit fratrem suum homi-* « *cida est, et qui invidet in tenebris est, et in tenebris* « *ambulat.* »

g. — Pharisæi maxime debebant gratulari Christo Domino pro tanto beneficio in eos impenso, ut Dominus dignaretur cum eis adesse in convivio, ut summo bono, nempe ejus colloquio ac præsentia fruerentur; et tamen illi ex tanto beneficio ansam suæ malevolentiæ arripientes, ingrati facti sunt, unde et maledicti. Pessima enim est eorum retributio, qui mala pro bonis reddunt. Jeremias Propheta se ab ingrato populo Judaico in fossa quadam vivum sepultum ingemiscens, cum admiratione exclamasse describitur, XVIII, 28 : *Numquid redditur pro bono malum, quia foderunt foveam animæ meæ?* Deinde ad Deum conversus, quid pro Israelitis præstiterit, ut eorum magis innotescat ingratitudo, commemorans, subjungit : *Recordare, quod steterim in conspectu tuo, ut loquerer pro eis bonum, et averterem indignationem tuam ab eis.* Sed observetis velim, quale ingratis supplicium imprecetur propter suam oppressionem : *Propterea da filios eorum in famem, et deduc eos in manu gladii.* Atque exinde funestissima alia prædicit Jerosolymitanæ urbis infortunia et exterminia. Ecce vobis detestabilem ingratorum abusum, scilicet benefactoribus malum reddere pro bono; unde et Psalmista lamentabatur : *Retribuebant mihi mala pro bonis. Psal.* XXXIV, 12. Quia Saul cui plurimum beneficerat, cujusque regiam coronam stabilire satagebat, innocentem Davidem irreconciliabiliter persequebatur usque ad mortem.

h. — Pharisæi omni spurcitia pleni, audent facta Christi observare ut detrahant ac arguant eum. Sic sane frequenter evenit, ut qui multis defectibus abundant, in viros sanctitate, ac probitate illustres aperiant os suum, et eos omni conatu corrodere ac calumniari non cessent. Pessima calumniæ zizania inimici infernalis opera, ut plurimum in agrum tritico seminatum spargitur, sicut et sagitta ex intentione arcum laxantis in partem metæ albam evibratur; id est, in eum in quo innocentia, et sanctæ ac immaculatæ vitæ candor viget, calumnia communiter effunditur. Unde Sapiens, *Eccli.*, VII, 8, ait : *Calumnia conturbat sapientem.* David vir erat perfectus secundum cor Dei, ac proinde meta fuit, in quem maligni homines imposturarum suarum tela ejaculabant. Atque ideo, *Psal.* CXVIII, 134, petebat : *Redime me a calumniis hominum.* « Ubique ei « calumniantium insidiæ, » inquit S. Hilarius. De S. Jobo ipsamet æterna veritas testimonium perhibet, quod in universa terra, nullus ei in sanctitate similis extiterit et ideo, inquit S. Augustinus, tot fuit calumniarum nævis denigratus. « Calumnia « ejus est, » id est, dæmonis; « *Numquid gratis Job* « *colit Deum?* Quot alias falsas imposturas ipsimet « quoque amici ejus illi impegerunt? » S. Gregorius Constantinum Mediolanensem Episcopum, qui falsis imposturis a diversis lacerabatur, consolari volens, pulchram hanc adducit similitudinem : « Sic nam- « que in corporali prælio fieri solet, ut is qui in « certamine vexillum portat, ipsum hostis vehe- « menter impetat, quatenus si ipse, qui a cæteris « attenditur, vulnus accipit, multitudo omnis citius « dispersa capiatur. »

Versus 2.

Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum.

Et ecce quidam hydropicus.

1. — Salvator noster, de quo S. Joannes, II, 25, dicit : *Ipse enim sciebat quid esset in homine*, Pharisæos de ipso in sabbato hydropicum curante, scandalizandos esse, probe quidem sciebat, non tamen ideo sanitatem restituere distulit. « Non hoc consi- « deravit Dominus, » inquit Theophylactus, « quo- « modo non offenderet ipsos, sed quomodo sanaret « eum; oportet enim nos, ubi magna prospectat « utilitas, non curare inspicientes qui scandalizan- « tur. »

2. — S. Lucas ambiguos nos relinquit, an non homo ille a Pharisæis instigatus fuit ad Christum eo in loco conveniendum, ut experirentur an Christus per ejus curationem, sabbati observantiam violaturus esset, an vero ab infallibili Dei providentia ad illum directus fuerit, ad malignos illos corrigendos. Lucas Brugensis hanc difficultatem movet, nonnullorumque opinionem fuisse dicit, illum ex industria Christum accessisse; quod S. Cyrillus autem ac Euthymius contrarium opinentur; ipse vero suam hisce verbis subjungit sententiam : « Certe hydropicus hic vel domesticus fuit illius « Principis, Jesum invitantis, vel notus familiæ « ipsius; » quidquid hac de re verum sit, hoc saltem constat, hunc hominem exiguæ fuisse existimationis, appellatur enim *homo quidam.* Unde Salmeron ait : « Dicitur ergo homo quidam ignobilis

« et ex eorum numero, quibus utpote derelictis « plus benefaciebat Christus. »

3. — Jansenius per hunc hydropicum peccatorem in communi intelligendum esse dicit : « Quem « exuberans terrenarum rerum, in quibus nunquam « satiari homo potest, desiderium aggravat, ac per « dissolutam et lubricam vitam graviter laborat, » vel etiam in specie peccatorum aliquem certo cuidam vitio deditum hydropicus denotat. Carthusianus hujus infirmitatis miserias, septem adaptat vitiis capitalibus, dicens : « Septem ponuntur proprietates « hydropici, per quas septem peccata capitalia de- « notantur : *primo*, est tumor corporis et membro- « rum, per quem significatur superbia, juxta illud « Job : *Quid tumet contra Deum spiritus tuus? se- « cunda*, est expressio spirituum, per quam signifi- « catur invidia, quæ aliorum laudabilia comprimit, « ne pandantur : *tertia*, est ardor sitis, quæ signi- « ficat avaritiam : *quarta*, est indigestio humorum, « quæ iram significat ; *quinta*, est pigritia seu « tarditas pedum, per quam notatur acedia ; *sexta*, « est genitalium inflatio, qua significatur luxuria. » *Septima*, in auctore deficit, quod utique typographorum errori tribuendum est.

4. — Venerabilis Beda per miserabilem hunc hominem, eum, qui carnalibus vitiis immersus est, specialiter præfigurari dicit : « Proprium esse hydro- « pici, quanto magis abundat humore inordinato, « tanto amplius sitire ; et ideo recte comparatur ei, « quem fluxus voluptatum carnalium exuberans « aggravat. » Glossa etymologiam hujus nominis exponit : « Hydor, » inquit, « aqua, inde hydropis, « morbus aquosus subcutaneus, de vitio vesicæ na- « tus, cum inflatione turgente et anhelitu fœtido ; » quæ omnes circumstantiæ hominibus sensualibus et carnalibus imprimis accommodantur. Oseæ, IV, 10, dicitur : *Comedent et non saturabuntur* ; quisnam autem cibus ille esse poterit, qui manducatus non modo famem non compescit, quin potius vehementiorem ejus excitat appetitum ? cibus hic carnales sunt voluptates : *Fornicati sunt et non cessaverunt* ; ubi interlinearis habet ; « Vires fornicationem defi- « ciunt, sed desiderium ardescit. » Hugo Cardinalis super illa Geneseos, XLV, 6, verba : *Biennium enim est quod fames esse cœpit* ; in sensu spirituali, hanc famem a pomo illo principium suum sumpsisse dicit, quod protoparentes nostri manducarunt ; imo Hugo famem illam non solum inde extinctam, sed et auctam fuisse scribit : « Quia sæculi volupta- « tes non satiant, sed esuriem provocant. » Porro motivum Adami hunc fructum mordentis fuit, « ne « contristaret delicias suas. » Tritum est illud Poetæ metrum : « Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur « aquæ, » per aquam vero idem Hugo carnales voluptates interpretatur ; unde super illud Psalmi, CXXII, 4 : *Forsitan aqua absorbuisset nos*, ita scribit : « Per aquam potest intelligi carnalis voluptas ; quæ « multos absorbet. » S. Hieronymus ab Hugone in commentario super Oseam citatus dicit : « Voluptas « insatiabilis est et habita famem non saturitatem « parit ; dumque sitim sedare cupit, sitis altera « crescit ; » estque sitis similis illi, qua febricitantes laborant. S. Ambrosius enim dicit : « Febris nostra « libido est, febris nostra luxuria est, » qui ut excessivi caloris ardorem, quo viscera eorum aduruntur, temperent, ingentem aquæ quantitatem potant, nec tamen sitim restinguunt, sed potius adaugent : sic quoque fabri ferrarii carbones vehementius ignire volentes, eosdem aqua conspergunt. Unde S. Gaudentius ait : « Stupri assiduitas luxu- « riam carnis non cohibet, sed accendit, dicente « Propheta : *Omnes fornicantes velut ardens clibanus, corda eorum* ; » et Sapiens, *Prov.*, XXX, 15, ait : *Sanguisugæ duæ sunt filiæ, dicentes : Affer, affer* ; ubi Salomon per duas hasce sorores, luxuriam et avaritiam interpretatur, quæ ambæ in hydropisi denotantur. Et quidem Eusebius Emissenus in specie de luxuria ita scribit : « De luxuria crescit « illecebra et perenntem perditio plus delectat, « quia perditio transacta non satiat, sed suo usu « magis exercetur vitiorum cupiditas, quam finitur, ac solum sectatorem suum nunquam consu- « menda consumit. »

5. — Beda similiter per hydropisin avaritiam figuratam esse agnoscit, dum ait : « Hydropicus « quo amplius biberit, amplius sitit et omnis avarus « sitim multiplicat, quo cum ea quæ appetit, adep- « tus fuerit, ad appetenda alia amplius anhelat. » Lyranus similiter ait : « Per hydropicum, qui cum « plus bibit, plus sitit, significatur cupidus et ava- « rus, qui cum plus acquirit, ad acquirendum « amplius inardescit ; crescit amor nummi quan- « tum pecunia crescit ; et iste stat ante Jesum, cum « convertitur ad Deum, paratus acquisita dispen- « sare ad honorem divinum ; et sic recuperat sani- « tatem, quia de cupiditate mutatur in liberalita- « tem. » Chrysostomus, *Hom.* XLVI *in Matth.*, se ad illum juxenem reflectens, qui audiens Christum sibi dicentem : *Vende omnia quæ habes*, dorsum eidem obvertit, in divitiarum contemptum subjungit : « Nunquam magna voce prædicare cessabo, acces- « sione pecuniarum cupiditatem habendi, magis « atque magis adeo inflammari, ut rerum copia « crescente pauperias quoque augeatur. » Nazianzenus hanc cupiditatem ejus naturæ scribit, ut nullos sibi limites præfigi patiatur, unde hisce eam terminis circumscribit : « Ut nesciat fines et « cancellos appetendi plura. » Ideoque S. Augustinus avaro cuidam dixit : « Et habes, et concupiscis, « es plenus, et sitis, morbus est, non opulentia. » Virgilius quoque vitium istud famem appellat : « Auri sacra fames. » S. Hieronymus illa Isaiæ, II, 7, verba : *Repleta est terra argento et auro, et non est finis thesaurorum ejus*, ponderans dicit : « Non « quod thesauri finem non habeant, sed quod pos- « sidentium animus non impleatur. »

Erat ante illum.

6. — Lyranus ex auctoritate S. Cyrilli, hydropicum hunc ob metum Pharisæorum, a Salvatore sanitatem suam non postulasse dicit, sed solum se ei præsentasse, ut per hoc, compassione dignum spectaculum, misericordiam ejus implloraret : « Non « petebat a Christo sanari, timore Pharisæorum, « sed solum se ostendebat, ut Christus eum videns, « ejus misereretur ; » optimum enim ad flectendam in nostrum beneficium pietatem divinam, medium est, ut ipsi tanquam benignissimo patri ærumnas nostras manifestemus, ac demum ipsum pro suo beneplacito facere sinamus, *Psal.* XXXVIII 10 : *Domine, ante te omne desiderium meum et gemitus meus a te non est absconditus. Psal.* LXXVIII, 17 : *Exaudi me, Domine, quoniam benigna est misericordia tua.* Didacus Stella quoque ait : « Omne nostrum bonum « in hoc consistit, ut nos coram Deo constituamus, « quoniam ipse est, qui sanat omnes infirmitates « nostras. »

7. — Cajetanus hydropicum hunc sanitatem a Christo petere ausum non fuisse dicit : « Timebat « forte offendere Pharisæos, petendo curationem « sabbato ; præsentavit se tamen conspectui Jesu, « petens facto, ut se curaret. « Salmeron ipsum a Pharisæis edoctum fuisse credit, ut se ante ipsum collocaret, ad experiendum, an ipsum curando, sabbati observantiam transgrederetur, ut ipsum accusandi occasionem acciperent : « Non audens sa- « nitatem petere, sive quod sic fuerit a Pharisæis « instructus, sive quod ipsos metueret Pharisæos, « ne tum ipse, tum Dominus, ut violator sabbati « accusaretur ; sed voluit stare ante eum, corde « exoptans beneficium, et credens naturam im- « becillem, et egestatem ipsam posse postulare ; et « videntur omnia sic a Pharisæo illo disposita, quo « posset illum in nassam inducere ; » ratio autem, quam affert, est, quia is caput et princeps Pharisæorum erat, Christumque non sine causa in sabbato ad convivium invitarat, « et dedita opera « hydropicum admiserat, ut ita calumniandi occa- « sionem merito haberet. »

8. — Quidem quod infirmum hunc ante cœlestem protomedicum introduxerint, opus quoddam erat, magnam præ se compassionem referens ; at finis perversus, quo ad hoc inducebantur, opus illud demeritorium constituebat, adeoque ob finis malitiam reprehensibiles erant ; sic quoque multi sunt, qui virtuose operantur, nec tamen ullum inde recipiunt meritum, quia a vanitate aliisque finibus et respectibus humanis se induci patiuntur.

9. — Theophylactus ait : « Hydropicus est om- « nis, qui per dissolutam vitam et lubricam animam « sua graviter ægrotat, qui et Christo indiget ; sa- « nabitur plane qui ante Christum fuerit, cogitans « semper, quomodo ab ipso videatur, minime pec- « cabit. » Clemens Alexandrinus in suo Pædagogio modum nos docet, quo a via recta et bona deviare nunquam poterimus : « Hac solum ratione fit, » inquit « ut quis unquam labatur, si Deum sibiipsi « semper adesse existimet. » Omnia quidem opera virtuosa, qualia sunt audire, legere, meditari verbum Dei, frequentia Sacramentorum, bona societas, exempla ædificatoria, jejunia, nostrique corporis macerationes et castigationes, optima sunt ad bene vivendum media, christianamque innocentiam conservabunt ; at vero ex mente Clementis Alexandrini, actualis et continua cogitatio præsentiæ Dei, ad hoc unicum est et indubitatum remedium, « hac solum « ratione fit, » etc. Unica causa tot excessuum, quos perversi homines committunt, est, quia Deum ipsos non videre credunt : *Circa cardines cœli perambulat, nec nostra considerat* ; ac proinde in quodvis præcipitium labuntur : *Non est Deus in conspectu ejus*, ait David, ideoque immediate subjungit : *Inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore. Psal.* X, 5.

Additiones.

a. — *Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum.* Theophylactus hic ait : « Sanabitur hydropi- « cus, si ante Christum fuerit ; cogitans semper « quomodo ab ipso videatur, minime peccabit. » Hydropicus significabat hominem anima ægrotantem. Hic ex Dei providentia in remedium suæ salutis constituitur ante Christum, quia si homo se consideret ante Dei oculos, maxime resipiscet ac vitam reformabit, sibique de cætero frenum injiciet, nè in alia peccata labatur. Boetius, *lib.* I *Consol.*, ait : « Magna vobis est, si dissimulare non « vultis, necessitas indicta probitatis, cum ante « oculos agitis Judicis cuncta cernentis. » Continua enim Judicis et finalis judicii consideratio ad ducendam vitam immaculatam plurimum confert. S. Gregorius vitæ morumque nostrorum emendationem memoriæ associat judicii inquiens : « Illum « diem, fratres charissimi, tota intentione cogitate, « vitam corrigite, mores mutate, mala tentantia « resistendo, vincite perpetrata fletibus punite ; ad- « ventum namque æterni Judicis tanto securiores « quandoque videbitis, quanto nunc districtionem « illius timendo prævenistis. » Nec minus sollicite S. Augustinus hoc utilissimum dictæ recordationis exercitium nobis inculcare nititur dum ait : « Scire « et intelligere debemus, fratres charissimi, nihil « nobis esse salubrius, quam ut damnatis omnium « præsentium rerum voluptatibus, id potius cogi- « temus, quando crimus de hoc sæculo transituri, « vel quando tabernaculum corporis ultimo die « superveniente depositurí, ut iterum illud resur- « rectionis tempore recepturi, ut cum eodem reci- « piamus prout gessimus, sive bonum, sive malum.

« Et ideo rogo, fratres, ut quotidie cogitemus, quales erimus in die judicii, purissimis Angelorum conspectibus offerendi, et æterno Judici rationem de libris conscientiæ reddituri; remotis omnibus probationibus. » *Serm.* XLVI *in Append. de divers.* Liber namque uniuscujusque qui producetur, plus minusve cuilibet incutiet terroris : « Liber scriptus proferetur, in quo totum continetur. » Equidem non nego quoniam faciliter innumerabiliter repletur debitis; sed et verissimum quod per vitæ nostræ cursum eadem abolere valeamus; id quod facile factu fuerit, si rigorosam, quam coram cœlo et terra, et inferno reddituri simus, perpenderimus rationem. « Ibi scribuntur virtutis opera, » inquit S. Chrysostomus; « ibi prava scribuntur. Ne tibi timeas inde præjudicium; licet perversa tua præscripta sint opera, bonis operibus possunt deleri; uti rursus, si cujus inibi nomen pietatis ergo perscriptum, moribus autem abnegarit, nullum ex eo fit præjudicium quod scriptum sit, sed deletur. »

b. — Cum esset dies sabbati, constituitur hydropicus ante Christum a Pharisæis, sciebant enim Christi genium, quod cum miseria oppressum hominem videret, statim ei subveniret; ut ex hoc eum arguerent tanquam sabbati violatorem, ut ipsi falso existimabant. Ecce quomodo irritatur, et annihilatur malignantium consilium. Hydropico impenditur sanitatis beneficium, gloria Christi facto miraculo divulgatur, et ipsi Pharisæi invidia contra Dominum stimulati, absque eo quod Domini dictis respondere valeant, confusi remanserunt. Tanta est enim malitia invidi, ut ex bonis alienis contristatus malum sibi inde accrescat. « Malum multiplex, » inquit D. Chrysologus, « imminet invidis; quot sunt prosperitates hominum, tot tormenta sunt. » Paterfamilias Evangelicus in agrum suum bonum quidem semen seminaverat, at vero intempesta nocte, agricolis dormientibus, supervenens inimicus fraudulenter, in eumdem agrum superseminavit zizania. At vero quanam putas utilitate hoc fecit? Num forte inde aliquem se fructum collecturum esse sperabat? Nequaquam, quia filium illud suffocabat universam messem, quæ ex bono semine sperari poterat. Unde S. Chrysostomus ait : « Ut quid? ut periret Dominica messis, et hoc ad lucrum quid pertinebat inimici? Nisi quod invidiæ spiritus hominum damnum, suum computat lucrum, et quod perierit hominibus, hoc se æstimet acquisivisse? » Deus in Palæstina Isaac servum suum tam abundanti prosperitate cumulaverat, ut ipsomet Moyse teste, *invenerit in ipso anno centuplum; benedixitque ei Dominus, et locupletatus est homo, et ibat proficiscens, atque succrescens, donec magnus vehementer effectus est; habuit quoque possessiones ovium, et armentorum, et familiæ plurimum. Gen.*, XXVI, 11 et seq. Unde licet fuisset justum, quod ex quo Deus, propter merita Isaac regionibus illis benignas cœli influentias deplueraat, a Palæstinis in pretio haberetur et amore, eumque inter se commorari permitterent, attamen sacer textus immediate subjungit : *Ob hoc invidentes ei Palæstini, omnes puteos quos foderant servi patris illius Abraham, illo tempore obstruxerunt, implentes humo, in tantum ut ipse Abimelech diceret ad Isaac : Recede a nobis.* Ubi, ut clare videtur, patet quod illum a se non repulerint quasi aliquod ab ipso damnum accepissent, sed quia magnam illis attulerat utilitatem : *Quia potentior nobis factus est valde.* Ubi D. Chrysostomus populum illum his verbis perstringit : « Cujus gratia abigis justum? Num aliqua in re tibi nocuit? Num injuriam intulit? Sed ita se habet invidia; nihil cum ratione operatur. » S. Cyprianus de invido inquit : « Quanto ille cui invidetur successu meliore proficerit, tanto invidus in majus incendium livoris ignibus inardescit. » Judæi deliberantes de genere mortis Salvatori nostro inferendæ dixerunt : *Quid faciemus, quia hic homo multa signa facit? Joan.*, XI, 47. Ubi, ut vides, non ob aliud in mortem ejus conspirant, nisi quia ipse in sanctitate et miraculis mire resplendebat, et ideo *positus erat in signum cui contradicetur.*

c. — Aderat hydropicus ante Christum, a quo valde notum erat, quod omnes sanitatem impetrarent et salutem; et hydropicus hic tanta necessitate oppressus, pro se nihil orat ac petit, sed tacet. Cur hoc? Respondet Euthymius : « Hydropicus erat stans, nec audens petere curationem, propter sabbatum et Pharisæos. » Pharisæi erant principes ac viri potentissimi in republica, quamvis ergo homo multa necessitate laborasset, tamen pro se nihil petere audebat, timentes ne præsentes offenderet Pharisæos propter sabbatum, de quo ipsi ex sua malitia scandalizari poterant. Et utinam te salutaris hic, aut proximum scandalisandi, aut aliud quodvis Dei præceptum transgrediendi timor invaderet, quia Deo placet erubescentia, quæ peccati frenum, non quæ virtutis est obstaculum; Apostolus publicam Romæ, quæ metropolis mundi erat, professionem facturus fidei suæ, non obstante, quod Crucifixus Judæis scandalum, Gentilitati autem insania foret, protestabatur publice : *Non erubesco Evangelium.* Quæ verba ita interpretatur S. Thomas : « Inde est quod Baptisati liniuntur chrismate in fronte, signo crucis, ubi est sedes verecundiæ, ne scilicet Evangelium erubescant. » Non solum in Baptismo, sed et in Confirmatione, juxta Ecclesiæ dispositionem, frontes nostræ sacro unguntur chrismate, ut scilicet animose et absque pudore sequelam Christi, oculis mundi, qui semper virtutum hostis fuit, ignominiosam profiteamur. Id quod S. Augustinus præstitit audacter, cum diceret : « De cruce non erubesco, ut non in occulto

« loco habeam crucem Christi sed in fronte portem. « Multa sacramenta aliter atque aliter accepimus, « quædam, sicut nostis, ore accipimus, quædam « per totum corpus accepimus, quia vero erubescitur ille, qui dixit : *Qui me erubuerit coram hominibus, erubescam eum coram Patre meo qui in cœlis est;* ipsam ignominiam quodammodo, et « quam pagani derident, in loco pudoris nostri « constituit. Audis hominem insultare impudenti « et dicere : Frontem non habet. Quid est, frontem non habet? Impudens est. Non habeam « mudam frontem, tegat eam crux Domini mei. » Regius Propheta David coram Deo lamentabatur, dicens, *Psal.* XLIII, 14 : *Posuisti nos opprobrium vicinis nostris subsannationem et derisum, his qui sunt in circuitu nostro; tota die verecundia mea contra me est, et confusio faciei meæ cooperuit me, a facie exprobrantis et obloquentis.* Sed numquid propter has contradictiones et irrisiones a divino se servitio subduxit? Aut vero incœptam pietatis suæ semitam deseruit? Nihil horum. Quin potius ait : *Hæc omnia venerunt super nos, nec oblti sumus te, et inique non egimus in testamento tuo, et non recessit retro cor nostrum*, id est, ut Carthusianus exponit : « Mandata legis divinæ transgressi non sumus. » Quando coram arca ex mera devota veneratione exiliens et saltitans, a Michol derisus fuit, insultatrici huic reginæ animose se opposuit dicendo, I *Reg.*, VI, 21 : *Ante Dominum qui elegit me potius quam patrem tuum et quam omnem domum ejus, et præcipit mihi ut essem dux super populum Domini in Israel, ludam et vilior fiam plus quam factus sum, et ero humilis in oculis meis.* Sic quoque Christus Magdalenæ quæ paulo ante infamis peccatrix et a septem dæmonibus possessa erat, dixit : *Dilexit multum;* quod idem fuit, secundum Chrysologum, ac si dixisset, eam « ad totum sanctitatis verticem « pervenisse. » Hoc autem dixit, quia animose inter convivantes ingressa est, nec se per ruborem et respectus humanos ab heroicæ humilitatis et mortificationis actibus distorqueri permisit. Unde tristissima sunt illa S. Gregorii verba dicentis : « Discite « quo dolore ardeat, quæ flere et inter epulas non « erubescat. »

d. — Ab nomine *hydor*, id est, aqua, *hydropicus* dicitur, quem humor aqueus, id est, aqua intercus vexat; appellatur vero aqua intercus, quia inter carnem et cutem est. Dionysius Carthusianus septem vitia capitalia adaptat. Prima proprietas est tumor corporis, per quam significatur superbia, omnium mater vitiorum, cui contraria est humilitas, omnium mater vitiorum. Secunda proprietas est compressio spirituum, per quam significatur invidia, quæ aliorum laudabilia comprimit, ne videantur ac manifestentur. Tertia est ardor sitis designans avaritiam, quæ est insatiabilis bonorum terrenorum cupiditas, neque illa in pauperum necessitatem juxta obligationem expendit, licet Deus ideo bonorum terrenorum divisionem permiserit, ut iis abundans, superfluum indigentiæ eroget alienæ. Quarta est indigestio humorum et significatiram. Quinta est pigritia seu tarditas pedum, per quam notatur acedia et peccata omissionis, circa quæ in extremo judicio rigorosissimum instituetur examen. Sexta inextinguibilis sitis gulam innuit, quæ omnia devorat. Septima luxuria est quæ per eamdem insatiabilem sitis adumbratur, et per gulam excitatur.

e. — Aptissime domum divitis intranti Christo, occurrit hydropicus; omnia namque bona mundi et deliciæ, velut aqua diffluunt. Aderat hydropicus in domo Pharisæi, vel quia ejus notus et familiaris erat, vel quia introductus erat ab aliis Pharisæis, ut Christum observarent. Rationem tamen moralem assignat D. Gregorius, *lib.* IV *Moral.*, VI : « Quid est « ergo ait quod ante Pharisæum hydropicus curatur, nisi quod per alterius ægritudinem corporis, « in altero exprimitur ægritudo cordis? » Hydropicus suo modo corporis denotabat morbum animi ipsius Pharisæi, in cujus domo erat; per eum enim quem quisquis habet in domo, vel cum quo associatur, ejus animus patefit ac declaratur. Nostrorum enim qualitas morum ex qualitate dignoscitur sociorum quibuscum conversari gaudemus. Oraculum docet propheticum, nos per malorum consortia infallibiliter seducendos, *Psal.* XVIII, 27 : *Cum perverso perverteris.* S. Augustinus, a Glossa citatus, legit : « Cum perverso perversus videris. » Si enim per summum Dei beneficium, per societatem malam non contaminaremur, nunquam tamen maculam declinaremur suspicionis communis, vi cujus habemur eadem cum sociis nostris conspurcati pice; dicere namque solet : Ex societate dignoscitur homo. Unde Plinius ab Euripide didicisse astruit hominum mores ex sociorum qualitate, cum quibus libenter convivunt, conjecturandos esse : « Agnosce, » inquit, « talem unumquemque « esse, quales ii sunt, cum quibus libenter conversatur. » Si quem videritis cum hominibus dissolutis et licentiosis amicitiam ineuntem, absque temerarii judicii periculo hunc pariter deviare, suisque frenum appetitibus relaxaise creditote. Ideoque quidam auctor hoc nobis scriptum reliquit documentum : « De sceleratorum familiaritate atque consortio scriptum accepimus, quem sociis « flagitiosis delectari conspexerim, eum qualis sit « haud percunctari perrexerim, cum eum sodalibus esse similem minime dubitarim. »

David sciens capitale contra se odium Saulis, ad Samuelis confugit patrocinium; quod ut Saul intellexit, iracundia excandescens, I *Reg.*, XIX, 20, *misit lictores, ut raperent David. Qui cum vidissent cuneum Prophetarum vaticinantium, et Samuelem stantem super eos, factus est etiam Spiritus Domini in illis, et*

prophetare cœperunt etiam ipsi. Submisit itaque Saul alios satellites : *Prophetarunt autem et illi; et rursum misit Saul tertios nuntios, qui prophetaverunt; et iracundus iracundia Saul, abiit etiam ipse, et factus est super eum Spiritus Domini, et prophetavit cum cæteris coram Samuel.* Hanc S. Bonaventura adhibet historiam ad probandum quantum consortium bonorum ad convertendos malos habeat efficaciam, siquidem cum omnibus satellitibus a rege missis, ipse denique rex superveniens, omni modo et studio dictis se conatus est assimilare Prophetis. Vere igitur, *qui cum sapientibus graditur, sapiens erit.* Confirmare mihi liceat assertum brevi hac S. Bernardi S. Chrysostomum pro se citantis sententia : « Bonus malo si connectitur, aut pares redduntur, aut cito ab invicem separantur. » Ita et in contrario sensu dicere possumus : Mali conversantes cum bonis, aut evadunt similes, quoniam *qui cum sapientibus graditur, sapiens erit*, aut certe brevi tempore morabuntur simul.

f. — Vide hic quomodo novit Christus Deus ex malis elicere bona. Confringitur malignantium Pharisæorum consilium et sanitatis paralytico beneficium impenditur. Sic Deus odium dæmonis et ejus malas tentationes ad nostrum bonum ordinat. S. Augustinus, *lib.* XIV *de Civ. Dei*, xi, asserit : « Neque « enim Deus omnipotens, cum summe bonus sit, « nullo modo sineret mali esse aliquid in operibus « suis, nisi usque adeo esset omnipotens et bonus, « ut bene faceret etiam de malo. » Odium veteris hostis contra fideles uti et tentationes a Deo permissæ, quibus illos impetit eorum spirans ruinam et perditionem, offendicula sunt et lapsuum irritamenta; at omnipotentia et sapientia Dei illas plerumque et ad majorem suam ordinat gloriam, et in nostrum convertit beneficium et commodum. Scripsit S. Paulus epistolam ad Philemonem, in qua efficaciter commendat huic domino Onesimum, qui primo fuerat servus ejus, sed ab eo fugerat ut fur et latro, in quibus vitiis aliquandiu vixit. Verum veniens deinde Romam, et Apostolum in vinculis constitutum reperiens, ejusdem usus conversatione, tandem conversus fuit, adeo ut Apostolus statuerit illum adhibere veluti Evangelii instrumentum, ad alios reducendos ad statum salutis. *Tu autem illum, ut mea viscera suscipe, quem ego volueram mecum detinere, ut pro te mihi ministraret in vinculis Evangelii.* Et vero adeo mutatus fuit Onesimus, ut Ephesi electus fuerit Episcopus post S. Timotheum, simulque calamo S. Ignatii martyris collaudatus, ac demum Romæ sub Trajano coronam martyrii promeruerit. Qui sacras legit historias, plurimos ab infernali inimico tentatos reperiet turpiter cecidisse, quorum casus divina misericordia convertit in majorem eorum perfectionem et virtutem, reducendo eos ad veram pœnitentiam, ardentiorique accendendo amore in servitio Dei. Cautus ille pictor depicturus regem monoculum, ne quis hunc defectum adverteret, hoc usus fuit artificio, nimirum cum tali positione vultus depinxit eum, ut nonnisi illum spectantibus, exhiberet oculum, cujus opera et lumine utebatur vivus, alterum vero deformem seu defectivum occultaret. Non utitur hac arte Spiritus Sanctus, neque cautelam hanc adhibet Ecclesia, veluti bene observat D. Gregorius, cum ita discurrit : « Non solum nobis eorum virtutes asse- « rit, » videlicet Sanctorum, « sed etiam casus in- « notescit, ut et in victoria fortium, quid imitando « carpere, et rursum videamus in lapsibus, quid « debeamus timere. » Quam magnum bonum Deus excerpsit ex casu et incredulitate S. Thomæ? « Quam bona ignorantia quæ erudivit ignaros, » dicit S. Augustinus, « quæ instruxit incredulos! « Quam bona infidelitas quæ sæculorum fidei mili- « tavit! » Experientia compertum est, verum esse quovis tempore, id quod legitur in B. Laurentio Justiniano *de disciplina et perfectione monasticæ conversationis*, *cap.* XII : « Viros perfectos, ad spiritualia « assuetos certamina, callide semper observat; « loquitur de tentatore; quia sancti et justi ipsi videntur esse instar clavi in cor adacti, etenim ex ejus tentationibus, quibus illos perdere satagit, opulentum cœli norunt elicere lucrum. Quamobrem S. Antoninus nos exhortatur : « Perfecti et « experti debent appetere tentari, tum propter sa- « pientiam, tum propter coronam, tum propter « victoriam. In tentatione relucet virtus. » Quando B. Laurentius Justinianus in laudem eorum qui tentantur, agit de patientia, scribit : « Nulla sunt sine « tentationum experimentis opera virtutum, nul- « lum sine hoste certamen, nulla sine aggressione « victoria. » Sequitur in eodem capite : « Quoties « eis resistimus, » diabolicis nempe tentationibus, « toties superamus, Angelos glorificamus, Deum « honoramus, qui mandat ut pugnemus, adjuvat ut « vincamus, consolidat ne deficiamus. ».

g. — Aderat hydropicus ante Christum, cui probe notum erat quod omnes ab eo salutem consequerentur. Cur ergo pro se non petit et rogat, sed omnino tacet? Sciebat forte quod sat erat suam necessitatem et infirmitatem Domino præsentare, a cujus conspectu se haud vacuum discessurum sperabat, seu quia sibi persuadebat, quod altius ejus necessitas ad Christum clamaret, quam quancumque vox. Hoc modo nos erudiens, ideo ad orationem in tribulatione recurrendum esse, quia afflictorum preces sunt efficacissimæ. Arctissima Sennacherib civitatem Jerosolymitanam cinxerat obsidione, IV *Reg.*, XIX, eamque in cœmeterium redigere statuerat. Quid fecit Rex Ezechias in deplorando hoc rerum statu? Templum adiit : *Cum accepisset Ezechias litteras de manu nuntiorum et legisset eas, ascendit in domum Domini, et expandit eas coram Domino, et oravit in conspectu ejus.* Tantæ

fuit efficaciæ afflicti regis hujus oratio, ut e cœlo fecerit descendere Angelum qui memorabilem hostium causavit stragem : *Factum est igitur in nocte illa, venit Angelus Domini et percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia.* Aliam historiam legimus in libro Judith; quo enim tempore Bethulia a superbo tyranno Holoperne obsessa, in extremo constituta erat periculo invasionis, depræda tionis et excidii, sancta vidua Judith Dei mota inspiratione, miro ac memorabili stratagemate caput Holophernis detruncare cogitabat. At qua ratione heroicam hanc actionem executa fuit? *Ingressa oratorium suum.* In extremis tribulationum angustiis, secundum judicium et discursum humanum inevitabilibus, maximum oratio nostra nancitur vigorem. Notum est omnibus orationem figurari per incensum : *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo*; significatur pariter per aromata. Sed quomodo ista diffundunt odoris sui fragrantiam, nisi contrita et contusa? Similiter incensum odorem ad nares nostras transfundit, accensis injectum carbonibus. Idem asserere possumus de oratione nostra; illam gratiorem fore Deo et coram throno Altissimi compariturum acceptiorem efficacioremque quam profundunt animæ contritæ et tribulatæ, patienter pro amore Dei, quascumque tolerantes calamitates.

Versus 3.

Et respondens Jesus dixit ad legisperitos et Pharisæos : Si licet sabbato curare?

Et respondens Jesus.

1. — Juxta doctrinam Lyrani, responsum hoc Christi ad discooperiendas occultas eorum cogitationes ordinatum fuit, unde ait : « Non ad verba, « quia quæstio sibi non proponebatur, sed ad co- « gitationes Pharisæorum, quoniam cogitabant « cogitationem in sabbato illicitam esse. » Hoc porro ex loco Didacus Stella sequens elicit documentum morale : « Docet hic locus cogitationes nostras a « Deo videri, quod cum ita sit, audiamus Isaiam, « I, 16 : *Auferte malum cogitationum vestrarum.* » S. Bonaventura pariter ait : « Respondebat ad « eorum cogitationes, quas videbat et audiebat. »

Si licet Sabbato curare.

2. — Dionysius Carthusianus ait : « Non quasi « ignorans, hoc quærit, sed ut illorum errorem « corrigeret; taliter enim curare est opus divinum « et charitativum, a vocatione Dei nequaquam im- « pediens, sed ad divinæ potestatis contemplatio- « nem, ad divinæ pietatis amorem et laudem vehe- « menter accendens, tam eum qui curatur, quam « omnes qui adsunt aut audiunt, nisi omnino per- « versi invidique consistant. »

3. — Notatu in primis dignissima est hæc Christi malitiosos reprehendentis modestia, sciebat equidem Christus eos convenisse, seque invitasse, ut calumniandi, sibique insidiandi capesserent ansam, ideoque hanc eorum malitiam publice jure merito manifestare potuisset; at prælegit hac interrogatione malignitatem hujuscemodi occultare. Salmeron sentit, Christum dicere voluisse; scio equidem præcepta decalogi, quod sanctificationem sabbati præcipiant et dilectionem proximi cum operibus charitatis; sed « jam offert se occasio, ut bene- « faciam misero juxta præceptum Dei, et offert se « sabbati religio; utrum ergo negligendum? si « sanavero hydropicum, arguar violati sabbati; si « abstinebo, arguar violatæ charitatis; » sanavit autem infirmum, ad docendum nos omnes, quia charitas rebus omnibus præferenda esset; prosequitur porro ipse Auctor discursum, inquiens : « Discamus ex hoc Domini historia sabbati diem « non alia ratione magis pie coli, quam operibus « charitatis et pietatis. » Duabus denique de causis Christum munificentiæ et liberalitatis suæ exercitia in sabbato specialiter frequantesse docet Hugo Cardinalis, inquiens : « Opera charitatis facere sine « sabbati violatione, Dominus in sabbatis libentius « et frequentius docebat et curabat; primo, ut plu- « res lucrifaceret, quia tunc plures conveniebant; « secundo, propter spirituale sabbatum, ad quod « docendo et sanando invitabat. »

Additiones.

a. — *Si licet sabbato curare?* Inexcusabiles prorsus sunt Judæi, sive cum loquuntur, sive cum tacent, si putant religionem lædi, cum sabbatum bono operi impenditur, et sanitas infirmis impertitur. Non enim frustra diei septimo benedixit Dominus; ideo enim id factum est, ut Procopius ait : Ne quis ut inutilem diem eam aversetur et abominetur, quasi nullo opere digna, a Deo sit habita, sicut eos dies deteriores arbitrantur, in quibus nihil sit operis; merito subjecit : *Et benedixit Deus diei septimo.* Nulli aliorum benedixit Dominus, nisi tantum diei septimo, ut cum alii commendantur per opus, hic ne ut infelix et otiosus haberetur, tanquam nullo opere ditatus, benedictione ditavit. Sic scilicet Deo detestabile est otium. Et ideo Christus, cum vidisset cogitationes eorum, observantium opera ejus, non quasi ignorans, sed bene scius quærit : *Si licet sabbato curare?* Quibus verbis, ut Theophylactus observat, « arguit insipientiam eorum, qui repre- « hensuri erant, ideoque interrogat : *Licetne sab- « bato curare?* Nonne manifeste irridet eos, ut « insipientes? Siquidem cum Deus sabbatum bene- « dixerit, ipsi benefacere prohibent in eo, et per « hoc faciunt omnino maledictum. » Non quidem dure in eos invehitur, ne reprehensione impudentiores fiant; simul interim eorum insipientiam

irridet, cum diem sabbati omnis boni vacuum et otiosum velint; ut stultus enim deridendus est otiosus. Stultus futurus esset qui tempore nundinarum, totum secum conferens peculium, ut eodem lucraretur, intermitteret negotiationem, cum maximo suo detrimento, et dies istos expenderet in vanitates, consumeret bibendo, epulando, ludendo? primus enim gradus stultitiæ bonum non facere, dum licet. Nos autem ita fatui et stulti ut non solum omittamus æternam lucrari vitam, verum etiam, insuper multa mala committimus. Non sumus negligentes nec amentes, ubi agitur de lucro temporali; hæc stultitia et negligentia solum practitatur, et exhibetur a nobis, cum lucrum aliquod æternæ vitæ acquirendum est. In quem finem Deus nobis concessit tempus? Ut dum tempus habemus, operemur bonum et serviamus Deo, e quo servitio redundat bonum nostrum, nempe lucrum infiniti boni. Essemus ergo ita stolidi et vecordes, ut tempus in damnum animæ nostræ, et in offensam Dei benefactoris nostri impenderemus?

b. — Convenienter videretur fecisse Dominus si materiam de observatione sabbati longiore adhortatione prosecutus fuisset; quam tamen abrupit et apprehenso manu paralytico, eumdem sanavit ac dimisit. Supra qua re recte Sedulus, *lib. Pasch., cap.* XIII, ait : « Vidit hominem falso crassitudinis « tumore distentum, cujus aqua redundante, per« spicua uti putabatur esse macies, ubique domi« nata, totum hydropem in alvum turgidum con« gregabat. Non tulit hoc mundi Pater, hanc « speciem se præsente consistere; suaque sabbata, « quæ tunc aderant, non curavit, hominem festi« nans curare, quem suum magis esse desiderat. » Duo se offerebant in præsenti, sabbati religio et hominis salus; tamen primo prætermisso, ad salutem hominis citius festinat. Cur curationem hominis tantisper non differt ut de religione sabbati sibi consecrati disserat? Ut homines doceat, quam magnum lucrum acquirant, salutem animarum zelantes. S. Apostolus Jacobus in fine suæ Epistolæ dicit : *Qui convertit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte.* Quæ propositio cuilibet videtur esse vera, certa et indubitata. Etenim si quis a via devians per rupes et montes oberraret cum eventi præcipitii periculo, et bonus quidam amicus oberrantem ad rectam reduceret viam et semitam, quis negabit hujus amici opera, illum ereptum esse a morte? Hoc idem prorsus de eo asserendum est, qui peccatorem reducit ad pœnitentiam; hunc enim sua industria ille ab æterna eximit morte : *Qui convertit peccatorem*, etc. Nihil ergo singulare, quod alicujus magni momenti est, S. Jacobus dixisse videtur. Ast considerandum est inestimabile illud lucrum, siquidem plus valet una anima, quam totus mundus, imo quam ipsum cœlum; nam juxta axioma philosophicum : « Prop« ter quod unum quodque tale et illud magis. » Si Creator condidit cœlum, ut sit animæ habitaculum : *Possedite paratum vobis regnum a constitutione mundi*, ergo majoris æstimationis, et dignitatis erit anima; imo Eusebius Emissenus, *Hom.* VI *de Pasch.*, non dubitat asserere : « Tam copioso munere ipsa « redemptio agitur, ut homo Deum valere videa« tur. Quis igitur non cooperabitur lucro hujus « animæ? »

c. — Ostendit hic benignissimus Dominus, in diebus festis ab omnibus vacandum operibus, præterquam ab operibus charitatis et actibus religionis; unde etiam non attento quod Pharisæi forent scandalisandi, hydropicum curavit. Deus per hoc oraculum Propheticum, *Psal.* XLV, 11 : *Vacate et videte quoniam ego sum Deus*, fidelibus suis præcipere voluit, ni fallor, ut in diebus cultui suo dedicatis, ab omnibus servilibus operibus vacarent; unde dicit : *Vacate*. Insuper vero etiam illos docere voluisse videtur, quales in ipsismet diebus festivis nostræ debeant esse occupationes; unde subdit : *Videte quoniam ego sum Deus*. Unde non immerito S. Bernardus ita in sermone quodam ad nostram discurrit instructionem : Sanctificatio est ipsa quæ fit ad Deum vacatio, orando, colendo, meditando, sicut ait Propheta dicens : *Vacate et videte*, etc. Oleaster super illum Exodi, XX, 8, textum : *Memento ut diem sabbati sanctifices*, hanc utilissimam fecit observationem, inquiens : « Nota « Deum non dicere, quod sabbati recorderis, ut in « eo gaudeas, tripudies, ut tibi vaces, sed ut sanc« tifices. » Imo et S. Chrysostomus mentem Legislatoris supremi circa sabbati decretum, quo prohibebatur Israelitis : *Nihil in die sabbati faciatis*, hunc in modum explanat : « *Nihil faciatis*, » inquit, « præterquam ea quæ facit anima. » Quidquid enim ad salutem animæ et ad gloriam Dei, necnon ad amoris divini dirigitur argumentum, non modo non prohibitum, sed et expresse præceptum est. Cui stabiliendo subserviet illud, quod S. Lucas de Christo, in die sabbati synagogam, ubi quidam hærebat aridum habens manum, ingrediente, tradit in hæc verba : *Observabant autem Scribæ et Pharisæi, si in sabbato curaret, ut invenirent, unde accusarent eum. Ipse vero sciebat cogitationes eorum, et ait homini, qui habebat manum aridam : Surge, et sta in medio. Exsurgens stetit. Ait autem ad illos Jesus : Interrogo vos, si licet sabbato benefacere, an male? Animam salvam facere, an perdere?* Miserum itaque illum, non obstante malignorum, rudiumque scandalo, ira et odio contra se provocato sanavit; quia nimirum iis sollicite inculcare satagebat, quod licet in diebus festis, opera servilia prohibita essent, non tamen alia, ad pietatem et charitatem ordinata. « Statuit hominem in medio, » inquit D. Chrysostomus, « non quia ipsos metuerat, sed quoniam ad « misericordiam eos trahere cupiebat. »

Glossa vacationem et quietem, quam Deus a nobis in festis exigit, in hæc describit verba : « Requies « sabbati audiendo verbum Dei et faciendo, et bene « vivendo, et aliis misericordiam præstando habe« tur. » Joannes Diaconus, a quibus laboribus in festis cessandum sit his verbis declarat : « Dominico « die, a labore terreno cessandum est, atque omni« mode orationibus insistendum, ut si quid negli« gentiæ per sex dies agitur, per diem resurrectionis « Dominicæ precibus expietur. »

Versus 4.

At illi tacuerunt; ipse vero apprehensum sanavit eum, ac dimisit.

At illi tacuerunt.

1. — « Quia quidquid dixissent, » inquit Hugo Cardinalis, « contra eos esset; si enim dicerent, « quod licet, quare ergo observant? si non licet, « quare ergo pecora sua curant? » Eamdem quoque expositionem hisce verbis adducit Cajetanus : « Timentes, contra se militare utramque responsio« nis partem; nam dicentes, quod licet, loquerentur « contra suam observantiam, dicendo vere, quod « non licet, timebant confundi a Jesu, ut de facto « evenit. »

2. — Absenti, quantum poterant, detrahebant Salvatori, omnia de eo effutientes mala, in cujus præsentia ne verbum proferre audent; unde Salmeron ait : « Qui in turba simpliciori magnas « excitabant tragœdias, præsente Christo vix de« beant contra mutire; » est profecto hæc ipsa omnium modernorum maledicentium et detractorum consuetudo.

Ipse vero apprehensum sanavit eum.

3. — Didacus Stella tempus observat, quo Christus hydropicum sanavit, in sabbato scilicet, superstitiose a Pharisæis celebrari solito, unde hoc elicit documentum et salutis nostræ monitum : « Doce« mur apud Christum nullum locum aut tempus « esse importunum impertiendi proximis opera « misericordiæ; quare nec melius unquam, nec « cum majori merito festa sanctificamus, quam « cum opera misericordiæ exercemus. » Hoc Christi factum, quid in sabbato liceat vel non, clare demonstrat, juxta mentem Salmeronis, dicentis : « Docet quid liceret sabbatis, nec æquum esse, ut « propter impiorum calumnias a benefaciendo ces« semus et præstare impios offendere, quam mi« seros negligere. »

4. — Notat Glossa, Christum coram Pharisæis primo perpetrare miraculum, exinde vero invehi in avaritiæ vitium, ut reprehendat, reosque illos demonstret cupiditatis et avaritiæ, utpote qui ob proprium interesse, sabbata diesque festivos violabant, perversi legis interpretes : « In sabbato enim « non a bonis, sed a malis operibus feriandum est; « unde dicitur : *Omne opus servile non facietis in eo*, « id est, peccatum; sic in æterna requie a malis « tantummodo feriabitur, non a bonis. Vitium, quod « iste in corpore, Pharisæi gestabant in mente et « ideo coram ipsis curatur corporaliter, ut hoc « exemplo discant spiritualiter curari. »

5. — Hæc inter curiosa sese ingerit quæstio, cur scilicet Christus alia quadam vice paralyticum sanaturus, interrogarit, *Luc.*, XVIII, 41 : *Vis sanus fieri?* Cæco pariter proponit, *Joan.*, V, 6 : *Quid tibi vis faciam?* Ut denique diversis aliis infirmis mederetur, supplicatum ei fuit vel ab ipsis immediate ægrotis, vel ab aliis personis devotis; at in præsenti, ut S. Cyrillus advertit, ex neutra parte fit sollicitatio aut interrogatio : « Solum astabat, ut ex « aspectu misertus ejus, sanaret eum, quod Domi« nus cognoscens non postulat ab eo, si velit sa« vus fieri, sed protinus eum sanavit. »

6. — At inquies fortasse, cur Christus corpus vel putridum potius illius hydropici cadaver contingere voluit, si absque tactu sanare potuit? Huic Lucas Brugensis ita respondet : « De industria uti« tur attactu manus, ut aliquid faceret, quo Pha« risæis insulsis sabbatum violatum videri poterat. » Albertus Magnus autem, ad sensum confugiens spiritualem, opinatur tactum hunc constitisse in quadam compassione Christi ad hydropicum : « Apprehensum charitate et misericordia; » quo sensu in Jeremia, XXXI, 3, prædictum esse subjungit : « *In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi « te miserans*; apprehendit tamen etiam manu tu « ostenderet, quod virtus Deitatis exiret de carne « propter nos assumpta, » inquit idem Auctor. Contra nostram denique hydropisin spiritualem, contra inquam, vitia sensualia, remedium non substat aliud efficacius, quam sacratissimum Christi corpus, quod dicitur : *Vinum germinans virgines*. De cujus Sacramenti effectibus discurrens S. Gregorius Nyssenus, *Hom.* III *in Eccles.*, inter alios effectus hunc quoque assignat, quod scilicet *obscœnum amorem* exterminet e cordibus et corporibus nostris; similiter et S. Hieronymus : « Calore Spiritus Sancti « exsiccat fontes libidinum. » S. Ambrosius etiam de ejusdem sacrosancti Sacramenti utilitatibus agens, S. Augustinum virtute corporis Christi, mirabiliter se in virtute stabiliisse docet, dum ait : « In carne Christi, quæ nostrarum æstus refrigera« vit cupiditatum, quæ extinxit ignes libidinum, » etc.

7. — S. Antonius de Padua in quodam sermonum suorum, hanc circa præsentia verba adducit moralitatem : « Dominus apprehendit peccatorem, « cum injecta manu misericordiæ suæ, eum a pro« fundo vitiorum eruit; » item in quodam Dominicæ XVII post Trinitatem discursu Albertus Magnus

inquit : « Ad hoc, quod hydropicus a Domino « curetur, tria requiruntur; primo, quod ante ap- « pareat; secundo, quod eum Dominus apprehen- « dat; tertio, quod sanet ac dimittat. » Porro in apprehensione illa et collocatione hydropici ante Christum, sentit idem Sanctus, designari benignum divinæ misericordiæ obtutum, quo Christus hunc miserum intuitus fuit; post quem requiritur, ut Christus utraque manu infirmum tangat, si hic sanari velit : « Necesse est, ut Dominus eum duplici « manu apprehendat, videlicet manu misericordiæ « et manu justitiæ. »

8. — S. Bonaventura Christi contemplatur benignitatem, corpus immundum et fœtidum propria manu clementer attingere non subterfugientis, unde dicit : « In hoc, quod apprehendit, apparet « ejus humilitas, quia non dedignatur tangere « infirmitates. » Didacus Stella ait : « Poterat « unico verbo sanare, sed propria manu hominem « horridum, fœtidum tangit; non sic qui proximos « infirmos non solum non curant, sed nec tangere « aut videre volunt, avertentes caput et oculos, ne « illorum ulcera videant. » Oceano Hieronymus scribens, opera misericordiæ commendat, in quibus sese occupabat Fabiola, quæ prima Romanarum matronarum erexit hospitalia, in quibus manu propria iis potissimum deserviebat, quibus fœtor adhærebat ulcerum major; deinde ipse S. Doctor hanc pro nobis doctrinam subjungit : « Ille quem « despicimus, quem videre non possumus, ad cujus « intuitum nobis vomitus erumpit, nostri similis « est, de eodem nobiscum formatus est luto, iis- « dem compactus elementis, quidquid patitur, et « nos pati possumus; vulnera ejus existimamus « propria. » In vita S. Elisabethæ Reginæ Ungariæ traditur, quod, cum hæc vice quadam a suis sollicitaretur, ut fœtores declinaret hospitalium, subridendo responderit : Quantum o sodales, securitatem possidebimus salutis nostræ in die judicii, ibi nobis judex dicet : *Infirmus eram, et visitastis me.* Nosque idipsum verum esse dicemus; cur igitur mihi, ut ab infirmis nauseabundis me subducam, persuadere nitimini? Quo audito erubuerunt, omnesque certatim ejus exemplum, sancto huic et pio ministerio sese applicarunt. In vita magni illius servi Dei, Camilli de Lellis, fundatoris religionis ministrantium infirmis, legitur, quod die quadam medico Crucio obviam factus, ab eoque, quo iret, interrogatus, responderit se ad pulchrum quoddam viridarium floribus plenum, et a castello S. Angeli non procul dissitum, hospitale S. Spiritus innuere volebat, perlustrandum concedere; dicere enim solebat : Non credo, quod in mundo sit hortus florum, quamvis fragrantissimorum, qui adeo me recreare possit, sicut hospitalium fœtor.

Et dimisit eum.

9. — Salmeron ait : « Sanum ac lætum jussit « abire, partim ut incessus, motusque abeuntis « restaretur restitutionem sanitatis, partim ne ipso « apud se detento ad ostentationem uti videretur. »

10. — S. Antonius Paduanus in sensu spirituali ita scribit : « Dominus peccatorem conversum tunc « dimittit, cum eum ab omni vinculo culpæ, et « pœnæ, et tentationis diabolicæ liberum in gau- « dium sinit abire. »

Versus 5.

Et respondens ad illos dixit : Cujus vestrum asinus aut bos in puteum cadet, et non continuo extrahet illum, die sabbati.

1. — Quæsierat ante, num in sabbato infirmum curare liceat, quia vero nullus responderat, restituta hydropico sanitate, per hoc, quod adduxit exemplum, actionem suam et miraculum patratum justificare et defendere voluit : « Dixit, ostendendo « illud esse licitum et bonum, » inquit Lyranus, « per exemplum animalis bruti, cujus periculo « licitum est succurrere in sabbato, etiam secun- « dum ipsos, et multo fortius succurrendum est « homini, propter quem facta sunt animalia bruta, « qui factus est ad imaginem Dei. » Et quidem ad illos convincendos aptius adducere exemplum non poterat; unde Glossa ait : « Competenti exemplo « solvit quæstionem, ut ostendat, eos sabbatum « violare in opere cupiditatis, qui eum violare « arguunt in opere charitatis. » Jansenius sapientissimum Magistrum illis verbis duos fecisse ictus observat, non enim per hanc adductam similitudinem recte se operatum fuisse, solum ostendere voluit : « Sed exemplo proposito simul etiam notat « illorum, et præposteram religionem, et avari- « tiam, ut qui in eo, quod si opus erat dicendum, « tantum fuit opus charitatis, arguerent eum vio- « lare sabbatum, cum in simili opere cupiditatis « non judicarent se violatores sabbati; » quod argumentum fortiter stringebat, atque indissolubile erat. Unde Carthusianus ait : « Si licet brutis die « sabbati cum grandi labore succurrere, cur non « potius licet homini ægro sanitatem supernatura- « liter dare die sabbati, præsertim cum istud fiat « tam absque labore, imo facillime? » S. Bonaventura quoque hoc argumentum ponderat, etenim Pharisæi, bovem aliquem, etiam in die festo, in puteum vel fossam aliquam collapsum, sine sabbati violatione, laborando foras extrahere licere putabant : « Si ergo salus hominis præferenda est sa- « luti asini et bovis, manifestum est, in curatione « hominis sabbatum non solvi, et est argumentum « a majori; » porro festum per opus servile profanatur, siquidem ita jubetur, *Lev.*, XXII, 7 : *Omne*

opus servile non facietis in eo; quis autem dubitat, quin servilius opus sit, asinum quemdam e fossa eximere, quam solo manus tactu infirmum curare? Etenim quæ exinde a S. Bonaventura deducitur consequentia, manifesta est; dicit enim : « Si ergo « ille non solvit sabbatum, qui bovem de fovea « extrahit, multo fortius nec ille, qui hominem « sanat; nam si opus avaritiæ non solvit, ergo nec « opus misericordiæ; cum opus avaritiæ sit servi- « tutis, opus misericordiæ, libertatis. »

2. — Hugo Cardinalis super verbum *Extrahet*, inquit : « Non animali, sed suæ avaritiæ consu- « lunt, » neque id admittebant ex motivo charitatis, sed avaritiæ, ne scilicet utilitatem, ex tali animali provenientem amitterent.

3. — Utilissima est illa Didaci Stellæ ponderatio, scilicet Christum Pharisæorum petulantiam, sola auctoritate compescere potuisse : « Poterat sola « sua auctoritate compescere illos, et confundere; « sed docuit, quod danda est ratio dictorum et « factorum proximis, etiamsi minoris conditionis « existant. »

4. — Idem quoque observat, quod licet juxta mundanorum stylum valde inconveniens videri potuerit, quod, qui ad prandium invitatus erat, hospitem suum convinceret et confunderet, nihilominus inquit Stella : « Observa, quod propter « epulas non desinit Christus dicere veritatem, « non fecit more adulatorum, qui ut ventri consu- « lant et gulæ satisfaciant, ad placidum loquuntur « magnatibus. »

5. — Glossa in sensu allegorico notat, Christum bovis et asini mentionem fecisse : « Ut vel sapientes « vel hebetes, vel utrumque populum significet; « scilicet Judæum, pressum jugo legis; et Gentilem « nulla ratione domitum, sed stolidum et brutum, « quos omnes a puteo concupiscentiæ demersos « extrahit : *Omnes enim peccaverunt, et egent gratia « Dei. Rom.*, III, 23. »

6. — Hugo Cardinalis per hanc foveam vel puteum in sensu morali, barathrum carnalis concupiscentiæ interpretatur : « Mystice per asinum « stultus quilibet, per bovem sapiens designatur; « per puteum significatur luxuria, seu carnis con- « cupiscentia; » juxta illud *Prov.*, XXIII, 27 : *Fovea profunda est meretrix; asinus ergo et bos in puteum cadit, quin tam sapiens, quam stultus aliquando in luxuriam ruit,* uti in exemplo Salomonis patet : « Quid autem est faciendum, cum ceciderit bos vel « asinus in puteum? Non est ibi dimittendus, sed « continuo extrahendus, » tametsi enim egressio a peccatis in nullo peccato differenda sit, specialiter tamen id verum est in peccato carnis, hujus enim peccati, quando habituatum est, cura est difficilis, imo quasi impossibilis.

7. — Didacus Stella contra Prælatos negligentes ita lamentatur : « Si asino, aut bovi jacenti succur- « ritur, quanto magis homini? At nunc multi « Prælati majorem curam gerunt de equis et mulis, « quam de animabus subditorum. »

8. — Per jumentum in puteum lapsum, animam in peccatum mortale collapsam intelligere possumus, *Psal.* XLVIII, 21 : *Homo cum in honore esset, non intellexit; comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis.* Per puteum Psalmista statum culpæ præfigurat; unde hanc a Deo gratiam postulabat, *Psal.* LXIX, 16 : *Neque urgeat super me puteus os suum;* sicut ergo jumentum deorsum in fundum usque cadit, ita anima ad profundum usque inferni collabitur. Item sicut jumentum nullo modo per semetipsum e puteo egredi potest, sed necessum est, ut alius compassione motus illud eximat, ita et anima per se et propriam voluntatem in peccatum quidem labi potest, inde vero nequit resurgere, nisi Deus illi potentem divinæ gratiæ suæ manum porrigat : *Perditio tua,* inquit Deus, *Ose.*, XIII, 9, *ex te; tantummodo in me auxilium tuum.* Enimvero ex vocibus : *Continuo extrahet,* utilissimum quoddam dogma elicere possumus, scilicet quod a peccato subito sine dilatione resurgere debeamus, cum Deus ad id nos adjuvare non desinat, quia : *Facienti, quod in se est, Deus non denegat gratiam.* Etenim rusticus est, cui jumentum in foveam cecidit, vel Princeps, cujus in eam collapsus est equus illa exinde eximere, et ab omni periculo eripere non desinunt. Quæ igitur est nostra dementia, quod cum anima nostra, secundum præsentem justitiam, ad barathri infernalis portas vicina consistat, nos tamen inde eam eruere de hora in horam, de die in diem, de septimana in septimanam, de mense in mensem, de anno in annum differamus. Ad eruendum animal, nostrum nos interesse excitat, nec tamen nobis de anima cura est, ut eam a pœnarum æternitate eruam, beatæ restituamus æternitati; si quis ex capillo supra ardentem fornacem suspensus, in hoc momento ab ignis periculo evadere posset, illene rogabit, ut subsidium offerens, in mane usque alterius diei exspectet? Nos uno quasi pede in inferno consistimus, vita quoque nostra ex filo suspensa hæret, quæ ergo tanta erit salutis nostræ æternæ negligentia, ut nostram inde liberationem, in diem crastinum differamus?

9. — Forte valdeque stringens argumentum est illud, quod S. Ambrosius in magnam animæ Deum credentis, confusionem efformat : « Si aurum tibi « auferatur, non mihi dicis; cras veniam, sed jam « exigis, nemo differt, nemo se excusat; redemptio « animæ offertur, et nemo festinat? » Cum de voluptatibus consectandis agitur, his sine dilatione frenum laxamus; sic filia Herodiadis dicebat : *Volo ut protinus des mihi in disco caput Joannis*; voluptuosi quoque et dissoluti juvenes in libro Sapientiæ dicere non verebantur : *Coronemus nos rosis, ante-*

quam marcescant; utamur creatura, tanquam in juventute celeriter. Numquid igitur perversorum damnanda est sollicitudo, qua suum usque in infernum accelerant præcipitium, e contra vero ad cœlum acquirendum ad evadendum orcum, adeo pigri existunt; Nazianzenus ait : « Ad scelus « quidem, ad fraudem tardus eris, celer autem ad « salutem, paria enim in viro sunt promptitudo ad « vitium, et procrastinatio ad salutem. »

Additiones.

a. — *Cujus vestrum asinus aut bos in puteum cadet, et non continuo extrahet illum die sabbati?* Hac interrogatione Pharisæorum cæcitas et avaritia apertissime declaratur, qui nefas esse putabant hominem in sabbato curare, cum justum esse crederent periclitanti bovi succurrere. Mira sane judiciorum perversitas; cum enim constet, charitatis legem a Domino, non ad brutorum animantium, sed ad hominum latam utilitatem, isti adeo præpostero judicio erant, ut eam erga pecudes, non autem erga homines servandam esse decernerent, quandoquidem periclitantes boves in sabbato curandos, homines vero negligendos esse judicarent. Quo quid esse dementius, quid magis præposterum, quid ab omni humanitate malis alienum esse poterat? Quid vero si hujusmodi cæcitas in nostris quoque moribus deprehendatur? Qua de re sic S. Bernardus fatur : « Ægrotat equus, et quæritur « remedium; periclitatur subditus et dissimulatur. « Cadit asinus, et est qui sublevet; perit anima et « non est qui recogitet. » Multi enim sunt qui majori cum sollicitudine bona temporalia et salutem corporis, quam spiritualia et salutem animæ curant. Incarnata Sapientia nullum formare poterat argumentum, quo Christiano sua efficacius majorique cum energia exprobraretur in procuratione salutis animæ inexcusabilis lenitudo, ut per ejusmodi improperium eripiatur ab inferno, quam dum sollicitudinem exponit, qua jumentum aliquod in puteum delapsum foras sollicite extrahitur. Ubi observanda est dictio illa : *Continuo.* Quod si enim bos vel asinus per diem integrum in tali jaceret puteo, submergeretur utique; ac proinde cum celeritate inde extrahitur, ne moriatur. Anima, per peccatum mortale, secundum præsentem justitiam, in profundum utique inferni corruit; siquidem ab illo non nisi flatu aut anhelitu unico distat. Tardabimusne igitur, illamque cum tanto æternæ mortis periculo, per dies, septimanas, menses et annos, in pernicioso hoc puteo jacere permittemus? Ergone a Christiano majoris asinus, quam anima propria æstimabitur, de qua S. Apostolus ait : *Empti enim estis pretio magno.* Puteus porro profundus peccatum est. Unde David, *Psal.* LXVI, orabat : *Neque urgeat super me puteus os suum.* Quemadmodum igitur jumentum in puteum collapsum, per suas vires, quantæcumque illæ sint, inde egredi nequit, sed alieno indiget adjutorio; ita quoque qui in peccatum lapsus est, inde sine efficaci divinæ gratiæ auxilio egredi non potest. Unde Deus apud Oseam, XIII, 9, inquit : *Perditio tua ex te, tantummodo in me auxilium tuum.* Similiter quemadmodum indignus foret qui in simili lapsu amplius juvaretur, qui alias in puteum lapsus porrectam sibi manum auxiliatricem acceptare aut apprehendere sæpius nolit : ita a Deo relevari et auxilium accipere non meretur qui divinum sæpius repudiavit subsidium.

b. — Hunc asinum, bovem et foveam mystice explicat Hugo Cardinalis, per asinum, inquiens, stultum, per bovem sapientem, per foveam vero luxuriam designari. *Fovea enim profunda meretrix. Prov.*, XXIII, 27. Asinus ergo et bos in puteum cadunt, quia tam sapiens quam stultus aliquando in luxuriam ruunt. *Inveni*, ait Ecclesiastes, VII, 27, *amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est, et sagena cor ejus.* Utrobique magna exaggeratio, *amariorem morte mulierem, et sagena cor ejus.* « Quia quantum est ex voluntate sua, » ait Hugo, « velut sagena omnes pisces, et magnos et parvos « capit, sic mulier impudica omnes ad se trahere « conatur. » S. Antonius de Padua, in sermone quodam hujus textus Proverbiorum, VII, 10 : *Mulier præparata ad capiendas animas*, mentionem faciens, per mulierem hanc illaqueandis animabus intentum, luxuriam in genere intelligit : « *Mulier*, id « est, sensualitas, pretiosam animam viri rapit. » S. Nilus mulierem cum serpente comparat; sicut enim hic, cum potest, veneno suo nos inficit, ita quoque hic sexus, cum occasionem habet, mortis venenum nobis instillat : « Par est serpentis et « libidinis indulgentia, nam ut occasionem invene- « rint, mortem statim afferunt. » S. Augustinus lascivum hominem generoso cuidam athletæ assimilat, qui post illatam inimicis suis capitalem stragem et internecionem, postea captivæ mulieris amoribus inescatus, semetipsum mortis condemnat. « Et videte quantum malum sit, ut aliquis crude- « lior existat in se, suam animam occidendo per « luxuriam, magis quam per carnalem victoriam, « adversariorum corpora trucidando. »

c. — Ne videretur quod Dominus Pharisæorum silentio fretus, absque ulla ratione, die sabbati hydropicum sanaverit, ideo divinus Magister, qui alta providentia omnia operabatur, efficacem rationem producit; sed cur potius in exemplum asinum et bovem Pharisæis adducit? D. Augustinus, *lib.* II *quæst. Evang.*, *cap.* XXIX, ait : « Congruenter hydro- « picum animali, quod cecidit in puteum, com- « paravit. » Uterque enim nimio humore aquæ premitur ac laborat, cum dicitur, *cadens in puteum.* Lapsus magnitudo et difficultas revocandi denotatur; in quæ mala ex immoderato gulæ stimulo devenerunt, hydropicus ex nimio appetitu bibendi, et animal etiam tanquam impatiens, ut aquam ex puteo gustaret. Non mirum ergo, quod in tot mala devenerent; damna enim quæ ex gula germinantur, multam difficultatem revocandi ad sanitatem gressus important. Regum sapientissimus Salomon, in Proverbiis, XXIII, 29, olim interrogabat : *Cui væ?* Sed audiatis velim quantæ per datum ei responsum, ebriis et epulonibus fuerint comminatæ ærumnæ; postquam enim præmisisset : *Cujus patri væ? Cui rixæ? Cui foveæ? Cui sine causa vulnera? Cui suffusio oculorum?* Subdit : *Nonne his qui commorantur in vino, et student calicibus epotandis? Ne intuearis vinum quando flavescit, quando splenduerit in vitro color ejus. Ingreditur blande, sed in novissimo mordebit, ut coluber, et sicut regulus venena diffundet.* Nunquam enim rigidioribus Deii suppliciis adeo vicini sumus, quam quando justissimum ejus furorem per crapulam irritamus. Deus apud Isaiam, V, 22, comminatur, dicens : *Væ qui potentes estis ad bibendum vinum; propter hoc sicut devorat stipulam lingua ignis, et calor flammæ exuri- « rit, sic radix eorum quasi favilla erit, germen eorum ut pulvis ascendet. Abjecerunt enim legem Domini « exercituum et eloquium sancti Israel blasphemave- « runt; ideo irotus est furor Domini in populum suum, « et extendit manum suam super eum, et percussit « eum, et facta sunt morticinia eorum quasi stercus in « medio platearum. In his omnibus non est aversus « furor ejus.* Imo quotiescumque in sacris paginis de hoc vitio agitur, semper ira Dei in eo castigando exacerbata demonstratur; siquidem infinita Dei Majestas ex hoc vehementer contumeliatur.

VERSUS 6.

Et non poterant ad hæc respondere illi.

1. — Lucas Brugensis perpendit, quod, licet Pharisæi convicti et confusi fuerint, adeo ut respondere non potuerint, Christum tamen hydropicum sanasse, approbare noluerint; imo ex hoc facto deinceps occasionem illum magis calumniandi sumpserint, utique fidem ejus apud plebem minuerent, ipsum velut publicum legis transgressorem proclamarint, dicentes, *Joan.*, IX, 6 : « *Non est hic « homo a Deo, qui sabbatum non custodit*, hoc licet « sciret Jesus, non tamen omisit hominis hujus « sanationem, exemplo suo docens, non esse « omittenda opera bona propter perversorum sive « calumniam, sive scandalum. »

2. — Salmeron de efficacia argumenti a Christo facti, ita scribit : « Hujus argumenti tanta vis erat, « ut ne contra hiscere ausi fuerint Judæi; nam si « licet sabbatis asino aut bovi benefacere, cur non « licest homini benefacere, ad imaginem et simili- « tudinem Dei creato. »

VERSUS 7.

Dicebat autem ad invitatos parabolam, intendens quomodo primos accubitus eligerent, dicens ad illos.

Dicebat autem ad invitatos parabolam.

1. — Nomen parabola, hoc loco, ut Lucas Brugensis advertit, non accipitur proprie, sed idem est, quod doctrina vel instructio : « Parabolam, id est, « doctrinam, qua a vana gloria ad humilitatis « studium eos revocaret. »

2. — Licet Christus mensæ assideret, in qua homines mundani de rebus sæcularibus, non de divinis disserere solent, ipse tamen prandium illud, discursibus et documentis spiritualibus et salutaribus condire voluit, qui laudabilis usus hodie ad religiosos transiisse conspicitur, qui refectioni corporali spiritualem associant, id est, sacram aliquam et devotam lectionem. Theophylactus a Glossa citatus ait : « Videns cœnas Christi, quales sint, nempe « in utilitatem animæ, ut non in satietatem ventris « vertantur; » idemque bonos effectus ponderat, qui ejus opera in hac mensa resultarunt : « Ecce « sanavit hydropicum; docet Pharisæos, quod bo- « num sit, in sabbato benefacere, ut postea videns « eos de primo accubitu tumultuari, sanet et hanc « affectionem, quæ non de parva sed magna, et vix « effugabili causa incipit, inani inquam gloria. »

3. — Salmeron notat, quod Christum veritatem illis dicere non omiserit, licet cæteroquin tempus et locum inopportunus esset : « Vide, quam longe « fuerit Dominus Jesus ab omni adulandi specie, « quod vitium etsi omnibus in genere fugiendum « est, iis maxime vitio verti debet, quorum interest, « impiis suas impietates exprobrare. » Unde Apostolus Timotheum, II *Epis.*, IV, 2, monet : *Insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa.*

4. — « Quoniam autem sciebat Dominus, » inquit Jansenius, « hoc facto offensos animos Pha- « risæorum, ut post sanatum corpus, mederetur et « mentibus, pravis judiciis infectis, respondens ad « cogitationes illorum, dixit, etc. » Apostolus proinde monet, *Rom.*, XII, 20 : *Si esurierit inimicus « tuus, cibo illum; hoc enim faciens, carbones ignis « congeres super caput ejus;* qualis autem hic cibus esse debeat, qui inimicis nostris subministrandus est, quod non de corporali, sed de spirituali cibo intelligendum sit, hisce sequentibus verbis declarat : *Noli vinci a malo, sed vince in bono malum; et « reddere pro malo bonum;* id quod Christus hoc loco egregie præstitit, etenim Pharisæi, capitales ejus inimici erant, qui mortem ejus anxie desiderantes, ad epulas illum invitarant, ut eum accusare et calumniari possent, ipse vero pro malo bonum reddere voluit, quia sicut huic hydropico, tanta cum benignitate corporalem restituit salutem, ita

queque per hanc parabolam et discursum, hosce inimicos suos a spiritualibus ipsorum infirmitatibus intenderit.

5. — Jansenius causam reddit, cur S. Lucas discursum hunc, parabolam vocet, cum tamen potius moralis quædam doctrina fuerit; dicit ergo : « Ideo parabolam vocat, quod sub hoc sermone, « quo ad civilem quamdam in conviviis servandam « modestiam, ad litteram hortatur, dicere Dominus « voluerit, sectandam semper et ubique humilita- « tem, et sui depressionem, fugiendam vero sui « exaltationem, quod per hanc fit, ut quis plerum- « que ab hominibus semper aut a Deo humilietur; « per illam vero contra fiat, ut quis a Deo et « hominibus exaltetur. »

6. — Didacus Stella Christum hoc exemplo ministros verbi Dei instruere voluisse dicit : « Ob- « servandus est locus iste præconibus verbi Dei, ut « non illico verbum veritatis subtrahant, ubi vel « animo pessimo vel capiendi studio, quosdam sibi « auditores senserint adesse; sperantes, ut sicut « Christus multos dolo venientes virtute sui verbi « ad pietatem convertit, ita per suos id posse præ- « cones; » adducitque Jeremiæ exemplum, qui cum a populo, prædicationem ejus surdis auribus excipiente, deriderentur, haberetur indigne, a prædicatione desistere statuerat; cui tamen Deus contra præcepit, dicens, *Jerem.*, XXVI, 2 : *Noli subtrahere verbum, si forte audiant et convertantur unusquisque a via sua mala, et poeniteat me mali, quod cogito facere eis.*

Intendens, quomodo primos accubitus eligerent.

7. — Lyranus hæc verba non modo de primo et honoratiori in epulis solemnibus accubitu, sed de quavis alia a nobis quæsita ambitiose dignitate interpretatur dicens : « Primus accubitus est quæli- « bet electio, vel postulatio, seu promotio ad ali- « quam dignitatem, ad dignitates enim se nullus « debet ingerere, sed alios meliores se præponere, « quantum est in se; alias invitator principalis, « scilicet Deus, a quo est omnis potestas, dejiciet « eum a sua dignitate, saltem spiritualiter, senten- « tia damnationis, aliquando enim dejicit tales « pœna temporali depositionis; si autem refugiens, « sicut faciebant patres antiqui ut Gregorius, Am- « brosius et similes; tandem ex obedientia susce- « perit, et ex charitate fraterna, ea bene usus « fuerit, tandem cœlestem gloriam obtinebit, ideo « subditur : *Erit tibi gloria.* »

8. — Est autem hoc loco notandum, quod venenum vel maxime in verbum *eligerent*, consistat, non enim honorum possessio condemnatur, sed eorumdem inordinata ambitio : « Attende diligen- « ter, » inquit Salmeron, « quod non ait : *intendens*, « quomodo in primis recubitibus sederent, sed quia « *primos accubitus eligerent;* periculum enim est « in eligendo seu affectando, non ita in sedendo : « multi enim supremum locum, a fasto alienissimi « occupant; multi ultimo loco sedent, qui sibi et « meritis suis vix sufficere putant, vel honestissi- « mum et primarium locum. »

9. — Didacus Stella pariter culpam non in sublimi fastigio, sed in ambitioso prætendentium affectu consistere, hoc evidenti concludit discursu : « Necesse enim est, ut ex multis unus supremum « locum habeat; etsi Papa, Rex, Episcopus aut « Prælatus sedeat in loco eminentiori, hoc non « damnat Christus, sed hæc appetere, ambire et « eligere condemnat. » Nihilominus citra omne dubium, grandior exsurgit in prætendente culpa, majorque reatus, si dignitatem ambiat, ad quam se omnino inhabilem novit, nullis insuper præcedentibus meritis; quem ambiendi genium Albertus Magnus ex præsenti Evangelii textu elicit, inquiens : « *Eligerent*, hoc est, sine merito virtutis acciperent « cathedras honoris et dignitatis, propria voluntate, « non vocati ad eas auctoritate superioris; » quos ambitiosorum cœtus tanquam temerarios sugillat. S. Cyrillus a S. Thoma in *catena* citatus, ait : « Prosilire prompte ad honores, qui nobis non « conveniunt, indicat nos temerarios esse, et nostra « facta vituperio replet. »

VERSUS 8.

Cum invitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco, ne forte honoratior te sit invitatus ab illo.

Cum invitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco.

1. — Cajetanus verba hæc Christi secundum sensum non litteralem, sed spiritualem ad Pharisæos directa fuisse opinatur, dicens : « Manifeste « apparet, quod sequens doctrina, quæ secundum « litteram morale sonat documentum, alio tendat, « quam ad docendum, morem servandum, circa « accubitus in convivio. » Tandem vero Auctor concludit, Christum hæc dixisse, ut eam nos doceret, quæ superbos pœna, et humiles maneat honor : « Ecce quo tendit parabola ad pœnam superbiæ, et « præmium humilitatis. » Salmeron quoque similem discursum facit, dum ait : « Loco parabolæ a « Christo introducuntur celsiora et majora myste- « ria, quam ipse cortex prima facie polliceatur. » Deinde ostendendo impossibile esse, quod consilium, ultimo loco occupando adimpleri possit, eo quod semel illo occupato, qui supervenit, frustra ultimum locum quæreret : « Imo jam non minus « pugna esset, nec minor ambitio, in ultimo loco « occupando, quam in primo, nam cum locus « postremus ut honorabilior habeatur, jam multi « pro eo, non quia ultimus sit, sed quia dignior et « honorificentior, contenderent; et sic occupare « ultimum locum superbiæ esset, non humilitatis. » Denique subinfert, verba illa non tam de sessione corporali hoc in ultimo loco intelligenda esse, quoad effectum, quam quoad affectum : « Debet « hoc præceptum sedendi in ultimo loco, intelligi « secundum animi præparationem, id est, oportet « sincero animo non ambire prima subsellia. »

2. — Hugo Cardinalis in sensu mystico, per invitationem ad nuptias, nostram vocationem ad fidem intelligit : « Id est, cum vocatus a Christo « per inspirationem vel prædicationem exteriorem, « unitati Ecclesiæ sociatus fueris, *non discumbas in « primo loco*, id est, non te extollas præ cæteris, de « scientia vel de meritis gloriando, » quin potius, ut in humilitate perseveres, considerandum est, primum locum donum Dei esse, nosque illum minime promeruisse; imo tanto plus locus primus timendus, et cum tremore a nobis accipiendus est, quod nesciamus, an obligationis illius satisfacturi, in eaque simus perseveraturi ad finem usque.

3. — Salmeron præsumptuosam hanc in primo loco sessionem, quoad mysterium de Lucifero explicat, secundo de protoparente nostro, tertio vero de quovis alio ambitioso et elato homine : « Videtur « hæc parabola primo petere dæmonem, deinde « Adamum, tertio quemvis sive dæmonis sive Adæ « discipulum, et in superbia imitatorem; » porro de Lucifero in Isaia, XIII, 13, scribitur : *In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum;* et in Ezechiele, XXVIII : *Deus ego sum; ego feci memetipsum.* Subjungit vero Salmeron : « Sed venit « honoratior illo, Christus Deus et homo; cum « imperio, per se et per Michaelem cum exercitu « suo præliantem, dictum est Satanæ : *Da huic « locum;* quis enim sicut Dominus Deus noster? De « loco ejectus est, et cœpit cum rubore novissimum « locum tenere. » Isaias, XIV, 15, quoque superbo huic spiritui dicit : *Ad infernum detraheris, in profundum laci.*

Ne forte honoratior te sit invitatus ab illo.

4. — « Id est, Deo invitanti gratiosior, » inquit Hugo Cardinalis, « *sit invitatus*, id est, ad fidem « vocatus a Deo, qui omnes vocat, aut per inspira- « tionem, aut prædicationem, aut flagellorum visi- « tationem, aut per visitationem beneficiorum; et « tunc cum te extuleris, id est, meliorem te cæteris « reputaveris, *veniens is, qui te et illum invitavit*, « id est, Deus, qui corda singulorum et merita « intelligit, juxta illud : *Spirituum ponderator est « Dominus; dicet tibi interius* occulte vel exterius « manifeste; sæpe enim Deus videns aliquem de se « præsumentem, et se aliis præferentem, per mise- « ricordiam ei intimat, quod ille, qui se præfert, ei « præferendus est, ut revocet eum ab errore suo. »

VERSUS 9.

Et veniens is, qui te et illum invitavit, dicat tibi : Da huic locum, et tunc incipias cum rubore novissimum locum tenere.

1. — S. Bonaventura ait : « Qui nos invitavit, « est Christus, qui venit ad nos, vel per inspiratio- « nem, vel per mortem, vel per finale examen. »

2. — Cedere locum suum, inquit Glossa, est habere de se conceptum, quovis alio inferiorem : « Id est, intellige te minorem, et alios majores te, « et meliores, *Eccli.*, III, 20 : *Quanto magnus es, « humilia te in omnibus et coram Deo invenies gra- « tiam; et tunc*, id est, quando cognoveris meliora « de aliis, quibus te prius meliorem putabas, « *incipies cum rubore novissimum locum tenere*, id « est, tunc confunderis, quia te aliis prætulisti. »

3. — Titus Bostrensis modestiam nobis insinuat, omnemque a cunctis dignitatibus, animi alienationem : « Ille cordatus est, qui cum primæ sedis « honorem jure mereatur, adeo illum non affectat, « ut ultro quoque alii deferat, quare magnum « præclarumque donum est, animus modestus sua- « que sorte contentus. »

4. — Ecce mirabiles superborum et arrogantium metamorphoses, ecce incredibiles scenæ mutationes, quæ in hoc sæculo quotidie videntur; qui enim in primo loco consistebat, cum rubore deponitur et contemnitur in ultimo, *Psal.* XXXVI, 35 : *Vidi impium superexaltatum et elevatum sicut cedros Libani; et transivi, et ecce non erat;* in alio quoque Psalmi LXXII, 18, loco dicitur : *Dejecisti eos, dum allevarentur.* Quanto enim amplius in altum ascenditur, tanto est vicinius præcipitium; mundi honor et gloria fumo comparatur, de superbis namque David, *Psal.* XXXVI, 20, ait : *Deficientes, quemadmodum fumus deficient;* fumi autem proprium est, quod quanto amplius extollitur, tanto plus raretiat, deficiat et evanescat. Unde S. Gregorius ait : « Fumus ascendendo deficit, « sese dilatando evanescit; sic videlicet fit, cum « peccatoris vitam præsens felicitas comitatur, « quia unde ostenditur, ut alius sit, inde agitur, ut « non sit. »

5. — *Cum rubore novissimum locum tenere*, idem est, quod in honoribus contemni. *Gloriam sapientes possidebunt*, inquit in Proverbiis, III, 35, Sapiens, *stultorum exaltatio ignominia.* Regius Vates, qui quænam sit dignitatum humanarum conditio, quovis alio perfectius intellexit, ita, *Psal.* XI, 9, inquit : *In circuitu impii ambulant, secundum altitudinem tuam multiplicasti filios hominum.* Pagninus legit : *Cum exaltati fuerint, vilitas est filiis hominum;* dum enim indigni coram omnibus extolluntur, imperfectiones et vitia illorum magis apparent, cum proprio eorum ludibrio et vilipendio. De horum numero erat ille a S. Bernardo, *lib.* II *de confid.*, c. VII, ad-

ductus : « Eo deformior, quo illustrior ; numquid « potest civitatis supra montem positæ desolatio « occultari, aut latere fumus lucernæ extinctæ su- « per candelabrum? » Ingeniosa profecto est illa ambitiosorum similitudo, qua illi, qui sine meritis ad honores fuere evecti, e quibus postea, rota fortunæ inversa dejiciuntur, currui Ezechielis comparantur, qui quatuor diversas facies referebat. Prima est leonis, siquidem superbus tanquam leo, terribilem se omnibus facit et continua febri illa inardescit, de qua S. Ambrosius ait : « Febris nostra ambi- « tio est ; « secunda facies est aquilæ, quia ad instar « aquilæ, eo usque extollitur, ut, qui hactenus amici « ejus et noti fuerunt, ab oculis ipsius disparent, dum « illos agnoscere erubescit ; tertia hominis quia ab « ea dignitate decidens ad pristinum esse revertitur ; « quarta denique est bovis, quia tunc vel maxime in- « scitiam suam manifestam esse facit ; unde ab uno- « quoque contemnitur. Quisquis honoribus dignus « est, nec tamen illos prætendit, sed per obedientiam « ad eorum possessionem evehitur, in omni statu sive « privato, sive publico, in honore et reverentia sem- « per ab omnibus habetur, cujus contrarium indignis « accidit, de quibus Salvianus dicit : « Quid est aliud « principatus sine meritorum sublimitate, nisi hono- « ris titulus sine homine, aut quid dignitas indigno, « nisi ornamentum luto? »

6. — Didacus Stella per illos, qui primas sedes occupant, absque eo, quod ad illas vocati fuerint aut invitati, tales intelligit, qui in dignitates semetipsos per vim intrudunt, contra quos valet illud Apostoli, *Hebr.*, v, 4, axioma, quod, utpote clarum, nullo glossemate indiget, nimirum : *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, tanquam Aaron.* Evidens enim indignitatis alicujus signum est, si qui nullum superioritatibus et prælaturis congruum meritum habet, easdem nihilominus ambiat, procuret et mediis illicitis quærat. Ac proinde S. Bernardus, *lib.* IV *de consid.*, cum Eugenio Papa de iis subjectis deliberans, quæ ab Ecclesiasticis dignitatibus excludi merentur, hæc ei monita suggerit : « Sane huic negotio non se ingerat « rogans ; consilio non prece agendum est, alius « pro alio, alios forte et pro se rogat, pro quo « rogaris, fit suspectus, qui ipse rogat pro se, jam « judicatus est ; nec interest, an per se an per alium « quis rogat. » Sufficit igitur de aliquo scire, quod sit ambitiosus, quodquod vel per se vel per alium honores et dignitates consecletur ; hoc, inquam, sufficit, ut quis sine temeritate aliquem honoribus indignum esse judicare possit. Arrogans nimis præsumptio est, si quis credat, se adeo validos habere humeros, ut Episcopatus alicujus onus rite sustinere possit, de quo concilium Tridentinum attestatur, quod sit « angelicis humeris formidandum, » quodque S. Augustinus appellat « periculosissimum ministe- « rium, » S. Paulinus « sacram molem. » Ad hosce feriendos calamum suum acuit S. Bernardus, inquiens : « Miror audaciam plurimorum, quos vide- « mus de suis vineis non colligere nisi spinas et « tribulos, vineis tamen dominicis etiam se inge- « rere non vereri, » quos proinde latronum titulo mactat, siquidem Christus ait : *Qui non intrat per ostium; sed ascendit alinnde, ille fur est et latro :* « Fures sunt et latrones, non custodes neque cul- « tores. » Contra nos Deus ipse, per os Oseæ, VIII, 4, expresse protestatur, dicens : *Ipsi regnaverunt et non ex me.* Ubi S. Gregorius ait : « Ex se autem et « non ex arbitrio summi rectoris reguant, qui nullis « fulti virtutibus, nequaquam divinitus vocati, sed « sua cupiditate accensi, culmen regiminis rapiunt « potius quam assequuntur, quos tamen internus « judex et provehit et non agnoscit, quia quos per- « mittendo tolerat, per judicium reprobationis igno- « rat. »

Versus 10.

Sed cum vocatus fueris, vade, recumbe in novissimo loco, ut cum venerit, qui te invitavit, dicat tibi : Amice, ascende superius; tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus.

Sed cum vocatus fueris, vade, recumbe in novissimo loco.

1. — Salmeron Christum his verbis semetipsum ad vivum delineasse existimat, utpote qui in mysticis hisce nuptiis ultimum semper locum obtinuit : « Quis natus in præsepi, per incarnationem exina- « nitur, in vita non habuit, ubi caput suum recline- « ret, et inter Apostolos erat tanquam minister ; unde « dictum est illi : *Amice, in quo mihi bene complacui,* « *ascende superius,* nempe resurgendo a morte, et « ascendendo in cœlum, et sedendo a dextris virtu- « tis Dei, hoc est, occupando primum locum con- « vivii, de quo Apostolus : *Propter quod et Deus* « *exaltavit illum et donavit illi nomen,* etc. Ex tunc « fuit illi *magna gloria coram simul discumbentibus,* « etc. »

2. — Hugo Cardinalis hæc verba de nostri ipsiusmet contemptu exponit : « Te minorem omnibus « reputando ; hoc non faciunt, qui in Ecclesia appe- « tunt dignitates prælationum, aut in claustro se « reputant sanctiores, aut in scholis sapientiores, « volendo audiri et nunquam audire. »

3. — Salmeron hic quærit, quidnam aliquis in casu, quo ultimus locus occupatus fuerit, facere debeat, an certare cum illo debeat, ut ipsum ex infimo loco repellat? respondetque negative : « Quia, « ut ait Basilius, non minus ordinem et pacem per- « turbat et ambitiosum est, certare pro ultimo loco « atque pro primo. » Quod si autem ulterius quæsieris, quomodo igitur præceptum Christi impleri possit, respondetur : « Potes corde sedere, te vilio- « rem et inferiorem cæteris æstimando. » Citatque dogma Auctoris Imperfecti, scribentis : « Quod « jubet nobis in ultimo loco Dominus recumbere, « non solum sic jubet, ut corpore in novissimo « jaceamus, sed etiam animo, ut novissimos nos « esse omnium judicemus ; nam sine causa loco se « humiliat, qui corde se præfert ; unde non vitupe- « rat eos, qui primo loco recumbunt, sed eos, qui « amant primos discubitus, ad voluntatem vitupe- « rationem referens, non ad factum ; » qui enim in primo loco et in prima sede considerent, se ea indignos esse existimare debent : multi in sublimi sedent, qui, si in arbitrio illorum staret, pedibus aliorum, scabelli loco servirent. S. Carolus sæpius se privatum Sacerdotem esse malle protestatus fuit, ut majori cum sollicitudine pro lucro et servitio animarum in pagis, vicis et locis alpestribus laborare posset ; multi e contra in loco infimo sedent, qui tamen in corde suo magnam prima loca occupandi ambitionem fovent. S. Antonius de Padua ait : « Magna superbia, in nuptiis, id est, Jesu « Christi Ecclesia, in primo loco, id est, dignitatis « excellentia velle discumbere. »

4. — Salmeron per hasce nuptias in alio sensu, eucharisticas intelligit, pro quibus hoc nobis suggerit documentum : « Caveamus nobis a primo « loco, aut cæteris nos certiores existimare, vel « quod frequentius, vel cum majori sensibili devo- « tione communicamus, sed per omnia indignos nos « tanto cibo haleaasse existimat, utpote qui in mysti- « cis hisce nuptiis ultimum semper locum obtinuit : « Quis natus in præsepi, per incarnationem exina- « nitur, in vita non habuit, ubi caput suum recline- « ret, et inter Apostolos erat tanquam minister ; unde « dictum est illi : *Amice, in quo mihi bene complacui,* « *ascende superius,* nempe resurgendo a morte, et « ascendendo in cœlum, et sedendo a dextris virtu- « tis Dei, hoc est, occupando primum locum con- « vivii, de quo Apostolus : *Propter quod et Deus* « *exaltavit illum et donavit illi nomen,* etc. Ex tunc « fuit illi *magna gloria coram simul discumbentibus,* « etc. »

5. — S. Bernardus ait : « Novissimus locus mors « est, » ac proinde si hujus cœlestis panis substantia frui, Agnique nuptiis, cum animarum nostrarum fructu, accumbere volumus, mortem meditemur. Subcineritius Eliæ panis hujus Sacramenti symbolum fuit ; de hoc autem Hugo Cardinalis ait : « Panis subcineritius est memoria mortis, quæ « multum reficit animam ; » Salvator noster institutionem sanctissimi Sacramenti, per triginta trium annorum spatium, usque ad noctem, quæ mortem ejus præcessit distulit : *Qui pridie quam pateretur accepit panem,* etc., ut illis, qui eo cibandi essent, tanto vivacius, non modo memoriam passionis suæ, sed simul etiam vitæ nostræ finem imprimeret, cum institutum sit, velut unicum itineris ad cœli patriam instituendi viaticum ; ac proinde magnum utique convivium hoc fructum conferet, si, qui ad illud accedunt, se novissime et postremo ad illud accedere sibi persuadeant.

6. — Idem quoque S. Bernardinus ait : « Locus « novissimus est Paradisus ; » quisquis igitur in se omnem fastum et pompam mundanam reprimere, omnemque cujusvis dignitatis ambitionem deponere voluerit, in Paradisi gloria cœloramque regno se ponendum contempletur.

7. — At vero si per novissimum locum, prout in hujus Sancti sententia diximus, mors intelligatur, hæc pariter unicum est medium, ad depellendam a nobis omnem mundanorum honorum vanitatem : *Quia non respectus morti eorum, ideo tenuit eos superbia. Psal.* LXXIII, 4.

Ut cum venerit, qui te invitavit, dicat tibi : amice, ascende superius.

8. — Hugo Cardinalis hisce verbis hanc adhibet paraphrasin : « *Ut cum venerit* in morte vel ad judi- « cium, vel quotidie per inspirationem, *qui te invi-* « *tavit, dicat tibi : amice,* qui amaris et amas sem- « per, *ascende superius,* in præsenti ad majus meri- « tum, in futuro ad majus præmium ; » quoadusque enim in hoc mundo vivimus, ad majores meriti gradus ascendere conari debemus, *Psal.* LXXX, 8 : *Ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion.* S. Bernardus, ut nostram confundat hac in re pigritiam, hominum mundialium nobis proposuit insatiabilitatem, in explendis suis cupiditatibus et appetitibus, sive honores spectes, sive facultates aut voluptates : « Nonne ipsorum insatia- « bilia desideria arguunt nos negligentiæ et tepi- « ditatis? pudeat certe spiritualium nos bonorum « minus cupidos inveniri ; » existimo profecto, quod si in cœlites cadere tristitia posset, illam non aliunde orituram, quam quia hic in terris majora sibi merita non compararint, ut ad eminentiorem ascendere possent gradum beatitudinis.

9. — Lucas Brugensis locum illum adducit Sapientis, *Prov.*, XXV, 6 : *Ne gloriosus appareas coram Rege et in loco magnatorum ne steteris, melius est enim, ut dicetur tibi, ascende huc, quam ut humilieris coram Principe ;* qui idem auctor paulo post valde considerabilem subjungit sententiam, dicens : « Vera est gloria, quæ datur, non quæ ambitur. » S. Antonius Paduanus, ad vocem *amice* se reflectens, ait : « Ex humilitate amicum te agnoscit qui « ex præsumptione te postposuit ; « sed quid mirum, siquidem ut Didacus Stella ponderat : « *Depo-* « *suit potentes de sede et exaltavit humiles ; eos,* qui « sponte sua mundi honores et gradus contemnunt, « extollit Deus, deprimens ambitiosos. »

10. — Ecce igitur tibi modum, quo exaltari et magnificari possis, si nimirum tibi vilescas, atque infimum usque tuipsius conceptum te contemnas ; unde Isidorus Pelusiota ait : « Qui virtutes suas « magnas reddere cupit, ne eas magnas esse existi- « met et tunc magnæ erunt. » Moyses Ægypti totius regnum repudiavit, seque digniorem esse censuit, qui ligonem tractaret, aut aratrum duceret, quam sceptrum, qui servili cingeretur veste, quam regio amiciretur paludamento ; sed quid Deus noster fecit? Non solum eumdem ad sublimissimam dignitatem, qualis erat data ipsi in totum populum suum potestas et imperium evexit, sed etiam suum in

terris locum tenentem, imo deum Pharaonis esse voluit : *Constitui te deum Pharaonis.* Ubi S. Ambrosius ait : « Fugiendo potentiam potentior factus « est, factus est enim in deum regi Pharaoni. » Quos Moyses non adhibuit conatus, ne ad munus illud promoveretur, balbutientem se et ineptam ad omnia protestando? ex qua reluctantia Origenes hoc elicit documentum : « Bonum est non prosilire ad « eas, quæ a Deo sunt, dignitates et principatus, « et ministeria Ecclesiæ, sed imitari Moysen et « dicere cum eo : *Procide aliam quem mittas*; « neque enim ad principatum Ecclesiæ venit, qui « salvari vult. » Sceptrum imperii, quod Dominus Moysi in manus dedit, virga illa prodigiosa fuit; at vero quare eamdem in serpentem mutari fecit, hoc enim animal super terram serpendo repit; notandum igitur, quod virgam non prius in serpentem transformavit, nisi postquam eadem in terram projecta fuit, ad insinuandum, eos non recte regere et gubernare, nisi qui in honoribus ad terram se prosternere norunt, id est, qui ex honoribus, quibus præfulgent, non efferuntur in superbiam, sed se ad instar aliorum, homines et ex communi Adæ massa efformatos esse agnoscunt. Deus quoque eidem Moysi de Josue dixit, qui ei in gubernatione populi successurus erat : *Dabis ei præcepta cunctis videntibus et partem gloriæ tuæ*, ubi Oleaster apte ad propositum nostrum legit : *Dabis ei de dejectione, vel projectione tua*, ac proinde advertendum est, quod illa Moysis in terram humiliatio et projectio idem sit, quod ejus exaltatio et glorificatio; siquidem idem significat, *gloriæ tuæ*, quod *dejectionis tuæ*; Moyses enim in solitudine adeo renuit principatum, ut projectus ad illum videri posset. Enimvero quanta cum renitentia magnus ille populi dux Josue, cui spiritus ille communicatus fuit, post mortem Moysis, in illam se dignitatem collocari permisit? Etenim eodem in loco, *Num.*, XXVII, 28, prius dicitur : *Tolle Josue virum, in quo est Spiritus Dei*, ubi Abulensis verbum *tolle* notans ait : « *Tolle* significat ductionem quamdam non voluntariam, in « qua significatur quod Josue non petierit istum « principatum, nec appetebat, sed solum ex man- « dato Dei assumpsit. » David de sua ad regnum assumptione discurrens, hocce Dominum alloquitur humilitatis et submissionis discursu, II *Reg.*, VII, 38 : *Quis ego sum Domine, Deus, et quæ domus mea, quia adjuvisti me hucusque?* Ecce tibi qualem regno adeo copioso et opulento, quale Israel erat, titulum imposuerit, nimirum *hucusque*; et quidem, ex verbo *adjuvisti*, patet ipsum jussum esse ascendere superius, eo quod in ultimo convivii loco se collocarat, quando dicebat : *Quis sum ego et quæ domus mea?* Item : *Quem persequeris*, dicebat Sauli, I *Reg.*, XXIV, 15, *canem mortuum?* atque hoc motivo, Dominus nuptiarum commotus, ipsum primum locum conscendere jussit; unde Samuel jussu Dei Sauli dixit, I *Reg.*, XIII, 14 : *Quæsivit Dominus sibi virum juxta cor suum.* Ubi S. Gregorius ait : « Quia electi viri ad « honoris primatum non ex ambitione veniunt, sed « coacti perducuntur, bene dictum est : *Et præcepit « ei, ut esset dux.* Quasi diceret : In honorem præ- « lationis non per ambitionem, sed coactus, ascen- « dit. »

Tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus.

11. — « Id est, » inquit Hugo Cardinalis « in « eadem fide manentibus, vel eamdem lectionem « audientibus, vel in eadem beatitudine quiescen- « tibus; qui omnes cum admiratione glorificabunt « te, prius humiliatum, dicentes, *Psal.* CXXXVIII, 17 : « *Mihi autem nimis honorati sunt amici tui, Deus, « nimis confortatus est principatus eorum.* »

12. — Videmus per experientiam ambitiosos et superbos, qui per fas nefasque dignitates venantur, omnibus abominabiles esse, omniumque censuræ subjacere; e contra vero, qui eas juste merentur et tamen fugiunt et consequenter inviti ad easdem promoventur corda, voluntates et laudes omnium sibi comparare, maximeque ab omnibus in ejusmodi gradibus constitutos æstimari et honorari. Unde Laurentius Justinianus exclamat dicens : « O sancta « humilitas, sola in tuis vilis oculis, tuo te con- « demnas judicio, quantum Deo amabilis es! quam « chara! quam dignitate sublimis! quam dives me- « ritis! tu omnium te novissimam credens, cæteros « honorabiliter antecedis; dum descendis, ascen- « dis; dum gloriam fugis, acquiris; dum latere « cupis, efficeris manifesta; sine tuo detrimento « proficis, sine elatione præes. »

Additiones.

a. — *Cum vocatus fueris, vade, recumbe in novissimo loco*, etc. Cum in convivio varii sint locorum accubitus, mandat Dominus, ut non secundum, vel tertium, vel quartum eligamus, sed ultimum teneamus. Super quo sic ex D. Bernardi *Serm.* XXVII *in Cant.* D. Bonaventura ait : « Si enim in quonam « statu unumquemque nostrum habet Deus, liquido « cognosceremus, nec supra sane, nec infra sedere « deberemus, veritati in omnibus acquiescentes; « nunc autem, quia consilium hoc posuit tenebras « latibulum suum, et sermo absconditus est a no- « bis, ita ut nemo sciat, si dignus sit amore, vel « odio, justius, tutiusque profecto, juxta ipsius « veritatis consilium, novissimum nobis locum eli- « gimus, de quo postmodum, cum honore superius « educamur, quam præsumimus altiorem, unde « cadere oporteat cum rubore. » En itaque, ut vel ob hoc solum superbia fugienda et detestanda sit.

b. — *Amice, ascende superius.* Ille qui primum locum tenebat, et ad inferiorem ire mandatur, amici titulum amittit, et ei tantum dicitur : *Da hunc locum.* At vero qui in novissimo loco sedebat, amici

nomine insignitur, cui paterfamilias ait : *Amice, ascende superius.* Quænam hujus discrimis causa? Hic, ut modestus et inanis gloriæ inimicus, omnibusque virtutibus dives, omnibus erat amicus, omniumque animos ad se conciliabat; ille vero, superbia elatus, omnibus se antepONens, vacuus meritis et virtutibus omnibus inimicus, omnibus erat exosus, atque omnium animos a se avertebat. Sicut enim humilitas omnium virtutum fundamentum et custos, amorem generat, sic et superbia earumdem virtutum adversaria, cunctorum bonorum operum merita enecat, odium ac sui displicentiam procreat, et nutrit. Publicanus, in parabola Evangelica, virtute humilitatis suæ e templo descendit justificatus; Pharisæus vero in pœnam præsumptionis et arrogantiæ suæ reprobatur : « Rema- « nente in fæcibus suis, » exponit Lyranus. At S. Bonaventura hoc inde eruit documentum : « Do- « minus plus pensat unam humilem supplicationem « peccatoris pœnitentis, quam innumerabiles actio- « nes alicujus justi de se præsumentis. » Duobus hisce polis tota divinarum legum nititur observantia : *Declina a malo, et fac bonum.* Jam vero Pharisæus, si verbis ejus credere velimus utrumque accurate observabat. *Declinabat a malo.* Etenim protestabatur : *Non sum sicut cæteri hominum, raptores, injusti, adulteri.* Insuper *faciebat bonum*; sequitur enim : *Jejuno bis in sabbato, decimas do omnium quæ possideo*; frequentabat templum, orabat : *Ascendit in templum, ut oraret.* Quid amplius desideratis in tali homine, in ordine ad perfectionem? Nihilominus *descendit hic justificatus in domum suam*, « remanente Pharisæo in fæcibus suis. » Ut suæ reprobationis causam intelligamus, sufficiant hæc pauca verba S. Paulini : « Quod justitia ædifi- « cabat, superbia destruebat. » Et paulo post : « Reportante sarcinam peccatorum de jactantia « sanctitatis. » Huc venit quod scribit S. Ambrosius, *Serm.* III *in Psal.* CVIII : « Studet supplantare « diabolus bonis operibus intentos. Quantum labo- « ravit Pharisæus ille, ne raperet aliena, ne injus- « tus esset, ne adulteraret? Quantum laboravit, ut « decimam daret omnium quæ acquisierat? Quis « nostrum hæc facit? Quanti habent possessiones « et solis incumbunt fructibus et solis sibi messis « recundunt? Advertit hoc diabolus et perfudit « eum ulcere gravi ut non teneret caput mente « carnis inflatus; et in eo in quo laudabilis fore « crederetur, ibi reprehensibilior judicaretur. Age- « bat enim gratias Deo quod non esset raptor, « adulter, injustus. Quam noxie ei luctatus est « serpens, et gravibus eum spiris ligavit? Superio- « rem fecit, ut de altiore loco dejiceret; inferiorem « se præbuit, ut sublimiorem casu graviore pro- « sterneret. Mala ruina est arrogantia, superbiores « obruit. »

Versus 11.

Quia omnis qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat, exaltabitur.

Quia omnis, qui se exaltat.

1. — Valde considerabile est hoc : *Qui se exaltat*; non enim dicit : *Omnis qui exaltatur*, sed *qui se exaltat*, indicando ambitiosos, qui in honores ultro se ingerunt et intrudunt; vel qui in prosperitatibus evanescunt et superbi evadunt; vel qui alios contemnendo, nimium de seipsis præsumunt. Didacus Stella etiam ad idem verbum se reflectit, dicens : « Non dicit : *omnis qui* exaltatur, sed *omnis qui se « exaltat*; quia multi sunt exaltati, qui sunt justi; « sed ait : *Omnis qui se exaltat*, id est, exaltat seip- « sum, ambiendo honores et dignitates; non potes- « tas, sed elatio in crimine est. »

Humiliabitur.

2. — « Hoc dicitur secundum divinum judi- « cium, » inquit S. Thomas, « non secundum « humanam consuetudinem, secundum quam plu- « res concupiscentes honores, consequuntur, alii « vero se humiliantes, inglorii remanent; » hoc eodem casu Carthusianus quoque hæc verba explicat, intelligens illa de confusione æterna : « *Humi- « liabitur* humilitate pœnali in futuro, tanto confu- « sibilius atque pœnalius a Christo, omnium judice, « quanto se nunc magis extulerit, nisi per veram « pœnitentiam seipsum in hac vita humiliaverit; » etenim loca magis eminentia, quotidiana experientia teste, iræ cœli magis subjiciuntur; siquidem divinæ justitiæ fulmina sibi attrahunt; id quod clarum est indicium, quod quo dignitates sunt sublimiores et præcellentiores; tanto eos, qui in ipsis sunt positi, majorem contra se ob multas transgressiones, Dei provocare furorem; utpote in quibus etiam nonnunquam ii, qui perfectissimi et sanctissimi sunt, periclitantur. Unde Tertullianus ait : « Saul bonus præ cæteris, livore postea evertitur; « David vir bonus secundum cor Domini, postea « cædis et stupri reus est; Salomon omni gratia et « sapientia donatus a Domino, ad idololatriam a « mulieribus inducitur; » ex quibus præmissis hæc deducitur consequentia, scilicet paucos admodum esse, qui in culmine locisque altis et elevatis positi, non patiantur vertiginem et cadant : « Soli Dei Filio « servabatur sine delicto permanere; » et tamen notandum est, quod et ipse non quidem ob periculum, quod potuisset incurrere, sed ad nostram instructionem in regem eligi detractaverit, dumque sibi omnia regna terræ præsentarentur, se illorum dominum esse, aut dominium habere negavit, imo expresse protestatus est, dicens : *Regnum meum non est de hoc mundo*; ut per hoc nobis innueret, quanto sint imperia et honores subjecti periculo, quamque

UNIVERSIDAD DE NAVARRA

vicini æternæ salutis jacturæ. Judas a Deo ad sublimem Apostolatus dignitatem vocatus fuit; Saul pariter in Regem violenter quasi est unctus, quia ne exaltaretur, sese abscondit; et tamen, inquit S. Basilius : « Si, qui delatam sibi gloriam acceperunt, « condemnati sunt, sine controversia, qui ultro sibi « non delatam acquirunt, gravissimo ultra quam « dici potest, judicio plectentur. »

Et qui se humiliat, exaltabitur.

3. — « Id est, » inquit Carthusianus, « qui veram « humilitatem fuerit amplexatus, propriam parvi- « tatem et defectuositatem causando, se culpando, « seque coram Deo dejiciendo et prosternendo, et « ejus misericordiam jugiter implorando. »

4. — Advertendum quoque est, quod similiter de humili dicatur : *Qui se humiliat*; non vero, *qui humiliatur*; quia virtus humilitatis debet esse voluntaria et interna; si enim humilem esse ab aliis dependeret, quomodo unquam hanc virtutem consequi possemus aliis invitis? jam enim in nostra non foret potestate; at vero non est ita, omnino enim dependet a nobis, ac proinde cum honor et gloria, ad humilitatis et proprii contemptus proportionem incrementa accipiat, certi et securi simus, quod quanto magis nos humiliaverimus, tanto quoque magis exaltandi simus; non ita accidit superbo in cujus manu non est honorari vel æstimari, cum honores ab ipso prætensi ab aliena pendeant voluntate, ac proinde difficile illis est, ut fines suos assequi possint; verum enimvero valde in hac materia notandum est sequens utile documentum, nimirum quod nonnunquam sub profunda quadam humilitate tegi possit insignis superbia; tunc scilicet, quando quis ideo se abjicit et contemnit, ut magni ab aliis æstimetur, ac proinde Albertus Magnus ait : « Humilitas est virtus, qua homo verissima « sui cognitione sibiipsi vilescit. » S. Bernardus quoque nos docet, quod tunc vere nos humiles simus, quando omnibus virtutibus vere ornati, omnibus nos virtutibus destitutos esse existimamus : « Magna et rara virtus profecto est, ut magna licet « operantem, magnum te nescias et manifestam « omnibus, tuam te solum latere sanctitatem; mi- « rabilem te apparere et contemptibilem reputare; « hoc ipsis virtutibus mirabilius judico. » S. Hieronymus, in Epistola IV, de S. Paula ait : « Quanto « plus se dejiciebat, tanto magis a Christo sublevabatur; latebat et non latebat, fugiendo gloriam, « gloriam merebatur, quæ virtutem quasi umbra « sequitur et appetitores sui deserens, appetit contemptores. » Mundus, qui cor et oculos suos in dignitates defixos tenet, easque æstimat, omnique conatu venatur, obstupescit et admiratur illos, qui, cum similes dignitates habere possint, easdem nihil æstiment. Salutare proinde est illud D. Chrysostomi monitum : « Si gloriæ amator es, eam fugias et « habebis; nihil enim æque solent admirari homi- « nes atque eum, qui non sustinens celebrari, om- « nia ista contemnit. » In sacris pariter et profanis historiis minime celebrantur, qui honores quæsierunt et oblatos libenter amplexati sunt; bene tamen illi, qui omnia, ne eos acciperent, quæsierunt effugia; hæc repulsa in summam cedit gloriam eorum, qui se ab iis omnino alienos esse probarunt. Aurea proinde est illa S. Bernardi sententia : « Humilitas « in honore, honor est ipsius honoris et dignitas « dignitatis; omnis dignitas ipso dignitatis nomine « indigna est, si humilia dedignatur. » Idem quoque mellifluus Doctor ad Christum se reflectens, qui, priusquam ad dexteram Patris sederet, *descendit primo in inferiores partes terræ*, imo in ipsam inferni abyssum, dicit : « Ego autem credo, eum in hoc « ipso, quod descenderit, ascendisse; sic enim « oportebat Christum ascendere, ut nos ascendere « doceremur; cupidi quidem sumus ascensionis, « exaltationem concupiscimus omnes, nobiles enim « creaturæ sumus et magni cujusdam animi, ideo- « que altitudinem naturali appetimus desiderio; » at vero idem S. Doctor paulo post, modum ascendendi nos docet, qui similis debet esse illi, quo Christus ascendit, qui prius se humiliavit : « Qui « alte vadit, » inquit, « cadit potius quam ascendit, « quia sola est humilitas quæ exaltat et per humi- « litatem ad sublimitatem ascenditur, quia hæc est « via et non alia præter ipsam. »

Additio.

a. — *Quia omnis qui se exaltat humiliabitur.* Hæc ex superioribus Evangelii verbis verissima esse patent, quoniam superbo, qui primum locum occupat, dicitur : *Da huic locum*; et incipit cum rubore novissimum locum tenere. E contra vero, humili qui sedet in novissimo, ait Dominus : *Ascende superius* : quod idem est ac si humiliet eos qui se exaltant, exaltet humiles qui in novissimo sedere eligunt. Adverte tamen quod non dicitur : Omnis qui exaltatur, sed : *Omnis qui se exaltat*, id est, exaltat seipsum honores ambiendo et negotio humano principatum obtinet. Non enim potestas, et status, sed elatio in crimine est, et hanc ipse Deus aversatur et punit. Sapiens ex instinctu Spiritus veritatis hoc reliquit scriptum, *Prov.*, XV, 25 : *Domum superborum demolietur Dominus.* S. Gregorius Magnus reddendo rationem ruinæ superborum, hunc adducit Psalmi LXXII versum : *Dejecisti eos dum allevarentur*; et addit : « Non ait : Dejecisti eos postquam « elevati sunt, sed *dum allevarentur*; quia hoc « ipsum fit superbis interius dejici, quod eis falsa « contingit gloria exterius elevari. » Postquam in progressu ejusdem capitis dixisset : « Valde super- « bire est, impio de auctore sentire, » asserit : « Impius in loco suo conteritur, quia ipsa superbia « qua elevatur, opprimitur. » Et *lib.* I *Epis.*, V, ait :

« Elevatio ipsa ruina est, quia dum gloria falsa « subnixi sunt, a gloria vera evacuantur. » Vera propterea ac propria est similitudo illa, quam adducit S. Chrysostomus : « Quemadmodum aquaticæ « ampullæ facile rumpuntur, ita et illi facile per- « eunt. » Quando videtis superbos maxime tumidos, tunc scitote eos protinus disrumpendos.

DOMINICA SEPTIMADECIMA POST PENTECOSTEN

EVANGELIUM MATTHÆI, CAP. XXII, VERS. 35

35. Interrogavit eum unus ex eis legis Doctor, tentans eum.
36. Magister, quod est mandatum magnum in lege?
37. Ait illi Jesus : Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua.
38. Hoc est maximum et primum mandatum.
39. Secundum autem simile est huic : Diliges proximum tuum sicut teipsum.
40. In his duobus mandatis universa lex pendet et Prophetæ.
41. Congregatis autem Pharisæis, interrogavit eos Jesus, dicens :
42. Quid vobis videtur de Christo, cujus filius est? Dicunt ei : David.
43. Ait illis : Quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum dicens :
44. Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis; donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.
45. Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius ejus est?
46. Et nemo poterat ei respondere verbum, neque ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare.

VERSUS 35.

Interrogavit eum unus ex eis legis Doctor, tentans eum.

1. — Postquam Sadducæi, qui secta quædam hæreticorum erat, animæ immortalitatem et corporum resurrectionem negantes, Salvatorem prius per ludibrium de dubio quodam interrogassent, ipsi vero ex responsione a Domino data, cum magno circumstantium applausu obmutuissent, invidi Pharisæi simul congregati, tentare conati sunt, ut ejus per hoc apud vulgus comparatam dignitatem et fidem diminuere possent, ipsum vel ignorantem convincendo, eo quod sperarent, ipsum ad quæsita eorum respondere non posse, sagacissimum ex toto suorum numero, in hunc finem elegerunt, qui eum subtili quadam interrogatione proposita aggrederetur. Jansenius putat, Pharisæos festivum exhibuisse gaudium, eo quod Sadducæi, ipsorum adversarii, a Christo confusi et convicti essent, licet plurimum ipsis displicuerit, fama et existimatio, quam Redemptor noster, exinde penes populum sibi conciliarat : « Invidia quadam contra Dominum incitati, « convenientes in unum, consultaverunt inter sese « de quadam quæstione, etiam a se Domino propo- « nenda, ut si forte ad eam non apte responderet, « minueretur apud populum admiratio prudentiæ « ejus et majorem apud populum ipsi consequeren- « tur honorem et laudem. »

2. — Scriptura ipsorum multos numero congregatos fuisse refert; Carthusianus quoque scribit : « Venerunt multi simul, ut multitudine vincerent, « quem ratione non poterant; » verumtamen ex toto numero unum tantum elegerunt, qui Christum aggrederetur; quem vero in hoc consilio finem spectarint, S. Anselmus egregie dirigit, dum ait : « Dicunt apud se : Loquatur unus pro omnibus et « omnes loquamur per unum, ut si quidem vincit, « omnes videamur vicisse, si autem victus fuerit, « vel solus videatur confusus. »

3. — « Ex immodica invidia accedit tentans, » ait Theophylactus, « quia enim viderant Sadducæos « confusos et laudatum Dominum ob sapientiam, « accedunt tentantes, si apponat aliquid mandato « primo, quasi legem corrigens, ut inveniant con- « tra ipsum ansam; » ac proinde qui benefactori suo grati esse debebant, ipsum pro viribus sunt persecuti; sciendum est etenim, Christum Pharisæis gratius præstare non potuisse obsequium, quam fastum Sadducæorum adversariorum suorum reprimendo, eosque confundendo, ac proinde grati erga ipsum esse debuissent, et tamen ex propria invidia stimulati, magis contra ipsum exasperati fuere, quia

vicini æternæ salutis jacturæ. Judas a Deo ad sublimem Apostolatus dignitatem vocatus fuit; Saul pariter in Regem violenter quasi est unctus, quia ne exaltaretur, sese abscondit; et tamen, inquit S. Basilius : « Si, qui delatam sibi gloriam acceperunt, « condemnati sunt, sine controversia, qui ultro sibi « non delatam acquirunt, gravissimo ultra quam « dici potest, judicio plectentur. »

Et qui se humiliat, exaltabitur.

3. — « Id est, » inquit Carthusianus, « qui veram « humilitatem fuerit amplexatus, propriam parvi- « tatem et defectuositatem causando, se culpando, « seque coram Deo dejiciendo et prosternendo, et « ejus misericordiam jugiter implorando. »

4. — Advertendum quoque est, quod similiter de humili dicatur : *Qui se humiliat*; non vero, *qui humiliatur*; quia virtus humilitatis debet esse voluntaria et interna; si enim humilem esse ab aliis dependeret, quomodo unquam hanc virtutem consequi possemus aliis invitis? jam enim in nostra non foret potestate; at vero non est ita, omnino enim dependet a nobis, ac proinde cum honor et gloria, ad humilitatis et proprii contemptus proportionem incrementa accipiat, certi et securi simus, quod quanto magis nos humiliaverimus, tanto quoque magis exaltandi simus; non ita accidit superbo in cujus manu non est honorari vel æstimari, cum honores ab ipso prætensi ab aliena pendeant voluntate, ac proinde difficile illis est, ut fines suos assequi possint; verum enimvero valde in hac materia notandum est sequens utile documentum, nimirum quod nonnunquam sub profunda quadam humilitate tegi possit insignis superbia; tunc scilicet, quando quis ideo se abjicit et contemnit, ut magni ab aliis æstimetur, ac proinde Albertus Magnus ait : « Humilitas est virtus, qua homo verissima « sui cognitione sibiipsi vilescit. » S. Bernardus quoque nos docet, quod tunc vere nos humiles simus, quando omnibus virtutibus vere ornati, omnibus nos virtutibus destitutos esse existimamus : « Magna et rara virtus profecto est, ut magna licet « operantem, magnum te nescias et manifestam « omnibus, tuam te solum latere sanctitatem; mi- « rabilem te apparere et contemptibilem reputare; « hoc ipsis virtutibus mirabilius judico. » S. Hieronymus, in Epistola IV, de S. Paula ait : « Quanto « plus se dejiciebat, tanto magis a Christo sublevabatur; latebat et non latebat, fugiendo gloriam, « gloriam merebatur, quæ virtutem quasi umbra « sequitur et appetitores sui deserens, appetit contemptores. » Mundus, qui cor et oculos suos in dignitates defixos tenet, easque æstimat, omnique conatu venatur, obstupescit et admiratur illos, qui, cum similes dignitates habere possint, easdem nihil æstiment. Salutare proinde est illud D. Chrysostomi monitum : « Si gloriæ amator es, eam fugias et « habebis; nihil enim æque solent admirari homi- « nes atque eum, qui non sustinens celebrari, om- « nia ista contemnit. » In sacris pariter et profanis historiis minime celebrantur, qui honores quæsierunt et oblatos libenter amplexati sunt; bene tamen illi, qui omnia, ne eos acciperent, quæsierunt effugia; hæc repulsa in summam cedit gloriam eorum, qui se ab iis omnino alienos esse probarunt. Aurea proinde est illa S. Bernardi sententia : « Humilitas « in honore, honor est ipsius honoris et dignitas « dignitatis; omnis dignitas ipso dignitatis nomine « indigna est, si humilia dedignatur. » Idem quoque mellifluus Doctor ad Christum se reflectens, qui, priusquam ad dexteram Patris sederet, *descendit primo in inferiores partes terræ*, imo in ipsam inferni abyssum, dicit : « Ego autem credo, eum in hoc « ipso, quod descenderit, ascendisse; sic enim « oportebat Christum ascendere, ut nos ascendere « doceremur; cupidi quidem sumus ascensionis, « exaltationem concupiscimus omnes, nobiles enim « creaturæ sumus et magni cujusdam animi, ideo- « que altitudinem naturali appetimus desiderio; » at vero idem S. Doctor paulo post, modum ascendendi nos docet, qui similis debet esse illi, quo Christus ascendit, qui prius se humiliavit : « Qui « alte vadit, » inquit, « cadit potius quam ascendit, « quia sola est humilitas quæ exaltat et per humi- « litatem ad sublimitatem ascenditur, quia hæc est « via et non alia præter ipsam. »

Additio.

a. — *Quia omnis qui se exaltat humiliabitur.* Hæc ex superioribus Evangelii verbis verissima esse patent, quoniam superbo, qui primum locum occupat, dicitur : *Da huic locum*; et incipit cum rubore novissimum locum tenere. E contra vero, humili qui sedet in novissimo, ait Dominus : *Ascende superius* : quod idem est ac si humiliet eos qui se exaltant, exaltet humiles qui in novissimo sedere eligunt. Adverte tamen quod non dicitur : Omnis qui exaltatur, sed : *Omnis qui se exaltat*, id est, exaltat seipsum honores ambiendo et negotio humano principatum obtinet. Non enim potestas, et status, sed elatio in crimine est, et hanc ipse Deus aversatur et punit. Sapiens ex instinctu Spiritus veritatis hoc reliquit scriptum, *Prov.*, XV, 25 : *Domum superborum demolietur Dominus.* S. Gregorius Magnus reddendo rationem ruinæ superborum, hunc adducit Psalmi LXXII versum : *Dejecisti eos dum allevarentur*; et addit : « Non ait : Dejecisti eos postquam « elevati sunt, sed *dum allevarentur*; quia hoc « ipsum fit superbis interius dejici, quod eis falsa « contingit gloria exterius elevari. » Postquam in progressu ejusdem capitis dixisset : « Valde super- « bire est, impio de auctore sentire, » asserit : « Impius in loco suo conteritur, quia ipsa superbia « qua elevatur, opprimitur. » Et *lib.* I *Epis.*, V, ait :

« Elevatio ipsa ruina est, quia dum gloria falsa « subnixi sunt, a gloria vera evacuantur. » Vera propterea ac propria est similitudo illa, quam adducit S. Chrysostomus : « Quemadmodum aquaticæ « ampullæ facile rumpuntur, ita et illi facile per- « eunt. » Quando videtis superbos maxime tumidos, tunc scitote eos protinus disrumpendos.

DOMINICA SEPTIMADECIMA POST PENTECOSTEN

EVANGELIUM MATTHÆI, CAP. XXII, VERS. 35

35. Interrogavit eum unus ex eis legis Doctor, tentans eum.
36. Magister, quod est mandatum magnum in lege?
37. Ait illi Jesus : Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua.
38. Hoc est maximum et primum mandatum.
39. Secundum autem simile est huic : Diliges proximum tuum sicut teipsum.
40. In his duobus mandatis universa lex pendet et Prophetæ.
41. Congregatis autem Pharisæis, interrogavit eos Jesus, dicens :
42. Quid vobis videtur de Christo, cujus filius est? Dicunt ei : David.
43. Ait illis : Quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum dicens :
44. Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis; donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.
45. Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius ejus est?
46. Et nemo poterat ei respondere verbum, neque ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare.

VERSUS 35.

Interrogavit eum unus ex eis legis Doctor, tentans eum.

1. — Postquam Sadducæi, qui secta quædam hæreticorum erat, animæ immortalitatem et corporum resurrectionem negantes, Salvatorem prius per ludibrium de dubio quodam interrogassent, ipsi vero ex responsione a Domino data, cum magno circumstantium applausu obmutuissent, invidi Pharisæi simul congregati, tentare conati sunt, ut ejus per hoc apud vulgus comparatam dignitatem et fidem diminuere possent, ipsum vel ignorantem convincendo, eo quod sperarent, ipsum ad quæsita eorum respondere non posse, sagacissimum ex toto suorum numero, in hunc finem elegerunt, qui eum subtili quadam interrogatione proposita aggrederetur. Jansenius putat, Pharisæos festivum exhibuisse gaudium, eo quod Sadducæi, ipsorum adversarii, a Christo confusi et convicti essent, licet plurimum ipsis displicuerit, fama et existimatio, quam Redemptor noster, exinde penes populum sibi conciliarat : « Invidia quadam contra Dominum incitati, « convenientes in unum, consultaverunt inter sese « de quadam quæstione, etiam a se Domino propo- « nenda, ut si forte ad eam non apte responderet, « minueretur apud populum admiratio prudentiæ « ejus et majorem apud populum ipsi consequeren- « tur honorem et laudem. »

2. — Scriptura ipsorum multos numero congregatos fuisse refert; Carthusianus quoque scribit : « Venerunt multi simul, ut multitudine vincerent, « quem ratione non poterant; » verumtamen ex toto numero unum tantum elegerunt, qui Christum aggrederetur; quem vero in hoc consilio finem spectarint, S. Anselmus egregie dirigit, dum ait : « Dicunt apud se : Loquatur unus pro omnibus et « omnes loquamur per unum, ut si quidem vincit, « omnes videamur vicisse, si autem victus fuerit, « vel solus videatur confusus. »

3. — « Ex immodica invidia accedit tentans, » ait Theophylactus, « quia enim viderant Sadducæos « confusos et laudatum Dominum ob sapientiam, « accedunt tentantes, si apponat aliquid mandato « primo, quasi legem corrigens, ut inveniant con- « tra ipsum ansam; » ac proinde qui benefactori suo grati esse debebant, ipsum pro viribus sunt persecuti; sciendum est etenim, Christum Pharisæis gratius præstare non potuisse obsequium, quam fastum Sadducæorum adversariorum suorum reprimendo, eosque confundendo, ac proinde grati erga ipsum esse debuissent, et tamen ex propria invidia stimulati, magis contra ipsum exasperati fuere, quia

Christum laudem et existimationem inde apud populum retulisse viderant; est enim invidi proprium, ex præstitis et beneficiis magis irritari, livoremque adversus alterius honorem et gloriam concipere; imo ut D. Chrysostomus ait, « multo « magis aliena gloria offendit invidos, quam pro« prium damnum, » omnem proinde rumpunt gratitudinis legem; prout in Saule apparet clare, qui licet tot a Davide beneficia acceperat, spiritumque malignum, quo obsessus erat, ab eo depulerat, et tamen suo malo obnoxius manere malluebat, quam bona et gratias Davidi a Deo collatas, in eo aspicere.

4. — Auctor Imperfecti varias nobis in memoriam revocet, Christo a Pharisæis sæpe malitiose propositas interrogationes, quæ tamen in nostram cesserunt utilitatem : « Judæi diversis interrogatio« nibus Christum tentantes, sibi quidem acquisive« runt interitum, nobis autem providerunt salu« tem, nam verba Christi illis profecerunt ad « confusionem, nobis autem ad ædificationem. »

5. — Jansenius considerat, quantum se Pharisæi ab invidia excæcari permiserint, utpote qui se alias sæpius ab illo confusos fuisse recogitare non poterant; unde ait : « Hæc tum gloriæ Christi invi« dia; tum propriæ gloriæ et ostentationis cupiditas « in eos excæcavit, ut non viderent spem eorum « vanam esse et impudentem; » jam enim, ut S. Hieronymus advertit, sæpe a Christo rejecti et in consiliis suis delusi fuerant; quando tributi denarium ad eum attulerunt, jam quoque paulo ante audierant, qualiter Sadducæi in sois ei propositis interrogationibus turpiter convicti et confusi fuissent, ideoque : « Debuerunt ex hoc moveri, ne ultra « molirentur insidias; sed malevolentia et livor « nutrit impudentiam. »

6. — Quis non sperasset futurum esse, ut qui ad Verbum divinum et verum justitiæ Solem tam proprie accedebant, illorum essent dissipandæ inscitiæ et cæcitatis tenebræ? *Accedite ad eum et illuminamini*; at inter ipsos et divinam hanc lucem, terra se interposuit invidiæ, malignitas scilicet et perversa intentio, qua adversus eum ferebantur; interrogare, ut sciamus et discamus, opus est laudabile et sanctum; at vero interrogare, ut malignemur, res est diabolica; quænam obsecro causa est, cur veram sapientiam non addiscamus? *Semper discentes et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes?* nimirum quia cor purum et rectum non habemus, quod ad discendum omnino requiritur : *Cum simplicibus sermocinatio ejus*. *Prov.*, III, 32.

7. — S. Thomas illos excusari potuisse existimavit, eo quod quæstionem hanc non fine maligno proposuerint, sed solum ut doctrinæ Christi veritatem experirentur; unde ait : « Sciendum, quod « aliqui tentant in eo, quod non sunt certi; » nam quod Ecclesiasticus, XIX, 4, ait : « *Qui cito credit, « levis est corde*; iste igitur cum multa audisset de « Christo, voluit experiri si talis esset, et hæc ten« tatio non esse mala; » nihilominus Glossa Interlinearis vocem *tentans eum*, per hanc exponit paraphrasin : « Non scire desiderans. » Lyranus pariter ait : « *Tentans*, capere scilicet in sermone; » pro alia vero parte auctoritatem citat S. Marci, referentis, Christum illi respondisse : *Non longe es a regno Dei*. Ubi Glossa ait : « Potuit fieri, ut, qui tentans « venit dominico responso conversus sit, » et Lyranus ipse scribit : « Dicendum, quod iste in principio « venit mala intentione cum aliis, sed postea audita « Christi responsione vera, pœnituit et Christi res« ponsionem approbavit, dicens : *Magister in veri« tate bene dixisti*; et tunc Christus videns ejus « pœnitentiam intulit : *Non longe es a regno Dei*. » Theophylactus pariter ait : « Principio quidem venit « tentans, deinde responso Christi emendatior fac« tus. » Pari quoque modo hodie sæpe fit, quod quis prædicationis Evangelicæ audiendæ causa, sinistra cum intentione Ecclesiam adeat vel ob curiositatem, vel ut vanis se objectis delectet, vel ut Prædicatorem derideat et tamen Deus cor ejus tangat, eumque ad veram compunctionem perducat.

Additiones.

a. — *Accesserunt ad Jesum Pharisæi. Et interrogavit eum unus ex eis.* Sadducæis resurrectionem negantibus, in sua quæstione proposita, silentium imposuit Dominus, efficaciter ex Scriptura futuram resurrectionem demonstrans, ita ut ipsi amplius non auderent replicare. Tunc Pharisæi, qui alias maxime contrarii erant Sadducæis propter resurrectionem, fiunt amici cum iisdem, et conveniunt adversus Christum, sicut Pilatus et Herodes, in nocte passionis Christi. Et ex omnibus legis Doctoribus, unum sagaciorem cæteris eligunt, eo fine, ut si ille vinceretur, alii non confunderentur; et si iste vinceret, omnes in eo gloriarentur. Gloriæ volebant esse participes, ignominiæ vero expertes; atque felicius victoria a parte eorum stet, callida simulatione ille unus nomine omnium accedit. Sed sicut in eo omnes victi et confusi sunt, ita et ille legis Doctor, qui principio accessit tentans, Domini tamen responso emendatior factus, laudatus est a Christo apud Marcum : *Non longe es a regno Dei*. Sic quippe ille legis Doctor emendatus est ex divini Magistri responsione, ut et nobis non parum accesserit emolumenti. « Frequenter Judæi, » ait S. Joannes Patriarcha Jerosolymitanus, « diversis in« terrogationibus Christum tentantes sibi quidem « acquisiverunt interitum, nobis autem providerunt « salutem. Illi quidem diversis illis interrogationi« bus, malitiæ suæ certa dant argumenta; Christo « autem utilissimæ, nobisque omnino necessariæ « doctrinæ proponendæ dederunt occasionem. »

Interrogantibus enim de magno mandato legis, charitatis præceptum et modum proposuit, dicens : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*. Sic varia emolumenta et commoda, ex ipsis etiam tentationibus resultant. Non sine mysterio est verbum illud, quo utitur S. Paulus, I *Cor.*, X, 13, tractans de commodis et emolumentis ex tentatione resultantibus : *Faciet cum tentatione proventum*. Proventus dicitur certa quædam et secura assignatio alicujus reditus fundati super exactionem aliquam, quæ deficere nequit, quæque elocatur, et exigitur cum certitudine. Voluit ergo Apostolus, calculo meo, uti hac phrasi, ut fideles certificaret de emolumentis, quæ proveniunt ex tentationibus, quas divina auxiliante gratia superamus et evincimus. « *Proventum*, » exponit Hugo Cardinalis, « gratiæ augmentum. » Citat Glossam, quæ est S. Augustini : « Qui dat tentanti diabolo licentiam, « ipse dat tentatis misericordiam. » Præmittit Apostolus istam protestationem : *Fidelis autem Deus est qui non patietur vos tentari supra id quod potestis*. Non solum ponderat vires nostras : *Spiritum ponderator est*; neque permittit etiam ut assultus dæmonis nostras vires superent; verum insuper cura ei est præcipue de nostro profectu. Quamobrem exhortatur nos Blosius, eximius et magnus Magister spiritus, Ordinis S. Benedicti : « Nihil dubites, si tuæ saluti conducere, suoque « honori congruere viderit, efficiet, ut vitiorum « rubigines, quas in initiis melioris vitæ vix ferrea, « ut ita dicam, lima eradis, postea etiam levissimo « flatu decutias atque propellas. Quod si volueris, « te gravi certamine exerceri, priusquam ipsa vitia, « efferatosque animi motus perfecte in te possis « subigere; si, inquam, etiam ad extremum vitæ « terminum domesticos illos hostes tibi molestos « esse permiserit, nequaquam mente consterneris, « sed plenus fide patienter, manum ejus sustine, « voluntatemque hilariter amplectere. » Ignoramus id quod æternæ saluti nostræ utile est magisque expedit; illud tamen Deum non latere, nobis sciendum est, qui *faciet cum tentatione proventum*. In institutionibus spiritualibus idem auctor nobis significat, qua ratione, quantoque tempore Deus in nobis continuet bellum tentationum : « Propter « tentationes occurrentes, ipse asceto non frangatur « animo; nam virtutum perfectio strenua decerta« tione comparatur. » Utiliter in nobis Deus relinquit propensiones vitiosas; idcirco enim hoc facit, ut nos modo viriliter illis resistentes, legitimeque pugnantes, gloriose aliquando in cœlo coronet. Non expedit, ut omnes cito absque tentationum impugnationibus ad perfectionem perveniant; neque enim solet seges eximium fructum proferre, nisi prius asperitatem hyemis perferat.

Gerson magnus Cancellarius Parisiensis, refert in compendio, nonnulla commoda, utilitatesque ex tentationibus provenientes : « Sex nobis utilitates « generat tentatio : *Prima*, ut reminiscamur mul« timodæ nostræ fragilitatis. *Secunda*, ut agnosca« mus, quod necessarium nobis sit divinum auxi« lium. *Tertia*, ut appareat, si vere Deum diligamus, « propter quem talia superare contendimus. *Quarta*, « ut occasione hujus tentationis, etiam alia vitia « corrigamus, de quibus ante non multum cura« bamus. *Quinta*, ut modo sit nobis pro pœna, et « quasi pro satisfactione, quod olim fuit in turpi « delectatione. *Sexta*, ne de donis gratiæ quæ acce« pimus, superbiamus : quod forsitan accideret, si « sæpe sine tentatione viveremus. »

Omne gaudium existimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis. Jacob., I, 2. Quæ verba S. Jacobi infinita consolatione referta sunt, præcipue vero illis inserviunt, qui contra voluntatem suam tentantur. Magnum emolumentum et lucrum est, in præsenti vita tentari ab hostibus invisibilibus. « Sicut enim ab uno fonte, » dicit S. Justinianus, « plurimi manant rivuli, ita et de tentationibus « multifariæ utilitates proveniunt. Nemo cum ten« tatur desperet et propriæ salutis languescat « fiducia. Tentatum nullus abhorreat, quoniam ex « tentatione perficitur virtus, augetur merces, pro« batur anima, accrescit scientia, magnanimitas « exercetur, homo interior roboratur, purgantur « vitia et merita cumulantur. » Accumulamus merita regni cœlestis, resistentes tentationibus et insuper purgantur vitia; idque jam pridem docuit nos D. Chrysostomus, *Hom.* IX *in Matth.*, dicens : « Justitia in tentationibus floret, in prosperitate « autem marcida est. Quemadmodum focum si « posueris super terram, comburit ipsas radices « herbarum, ut in loco isto, jam non facile nosca« tur herba : sic et tentationis ignis positus super « carnem, comburit radices concupiscentiæ in ea, « ut non facile concupiscat. » Verum est quod tentatio existimulet provocetque concupiscentiam nostram sensualem : *Stimulus carnis colaphizat me*, dicebat Apostolus, *video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ*; nihilominus si aliunde resistamus strenue, suffragante Dei gratia, stimulos illos superare possumus, quemadmodum illos superaverunt S. Thomas Aquinas et S. Philippus Nerius, post gloriosam victoriam de infamibus illis mulieribus.

b. — In quæstione proposita silentium fuerat impositum Sadducæis, et tamen exinde Pharisæi conveniunt ad Christum interrogandum. « Debue« runt quidem, » ait S. Chrysostomus, *Hom.* XIII, « Pharisæos timere Sadducæorum exemplum, ut « non similiter interrogantes confundantur. Sed « ardens malitia, dum sauciare festinat nos, aspicit « exitum rei, ut tantummodo alteri noceat. » Valde fatua est malitia, quæ in alieno capite experimentum non sumit, ut sibi noxia valeat devitare. Vide-

rant Pharisæi Sadducæorum exemplum, qui cum Christum interrogarent, ab ipso devicti ac superati, obmutescentes recesserunt : Cur adhuc audent interrogare et similem eventum non timent? « Ardens « malitia, dum sauciare festinat, non aspicit even- « tum rei; nam cæco affectu ducitur, ut proprium « damnum non videat nec cogitet. » Peccatum enim stultitiam inducit et hominem omni judicio et ratione privatum demonstrat. Propheta Regius, hominem atheum, sine ullo metu et rotundo ore stultum appellat, *Psal.* XIII, 1 : *Dixit insipiens in corde suo : Non est Deus.* Neque enim in dubium revocari potest quin peccatum intellectum excæcet, lumenque rationis et discursus plane obfuscet; nam, *Psal.* XLVIII, 13 : *Homo cum in honore esset non intellexit; comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis.* Unde non obstante quod Adamo a supremo Artifice ingentia infusa fuerint perfectissimæ scientiæ et sapientiæ dona, nihilominus propter peccatum in tantam degeneravit stoliditatem, ut se divinitatem acquirere posse, sibi persuadere permiserit, dummodo pomum arboris vetitæ manducaret. Numquid igitur de illo dici potuit : *Comparatus est jumentis insipientibus*, quando fraudulento serpenti majorem quam primæ, æternæ et infallibili veritati fidem exhibendam esse censuit? Postquam Adam præceptum Dei prævaricatus fuit, erubescens comparere coram Deo, qui formaturus contra rebellionem illius processum, in Paradisum descenderat, in medio arborum quæ ibi plantatæ erant, sese abscondit, dicente sacro textu : *Abscondit se Adam et uxor ejus, a facie Domini, in medio ligni Paradisi.* Qua in re Adam novam ostendit stoliditatem, quod scilicet crederet possibile sibi esse ut a Deo occultare se posset, cum tamen Psalmista, *Psal.* CXXXVIII, 7, dicat : *Quo ibi a spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es; si descendero in infernum, ades; si sumpsero pennas meas diluculo, et habitavero in extremis maris : etenim illuc manus tua deducet me.* Numquid sciebant verissimum esse quod ait Apostolus, *Act. Apost.*, XVII, 18 : *In ipso vivimus, movemur et sumus.*

Quin Ecclesiastes, cum dicit, *cap.* I, *vers.* 14 : *Stultorum infinitus est numerus*, stultorum nomine impios peccatores intelligat, dubitari penitus non potest, quia paulo ante dixerat : *Perversi difficile corrigantur*; ac proinde immediate subjungit : *Et stultorum infinitus est numerus.* Porro Cornelius a Lapide notat Sapientem non sine causa difficilem esse censuisse perversorum emendationem, quia cum ad resipiscentiam prærequiratur præcognitio miserabilis illius status, in quo sunt; ad id faciendum, judicium ipsis non suppetit sufficiens, unde ait : « Dat causam cur perversi difficile corrigan- « tur, quia scilicet stulti sunt. » Idem Cornelius in iis qui Deum offendunt, aliam observat stultitiam, inquiens : « Peccatum est summa stultitia, quia « sensum rationi, cupiditatem virtuti præponit, « creaturam Creatori; id est, obolum millioni, gut- « tam mari, globulum terræ toti cœlo; quid stul- « tius? » Idem Salomon in capite sequenti ait : *Sapiens oculi in capite ejus; stultus in tenebris ambulat.* Enimvero si quis esset qui oculos libentius in calcaneo quam in capite positos haberet, cuique gratius esset ambulare in tenebris, quam in claro lumine, hunc tu utique stultum esse existimares. Talis autem est homo perversus, cui parum curæ est, an oculos in capite positos habeat, id est, an judicio, discursu et usu rationis sit præditus, quia pro duce et directore operationum suarum sensualitatem, non vero rationem eligit : *Qui enim male agit, odit lucem.* Dionysius Carthusianus dicit : « Stulti vocantur in Scripturis, omnes qui in mor- « tali sunt culpa, quia in illis insipientia regnat; « quoniam summo, infinito, et invariabili bono « præferunt vana, carnalia et caduca; sicut pueri « poma et pyra, auro et gemmis præponunt, sic « ipsi insensibilia et terrena spiritualibus et divi- « nis. » Esau vera fuit peccatoris a Deo reprobati effigies : *Esau odio habuit.* Hunc autem, amisso judicio, stultum factum esse, ex ea deduci potest actione, qua Jacob fratri suo, pro vili lentis edulio primogenituram suam divendidit; nec minus est stolidus quilibet alius peccator, qui pro unico pulmento, cœlesti se hæreditate privare non dubitat, prout illi faciunt, qui a gula sua irretiti, præceptum jejunii temere transgrediuntur. De quibus Deus apud Ezechielem, his verbis lamentatur : *Violabant me propter pugillum hordei et fragmen panis, ut interficerent animas. Ezech.*, XIII, 19.

c. — Magna inter Sadducæos et Pharisæos erat dissensio, resurrectionem concernens mortuorum. Quibus in sua quæstione proposita, silentium imposuit Dominus, efficaciter ex Scriptura futuram mortuorum resurrectionem demonstrans, ita ut ipsi amplius non auderent replicare. Nunc autem quæri posset, quomodo intelligendum sit hoc silentium impositum Sadducæis? Ad quod respondet Origenes, *tract.* XXXIII *in Matth.* : « Sicut enim, » ait, « proprium justi est tacere, cum sit tempus tacendi « et loquendi, non tamen obmutescere; sic pro- « prium est omnium, qui mendacii sunt doctores, « obmutescere quidem, quantum ad rem, non « tamen tacere. » Silentium imposuit Jesus Sadducæis, ostendens quod omnem mendacii vocem obmutescere facial, una clara veritatis vox; et mendaces in consiliis suis spe sua cadunt, perdunt omnem fidem. S. Ephrem illos qui mendaciis dicendis assuescunt, omnem apud homines fidem amittere considerat inquiens : « Qui delectatur in « mendaciis, hic in verbis suis omnem perdet auc- « toritatem; odibilis enim Deo pariter et hominibus « redditur; versutus ac versipellis est homo men- « dax. Nullum est hoc majus animi vulnus, nul-

« lumque eo dedecus gravius, homo enim mendax « ab omnibus rejicitur, ab omnibus irridetur. » Et merito, nam sublata a commercio humano veritate et sinceritate, consequens est ut fraudes et doli ubique regnent, nullusque suo fidere possit contubernali; ac proinde mirum non est, quod hi qui mentiendi artem profitentur, digito ostentantur ab aliis, et tanquam abominabiles fugiantur ab omnibus, nec ulla eis fides adhibeatur. Aristoteles aliquando interrogatus, quonam emolumento vir mendax ex mendacio gaudeat, respondit, quod etiam veritatem dicenti nemo credat. Unde S. Hieronymus pariter inquit : « Antiquus sermo est : « Mendaces faciunt ut nec vera dicentibus creda- « tur. » Philo de illis, qui ut fidem apud alios inveniant, proclives et faciles sunt ad jurandum, ita scribit : « Quasi evicturi sint crebris jurationibus « ut sibi credatur : fatui, qui non intelligunt con- « suetudinem crebro jurandi, argumentum esse « perfidiæ, non fidei, duntaxat prudentiorum judi- « cio. » Mendaces enim fidem sibi minime adhiberi videntes, ut se ab hac confusione et mala fama expediant, dictaque sua credibilia efficiant, jurant et perjurant, et consequenter magis se exosos reddunt, fidemque et bonum nomen apud prudentes magis amittunt; quia ut S. Basilius ait : « Turpe « est et omnino stultum sese ut fide indignum ac- « cusare, et ad juramenti securitatem confugere. »

Versus 36.

Magister, quod est mandatum magnum in lege?

Magister.

1. — Auctor Imperfecti hunc Pharisæum epitheto quodam compellat, *Hom.* XLIII, per quod ei duplicitas et malignitas satis aperitur; vocatur enim ab illo « simplicissimus interrogator et malignissimus « insidiator; » finis enim interrogationis ad responsi a Christo dandi censuram tendebat, quod ut a Christo facilius obtineret, adulatione viam sibi sternit : « Laudat, » inquit Albertus Magnus, « ut « decipiat incautum; » cæterum vero, nullum habebat a Christo aliquid discendi, sed potius eum decipiendi desiderium. Unde S. Anselmus ait : « Magister vocat, cujus non vult esse discipulus et « non scire desiderans, sed tentans. »

Quod est mandatum magnum in lege?

2. — Dionysius Carthusianus tempus indicat quo Christo hæc interrogatio facta fuit, nimirum primo die, postquam illi cum olivis et palmis obviam processerunt. Beda in hujus Evangelii homilia notat, ex hisce verbis argui posse, quod inter Scribas et Pharisæos non satis convenerit, quod esset primum et præcipuum legis præceptum. Carthusianus, super Matthæum, perpendit, quod tripleis generis præcepta lege comprehensa fuerint, nimirum « mora- « lia, judicialia et cæremonialia et in quolibet « genere mandatorum istorum erant gradus di- « versi, seu ordo dignitatis. » S. Hieronymus dicit, hanc interrogationem eo spectasse, ut quodnam præcipuum inter alia præceptum esset, investigarent : « Non de mandatis interrogat, » inquit, « sed « quod sit primum mandatum, magnumque, ut, « cum omnia, quæ Deus mandavit, magna sint, « quidquid ille respondeat, occasionem habeat « calumniandi. » Lyranus existimat, quod Scriba hic « credebat, quod statim responderet de man- « dato primo primæ tabulæ. *Non habebis Deos alie-* « *nos*, et tunc habuisset contra eum de præcepto « charitatis, quod est majus. » Beda diversitatem refert opinionum, « quibusdam hostias et sacrificia « laudantibus, aliis vero majori auctoritate et fidei « dilectionis opera præferentibus, » et Salvator ipsemet in S. Marco de hoc præcepto dilectionis expresse declarat, dicens : *Majus est omnibus holocaustomatibus et sacrificiis.* Hugo Cardinalis per adductam D. Chrysostomi auctoritatem, Pharisæum hunc imprudentiæ arguit dicens : « De magno « mandato interrogat, qui nec minimum observat, « ille debet interrogare de majori justitia, qui jam « minorem complevit. »

Additio.

a. — *Magister, quod est mandatum magnum in lege?* Ex interrogatione qua Legisperitus ille, ex Salvatore nostro scisciitabatur, inquiens : *Magister, quod est mandatum magnum in lege?* colligi videtur Hebræum populum non satis plene discernere potuisse inter præceptum aliquod graviter obligans, et alius minus momentum in se continens; nec habuisse discrimen inter peccata quoad præceptorum illorum transgressionem. Et vero si causam requiras, cur Deus hanc declarationem non fecerit in lege scripta, quam S. Augustinus « sarcinam « innumerabilium observationum, » appellat; respondebo, ideo id factum non esse illa in lege, ut scilicet tam in præceptis gravibus, quam in aliis minoris momenti æque promptique obedirent, neque observantiæ legis dediti essent, propter gravitatem majorem vel minorem rei præceptæ, sed principaliter propter auctoritatem et majestatem præcipientis, utpote cui omnis debebatur in utrisque præceptis obedientia. Qui ingenui sunt animi, metuunt Deum offendere, etiam in minimis, quia non respiciunt ad peccatum, quod parvum reputatur, sed ad ipsum Deum, qui magnus est, et de minimis etiam rationem exigit; sicut e contra qui hoc non curant, abjectos et ignobiles se produnt servos, qui nolunt parere Domino, nisi grandia imperet, aut stricto gladio minisve eos terreat. « Lotus est qui « gravia peccata non habet, » ait S. Bernardus, *Serm.* I *in Cœna Dom.*, « cujus caput, id est, inten- « tio, et manus, id est, operatio, et conversatio

« munda est ; sed pedes, qui sunt animæ affectio-
» nes, dum in hoc pulvere gradimur, ex toto mundi
« esse non possunt, quia aliquando vanitati, ali-
« quando voluptati, aut curiositati, plus quam
« oportet, cedit animus ad horam. » *In multis enim offendimus omnes.* Verumtamen nemo contemnat, aut parvipendat. Impossibile est enim cum eis salvari, impossibile est ea dilui, nisi per Jesum Christum et a Christo. Nemo, inquam, perniciosa securitate dormitet, *declinans in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis*, quoniam, ut audivit Petrus : Nisi laverit ea Christus, non habebimus partem cum eo.

Versus 37.

Ait illi Jesus : Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua.

Ait illi Jesus.

1. — Hoc loco non importune quæri potest, cur Salvator ad hanc interrogationem responderit, quam ex malignitate et animi livore propositam esse sciebat, maxime cum in hoc eodem capite, versu 19, cum indignatione aliqua iisdem responsum dederit, dicendo : *Quid me tentatis, hypocritæ?* Jansenius ait : « Interroganti non dedignatus est « respondere, tum ob fructum quem prævidebat, « hic etiam in tentatore Scriba proventurum ; tum « quod magisterii ejus professio, non sinebat eum « silere, aut responsum declinare, ne, qui magis- « trum se quotidie in templo exhibebat, videretur « ignorare id, quod imprimis Doctorum est cognos- » cendum. » Non desunt, qui credant, hunc legisperitum bono fine interrogasse, licet ab invidis consodalibus, quorum perversæ intentionis minime conscius erat, sollicitatus fuerit, ipsumque præ cæteris tanquam virum magis simplicem, et solum, tanquam interrogationis instrumentum, selectum ab illis fuisse, ac proinde benignissimum Salvatorem, qui *sciebat, quod esset in homine*, ei respondisse ipsiusque desideriis satisfecisse ; observari quoque hoc loco potest, quod, tametsi malo ac perverso animo et intentione accessisset, Christus tamen ejus resipiscentiam ac emendationem prævidens, per hanc responsionem suam, necessarium ad eam auxilium subtrahere noluit ; præterquam quod insuper dicere possimus, Christum respondendo, utile dare voluisse documentum iis, qui in hoc alto et sublimi verbi divini ministerio et in animarum eruditione successuri erant ; nimirum ut contemptui et injuriis recipiendis parati essent, nec tamen ob id a prosequendo animarum servitio desisterent. Unde Theophylactus super illa Matthæi verba : *Beati estis, cum maledixerint vos*, inquit : « Ad ipsos Apo- « stolos se convertit, ostendens, quod maxime pro- » prium sit Doctoribus opprobria audire. »

Diliges.

2. — Deus noster solum a nobis amorem requirit, prætereaque nihil : *Præbe, fili mi, cor tuum mihi ;* neque enim petitionem aliquam homini proponere poterat, quæ ad unumquemque magis esset adæquata, aut consummata magis, aut magis facilis, aut lucrosa minus, quam amoris nostri petitionem ; si enim eleemosynam petiisset, hanc forte pauper, suam dicere potuisset excedere facultatem ; si poposcisset jejunium, excusassent se operarii ; si orationem, excepisset infirmus ; si animarum conversionem, idiota dicere potuisset, se necessario ad eam talento carere, sed quis se, quo minus amet, excusare poterit? quidquid rerum Deo donetur, in ipsius positum est potestate et dominio, sola nostra excepta voluntate, cum ipse nobis illius cesserit dominatum, quisquis cor illi donat, omnia tribuit ; quid igitur facilius est, quam amare.

3. — Verum quamobrem Deus hominem per rigidum præceptum sub damnationis æternæ pœna ad amandum astringere voluit? num forte in dubium revocare poterat, ne illum non amaret, aut ne cor adeo ingratum haberet ut erga Deum suum, qui ejus et creator, et redemptor, et benefactor est, quique ei quoddam æternæ beatitudinis regnum præparavit, omnis expers esset amoris? Profecto summa, quæ excogitari potest, hominis confusio est, quod cuivis affectui versus omnes creaturas locum cedat, soli vero Deo creatori suo cumdem exhibere negligat ; quodque ipsos etiam equos, canes et alia vilia animalia diligamus, Deum vero non amemus. Oleaster perpendens, quod petra in deserto, imperantis Moysis voci obediens, aquas cristallinas limpidasque copiose profuderit, exclamat, dicens : « Omnia insensata dant Deo suo et « creatori, quidquid ab eis postulaverit, etiamsi id « sua natura non habeant ; solus homo negat Deo « suo, quod Deus ab eo petit, nempe amorem et « præcordia sua ; ferreus et plus quam lapideus es, « si dante petra aquas Deo et populo, tu non des « Domino Deo tuo cor tuum. » Evangelica veritas est, quod *charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis*, Rom., v, 5 ; ideoque excusare nos non possumus, dicendo, divinum amorem cordi nostro minime fuisse infusum, ut per illum diligamus Deum ; sed quanti hunc divinum nobis infusum amorem æstimavimus? nimirum illum pro mundi amore ab inimico infernali e cordibus nostris eripi permisimus, nam ut Lyranus ait : « Cor hominum non potest simul « capere Deum et diabolum, sed suscepto diabolo « per peccatum, exit Deus ; suscepto Deo per chari- « tatem, exit diabolus. »

4. — Etiamvero quantam præceptum hoc in se facilitatem habeat, Deus ipse in Deuteronomio, xxx, 11, perspicuis verbis declarat, dum ait : *Mandatum*

hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, nec in cœlo situm, ut possis dicere : Quis nostrum valet ad cœlum ascendere, ut deferat illud ad nos? neque trans mare positum, sed juxta te est, in corde tuo. Quid obsecro, amore facilius aut delectabilius excogitari potest? S. Bernardus, *Serm.* LXXXV *in Cant.*, ait : « Ubi amor est, « labor non est, sed sapor. » Id quod S. Augustinus pulchre in venatore et piscatore exemplificat, qui propter gustum, quem in capta præda experiuntur, nulla prorsus sentiunt laborum incommoda : « Nullo « modo sunt onerosi labores amantium, sed et ipsi « delectant, in eo, quod amatur, aut non laboratur, « aut et labor amatur ; vide, quam pudendum sit, si « delectat labor, ut fera capiatur, et non delectet, « ut Deus acquiratur? » Divus Chrysostomus, *Hom.* XXII *in* I *ad Cor.*, excellentiam, qua charitas omnibus aliis virtutibus supereminet, his verbis considerat : « Charitas cum lucro voluptatem ingentem « habet laborem nullum, cum cæteræ virtutes con- « junctas molestias habeant. »

5. — S. Joannes, qui divini amoris secretarius fuit, efficacissimum ad Deum amandum nobis suggerit motivum, dum ait : *Nos ergo diligamus Deum, quoniam ipse prior dilexit nos.* I *Joan.*, IV, 19. Deus eodem infinito et increato amore, qui est Spiritus Sanctus, quocum Pater et Filius se invicem amant, eodem inquam, nos vilissimos terræ vermiculos amare dignatur ; nam ut S. Thomas ait : « Pater et « Filius dicuntur diligentes Spiritu Sancto, et se et « nos. » Ad hæc Deus prius nos amavit, cum tamen in nobis nihil inveniret nisi defectum, miseriam et malitiam, et quidem in eminentissimo amoris gradu nos dilexit : *Propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos. Eph.*, II, 4.

6. — *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Psal.* CXV, 3. Motivum efficax amoris esse solent beneficia, quibus cumulamur, ac proinde mittamus obsecro in bilancem innumera a Deo, naturæ, fortunæ ac gratiæ recepta beneficia, nec non et gloriæ, quæ in altera vita nobis promissa sunt. Ex parte vero altera, nihilum nostrum ponderemus et certe inveniemus, nihil in facultatibus nostris, gratiarum actionis loco superesse quam amorem ; hoc solo vices gratas rependere possumus. Imo ut Richardus ait : « Non solum contulit nobis bona sua ; « sed et pertulit pro nobis mala nostra, » et ideo, ut Ambrosius ait, unde pretium illud desumere poterimus ad exsolvendum infinitum debitum, quo Deo obstringimur? « Væ mihi, si non dixero ; red- « damus ergo amorem pro debito, charitatem pro « munere ; » et quidem uno eodemque tempore, quo huic debito satisfacimus, novum nobis lucrum comparamus, ita ut cum Eusebio Emisseno, *Hom.* IV *in Eph.*, asserere possimus : « Salubri jucundo- « que commercio et accipientis lucrum et tradentis « argumentum est. » Certum porro est, cor nostrum sine amore esse non posse, necessario enim alicui objecto, suo affigitur amore, ac proinde specialissimum Dei beneficium est, quod ipse nobis, ut nostrum in ipsum amorem dirigamus, præcipere dignatus sit. Scaturiens aquæ fonticulus si deorsum naturaliter decurrere sinatur, stagnabit in locis palustribus, ibi corrumpetur et præterquam quod aerem inficiet, animalia insuper venenosa producet : At si in aquæductibus et canalibus constringatur et uniatur, non perditur, sed tali arte cœlum versus extollitur, amœnisque hortorum plantis irrigandis deservit ; et ideo S. Augustinus ait : « Aquam « amoris tui fluentem in cloacam, converte ad « hortum, » etenim si affectum nostrum ad creaturas et ad nos ipsos amandos libere vagari permiserimus, quot transgressionum amor proprius nos reos efficiet? At vero si illum in Deum transferamus, fiet in nobis *fons aquæ salientis in vitam æternam.* Amor noster juxta Dei præceptum rite ordinatus, inæstimabilis valoris gemma est, per quam, gratiam et gloriam secure acquirimus ; hanc gemmam prudens ille negotiator, de quo in Evangelio scribitur, *Matth.*, XIII, 5 : *Simile est regnum cœlorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas*, infinita cum cura inquisivit. S. Augustinus ait : « Hæc « est charitas, quæ sola sufficit. Vis scire, quam « sollicite hanc gemmam perquisierit? *Dedit omnia « sua et comparavit eam.* » Pro hoc amore nostro sibi conciliando, quidquid in terra et in cœlo, pulchri et boni habet, imo semetipsum nobis largissime donavit ; cui igitur hanc adeo pretiosam margaritam vendemus? non illi, qui eam ingratus accipit, flocci facit et quod pro illa prætendat, in facultate sua non invenit? numquid igitur justum est, ut eam illi Deo extradamus, *in quo sunt omnes thesauri?* At vero quo putas fine Deus hoc cor et amorem nostrum a nobis exposcit ? Non alio fine, quam solum in nostrum, non vero in suum lucrum : *Præbe cor tuum mihi ; ego diligentes me diligo ; mecum sunt divitiæ et gloriæ, ut ditem diligentes et thesauros eorum repleam.* B. Felix Capucinus matronam quamdam Romanam, catellum suum miris blanditiis delinientem religiose reprehendit, dicens : O te felicem, si amorem quo bestiolam hanc prosequeris, in Deum dirigeres, quanto ampliori lucro, tibi remunerandus foret.

7. — Aliud quoque magni ponderis lucrum, Deum amando, nobis comparamus, nimirum immensum et infinitum omnium criminum nostrorum debitum exstinguimus, nobisque eodem tempore, eoque brevissimo eminentissimos perfectionis et sanctitatis gradus adsciscimus, prout in Magdalena experti fuimus, quæ peccatis onusta et velut tilio infernalis Pharisæi domum ingressa fuit : *Ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix.* Egressa autem est, ab omnibus peccatis, tam quoad culpam quam quoad pœnam, plenissime absoluta, atque

insuper ad sublimissimam divinæ gratiæ dignitatem ascendit; idque solum in virtute illius : *Dilexit multum*. Unde D. Chrysologus, *Serm.* CXIV, ait : « Conspicimus non solum caruisse in peccatis, sed « ad totum sanctitatis verticem pervenisse, » quia ut etiam S. Augustinus scribit : « Charitas est mors « criminum, vita virtutum. »

8. — S. Joannes omni adhibita immensa sua sapientia, ad hujus divinæ dilectionis fervorem nos excitare studens, nobilius adinvenire motivum nequit, quam ut asseret, quod amor ea virtute polleat, ut nos unum idemque cum Deo efficiat, nosque cum Deo quasi identificet, I *Joan.*, IV, 16 : *Deus charitas est; qui manet in charitate, in Deo manet et Deus in eo*. Et S. Augustinus, *Serm.* XXIV *de temp.*, ait. « Amando Deum, efficiuntur Dii. » S. Franciscus qui filius mercatoris, humilibusque natalibus ortus et idiota erat, in hac amoris schola eousque profecit, ut quidam in carne Seraphinus et viva Dei effigies factus fuerit, cui Christus ut sibi similior esset, vulnera sua impressit. Unde S. Bonaventura de illo ait : « Amor in eamdem imaginem Christi, transformavit amantem Christum. »

Dominum.

9. — Paulus de Palatio, *in Matth.*, ait : « Omnes « rationes brevissime Christus adduxit : *Diliges Do-* « *minum Deum tuum*; si *Dominus* est, et se amari « jubet, parendum illi est : Si *Deus* est, omnium « bonorum thesaurus est; si *tuus* est, ama quod « tuum est; quod esse poterat majus incitamentum « quam Deus tuus? » Sigillatim hæc motiva exami- « nemus. »

10. — Sufficeret dicere, quod cum amare Deum, præceptum sit, ad culpam mortalem nos obligans, id solum sufficiat, ut ei obediamus. S. Augustinus ait : « Quid minaris, nisi faciam, ingentes mise- « rias? Parvane est ipsa miseria, si non amem te? » Auctoritas Domini in servum, Principis in subditum, puellæ in suum amasium, illos ad res difficiles et arduas tentandas astringit et calcaria addit; ergone igitur minoris in hominem potentiæ erit auctoritas et imperium illius Domini, in cujus femore scriptum est : *Rex regum et Dominus Dominantium*, ad hoc ut ipsum ad rem tam utilem, honestam, convenientem, facilem et debitam, sicut est amare Deum, exstimulet. S. Hieronymus ad Celantiam scribit : « Quid unquam tam superbum, « quid tam ingratum videri potest, quam adversus « ejus vivere voluntatem, a quo ipsum vivere, acce- « peris? quam illius præcepta despicere, qui ideo « aliquid imperat, ut causas habeat remunerandi? « Neque enim obsequii nostri Deus indiget, sed nos « illius indigemus imperio. » Idem quoque huic proposito nostro applicare possumus, ille enim Deus, qui in cœlo empyreo Seraphinos amore ardere facit, nequaquam indiget, ut a vili illo terræ vermiculo, imo luto, affectum ejus per præceptum adeo firmiter inculcatum, adeoque rigorose conditum, non in suam, sed illius utilitatem et delectationem exposcat, et tamen « imperat, ut causas habeat « remunerandi; neque amoris nostri Deus indiget, « sed nos illius indigemus amore. » S. Joannes, qui usque ad decrepitam ætatem, majoribus semper auctus fuerat sapientiæ incrementis, excellentioribusque divinorum mysteriorum radiis illustratus, discipulis suis salutare aliquod documentum ab ipso instanter poscentibus, dixit : « Filioli diligite, » hujusque dicti solidam mox subjungit rationem : « Præceptum Domini est. » Omnes etiam insensatæ creaturæ, per illius potentiæ, quam schola obedientialem appellant, instinctum, Creatori suo promptissime obediunt et obsequuntur; sic enim Deus igni præcepit, ut caloris sui activitatem in fornace Babylonica suspenderet, et protinus obedivit, eidem quoque elemento præcepit, ut contra naturalem indolem suam, supra infimes illas civitates deorsum descenderet, et sine mora dilapsus est. Ergone præcipiens, ut ignis amoris sui in corde hominis accendatur, quod alio fine non creavit, quam ut amet, in eodem inveniet resistentiam?

11. — S. Augustinus efficacem quamdam rationem assignat, ob quam a nobis ex toto corde et ex omnibus viribus nostris amari desiderat : « Ut om- « nes cogitationes tuas et omnem vitam tuam, et « omnem intellectum in illum conferas, a quo ha- « bes ea, quæ confers. » Quando Deus hunc mundum creavit, totque plantis, herbis, fructibus, animalibus, etc., exornavit, hæc omnia in hominis potestatem redegit : *Omnia subjecisti sub pedibus ejus*. At vero in signum dominii sui super hominem, eidem, ne ex certo quodam pomo manducaret, præcepit; eodem modo dicere possumus, quod, quidquid homi ant pulchri in hoc mundo creavit, totum potestati hominis substraverit, ita tamen, ut tanquam Dominus et patronus hominis, loco tributi servitutis, cor, id est, amorem ei ab eo poposcerit.

12. — Verum enimvero ad hunc amorem in nobis magis excitandum, stimulus vehementissimus esse debet, considerare, quod suprema illa Altissimi Dei majestas, quam *adorant Dominationes, tremunt Potestates*, in objectum amoris se homini offerre non fuerit dedignata; quod enim Monarcha aliquis vilem aliquam ancillam Æthiopissam, nigram et deformem, ad suas invitaret nuptias, numquid favor ille excessivus et sine exemplo futurus esset? Quænam autem hominem inter et Deum est proportio? Longe minor certe, quam inter Monarcham et dictam ancillam : *Homo putredo, et filius hominis, vermis*. Et tamen Deus homini desponsari unice desiderat : *Sponsabo te mihi*; quod si a nobis amari solum dignatus fuisset, numquid idipsum singulare fuisset privilegium, at vero dum nobis, ut eum

amemus, præcipit, in quo æstimationis loco nos habeat, evidenter ostendit. Quando unquam latum istud præsumptionem adeo temerariam concipere potuisset, ut se cum Deo uniret, eidemque intime adstringeret? S. Bernardus notat, quod Deus per hoc præceptum, nobis « Ausum dedit, et verecun- « diam depulit, et movit affectum. » Hoc motivo S. Augustinus astrictus fuit, ut Deum interrogaret : « Dic mihi per miserationes tuas, Domine Deus « meus, quid tibi sum ipse, ut amari te jubeas a « me et nisi faciam, irascaris mihi? » Ad quod aliud nihil responderi potest, nisi quod alibi in *Meditationibus* ejus legitur : « Amor majestati oculos « clausit. »

13. — Quo fine unusquisque principum gratiam, primaque in curiis ipsorum loca sibi comparare satagit? Nimirum ut beneficiis pinguioribus cumulentur, locupletentur, honorentur, auctoritate polleant et pro natis occasionibus, favores et gratias, pro se vel pro aliis solliciture et impetrare possint. Ecce igitur tibi utilitatem, quæ in hominem, ex supremæ illius majestatis amore redundat, per hunc enim, ejus tibi concilias gratiam, Dominus omnis boni efficeris, dominium obtines in creaturas, ad divinum ejus tribunal, familiarem libi aditum sternis, ut, quidquid vis et desideras, impetrare valeas. Bene igitur S. Augustinus monet : « Ama unum bonum, in quo sunt omnia bona et « sufficit; ibi est, quidquid amatis, quidquid desi- « deratis; » majores Sancti, qui apud Deum potentissimi existiunt, semper sunt illi, qui plus eum amant, qui proinde præstare possunt, quidquid volunt.

Deum.

14. — Paulus de Palatio ait : « Si Deus est, « omnium bonorum thesaurus est, » quod tametsi verum sit, non desunt tamen et alia motiva, ut eum sub hoc titulo diligamus, ac proinde sciendum est, quod in S. Marco, XII, 29, ubi hæc eadem historia referitur, Christus respondisse legatur : *Primum omnium mandatum est : Audi Israel : Dominus Deus tuus, Deus unus est*, ac demum subjunxisse : *Diliges Dominum Deum tuum*, etc. Quæro igitur quæ sit causa, cur Christus hunc Deuteronomii textum, in quo de unitate Dei fit mentio, memorarit? In alio quoque ejusdem libri loco pariter protestatur, dicens : *Videte, quod ego sim solus et non sit alius Deus præter me*. Pro responsione notandum, quod, quia Gentiles plures adorabant Deos, consequenter affectum et amorem suum inter multos dividere et dispertiri debebant; nos autem unum tantum Deum habemus et agnoscimus, ut totum cor, totumque amorem nostrum ipsi soli dedicemus, absque eo, quod eum in alios dispergamus. Unde Theodoretus, *in cap.* VI *Deut.*, ait : *Ex hoc loco docemur, non scindere dilectionem*. Apostolus quoque hanc veritatem Corinthios docuit, I *Cor.*, VIII, 6, dum ait : *Nobis unus Deus pater est, ex quo omnia*; id ipsum diu ante Psalmista præmiserat, *Psal.* LXXXII, 15, inquiens : *Cognoscant, quia nomen tibi Dominus, tu solus altissimus super omnem terram*; quasi diceret : Ubi ab hoc solo Deo omnia quæ habemus bona, et non ab aliis, provenire agnoverimus; *pater est, ex quo omnia*, consequenter cum ab ipso solo beneficiis affecti simus, in ipsum solum quoque benevolentia et amor noster tendere debebit.

15. — *Creavit Deus hominem ad imaginem suam; ad imaginem Dei creavit illum. Gen.*, I, 27. Porro quem Deus in re finem intenderit, S. Augustinus explicat, *lib. de spir. anima*, dicens : « Ut factorem « suum pro imagine cognoscat et pro similitudine « diligat; » quod si saxum aliquod, quod alias ex alpestri quadam rupe pendebat, a celebri quodam sculptore elaboratum, in statuam redigeretur Salvatoris, subque hac figura, adorationis honores reciperet, illud utique si sensum haberet, magnum contestaretur amorem et gratitudinem erga illum artificem, a quo venerabilem adeo speciem et figuram recepisset; quid homo ante sui creationem aliud erat quam lutum? *Memento quæso, quod sicut lutum feceris me*. Cui, ut Ambrosius bene consideret, Deus noster illam creans, eo præcipue fine divinitatis suæ imaginem impressit, « ut tanto ar- « dentius amaret conditorem, quanto mirabilius se « ab eo conditum intelligeret. »

16. — Et quidem amor, quo Deus a nobis diligendus est, minime debet esse vulgaris et communis, sed vero et vivo Deo optime proportionatus, de quo Baruch, III, 36, ait : *Hic est Deus noster, non æstimabitur alius ad eum*, unde omnibus rebus creatis præferendus est. S. Franciscus de Sales, de amore divino tractans, varietatem declarat affectuum, paterni, scilicet, fraterni, filialis, conjugalis, amicitiæ et aliorum similium, qui omnes particularibus adaptantur subjectis, ita ut ad alios ordinari non possint, qui enim Dominum suum solo diligeret amore fraterno, suo utique debito non satisfaceret et qui servum diligeret ut filium, amor ejus utique impertinens esset, amor enim inquit ipse, se habet instar honoris, et ideo sicut hi secundum dignitates et gradus differentes diversificantur, ita pariter ab invicem differre debent amores, adeoque amor Dei, Deo conformis esse debet, nec est confundendus cum aliis aliorum affectibus, nec pari loco habendus, quia Deus objectum et bonum est incomparabile et infinitum.

Tuum.

17. — Deus totus noster fieri voluit, ut omnium nostrum amorem sibi tanto magis lucraretur; idque in incarnatione factum fuit, quando idem Spiritu Sancto mediante, qui nihil est aliud quam amor et charitas, naturæ nostræ humanæ hypostatice unitus

fuit : « Incarnatus est de Spiritu Sancto, ex Maria « Virgine, et homo factus est. » De conjugibus dicitur : *Duo erunt in carne una*, et de Deo cum humanitate in incarnatione desponsato, sancta Mater Ecclesia canit : « Uti sponsus de thalamo suo, « egressus honestissima Virginis matris clausula. »

18. — Guerricus Abbas, *Serm.* II *de Annunc.*, ait : « Quid sic hominem excitare potest ad amo- « rem Dei, quam præveniens hominem amor Dei, « tamque vehemens ad hominem, ut homo propter « hominem voluerit fieri? Quid autem ita nutrit « amorem proximi, quam similitudo et natura « proximi in humanitate Dei. »

19. — S. Thomas in hymno de sanctissimo Christi Corpore pulchra hæc verba ad propositum nostrum habet. « Se nascens dedit socium, conves- « cens in edulium, se moriens in pretium, se reg- « nans dat in præmium; » ad hoc, ut unum idemque nobiscum fieret, amor eum induxit, ut semetipsum in cibum et nutrimentum nostrum daret, *Joan.*, VI, 25 : *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in eo*, ac proinde S. Joannes, XIII, 1, de Christo sanctissimum Sacramentum instituturo, dixit : *In finem dilexit*; sic quoque *communio* a verbo *unio* derivatur, quasi communis unio. Et S. Cyrillus ait : « Intelligere « licet, quod Christus in nobis sit, non solum per « modum dilectionis, verum etiam per communio- « nem naturæ; » quis autem Deum illum non amabit, qui ex abundantia amoris, panis, caro et sanguis factus est, ut a vili terræ vermiculo devoraretur, eo quod tenerrime illum amarit? Ut S. Augustinus ait : « Ama amorem illum, qui amore tui, « descendit in substantiam panis et ibi amorem « suum amori tuo copulavit; humiliando se, subli- « mando te, conjungendo lumen suæ æternitatis « limo tuæ mortalitatis. »

Ex toto corde tuo.

20. — Lucas Brugensis hæc verba litteraliter explicans, dicit : « Non interior tantum hic amoris « actus præcipitur, sed et exterior, qui ab interiori « proficiscatur; nec actus solum, verum etiam ha- « bitus; ut, si quando actu non ames Deum, nihil « tamen agas, quod adversetur amori ejus. »

21. — Paulus de Palatio tres hosce amoris gradus, nimirum *ex toto corde, in tota anima, in tota mente* ponderans, illis intelligi posse existimat effectus illorum, qui in variis statibus per viam spiritualem incedant : « Primus est incipientium, secundus « proficientium, tertius perfectorum; nam si e « corde tuo nulla exeat mala cogitatio, nec furtum, « homicidium, etc. Tunc diligis *ex toto corde*, totum « cor Deo nullam ejus partem vitio concedens; at « ubi contendis nihil aliud cogitare, memorari, « cupere nisi Deum, tunc diligis *ex tota mente*, « animam Deo non alio plenam habere laborans; « sed ubi ascendisti ad perfectionem spiritualem, « ubi cor et caro defecerunt in salutare Dei, tunc « purus diligit spiritus, tunc diligis *tota anima*, tunc « fastidis omnia temporalia, renuit anima in alio « consolari quam in Deo. »

22. — Cajetanus hæc verba in ordine ad voluntatem nostram exponit, quæ in Deum converti debet : « *Corde*, hoc est, voluntate, cujus proprius « actus elicitus est diligere; » qualiter autem hæc totalitas intelligi debet, sequentibus verbis declarat : « Dupliciter potest exponi, totaliter, vel posi- « tive, quod omnis vis voluntatis apponitur ad « diligendum Deum; et si non præcipitur exequen- « dum viatori, quia impossibile est, sed implebitur « in cœlesti patria; vel negative, hoc est, sic dilige « Deum, ut nihil in tuo corde sit contrarium dilec- « tioni Dei. »

23. — S. Bernardus in sermone quodam super Cantica ait : « *Toto corde* diligimus, si, quod blan- « ditur sensibus, ob amorem Christi rejiciamus; » quanto enim voluntas nostra ad placendum Deo inordinatis appetitibus suis repugnabit, tanto magis summum bonum ex toto corde diligere convincetur. Egregia est illa Richardi consideratio, quod scilicet Deus noster in omnibus hisce creatis rebus, quæ suis nos lenociniis allicunt, haud secus ac in spectaculo quodam aliqualem sui impressit imaginem et similitudinem, ne nos per illas seduci permittamus, sed semper in ipso totus amor noster defixus maneat : « Columbinus oculus amor est, » inquit, « qui in rebus humano usui concessis, quo- « cumque se vertit, familiarem habet admonitionem « amoris, rebus his, pro speculis utens et in eo, « quod cernit, Dei amatoris sibi resultat memoria; « aspicit cuncta quæ condidit Deus; et quo condidit « fine et in his non tam admirabilis quam amabilis « sibi videtur. »

24. — Glossa ait : « Per verba illa : *Ex toto* « *corde*, integritas fidei exprimitur; » similiter Interlinearis inquit : « *Ex toto corde*, id est, intel- « lecta, ut nullum in confessione divinitatis relin- « quat errori locum; » ejusdem quoque opinionis est S. Bonaventura, *Serm.* IV *in hoc Dom.*, qui S. Augustinum citans, ait : « *Ex toto corde*, id est, « intellectu sine errore. »

25. — Lucas Brugensis illos, qui amare fingunt Deum et sunt hypocritæ, Deum ex toto corde suo nequaquam amare dicit : « Qui diligit Deum non « ex corde hypocrita est, » juxta illud Davidis, *Psal.* LXXVII, 36 : *Et dilexerunt eum in ore suo et lingua sua mentiti sunt ei; cor autem eorum non erat rectum cum eo.*

26. — S. Bonaventura verba hæc de illis exponit, qui dilectioni opera associant, amori correspondentia; sive qui affectum per effectum comprobant : « *Toto corde* non diligit, qui dilectionem in « effectu non ostendit. »

27. — S. Thomas in *Summa* sua, II, II, q. XLIV, *art.* 3, ait : « Deum *toto corde* amamus, si nihil con- « tra Dei præcepta diligamus; » universa enim lex quam Deus nobis dedit, huic charitatis basi innititur : *Plenitudo legis est dilectio*; tunc igitur toto corde amamus, quando omnia præcepta adimpleimus : *Ut sitis integri, in nullo deficientes; quicumque enim totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus*, inquit S. Jacobus, I, 4.

28. — Lucas Brugensis ait : « Opponitur cor « totum cordi diviso seu dispertito; opponitur et « cordi remisso ac languido, ut opponitur cordi « diviso, *corde toto* : diligendus est Deus quia nihil « diligendum est, nisi vel Deus ipse, vel id, quod « Deo placet. »

29. — S. Augustinus a S. Thoma citatus ait : « Deum *ex toto corde* diligere præciperis, ut omnes « cogitationes tuas in illum conferas. » Albertus Magnus ex auctoritate S. Isidori ita scribit : « *Ex* « *toto corde* diligere, est ex tota cogitatione Deum « quærere. » S. Bonaventura in discursu secundo de S. Magdalena, ad intelligendum, quando ex toto corde Deum diligamus, sequens optimum assignat indicium, dicens : « Vis scire, si Deum perfecte « diligas, vel aliud plus Deo ames, attende, si de « Deo plus quam de aliis rebus cogitas; quia de « illo plus cogitas, quod plus amas; *ubi enim thesau-* « *rus tuus, ibi et cor tuum.* »

30. — Albertus Magnus in sermone super hoc Evangelium ait : « *Ex toto corde* est diligendus, id « est, ex omni motu et sensu nostro, scilicet ex om- « nibus verbis et operibus nostris, ex omni visu, « auditu, gustu, odoratu et tactu; » quonam vero modo Deum etiam per sensus amare possimus declarat, dum ait : « Ut videlicet verba linguæ nostræ « et opera manuum nostrarum et omnes sensus « nostros exteriores ad dilectionem Domini conver- « tamus. » S. Augustinus de anima Deum vere amante, ita scribit : « Anima, quæ Deum amat, « nihil aliud potest cogitare, nihil aliud velle, nihil « aliud loqui, nisi solum Deum. »

31. — Hugo Cardinalis, duce S. Chrysostomo, interrogat : « Quid est, diligere Deum *in toto corde?* « Ut cor tuum ad nullius rei dilectionem magis sit « inclinatum, quam Dei; nec delecteris in specie « mundi amplius quam in Deo, non in honoribus, « non in auro, non in amicis, sed præ his omnibus, « Deum ames; » qui discursus est Auctoris Imperfecti, qui illud ultra id, quod Hugo dicit exemplificat quoad affectum, ad possessiones, vineas, vestes, agros, filios, parentes, ac demum concludit : « Hæc « omnia existimes tibi esse in Deo, ut præ his om- « nibus Deum ames; si autem in aliquo horum « amor cordis tui fuerit occupatus, jam *ex toto* « *corde* non amas Deum. » Non prohibemur amare filios, conjuges, amicos, sed hos Deo præferre nobis interdicitur. S. Augustinus in sermone, qui intitulatur *de amore Dei et sæculi*, verba illa Christi, *Mat.*, X, 37 : *Qui amat patrem suum aut matrem suam super me, non est me dignus*, considerans, pro nostra intelligentia subjungit : « Amorem parentum, uxoris, « filiorum non abstulit, sed ordinavit; non dixit : « *Qui amat*, sed : *Qui amat super me*; hoc est, quod « Ecclesia loquitur : *Ordinavit in me charitatem*; « ama patrem, sed noli supra Dominum, ama « genitorem, sed noli supra Creatorem. »

32. — Sara Isaacum in societate Ismaelis videns, nunquam indignata fuit, nisi quando hunc illum ad ludum parum decentem et inhonestum æstimulare vidit; ita quoque charitas, qua Deum prosequimur, non odit affectum, quem erga alios gerimus, nisi quando hic divinæ legi et debito, quo ei obstringimur contrariatur; omnis enim amor, a Dei amore dependere debet. Victor Antiochenus proinde inquit : « Homo tanto Dei amore flagrare « debet, ut nihil prorsus in ullam animæ facultatem irrepere sinat, quod suam erga Deum dilec- « tionem excludat, aut diminuat, aut alio transfe- « rat; sed in omnibus illi soli magis magisque « assidue placere satagat, nec alteri personæ aut « rei creatæ, nisi propter Deum. » S. Franciscus de Sales S. Michaelis adducit exemplum, qui dum videret Lucifernm omnes ad se angelos, qui in divino amore perstiterant, attrahere conantem, erecto vexillo, cui inscriptum erat : *Quis ut Deus?* nequam hunc spiritum, cum omnibus aliis apostatis, Deo se adæquare præsumentibus, prostravit; eodem modo quando in conflictu desideriorum et affectuum nostrorum, erga hasce res terrenas videmus, quod hi voluntatem et cor nostrum primo loco occupare et cum Deo competere, illumque amorem, qui soli Deo debetur, prætendere præsumant, eosdem per generosam repulsam supprimere, atque a nobis abigere debemus, dicendo : *Quis ut Deus?* Quis adeo præsumptuosus erit, ut Deo præferri et voluptates, divitias, honores, aliasque mundi consolationes plus quam divinæ legis observantiam, æstimari et amari contendat.

Et in tota anima tua.

33. — Cajetanus verba illa de vita nostra sensitiva et vegetativa, hoc est, de vita animali interpretatur, simulque declarat, quomodo etiam hanc ad hujus præcepti adimplectionem ordinare possimus; ait enim : « Diligere autem in anima, hoc est, in « animali vita, est, opera omnia, ad animalem « vitam spectantia, dilectioni Dei subjicere, ad di- « lectionem Dei ordinare, in omnibus hujusmodi « operibus, dilectioni Dei obsequi. Non sufficit « enim, ut voluntate diligamus Deum, sed oportet « in sensualibus delectationibus nihil admittere « contrarium dilectioni Dei. » S. Augustinus dicit : « *In tota anima*, ut omnem vitam tuam in illum « conferas. » Origenes ait : « *Ex toto anima tua*, id

« est, ut parati sint eam ponere pro pietate Dei. » Glossa inquit : « *In tota anima*, quia perfecta obe- « dientia exigitur. » Interlinearis pariter scribit : « Id est, voluntate, ut nihil ei contrarium velis. » S. Bonaventura, *Serm.* IV, dicit : « *Ex tota anima*, id « est, voluntate sine contradictione. » Albertus Magnus inquit : « *Ex tota anima*, id est, ex omni « affectione desiderare. »

34. — Auctor Imperfecti ait : « Quid est, *in tota « anima diligere Deum?* id est, certissimum animum « habere in veritate et firmum esse in fide. »

Et in tota mente tua.

35. — Dionysius Carthusianus ad hoc præceptum se reflectens, illud duobus modis ponderari posse dicit : « Quantum ad actum, ita ut cor, mens, « anima et virtus hominis semper actualiter feran- « tur in Deum et hæc est perfectio patriæ, » ad quam, quousque viatores sumus, pervenire non possumus; alter modus nobis possibilis est hic : « Quantum ad habitum et actum proportionatum, « videlicet ut homo nihil operetur, contrarium « charitati; et hæc est perfectio viæ, cadens sub « præcepto, ab omnibus debita. » Demum vero progreditur ad declarandum varias formas, quibuscum hoc præceptum nobis imponitur : « Jubemur itaque « Deum *ex toto corde* diligere, ut tota affectio nos- « tra ordinetur ad Deum; *tota* insuper *mente*, qua- « tenus intellectus Deo in omnibus subjiciatur; *tota « anima*, ut appetitus sensitivus *et vires sensitivæ « secundum Deum dirigantur, totaque virtute*, ut « omnis actus noster exterior secundum præcepta « Dei reguletur. »

36. — S. Thomas inter cor et mentem distinguit, dicens : « Differentia est inter mentem et cor; « mens enim dicitur, a metiendo, cor sumitur pro « simplicitate intellectus; mens vero quo ad prola- « tionem, quia per sermonem melitur intellectus « sive cogitatio; unde vult dicere, quod in locutio- « nibus et meditationibus Deum totaliter diliga- « mus. » Origenes ait : « *In tota mente*, nihil aliud « scilicet proferentes, nisi quæ Dei sunt. » Auctor Imperfecti, *Hom.* XLIV, ait : « Quid est, *tota mente* « diligere Deum? Id est, ut omnes sensus tui, qui « pertinent ad te, Deo vacent, cujus intellectus Deo « ministrat et cujus Sapientia circa Deum est, cujus « cogitatio ea, quæ sunt, Dei, tractat, cujus memo- « ria, quæ sunt bona, recordatur. » S. Bonaventura, *in stimulo div. amoris*, de hoc cœlesti amore ita scribit : « Nonne debeo totum et plus quam « totum illi, a quo habeo totum, quod sum et quod « possideo? »

37. — Glossa ordinaria ait : « In *tota mente* per- « severantia ostenditur, » quia hic amor perseverans esse debet.

38. — Porro qualis sit gradus amoris, ad quem obligantur omnes vi præcepti, quod omnes æqualiter stringit in omni loco, tempore et statu, S. Franciscus de Sales declarans, observat, quod in versione nostra Vulgata, quam Concilium Tridentinum canonizavit, præceptum hoc per dilectionis nomen potius quam amoris expressum fuerit; quia tametsi etiam amor sit dilectio, non tamen est simplex amor, sed associatus ab electione prout ex hujus dictionis *dilectio* etymologia clare deducitur; idque ad docendum nos, præceptum nobis esse non quemlibet affectum et amorem, sed illum, qui inter multos electus est, Deoque debetur, quique omnibus aliis rebus anteponi debet; et hoc forte est, quod Albertus Magnus per adductam S. Isidori auctoritatem, dicere voluit, dum ait : « *Ex tota mente*, id « est, ex omni ratione cunctis præponere. »

Additiones.

a. — *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, etc. Visne scire quid Deus tuus principaliter a te requirat? Ecce nihil aliud quam solum amorem : *Præbe mihi, fili, cor tuum*. Quisquis cor illi donat, omnia tribuit; quid igitur facilius est quam amare? Ad quem amorem ut nos eo ardentius alliceret, varias excogitavit inventiones amoris, ad hoc ut magis pro homine pati posset, ut eo in nobis major esset obligatio amoris. Tametsi in omnibus vitæ Redemptoris nostri mysteriis, ejus erga hominem amor magnopere eluxerit; attamen ut divini amoris secretarius optime advertit, Christus ad finem vitæ suæ appropinquans, rursus excogitavit inventiones, ut amorem suum erga homines tanto magis innotescere faceret; unde ait : *Cum dilexisset suos, in finem dilexit eos*. Opus quidem creationis nostræ magnum erga nos Dei amorem ostendit, siquidem per illud nobis tam excellens et eximiam esse dedit, cujusmodi est, ad similitudinem ejus formatium esse : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*. Pro hoc autem beneficio reciprocum a nobis amorem nostrum deposcit, dicente S. Augustino : « Facta est anima ad imaginem « et similitudinem Dei, ut factorem suum pro ima- « gine cognoscat, et pro similitudine diligat. » Cui conforme est, quod S. Ambrosius in hæc verba scribit : « Ut tanto ardentius amaret Conditorem, « quanto mirabilius se ab eo conditam intellige- « ret. » At vero si ob beneficium creationis Deum adeo amare tenemur, quid de beneficio redemptionis dicemus, quæ multo pluris ipsi constitit? Quantopere illum propter hoc amare obligabimur? Audiamus Eusebium Emissenum dicentem : « Maxi- « mum quidem circa hominem divini amoris « insigne est, quod inter ipsa mundi principia, « imaginem ac similitudinem Dei sui servus acce- « pit; sed pene amplius est, quod nunc personam « et formam servi, Deus Auctor assumpsit. » Enimvero quonam fine Deus infinitæ Majestatis in formam servi se vestiverit, imo latronis sibi famam

assumpserit : *Cum iniquis deputatus est*; subdit vero idem Emissenus ex S. Augustino de diligendo Deo, ut videtur : « Magnum quidem mihi est de « Deo, quod esse me sentio opus suum; sed multo « plus est, quod transiisse ipsum video in pretium « meum, quando quidem tam pretioso munere « ipsa redemptio agitur ut homo Deum valere « videatur. » At vero, dices : Numquid Deus pluribus aliis modis facilioribus nostras poterat reparare ruinas, absque eo quod Filium suum in crucem agi permitteret? Dicit enim Doctor Angelicus : « Deus « per suam omnipotentem virtutem poterat multis « aliis modis humanam naturam reparare. » Respondeo verum quidem hoc esse; attamen per illos modos amoris sui immensitatem nequaquam ita perspicue demonstrasset, quemadmodum illam in passione sua emicare fecit.

b. — Cum mandatur, ut diligas *Deum ex toto corde tuo, in tota anima tua*, mandatur ut summopere ac omnibus viribus tuis diligas Deum, id est, ut Victor Antiochenus, *in cap. Matth.*, ait : « Homo « tanto Dei amore flagrare debet, ut nihil prorsus « in omnem animæ facultatem irrepere sinat, quod « suam erga Deum dilectionem excludat aut dimi- « nuat, aut alio tranferat; sed in omnibus illi soli « magisque placere satagat, » minimaque etiam, quæ divinos oculos offendere possent, evitare, *ut sitis perfecti et integri, in nullo deficientes*, ait S. Jacobus, I, 4. His verbis Apostolus Christi perfectionem conjungit cum integra omnium divinorum præceptorum observantia, eaque adeo exacta et ponctuali, ut in ullo prorsus deficiat : *In nullo deficientes*. Undenam eminentem sanctitatem Baptistæ Joannis, cui mundus post magnam Dei Genitricem parem non habuit, nec unquam habebit, sua accepisse incrementa existimas? Nimirum de ipso sancta Mater Ecclesia canit : « Antra deserti teneris « sub annis, civium turmas fugiens petisti. » At vero cur se in desertum illud se recepit? Num forte ideo ut se per sanctam contemplationem, cum Deo actus uniret, aut vero ut factus scorpionum aliarumque ferarum sodalis, austeriorem, rigidioremque ageret pœnitentiam? Non dicit hoc sancta Ecclesia, sed causa hujus præcipua hæc ab eadem assignatur, ut scilicet culpas quoque veniales tanto securius fugere posset : « Ne leve saltem maculare « vitam flamine posses. »

Devotus quidam auctor sequentem tradit magni ponderis et momenti considerationem : « Non est « verus amicus qui deliberate vellet amico infli- « gere vulnus leve, etsi non lethale; imo omnino « amicus non esset; sic qui non vellet adhibere « curam, ne offendat Deum venialiter, hoc ipso « convinceretur non esse amicum Dei. » Per peccatum quidem veniale, amicitia Dei non amittitur; per illud tamen multum frigescit et diminuitur; at vero, dicite obsecro, numquid magna futura esset stultitia, si quis leve aliquod vulnus amico suo infligendo efficeret ut idem illud vulnus in se recideret, sibique irremediabile et incurabile esset, nisi per sanguinem illius qui leviter ab eo vulneratus fuerat, curaretur? Peccatum et offensa quæ Deo irrogatur, recidit super irrogantem illam, nec curari potest vulnus, quantum sit leve, sine balsamo pretiosissimi sanguinis Christi.

c. — S. Augustinus textum propositum sic exponit : « *Ex toto corde tuo*, id est, ex tota voluntate « tua; *ex tota anima tua*, id est, ex toto intellectu « tuo; *ex tota mente tua*, id est, ex tota memoria « tua. » Scilicet, quasi parum foret, Deum voluntate amare, memoria etiam et intellectu amandus dicitur, ac si recordatione et discursu amandus etiam sit, quod his potentiis insolens est. Sed hanc velut insolentiam, nimius amor Dei exhibendus jure suo ab omnibus exigit. Unde hanc S. Augustini elucidans expositionem, Victor Antiochenus, *in Matth.*, ita scribit : « Homo tanto Dei amore fla- « grare debet, ut nihil prorsus in ullam animæ « facultatem, etc., *ut supra* : nec alteri personæ « aut rei creatæ, nisi propter Deum, scilicet placere « satagat. » En igitur quomodo omnes animæ facultates et potentiæ Deum diligere jubentur. In omni enim vocatione fieri potest charitatis exercitium, quo mediante, lucramur cœlestem gloriam, et Deus quantum est ex se, unumquemque salvare intendit. Suffragante amore Dei, sanctæque intentionis rectitudine, cunctis nostris operationibus valorem et meritum addere possumus, esto etiam in seipsis nullius sint valoris; unde consulit S. Apostolus, I *Cor.*, X, 31 : *Sive manducatis, sive bibitis, sive quid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite*. Comedere, bibere, dormire, ire spatiatum, similesque actiones solent animæ nonnunquam conferre molestiam, quamvis corpus restaurent; nihilominus, si in hujusmodi actionibus rectam intentionem instituamus, quia nimirum Deus pro vitæ nostræ sustentatione ita disposuit, ut in ejusdem servitio simus alacriores ferventioresque, ac proinde ordinamus omnia ad majorem Dei gloriam, poterunt esse dictæ actiones meritoriæ. Quia pientissimus Salvator noster vult, quantum ex se est, omnes salvos fieri, I *Tim.*, II, 4 : *Hoc bonum est et acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri*; divinaque sua providentia nos omnes ad diversos differentesque vocavit status, sequitur inde, quod in omnibus sufficientia etiam præordinaverit media, quibus æternam salutem nostram lucrari possimus; ita est quia dilectio et charitas est via regia ad cœlum. Nullum opus vitæ æternæ meritorium est absque hoc amore; solus hic absque alia re sufficit, ut nobis præbeat aditum ad æternam beatitudinem.

d. — Textus Persicus hic legit : *Diliges Dominum Deum tuum, ex tota nimietate mentis tuæ*, quod con-

cinne respondere textui Hebræo erudite Cornelius notat. Nempe Christus Dominus dicitur *nimia charitate* homines diligere, eosque colere. Vicem ergo amoris et zeli ab hominibus Deus expetit, et tota nimietate mentis diligi et zelari. Apposite Adamus de Persenia ita scribit : « Si mediatori vis amicitiis « jungere, si digne vis mysterio mediatricis assis- « tere, vide ne discedas a medio, vide ne quid « nimis, ne quid facias sine modo. In oculis homi- « num piis conformare moribus conviventium; sed « in conscientia coram Deo, si potes, alios transgre- « dere diligendo. » In hoc solum est in quo Moderator sæculorum nostra delectatur immoderantia, cum nostri amoris affectio, in ipsum sine modo intenditur et mensura, « tota nimietate amoris « humani diligi expectat. » Deus enim zelum qui in amore fundatur, plurimi æstimet et appretiatur, ac si zelus tantæ æstimationis et pretii ut participaret aliquid divini ex ordine supernaturali. Dicit enim, *Exod.*, xx, 5 : *Ego sum Dominus Deus tuus zelotes.* Quando Redemptor noster æterni Patris sui zelavit honorem in profanatione templi sive domus suæ, dixit : *Zelus domus tuæ comedit me.* Ubi considerandum verbum hoc, *comedit.* Cibus in substantiam alili sive comedentis transmutari solet; unde Christus de sumentibus sanctissimum suum Corpus, dicebat : *Manet in me, et ego in eo.* Videtur ergo dici posse quod Verbum incarnatum certo quodam modo transformatum et conversum in zelum. *Zelus comedit me.* Proinde Deus et zelus quodammodo fit una et eadem res. Sic Deus volens animum addere Prophetæ Ezechieli, ut honorem suum concilcatum defenderet, dixit ei : *Ponam zelum meum in te. Ezech.*, iii, 25.

Versus 38.

Hoc est maximum et primum mandatum.

1. — S. Anselmus, *in Matth.*, rationem reddit, cur præceptum hoc maximum et primum appelletur : « Primum et maximum dicitur, quia ante « omnia, debemus illud quasi unicum pietatis fun- « damentum in intimo corde collocare, » sicut enim fundamentum totius ædificii fulcrum est, ita in spirituali animæ fabrica, charitas basis et fundamentum est pietatis nostræ erga Deum religionis.

2. — Cajetanus præceptum hoc primum dici sentit, in intentione supremi Legislatoris : « Est « enim primum in intentione Legislatoris, quia hoc « præcipue intendit; » in cunctis enim scripturis utriusque Testamenti, in omnibus Prophetarum oraculis, in universis præceptis et consiliis Evangelicis, Sapientia increata nullum alium finem sibi propositum habuit, præterquam amorem Dei et proximi dilectionem : *Finis præcepti est charitas.* « Magnum, » inquit Cajetanus, « quantitate virtutis « in genere mandatorum, utpote excedens reliqua « et virtualiter continens reliqua. » Omnia hactenus a Deo data præcepta charitatem pro objecto habent, omnia virtualiter in præcepto dilectionis includuntur. Paulus de Palatio ait : « Maximum, « sine quo reliqua parva, imo sine quo, secundum « Apostolum, ipsa maxima nihil sunt; » conformiter celebri illi discursui : *Si linguis hominum loquor et Angelorum*; ubi clare deducitur, quod si quis egenis omnem suam daret substantiam, suumque corpus super prunas extenderet, ita ut ardeat, charitatem vero non habeat, nullum sibi inde acquisiturus sit meritum. « An non et maxima? At sine « maximo mandato, adeo non sunt illa maxima, ut « nihil sint; contra vero, quæ minima sunt, cum « maximo mandato maxima redduntur; calix aquæ « frigidæ ex dilectione, res maxima est, siquidem « ipsum meretur cœlum. »

3. — Etenim primum, non modo in lege scripta, sed etiam naturali, siquidem natura ipsa nos docet, ut supra omnem rem creatam Deum creatorem nostrum diligamus, a quo receptimus esse et omne bonum, quod possidemus.

4. — Apostolus charitati, inter omnes alias virtutes, primatum attribuit, dicens, I *Cor.*, xiii, 13 : *Major autem horum est charitas.* Ennodius ait : « Imperatoris loco dominatur, semel penetralibus « cordis infixa dilectio » S. Augustinus quoque regis alicujus similitudine utitur, qui e throno suo non recedens, imperet, cunctosque regni sui ministros operari faciat : « Quidquid jusserit, per totum « imperium emanat, movet solum labia, movetur « tota provincia; » eodem modo charitas tanquam Regina præsidet et imperat aliis virtutibus et hæ ex præcepto illius operantur; imo nulla illarum quidquam boni aut Deo grati operari potest, nisi ab ipsius imperio associata fuerit; ita in dicta epistola veridicus Apostoli calamus attestatur. Memorandum hoc loco est, illud in Levitico, ii, 13, a Deo datum præceptum : *Quidquid obtuleris sacrificii, sale condies. Numquid*, inquit Deus per Prophetam, *manducabo carnes taurorum*; quid igitur hic latet mysterii quod ad omnes oblationes sal adhiberi jubeat? *Omnia in figura contingebant.* Septuaginta legunt : *Amore condies*; scire enim nos voluit, quod nulla oblatio nullumque opus, licet alias in se bonum sit; in conspectu divino meritorium aut gratum esse poterit, nisi hoc dilectionis condimento fuerit consparsum.

5. — Charitas in multis Scripturæ locis, auro assimilatur; quia sicut hoc superioris est ordinis, majorisque valoris omnibus aliis metallis, ita ipsa omnes alias excedit virtutes, majorisque æstimanda venit; potest et alia quædam analogia in medium adduci : nam sicut is, qui aurum habet, omnia habere dicitur, eo quod per hoc viam sibi sternat ad honores, famam, applausus, per hoc palatia, hortos, status, principatus et quidquid apud homines in pretio est, comparatur, eodem modo, qui hoc divini amoris auro locuples est, omnium aliorum operum bonorum, eleemosynarum, jejuniorum, solitudinum, orationum, sanctarum peregrinationum merita virtualiter possidet. Angelus in Apocalypsi, iii, 18, Episcopo cuidam hoc consilium dedit : *Suadeo tibi emere a me aurum ignitum, probatum, ut locuples fias*; ideoque S. Anselmus pie meditatur, quod licet nec manus, nec pedes, nec oculos, nec alias corporis partes haberet, quibus in servitio Dei operari posset, solum tamen cor, illi relictum sufficeret. « Aufer, Domine, a me, si velis, « substantiam, manus, pedes, oculos : solum relin- « que cor, quo te diligam, hoc enim solo tibi « placebo. »

6. — S. Ambrosius dicit, dictionem *charitas* inde derivari, « quin illi charius nihil inveniri « potest; » inter omnia creata nihil inveniur, cum quo comparari possit, ad usque S. Triadis thronum ascendit, seque pari loco cum Spiritu Sancto collocat, qui sanctissimus hic Spiritus, charitatis, et amoris glorioso titulo appellatur, imo omnibus adæquatur tribus Personis divinis : *Deus charitas est* : in ipsius solius potestatem, non vero aliarum virtutum, Deus Paradisi gloriam et beatitudinem consignavit, adeo ut, si quis ad portas æternales pulsat, qui vivum se in cremum sepelivit, aut qui virginitatis lilium illibatum conservavit, vel qui pro Christianæ religionis defensione assari et torreri se permisit, nisi tamen hoc amoris igne pariter ardeat repulsam utique turpem patietur; e contra vero, quod si anima aliqua ad fæces usque in dissolutionem suarum sordibus immersa fuerit, Deus autem hanc ei fecerit gratiam, ut vel unicam tantum hujus amoris scintillam concipiat, mox cœlum sibi ante faciem patefacere videbit. S. Apostolus, qui non tam per revelationem, quam per visionem de rebus cœlestibus loquitur, siquidem *raptus usque ad tertium cœlum*, dum ejus decorem exaggerat, quibus, obsecro, illud præparatum esse dicit? num forte illis, qui diris flagellis se excarnificarunt? aut vero illis, qui omnes opes suas pauperibus erogarunt? aut denique iis, qui hic in terris vitam duxerunt apostolicam, et animas converterunt? Audite, quibus præparatum esse dicat, I *Cor.*, ii, 9 : *Quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum*; quisquis enim hic Deum magis dilexerit, ad sublimiores gloriæ gradus tolletur in altum. Quando in Apocalypsi, xxi, 16, dicitur : *Mensus est civitatem de arundine aurea*, idem est, ac si diceretur, quod juxta mensuram charitatis æterna dabitur beatitudo. « Qui plus habebit de charitate, » inquit S. Thomas, « perfectius Deum videbit et beatior erit. » Quo modo implendum esse existimatis dictum illud æternæ et primæ Veritatis, regnum ejus intra nos esse dicentis : *Regnum Dei intra vos est?* certe non alio, nisi quando in corde nostro charitas ardet, tunc enim certum quoddam illius regni pignus possidemus; de hoc amore S. Bernardus, *Serm.* LXXXV *in Cant.*, ita scribit : « Is per se sufficit, per « se placet, et propter se; ipse meritum, ipse « præmium sibi est amor. »

7. — Unica duntaxat hujus ignis scintilla ejus valoris et efficaciæ est, ut, si infernum penetrare posset, illum illico transformaturus esset in paradisum, et hic forte finis petitionis, ab Epulone ad Abraham factæ, ut scilicet ad ejus ardorem refrigerandum, Lazarus unicam tantum illius aquæ guttam afferret, quæ civitatem Dei inundat, q. d. quod, sicut minimus quidam gratiæ justificantis gradus ad innumeras culpas extinguendas sufficit, ita quoque unica tantum gratiæ et charitatis scintilla ad innumeras pœnas extinguendas sufficiat. Ubi notandum, quod non frustra digitum petat, *Luc.*, xvi, 24 : *Extremum digiti*, nimirum ad amorem divinum et Spiritus Sancti gratiam alludere voluit, qui digitus est manus Dei : « Dextræ Dei tu « digitus; » et quidem si gloria beatis in virtute charitatis conceditur, cur non etiam de charitate asserere poterimus, quod S. Augustinus de gloria scribit, nimirum : « Tanta est dulcedo futuræ « gloriæ, quod si una stilla in infernum defluereat, « totam damnatorum amaritudinem indulcoraret. »

Versus 39.

Secundum autem simile est huic : Diliges proximum tuum sicut teipsum.

Secundum autem simile est huic.

1. — Secundum hoc præceptum primo simile dicitur, quia ambo in eumdem scopum tendunt, qui est amare, vel etiam, quia secundum derivatur a primo. Auctor Imperfecti ait sensum esse : « Simile est, sicut qui amat Deum, quia imago Dei « est homo; sicut in imagine sua Rex honoratur « et contemnitur, sic et Deus in homine vel diligi- « tur vel oditur; nemo potest hominem odire, qui « Deum amat, nec potest Deum amare, qui homi- « nem odit; » juxta illud S. Joannis, I *Epist.*, iv, 20 : *Si quis dixerit : quoniam diligo Deum, et fratrem suum oderit, mendax est;* moxque indissolubile hoc argumentum subjungit : *Qui enim non diligit fratrem suum, quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere?* tandem Deum, præceptum dilectionis proximi conjunctim cum præcepto amoris sui sanxisse concludit, dicens : *Et hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat et fratrem suum.* Idem Auctor Imperfecti, impossibile esse, ut quis Deum amet, non amando proximum, hac similitudine demonstrat : « Quis enim honorat « Regem, et contemnit imaginem ejus, aut quis « honorat imaginem et contemnit auctorem ima- « ginis? » Albertus Magnus super Matthæum ait :

UNIVERSIDAD DE NAVARRA BIBLIOTECA GENERAL

« Dicitur simile, quia est de eadem dilectione, una « enim et eadem dilectione diligitur Deus, et imago « ejus in proximo. »

2. — Carthusianus ait : « *Simile* non æquale in « dignitate, sed proxime sequens : » verumtamen si attente sollicitudo Christi consideretur, in imprimenda nobis dilectione nostra, inveniemus ipsum præceptum hoc quasi pari cum dilectione sua loco habuisse, nosque pari, qua seipsum, dilectione amasse. Eusebius Emissenus ait : « Maximum « quidem circa hominem divini amoris insigne est, « quod inter ipsa mundi principia imaginem et « similitudinem Dei servus accepit, sed plane « amplius est, quod nunc personam et formam « servi Dei assumpsit; » unde nescio, an dicere ausim, amorem, quo Pater æternus nos dilexit, parem vel superiorem fuisse illo, quo proprium prosecutus est Filium; nam ut S. Ambrosius ait : « O inestimabilis dilectio charitatis! ut servum « redimeres, Filium tradidisti. »

3. — Quæri hoc loco potest, cum Pharisæus Christum non nisi de primo præceptio interrogarit, dicens : *Magister, quod est mandatum magnum in lege*, quid est, quod nunc etiam respondeat? Lucas Brugensis ait : « Plus itaque docet Jesus, quam « fuerat rogatus; de maximo mandato rogatus, « addit et a maximo proximum; » neque mirum, est etenim divinæ charitati proprium, in suis erga nos gratiis, et favoribus semper abundare, juxta quod profitetur Ecclesia dicens : « Abundantia pie- « tatis tuæ, merita supplicum excedis et vota; » ecce tibi fructum, quem nobis confert noster ad divinam bonitatem accessus et approximatio, *Psal.* XXXIII, 6 : *Accedite ad eum et illuminamini; et facies vestræ non confundentur.* Alia nihilominus superast ratio, et principalior quidem, cur præcepto amoris divini immediate subjungatur illud de amando proximum, ut scilicet discamus, quanta utriusque sit dependentia ad invicem, quod scilicet alterum nequeat subsistere sine altero, sed necessario copulentur ad invicem, nullinsque secundum sit roboris sine primo; nemo namque Deum amare potest, nisi eodem pariter amore feratur in proximum, utpote imaginem Dei, ideoque aptissime S. Augustinus amorem Dei et proximi indissolubili inter se nexu uniri testatur, inquiens : « Ut non immerito ple- « numque Scriptura pro utroque unum ponat. »

4. — Imo adeo hæc infallibilis est veritas, scilicet quod, qui utrumque non amat, neutrum amet, ut unicum nostri in Deum amoris indicium sit, dilectio proximi id quod non obscure nos docuit Apostolus, inquiens, *Rom.*, XIII, 8 : *Nemini quidquam debeatis, nisi invicem diligatis;* ast ubi, inquies mentio indivisibilis primi et principalis præcepti de amando Deum ex toto corde, anima et mente nostra? nequaquam profecto hoc ab altero Apostolus dividendum censuit, dum immediate subjungit : *Qui enim diligit proximum, legem implevit;* respicit S. Paulus insigne illud Christi effatum, *Matth.*, XXII, 40, dicentis : *In his duobus*, amoris scilicet Dei et proximi unitim sumptis, *mandatis universa lex pendet*, nec obstat, quod solius in proximum dilectionis meminerit : « Quia una et eadem dilectione « diligitur Deus, et imago ejus in proximo, » inquit Alberius Magnus : « Ratio quippe diligendi proxi- « mum, » juxta Carthusianum, « est Deus; ergo « qui proximum diligit, Deum diligit; » in proximis namque imaginem Dei veneremur oportet, hunaque diligamus in persona eorum; unde idem subdit Carthusianus, quod etiamsi duo sint præcepta : « Unum tamen frequenter ponatur pro « utroque, quia nec Deus sine proximo, nec proxi- « mus sine Deo diligitur. » Vult igitur Deus, ut in amore aut beneficio, quod proximo exhibemus, nequaquam hujus aut defectus aut demerita respiciamus, quibus forte quandoque offensi fuimus, sed cum consideremus ejusque amoris intuitu fratrem diligamus, qui nobis de proximo amando præceptum statuit. Adducit insignem porro hujus similitudinem Chrysostomus : « Quemadmodum enim si « nos quempiam dilexerimus, dicere solemus : si « hunc diligis, me ipsum diligis, ita et Christus hoc « ipsum declarans, dicit : *Secundum simile est huic.* » Juxta proportionem affectus, quo proximum prosequitur, Deus noster in pondere sanctuarii amorem ponderat, quo erga ipsum afficimur, adeo ut B. Laurentius Justinianus in *fasciculo divini amoris* scribat : « Stateram quamdam spiritualem divini « amoris proximi voluit esse dilectionem. » Quod si dixeris, Deum nobis præcepisse, ut totum amorem nostrum sibi exhibeamus; dicit enim : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua*; adeoque nihil tibi reliquum esse, quod proximis exhibeas, dum ipse totum amorem sibi vindicat, respondeo, Deum nobis præcipere, ut ex eo debito eodem, quod Deo solvimus etiam proximo, ad ejus computum, quod debemus, pendamus; ita ut eo amore, quem Deo debemus, etiam proximum diligamus, dummodo is ob Dei amorem diligatur. Unde S. Leo inquit : « Dilectio proximi dilectio Dei est qui plenitudi- « nem legis et Prophetarum in hac geminæ chari- « tatis unitate constituit, ut nemo ambigeret Deo « se offerre, quod homini contulisset, dicente Sal- « vatore, cum de alendis juvandisque pauperibus « loqueretur : *Quod uni eorum fecistis, mihi feci-* « *tis*; » ideoque in cunctis illis misericordiæ operibus, Deus ipse in propria persona immediate se debitorem esse agnoscit : *Hospes eram, et collegistis me; infirmus*, etc. Chrysostomus, *Hom.* LXXXII *in Matth.*, considerat, quod quando Petrum, num illum amaret, interrogavit, atque de hoc ipso trina vice rigorosum examen instituit, protinus subjunxerit : *Si diligis me, pasce oves meas.* Evidentius

enim nostri erga Deum amoris signum edere non possumus, quam proximorum dilectionem. Moyses quondam duas e monte tabulas digito Dei scriptas, deportavit, in quarum altera insculpta erant præcepta ad cultum et reverentiam Dei spectantia; in altera vero proximum concernentia; at vero strepitum populi, vitulum adorantis inaudiens protinus, *Exod.*, XXXII, 19 : *Projecit manu tabulas, et confregit eas ad radicem montis;* circa quod factum quæstio surgit : ex quo enim zelus honoris Dei contemerati eum induxit, ut tabulas illas lapideas frangeret quæ utpote manibus illis exsculptæ, quæ cunctis creatis esse suum dedere, quovis opulento thesauro pretiosiores erant, cur saltem non reservavit tabulam istam, in qua præcepta proximum concernentia, descripta erant? nihil mirum est, quod tabulam illam confregerit, in qua Deus solus adorari et coli præcipiebatur, siquidem actualiter Dei loco, bovem adorabant; at vero, quod etiam in multas partes alteram comminuerit, quæ ipsum ad hoc necessitas adigebat? *Omnia in figura contingebant*; per hoc enim docemur, quod, qui amorem in Deum amittit, per necessariam consequentiam simul etiam amittat illum, qui proximo debetur. « Quia, » ut Haymo ait, « in dilectione proximi consistit et dilectio Dei, « neque enim Deus sine proximo, nec proximus « sine Deo diligi potest. » S. Bernardus hæc duo præcepta, duabus alis alicujus avis assimilat : avi enim ad volandum unica tantum ala nequaquam sufficit, sed requiritur utraque; ita quoque : « Nul- « lus homo cum una ala poterit volare ad cœlum : « quare? quia nec sola dilectio Dei sine dilectione « proximi, nec sola dilectio proximi sine dilectione « Dei valet ad consequendam æternam beatitudi- « nem. »

Diliges proximum tuum.

5. — Carthusianus ait : « *Proximum*, id est, « quemlibet hominem in hoc mundo conversan- « tem. » Lucas Brugensis similiter ait, omnes illos proximos nostros censendos et reputandos esse, qui ex eodem nobiscum luto plasmati fuere : « Quemlibet alium hominem, quantumvis vilem, « barbarum aut incognitum tibi, etiam inimicum. » S. Augustinus in epistola quadam pariter ait : « *Proximus* sane hoc loco non sanguinis propinqui- « tate, sed rationis societate pensandus est, in qua « socii sunt omnes homines; nam si pecuniæ ratio « socios facit, quanto magis ratio naturæ, non « negotiandi, sed nascendi lege communis. »

6. — Quod si ad hoc præceptum adimplendum nullum aliud haberemus motivum, potentissimum profecto esset, quod certum esse sciamus, nos per illud omnibus aliis præceptis et legibus a cœlesti Legislatore statutis, plenissime satisfacere, *Rom.*, XIII, 8 : *Qui enim diligit proximum, legem adimplevit.* « Quæris legem, » inquit S. Bernardus; « quæ- « ris mandatum? *hoc est*, inquit, *mandatum, ut* « *diligatis invicem.* » Omnes leges naturæ, scriptæ et Evangelicæ, quas mundus unquam habuit, præter hunc amorem nihil in substantia præcipiunt : *Si quod est aliud mandatum*, inquit Apostolus, *in hoc verbo instauratur.* S. Augustinus legit : *Recapitulatur.* S. Ambrosius vertit : *Consummatur.* « *Diri-* « *ges proximum tuum, sicut teipsum*, dilectio proximi « malum non operatur; *plenitudo* ergo *legis est* « *dilectio.* » Verba hæc trutinæ superponantur et in explorato pondere invenietur, quod quisquis hoc præceptum adimplet, sancte et immaculate vivat. Filius Dei præceptum istud, suum appellat, non quia alia non sint sua, sed ut per hoc doceat, quod quoad hoc præceptum specialem a suis sequacibus obedientiam exposcat quodque hoc nobis præ cunctis aliis commendatum esse cupiat, *Joan.*, XIV, 12 : *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem.* Quando Apostolos suos per mundum dispersit, ut Evangelium annuntiarent, novam gratiæ legem promulgarent, abominabilemque idololatriam disperderent, quo, obsecro, ex signo, discipulos suos, tanquam tales, agnoscendos esse dixit; num forte ex dono linguarum, prophetiæ, miraculorum, extasium, aut vero ex conversione populorum, falsorum numinum demptione, vel exhibita in suppliciis tolerantia? Minime gentium, sed, *Joan.*, XIII, 35 : *In hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem*; multi quoque reprobi miracula fecerunt : *Discedite a me operarii iniquitatis*; sed infallibile veræ sanctitatis signum est, dilectio proximorum; ac proinde D. Chrysostomus ait : « Omissis miraculis, dilectionis eos signo notat, « quando hæc maxime sanctorum hominum indi- « cium est. » Spiritus Sanctus in forma visibili super Christum descendens, columbæ similitudinem sibi assumpsit : « Ideo autem Spiritus Sanctus « speciem columbæ suscepit, » inquit Auctor Imperfecti, *Hom.* XI, « quoniam præ omnibus anima- « libus hæc cultrix est veritatis; » pergit idem Auctor plenius demonstrare, quod omnes quidem aliæ virtutes ficte et simulate exerceri possint, sed non ista : « Habet diabolus et mansuetos et humi- « les, habet castos et eleemosynarios et jejunos; » ita etiam hic serpens astutus negotia sua dirigit, ut et sui multis virtutibus extrinsecus dotati esse videantur : « Solum autem charitatem Sancti Spiri- « tus non potest immundus spiritus imitari. » S. Pachomius olim paganus, in exercitu Constantii militans, ex charitate, quam Christiani erga ipsum exercebant, illos veræ religionis, veræque legis professores esse agnovit, quia etiam inimicis, amoris et benevolentiæ signa exhibere non omittebant, ideoque ad Christianam fidem conversus fuit. Tertullianus refert, Gentiles Evangelii sequaces, obstupescentes, ad se mutuo dixisse : « Videte, ut invicem « se diligant et ut pro alterutro mori sint parati; »

ex hac enim adeo ferventi et mutua dilectione, Deum illis adesse cognoscebant, id S. Joannes attestatur, dicens : *Si diligamus invicem, Deus in nobis manet et charitas ejus in nobis perfecta est.* I *Joan.*, IV, 12.

7. — Enimvero quam anxie Deus nobis hunc mutuum amorem inserere studuerit, facile dici potest ex modo, quem in nostra creatione observavit, siquidem plantis et animalibus ipsemet in propria specie individuorum multiplicitatem creavit; homo autem unicus et solus creatus fuit : *Faciamus hominem*, inquit in numero singulari; cur obsecro non omnia naturæ humanæ individua simul creavit sicut in natura angelica fecerat; cur uni soli homini esse suum dedit, ejusque propagationem tot sæculis diutissime distulit? nimirum ut solus ille genus humanum in universa terra propagaret. Verum ulterius quærendum restat, cur, qui unicum duntaxat hominem creare volebat, unicam tantum mulierem ei assignavit, quando ad humanam generationem citius propagandum multas creare, eique in conjuges assignare poterat? Dubium hoc jam dudum a S. Petro Damiano motum fuit, hisce verbis : « Cur Deus in principio unum solummodo « creaverit hominem? » imo considerandum insuper quod mulierem ex costa viri desumpserit : « Ex « quo nimirum tanquam deesset materia figulo, « muliebrem quoque sexum voluit propagare; » quæ omnia Deus hominis plasmator facere voluit, ut nobis in hac natura nostra unionem insinuaret et dilectionem, ut videlicet posteri se omnes ab uno patre et una matre descendere agnoscentes, se mutuo tanto ardentius amarent : « Ut charitatem « hominibus commendaret et in fraterni amoris « unitate connecteret, quatenus propriæ origini « congruentes nequaquam diversi resilirent mente, « qui unum probarentur ex corpore. »

8. — S. Augustinus ait : « Ex uno Deus voluit « omnes homines pendere, ut in sua societate non « sola similitudine generis, sed etiam cognationis « vinculo tenerentur. » Hoc argumento Deus apud Malachiam, II, 10, usus est adversus illos, qui proximos suos contemnebant : *Numquid non pater unus omnium nostrum? numquid non Deus unus creavit nos? quare ergo despicit unusquisque nostrum fratrem suum?*

Sicut teipsum.

9. — Qualiter hæc propositio intelligenda sit, S. Thomas his verbis declarat, dum ait : « Non « intelligitur quantum teipsum, quia hoc esset « contra ordinem charitatis, sed *sicut teipsum*, vel « eo modo quo teipsum, quia non te debes diligere « propter te, sed propter Deum, sic etiam proxi- « mum. Item in te, quod teipsum diligis, diligis te « in eo, in quo vis tibi bonum, et tale bonum, quod « sit secundum te, et legem Dei, et hoc est bonum « justitiæ; sic etiam et proximo debes optare bo- « nam justitiam, unde debes eum diligere, vel « quia justus est, vel quia justus fit. » Hunc sententiæ S. Thomæ, conforme est, quod Dionysius Carthusianus super hoc Evangelium scribit : « *Sicut teipsum*, » inquit, « spirituali amore, de- « siderando ejus salutem et cooperando ei ad « illam. » Cajetanus ad hoc se reflectit, quod in sacris Canticis, II, 4, sponsa, per quam anima justa intelligitur, de cœlesti amatore suo dixit, nimirum : *Ordinavit in me charitatem*, quodque Salvator noster ideo non dixerit : « *Quantum te-* « *ipsum*, quin quadrat ordini naturæ, amoris, ac « charitatis, ut plus diligam me, quam proximum; « sed dicit, *sicut*, hoc est, eo modo, quo diligis te. » Quonam vero modo et quo fine proximus diligendus sit, sequentibus nos verbis docere pergit, dum ait : « Amice amicabiliter; præcipitur enim ut diligas « proximum, propter bonum ipsius proximi et non « propter tuam utilitatem, sicut diligis teipsum, « propter te ipsum; diligere enim proximum « propter teipsum, non est diligere proximum, « sed est diligere teipsum; est enim dilectio con- « cupiscentiæ, non amicitiæ; » et ideo quidquid nobis volumus, nostris quoque proximis desideraro et procurare debemus, juxta illud, *Matth.*, VII, 12 : *Omnia quæcumque vultis ut faciant vobis homines et vos facite illis; hæc est enim lex et Prophetæ*. Unde et S. Augustinus ait : « Ea est regula « dilectionis, ut quia homo vult sibi bona prove- « nire et proximo velit, et quæ sibi accidere mala « non vult et illi nolit. »

10. — Observandum est autem Christum hoc dilectionis præceptum, velut novum promulgasse, cum tamen in lege veteri præceptum fuerit; porro ut Maldonatus refert, Patres Græci ideo Christum hoc præceptum novum appellasse communiter dicunt, quia licet in veteri Testamento nobis quoque præceptum fuerit, ut proximum nostrum sicut nos ipsos diligamus, in novo tamen ulterius præscribitur, ut ipsum plus quam nos adamemus, siquidem Christus non modo dicit : *Ut diligatis invicem*, sed insuper modum subjungit : *Sicut dilexi vos;* Christus autem amat nos, licet inimici ejus simus, tametsi ingrati, innumeris demeritis amore hoc minime digni simus, etiamsi nulli rei adeo studeamus quam ut ipsum offendamus et indigne tractemus; in hoc igitur Christus a nobis imitandus est, ut licet proximi nostri amorem nostrum non mereantur, licet male ab iis habeamur, licet in nos ingratissimi existant, non tamen ob id a benefaciendo ipsis desistamus, *Matth.*, V, 46 : *Si diligitis eos, qui vos diligunt, nonne et Publicani hoc faciunt?* inquit Redemptor noster, *et si salutaveritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis, nonne et ethnici hoc faciunt?*

11. — Post est hoc quoque loco perpendi, præ-

dictis verbis alium quemdam proximos amandi modum nobis præscribi; nemo enim bene sibi velle desinit, licet multis propriis defectibus et vitiis se obnoxium esse videat, ita pariter fratres nostri nobis amandi sunt, licet vitiosi et defectuosi existant, dirigendo oculum nostrum in eum, qui hoc præcipit, recognoscendo quoque in ipsis Dei imaginem et consequenter defectibus eorum compatiendo, eosque excusando.

Additiones.

a. — *Secundum autem simile est huic : Diliges proximum*, etc. Addubitant Interpretes, an responsum idonee interrogationi respondeat? Legisperitus de primo et maximo præcepto interrogat, non de secundo : ergo inidoneum forsan alicui videri posset, quod secundum etiam Salvator tradat, cum de primo et maximo Legisperitus duntaxat interrogat. Percommode S. Augustinus sic dubio satisfecit, *lib.* I *de Doctr. Christ.*, XXVI : « Cum enim præcurrat « dilectio Dei, sequitur dilectio proximi, ut eum « sicut teipsum diligas, simul et tui ab te dilectio « prætermissa non est. » Scilicet novus in terris de cœlis schola Magister consultissime captat occasiones, quo te doceat virtutum consequentias, et erudiat quod tunc nequaquam te diligas, cum peccas. Qui enim mortaliter peccat, odit animam suam. Abulensis inter alias quæstiones, sequentem quoque ventilat, scilicet : « An peccatores diligant « seipsos? » Et sine ulla hæsitatione negative respondet, inquiens : « Dicendum quod mali non « amant seipsos, quia qui non amat animam suam « non amat seipsum. Mali autem non solum non « amant animam suam sed eam oderunt : *Qui enim « diligit iniquitatem odit animam suam. Psal.* X, 6. « S. Antoninus pariter ait : « Clare Sacra Scriptura « testatur quia peccatum facit hominem sibi ipsi « inimicum et odiosum. Non enim majus odium et « inimicitia potest ad aliquem demonstrari, quam « cum quis illum occidit et vita privat, quod est « maximum bonum in temporalibus bonis sed ut « dicitur, *Sap.*, XVI, *per malitiam*, scilicet peccati, « *occidit homo animam suam*, quia, scilicet, privat « eam vita gratiæ, si peccatum mortale est, quod « excedit incomparabiliter temporalia et natura- « lia. » S. Augustinus dictum Psalmistæ, *Psal.* X, 6 : *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam*, ita declarat : « Non ei cui credit Deo, sed tantum animæ « suæ nocet dilector iniquitatis; » ac proinde indubitatum hoc statuit axioma : « Nemo malus qui « sibi non prius noceat. » Cornelius a Lapide, de damnis quæ nobismetipsis per peccatum accersimus hunc in modum discurrit : « Etsi omnes Angeli « boni et mali, omnesque creaturæ, atque adeo « Creator ipse in te conjurassent, omnemque affli- « gendi potestatem in te expromere statuissent, « nequaquam tantum tibi nocere, etiam de abso- « luta potentia, possent, quantum ipse tibi noces, « dum unum peccatum, etiam veniale tantum « admittis. » Abulensis nonnullas adducit rationes, quibus impios semetipsos non diligere probat, dicens : « Mali non vere diligunt se ipsos, quia « non volunt conservare integritatem interioris « hominis; neque appetunt bona spiritualia ejus, « neque operantur ad hoc, neque est eis delectabile « convivere sibi ipsis, redeundo ad proprium cor, « quia non inveniunt ibi nisi mala quæ abhorrent, « præsentia quæ cogitant, præterita quæ egerunt, « futura quæ timent se facturos et passuros, et est « dissensio, neque concordant sibi ipsis propter « conscientiam remordentem. » Pater Alvarez magnus spiritualis vitæ director, talem hac de re texit discursum : « Si quis seipsum diligere nescit, et in « sui amore fallitur, in sui dilectione decipitur, et « putans seipsum amare, seipsum odit et perdit. « Curans amare proximum sicut seipsum, revera « non illum amabit, sed odio habebit et perdet « tanquam seipsum. Ut ergo quis diligat seipsum, « primo odio habeat omne peccatum, et omnem « iniquitatem necesse est. Si enim amat iniquitatem « et vult eam inesse sibi, procul dubio nimis odit « se; et si amat, non jam crimina, sed peccata « leviora et patitur ea sibi inesse, licet ea non tam « vehementer et desperanter, tamen etiam aliquan- « tulum odit se; odisse namque aliquem, ut omnis « schola proclamat, est velle malum illi, ut malum « illius est. Si ergo quis vult sibi magnum malum, « scilicet iniquitatem et grave crimen, ut falsum « bonum, atque adeo ut verum malum, non dubium « quin se ipsum nimis odit; et si vult sibi minus « malum scilicet vitam tepidam et imperfectam, et « in sterquilinio innumerabilum imperfectionum « jacet, certum est quia seipsum odio habet; unde « in Psalmo scriptum est : *Qui diligit iniquitatem, « odit animam suam.* »

b. — Proximi nostri sunt omnes homines, secundum naturalem Dei imaginem, et secundum capacitatem gloriæ, ut docet D. Thomas, II, II, q. XLIV, *art.* 7. Modus vero dilectionis indicatur : *Sicut teipsum*. Ut quemadmodum teipsum diligis, vere et sincere bonum tibi volendo, ac procurando, malum vero nolendo et avertendo propter tuum ipsius bonum, simili modo te debes erga tuum proximum exhibere, zelando ejus animæ salutem; quem zelum Jesus commendat his verbis : *Diliges proximum tuum*. D. Hieronymus Rustico scripsit rationes aliquas urgentes quæ et nos merito ad hunc zelum exstimulare deberent : « Perspicuum « est, » inquit, « si negotiatores sæculi tanta susti- « nent, ut ad incertas perituraque divitias perve- « niant, et servent cum animæ discrimine, quæ « mullis periculis quæsierunt; quid Christi negotia- « tori faciendum sit, qui venditis omnibus, quærit « pretiosissimam margaritam, qui totis substantiæ

« suæ opibus emit agrum, in quo reperiat thesau-« rum quem nec fur effodere, nec latro possit « auferre? » Omnis hic bene expenditur et impenditur labor, crucis et adversitatis sufferentia, dum Filius Dei pro animarum salute triginta tres annos vitæ suæ expendit in labores, cruciatus et ærumnas. Ponderate hæc S. Bernardi præclara verba : « Ipse « diligit vos tanquam viscera sua, tanquam fruc-« tum pretiosissimum crucis suæ, tanquam dignis-« simam recompensationem effusi sanguinis sui. » Qui animam pretio sanguinis sui censuit dignam, illemet est, de quo scriptum est : *Spirituum ponderator est.* Non potest ille falli, nec decipi, siquidem S. Joannes ait : *Ipse enim sciebat, quid esset in homine.* Et S. Augustinus, *in Psal.* cii, scribit : « Nemo fallit Redemptorem tuum ; egit enim « hic commercium, pretium solvit; sanguinem, « inquam, fudit unicus Filius Dei pro nobis. O « anima, erige te : tanti vales! » Quia Filius Dei dedit vitam suam, num difficile nobis videbitur impendere labores, et sustinere adversitates pro eodem lucro? Totus in nos sæviat infernus, corpus damnificari poterit, at non animam, puta innocentem. Sic quoque si ad salvandam animam proximi perdamus corpus, neque est quod timeamus infernum, quia a Deo recipimus remunerationem, animum quod amore Dei salvando animam proximi, propriam pariter salvemus.

Versus 40.

In duobus mandatis universa lex pendet et Prophetæ.

1. — « Id est, » ut glossa Interlinearis inquit, « ad hæc duo refertur totus Decalogus et monita « Prophetarum ibi finem habent. »

2. — Lyranus ad id explicandum, similitudinem adducit materiarum speculativarum, in quibus omnes conclusiones a principio dependent : « De quo-« libet affirmativo vel negativo, sic in operabilibus « dependent omnia ex dilectione Dei principaliter, « et consequenter ex dilectione proximi; propter « hoc omnia mandata legis et monitiones, non « sunt nisi quædam explicationes istorum duorum « mandatorum, quia omnia ordinantur ad dilectio-« nem Dei et proximi. » Cajetanus hanc propositionem evidentem esse demonstrat, quod scilicet, quidquid in legibus præscribitur et in Prophetis legitur, ordinatum sit ad dilectionem Dei et proximi; Dei quidem : « Quia in hoc clauduntur omnia, quæ « sunt fidei, spei, religionis et morum; proximi « vero, quia et in hoc clauduntur, quæ sunt justi-« tiæ, observantiæ, veritatis, amicitiæ, misericordiæ « et similium. » Lucas Brugensis verborum illorum : *In his duobus mandatis*, etc., hunc dicit esse sensum : « Eorum omnium, quæ lex et Prophetæ « jubent, cavent, ordinant, statuunt, movent, do-« cent, subductis rationibus hæc est summa; dili-« gendum ab homine pro omnibus Deum et proxi-« mum sicut seipsum : hæc est totius legis epitome. »

3. — Opportune quoque circa hæc verba ponderanda est prærogativa quædam, quam nos Evangelicæ legis fideles præ Hebræis habemus, quibus ponderosum illud legis Mosaicæ jugum impositum fuit, quod S. Petrus, *Act. Ap.*, xv, 10, merito appellat *jugum, quod neque nos, neque patres nostri portare potuimus*; quia quæ in ea continebantur præcepta moralia, judicialia et cæremonialia, ad numerum sexcentorum tredecim ascendebant; horum autem omnium substantiam Salvator noster uni tantum præcepto dilectionis sapientissime inclusit; quia tametsi dicat : *In his duobus mandatis universa lex pendet*, attamen ambo ad unicum solum restringuntur, teste Apostolo, *Rom.*, xiii, 8, dicente : *Qui diligit proximum, legem implevit.* De Naaman Syro Scriptura refert, quod, cum se in Samariam recepisset, ut a lepra curaretur, Eliseo indignatus fuerit, eo quod ab illo debita cum reverentia non reciperetur, jubereturque Jordanem adire, in eoque septies se lavare; unde ad suos demum reverti decreverat, dicens : *Numquid aquæ magis salutares nobis erant in Damasco?* quem proinde aliqui aulicorum, ei familiariores, accedentes, ita sunt allocuti : *Pater, etsi rem grandem dixisset tibi Propheta, certe facere debueras, quanto magis, quia nunc dixit tibi : Lavare et mundaberis?* quibus verbis Naaman permotus, Prophetæ jussibus facile acquiovit, eaque executus sanitatem recepit. Homo a Deo creatus est, ut cœlo potiretur, quia vero peccati lepra infectus fuit, pedem ei inferre nequit; quia nil coinquinatum intrabit in regnum cœlorum; quid igitur remedii, ut ab hac lepra curaretur? *Lavare septies in Jordane*; etenim Dei Filius in Ecclesia sua Sacramenta instituit, velut instrumenta ad conferendam gratiam, ordinavitque, ut per legis suæ observantiam, æternam consequeremur beatitudinem : *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*; at vero num tibi hæc observantia difficilis esse videbitur : *Etsi rem grandem dixisset tibi, profecto facere debueras, quanto magis, quia nunc dixit tibi : Lavare et mundaberis?* quod si Deus ad animam, ab hac peccati lepra mundandam, ad consequendum finem nostrum, ad fruendum Deo in sempiternum, ad evadendam pœnarum infernalium atrocitatem præcepisset, ut tota vita nostra vivos nos sepeliremus in eremis, ut vestiremur cilicio, ut in pane et aqua jejunaremus, profecto facere debueras; quia agitur de securitate æternitatis beatæ et evadenda pœnarum æternitate, quanto magis, quia nunc dixit tibi : *Lavare et mundaberis?* quanto æquius et justius est, ut in præcepti alicujus adeo facilis, quale est amoris, adimpletionem condescendas? amesque objectum adeo dignum, a quo tot es beneficiis præventus, Deum videlicet, creatorem et redemptorem tuum, qui in hujus dilectionis præ-

mium, nos regni sui participes facere voluit? S. Thomas de Villanova proinde ait : « Attendite, « fratres charissimi, attendite et videte qualia præ-« cepta nobis injungit Deus noster; non aspera et « difficilia, non gravia et importabilia, non lacerare « carnes verberibus, non pedibus nudis super fer-« reos tribulos ambulare; sed quid? *Diliges*, inquit, « *Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota « anima tua, et proximum tuum*; » nihil sive facilius sive delectabilius dari, aut imaginari sibi quis potest, quam amare. Unde eruditissimus Idiota, de divino amore scribens, ait : « Amor facilis res est, « omnibus se exhibet, nulli se negat, capit cum « juvenis et senex, vir et mulier, dives et pauper, « summus et infimus, liber et servus, sæcularis et « religiosus, debilis et fortis, nec est qui se valeat « excusare. »

4. — Inter alias, quæ Propheta Evangelicus de nobis Christianis prædixit prærogativas, una hæc fuit, *Isa.*, x, 27 : *In illa die computresceet jugum a facie olei*; oleum autem rotas expeditius currere facit, tametsi igitur collum jugo legis gratiæ onustum habeamus, hoc tamen charitatis oleum facilem et expeditum cursum nobis præbet : *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum. Ambulabam in latitudine.* Unde S. Gregorius Nyssenus ait : « Induamur vincula charitatis, tale jugum non « detractemus, suave est, leve est, subeuntis vicem « non atterit, sed demulcet. » Jugum hujus legis graviter ponderat, dum homo se ab eo conatur subducere, *Sap.*, v, 7 : *Lassati sumus in via iniquitatis, ambulavimus vias difficiles*; at vero prona voluntate nos illi submittimus, ab eo nos recreari experimur, *Matth.*, xi, 28 : *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos; tollite jugum meum super vos, jugum meum suave est, et onus meum leve*; qui amat, non laborat, ut communiter dicitur. Quodnam igitur ad exonerandum nos ab onere peccati, facilius hoc amore remedium invenire poterit? Optime enim Chrysologus, *Serm.* xciv, ait : « Teneræ militiæ, delicati conflictus est, « amore solo de cunctis criminibus reportare victo-« riam. » *Posuisti in loco spatioso pedes meos*, inquit David, *Psal.* xxx, 9, ubi S. Augustinus refutat eos, qui hanc mandatorum viam dicunt esse difficilem, dum ait : « Certe angusta via est, » quibus autem angusta sit, mox declarat, inquiens : « Laboranti « angusta est, imitanti lata est. »

Additio.

a. — *In his duobus mandatis universa lex pendet et Prophetæ.* Multis pervestigant hujus loci interpretes, quomodo, quod universa lex præcepit de sectandis virtutibus, fugiendisque vitiis, et quod Prophetæ prædicunt de credendis mysteriis, id totum ex dilectione Dei et proximi dependeat? Multos torsit hæc difficultas compendio insinuata, quam Zeno Veronensis, his verbis argute dissolvit, *Serm. de continentia* : « Quia virtus voluptates « semper offuscat; nihilque unicuique nisi quod « amaverit rectum est. » Nimirum, quisquis ita benevole erga Deum affectus est, ut eum ex toto corde diligat, quidquid mandatorum lege jusserit, quidquid mysteriorum per Prophetas prædixerit, id totum etsi perarduum sit, amplectetur, nec quidquam diversum censebit jure sectandum; sed Dei amorem continuo zelabit. Zelus enim qui suam radicem amori infixam habet, ille vel maxime zelotem constituit, et defensorem honoris Dei. Sacri interpretes rationem ob quam Deus nominetur zelotes, *Exod.*, xx, 5 : *Dominus tuus zelotes*, reddunt quia nimirum tenerrime amat animas nostras, et a nobis vicissim totum exigit amorem : *Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex omnibus viribus tuis.* Zelotypus est; non vult ut loco ejus ullum alium diligamus; non permittit ut alteri cuiquam cordis nostri impendamus affectum. « Dicitur zelotes, id est, zelum tenens, » exponit Tostatus. « Zelus autem est amor privatus, « nolens habere consortium in amato; et sic viri « dicuntur habere zelum de uxoribus suis, quia « volunt quod uxores suæ solos illos ament. Sic « etiam Deus volebat quod Judæi eum solum cole-« rent, et eum ut Deum cognoscerent, et quando « alius coleretur ut Deus, vel cognosceretur ut « Deus, dolebat, tanquam si videat uxorem suam « amantem alium virum. » S. Bernardinus docet quoque zelum esse amoris partum, cum scribit : « Inflammatus affectus est zelus constantissimus. « Est enim zelus amor excandescens, atque iras-« cens contra ea, quæ sunt contraria suo amato, vel « suo amori. Cum enim duplex sit amor, scilicet « Dei et proximi, atque in his duobus mandatis « tota lex pendeat, sicut dicitur, *Matth.*, xxii, hinc « est, quod in quolibet inflammato affectu, debet « esse duplex zelus : primus honoris et gloriæ Dei, « secundus salutis proximorum. Primus zelus est « honoris Dei, quo mens sancte irascitur et excan-« descit, quod Deus non cognoscitur, non diligitur, « non timetur, non debitis officiis, nec servitiis « honoratur. » Quando quis sincero corde amat aliquam personam dignam et virtute præditam, sufferre non potest, ut illa male tractetur, inhonoretur, vilipendatur, aut quomodo quodcumque aliud malum patiatur; sed optaret ut omnes illam certatim venerarentur et cuncta ei deferrent obsequia : « Deus sancte irascitur et excandescit. »

Versus 41.

Congregatis autem Pharisæis, interrogavit eos Jesus, dicens.

1. — Consideranda hic est ingens Salvatoris benignitas, bonum ex malo elicientis; etenim in-

vidia et malignitate pharisaica, qua ipsum per propositam ei interrogationem apud populum confundere nitebantur, usus est ad dandam illis perfectam divinitatis suæ notitiam, dicens, *Joan.*, III, 9 : *Quid vobis videtur de Christo?* quibus verbis, quantum ex parte sua erat, ignorantiæ ipsorum tenebras illuminare voluit : *Sed dilexerunt magis tenebras quam lucem;* hæc autem notitia tanto illis opportunior erat, quanto certius se eadem septimana ab iis crucifigendum esse sciebat; hic autem inexcusabilis eorum error erat, quod tunc huic notitiæ indilate cooperati fuerint, quia *si cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent,* I *Cor.*, II, 8; felices profecto futuri si hoc lumen ultro admisissent, quia *hæc est vita æterna, ut cognoscant te. Joan.*, XVII, 3.

Additio.

a. — *Congregatis autem Pharisæis, interrogavit eos Jesus.* In eam finem congregantur Pharisæi, ut Jesu sapientiam despicerent et deprimerent, ut patet ex *Marc.*, XII, adeoque ex malo calumniandi fine accesserunt. Sed summa Christi pietas ex ipso concursu Pharisæorum, sumit occasionem ad eos instruendos de Messiæ persona, excellentia ac dignitate. Ita ait D. Hieronymus : « Qui ad tentandum « Jesum fuerant congregati, et veritatem fraudu« lenta interrogatione carpere nitebantur, occasio« nem præbuerunt confutationis suæ, » et excellentissimæ Christi doctrinæ. Soli enim Christo Deo proprium est, ex malis elicere bona, et odium dæmonis ejusque tentationes, in majus nostrum convertere bonum. Quod ex bono eliciatur malum, diaboli opus est, qui ad inhonestas illas distractiones, quando auscultatur Missæ sacrificium, instigat et collaborat, ut eleemosyna, ab initio ex motivo charitatis exhibita, ordinetur postea ad incontinentiam, et sic de aliis; verum quis alius præter Deum ex malis bonum elicere potest? « Judicavit de malis « bona facere. » Unde ait S. Petrus Damianus : « Ecclesia Catholica per totum orbem valde lateque « diffusa, omnibus errantibus utitur ad perfectus « suos; gentibus scilicet ad operationis suæ mate« riam; hæreticis ad probationem doctrinæ suæ; « schismaticis ad documentum stabilitatis suæ; Ju« dæis ad comparationem pulchritudinis suæ. »

S. Prosper ostendit nobis utilitatem quam Dei adjuvante gratia, ex tentationibus percipere possumus, dicens : « Ad magnam utilitatem fidelium « materia est certaminis, ut non superbiat sancti« tas, dum pulsatur infirmitas. Nemo tam perfectus « et sanctus, qui non habeat aliquando tentatio« nes; et plane eis carere non possumus. Sunt ta« men tentationes homini sæpe valde utiles, licet « molestæ sint et graves, quia in illis homo humi« liatur, purgatur et expolitur. Nescimus sæpe « quid possumus; sed tentatio aperit quid su« mus. » Beatus Laurentius ait : « Procul dubio « tentatio est quæ non solum hominem perficit, « verum etiam divinæ providentiæ thesauros pate« facit. »

Versus 42.

Quid vobis videtur de Christo? cujus filius est? dicunt ei David.

1. — S. Thomas hanc interrogationem difficilem pariter et congruam fuisse notat : « Difficillima, quia « habetur, *Isa.*, LIII, 8 : *Generationem ejus quis enar« rabit?* Erat et congrua, quia habebant opinionem, « quod esset purus homo, et non credebant ipsum « esse Deum; » quod si ipsum talem credidissent, non utique illum tentassent, hoc enim præcepto Dei relato contrarium fuisset, scilicet : *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Albertus Magnus vocem *vobis* considerans : « *Vobis,* » inquit, « qui scientiam pro« fitemini et religionem, » erant enim Pharisæi apud Judæos, quod apud nos sunt Religiosi reformate viventes, qui spiritualis vitæ et doctrinæ sacræ magistri existunt. *Malac.*, II, 7 : *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam et legem requirent ex ore ejus,* et ideo præter bonitatem scientia quoque possidenda est.

Cujus filius est.

2. — « Causa interrogationis fuit, » inquit Albertus Magnus, « quia Christum dicebant venturum « et præsentem Filium Dei esse confiteri nolebant; » ad quod probandum, textum illum Joannis, X, 33, adducit, ubi dicebant : *Nos de bono opere non lapidamus te, sed quia tu homo cum sis, facis te ipsum Deum.* Chrysostomus hanc interrogationem hoc tempore valde opportunam fuisse notat : « Nam « quoniam ad passionem jam iturus erat, eam pro« phetiam in medium adducere voluit, quæ aper« tissime Dominum ipsum esse prædicat. »

3. — Paulus de Palatio aliam quamdam hujus factæ interrogationis congruentiam notat, reflectens se ad paulo ante inculcatum dilectionis præceptum; ait enim : « Equidem jure duobus maximis manda« tis quæstio hæc adjuncta est, ut intelligamus « Christum esse Filium Dei et hominis, ut hoc « unicum nos ad Dei et hominis dilectionem ascen« dat; quis enim non amet Deum propter homi« nem factum? »

4. — Jansenius hunc discursum, cum Pharisæis habitum, non modo Judæis illius temporis, sed etiam qui his temporibus vivunt, proficuum fuisse notat : « Siquidem et hi suum Christum, quem « adhuc venturum exspectant, putant tantum fore « purum hominem, nec alia re magis abhorrent a « Christianorum fide, quam quod ea prædicet, « Christum hominem vere etiam esse Deum, quasi « hac ratione multos colamus deos, contra illud, « quod in Scriptura toties dicitur, unum esse « Deum. » Verum quidem est, quod Messiam Filium Dei appellabant; unde Caiphas summus Sacerdos, Christum interrogans, *Matth.*, XXVI, 63, ait : *Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis si tu es Christus, Filius Dei vivi.* Intelligebant quoque ex Psalmo secundo, vers. 7, Messiam hoc titulo nominandum esse : *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu.* Et alibi, *Psal.* LXXXVIII, 27 : *Ipse invocabit me, Pater meus es tu, Deus meus et susceptor salutis meæ. Et ego primogenitum ponam illum, excelsum præ Regibus terræ;* at vero his, aliisque Scripturæ textibus, ut ait Jansenius, « intelligebant fore Filium Dei, singulari « quadam et eximia præ aliis electione et adoptione « divina. »

Dicunt ei, David.

5. — S. Thomas considerat quod cum in Christo divina pariter et humana generatio fuerit, ipsi ad hanc secundam responderint, de qua prædictum erat, *Jerem.*, XXV, 5 : *Suscitavit David germen justum.* Et *Rom.*, I, 3 : *Qui factus est ei ex semine David, secundum carnem.*

6. — Valde congruenter ipsum filium David nominarunt, de quo dicitur : *Memento, Domine, David, et omnis mansuetudinis ejus;* quia cum jure merito Salvator malitiæ pharisaicæ indignari debuisset, ipsis potius vel maxime benefacit per salutares instructiones et per notitiam divinitatis suæ, quam illis dare satagebat, licet ipsi hac ejus bonitate abuterentur.

Additio.

a. — *Quid vobis videtur de Christo? Cujus filius est?* Varias insidias, quas Pharisæi Christo struebant, diabolicæ militiæ argumenta erant, quas ex eo capite ortas existimat S. Chrysostomus quod eum ut purum hominem consideraverint. Unde citatus a D. Thoma, in *Catena,* ait : « Judæi æsti« mantes, Christum esse hominem purum, eum « tentabant. Nec enim tentassent si Filium Dei « credissent. Volens ergo Christus ostendere quod « cognoscebat fallaciam cordis eorum, et quia Deus « erat, non manifeste voluit dicere veritatem, ne « occasionem blasphemiæ invenientes, Judæi am« plius insanirent : nec omnino tacere, quia ad hoc « venerat, ut veritatem annuntiaret; ideo talem « interrogationem eis proposuit, ut ipsa interro« gatio eis ostenderet quis esset. » Atque ita a blasphemiis, quos in Christum jactabant, aliisque maledicentiis avocarentur. Nam qui Dei notitiam habet, illum offendere nequit, et ideo peccator peccare volens Deum a se repellit. S. Joannes Apostolus mendacii redarguit illum qui notitiam Dei se habere profitetur et tamen, eodem tempore, divina ejus præcepta prævaricatur, I *Joan.*, II, 4 : *Qui dicit se nosse Deum, et mandata ejus non custodit, mendax est, et in hoc veritas non est.* Ipse enim a Deo illuminatus, impossibile esse censebat, quod is, qui Deum agnoscit, eumdem simul offendere queat. Ejusdem quoque mentis fuit virgo illa, quæ ut Cornelius a Lapide scribit, moriens dixit : « Discedo « ex hoc mundo, cum hac sola incapacitate, quod « nequeam comprehendere, quomodo creatura « possit deliberate committere peccatum mortale, « contra suum Creatorem, quem ut talem agno« scit. » Cœlius Rhodiginus refert de Socrate, eum suis discipulis, cunctisque aliis, hanc propositionem asserere et insinuare fuisse solitum, scilicet : « Nemi« nem scienter peccare. » Verum quidem est Prophetam Regium, de quo dicitur sedens in cathedra sapientissimus, in enormia adulterii et homicidii peccata fuisse lapsum; verumtamen advertendum est idipsum ab eo ignoranter et insipienter fuisse factum; unde postea dixit : *Putruerunt et corruptæ sunt cicatrices meæ;* quæ verba explicans S. Basilius inquit : « Insipientiam stultum suum factum nomi« nat, ab insipientia procedens; omne enim pecca« tum per stultitiam fit. » D. Chrysostomus, *Hom.* XLIII *in* I *ad Cor.*, ait : « Quid erat David sapientius, « qui dicebat : *Incerta et occulta sapientiæ tuæ « manifestasti mihi?* Sed quando injustis oculis vidit « uxorem militis, tunc dicebat, id sibi accidere, « quod iis qui navigant in mari furente : *Omnis « sapientia mea absorpta est.* Quamobrem dicebat : « *Putruerunt et corruptæ sunt cicatrices meæ.* Non « sapit ergo, nec mentem habet qui peccat; est « enim ebrius et ejus caligant oculi. »

Impii apud Sapientem, licet inviti et inutiliter confessi sunt, causam præcipitii sui, per quod in æternum perditionis barathrum prolapsi sunt, hanc unicam fuisse quod scilicet lumine divino fuerint destituti. Dixerunt enim : *Ergo erravimus a via veritatis, et justitiæ lumen non luxit nobis, et sol intelligentiæ non est ortus nobis.* Sed eheu! quid dicitis o impii? Nec sol intelligentiæ vobis est ortus? Numquid Psalmista veridicum hoc contra vos perhibet testimonium : *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine?* Et alio in loco : *Non est qui se absondat a calore ejus?* Respondetur verissimum quidem hoc esse; non tamen sufficere, quod sol nobis luceat, suisque radiis ils domum nostram penetrare satagat, quando nos ei, ne ingredi possit, occludimus fenestras. Psalmista ait : *Noluit intelligere, ut bene ageret.* De impio autem totaliter contrario dici potest : *Noluit intelligere ut male ageret.* Priusquam enim peccatum committat; ad objectum adversus quod armatur, se minime reflectit : *Si enim cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent.* I *Cor.*, II, 8. Hæc igitur est causa exterminii innumerabilium animarum, quia *desolatione desolata est omnis terra, quia nullus est qui recogitet corde.*

Versus 43.

Ait illis : Quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum, dicens : Dixit Dominus, etc.

1. — S. Thomas super hæc verba scribit quod in lege Mosaica patrem filio majorem esse manifestum erat, ideoque Christus loquebatur consequenter, dum ait, quod filius proprii patris dominus esse non possit : *Ergo vel Christus non est filius David, vel in eo est aliquid majus David, cum vocet eum Dominum*; ad objectionem vero, quam facere poterant, quod David id dicens deceptus fuisset, respondet : *In spiritu vocat eum Dominum*, « id est, « ut Dionysius Carthusianus ait, « inspirante et « docente Spiritu Sancto, vel in spirituali et pro- « phetali intuitu, » idque ut Albertus Magnus ait : « Ne putetur humana esse deceptio. » S. Thomas in hoc Psalmi textu tria ponderat : « Primo, præe- « minentiam ad Sanctos : *Dixit Dominus Domino « meo, sede a dextris meis*; secundo, æqualitatem ad « Patrem : *Sede a dextris meis*; tertio, dominium « super rebelles : *Ponam inimicos tuos, scabellum « pedum tuorum.* » S. Anselmus ait : « Vocat *Domi- « num*, quod revera est secundum Deitatem; quo- « modo ergo filius ejus est secundum carnem? » Auctor Imperfecti idem quoque perpendit, *Hom.* XXIV, dicens : « Numquid poterat Dominus ejus « esse, qui ex eo fuerat nasciturus? »

2. — Cajetanus pro horum verborum notitia inquit : « Vera solutio quæstionis est, quod Messias « habet utramque conditionem, scilicet quod sit « filius Davidis et quod sit Dominus Davidis; filius « est, secundum quod homo; Dominus secundum « quod Deus. » Pharisæi autem in Messiæ unica persona duas diversas naturas, humanam scilicet et divinam uniendas esse ignorabant, ac proinde hallucinabantur.

3. — Sciendum vero est, *sedere* illud non esse de sessione corporali intelligendum, et ideo Albertus Magnus, *in Matth.*, ait : « In sede æqualitatis secun- « dum divinam naturam et secundum humanam « in potioribus bonis. » Dionysius Carthusianus ait : « Id est, mecum regnando, esto mihi æqualis, « unde ad Hebræos Apostolus de Christo dicit : *Qui « cum sit splendor paternæ gloriæ, sedet ad dexteram « majestatis in excelsis.* Secundo, quantum ad Christi « humanitatem : *Sede a dextris meis*, id est, præ « cunctis creaturis esto mihi vicinior et in potiori- « bus bonis meis consiste. » S. Remigius ait : « Non « est intelligendum, quod Deus corporeus sit, ut « dexteram vel sinistram habeat, sed « dextris Dei « sedere, est in honore et æqualitate paternæ dig- « nitatis manere. »

4. — Quinam hi inimici sint, Lucas Brugensis declarat, dicens : « Eos, qui tibi adversantur, qui- « cumque illi sint, reges, populi, regna, imperia, « Judæi, Gentiles, Turcæ et alii quicumque; « sic divina justitia Valerianum Imperatorem, truculentissimum Christiani nominis persecutorem punivit, dum ipsum Saporis Regis Persarum mancipium fecit, qui equum conscensurus, eo tanquam scabello usus fuit. Dionysius Carthusianus ait : « Id est, omnes reprobos tibi subjiciam, quod erit in die « judicii, a principio quippe incarnationis Filii Dei, « data est Christo homini omnis potestas in cœlo et « in terra, quantum ad potestatis hujus passio- « nem. »

Additio.

a. — *Quomodo ergo David vocat eum Dominum?* Christus his verbis eorum ignorantiam ac insipientiam arguit; scilicet eorum peccata, quæ admittebant, tum erga se, tum quod legerent Scripturas, nec ut decet Doctores, intelligerent et penetrarent, ne eisdem conformiter de Christo sentire cogerentur. Peccatum enim ignorantia vocatur ob defectum notitiæ ipsius Dei. Propheta Regius, licet de se gloriatus fuerit dicendo : *Super senes intellexi*; licet quoque eidem omnes increatæ Sapientiæ thesauri aperti fuerint : *Occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi*; idem tamen peccatis suis, quæ primo loco *delicta* appellavit, *ignorantiæ* nomen attribuit, *Psal.* XXIV, 27 : *Delicta juventutis meæ et ignorantias meas ne memineris.* At vero dicet aliquis : Quomodo adulterium cum Bersabea commissum, Uriæ homicidium, culpæ ignorantiæ nominari poterunt? Quomodo David de illis dicere valebit : *Ignorantias meas ne memineris?* Respondeo, omne peccatum, quantumvis enorme sit, nomen ignorantiæ mereri, siquidem verissimum est id quod idem Regius Propheta inquit : *Delicta quis intelligit?* Ubi S. Ambrosius legit, *lapsus*; S. Hieronymus, *errores*; Aquila, *ignorantias*. Quod si enim peccator caperet, quam gravis sit injuria, quam Deus per culpam recipit, quam ingens sit damnum, quod sibimetipsi facit, quanta sit deformitas et vilitas peccati, nunquam adeo præsumptuosus, aut stolidus futurus esset, ut illud committeret. Ac proinde omnis peccans merito appellatur ignorans et omnis divinæ legis transgressio est ignorantia.

Peccatum est aversio a summo bono et conversio ad creaturam. Sicut autem stultus foret, qui pro fragili quodam vitro, magni pretii adamantem dimitteret, ita quoque nomen stulti meretur, qui Creatorem propter res creatas deserit. Causa autem hujus inordinationis est, quia Deus non cognoscitur. Porro hæc bona creata nobis concessa sunt, ut nobis deserviant : *Omnia subjecisti sub pedibus ejus*; peccator autem in ipsis ultimum suum finem ponit, et cum bona hæc invisibilia sub pedibus habere debeat, iisdem pedibus Deum et divinam ejus legem substernit : « Quid enim agit peccator? « Creatore ac Domino spreto, adhæret creaturis « servis suis, totumque amorem suum, quem Domino suo debet, impendet suis mancipiis; quod « æque fœdum ac stultum est, ac præmissos sibi a « rege ministros, omni honoris et obsequiorum « studio colere ac venerari, ipsum vero regem sub- « sequentem, nec respicere, nec curare. » Hæc autem inordinatio, ut diximus, a defectu luminis et cognitionis Dei infinitæ bonitatis et majestatis procedit : *Homo cum in honore esset, non intellexit; comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis.* Porro jumenta ab impetu sensus se duci permittunt, nec discurrunt; eodem quoque modo facit peccator; peccat enim absque eo quod mentis oculos aperiat ad videndum quis sit ille quem offendit : *Mundus eum non cognovit*, inquit Joannes. Si enim reges et monarchæ illius illum cognovissent, utique ad pedes ejus sceptra et diademata sua deposuissent, prout Seniores Apocalyptici faciebant; sed quid? *Obscuratum est insipiens cor eorum. Rom.*, I, 21.

Versus 44.

Et nemo poterat ei respondere verbum, neque ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare.

Et nemo poterat ei respondere verbum.

1. — Lyranus rationem reddit, cur Scripturam sacram adductam negare non potuerint, dicitque, quod nostri temporis Judæi, Messiæ divinitatem negantes, hunc textum de Abrahæ et Eliezer, ejus œconomo, exponunt, quem hunc psalmum in gratiarum actionem composuisse dicant, ob victoriam, ab Abraham domino suo, de quinque Regibus reportatam, de quibus agitur *Gen.*, XIV. « Dicunt, » verba sunt Lyrani, « quod Eliezer loquitur sic : « *Dixit Dominus*, id est, Deus cœli, qui est Dominus « omnium, *Domino meo* Abraham, *sede a dextris « meis*, quia confortavit eum, ut visum est, permit- « tendo ei auxilium et præmium. » Docet autem responsi hujus falsitatem ex multis capitibus : « Primo, per titulum psalmi, ubi ponitur psalmus « David, etiam in Hebræo, quod non ponitur in « psalmis factis ab aliis. » Secundo, considerat Deum Patrem in eodem psalmo dicere ad Filium : *Ex utero ante luciferum genui te*, quod nequaquam de Abrahamo verificari potest. Denique in fine ejusdem psalmi dicitur : *Tu es sacerdos in æternum*, qui titulus citra omnem controversiam soli Christo competit.

2. — Bene dixit Sapiens : *Ut scirent, quia per quæ peccat quis, per hæc et torquetur*, id quod Psalmista, de malignis tractans, clarius expressit, dum ait : *Comprehendantur in consiliis, quibus cogitant*; ita in præsenti accidit Pharisæis, interrogaverant etenim hi Christum, ut os ei occluderent atque confunderent, persuadentes sibi, non posse Christum respondere ad interrogata; sed ecce ipsi e contra confusi obmutescunt, non invenientes quod opponant. Unde S. Hieronymus inquit : « Qui ad ten- « tandum Jesum fuerant congregati et veritatem « fraudulenta interrogatione carpere nitebantur, « occasionem præbuerunt confutationis suæ. »

3. — Juxta S. Thomam, silentium hoc non voluntarium, sed coactum fuit; dicit enim : « Silue- « runt ex tunc, non volentes, sed non habendo ali- « quid dicere. »

Neque ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare.

4. — Non quasi fuissent devicti, inquit S. Hieronymus; at : « In sermonibus confutati, ultro non « interrogant, sed apertissime comprehensum, « Romanæ tradunt potestati, ex quo intelligimus, « venena invidiæ posse quidem superari, sed diffi- « cile conquiescere. »

5. — S. Augustinus, *in Psal.* CIX, de hac Pharisæorum obstinatione et superbia ita discurrit : « Malueruut inflata taciturnitate disrumpi, quam « humili confessione edoceri; » aliam hujus Pharisaici silentii causam tradit Auctor Imperfecti, inquiens : « Intelligimus, non illis desinentibus inter- « rogare, Christus desiit docere, sed quia Christus « desierat eos jam ulterius velle docere, ideo et illi « desierunt ausi esse interrogare. » Considerari insuper potest, hæc omnia contigisse, paucis ante Christi mortem diebus, ad quod se etiam reflexit Lucas Brugensis, inquiens : « Ex illa die Martis, « tertia ante diem passionis; » voluit namque Christus opportunissime suam declarare divinitatem, ne crucifixores sui ullam haberent flagitii excusationem, ratione ignorantiæ; utpote infallibili per ipsum Christum, de ejus divinitatis convicti testimonio.

6. — Albertus Magnus, *in Matth.*, ait : « Viden- « tes, quod intentionem eorum sciret. » Dionysius Carthusianus dicit : « Quia timebant vinci atque « confundi, verumtamen post paucos dies, videlicet « tres aut quatuor, ausi fuerunt eum captivare et « crucifigere. » Notandum autem, Caipham et Annam a Salvatore petiisse, ut diceret, num Filius Dei esset, id quod alii pariter fecerunt; unde deducit : « Quod hæc consuetudo sit impiorum, ut quando « prævalere non possunt per rationem atque justi- « tiam, prævalere conentur per oppressionem et « violentiam. »

DOMINICA OCTAVADECIMA POST PENTECOSTEN

EVANGELIUM MATTHÆI, CAP. IX, VERS. 1-8

1. Ascendens in naviculam transfretavit, et venit in civitatem suam; et ecce offerebant ei paralyticum jacentem in lecto.

2. Et videns Jesus fidem illorum, dixit paralytico : Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua.

3. Et ecce quidam de Scribis dixerunt intra se : Hic blasphemat.

4. Et cum vidisset Jesus cogitationes eorum, dixit : Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris ?

5. Quid est facilius dicere : Dimittuntur tibi peccata tua, an dicere : Surge et ambula ?

6. Ut autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico : Surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam.

7. Et surrexit et abiit in domum suam.

8. Videntes autem turbæ, timuerunt et glorificaverunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus.

VERSUS 1.

Ascendens in naviculam transfretavit, et venit in civitatem suam, et ecce offerebant ei paralyticum jacentem in lecto.

Venit in civitatem suam.

1. — S. Thomas civitates, quæ Christi denominatæ fuerunt, distinguit; talis enim Bethlehem fuit, ratione nativitatis, Nazareth ob ejus educationem, ibi factam, Capharnaum propter multa ibidem patrata miracula, et qua diutius quam in aliis locis, ibidem fuit conversatus; de qua etiam civitate intelligendus est S. Matthæus, cum S. Marcus ibi hoc editum fuisse miraculum clare scribat. Lyranus Capharnaum *civitatem suam* nominari existimat, non quia ibi conceptus vel natus fuerat, sed quia præcipua Galilææ civitas erat, quia in comparatione illius Nazareth parvum tantum castellum erat.

Et ecce.

2. — Toletus vocem *ecce* considerans, dicit : « Particula *ecce* indicat confestim, cum Dominus « curare infirmos paratum se exhibuit hos accur- « risse. » S. Marcus dicit quod, dum Salvator actualiter prædicaret : *Et loquebatur eis verbum*, finem præstolati non fuerint prædicationis ejus, sed quia ob densam nimis turbam, ingredi non potuerunt, illum ex tecto dimiserint; unde deducitur, eos sancta quadam cum impatientia, infirmi sollicitasse salutem; neque id mysterio vacat, quia anima peccatrix, per hunc paralyticum designata, suæque salutis æternæ indigua, nullam interponere debet pro sui dilationem curatione. Salmeron hoc loco quærit, cur hi bajuli non exspectarint, donec Salvator e domo egrederetur, vel donec paulatim pressura turbæ remisisset, vel certe donec suum finivisset discursum? Et respondet, illos noluisse jacturam facere occasionis optimæ, quam habebant, accelerandi huic paralytico sanitatis remedium : « Quia sciebant, Dominum undique a multis « appellari, nec quoquam procedere, nisi densis- « sima stipatum turba, se vero pro sua sarcina « parum expeditos ad consequendum, aut per tur- « bam penetrandum ad Jesum. »

Offerebant ei.

3. — Ecce qualia mundus Filio Dei offerat munera, infirmos nimirum, tribulatos, pauperes, peccatores et alios plures hujusmodi miserabiles homines, cum enim mundus quædam sit lacrymarum vallis, quid aliud præter miserias Deo donare poterit? *Ecce in iniquitatibus conceptus sum*, dicebat David, *Psal.* L, 7, *et in peccatis concepit me mater mea*. Et Job, XIV, 1, de eodem homine testatur, dicens : *Homo natus de muliere, repletur multis miseriis.*

4. — Didacus Stella, *in cap.* V *Luc.*, hunc paralyticum divitem fuisse existimat; ait enim : « Non « dubito, quod dives esset, nam pauper solus ipse « in cubili jacet, solus suam indigentiam patitur; « si enim pauper fuisset, non adeo facile quatuor viros, corporis sui bajulos, invenire potuisset, qui tot obstacula superando, ut eum ante Salvatorem dimitterent, tantum ejus causa sudare voluissent : At vero cui pecunia præsto est, in quavis necessitate subsidiarios invenit, in quos omni ex parte largitatem suam effundat; nec tamen id quidquam horum

bajulorum charitati præjudicare debet, utpote qui tanquam virtuosi, nulliusque lucri cupidi, a sacris expositoribus multum commendantur, Salmeron ita de illis scribit : « Bajuli videntur bene de Christo « sensisse, et fidem erga eum habuisse, et dilectio- « nem erga proximum. » Ex quibus quidem ultimis verbis illos ad id charitate motos fuisse evincitur; unde credere juvat, illos viros fuisse spectabiles et in auctoritate positos, non mercenarios aut homines viles, siquidem obstaculum videntes, quo minus ob nimis copiosam præsentium turbam, ad Christum penetrare possent, tectum domus sine licentia domini ascendere, illudque denudare præsumpserunt, ut inde lectum, in quo infirmus jacebat, dimittere possent; unde S. Marcus, II, 4, ait : *Cum non possent eum illi præ turba offerre, nudaverunt tectum ubi erat, et patefacientes, submiserunt grabatum, in quo paralyticus jacebat*; unde hanc industriam ferventis erga salutem paralytici procurandam, charitatis effectum fuisse liquet. Lyranus ait : « Hoc fuit magnum signum fidei illorum, « quæ proinde a Salvatore magnopere commendata fuit. S. Bonaventura ait : « Quærebant eum inferre « et ponere ante eum, ut scilicet ex ejus præsentia « sanaretur; unde volebant implere exhortationem « Psalmistæ, *Psal.* CIV, 4, dicentis : *Quærite Domi- « num et confirmamini, quærite faciem ejus semper.* »

5. — Ex Evangelio SS. Lucæ et Marci constat, optimos hosce viros, dum huic misericordiæ officio operam darent, varias sustinere luctas debuisse cum diversis; etenim credibile est, dominum domus, quando tectum denudari, cæmenta quoque et ligna fastigii domus destrui vidit, fortiter se iis opposuisse; facile etiam credere licet, quod ad hunc rumorem, tota quoque præsentium hominum copia, dum periculum vidit, ne infirmus, ruptis funibus decidens, eos opprimeret, a pulvere quoque inde excitato conspergerentur et læderentur a corruentibus saxis, multis eos contumeliis et injuriis affecerit, idque tanto magis, quia per hanc, ipsorum opinione, inportunam compassionem Verbi incarnati prædicatio multum turbabatur. In lingua Syriaca apud S. Marcum legitur : *Dejecerunt tabulatum loci, in quo erat Jesus*; ex quo verbo, hanc tecti denudationem, sancta quadam cum violentia factam fuisse colligi videtur; nam ut Salmeron ait : « Tectum denudarunt et perfoderunt; neque fieri « potest, quin aut lapides, aut ligna, aut quid « simile, super auditores caderet. » S. Bonaventura ex textu S. Lucæ, hocce morale elicit documentum, quod etiam sensui litterali, in præsenti proposito nostro intelligendo non minus deservit, ad denotandum scilicet devotorum horum virorum insuperabiles difficultates et contradictiones : « *Non invenientes*, inquit S. Lucas, *quo parte illum inferrent « præ turba*, quæ solet impedire adventum ad « Christum, sicut dicitur, *Matth.*, XX, 31, quod « *turbæ increpabant eos, ut tacerent.* » Tres quoque hoc loco instituere possumus considerationes, quarum prima sese teneat in ordine ad bajulos, secunda in ordine ad paralyticum, tertia in ordine ad Christum. Et quidem quoad primum, portitores in omnibus his oppositionibus quas patiebantur, non defecerunt animo scientes, mundum communiter operibus bonis et sanctis pro viribus se opponere et maxime quando animas erraburndas, quarum miser hic paralyticus typus et figura erat per pœnitentiam ad Christum reducere studemus; unde exemplo suo nos docet, in similibus occasionibus generosum induendum esse animum, obturandas ad calumniam aures, nec quidquam a bene cœptis remittendum esse. *In Deo meo*, dicebat David, *Psal.* XVII, 30, *transgrediar murum*. Magdalena Pharisæi quidem audivit murmur, vehementes interius sensit stimulos, vitæ pristinæ conversionem ei dissuadentes, ab innumera amasiorum turba, quæ contra ejus propositum conjuraverat, illam retractam fuisse multum est verisimile, et tamen omnes hosce superavit assultus; unde de ea S. Augustinus scribit : « Quæ fortasse frontosa erat ad fornicationem, « frontosior facta est ad salutem. » Ex parte paralytici considerare possumus, quod, licet viderit oppositiones, cognoverit item per sui dimissionem, totam perturbari divini verbi auscultationem, magnis quoque cum doloribus et discrimine se tum ad tectum sublimari, tum deorsum per illud dimitti, adverterit etiam illatum patrifamilias a se et bajulis suis damnum, perceperit denique omnium præsentium lamenta et ob murmurationes, quod, inquam, omnibus hisce resistentiis et difficultatibus major, instanter occasiones prosecutus fuerit præsentem acquirendæ corporalis salutis suæ; quanto igitur magis nos pro animæ incolumitate consequenda sollicitos esse oportebit? Potius pereat mundus, quam anima unica, profecto in difficili adeo atque arduo negotio, quale est animarum, omnes omnino seponendi sunt respectus humani. Ex parte denique Christi perpendi potest, quare nullo compassionis motu tactus fuerit, cum hinc videret humeris suis desuper imminere spirans illud cadaver, cum grave præcipitii periculo, istinc vero seiret, se propterea ad divinæ suæ prædicationis interruptionem compellendum, ad quod cum Salmeron respondetur : « Dicendum gratissima fuisse offerentium officia, et « charitatem, et ægri patientiam; » multum enim sibi in sancto illa importunitate complacuit, quia personas miserabiles, quibus benefacere, corporisque et animæ magis salutem restituere posset, sibi adduci gaudebat, nulla habita adducentium importunitatis ratione : *Insta opportune, importune. Afferte Domino*, monebat David, *Psal.* XXVIII, 1, *filii Dei, afferte Domino filios arietum*. Idem quoque Salmeron ponderat, quod si quis penes principem aliquem, audientiam habere desiderans, eamque per

viam ordinariam quæsitam habere non valens, tectum ascenderet, perque illud denudatum in conclave, in quo princeps moratur, descenderet, utique « judicaretur his actus stultus et arrogantiæ plenus, « mereretur que gravem repulsam a principe; secus « est apud Deum, qui non habet pro superbo, quod « mundus judicat superbum, » nec temerarium censet, quod mundus temerarium arbitratur; apud Deum omnino accidit contrarium illi, quod apud principes terrenos evenire solet; hi enim importunitatem replicatis vicibus et cum instantia supplicantium fastidiunt et nauseant; at vero, ut S. Gregorius ait : « Vult Deus rogari, vult cogi, vult « quadam importunitate vinci; bona violentia, qua « Deus non offenditur, sed placatur. » Idem quoque in S. Ambrosio, *Serm.* xv, legitur, dicente : « Quis- « quis violentior Christo fuit, religiosior habebitur « a Christo. »

6. — Albertus Magnus, *Serm.* LXXIII, in sermone super hoc Evangelium, per hosce paralytici bajulos, pietatem et misericordiam Dei, nec non servorum ejus intercessiones intelligit : « Per illos, qui para- « lyticum Domino obtulerunt, intelligitur ipsa « divina misericordia et orationis justorum divina « misericordia per infirmitatem et adversitatum « flagella compellit intrare; orationes etiam justo- « rum offerunt Christo, ut salventur; » idque patet in exemplo intercessionum S. Stephani, quæ Deo et Ecclesiæ S. Panium acquisiverunt. Quod si quæras, cur portitores hunc paralyticum solum præsentarint absque eo, quod vel verbum pro eo loquerentur? Respondet Toletus : « Operum gravitate et fidei « vehementia sanitatem paralytico non solum pete- « bant, sed etiam efflagitabant. Advertendum igi- « tur, non solas voces exteriores, aut opera, sed « etiam desideria interiora esse petitiones et clamo- « res apud Deum, » juxta illud, *Psal.* x, 17 : *Desiderium pauperum exaudivit Dominus.*

7. — Thomas super Matthæum ait : « Illi, qui « portant eum, sunt qui suis monitionibus portant « ad Deum. » Glossa per illos, Doctores sacros, qui nos docent, nosque convertunt, intelligit : « Docto- « res sunt, qui sublevant et offerunt Christo, mo- « nendo et intercedendo. » Hugo Cardinalis per illos prælatos ecclesiasticos interpretatur : « Præ- « lati pro subditis orando et eorum miserias ei « offerendo, illis offerre dicuntur. » Dionysius Carthusianus similiter scribit : « Dum Christiani præ- « sertim prælati, et qui animarum curam habent, ac « seniores, viderint quempiam, spiritualiter para- « lyticum, id est, acediosum, lascivum, aut quibus- « cumque magnis peccatis fœdatum, portare eum « protinus debent ad Jesum, orando pro ejus con- « versione, seu exhortando ad sermones et ad « homines spirituales, quorum exemplo, fama, « doctrina, meritis ac precibus possit converti. »

8. — *A quatuor portabatur,* inquit S. Marcus, per quos in sensu spirituali, quatuor novissima serio meditata intelligere possumus; unde idem Carthusianus ait : « Possunt intelligi quatuor novis- « simorum diligentes considerationes; » vel etiam juxta aliam ejusdem Auctoris considerationem : « Divinus instinctus hominem ad bona instigans, « Angelica inspiratio, exhortatio quoque hominum « superiorum, naturalis instinctus ad bonum, quia « synderesis semper movet ad bonum; seu propria « ratio per Scripturas instructa, seu naturali lege « edocta. »

9. — Didacus Stella considerat quatuor fuisse, qui miserabili huic homini sucurrerunt, et pro consequenda corporis animæque salute, eum ad Salvatorem adduxerunt : « At nunc quatuor, » inquit, « non invenies, qui te ad Christum ducant, « imo his ducentos, qui te ab eo submoveant, et « in infernum ducant. »

10. — Considerari etiam hoc loco potest, quod cum tres Evangelistæ hanc historiam referant, nullus tamen illorum dicat, quod vel Christus, vel ex tota illa multitudine aliquis, vel denique dominus domus ullum indignationis verbum protulerint adversus eos, qui sermonem turbarunt, tectura denudarunt, lapides, ligna, cæmenta super circumstantes dejecerunt; cujus ratio esse potest, quia omnes exemplum Christi secuti; credibile enim est, quod, quia Christum id non modo patienter tolerare, sed etiam in sancta illa importunitate complacentiam habere viderunt, omnes illis, acquieverint, et potius ad compassionem hujus infirmi, ipsi quoque moti fuerint, ferventem simul eorum charitatem admirantes, qui tanto cum amore, et labore, et patientia, ipsum ante Christum dimittentes offerebant; præterquam quod omnes cum silentio suspensi stabant, miraculum sperantes.

Paralyticum jacentem in lecto.

11. — S. Marcus, II, 3, dicit, Christum actualiter divinum annuntiasse verbum, quando infirmus hic ad eum delatus fuit : *Loquebatur eis verbum, et venerunt ad eum, ferentes paralyticum.* Optimam sane captarunt occasionem, siquidem ut veridicus Spiritus Sancti calamus attestatur, *Psal.* CVI, 2 : *Misit verbum, et sanavit eos, et eripuit eos de interitionibus eorum*; et S. Ambrosius ait : « Loquere, « Domine Jesu : verbum tuum medicina est; » optimum salutem spiritualem recuperandi medium est auscultatio verbi Dei.

12. — Per hanc paralysin propriissime significatur acedia, quia sicut hæc infirmitas originem habet a frigore, et humoribus densis et crassis, nervos occupantibus, qui impediunt, ne spiritus vitales per sensuum instrumenta transire possint, ita quoque acedia a frigore tædii et nauseæ rerum spiritualium, et defectu charitatis derivatur. « Paralysis, » inquit Lucas Brugensis, « humore noxio « nervos corporis, qui motus sunt organa, occupat « et torpefacit, sic ut, qui laborat hoc malo, mem- « bra corporis non ad usum, sed ad sarcinam « molestam habeat, ut propemodum animatum, « cadaver esse videatur, non ad aliud spirans, nisi « ad pœnam suam; » et ideo sicut, quando paralysis per totum corpus spargitur, omnes ejus partes inutiles reddit; sic quoque dum acedia animam occupat, adeo eam torpefacit, ut ipsam nullum opus bonum facere permittat, et ad omnia inutilem reddat, quia charitas ei deest et amor Dei, qui omnibus operibus nostris meritum tribuit. Albertus Magnus ait : « Acediosi habent linguam, manus, « pedes, et alia membra, et tamen non movent ea « in obsequium Jesu Christi, unde sunt quasi toti « paralytici. »

13. — S. Hieronymus super Marcum in hoc paralytico, hominem carnalem intelligit, qui ad pœnitentiam reduci desiderat : « Paralysis autem « typus est corporis, quo piger jacet in mollitie « carnis, habens desiderium salutis. » Interlinearis inquit, quod paralyticus designet « animam illece- « bris carnis resolutam, jacentem in lecto, corpore, « ubi jacet anima. » Beda autem conformiter ad S. Hieronymi sententiam ait : « Curatio paralytici « hujus, salvationem designat animæ, post diutur- « nam illecebræ carnis inertiam, ad Christum sus- « pirantis. » Observatque bajulos hos ob nimiam turbam ad Christum penetrare non valentes, coacte aliam inisse viam : « Turba interposita ab omni « parte intercluduntur, quia sæpe anima post in- « firmi corporis desidiam, ad Deum resipiscens, « supernæque gratiæ remedio cupiens inchoari, « priscæ consuetudinis obstaculo retardatur; » sed postquam anima ad pœnitentiam et emendationem reducta est, necessum est, ut priorem omnimode viam deserat, si conversionem suam et emendationem stabilire desiderat.

14. — Lyranus in sensu morali inquit : « Per « paralysin significatur peccatum mortale, quod « privat actum meritorium, » considerat Auctor animæ peccatricis dispendia, « privatur gressu me- « ritoriæ affectionis, tactu operationis, gustu suavi- « tatis cœlestis, visu divinæ contemplationis, auditu « divini sermonis, odoratu divinæ consolationis, et « cum pervenit consuetudo, tunc jacet in lecto. »

Additiones.

a. — *Et ascendens in naviculam transfretavit.* Hujus textus triplicem explicationem vide *Dom.* IV *post Epiphaniam. Matth.*, VIII, 23.

b. — *Et venit in civitatem suam.* Quæ ista sit civitas, quæ sua dicatur, controversiam est inter Scriptores. Sedulius Bethleem existimat in qua natus fuerat. D. Hieronymus, cum aliis, Nazareth intelligit, in qua educatus fuerat. D. Augustinus vero, *lib.* II *de consens. Evang.*, *cap.* XXV, Galilæam provinciam interpretatur in qua erat Nazareth. Melius tamen D. Chrysostomus, *Hom.* XXX, Euthymius, Theophylactus, etc., Capharnaum accipiunt in qua frequenter habitabat, ut notatur, *Matth.*, IV, 13 : *Relicta Nazareth venit, et habitavit in Capharnaum maritima.* Et hoc miraculum factum fuisse in Capharnaum, aperte patet ex S. Marco; et ita Christus Dominus non unam civitatem sed plures condecoravit, Bethleem nativitate, Nazareth educatione, Ægyptum fuga, Cana Galilææ suo convivio, Jerusalem passione, Capharnaum insignivit sua habitatione, prædicatione, ac miraculorum operatione. Sed omnes rationes cur Capharnaum dicatur civitas sua, indicant in sensu mystico civitatem suam esse animam nostram. Ac *primo* quidem Capharnaum ideo dicitur *civitas sua*, quia eam elegit in habitationem, ut ex supra citato Matthæi loco patet; sic quoque merito anima nostra dicitur *civitas sua*, quia anima nostra est Paradisus et locus deliciarum Dei, ejusque templum. Isaias Propheta, postquam futuram Verbi incarnationem indicasset, qua mediante Deus cum hominibus familiariter conversaturus erat, indilate mentionem subjunxit suavitatis et dulcedinis earum consolationum, quas in nobis est habiturus, *Isa.*, VII, 14 : *Ecce virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel*, quod idem est quod *nobiscum Deus*; at vero ad hanc inter nos moram et mutuam conversationem, ineffabile Dei consequitur gaudium, prouti ex verbis sequentibus clare deducitur : *Butyrum et mel comedet*, quod idem est ac si diceret : *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum. Prov.*, VIII, 31; « quasi dicat : Inter homines conversari, « degere atque ipsos lucrari, mellis ac butyri loco « ponet, quibus nihil est in deliciis suavius, » ait Salazar, *in Prov.* In Levitico, XXVI, 11, Deus dicit : *Ponam tabernaculum meum in medio vestri, ambulabo inter vos.* Quæ quidem verba, tametsi quoad litteram de tabernaculo Dei, quod Moysi a Deo in deserto præscriptum fuit, quando una cum populo per illud gradiebatur, quoad spiritualem tamen sensum, etiam de anima interpretari possunt, quam Deus in tabernaculum suum elegit. Unde etiam Villanova ait : « Grandis animæ capacitas, in qua « non solum inhabitandi, sed inambulandi locus « est; quid namque sunt animæ justi potentiæ, « nisi amplissima Dei inambulatoria? Quotiescum- « que ergo bonorum desideriorum et affectionum « motus, contritionis stimulos, devotionis ardores, « in teipso persenseris, gressus Dei et vestigia Spi- « ritus Sancti, in templo suo deambulantis agno- « sce. » Verbum autem ambulare, animi quamdam dilatationem et recreationem exprimit, quia est quædam ambulatio animi recreandi causa instituta. Unde cum dicit Dominus : *Ambulabo inter eos*, plane insinuat animam nostram esse locum quem-

dam creationis suæ, quam in anima invenit potius quam in aliis creaturis : *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum.*

Secundo, Zacharias episcopus, *Comment. in Evang., lib.* II, *cap.* LIII, sic ait : « Nunc ergo quis dubitat « Capharnaum fuisse civitatem Domini, quam non « nascendo, sed miraculis illustrando suam fece- « rat ? » In nulla civitate, tot miracula et mirabilia operatus est Dominus, ut in Capharnaum, et ideo peculiariter hæc dicitur sua civitas, quia tantis donis ac beneficiis eam sibi comparavit ac coemit. Merito igitur quoque anima nostra dicitur civitas sua, quia magnum pro ejus redemptione persolvit pretium, et quia Capharnaum ideo magnificiebat, quia longa prædicatione, ac magnis signis et miraculis, eam sibi comparavit, merito et ideo animam nostram, ob ingens pretium pro ea persolutum magnificat et æstimat. Merito sanctus Apostolus, I *Cor.*, VI, 20, nobis pretium magnum ob oculos ponit, quo sumus redempti, dicens : *Empti estis pretio magno*, siquidem cum non solum una pretiosissimi sanguinis stilla, vel unica lacryma, aut unicum suspirium, sed etiam unicus interior voluntatis actus ad redemptionem nostram sufficere potuisset, ipse tamen voluit ut esset *copiosa apud eum redemptio*, idque nullo alio fine quam ut in infinitæ æstimationis per hoc veniremus notitiam, qua animam nostram tanto pretio dignam esse æstimavit. Unde Eusebius Emissenus ait : « Quam « pretiosus sis, si factorem forte non credis, inter- « roga redemptorem. » Et S. Bernardinus ait : « Nota cum quanto pretio es redempta, quia cum « sanguine et vita Christi ad denotandum pretiosi- « tatem animæ, quia unus passus pedis et unicus « ictus oculi Christi erat sufficiens pro redemp- « tione decem millium mundorum. » Et subdit idem sanctus Prædicator, hoc fuisse unicum S. Apostoli motivum, cur dixerit : *Empti estis pretio magno*. Notanda vero sunt hæc S. Augustini, in *Psal.* CI, verba : « Nec pro parvo sapiens magna « dedisset ; » exinde namque colligitur, quod hæc pro anima nostra facta pretii exsolutio, non fuerit casualiter, sed summa cum sapientia et præmeditatione facta ; sicut enim Christus adeo est liberalis, ut pro animæ redemptione nequaquam daturus fuisset modicum, ita quoque adeo sapiens est et prudens, ut pro re parva magna daturus non fuisset. Imo pro una anima sola, se æquali cum affectu, in crucis patibulum agi fuisset, quam pro omnibus animabus simul et collective sumptis, adeoque anima nequaquam parvi æstimanda venit, siquidem Christus negotiator prudentissimus pro illa sibi comparanda, dedit omnia quæ habuit : « O « anima, tanti vales ! » exclamat S. Augustinus. Et S. Bernardus dicit : « Magno pretio æstimata es, o « anima, pro qua requirenda e summo Cœlorum « Dei Filius descendit in uterum Virginis. Quis « sapiens pro requirendo oboio itinere centum die- « rum voluntarie laboraret ? Ergo magna quidem « res est anima mea, pro qua requirenda Deus in « mundum descendere dignatus est. »

c. — In nulla civitate tot miracula et mirabilia operatus est Dominus, ut in Capharnaum, et ideo peculiariter hæc civitas dicitur sua, quia tantis donis ac beneficiis eam sibi comparavit ac coemit. Merito igitur in sensu mystico anima nostra dicitur civitas Domini, quam tot donis replet ac beneficiis, cui tot gratiis et auxiliis assistit. S. Chrysostomus, in *Psal.* XLI scribens, ait : « Reputa quæ per totam « tuam vitam accepisti a Deo beneficia, omnino ea « permulta invenies, non solum in tota vita, sed « vel in uno die. Si vellet Deus omnia beneficia, « quibus nos quotidie afficit, imprudentibus nobis « et nescientibus in medium afferre, ne ea quidem « enumerare possemus. » Et *Hom.* XXVI *in Matth.*, ait : « Nolentibus nobis sua interdum beneficia largia- « tur et juvat sæpius nescientes. » S. quoque Augustinus hanc licet occultam divinam beneficentiam, his verbis meditatur : « Magnum est etiam, et hoc « nomine, quod multa mihi antequam possem, vel « vellem, aut nossem, dona contulisti. Non solum « ante, sed et postquam senui, et potui te petere, « te quærere, te desiderare, tibi inhærere, gratuita « bonitate tua, non petenti, non quærenti, non « desideranti, imo etiam parvipendenti, vel etiam « contemnenti largitus es. » Et alio in loco : « Quando errabam, eduxisti me, quando ignora- « bam, docuisti me, quando peccavi, corripuisti « me, quando tristabar, consolatus es me, quando « cecidi, erexisti me, quando steti, tenuisti me. »

d. — Ad mysticum sensum potest iterum dici, Evangelistam Capharnaum dixisse civitatem Christi, eo quod incolæ magno charitatis ac compassionis affectu, erga miserum hunc paralyticum essent dotati ; et in hoc sibi partem aliquam vendicare videtur, ubi opera vigent misericordiæ, quæ præ aliis bonis operibus Deo grata sunt et accepta. Idemmet Salvator qui in extremo die judicii, in throno Majestatis tanquam supremus Judex considebit, ad condemnandum vel absolvendum omnes et quascumque animas pro meritis suis, tametsi apud S. Matthæum, XXV, 34, se solum opera misericordiæ corporalis remuneraturum esse dixerit, daturumque illis præmii loco regnum Cœlorum : *Possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. Esurivi enim et dedistis mihi manducare* ; nihilominus in *cap.* XVI ejusdem Evangelii, de eodem tribunali pariter disserens, ait : *Filius hominis venturus est in gloria Patris cum Angelis suis ; tunc reddet unicuique secundum opera ejus.* Quod quidem si revera adimpletum sit, de quo nullum est dubium, cur igitur tot alia tacebuntur opera et merita insignia virginitatis, martyrii, solitudinum, jejuniorum austerissimorum, ciliciorum, vigiliarum, orationum, conversionis animarum, perpessarum persecutionum et tot aliarum ærumnarum, quas Sancti Dei pertulerunt, qui, ut S. Paulus ait, *Hebr.*, XI, 37 : *Lapidati sunt, secti sunt, in occisione gladii mortui sunt, circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati?* Quænam est illa operum misericordiæ super omnia alia opera virtuosa specialis prærogativa, ob quam illa in discussione universali meritorum omnium electorum, cunctis aliis virtutibus anteponenda erunt ? Respondet Dionysius Carthusianos : « Ut homines ex his verbis invitentur ad « opera pietatis. » Etenim Filius Dei affectu et amore hæc opera prosequitur, eique adeo placent, ut omnia alia, quantumvis illa sublimia sint et heroica, non quidem irremunerata, sed non commemorata prætereat. Per quod nobis innuere contendit summam curam et sollicitudinem, quam habet de eo, ut se fidelis in subveniendis proximorum necessitatibus diligenter exerceat. S. Leo Magnus, de judicio extremo, ejusque examine et processu disserens, ita scribit : « Quasi nec alias « virtutes dexteri, nec alias offensiones habeant « sinistri. Sed in illo magno, summoque judicio « tanti æstimabitur, vel largitatis benignitas, vel « tenacitatis impietas, ut pro plenitudine omnium « virtutum, et pro summa omnium commissorum « et per unum bonum isti introducantur in regnum, « et per unum malum illi mittantur in ignem æter- « num. » Ac demum doctrinam suam hac memorabili concludit sententia : « Nemo igitur, dilectis- « simi, de ullis sibi bonæ vitæ meritis blandiatur, si « illi defuerint opera charitatis. » Quibus verbis operibus misericordiæ nomen charitatis attribuit, quia suam a dilectione erga Deum et proximos habent originem. Cornelius Jansenius super hæc verba Matthæi : *Esurivi, et dedistis mihi manducare*, etc., scribens, pariter et ipse misericordiæ opera hoc eodem epitheto indigitat, dicens : « Hujusmodi « dilectionis enumerat opera, quæ omnibus com- « petere possunt. » Dionysius Carthusianus similiter inquit : « Opera misericordiæ directe et eviden- « ter includunt charitatem, virtutum reginam. » Deus opera misericordiæ tanti facit, ut eodem pondere, et hæc, et illam trutinet. Didacus Stella, super illa verba, apud S. Lucam, VI, 36 : *Estote misericordes sicut et Pater vester misericors est*, inquit : « Contemplari debes excellentiam misericor- « diæ, quæ homines similes Deo facit, et in illa re « similes, quæ gratiosior et divinior in ipso est ; « nam certum est quod major perfectio, quam repe- « riri potest in creatura, est similem esse Deo ; et « quanto magis hujus similitudinis obtinuerit, tanto « perfectior erit. Si omne animal diligit sibi si- « mile, si misericors similis est Deo, certum est « quod a Domino magis diligetur ; nam cum Domi- « nus infinite misericors sit, omnes eos diligere « debet, quos invenerit misericordia indutos, tan- « quam legitimos filios, qui ei assimilantur. »

e. — *Et ecce offerebant ei paralyticum jacentem in lecto.* Mira profecto oblatio, quam Capharnaitæ in hodierno Evangelio offerunt Christo Domino : hominem nempe paralyticum, manuum et pedum omniumque membrorum usu destitutum, jacentem in grabato. Quid agitis, o Capharnaitæ ? Nonne Deus in lege vestra mandavit vobis, ne offerretis ei hostiam debilem et defectibus obnoxiam ? Mira est quidem hæc oblatio, sed Christo Domino pergrata, cujus cibus est conversio peccatorum. Salvator noster longe melius satiusque quam Archangelus Raphael dicere posse videtur : *Ego cibo invisibili, qui ab hominibus videri non potest, utor. Tob.*, XII, 19. Cibus namque ejus est animarum conversio. Anhelus defessusque residens ad puteum Jacob in Samaria, multis variisque modis impiam illam mulierem ad emendationem inducere allaborabat, quando supervenientes Apostoli, cibos ex urbe allatos ei obtulerunt : *Interea rogabant eum discipuli ejus dicentes : Rabbi, manduca. Ille autem dixit eis : Ego cibum habeo manducare quem vos nescitis. Joan.*, IV, 31. Quibus verbis attoniti dum hærerent discipuli, nescientes si Christus aliunde forsitan refectionem obtinuisset, cœlestis subjunxit Magister : *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus qui misit me, et perficiam opus ejus.* Ubi Doctor Angelicus qualitatem cibi de quo Christus locutus fuerat, in hæc assignat verba : « Cibus autem iste, quem Christus mandu- « care habebat, est salus hominum quam quærebat. « Sicut enim nobis cum esurimus concupiscibile est « manducare, ita et salvare nos. » Conversionem itaque Samaritanorum proxime prædicationi ejus corresponsuram præviderat Dominus, hocque ipsum tot tantarumque animarum lucrum cuilibet delicatissimo lautissimoque præferabat convivio. Quem proinde textum Interlinearis ita exponit : « *Cibum* « *habeo manducare*, conversionem Samaritanorum. » Et S. Cyrillus, a Glossa citatus, inquit : « Cibum « suum putat, perditorum hominum conversio- « nem. »

f. — Offerebant ei paralyticum jacentem in lecto, absque eo quod vel verbum pro eo loqueretur. In oratione enim plus cor quam lingua requiritur ; hanc Deus non auscultat, nisi cordi consentiat. Sancta mater Samuelis Anna, priusquam dignum adeo partum impetrasset, ob sterilitatem suam afflicta, hæc enim apud populum Hebræorum maledictionis erat indicium, sæpe se conferebat in Silo, ubi Arca erat, ut pro liberatione sui ab hoc opprobrio Dei pietatem imploraret. Observandus vero est modus, quo sacer textus orationem Annæ describit ; videlicet : *Cum illa multiplicaret preces coram Domino, factum est ut Heli observaret eum. Porro Anna loquebatur in corde suo, vox penitus non audiebatur.* Quam vero oratio ejus efficax fuerit, deduci potest ab exitu adeo propitio, quem est

sortita. At vero dicet aliquis : Quomodo mulier hæc oravit, quando nulla ejus vox audita fuit? Dubium hoc resolvit S. Cyprianus his verbis : « Deus non « vocis, sed cordis auditor est, nec admonendus est « clamoribus, qui cogitationes hominum videt. » Idque in sancta hac muliere exemplificat, ita de ea scribens : « Loquebatur non voce, sed corde, quia « sic Deum sciebat audire. et impetravit efficaciter « quod petiit. » S. Bernardinus Senensis ait : « Primum opus divinalis pietatis oratio dicta est. » Cujus hanc primam et principalem assignat rationem, inquiens : « Quia principaliter fit in corde, et « per eam Dei pietas in anima generatur. » Et in alio quodam sermone, Angelum quemdam Seraphico dixisse, quod orando universam commoveret curiam cœlestem : « Legitur quod Angelus ei dixit : « Tu commoves totam cœlestem curiam, quia nullus « nisi tu ibi auditur. » At vero qua voce hunc terrestrem Seraphinum clamasse existimatis, ut totum et vastissimum cœlum commoveret, qui adeo extenuatus et debilis erat ut vix verbum articulare posset? Subdit Bernardinus : « Et tamen nihil ore, « nisi corde. » Idem ex S. Bernardo orationis tradit etymologiam, dum ita scribit : « Dicitur oratio, « secundum Bernardum, quasi oris ratio, eo quod « cum attenta ratione fieri debet, cum homo loqua« tur Deo. » Totum enim cor, totaque mens orantis intenta debet esse Deo, cum quo loquitur. Subdit idem Sanctus : « Sine hac attentione rationis, oratio « omnino inefficax est. Proinde, I *Cor.*, XIV, 14, « Apostolus ait : *Si orem lingua*, scilicet tantum, « *mens mea sine fructu est*; ac proinde subjungit : « *Orabo spiritu, orabo et mente; psallam spiritu,* « *psallam et mente.* »

Quamnam existimatis esse causam, quod licet æterna veritas in diversis Sacræ Scripturæ locis stipulatam et inviolatam nobis fecerit promissionem, deferendo nobis in urgentibus necessitatibus nostris subsidio, dummodo per orationem ad eum confugiamus, nihilominus sæpissime nullum orationum nostrarum consequamur effectum? S. Vincentius Ferrerius in sermone quodam ad hoc respondere videtur, dum ait : « Debemus recurrere ad « Deum, qui nunquam deficit, nisi sit defectus « noster, quia elevamus oculos corporales versus « cœlum, sed non cor. » Adducitque illum Apostoli ad Corinthios textum supra citatum : *Si orem lingua*, etc., dixitque : « Propter hoc dicit Jesus « Judæis orantibus solum ore : *Populus hic labiis* « *me honorat, cor autem eorum longe est a me; ideo* « *sine causa colunt me*; id est, sine utilitate. »

Inutilem hanc multorum negligentium Christianorum orationem Blosius his verbis detestatur : « Quam multi sonant voce, et corde muti sunt! Et « quam multi tacent labiis et clamant affectu! Quia « ad cor hominis aures Dei. » Non dicit aures Dei intentas esse ad vocem orantis, ita enim videbatur dicendum, quia auditus relationem habet ad vocem, sed dicit, ad cor hominis aures Dei, quia oratio cordis est, non labiorum. Quod si vero is qui orat, etiam lingua uti vult, ut per hanc tanto melius affectus suos Deo exprimat, huic tamen advertendum est, ad hoc illi connitendum esse, ut voces ejus cordi serviant, quodque verba ore prolata, in omnibus et per omnia a mente dependere debeant, quia Deus non verba, sed sensum cordis nostri attendit, non motum labiorum, sed interiores affectus nostros respicit.

g. — Per hanc paralysim, ut *supra*, *n.* 12, dictum est, propriissime significatur acedia quæ inter alia vitia capitalia connumeratur, adversus quam non solum Scripturæ Sacræ, verum etiam sancti Patres et asceticæ vitæ Magistri, graviter et unanimiter in scriptis suis invehuntur. Porro tametsi definitiones in substantia ad unum eumdemque scopum tendant, attamen in eadem describenda sacri Doctores multum variant. Doctor Angelicus S. Joannis Damasceni sententiam secutus, his eam verbis adumbrat : « Acedia est quædam tristitia aggravans, quæ « scilicet ita deprimit animam hominis, ut nil ei « agere libeat, sicut ea quæ sunt acida, frigida « sunt. Et ideo acedia importat quoddam tædium « operandi, ut patet per hoc quod dicitur in Glossa « super illud Psalmi : *Omnem escam abominata est* « *anima eorum*, et a quibusdam dicitur, quod acedia « est torpor mentis bona negligentis inchoare. » S. Bonaventura S. Augustinum sectatus eam hoc modo definit : « Definitur acedia a S. Augustino : Tædium « interni boni. » Idem S. Bonaventura alibi hunc insinuat acediæ effectum, quod scilicet quod bonorum operum tædium generet : « Acediæ, » inquit, « natura est ut tædium boni generet, animi torpo« rem causet, mentem gravet tristitia. » Albertus Magnus undenam acedia nominis sui derivet etymologiam, his verbis declarat : « Acedia denomi« natur ab acedine, quia per eam anima tædium « habet de omni spirituali difficili. » Bellovacensis quoque idem acediosi hominis signum his verbis tradit : « Negligentes cultum Dei, fastidiunt et « divinum officium indevotissime reddunt. » Pater Magister Avila in litteris suis de hac eadem tractans materia, Israelitarum manna nauseantium adducens historiam, inquit : « Gustus eorum infectus corrup« tusque erat, non vero manna, utpote suavissimi « cibus saporis, et nihilominus tanta eorum erat « cæcitas, ut non de se ipsis, nec de propriis in se « prædominantibus humoribus, sed cibo omnem in « se suavitatem, dulcedinemque habente conque« rerentur. » Eadem penitius multorum est conditio, qui vitam spiritualem fastidiunt et nauseant; non quasi ipsa summam in se non contineat consolationem, propterea namque dicebat David : *Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus. Melior est dies una in atriis tuis super millia*, sed universum

malum in nobismetipsis, in nostris inquam inordinatis appetitibus, voluptatibus et deliciis, quas nobis mundus offert. Necdum Ægyptiacam consumpsimus farinam, ideoque carnes et alia ambimus miserabilis terræ, viamque Dei deserentes, ad infernalis Pharaonis carniumque fruitionem, ad voluptates inquam sensuales, redimus.

h. — Paralyticus peccatoris figura est; pondus enim peccati est adeo grave, quod nos veluti paralyticos in lectum projiciat inferni. Sola peccata sunt quæ nos ignem infernalem timere faciunt, utpote cujus pabulum et nutrimentum existunt. Propheta Regius Deum laudare, benedicere, eique gratias agere se velle protestatur, eo quod ipsum ex inferno inferiori liberasset; ideo namque gloriatur dicens, *Psal.* LXXXV, 12, 13 : *Confitebor tibi, Domine Deus meus, in toto corde meo, et glorificabo nomen tuum in æternum, quia misericordia tua magna est super me : eruisti animam meam ex inferno inferiori.* Davidem dum vixit ad infernum descendisse, indeque a misericorde Deo ereptum fuisse non constat; cum itaque ex inferno inferiori nihilominus se exemptum dicat, de alio sane inferno intelligendus est, differente ab illo, qui in terræ centro est situatus. Cujus dubii solutionem S. Hieronymus docte resolvit dum ait : « Non quod duo inferni sint; sed iste « superiorem infernum, peccatum dixit; inferiorem « vero, qui est verus infernus, in quo peccatores « damnantur. » Imo non modo peccatum, sed et peccatores, inferni titulo afficiuntur, juxta Rabanum, dicentem : « Inferni nomine omnes iniqui « designantur; » idque ex illo Apocalypseos textu, ubi de judicio futuro sermo est, sufficienter probat, quando dicitur : « Infernus et mors, missi sunt in « stagnum ignis. »

S. Hieronymus super *Isa.*, LXVI, sic habet : « Ignis « tamdiu succenditur, quamdiu habet materiam, « qua vorax flamma pascatur. » Pabulum vero incendii infernalis sunt peccata, ac proinde anima innocens ac immaculata damnis ejus subjacere non potest. Fornax Babylonica quadamtenus illam ignis præfiguravit abyssum; in ea enim tres pueri liberi et ab omnibus vinculis soluti ambulabant, et haud secus, ac suavi rore respersi, refrigerebantur. Propter peccatores incendium illud in altum excrescit; innocentibus vero consolationem et refrigerium suggerit.

Versus 2.

Et videns Jesus fidem illorum, dixit paralytico : Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua.

Et videns Jesus fidem illorum.

1. — Vidit Salvator horum bajulorum, paralyticum summa cum charitate offerentium fidem, non corporali, sed divino oculo; unde Dionysius Carthusianus inquit : « Videns oculo interiori fidem « offerentium paralyticum; » sentitque huic etiam fidem anumerari ipsiusmet infirmi : « Qui etiam « fidem habuit recuperandæ sanitatis, et potentiæ « Christi; » cujus rationem hanc esse docet Chrysostomus, et indicium : « Non enim permisisset « se submitti per tectum, non credens; » cujus etiam opinionis Euthymius fuit, inquiens : « Fidem « non solum dimittentium, sed ejus quoque, qui « dimissus erat; neque enim se dimitti sustinuis« set, nisi salutem consequi sperasset. » Nisi enim fiduciam grandem habuisset, tanto se nequaquam exposuisset periculo et incommodo, in lecto namque et in tecti summitatem delatus, et iterum ex eadem in inferiora demissus fuit. Toletus porro bajulorum fidem, infirmi præponit fiduciæ, inquiens : « Multo præstantior erat fides gestantium, « qui nulli labori pepercerunt, ut Christo offerrent; « portarunt, ascenderunt tectum, illuc lectum « funibus traxerunt, tectum nudarunt, et per illud « funibus submiserunt. Magna fides hæc fuit, quam « tam multiplex labor corporis non potuit aver« tere. »

2. — Ex quibus convincitur, alienam fidem et intercessionem sæpe tanti apud Deum esse valoris, ut divinam nobis pietatem imploret atque impetret; unde Lucas Brugensis ait : « Ad consecutionem « sanitatis corpori potest aliena fides prodesse, « etiam in incredulitate aut impietate perseveranti; « ad animæ vero sanitatem eatenus, quatenus illud « a Deo impetret, ut pœnitentia impio, fides et « pœnitentia incredulo dentur. » Albertus Magnus declarat mysterium, cur Evangelista nullam fecerit mentionem fidei infirmi, sed tantum portitorum : « De fide offerentium loquitur, ut instruat, quod « intercessio multorum multis impetrat salutem; « prædestinatio enim sanctorum juvatur orationi« bus. » Venerabilis Beda argumentum quoddam facit a minori ad majus : « Intuendum sane, quanti « propria cujusque fides apud Deum valeat, ubi « tanti valuit aliena, ut totus homo repente, hoc « est, exterius interiusque jam salvatus exsurgeret. »

Dixit paralytico, confide.

3. — In Syriaca legitur : *Bono sis animo.* Salmeron ait : « Verba blandi medici; » non solum in eo confidentiam postulat, sed cum hac quoque conjunctam requirit fidem, quia hæc necessaria erat ad effectum spiritualem consequendi salutem et peccatorum remissionem, nam ut Lyranus ait : « Licet « sanitatis corporis, vel aliquid hujusmodi detur « alicui propter alienam fidem, remissio tamen « peccatorum non datur alicui, sine propria fide. » Opinatur Toletus, infirmum hunc corporaliter, valde quoque et in spiritu debilem fuisse, unde ait : « Quia paralytico dixit, *confide*, ad perfectam fidem « fiduciamque exhortans, quasi non ea fiducia præ« ditus esset, qua qui eum obtulerant. »

4. — Conformiter infallibili huic axiomati : *Joan.*, VI, 44 : *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum*, dicendum esse existimarim, quod Deus huic paralytico excitantem interius infuderit gratiam, ut cor ejus foco succenderet ardentius in Salvatorem fidei et charitatis, ita ut de peccatis suis contritus, firma eliceret emendandæ vitæ proposita, id quod Dionysius Carthusianus hisce etiam nos verbis docet : « Antequam peccata « indulsit infudit ei quamdam displicentiam, seu « contritionem culparum. »

5. — Citra omnem controversiam, paralyticus hic peccatis immersus, fuerit peccatoris cujusdam figura, pluribus aggravati culpis. Quare igitur Christus eum non repudiavit, non objurgavit, sed tanta cum benignitate et facilitate recepit? Admirabatur et stupebat nimiam Davidis in hostes mansuetudinem princeps militiæ Joab, dicens : *Diligis odientes te.* Filius natu major, parentis sui indignabatur blanditiis, quibus fratrem ejus prodigum, filium suum immorigerum exceperat; suspiciebat Simon Leprosus, et carpebat Salvatoris benignitatem, peccatricem incredibili cum gaudio et jubilo recipientis; stupeant illi, non miror ergo, dum ex ore protomedici hujus divini audio, *Matth.*, IX, 12 : *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus; non veni vocare justos, sed peccatores.*

Fili.

6. — Perpendit Salmeron, non indignari Christum ob divini verbi interturbationem, aut quamcumque aliam similem importunitatem, unde ait : « Non indignatur, sermonem suum tam funesto « interrumpi spectaculo, non exprobrat impuden- « tiam et importunitatem bajulorum, non imper- « fectam fidem erga se, quasi absentem absens « salvare non posset. » Id profecto summa admiratione dignum est, quod Christus fœtidum hoc et agonizans cadaver, peccatoris habituati prototypon, filii titulo cohonestet; præsertim cum honoratissimum et amabilissimum hoc epithetum nulli alteri a Christo attributum esse constet, saltem ex Evangelio; id quod S. Hieronymum exclamare coegit : « O mira humilitas! despectum et debilem, totis « membrorum compagibus dissolutum, filium vocat, « quem Sacerdotes non dignabantur attingere. »

7. — Docet Lucas Brugensis hunc filii titulum, efficax esse motivum conversionis et resipiscentiæ peccatorum. Notat autem Salmeron, paralyticum filium nuncupatum fuisse, non tam vi creationis, quin potius intuitu doni et divinæ gratiæ, quam ei Christus contulit : « Filium vocat, » ait Salmeron, « non tantum creatione, sed gratia; nam et pecca- « toribus præcipitur dicere : *Pater noster.* » Hæc porro prærogativa soli fuit legi gratiæ concessa, in Testamento namque antiquo nullus omnino, teste S. Augustino, Deum nomine patris compellare ausus fuit; quam dignitatem pœnitus contemplans Chrysologus, *Serm.* LXX, dicere non dubitavit : « Ad « verbum hoc expavescit universa creatura servus « Dominum, patrem vocare audet; » neque mirum; quis enim non videt, summæ magnificentiæ esse in homine, quem servum, imo et mancipium, suprema Altissimi majestas, cognomento filii honoravit? Profecto juxta S. Gregorium, *Hom.* XVI *in Ezech.* : « Omnia dona excedit hoc donum, ut Deus homi- « nem vocet filium, et homo Deum nominet « patrem. » Quandoquidem igitur Filius Dei paralyticum hunc, suum agnovit filium, consequens fuit, ut et Filium Dei, suum profiteretur patrem; efficax enim et operativus est sermo Dei, qui *dixit, et facta sunt*; a quo totam et securam acceperat salutis suæ gratiam, conformiter huic S. Augustini testimonio : « Quædam impetrandi præsumptio, « cum priusquam aliquid petieremus; tam mag- « num donum accepimus, ut sinamur dicere : « *Pater noster*; quid enim non dabit filiis petenti- « bus, cum hoc ipsum ante dederit, ut filii essent? » Juxta S. Lucæ calculum, Christus paralyticum nomine compellavit *hominis* : *Quorum fidem ut vidit, dixit : homo, remittuntur tibi peccata tua*; at quod obsecro diversæ hujus nomenclaturæ mysterium? Respondet Glossa : « Lucas dicit, *homo*, quasi « dixit Jesus, quod uterque Evangelista testatur. » S. Augustinus pariter ait : « Lucas non dixit, *fili*, « sed *homo* : ad sententiam Domini expressius « insinuandam valet, quia homini dimittebantur « peccata, qui hoc ipso quod homo erat, non posset « dicere : non peccavi. » Intuitu itaque peccati dicitur homo, respectu vero gratiæ, et peccatorum remissionis, filius, quo sensu Evangelista inquit : *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Insigne profecto solatium omnibus in hac vita tribulatis et afflictis, de quorum classe et hic erat paralyticus, ex ipsius æternæ Veritatis ore audire, quod tales apud Deum inter filios computentur; id quod etiam expresse nos docet Apostolus, inquiens, *Heb.*, XII, 6 : *Quem enim diligit Dominus, castigat, flagellat autem omnem filium, quem recipit : in disciplina perseverate, tanquam filiis vobis offert se Deus : quis enim filius, quem non corripit pater? Quod si extra disciplinam estis; ergo adulteri et non filii estis.*

Remittuntur tibi peccata tua.

8. — Urget Angelicus Doctor, et quærit : « Quid « est, quod iste petebat sanitatem corporis, et « Dominus dat sanitatem animæ? » Respondetque ipse, id Christum fecisse, ut primo radicem evelleret infirmitatis, quæ est peccatum. « Ratio est, « quia peccatum erat causa ægritudinis. » Hunc autem sanationis processum et methodum Lyranus hocce experti cujuscumque medici exemplo commendat : « Ad modum boni medici, qui primo « removet causam morbi, et tunc postea intendit « curationi; infirmitas autem hæc fuit inflicta « paralytico propter peccatum, et ideo primo « Christus removet causam, dicens : *Remittuntur « tibi peccata tua.* »

9. — S. porro Hieronymus ex hac mysteriosa Christi operatione elicit, Christum hoc agendi modo nos docere voluisse, quod potissimæ infirmitatum corporalium originem trahant ex peccatis : « Datur « nobis intelligentia, » inquit, « propter peccata « plerasque evenire corporum debilitates, et idcirco « forsan dimittuntur prius peccata, ut causis debi- « litatis ablatis, sanitas restituatur; » id quod etiam Ecclesiasticus, XXXVIII, 15, nos docuit inquiens : *Qui delinquit in conspectu ejus, qui fecit eum, incidet in manus medici.* Ut olim Deus populum suum Israeliticum ad plenam alliceret divinorum præceptorum observantiam, ita eis protestabatur, *Exod.*, XV, 26 : *Cunctum languorem, quem posui in Egypto, non inducam super te*; vel ut Septuaginta legunt : *Omnem languorem*, etc. In cujus textus commentario ita inquit Oleaster : « Adverte, « causam infirmitatum nostrarum, quas hic pati- « mur, esse peccatum. » Psalmista etiam ad divinam Majestatem conversus, lamentatur, *Psal.* XCVIII, 8 : *Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo et sæculum nostrum in illuminatione vultus tui.* Sed hic forte tragœdiæ finis? nequaquam; audite quod sequitur et discite peccatorum fructus : *Quoniam omnes dies nostri defecerunt et in ira tua defecimus.* Quanto amplius multiplicamus offensas, tanto celerius vitæ nostræ abbreviamus spatium : *Anni nostri sicut aranea meditabuntur.* Accommodatior profecto similitudo dari non potuisset, quam araneæ; sicut enim hæc eo ipso, dum telam orditur, se exenterare incipit, ita pariter, impius, flagitiis deditus, ipso eodem tempore, quo appetitibus suis indulgere, iisque obsecundare incipit, incurabiles et mortales contrahit infirmitates; ideoque S. Ambrosius inquit : « Unusquisque se eviscerat luxurio- « sus, helluo se internecat. » Unde et Sapiens, *Prov.*, X, 17, inquit : *Timor Domini apponet dies, et anni impiorum breviabuntur.* De his et similibus Dei adversum rebelles suppliciis discurrens Propheta Job, XXXIII, 19, eamdem nobis veritatem non obscure confirmat, dum ait : *Increpat quoque per dolorem in lectulo et omnia ossa ejus marcescere facit.* Scitis utique modum procedendi, quem servat justitia humana circa reos, prius enim ipsos ad compedes et carceres, tandem vero ad furcam condemnare assolet; ita pariter justitia divina non illico impios æternæ damnationis sententiam plecti, sed infirmitate aliqua incurabili affectos, lecto affigit, in eoque coercet, ad hoc ut resipiscant et divinam pietatem implorent, vel etiam ut hic in terris, alterius vitæ supplicia experiri incipiant.

10. — Albertus Magnus varias causas perpendit, ob quas infirmitatibus infestemur : « Quinque modis « infirmitates et tentationes contingunt. *Primo*, ut « justis merita per patientiam augeantur, ut *Job.*, « I. *Secundo*, ad custodiam virtutis, ne superbia « tentet, I *Corinth.*, 12. *Tertio*, ad corrigenda pec- « cata, sicut Mariæ lepra, *Num.*, II, et huic paraly- « tico. *Quarto*, ad gloriam Dei manifestandam, ut « *Joan.*, IX, de cæco nato, et *Joan.*, XI, de Lazaro. « *Quinto*, ad initium pœnæ æternæ, quatenus hic « videatur, quid in inferno sequatur. Unde, *Jerem.*, « XVII, 18 : *Duplici contritione contere eos.* »

11. — Divus Chrysologus paralyticum hunc, dum omnia peccata sua sibi dimitti audiret, quod certe beneficium fuit incomparabile et majus quam in totius vitæ decursu sperare potuerit, ne verbo quidem se erga Christum gratum exhibuisse, acute observat, dum ait : « Audit veniam et tacet paraly- « ticus, nec illam rependit gratiam, » cujus negligentiæ rationem protinus subjungit, nimirum : « Quia plus corporis quam animæ tendebat ad « curam. » Idem quoque hodie a majori parte hominum fieri ipsa nos quotidie docet experientia, dum omnes magis solliciti sunt ad rogandum Deum et Sanctos ejus pro corporali, quam pro spirituali salute impertienda; etenim ex centenis et millenis tabellis et votis ad imagines miraculosas suspensis, vix unum reperietur, quo gratiæ referantur Deo aut Sanctis, quod ipsorum intercessione a suis fuerint peccatis liberati. S. Joannes Episcopus, a S. Thoma in *Catena* citatus, idem, quod jam ex S. Chrysologo retulimus, asserit, simulque subjungit : « Merito ergo Christus offerentium recipit « fidem, non vecordiam jacentis. » E contra vero Lucas Brugensis dubitari non posse dicit, quin paralyticus iste ad peccatorum suorum veniam et remissionem, interius per compunctionis actus cooperatus fuerit : « Non dubium est, quin æger con- « ceperit displicentiam peccatorum, pœnituerit que « eum male anteactæ vitæ, ubi sanitatis scilicet « recuperandæ gratia, tanto fervore Jesu offerri « petivit, publico pœnitentiæ præconio; » verum quidem est quod præcipua ejus cura, in intercedendo pro salute corporali, adhibita fuerit. Unde Glossa ait : « Prius sanatur anima, nec gratias agit, « qui plus desideravit curam corporis. » At vero notandum, quod, licet ipse primo loco pro sanando corpore anxius fuerit, Salvator tandem noster, qui seipsum medicum appellat, dum ait : *Non est opus valentibus medicus*; de quo etiam S. Augustinus ait : « Magnus de cœlo venit medicus, quia magnus in « terris jacebat ægrotus; » hanc salutem ei ultimo loco concessit, ut per hoc doceamur, quod, dum infirmamur, maxima cura eo tendere debeat, ut animam a multis peccatorum humoribus purgemus, quia hac ratione medicinas quoque corporales nobis proficuas esse faciemus; unde Hugo Cardinalis S. Augustinum citans, dicit : « Notat Augustinus, ut « sanitas restituatur, argumentum, quod medicus

UNIVERSIDAD DE NAVARRA

« hortari debet ægrum ad pœnitentiam et confes-
« sionem, ne per peccatum irritetur medicinæ
« effectus. » Peritus quisque et expertus medicus, dum infirmum cum pluribus morbis conflictantem accedit, eum, qui periculosior et morti propinquior est, primo loco curare studet; eodem quoque modo in præsenti, quia Salvator noster peccata nostra in hoc languente majus lethalisque malum esse agnoscebat, quam erat paralysis; ideo primo loco ad illa tollenda curam animumque applicuit : « Ut do-
« ceat, » inquit Salmeron, « quanto plus referat
« curare animam, quam corpus, et quanto pejus sit
« peccatum omni infirmitate. » Sancta Mater Ecclesia filiorum suorum salutis amans et zelosa, ordinavit sub interminatione censuræ, præcipiens medicis ut infirmos suos illico admoneant instituendæ confessionis. Eadem forte etiam de causa in Missa feriæ quartæ post Dominicam quartam Quadragesimæ, in Missæ secreta dicitur : « Supplices te rogamus, om-
« nipotens Deus, ut his sacrificiis peccata nostra
« mundentur, quia tunc veram nobis tribuis et
« mentis et corporis sanitatem. » In cujus confirmationem considerare quoque possumus, quod potissimum divina pietas et misericordia infirmitates nobis immittere soleat ad castigandæ peccata et procurandam nostram resipiscentiam et emendationem. Unde S. Basilius ait : « Sæpe morbi velut
« quædam peccatorum flagella sunt, quibus nihil
« aliud agitur, nisi ut vitam nostram in melius
« commutemus. » Quot obsecro sunt, qui in gravibus suis infirmitatibus pœnitentes vere, proposita eliciunt novæ meliorisque vitæ, si a tali aut tali morbo eos resurgere contingat? De his verificatur illud, quod de Lazaro dicebat Christus, *Joan.*, XI, 4 : *Infirmitas hæc non fuit ad mortem, sed pro gloria Dei.* Sed objeceris fortasse, non semper confessione facta resurgimus sani; ita namque et hic paralyticus non subito se proripuit e lecto suo, quando ei fuerunt remissa peccata : *Remittuntur tibi peccata tua*, sed quando dixit : *Surge.* Respondetur, verum esse, quod non semper ex eo, quod peccatum remissum sit, sequatur, quod simul etiam remissa sit pœna temporalis, sed hanc opus est expiare vel igne purgatorii, vel in hac vita per pœnitentias afflictivas, ac proinde Deus in utilitatem nostram disponit, ut commodius pro pœna temporali satisfaciamus, vel per infirmitatis continuationem, vel per alias adversitates similes.

12. — Verisimile quoque est, Salvatorem nostrum in hoc facto docere nos voluisse, quod salus animæ sæpe in corporis quoque redundet salutem; quia infirmus conscientiam inquinatam habet, seque inimicum Dei esse et uno pede in inferno consistere, adeoque rigorosissimis subjiciendum esse suppliciis recognoscens, timet, trepidat, horret appropinquante excidio; e contra vero, qui bona mediante confessione, se in gratiam restitutum sperat, adeoque in quovis obvio mortis accidenti, æternæ beatitudinis regnum consequi confidit, sereno semper et quieto est animo; et hæc quies interior ad sanitatis corporalis recuperationem plurimum proficit.

13. — Salmeron duo alia motiva ponderat; dicit enim : « Prius dedit sanitatem animæ, ne illa
« corporis, manens in peccatis, abuteretur; deinde,
« ut doceat liberalitatem Domini, qui præstat
« superabundantius quam petimus, aut intelligi-
« mus; » sicut enim, si quis argenti monetam dare postulatus non solum hanc, sed insuper auream daret, magnum utique liberalitatis suæ conceptum petenti ingereret : « Ita largus est, qui petenti
« sanitatem corporis, illam etiam animæ præ-
« stat; » utique igitur fervens illorum, qui paralyticum portarunt, fides, superabundanter remunerata remansit.

Additiones.

a. — *Et videns Jesus fidem illorum.* Videns, non solum intuitu divinitatis, sed etiam corporalibus oculis; nam quamvis fides sit actus mentis, tamen in opere videtur ac manifestatur. Unde non sufficit hominem ad fidem vocatum esse, nisi etiam conformiter ad eam operetur. Reflexistine vos aliquando, ubinam a nobis Gentilibus, prima omnium sit nostræ erga Christum fidei facta professio? Utique in tugurio seu stabulo Bethleemitico, quando tres Magi Orientales, *procidentes adoraverunt eum*, suumque supremo gloriæ Regi reverenter præstiterunt hommagium. Verumtamen, ut sacri Doctores sapientissime observant, in hoc nudo obsequio minime substiterunt, nisi insuper suos illi aperirent et offerrent thesauros. Unde S. Leo ait : « Ut sa-
« cramentum fidei suæ manifestent, quod cordibus
« credunt, muneribus protestantur. » Postquam Deus S. Petrum miracula operandi dono condecorasset, quodnam primum fuisse existimatis opus, in quo eximiam hanc exercuerit potestatem? Num forte in eo, quod amissam muto restituerit vocem et loquelam? aut quod cæcum visu donavit? vel mortuum revocaverit ad vitam? Minime gentium; sed primum quod operatus fuit miraculum, fuit sanatio claudi, idque non sine ingenti mysterio; siquidem, *omnia in figura contingebant.* Per hoc namque insinuare nobis voluit, quod Jesu Christi nomen et consequenter fidem nostram profitemur, curandum quoque nobis, ut gressus probe et expedite dirigantur, id est, ut fidei, quam professi sumus, operibus correspondeamus : *Apprehensa manu ejus dixit : Surge et ambula.* Is namque qui antea claudicaverat, id est, qui veri Dei notitiam non habuerat (de quibus dicitur : *Usquequo claudicatis in duas partes?*) postquam a Deo ejusque ministris erectus est, id est, postquam ad orthodoxæ pervenit fidei notitiam, eamdem quoque operibus comprobare debet, ambobus videlicet pedibus recte

« ambulando, id est, credendo et bene operando. Audiamus hac de re loquentem S. Ambrosium, *Serm.* LXVIII : « Si Petrus petra est super quam
« ædificatur Ecclesia, recte prius pedes sanat, ut
« sicut in Ecclesia fidei fundamentum continet, ita
« et in homine membrorum fundamenta confir-
« met. Recte inquam primo in Christiano pedes
« curat, ut jam non imbecillis possit supra petram
« Ecclesiæ, sed robustus et fortis incedere. »

In Actibus Apostolorum, Deus e Cœlo ad Cornelium Centurionem Angelum quemdam submisit, qui eum monebat ut mitteret ad accersendum S. Petrum in domum suam, quia in hac, gentilitati ad religionem christianam amplexandam, portam et liberum patefacere aditum statuerat. Observanda autem sunt verba Angeli, qui de Petro ei dixit : *Hic dicet tibi quid te oporteat facere*; quibus verbis faciendi et operandi mentionem facit, quia hoc in fide præcipuum et principale est, ut scilicet juxta id quod credit vitæ suæ actiones instituat, eique conformiter operetur. Unde S. Gregorius ait : « Vera fides est quæ in hoc, quod verbis dicit,
« operibus non contradicit. »

b. — Magna fuit fides paralyticum offerentium; aliter enim minime ipsi ad tectum conscenderent, ut inde per funes hominem dimitterent ante Christum. Magna item fuit fides illius infirmi, ut patet; et tamen solum Evangelistæ mentionem faciunt de fide offerentium, et non paralytici. Cur hoc? Respondetur quod quando in Scriptura tribuuntur mirabiles effectus fidei, intelligitur de fide viva, quæ est charitate formata, hoc est, fides cum operibus charitatis ac amoris in Deum. Nam fides sine operibus mortua est. Cum autem dicitur : *Videns fidem illorum*, hoc intelligitur de fide viva. Ac proinde principaliter de fide offerentium. Nam qui infirmum portabant, charitatem et misericordiam in fructu habebant. Sic igitur sit et fides tua constituta. Fides cujvis thesauro prævalet; ut hoc tamen in se pretium habeat, ipsam a charitate nequaquam sejunctam esse oportet. Petrus Apostolus, I *Epist.*, I, 7, ait : *Probatio fidei multo pretiosior auro*, super quæ verba Glossa Interlinearis inquit : « Plus placet Deo summo artifici vestra fides, quam
« alicui artifici aurum. » Sciendum tamen est quod ut aurum hoc fidei pretium justum habeat, ignitum esse debeat; addit enim S. Petrus præcedentibus verbis citatis : *Quod per ignem probatur*; siquidem fides absque charitate neutiquam prodest. Quapropter et S. Joannes, *Apoc.*, III, 14, ad aures suas audivit allapsam vocem : *Angelo Laodiciæ Ecclesiæ scribe : Hæc dicit : Amen, Testis fidelis. Scio opera tua, quia neque frigidus es neque calidus; utinam frigidus esses, aut calidus; sed quia tepidus es, et nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo. Quia dicis : Quia dives sum et locupletatus, et nullius egeo, et nescis quia es miser et miserabilis, et pauper et cæcus, et nudus; suadeo tibi emere a me aurum ignitum, probatum, ut locuples fias.* Ast quis vestrum causam mihi edixerit, unde tam ingens hujus Episcopi, tanto in discrimine versantis, omni bono destituti, omnibusque cœli donis et gratiis spoliati, promanarint miseria? Respondet Lyranus inquiens : « Ille Episcopus Laodicensis
« dicebat : Fidem sine operibus sufficere ad salu-
« tem. » Ecce igitur vobis in quonam hujus Prælati error præcipue constitutus fuerit, nimirum quia divitem se esse gloriabatur, qui solius fidei thesaurum possidebat, quem solum ad salutem sufficere arbitrabatur. Cui obstrepit S. Petrus dum ait : *Probatio fidei pretiosior auro, quod per ignem probatur.* Unde et Deus dictum Episcopum a manifesto adeo errore liberaturus subjungit, dicens : *Suadeo tibi emere a me aurum ignitum*, id est, ut Interlinearis explicat, *charitatem*; seu ut Lyranus interpretatur, *charitatis incendium.* Nam ut S. Augustinus ait : « Quis salubriter fidelis, nisi ea fide
« quæ per dilectionem operatur? »

c. — Repræsentabat hic paralyticus animam in Purgatorio detentam; uti enim paralyticus in lecto Christo per se appropinquare non poterat, ita nec illa a purgatorio igne se potest proripere, sed alieno charitativo opus habet. Et ideo turbæ pios hujusmodi animarum adjutores designant. Pulchre Vener. Beda : « Intuendum sane, quantum propria
« cujuscumque fides apud Deum valeat, ubi tan-
« tum valuit aliena, ut totus homo repente interius
« exteriusque sanatus exsurgeret. Aliorum merito
« aliis relaxantur errata. » Itane aliorum fides valet? An ergo formata esse debeat, ut animabus prosit? Controversia est. Videtur autem quod Christus in iis qui orant et satisfacere intendunt pro aliis, fidem in charitate formatam requirat, quia nullum opus, quantumvis in se bonum sit, meritorium esse potest illi pro quo offertur, si offerens inimicus sit Dei. Dicit enim Apostolus, I *Cor.*, XIII, 1 : *Si linguis hominum utor*, etc., *charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* David autem, *Psal.* LXV, 18, inquit : *Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus.* S. Bonaventura, in *Compendio theologicæ veritatis*, dubium hoc resolvit, dicens : « Ex parte agentis requiritur quod sit in
« charitate. » Neque in controversiam vocari potest quin hæc opinio securior sit, et animabus purgantibus fructuosior. Nam ut S. Bernardinus ait : « Quanto magis ille qui facit aliquod bonum, est
« in majori gratia Dei, tanto magis placet Deo, et
« animæ recipiunt majorem consolationem et præ-
« mium; quia quanto est magis justus, plus valet
« et prodest animabus, quia Deus est magis con-
« formis et gratus suæ orationi, quam alterius non
« justi. Quemadmodum si amicus dominationis
« peteret aliquam gratiam pro aliquo, magis exau-
« diret eum quam si foret suus inimicus. *Secunda*

« veritas est quod eleemosyna facta a justo pro « defunctis, plus placet animæ in Purgatorio existenti, et majorem illi consolationem affert, quam « facta ab uno peccatore. Ratio est quia ex quo « illa anima in Purgatorio existens est in gratia, « fit conformis voluntati divinæ et placet sibi quod « placet Deo, et displicet sibi quod displicet Deo : « et sicut Deus magis exaudit orationem justi, et « accipit eleemosynam ipsius potius quam peccatoris, ita accidit in animabus Purgatorii, quia « magis placent ei bona justi quam peccatoris. « *Tertia* veritas est quod etiam licet homo sit peccator et faciat aliquod bonum pro animabus Purgatorii, tamen illud bonum potest valere ipsis « animabus. Et mihi placet quidem, quia est « magna confortatio peccatoribus, quod bona quæ « peccator facit in peccato mortali, non valent « sibi, sed animabus. Sed quomodo valebit animabus in Purgatorio existentibus, quia videtur « quod non plus potest conferre aliis, quam in se « habeat? Et si bene recordaris, ubi teligi de ista « materia, ego dixi quod Deus confert peccatori « bonum, quia facit habere bonam fortunam in « hoc mundo, et valet sibi ad consequendum propter illud gratiam Dei et contritionem peccatorum suorum; et sic hujusmodi valet existenti in « Purgatorio, quia existens in Purgatorio habet « pœnas temporales. » Paulo post vero hanc subnectit exhortationem : « Quamvis sis in peccato, « non cesses orare pro defunctis et facere eleemosynas et alia bona pro eorum animabus, quia « etiam orabunt pro te, quod Deus det tibi gratiam « pœnitendi. » An vero indulgentiæ animabus illis ab eo qui non est in gratia Dei, applicatæ validæ sint, quoad hoc Santarellus affirmative respondet et probat, quia si, v. g. Papa concedat, quod qui talem Ecclesiam visitat, animam aliquam ex Purgatorio liberare possit, non est necessum ut is qui hanc visitationem adimplet, sit in gratia; et ratio est, quia hæc indulgentia data est in favorem animarum purgantium, quæ sunt in gratia, et consequenter dispositæ et capaces ad acquirendum sanguinis et meritorum Christi ac aliorum Sanctorum, in ærario Ecclesiæ depositum thesaurum.

S. Bonaventura quærit : An suffragia magis prosint illis, pro quibus fiunt, vel aliis? Citatque S. Augustinum dicentem : « Ideo prosunt, quia « meruit ut prodessent; ergo si magis meruit, « magis prosunt; quia in per se prædicatis talis « consequentia tenet. Item profectus suffragiorum « est secundum Dei distributionem; ergo si ipse « non est acceptor personarum, videtur quod magis debet distribuere ei qui magis est dignus. » Seraphicus Doctor tamen pro contraria opinione concludit, sequentibus rationibus innixus : « Cum « Deus exaudit nos, quodammodo conformat voluntatem suam nobis, quia obedit Deus voci « hominis. Ergo si aliquis habeat charitatem, et « oret specialiter pro aliquo, videtur quod Deus « specialiter accipit pro illo; ergo videtur quod « magis prosint illis, pro quibus specialius fiunt. « Item si in vita ista aliquis daret eleemosynam, « magis sibi prodesset quam aliis; ergo si ad ejus « imperium detur post mortem, cum pro tali habeat Deus, ac si imponderet, magis ergo prodest « sibi quam aliis. Item Deus acceptat opus secundum intentionem, sed intentio facientis est quod « specialius et magis prosit illi pro quo facit. Item « per impossibile ostenditur, quia si non prodest « magis, ergo non oportet specialiter rogare pro « aliquo; ergo movetur stulte tota Ecclesia, quia « specialiter orat. » Tandem vero dubium hoc sequenti conclusione solvit et explicat, inquiens : « Suffragia mortuorum, si fiant in communi, prosunt magis ei qui magis meruit; quod si in « speciali, magis prosunt ei pro quo fiunt. »

Porro idem Seraphicus Doctor, in eodem *Compendio theologicæ veritatis*, ut nos omnes ad hæc suffragia tanto efficacius permoveat, sequentem subnectit notatu dignam considerationem inquiens : « Quamvis suffragia non prosint his, qui sunt in « inferno, aliquo modo prosunt etiam illis. Unde « nota, quod valent illis qui sunt in Purgatorio, « per modum purgationis, valent salvatis qui sunt « in cœlo, per modum conjunctionis, quia multiplicatio salvandorum augmentat gloriam accidentalem; valent et damnatis in inferno per modum « diminutionis, quanto enim plures salvantur per « meritum Ecclesiæ, tanto pauciores damnabuntur; « et ita minor erit pœna per subtractionem consortii illorum. »

d. — *Confide, fili.* Victor Antiochenus, *in cap. u Marci*, sic in hunc textum scribit : « Quod autem « paralyticum hunc filium vocat, illud aut propter « fidem, quam de illo conceperat, facit, aut certe « ad creationis causam respicit. » Nec immerito ideo filium vocat, quia ad creationis causam respicit, quia homo Dei opus est. O quantum hoc est Dei in hominem beneficium, dum a Deo esse et hoc quidem nobilissimum accepit, ita ut idcirco filium vocet hominem. Quantas igitur idcirco non habet obligationes, ad gratiarum actionem. S. Gregorius Nyssenus postquam oculos suos ad hanc vastam universi machinam direxisset, eamdem a superno Artifice fabricatam esse considerans, subjungit : « Quis me cum pulvis inanimis pulvis essem vitæ « pariter et mentis participem fecit? Quis hoc latum « ad imaginem figuræ divinæ formavit? » S. Bernardus, in sermone *de quadruplici debito*, inquit : « Ecce in janois est qui fecit cœlum et terram, et « Creator tuus est, tu creatura; ille figulus, tu « figmentum. Totum ergo quod es, illi debes a quo « totum habes, illi præcipue Domino qui et te fecit, « et benefecit tibi. » Idem quoque in alio sermone

ad hoc tam sublime esse contemplandum his verbis invitat : « Cogita qualem te fecit; nempe etiam « secundum corpus egregiam creaturam, sed secundum animam magis, utpote imaginem Creatoris insignem, rationis participem, capacem « beatitudinis sempiternæ. » Divus Chrysostomus, *Hom.* XVII *in Gen.*, diversas divinitus homini inditas gratias favoresque considerans, sequentem enarrat beneficiorum seriem dicens : « Quomodo quis cogitare sufficeret ea quæ in nos jam sunt collata, quæ « item promissa, quæ et quotidie conferuntur? « Quod ex nihilo produxit, ut essemus, quod corpus « et animam dedit, quod rationales nos formavit, « quod aerem respirationi concessit, quod creaturam omnem propter humanum genus produxit. »

Nobis alia moneta præsto non est, qua infinitas obligationes nostras erga Deum exsolvere valeamus, præterquam humilis et obsequiosa gratiarum actio. « Magno debito obligata es, anima mea, » inquit, in Meditationibus suis, S. Augustinus, « multum « accepisti et nihil a te habuisti, et pro omnibus his « non habes quod retribuas, nisi tantum ut diligas. » S. Bonaventura modum tradit, quo bona quæ recipimus, digne meditari et ponderare valeamus : « Scias, » inquit, « quod triplici considerationte potes tuas meditationes variare et dilatare, « ut nunc tua quidem meditatio versetur circa « ipsum benefactorem, nunc circa te ipsum, cui « benefecit, nunc circa ipsa beneficia quæ tibi « multipliciter elargietur. »

e. — *Filium* vocat hunc paralyticum Salvator noster; imo in Evangelio, nullum alium hominem leges *filium* a Christo vocari. Caute dixi hominem, quia Dominus mulierem illam, quæ tetigit fimbriam vestimenti, filiam vocavit, *Matth.*, IX, 22, *Luc.*, VIII, 48. Hunc autem inter cæteros, filium dixit, quia hic erat valde miserrimus pauper, dissolutione membrorum infirmitatem patiens, et tantam hominis miseriam, tam blando atque affabili nomine filii voluit Dominus lenire ac consolari, nobis præbens exemplum, quam sibi gratum sit subsidium et compassio in pauperes, cujus multi et pretiosi sunt fructus, etiam in hac vita mortali, sed præstat majores his considerare.

S. Damascenus gloriam et honores immensos in judicio finali, toto cœlo, terraque spectante, eleemosynariis obventuros considerat, quando Christus in majestate residens, non ad Apostolos, Virgines et Martyres, sed ad illos qui pauperibus misericordiam præstitere, cum gratiarum actione conversus, frustula panis et pannos, quibus se cibatum vestitumque asseret, exhibebit : « Deus virtutum, tunc « comprobabit, » inquit hic Sanctus, « Angeli laudibus efferent, homines omnes, qui post orbem « conditum extiterunt, beatum te prædicabunt, « gloria sempiterna, gloria justitiæ, cœlorum regnum, præmia tibi futura sunt. »

f. — « Quod autem paralyticum hunc *filium* « vocat, » dicit Victor Antiochenus, « est quod ad « creationis causam respicit. » Cui etiam responso, suscribit D. Hilarius, *can.* VIII *in Matth.*, quia homo Dei opus est, ac proinde quamvis homo, ob suam miseriam despiciendus esset, quia tamen Dei opus est, ac imago illius, ideo pie tractandus, ac benigne fovendus, si non propter se, saltem propter auctorem et Creatorem.

g. — *Remittuntur tibi peccata tua.* Offerebatur Christo Domino iste homo, ut ab ipso sanitatem corporis impetraret; ipse tamen prius dat remissionem peccatorum. Hujus rei causam dat S. Chrysostomus, *Hom.* XXX, dicens : « Noluit statim corpus « palam propositum curare, verum ut inimicis « suis occasio traderetur, latentem atque abditam « curam animæ contulit, cum peccata dimisit. » Priusquam Dominus petitam corporis sanitatem homini daret, ei remittit peccata, prævidebat enim Dominus calumniam Scribarum, quæ ex hoc facto erat sequenda : Ut inde occasionem assumeret suam probandi divinitatem, duplici scilicet signo, revelando cordis arcana et dando salutem corporis. Solet enim Deus inter invidias aliorum felicitates adangere, ut tanto magis invidum torqueat et castiget. In Ægypto populus Hebræus servituti subjacebat, desudans pro rege, plurimumque ei afferens bonum, et nihilominus, hic livore in eo exarsit, *Exod.*, I, 7 : *Filii Israel creverunt, et quasi germinantes multiplicati sunt ac roborati nimis.* Quem profecto populum pacificum cernere impotens Pharao, legitur talem fecisse resolutionem : *Ecce populus filiorum Israel multus et fortior nobis est; venite, sapienter opprimamus eum ne forte multiplicetur.* Sed quem rei hujus exitum fuisse putatis? Providentia divina multis Ægyptum feriit flagellis, ipsumque invidum regem internecioni dedit. Hinc Scriptura ait, *Exod.*, IX, 6 : *Mortua sunt omnia animalia Ægyptiorum; de animalibus vero filiorum Israel, nihil omnino periit. Et misit Pharao ad videndum, nec erat quidquam mortuum de his, quæ possidebat Israel, ingravatumque est cor Pharaonis.* Videns namque his quos ipse oderat majores semper impertiri cœlitus prosperitates, in furorem convertebatur; nec immerito, quia ut Oleaster ponderat : « Vult « Dominus impios cognoscere bona piorum, ut « inde magis invidia torqueantur, et contabescant, « et ut dupliciter gaudeant pii, semel de beneficiis « collatis, et iterum de admiratione et invidia « impiorum. Aggravavit se cor Pharaonis : non « solum malis fiunt impii deteriores, sed bonis « piorum quibus invident. » Diogenes quondam interrogatus, quonam modo se inimico suo vindicare posset, respondit : « Veritate et argutia; » id est, bene et virtuose se habendo in cunctis operibus suis; hoc enim modo efficiet ut cor et viscera adversarii sui per invidiam disrumpantur.

Ideo quoque S. Augustinus ait : « Numquid melius « invidos torquere poteritis, quam virtutibus et « gloriis serviendo? »

h. — D. Leo, *Serm.* XI *de Pass.*, inquit : « Remit- « tuntur ei peccata sua, ut per omnia opera sua « ostenderet, in illo adventu suo, Salvatorem « mundi se venisse non judicem. » Valde mirum quod, paralytico totis viribus in Christum converso, ei remittuntur peccata et tamen calumniantibus Scribis supplicium, pro sua temeritate eis a Domino non infligitur. Volebat enim Dominus, in suo adventu, declarare non Judicem sed Salvatorem; et ideo quæ misericordiæ ac pietatis sunt, indilate profert.

i. — Paralysi medicinam exposcit paralyticus, et remissionem peccatorum impertit Christus. Non id expetit æger; salutem corporis exoptat, non delictorum veniam. Fac, o Domine, medicinam corpori, quam postulat et postea medearis animæ morbo. Cur prius tollis morbum peccati ab anima, ut a corpore tollas morbum? Caves ac non possis corporis sanare ægroti, nisi ante ejicias ab anima peccatum? Ergo peccatum paralytici tollis ut reddas paralytico integram corporis sanitatem, ut ablata morborum origine, nempe peccato, auferantur mala quæ ex peccato oboriuntur. O saluberrimum aphorismus! Tollitur prius peccatum, quæ est radix et causa morborum, ut ita facile infirmus restituatur sanitati. Frustra sanitatem quærit, qui infirmitatum originalem causam intrinsecus alit; infirmitates enim corporales, ut plurimum peccatorum nostrorum sunt fructus. Ecclesiasticus, XXXVIII, 15, ita nos admonet : *Qui delinquit in conspectu ejus, qui fecit eum, incidet in manus medici*; et reipsa experientia quotidiana nos docet, majorem infirmitatum partem peccatorum nostrorum fructum existere. Unde antiquus Tertullianus crimina nostra sequentibus describit terminis, inquiens : « Crimina tam exitiosa, tam « devoratoria salutis. » Peccatum enim velut avida quædam et insatiabilis fera corporalem nostram invadit sanitatem, ut illam dilaceret. Unde Eliphaz, *Job.*, IV, 7, interrogat : *Quis unquam innocens perit? Quin potius vidi eos, qui operantur iniquitatem et seminant dolores, et metunt eos.* Quibus verbis cum iniquitate non solum semen calamitatum et infirmitatum, verum etiam abundantem illarum messem conjungit, quia offensa Creatoris in offensam creaturæ offendentis communiter recedit. Videbitis nonnunquam hunc vel illum colicos patientem dolores, vel intolerabilem stomachi cruciatum et languorem : undenam vero hæc mala derivari existimatis? S. Ambrosius inquit : « Unusquisque se eviscerat « luxuriosus, helluo interuecat; quantos ruperint « vina, dissolvit ebrietas, distendit cruditas? » Ipsemet Salvator, qui de seipso ait : *Non est opus valentibus medico, sed male habentibus*, sanctæ Brigittæ rationem assignavit tot defectuum naturalium, claudicationis scilicet, cæcitatis, surditatis, paralysis, aliorumque similium; ait enim ad illam : « Quod « autem unus cæcus, alter claudus efficitur, vel « ejusmodi, hoc non est propter præscientiam « meam, cum omnia ita præscio, quod nullus fiat « ex ea deterior, vel aliquibus obsit præscientia « mea; nec fit ex elementorum cursu et statione, « sed ex occulta justitia, indispositione et conser- « vatione naturæ. Peccatum enim et indispositio « naturæ multipliciter deformitatem adducit mem- « brorum; nec ideo fit quia volo, sed quia ex « justitia permitto fieri. »

Versus 3.

Ecce quidam de Scribis dixerunt intra se : Hic blasphemat.

1. — Cur Salvator prius animæ, postea vero corporis salutem huic infirmo conferre voluerit, hujus Toletus talem rationem reddit : « Ut occasionem « arriperet ex animæ curatione demonstrandi suam « divinam in remittendis peccatis potestatem, quæ « minus agnoscebatur, quam potestas sanandi cor- « pora; » at vero sicut arancæ proprium est, ex eodem flore, e quo apis mel sugit, venenum elicere, ita malignitas pharisaica ex hac indulgentia et absolutione, paralytico a Christo collata, ipsum tamen ut blasphemum calumniandi motivum sumpsit; notat tamen Evangelista, quod non aperte, sed interius in corde suo dixerit : *Hic blasphemat.* Unde Salmeron ait : « Intra se, non extra, vel ob plebis « timorem, vel quia locus erat interpretandi verba « Christi. »

2. — Porro motivum, ob quod eum blasphemasse censebant, erat, quia scilicet Christum hominem, non vero Deum existimantes, eumdem tanquam si temere id quod soli Deo competit, sibi arrogaret, reprehendebant, quod etiam Cajetanus dicere voluit, dum ait : « Arrogando sibi homini, quod est « proprium Dei. » Et Dionysius Carthusianus, dicens : « Deo contumeliam facit, usurpando sibi « quod Dei est; » verum quidem est, ipsos potius uti debuisse argumento, quod S. Hilarius facit, inquiens : « *Nemo potest dimittere peccata, nisi solus* « *Deus*, ergo qui remittit, Deus est, quia nemo « remittit, nisi Deus; » at vero propria invidia excæcati, sub carne mortali Deum latere posse, intelligere non poterant, « quia videbant homi- « nem, » inquit S. Thomas, « et non videbant « Deum. » Euthymius de hisce Scribis ait : « Offen- « debantur præ invidia et malitia; nam frequenter « eum viderant, etiam cum auctoritate morbos « fugantem, dæmones ejicientem, vento marique « imperantem et hæc omnia modo humanas vires « superante; sed hi propria ulcescentes affectiones, « Dei videbantur injurias ulcisci. » Idem quoque Jansenius in iis reprehendit, dum illos propria passione excæcatos fuisse demonstrat, dicens : « Quid- « nam de Scribis, legis scientia sibi placentes et « suam gloriam obscurari; fama Jesu dolentes, « mox in verbis Domini invenerunt quod culpa- « rent; » enim vero Deum solum peccata remittere posse, ex Moysis et Prophetarum libris didicisse poterant; id enim claris verbis Deus ipse dicit, *Isa.*, XLIII, 25 : *Ego sum, ego ipse, qui deleo iniquitates tuas*; et tamen, ut Jansenius advertit, « ita tem- « peravit suum sermonem Dominus, ut, si æquo « fuissent in ipsum animo, non accepturi fuissent « criminandi occasionem; non enim dixerat : *Re-* « *mitto tibi peccata tua*, sed quo minorem occa- « sionem præberet impiarum cogitationum, ac « arrogantiæ notam effugeret, *remittuntur*, inquit, « *peccata*, quæ etiam Prophetæ et Sancti cujuslibet, « ex spiritu Dei loquentis, verba esse poterant. »

3. — Lyranus ex hisce Pharisæorum verbis clare dedici demonstrat, negasse eos Christi divinitatem; unde ait : « Per hoc ergo, quod Christo « blasphemiam imponebant, in hoc quod peccata « dimittebat, patet, quia negabant ipsum esse « Deum, dicentes eum esse hominem; » hunc igitur Pharisæorum errorem Christus duplici via refutare contendit, licet exiguo cum profectu eorum; ideoque primo declarat divinitatem suam, dum immediate subito omnes eorum, quas in intimis cordibus volvebant manifestavit cogitationes : « Respondit eorum cogitationibus, quas cognoscere « per certitudinem soli Deo proprium est. » Secundo eamdem perhibuit divinitatis suæ evidentiam in miraculosa adeo et prodigiosa paralysis sanatione.

Additiones.

a. — *Et ecce quidam de Scribis dixerunt intra se : Hic blasphemat.* Viderant isti sanctissimam Christi vitam, ac doctrinam, viderant miracula, et dum audiunt a Domino tantum beneficium paralytico collatum : *Remittuntur tibi peccata tua*, statim dicunt : *Hic blasphemat.* Iniquorum ingenium opera sanctissimorum virorum calumniando, in blasphemias ac contumelias convertit. Justi enim specialiter infestantur. Porro hujusce veritatis, scilicet quod diabolus pestiferam hanc zizaniam seminate optimo tritico interserat, id est, sanctissimos viros falsissimis calumniis impetat, innumera possemus exempla adducere. Enimvero, *diabolus* idem significat quod *calumniator*; de illo autem Christus discipulis suis dixit : *Ecce Satanas expetivit, ut cribraret vos sicut triticum*; quod quidem vere in ipsis ad litteram adimpletum fuit, siquidem incredibile dictu est, quot ipsi ab hominibus calumnias perpessi fuerint. Et quidem, ut cætera omittam, ipsamet die qua superveniens in ipsos Spiritu Sancto repleti sunt, illos ebrios et vino nimio madentes Judæi appellarunt, *Act.*, II, 13 : *Musto pleni sunt isti.* Imo ipsemet Christus quantis enormibus criminibus innocenter traductus? *Blasphemavit*, inquit summus Pontifex, *Matth.*, XXVI, 65; *quid adhuc egemus testibus? Ecce nunc audistis blasphemiam*; quæ eadem impostura mortem illi causavit, nec tamen quicquam blasphemum locutus fuerat, sed cum ipse prima et æterna Veritas esset, se Filium Dei esse testificatus est. Alia quoque calumnia ipsi illata fuit, quando dixerunt : *In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia.* Imo ut S. Marcus, II, 22, ait : *Scribæ qui ab Jerosolymis descenderant dicebant : quoniam Beelzebub habet, et quia in principe dæmoniorum ejicit dæmonia.* S. Cyprianus, *lib. de idolorum vanitate*, de Christo inquit : « Judæi qui illum crediderunt hominem « tantum, de humilitate carnis et corporis, existi- « mabant magum de licentia potestatis. » Idem quoque Sanctus, ulterius, hanc unicam suæ ad mortem condemnationis causam fuisse dicit. Ad hæc principes synagogæ, magistratus, totiusque Hebraismi priores aliam coram præside Judææ adversus Salvatorem attulerunt imposturam, dicentes, *Luc.*, XXIII, 2 : *Hunc invenimus subvertentem gentem nostram et prohibentem tributa dare Cæsari, dicentem se Christum Regem esse.* Et tamen quam id a veritate alienum fuerit, omnibus constat, siquidem ipsemet Salvator coram eodem judice expresse declaravit, quoad hoc punctum dicens, *Joan.*, XVIII, 36 : *Regnum meum non est de hoc mundo.* Unde ipsemet judex faleri coactus est, quod hanc ei calumniam ex mera imposuissent invidia, *Matth.*, XXVII, 10 : *Sciebat enim quod per invidiam tradidissent eum.* Estque hoc ipsum ingens solatium illis qui falsis gravantur accusationibus, dum videlicet Christum, ejusque charissimos discipulos per eamdem viam processisse considerant. A Christo dicti sumus Christiani; nonne ea via qua Christus ambulavit et nos debemus ambulare? *Non est major servus domino suo. Joan.*, XIII, 16.

b. — Ad collatum homini sanitatis beneficium offendebantur hi Scribæ et Pharisæi præ invidia et malitia. Nam frequenter eum viderant etiam cum auctoritate morbos fugantem, et dæmones ejicientem, vento, marique imperantem; et hæc omnia, modo humanas vires superante, facientem. Sed hi proprias ulcescentes affectiones, Dei videbantur injuriam ulcisci. Sic seipsos torquebant, qui injuriam inferebant calumniando; semper enim gravibus damnis injuriatores sunt expositi. Injuriator famam et existimationem injuriati contaminare prætendit, et non cognoscit, quod super ipsum reincidat infamia et vilipendium. D. Chrysostomus ut nos animet, ne ob injuriam conturbemur, dicit, *in Psal.* VII : « Si contumelia afficeris, magno fer et « forti animo; seipsum enim, non te, afficit injuria, « et si percusserit, ne dexteram contra tendas; ipse « est enim qui feritur, te quidem manu, seipsum « vero ira pulsans et sibi malam ab omnibus exis-

« timationem comparans. » Severinus Boetius ad idem propositum ita discurrit : « Si cognitor resi« deres, cui supplicium inferendum putares? eine « qui fecisset, an qui pertulisset injuriam? » Et respondet : « Non ambigo, quin perpesso satisface« rem dolore facientis. » Et subjungit : « Miserior « igitur tibi injuriæ illator, quam acceptor esse « videretur. » Ac tandem concludit, inquiens : « Hac igitur, aliisque de causis, ex ea radice niten« tibus, quod turpitudo suapte natura miseros « faciat, apparet illatam cuilibet injuriam, non « accipientis, sed inferentis esse miseriam. » Huic doctrinæ consonat, quod in Epistola quadam S. Synesii Episcopi Ptolemaidis, viri admirabili sanctitate, nec minori sapientia conspicui, his verbis legitur : « Majus malum est inferre, quam perpeti « injuriam, illud enim proprium malum est, hoc « alienum. » S. Augustinus quoque idipsum in quodam sermone, *de verb. Dom. Serm.* XVI, *cap.* IV, confirmat, dicens : « Ille injuriam fecit et injuriam « faciendo gravi seipsum vulnere percussit. » Quænam vero dari potest major stultitia, quam alteri pugnum impingere, ut semetipsum pugione sauciet? Injuriator, per verbum contumeliosum, apparenter saltem, injuriati honorem aliqualiter denigrat, sed apud homines sapienter alterius reputationem non diminuit, sed propriam suam famam potius contaminat. « Ad stultos enim pertinet dicere « contumelias, » inquit Abulensis, « dicente Salo« mone quod *inter stultos semper sunt jurgia*, id « est, contentiones vocales, quæ ad contumelias « pertinent; vir autem sapiens ab illis abstinet. »

VERSUS 4.

Et cum vidisset Jesus cogitationes eorum, dixit : Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris?

Cum vidisset Jesus cogitationes eorum.

1. — Ex hisce verbis, juxta Chrysologi doctrinam, *Serm.* L, testimonium elicitur divinitatis Christi, nec non certum nobis monitum et doctrina, quanta scilicet cum circumspectione et cautela omnes cordium nostrorum cogitationes et desideria instituere atque ordinare debeamus : « Cape Christi divinitatis insignia, » inquit proinde Auctor : « Aspice, cum ad cogitationum tuarum « latebras pervenisse. « Solidum ad desideriorum, cogitationum et appetituum nostrorum inordinatorum strepitum et tumultuantem turbam compescendam frenum est, si firma fide teneamus, Deum semper et ubique cordi, menti et imaginationi nostræ assistere præsentem, hacque ratione cogitationes nostras coerceamus, quæ portam pandunt peccato, illudque in animam introducunt; imo a quibus, si male ordinatæ fuerint, gravissima quævis oriuntur mala, *Gen.*, VI, 5 : *Videns Deus, quod multa malitia hominum esset in terra et cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore.* Ideoque inundante innumerabilium super terram humani generis iniquitatum immunditia, divina justitia in earum expiationem cataractas cœli aperuit, universamque terram communi diluvio suffocavit. Porro quod Deus nos nostrasque cogitationes cognoscat et videat, Sapiens clare insinuat, dum dicit, *Prov.*, XV, 3 : *In omni loco oculi Domini contemplantur.* Et, *Prov.*, XV, 11 : *Infernus et perditio coram Domino, quanto magis corda filiorum hominum?* S. Bonaventura super Lucam scribens, pro horum verborum explicatione textum illum adducit : *Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum. Eccli.*, XXIII, 28.

Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris.

2. — Id est, juxta Lyranus : « Imponendo mihi « falso blasphemia; » vel etiam, ut Lucas Brugensis, verbum *mala* declarat, « quia non zelo divini « honoris movebantur, sed libidine obtrectandi « Christum. »

3. — S. Hieronymus perpendit, quod dum Salvator occultas Pharisæorum cogitationes detegit, se verum Deum esse pariter declaravit : « Videns cogi« tationes eorum, ostendit Deum se esse, qui possit « cordis occulta cognoscere et quodammodo tacens « loquitur; quasi diceret : Eadem majestate et « potentia, qua cogitationes vestras intueor, pos« sum et hominibus peccata dimittere. » Similem quoque ponderationem S. Anselmus habet, quod scilicet occulta cordium pandendo, sanare voluerit ipsorum, circa remissionem peccatorum incredulitatem : « Se Deum evidenti signo ostendit, dum « eorum cogitationes aperit, quasi eis diceret : « Potentia, qua vestras cogitationes intueor, pos« sum et delicta dimittere. » Divus Chrysostomus, *Hom.* XXXIX *in Matth.*, pariter probat, quod reconditissima cordis humani arcana revelando, verum se Deum ostendat : « Occulta cordium quæ nosse « solius Dei est, manifestavit. » Enimvero in cordibus suis Christum blasphemare dixerunt : « Non « enim aperte, » inquit D. Chrysostomus, « sed « secum, *hic blasphemat*, dixerunt : *Dixit insipiens « in corde suo : Non est Deus. Psal.* XIII, 1. »

4. — Clare hinc patet, quam ad judicandum male de aliis, perque sinistram intentionem, aliorum operibus bonis detrahentium facies simus; quid enim sanctius esse poterat, quam auferre peccata et gratiam conferre? et tamen hoc ipsum in Christo calumniabantur, dicentes : *hic blasphemat.*

Additiones.

a. — *Utquid cogitatis mala in cordibus vestris?* Judicium temerarium hic committebant Scribæ et

Pharisæi. Judicium temerarium charitati opponitur. S. Bonaventura de hoc vitio ita scribit : « Oc« culta pestis est, sed gravissima, quæ Deum fugat « et fraternam lacerat charitatem. » Pestis enim est venenum quoddam occultum, quod ad cordis regionem serpendo vitam homini eripit. Vita autem animæ in charitate consistit, quia *qui non diligit manet in morte.* 1 *Joan.*, IV, 8. Ac proinde judicium temerarium venenum quoddam est et pestis, quæ charitatem extinguit quam proximo debemus, quia « fraternam lacerat charitatem. » Ipsum quoque Deum in fugam agit, quia *Deus charitas est.* 1 *Cor.*, XIII, 6. S. Dorothæus dignam hanc nobis insinuat propositionem : « Tanto quisque ad Deum proxime « accedit, quanto magis in amore et benevolentia « Christiana proximo suo adhæserit. » Docet vero experientia quod dum quis male de proximo suo judicat, manifeste per hoc indicet se ab eo aversam; alias enim non tam facile sinistre de eo formaret conceptum.

S. Bernardinus Senensis multa hujus pestilentis radicis temerarii judicii pessima enumerat germina, et inter cætera, in temere alios judicante, hanc manifestat malitiam, quod videlicet in tantam insaniam veniat, « ut omnia benefacta pervertat in « malum. » Id quoque exemplo malorum Scribarum et Pharisæorum confirmat, qui omnia Christi opera in malam partem interpretabantur. Ita igitur scribit : « Dicunt, si quis studet et vacat humilitati, « hypocrita est. Si recreationi, gulosus est. Si « patientiæ, timidus est. Si justitiæ, impatiens est. « Si simplicitati, fatuus est. Si prudentiæ, malitio« sus est. Si maturitati, phlegmaticus est. Si ju« cunditati, dissolutus est. Si religioni, singularis « est. Si societati, sæcularis est. Si silentio et « patientiæ, dissimulator est. Si aliorum correc« tioni, præsumptuosus est. Si instat vigiliis et « orationibus, indiscretus est. Si communi dormi« tioni, somnolentus est. Si prædicationi et aliorum « saluti, appetitor laudis est. Si desistit, negligens « et remissus est. Si habet gratiam hominum, adu« lator est. Si adulare renuit, superbus est. O Deus, « quis poterit evadere ab his labiis iniquis et a « lingua dolosa, cum et te, Domine Jesu Christe, « non legimus evasisse? » Quando radix arboris alicujus vitiosa est, videtur per experientiam, quod humorem suum vitiatim in ramos et germina transmittens, malam qualitatem suam illis pariter communicet. Eadem quoque ratio est cordis et mentis humanæ; quando enim hæc veneno odii et aversionis erga proximum est obnoxia, quidquid hic boni operatur, defectui ascribitur. Anima charitate ardens, licet actionem quamdam proximi secundum exteriorem apparentiam malam videat, attamen *non cogitat malum*, quia *charitas operit multitudinem peccatorum*, convertitque in virtutem, quod oculo vitium esse videtur, excusat actionem illam, eamque recta cum intentione factam fuisse interpretatur. At vero qui animam depravatam et cor malignum ac charitatis expers habet, actus quoque revera virtuosos sinistre interpretatur. Unde S. Augustinus inquit : « Maxime hi temere judicant « de incertis, et facile reprehendunt, qui magis « amant vituperare et damnare, quam emendare « atque corrigere. »

b. — Vide quam in vanum laborant invidiosi detractores et inimici; nam dum Christi virtuti detrahunt, majores occasiones parant Christo suos radios emittendi ac declarandi triplici signo, ut notat Cajetanus, remittendo peccata, revelando humanas cogitationes, dando salutem corpori paralytico; sic communiter blasphemiæ in ipsos blasphemos recidunt et detractores nulli afferunt majus damnum quam sibi ipsis. Lapides in sublime ex funda evibrati, majori cum præcipitio recidunt in projicientem. Eodem modo quisquis verba contumeliosa et probrosa in cœlum evomit, ob iisdem ut plurimum severiori pœnæ subjicitur; id quod S. Chrysostomus, *Hom.* III *de incomprehensibili Dei natura*, super illo textu : *Qui blasphemant, ipsi lædunt salutem et perimunt*, latius deducit, dum ait : « Verissimi namque illius sententia est, qui de « blasphemis inquit hominibus : *Qui in altum mit« tit lapidem, super caput ejus cadet. Eccli.*, XXVII, « 28; quemadmodum enim qui lapidem illo jacu« latur, corpus cœleste non attingere, nedum lace« rare potest, plagam autem suo capite excipit, cum « lapis eodem, unde jaculatus est, redeat; ita qui « beatam illam blasphemat substantiam, ut num« quam offendere eam potest, cum longe potior « atque excelsior sit quam ut affici aliquo possit « detrimento; sic ferrum adversus animam suam « acuit et parat, cum se ingratum Domino bene « merenti exhibet. » Porro Deus olim blasphemantem lapidibus opprimi jussit, *Levit.*, XXIV, 14 : *Lapidet eum populus*, et merito quidem, quia ut Procopius a Glossa allegatus ait : « Quia is erat quasi « lapis, lapidibus merito obruitur. »

Qui autem detrahit cum intentione eos bona exuendi fama, seipsum primitus, divina gratia et amicitia, virtutibus et donis, quibus ornatus erat, expoliat, seque præ omni alio vituperiis replet, dum passim maledicus, impostor, malignusque audit, et ut talis indigitatur; ideoque Ecclesiasticus, V, 16, unumquemque admonet : *Non appelleris susurro, et lingua tua ne capiaris, ut confundaris.* Potius namque maledicus mendacii reus convincitur, aut quia ipsi falsa relata sunt, aut quia peccatum occultum, quod prodidit, probare nequit, aut quia ipsemet mendacia excogitavit, præterquam quod plerumque auditores obloquiis resistant et maledictionem in ipsiusmet murmuratoris faciem retorqueant. S. Augustinus, *Serm.* XLV *ad fratres*, inquit : « Meipsum occido, si aliis detraho. » Prius-

quam mea ego murmuratione proximum feriam, morte æterna meam ipse conficio animam.

c. — Non attentis tot signis Christi divinitatem declarantibus, addurata remanent Pharisæorum ac Scribarum corda. Divinus tamen Magister ulterius nequit dissimulare, sed iniquas cogitationes audacter reprehendit; nam quamvis Scribæ et Pharisæi essent valde inflati, ac primatum in populo haberent, tamen eorum crimen non dissimulat Dominus, sed arguit; nam qui crimina dissimulat, aliquando fovet. Clemens Alexandrinus correctionem chirurgiam spiritualem appellat dicens : « Est reprehensio « quædam veluti chirurgia affectionum animæ. » Quod si hospitale aliquod ingrediamini, in eo ingentem quidem invenietis ægrotantium et vulneratorum multitudinem, qui licet acerbissimos ex vulneribus suis sustineant dolores, et juxta tritum illud axioma : « Non sit addenda afflictio afflicto; » attamen eo videbitis ingredientes chirurgos acutis novaculis et cutellis instructos; quos si interrogaveritis, quidnam hæ novaculæ sibi velint, mox audietis dicentes : « Novaculæ isthæc, aliaque « ferra ad restituendam hisce languentibus sanitatem ordinantur. » Sic igitur inquit S. Augustinus : « Corripiamus verbis, et si opus est, et verbe- « ribus, sed delictum dimittamus; culpam de corde « abjiciamus. Quid tam pium quam medicus ferens « ferramentum? Plorat secandus, et secatur; plorat « urendus, et uritur. Non est illa crudelitas; absit « ut sævitia medici dicatur. Sævit in vulnus, ut « homo sanetur, quia si vulnus palpatur, homo « perditur. » Pergitque idem S. Augustinus, *Serm. xv de verb. Dom.*, ulterius ostendere quod tunc vere ostendamus nos proximis bene velle, quando ab illis emendandis et corrigendis minime desistamus. Idem S. Doctor, in Epistola quadam ad S. Hieronymum ab eo directa, quam grata sibi fuerit ab eo sibi adhibita correctio, his verbis ostendit : « Lædis « me, si mihi tacueris errorem meum, quem forte « inveneris in factis, vel dictis meis. Nam si ea in « me reprehenderis, quæ reprehendenda non sunt, « te lædis magis quam me. » Et paulo post inquit : « Potest fieri ne tibi aliud videatur quam veritas se « habet, nam et ego amicissimam reprehensionem « gratissime accipiam, etiamsi reprehendi non me- « rui, quod recte defendi potest; aut agnoscam « simul et benevolentiam tuam, et culpam meam « et quantum Dominus donat, in alio gratus, in « alio emendatus invenior. Quid ergo fortasse? Sed « certe salubria verba tua, tanquam cestus Ætholi « pertimescam. Cædebatur ille, non curabatur, et « ideo vincebatur, non sanabatur. Ego autem, si « medicinalem correptionem meam tranquillus « accepero, non doleho; si vero infirmitas velut « humana mea, etiam cum veraciter arguor, non « potest nisi aliquantulum contristari, melius tu- « mor capitis dolet dum curatur, quam cum ei « parcitur, et non sanatur; hoc est enim quod « caute vidit qui dixit, utiliores esse plerumque « inimicos objurgantes, quam amicos objurgare « metuentes; illi enim dum rixantur, dicunt ali- « quando vera, quæ corrigamus; isti autem mino- « rem quam oportet, exhibent justitiæ libertatem, « dum amicitiæ timent exasperare dulcedinem. »

Versus 5.

Quid est facilius dicere : Dimittuntur tibi peccata tua, an dicere : Surge et ambula?

1. — S. Thomas argumentum istud prima facie, non admodum stringere videri existimat; dicit enim : « Videtur male arguere Dominus, a minori « affirmando ad majus; facilius enim videtur, « sanare corpus quam sanare animam; » natura enim per potentiam obedientialem non repugnat, homo autem per voluntatem suam gratiæ resistit. Ad hoc autem, responsionem adducit S. Hieronymi, dicentis : « Facilius est dicere, quam facere; rerum « quantum ad animam, fortius est animam quam « corpus sanare, sed quantum ad potestatem, « eadem est potestas utrobique. » Carthusianus inquit : « Dicendum, quod Christus intendit pro- « bare utrumque soli divinæ posse convenire poten- « tiæ; » timetsi enim paralysis naturaliter curari possit, nihilominus per virtutem naturalem, paralyticum eo modo, quo Salvator ipsum liberavit, a paralysi curare non poterat; nam « imperialiter, « subito, auctoritative curare non compelit nisi « potentiæ infinitæ. » Ostendendo igitur, quod per divinam potentiam paralysi imperare poteret, se Deum esse et consequenter peccata remittere posse ostendebat.

2. — Toletus ad id explicandum, similitudinem quamdam adducit, inquiens, Christum hic non intendisse, quod ad facilitatem comparare inter se remissionem peccatorum et paralytici sanitatem, sed tantum docere voluisse, neutrum ab humana dependere potestate : « Dicimus enim : Quid est « facilius homini, volare in cœlum, an suscitare « mortuos? non quod hæc duo sint æqualis difi- « cultatis, sed quod utrumque sit homini impossi- « bile; sic nunc dictum est, non esse facilius « dicere : *Surge et ambula*, quam dicere, *remittun- « tur tibi peccata*, id est, humanam virtutem, utrum- « que superat, divinæ solius est potestatis. » Observat item, quod verbum *dicere* non de solo vocis sono hic intelligendum sit, sed de effectu producto. « Verbum illud *dicere*, non voces tantum significat, « sed rem ipsam, vere nempe et cum effectu « dicere. » Id quod Lucas Brugensis bene explicat, considerando, quod remissionem peccatorum, quam se ei tribuisse dicebat, quia sub sensus non cadebat, nemo sensibiliter videre poterat. Atque ideo « ad « confirmationem invisibilis remissionis peccato- « rum, quam quivis facile jactare posset se dare, « nec ex re ipsa mendacii convinci, citat rem visi- « bilem atque manifestam, quam qui promittat, mox « arguatur mendacii, nisi ob oculos eam exhibeat; » ideoque Didacus Stella etiam dicit : « Nullus unquam « fecit miraculum, ad probandum quod nemo pos- « set peccata dimittere, nisi solus Christus. »

3. — Præter prædictas responsiones, Salmeron notat, quod in ordine ad liberalitatem divinam, hæc institui possit comparatio : « Quia Deus suapte « natura pronior est ad magna, quam ad parva, « ideo recte probat per hoc, quod facit id, quod « minus sibi convenit, id quod magis ei quadraret, « quodque magnificentiæ ejus est accommodatius « et per corporis salutem, animæ sanitatem. » Pergit quoque idem auctor ostendere, Salvatorem se Judæorum capacitati adaptare voluisse, quibus difficilius videbatur, paralyticum hunc unico verbo sanare, quam peccata remittere : « Quia illud sub « aspectum cadit, hoc non cernitur; illud fingi non « potest, hoc vero potest. »

4. — Cajetanus hac de re ita discurrit, dicens, Christum omnes Scribarum cogitationes et suspiciones confutare voluisse, quorum aliqui putabant, facile esse dicere : *Remittuntur tibi peccata tua*, quia hanc remissionem nemo videbat, nec quisquam de ea testari poterat, quia non apparebat, atque ideo aliqui eorum dixerunt : *Hic blasphemat*; id est, auctoritatem soli Deo propriam usurpat; alii existimabant, quod quando coram eo paralyticus oblatus fuit, per artificium et dolum dixisset : *Remittuntur tibi peccata tua*, ut sic defectum potestatis sanandi eum contegeret; hoc enim illi facile erat dicere, cum nulli illius viderentur effectus, non vero illud, ad quod divina requirebatur omnipotentia, atque ideo Christus subjunxit : *Ut autem sciatis, quia*, etc. Ubi D. Chrysostomus ait : « Nec est dubium, quin « confirmatio imbecilli corporis facilior sit; nam « quanto anima corpore præstantior, tanto curatio « ejus, curatione corporis major et difficilior; ve- « rum, quoniam alterum latet, alterum patet; quod « quidem minus est, sed tamen manifestius, adji- « cio, ut illud majus ac invisibilitate confirmatius « certiusque per hoc reddatur. » S. Bonaventura super hæc verba, breve quoddam format argumentum; quia enim Christus, se Deum esse et peccata dimittere posse, probare volebat, sequenti usus fuisse videtur discursu : « Omnis qui potest paraly- « ticum solo verbo curare, solo verbo peccata « potest dimittere; sed Filius Dei potest paralyti- « cum solo verbo curare, ergo, etc. »

5. — Paulus de Palatio Redemptorem nostrum, quid ipsi facilius fuerit, interrogat, an dicere paralytico : *Remittuntur tibi peccata*, an, *surge et ambula?* et respondet : « Sane si expendas Dei « amorem, gaudium in conversione peccatoris, « sanguinis pretiosi communicationem et pretium, « quo plus æstimat Deus animam quam corpus, « multo facilius dicit Christus : *Remittuntur tibi « peccata tua*, quæ non dimittebantur, nisi quia « Christus se abstringebat, magno ea animi sui « dolore deleturum. »

Versus 6.

Ut autem scialis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata; tunc ait paralytico : Surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam.

Ut autem scialis, quia Filius hominis, etc.

1. — Hujus argumenti efficacia, ut Toletus docet, in hoc consistit, quia miraculum visibile, quod in eorum præsentia edebat, quodque sola virtute divina effici poterat, in probationem remissionis et veniæ peccatorum patrabatur; unde consequens erat, quod si hanc auctoritatem non habuisset, in hujus quoque remissionis testimonium, sanare nequiisset infirmum, quia Deus non potest esse testis rei falsæ, aut ei assensum præbere; « aut « ergo negare debebant, paralyticum esse sanatum « divina virtute, quod facere non poterant, aut si « confitebantur, divina virtute esse factum, com- « pellebantur fateri Christum, etiamsi homo esset, « habere potestatem primum faciendi. »

2. — Christus in his verbis, juxta S. Thomæ glossa, se Deum esse probavit, nonnullosque hæreticorum errores convicit : « Per hoc manifestat se « Deum; *ipse enim salvum faciet populum suum a « peccatis eorum*; et dum dicit, quod Filius hominis « id facit, et dicit, in terra, duplicem elidit errorem, « scilicet Nestorii et Photini. « Nestorius enim Filium hominis et Filium Dei, duo distincta supposita esse, nec quod verificabantur de uno, de altero quoque afferri posse dicebat, unde dici non poterat secundum ipsum : Hic puer stellas creavit; ac proinde contra hunc Christus ait : *Filius hominis*, quia Dei proprium est peccata dimittere. Contra Photinum quoque hæc verba militabant, qui Filium Dei, suum ex Maria principium habere, divinitatem vero sibi per meritum comparasse dicebat, his innixus verbis : *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra*; contra hunc ergo dicit, *in terra*. Unde Baruch, III, 38, dicit : *Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est.*

3. — Jansenius Christum circa hanc peccatorum remissionem, summa cum modestia locutum fuisse perpendit, dicendo : *Remittuntur tibi peccata tua* : « Non aperte sibi Dominus vendicaverat hanc po- « testatem, tamen quoniam eum sibi vendicasse « Pharisæi intellexerant, ostendit evidenter, eam- « dem sibi vere convenire; ubi observandum, quo- « modo semper Dominus aliorum malitia in bonum « aliquod utitur. »

4. — Porro quod dixerit : *Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata*, ex certo id fecit mysterio, inquit idem Jansenius, « significat « enim, non solum habiturum potestatem, cum in « cœlo esset regnaturus, sed etiam habuisse, cum « adhuc in terris versaretur in forma servi. »

Surge.

5. — S. Bonaventura, *in Luc.*, hujus patrati miraculi virtutem ab effectibus deducit, qui illud mox consecuti fuere, qui omnes in hoc infirmo valde exstitere mirabiles : « In tribus concluditur « perfecta sanitas, contra tria mala quæ facit ægri- « tudo paralysis; reddit enim inhabilem ad stan- « dum, et inhabiliorem ad operandum, et inhabi- « lissimum ad ambulandum; at contra imperat ei « Dominus rectitudinem status, fortitudinem actus, « et promptitudinem motus. »

6. — Cajetanus advertit, Christum in tribus præcipue divinitatem suam prodidisse : primo in cordibus Pharisæorum illorum, legendo secretas cogitationes, quas ipsi mente volvebant : *Cum vidisset cogitationes eorum*; secundo per vocis suæ imperium, subito paralytico dando sanitatem; tertio remittendo peccata, in cujus confirmationem se miraculum patrare protestabatur. Unde Chrysostomus, *Hom.* XXXVI *in Matth.*, scribit : « Videsne, « quemadmodum tam corporum quam animarum « conditorem se esse ostendat, nam utriusque « substantiæ morbum curavit. »

7. — Lyranus differentiam notat, quæ inter miracula Christi et aliorum Sanctorum cernitur : « Alii sancti, qui fecerunt miracula, faciebant « hæc, implorando divinam virtutem, non impe- « rando, sed si aliquando in talibus imperabant, « hoc non erat in virtute propria, sed exprimendo « virtutem Christi; tanquam ministri, non domini. »

8. — S. Thomas quoque circa hoc miraculum similem quamdam habet ponderationem cum illa, quam S. Bonaventura affert, notat enim, paralyticum hunc in lecto jacuisse, portatum esse, nec quidquam se movere potuisse, « quia ergo jacebat, « dixit : *Surge*; quia portabatur, præcepit ut por- « taret lectum suum; quia ire non poterat, dixit : « *Et ambula*; Dei enim perfecta sunt opera. »

9. — Hugo Cardinalis in sensu morali ait : « Surgite per bona desideria; et ite per bona « opera. » Glossa Rabani doctrinam sequens, dicit : « Surgere, est animam a carnalibus desideriis « abstrahere; » quæ moralitas optime consistit cum hac S. Gregorii sententia : « Per lectum volup- « tas corporis designatur. » S. Thomas ait : « *Surge* « a peccato per contritionem, dicitur peccatori in « peccatis jacenti. » S. Antonius Paduanus, *Serm. in hac Dom.*, inquit : « Paralyticus surgit, quando « peccator vitia, in quibus jacuerat, deserit; » tunc enim perfecta solus et conversio animæ alicujus sperari poterit, quando malas illas deseret conversationes, seque a locis et personis illis elongavit, quæ illi antea offendiculo erant.

Tolle lectum tuum.

10. — Toletus super hujus sanati paralytici humores, hunc lectum videns, illum ei impositum fuisse dicit, pro majori evidentia et stupore miraculi : « Ut perfectius miraculum esset magisque illos « convinceret, non solum sanavit, sed tantas etiam « vires corporisque robur simul in momento con- « tulit, ut posset lectum suum, in quo a quatuor « portabatur, solus ipse portare; » observatque, Christum non sine mysterio adjunxisse, ut illum in domum suam deferret, quia hasce restituti roboris vires, non solum per modicos gressus, sed per longum iter patere voluit.

11. — Circa hæc verba sacri Interpretes, multos eosque utiles, tangunt sensus morales; S. Thomas ad peccatorem per pœnitentiam ad Deum conversum, alludens, dicit : « *Surge* a peccato per contri- « tionem, *tolle lectum* per satisfactionem. »

12. — Glossa ait : « Tollere lectum est, carnem « a terrenis desideriis ad voluntatem spiritus attol- « lere. » S. Gregorius postquam per lectum, voluptatem carnalem intelligendam esse dixisset, subjungit : « Jubetur itaque ut hoc sanus portet ubi « infirmus jacuerat; quia omnis, qui adhuc vitiis « delectatur, infirmus jacet in voluptatibus carnis, « sed sanatus hoc portat, quia ejusdem carnis con- « tumelias postmodum tolerat, quæ intus prius in « desideriis requiescebat. »

13. — Idem quoque S. Doctor in homilia quadam super Ezechielem, de hoc lecto in sensu spirituali dicit : « Quid est dicere, *tolle grabatum tuum* « *et vade in domum tuam*, nisi, porta tentationes « carnis, in quibus hactenus jacuisti, ac revertere « ad conscientiam tuam, ut videas quæ fecisti? » advertendum est enim, quod absolutio sacramentalis peccatum quidem quoad culpam aboleat, non vero quoad malos habitus et inclinationes ab illo contractas; ideoque ad industriam nostram pertinet, malum, quæ remanet, propensionem eradicare, suggestionesque et præteritarum voluptatum reminiscentiam, per macerationes corporis, sensuumque custodiam reprimere.

14. — S. Anselmus quoque, *Serm.* LXXI, hunc lectum de reprimenda carne nostra exponit, dicens : « Id est, carnem per frenum continentiæ correctam « rege, ut anima corpori dominetur, quæ prius « serviebat ei, et ab eo regebatur. »

15. — Albertus Magnus ait : « Lectus animæ « est corpus; tunc tolletur, cum corpus a spiritu in « Dei servitio strenue exercetur, cum videlicet « homo jejunat, vigilat, orat, plorat et per alia « pœnitentiæ opera corpus suum castigat. »

16. — Venerabilis Beda similiter in hoc paralytico curato, peccatorem ad pœnitentiam reductum agnoscit, quia lecto sensualitatum, quas jam detestatur, resurgit : « Grabatum tollere, est ipsam car- « nem per continentiæ frena correptam, spe cœles- « tium præmiorum a deliciis segregare terrenis. »

Et vade in domum tuam.

17. — Toletus causam, cur paralyticus in domum suam remissus sit, nobis indicat, idque non casu sed consilio excogitato factum fuisse dicit : « Mittitur in domum suam, in qua testes erant « perpetui infirmitatis illius; atque ut in hoc divi- « nam virtutem suam exerceret, qui ostendebat se « nosse, paralyticum domum habere. » In Evangelio S. Lucæ quod Toletus commentariis suis illustravit, Salvatorem paralytico dixisse legimus : *Tibi dico, surge, tolle lectum tuum.* Ubi Toletus ait : « Considera vim verbi, *dico*, ut exprimat se verbo « sanare, verbumque suum efficax esse, sicut et « primum quando remisit peccata; dixit autem : « *tibi*, ut magis potestatem ostenderet, quasi dice- « ret : non præcipio aliis, ut te juvent et lectum « portent, sed *tibi* soli; in quo, » ut Albertus Magnus ait, « notatur sanitatis permanentia. »

18. — At dicet fortasse quispiam, numquid ad hoc, ut Christus majorem sibi sequacium numerum compararet honori et gloriæ ejus convenientius fuisset, hic paralyticus eum, quaquaversum euntem secutus fuisset, cur igitur eum sanatum adeo subito in domum suam remittit, et a se recedere jubet? Jansenius ait : « In domum abire præcepit, « ut ne gloriam suam quærere videretur, si illum « apud se retineret. »

19. — S. Joannes Episcopus in *Catena græca* citatus, « *vade*, » inquit, « *in domum tuam*, ne « Christiana fide euratus, moriaris in perfidia Ju- « daeorum; » periclitari enim poterat ne a Scribis et Pharisæis, Christi inimicis, et gloriæ ejus invidis æmulis perverteretur.

20. — Euthymius aliam reddit rationem, dum ait : « Tum ne præsens ac visus laudem sibi conci- « liaret, tum etiam ut sanitatis testes haberet, « quibus contradici non posset. » Cajetanus inquit : « Ut non solum præsentes, sed quicumque ob- « viantes evidentiam miraculi probent. » Jansenius his addit : « Ut sanitate sua domesticos lætificans « fidei eis fieret occasio. »

21. — Didacus Stella Salvatorem nostrum in miraculis, quibus diversis benefaciebat, oculos suos non ad interesse proprium, sed ad nostrum commodum direxisse meditatur : « Noluit suum com- « modum quærere, sed nostram utilitatem. » Salmeron neminem ex toto discipulorum Christi numero inveniri dicit qui ab ipso, vel a dæmone, vel ab infirmitate, vel a morte liberatus fuerit : « Ne « propter se suscitasse vel sanasse existimari posset; « tum ut innuatur libertas, quam sanati in spiritu « a Christo habent, ut possint pro arbitrio suo illa « uti vel abuti. »

22. — S. Antonius Paduanus in sensu morali dicit : « In domum suam ire, est in Paradisum, « quæ propria hominis domus fuit, redire; vel ad « internam sui custodiam, ne iterum peccet; » quæ consideratio ex venerabili Beda desumpta fuit, qui ait : « Domum reportat lectum, cum anima, remis- « sione peccatorum accepta, ad internam sui custo- « diam, cum ipso se corpore refert, ne quid post « veniam, unde iterum juste feriatur, admittat. »

23. — Quænam vero domus nostra sit, ex quodam S. Bernardi sermone clare deducitur inquientis : « Ambulamus in domum nostram; in « quam domum? In matrem omnium, quia sepul- « chrum illorum, domus eorum in æternum; vel « potius in domum nostram, quam habemus ex « Deo non manufactam, æternam in cœlis. »

24. — Hugo Cardinalis Christum hisce verbis huic paralytico, pro spirituali ejus salute præservativum quoddam dare voluisse existimat, dum ait : « *Vade* « *in domum tuam* vilitatem corporis tui conside- « rando; *Nah.*, III, 14 : *Intra in lutum*; vel con- « scientiam, per sollicitam discussionem, *Isa.*, « XXXVIII, 15 : *Recogitabo tibi omnes annos meos in* « *amaritudine animæ meæ*; vel cœlum per jugem « meditationem; *Psal.* LXXVI, 6 : *Annos æternos in* « *mente habui.* »

25. — Denique observandum est, paralyticum hunc ad redeundum in domum suam, nullum aspiam habuisse obstaculum; bene tamen ut coram Christo præsentaretur, quia ut ad ipsum usque penetrat, nullus ipsi locum cedere voluit, ideoque necessario de tecto demitti debuit; unde nonnemo ex contemplativis colligit, pauccos admodum esse, qui ad Deum quærendum, vel ad eum locum, ubi ipsi servitur, ingrediendum, viam ipsi sternant vel auxilia præbeant; at vero ut qui ab ipso digrediatur et recedat, omnes ipsi locum et occasionem ministrant; unde si quis in conversatione plurium personarum, dicat : eamus ad bibendum vel ad alias recreationes minus honestas, subito se a majori parte consectari videbit, non vero, si dicat : adeamus concionem, oratorium, vel hospitale ad ministrandum infirmis.

Additiones.

a. — *Dixit illi Jesus : Surge, tolle lectum tuum*, etc. Bene est, sanatur paralyticus. Quid autem necesse est, ut grabatum, in quo diu jacuerat, humeris tollat? An quia qui tamdiu in vitiorum languore jacuit, sic adhuc sanus in periculo recidendi versatur ut ad redivivum languorem, secum portat antiqui langoris lectulum? Paralysis est dissolutio membrorum, ac nervorum, per quam homo ita fit impotens ad ambulandum et ad se movendum, ut animatum cadaver sit, solum ad pœnam vivens; et

ideo ab istis hominibus ferebatur, non in manibus sed in lectulo, ne prætextu procurandæ sanitatis, dolores et angustias hominis augerent. Vocatur autem talis lectulus communiter, *lectus patientiæ*. Ut ergo perfectam homini sanitatem, Christus se contulisse ostendat, ait, ut dicit S. Chrysostomus, *Serm.* I : « *Tolle lectum tuum*, ut quod est infirmi-« tatis testimonium sit probatio sanitatis; ut lectus « doloris tui sit meæ perfectæ curationis indi-« cium. » Quasi diceret : Ut omnibus constet, te perfecte sanatum esse, sicut patientiam habuisti in lecto illo, in morbo gravissimo, ita eamdem erga omnes calumnias et inimicorum insidias exerce et ostende; in eo enim omnes cognoscent, me perfectam tibi sanitatem contulisse. Patientia enim opus perfectum habet, id est, perseverans patientia, et patiens perseverantia condit, et perficit stadium agonis, et vitæ humanæ; ideoque quasi omnium victrix, patienter perseverantem deducit usque ad mortem, et inde ad meritum in cœlis perseverantis patientiæ, id est, consummatæ victoriæ bravium.

5. — Ille languidus significat quemlibet peccatorem; specialiter tamen significat inveteratam in peccatis. De talibus enim profundis peccatoribus sanat Dominus aliquando. Per grabatum in quo jacebat languidus, consectarie significatur prava consuetudo, per quam jacet homo in peccato. Ergo opportune, cum languidus peccatis inveteratus, dum aliquando a Domino, non sine singulari divinæ Sapientiæ labore integram sanitatem recipit, lectum portare jubetur languoris, in quo jacebat, si diu olim languidus, et labi assuetus, iterum relabatur. Nam etsi multum inter sanationem Domini, et quæ a medicis infertur distare probatur, ut observavit Beda, gravi tamen consuetudinis vis tanta inest, inclinans ad lapsum, ut cum magna difficultate reducatur in statum salutis.

S. Marcus, IX, refert desolatum quemdam patrem, filium suum dæmoniacum et mutum, benignissimo obtulisse Salvatori, ut a maligno hoc hospite corpus ejus liberaret; quem proinde his verbis est allatus : *Attuli filium meum ad te habentem spiritum mutum, qui ubicumque eum apprehenderit, allidit illum, et spumat, et stridet dentibus, et arescit, et dixi discipulis tuis, ut ejicerent illum, et non potuerunt.* Dominus autem, semper ad benefaciendum pronus, dixit : *Afferte illum ad me, et attulerunt eum, et cum vidisset eum, statim Spiritus conturbavit illum, et elisus in terram, volutabatur spumans. Et interrogavit patrem ejus : Quantum temporis est, ex quo ei hoc accidit?* Porro cœlestis Magister probe noverat, quanto tempore miserabilis hic filius a dæmone obsessus fuisset; nam ut cœlestis ejus secretarius S. Joannes ait : *Ipse enim sciebat quid esset in homine*; cur igitur hanc interrogationem huic patri proposuit? Hujus interrogationis mysterium facile deduci potest ex responso, quod dictus desolatus pater Christo his verbis subintulit : *Ab infantia; et frequenter eum in ignem, et in aquas misit ut eum perderet. Sed si quid potes, adjuva nos, misertus nostri.* At vero numquid sæpius viderat alios obsessos, a Christo sanari, illuminari cæcos, claudos erigi, sanari infirmos, resuscitari mortuos? Cur igitur omnipotentiam Christi in dubium ponit, dicendo : *Si quid potes, adjuva nos?* Bene notanda sunt verba illa : *Ab infantia*; hic enim dæmoniacus peccatorem præfigurabat habituatum, et in peccato obduratum; voluit igitur Christus, ut sciremus quod eo fine patrem interrogaverat, ut filium sanando, tanto magis superhumana ejus eluceret sapientia et omnipotentia. Enimvero ex diversis Evangelistis constat qualiter Christus cæco illo per unicum verbum, *respice*, lumen restituerit oculorum : *Et confestim vidit*; leprosum item mundarit solum dicendo, *mundare*; et confestim mundata est lepra ejus; adolescenti Naimitico imperio vocis suæ : *Adolescens tibi dico, surge*, vitam restituerit : *Et resedit qui erat mortuus.* At vero audiatis velim qualiter hic longe plus requisierit, majoresque adhibuerit potentiæ suæ conatus, ut spiritum hunc malignum expelleret; ait enim sacer textus : *Jesus ait illi : Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti.* Et continuo *exclamans pater pueri cum lacrymis aiebat : Credo, Domine; adjuva incredulitatem meam. Et cum videret Jesus concurrentem turbam, comminatus est spiritui immundo, dicens illi : Surde et mute spiritus, eo, præcipio tibi, exi ab eo, et amplius ne introeas in eum.* Et quidem licet verum sit quod imperio Christi resistere non potuerit, attamen *exclamans et multum discrepans cum, exiit ab eo, et factus est sicut mortuus, ita ut multi dicerent : Quia mortuus est. Jesus autem tenens manum ejus, elevavit eum et surrexit. Omnia autem hæc in figura contingebant illis*; in hoc enim miraculo exprimere voluit difficultatem quæ occurrit in curatione peccatoris alicujus habituati, in dæmoniis, id est, vitiis inveteratis depellendis. Glossa Interlinearis, super hunc Christi : *Quantum temporis est?* inquit : « Non quasi « ignorans interrogavit, sed ut diuturnitate ostensa, « curationem graviorem faciat. » Lyranus in moralitate hujus historiæ, ad nostram eruditionem ita scribit : « Per istum, ab infantia vexatum a dæmone, « significatur peccator, ab infantia nutritus perverse, sicut refert S. Gregorius de puero quinquennii, quem cum teneret pater in sinu suo, vidit « dæmones, in specie Maurorum venientes ad ra-« piendum ipsum, et tunc Deum blasphemavit, et « statim expiravit. Et quoniam in tali, ætate crescente, crescit malitia, subditur : *Habentem spiritum mutum*, quia talis non audit correctionem ad « bonum; et ubicumque apprehenderit, allidit eum, « quia cedit cuilibet tentationi. »

VERSUS 7.

Et surrexit et abiit in domum suam.

VERSUS 8.

Videntes autem turbæ, timuerunt et glorificaverunt Deum qui dedit potestatem talem hominibus.

Videntes autem turbæ timuerunt.

1. — Dionysius Carthusianus pro horum intelligentia, dicit, objectum timoris esse malum, cum hoc tamen distinctione, quod objectum timoris servilis sit malum pœnæ, objectum tamen timoris filialis, sit malum culpæ, id est, quod Filius Deum timeat, in quantum ab eo per peccatum separari metuit; hoc itaque præmisso quærit : « Quid ergo, « vel cur timuerunt hæ turbæ, cum potius exultare « et amare debuerant? » Respondetque : « Ex « tanto miraculo perpenderunt sanctitatem digni-« tatemque Christi, quem licet nondum putarent « Deum, certissime tamen tenebant, eum esse « verum sanctissimum, divina virtute agentem, « sicque considerata sanctitate ipsius, propriam « parvitatem clarius intenderunt, quia opposita « juxta seposita clarius innotescunt, sicque ultio-« nem divinæ justitiæ metuebant et seipsos abhor-« ruerunt, et Christi præsentia se reputant indig-« nos, eumque offendere verentur. »

2. — S. Lucas, V, 25, hunc non tam timoris, quam stuporis potius motum fuisse docere videtur, dum inquit : *Stupor apprehendit omnes, et magnificabant Deum, et repleti sunt timore, dicentes, quia vidimus mirabilia hodie*; S. Marcus, II, 12, pariter memorat : *Ita ut mirarentur omnes et honorificarent Deum, dicentes, quia numquam sic vidimus.*

3. — Ex præsenti quoque S. Matthæi textu, non Scribas aut Pharisæos, sed solas, Christo applaudentes, turbas stupuisse deduci videtur; est quid mirum? suæ etenim malevolentiæ sensum abunde propalarunt, dicentes, *Joan.*, VII, 48 : *Numquid ex principibus aliquis credidit in eum, aut ex Pharisæis? sed turba hæc, quæ non novit legem, maledicti sunt.* Jansenius ad præsens propositum inquit : « Turba-« rum solum meminit, quæ simplici animo Deum « glorificaverunt, cum Scribas forte et Pharisæos « invidentiæ quidam zelus occulte torqueret. » De quibus pariter S. Ambrosius ita discurrit : « Spec-« tant surgentem increduli, mirantur abeuntem et « divini operis miracula malunt timere quam cre-« dere; nam si credidissent, non timuissent utique « sed dilexissent; perfecta enim dilectio timorem « excludit foras. »

Et glorificaverunt Deum.

4. — Antonius Paduanus inquit : « Reliqui « merito, qui aderant, relictis blasphemiis, stupen-« tes ad laudem convertuntur tantæ majestatis. » Tertullianus, *lib.* IV *cont. Marcion.*, Prophetam Evangelicum præsentes Salvatori a populo exhibitas laudes prædixisse existimat, vaticinantem, *Isa.*, XXXV, 2 : *Ipsi videbunt gloriam Dei et decorem Dei nostri.* Ratio cujus hæc assignari potest, quia scilicet gratia justificans, quæ peccatori in peccatorum remissione confertur, gloriæ et pulchritudinis titulo condecorari potest; gloriæ quidem, juxta Apostolum, ad Romanos, III, 23, scribentem : *Omnes peccaverunt et egent gloria Dei*; pulchritudinis vero juxta Psalmistæ vaticinium, eam nuncupantis *confessionem et decorem.*

5. — Dionysius Carthusianus inquit : « Id est, « gloriosum, pium, et omnipotentem esse professi « sunt; » in peccatorum namque indulgentia Christus se pium et omnipotentem : *Quis potest dimittere peccata nisi solus Deus?* item et gloriosum exhibuit : *Omnipotentiam suam parcendo maxime et miserando exhibuit.*

6. — Quis autem nostrum est qui beneficium hoc cum pondere sanctuarii trutinet, beneficium, inquam, quasi infinitum, et ad finem usque sæculorum in Ecclesia ejus depositum, quale est peccata remittendi potestas? Fidei namque veritate certum est, quod nullus præter Deum offensas contra ipsum commissas remittere possit, quodque anima culpa mortali coinquinata, uno quasi pede in inferno consistat, prout Apostolus, *Rom.*, X, 6, ait : *Quis ascendet in cœlum, aut quis descendet in abyssum?* ad liberandum videlicet peccatorem, qui a semetipso resurgere nequit. Quis item ascendet in cœlum ad hanc remissionem implorandam, aut quis descendere poterat in infernum, ad hominem e dæmonis servitute eripiendum? At vero Spiritus Sanctus per os ejusdem Apostoli, ibidem subjungit : *Sed quid dicit Scriptura, prope est verbum in ore tuo et in corde tuo*; quasi dicat : sufficit, quod ore confitearis peccatum, *ore autem confessio fit ad salutem*; et in corde veræ compunctionis et pœnitentiæ actus excitentur. Enim vero specialissimum hoc beneficium Oseæ, XIV, 3, hisce verbis vaticinatus fuisse videtur : *Tollite vobiscum verba, et convertimini ad Dominum et dicite ei : Omnem aufer iniquitatem*; quia per confessionem vocalem peccatorum illa delentur; profecto favor et gratia adeo est inestimabilis, ut S. Bernardus dicat : « Onerat eum dum « exonerat Deus; onerat beneficio, exonerat pec-« cato, » quod si enim sacrosancti hujus lavacri virtutem penitus consideremus, S. Ambrosius, qui verba Psalmistæ : *Amplius lava me ab iniquitate mea*, examinavit, fidem habere velimus, majus est, quod in confessione acquirimus lucrum, quam quod peccando passi sumus damnum : « Plus acquisi-« vimus, qui plus peccavimus, quia beatiores facit « tua gratia, quam nostra innocentia; » quod si ad facilitatem usus hujus potestatis nos reflectere

velimus; de hac D. Chrysostomus, *Hom.* XX *in Gen.*, ita ait : « Num opes aliquæ hic sunt expendendæ? « nam via prolixa eunda est? num grave aliquod « et molestum a verbis requirit? » examinate, obsecro, quam innumeræ animarum myriades in quinque millium et pluriem annorum decursu, in hac venia et peccatorum remissione obtinenda habuerunt difficultatem; in lege etenim naturæ, ab Adamo usque ad Moysen, nullus peccatorum remissionem accipere potuit, nisi medio veræ et perfectæ contritionis actu, ad cujus manifestationem exterior quoque oblatio et cæremonia requirebatur; severior huic successit lex Mosaica præcipiens, ut, ad obtinendam peccatorum veniam reus peccata sua non modo coram Deo, sed et coram Sacerdotibus confiteretur, et insuper victimas offerret, juxta culparum qualitatem qua de re latius consulere placuerit caput V, *Num.*, Philonem, *lib. de victimis*, et Josephum Hebræum, *de antiquitat, lib.* X. Hi igitur contritioni verbalem superaddere debebant confessionem cum victimis, at quis non videt multiplices hac in obligatione molestias? sæpe enim multi currere debebant ad ducentorum forte miliarum distantiam, ne memorem impensas, pro hujusmodi victimarum comparatione fieri debitas; ut nihil etiam dicam de opprobrio, quod illi peccatores contrahebant, dum qualitas cujusque criminis et malitia transgressionum omnium in notitiam veniret universorum; an non hoc grave et intolerabile jugum erat, præsertim in comparatione hujus sanctissimi Sacramenti, quod hodie in Ecclesia sua benignissimus Salvator ad nostram utilitatem instituit? *Reddemus vitulos labiorum nostrorum*, inquit Oseas, XIV, 3; ubi S. Hieronymus ait : « Vituli « labiorum, laudes in Deum sunt et gratiarum « actio, placabilis Deo hostia est, pura confessio. » Unde pro tributo debitæ gratitudinis, ratione immensi adeo beneficii a nobis recepti, nihil a nobis aliud exposcit, inquit Chrysostomus, *Hom.* III *in Matth.*, nisi usum ejusdem beneficii, hoc est, « referre gratias Deo, peccata ei propria confiteri. »

7. — Sacrum concilium Tridentinum, *Sess.* VI, *cap.* VII, finem justificationis peccatoris, gloriam Dei et Christi Filii ejus esse dicit : *Justificationis causa finalis est gloria Dei et Christi*; ac proinde nostræ confessiones sacramentales, ex mente regis Davidis, pretiosissimæ et opulentissimæ vestes sunt quibus rex gloriæ adornatur, *Psal.* CIII, I : *Confessionem et decorem induisti, amictus lumine sicut vestimento*, quod S. Augustinus ponderans, Deum interrogat, dicens : « Unde magnificatus es nimis? « *Confessionem, et decorem induisti.* Confitemini « ut decoremini, ut induat vos circumamictus « lucem, sicut vestimentum; » idque auctoritate Apostoli declarat, qui peccatoribus confessis et justificatis dicit, *Eph.*, V, 8 : *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.*

8. — S. Thomas de Villanova ad frequentem hujus Sacramenti usum nos exhortans, varia recenset motiva, e quibus multi salutares fructus, ab hoc Sacramento resultantes, videri possint : « Probate, « obsecro, et videbitis, quanta sit animæ consola- « tio, quanta conscientiæ securitas et tranquillitas, « quanta reformatio vitæ, quanta veniæ apud « Deum fiducia, quod levamen cordis, quanta utili- « tas in resistentia peccatorum, in facilitatem bono- « rum operum, in correctione morum, in devotionis « augmento, in omnibus denique spiritualibus « bonis, quæ conferunt ad æternam salutem. »

Qui dedit potestatem talem.

9. — Hæc potestas in ejus Vicario limitata non fuit, cum ei dictum sit, *Matth.*, XVI, 19 : *Quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis, et quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in cœlis*; fuitque ei delegata cum plenitudine tantæ auctoritatis, ut S. Bernardus dicere non dubitet : « Claves regni tam singulariter accepit, ut præce- « dat sententia Petri, sententiam cœli; » unde et B. Petrus Damianus ait : « Judicat Petrus, et Petri « judicia confirmat Omnipotens, et est in manu « Petri manus Altissimi. » S. Maximus similiter in homilia tertia de solemnitate hujus Apostoli, inquit : « Cujos tanta a Deo est approbata justitia, tantaque « ei potestas attributa est judicandi, ut in arbitrio « ejus poneretur cœleste judicium. » S. Job, XL, 4, quærit, cujus brachium adeo validum esse possit, ut ex æquo cum Altissimi dextra comparari valeat : *Si habes brachium sicut Deus, si simili voce tonas?* sed ecce tibi brachium Sacerdotis, dum pro absolutione Sacramenti impertienda elevatur, simile est brachio Dei, siquidem formulam Sacramenti, *absolvo te*, pronuntiando, veluti totidem fulminibus prostrati et dissipati corruunt omnes inimici infernales.

10. — Et quidem de hac potestate dubitare non licet, quia in symbolo Apostolorum, inter cæteros fidei articulos hic habetur : *Credo in remissionem peccatorum.* S. Isidorus postquam dixisset : « Nosse cupio, si est spes in confessione, si est « remissio, si est venia; » paulo post subjungit : « Est plane, est prorsus, est utique, est profecto, « est procul dubio; confessio sanat, confessio justi- « ficat; certissime crede, nullo modo hæsites. »

Hominibus.

11. — Quod si Redemptor noster, qui ad expiandum infinitum peccatorum nostrorum debitum, sanguinis sui pretium, e venis suis deprompsit, ita disposuisset ut confessionis faciendæ causa, ad ipsum accederemus, nimis utique arduum hoc fuisset remedium, quis enim non confunderetur, quis post tot ingratitudines, recidivas, infidelitates, coram ipso toties se præsentare non erubesceret? ac proinde nequaquam ita fieri voluit, non sibi sed

hominibus confessionem fieri præcepit : hasce claves hominum mortalium manibus commissas esse voluit, eo quod hi eisdem sint subjecti miseriis, ejusdem necessitatis remedio stringantur, et consequenter eadem cum benignitate alios ad se accurrentes recipiunt, quam erga se exercere desiderant. Tametsi Dei Filium benignissimum esse probe sciamus, de ipso tamen nobis per fidem pariter constat, quod *peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus*, I *Pet.*, II, 22; unde audacter vitam suam examinandam omnibus dedit, dicens, *Joan.*, VIII, 46 : *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Scimus pariter, quod honoris Patris sui æterni maximus existat zelotes, ideoque licet nos ad se recurrentes, summa cum pietate recepturus fuisset, nihilominus unusquisque se utique ob nimium respectum et reverentiam ab illius subduxisset conspectu, coram tanta Majestate, quam *tremunt potestates*, comparere nequaquam præsumens; at vero *homo indigens*, inquit sapientissimus Salomon, *Prov.*, XV, 22, *misericors est* : recurrunt peccatores ad alios homines peccatores, quia eadem compassione indigent, quam ipsi erga sui similes exercere debent. In Lege scripta civitates Deus ordinavit refugii, in quas se reciperent humani sanguinis rei, sed in quorum manus, urbes has a Deo consignatas esse existimabitis? utique non aliorum, quam Levitarum : disposuit igitur, ut tres ex una et tres ex altera Jordanis parte haberentur; volens namque misericors Deus excessibus hisce etiam flagitiosis nimium indulgere, latum iis et amplum assignavit refugii spatium, sternens diligenter viam ad salutem, idque in terræ habitatæ medio. *Omnia in figura contingebant*; voluit namque in eo designare Dominus confessionis facilitatem, quam Ecclesiæ suæ reliquit : de quo regius quondam Propheta vaticinabatur, inquiens, *Psal.* LXVIII, 36 : *Quoniam Deus salvum faciet Sion*, id est, Ecclesiam suam, *et ædificabuntur civitates Juda*, id est, *confessionis*. Enimvero non sine magni mysterii ratione, civitates illæ, tribus sacerdotalis et leviticæ manibus concreditæ fuerunt, quia in his specialiter requirebatur, verus lenitatis, charitatis et compassionis spiritus.

12. — Ratio autem, quare ad hoc ministerium, spirituum angelicorum opera usus non fuerit, hæc est, quia cum hi impeccabiles, et puri spiritus sint, neque hac nostra fragili carne, tot miseriis subjecta vestiantur, nobis compati non potuissent, quin potius gloriam Dei nimium zelantes consequenter in vindicandis offensis nostris nimis futuri fuissent rigidi. Unde D. Chrysostomus ait : « His qui terram « incolunt atque in ea versantur, commissum est, « ut ea, quæ in cœlis sunt dispensent, iis datum « est, ut potestatem habeant, quam Deus optimus « maximus neque Angelis neque Archangelis datam « esse voluit. » Quis, obsecro, inter omnes Apostolos, S. Joanne Christo acceptabilior erat, quis innocentior? etenim Ecclesia illum, quantumvis centenarium, pueri nomine appellat : *Ecce puer meus quem elegi*; et tamen non is, sed Petrus, qui conjungatus fuit, qui Magistrum suum trina vice negavit, peccata remittendi potestatem accepit. Divus Chrysostomus, *Hom.* LXXX *in Matth.*, ait : « Ideo non Angelis hæc est commissa potestas, « qui nunquam peccaverunt, sed homo passibilis « supra hominis ordinatur, ut, dum in aliis suas « recolit passiones, mitem apud eos se præbeat et « benignum. »

DOMINICA NONADECIMA POST PENTECOSTEN

EVANGELIUM MATTHÆI, CAP. XXII, VERS. 2-14

2. Simile factum est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo.

3. Et misit servos suos, vocare invitatos ad nuptias, et nolebant venire.

4. Iterum misit alios servos, dicens : Dicite invitatis : Ecce prandium meum paravi, tauri mei et altilia occisa sunt, et omnia parata sunt; venite ad nuptias.

5. Illi autem neglexerunt et abierunt, alius in villam suam, alius vero ad negotiationem suam.

6. Reliqui vero tenuerunt servos ejus, et contumeliis affectos occiderunt.

7. Rex autem cum audisset, iratus est, et missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos, et civitatem illorum succendit.

8. Tunc ait servis suis : Nuptiæ quidem paratæ sunt, sed qui invitati erant, non fuerunt digni.

9. Ite ergo ad exitus viarum, et quoscumque inveneritis, vocate ad nuptias.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

velimus; de hac D. Chrysostomus, *Hom.* XX *in Gen.*, ita ait : « Num opes aliquæ hic sunt expendendæ? « nam via prolixa eunda est? num grave aliquod « et molestum a verbis requirit? » examinate, obsecro, quam innumeræ animarum myriades in quinque millium et pluriem annorum decursu, in hac venia et peccatorum remissione obtinenda habuerunt difficultatem; in lege etenim naturæ, ab Adamo usque ad Moysen, nullus peccatorum remissionem accipere potuit, nisi medio veræ et perfectæ contritionis actu, ad cujus manifestationem exterior quoque oblatio et cæremonia requirebatur; severior huic successit lex Mosaica præcipiens, ut, ad obtinendam peccatorum veniam reus peccata sua non modo coram Deo, sed et coram Sacerdotibus confiteretur, et insuper victimas offerret, juxta culparum qualitatem qua de re latius consulere placuerit caput V, *Num.*, Philonem, *lib. de victimis*, et Josephum Hebræum, *de antiquitat, lib.* X. Hi igitur contritioni verbalem superaddere debebant confessionem cum victimis, at quis non videt multiplices hac in obligatione molestias? sæpe enim multi currere debebant ad ducentorum forte miliarum distantiam, ne memorem impensas, pro hujusmodi victimarum comparatione fieri debitas; ut nihil etiam dicam de opprobrio, quod illi peccatores contrahebant, dum qualitas cujusque criminis et malitia transgressionum omnium in notitiam veniret universorum; an non hoc grave et intolerabile jugum erat, præsertim in comparatione hujus sanctissimi Sacramenti, quod hodie in Ecclesia sua benignissimus Salvator ad nostram utilitatem instituit? *Reddemus vitulos labiorum nostrorum*, inquit Oseas, XIV, 3; ubi S. Hieronymus ait : « Vituli « labiorum, laudes in Deum sunt et gratiarum « actio, placabilis Deo hostia est, pura confessio. » Unde pro tributo debitæ gratitudinis, ratione immensi adeo beneficii a nobis recepti, nihil a nobis aliud exposcit, inquit Chrysostomus, *Hom.* III *in Matth.*, nisi usum ejusdem beneficii, hoc est, « referre gratias Deo, peccata ei propria confiteri. »

7. — Sacrum concilium Tridentinum, *Sess.* VI, *cap.* VII, finem justificationis peccatoris, gloriam Dei et Christi Filii ejus esse dicit : *Justificationis causa finalis est gloria Dei et Christi*; ac proinde nostræ confessiones sacramentales, ex mente regis Davidis, pretiosissimæ et opulentissimæ vestes sunt quibus rex gloriæ adornatur, *Psal.* CIII, I : *Confessionem et decorem induisti, amictus lumine sicut vestimento*, quod S. Augustinus ponderans, Deum interrogat, dicens : « Unde magnificatus es nimis? « *Confessionem, et decorem induisti.* Confitemini « ut decoremini, ut induat vos circumamictus « lucem, sicut vestimentum; » idque auctoritate Apostoli declarat, qui peccatoribus confessis et justificatis dicit, *Eph.*, V, 8 : *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.*

8. — S. Thomas de Villanova ad frequentem hujus Sacramenti usum nos exhortans, varia recenset motiva, e quibus multi salutares fructus, ab hoc Sacramento resultantes, videri possint : « Probate, « obsecro, et videbitis, quanta sit animæ consola- « tio, quanta conscientiæ securitas et tranquillitas, « quanta reformatio vitæ, quanta veniæ apud « Deum fiducia, quod levamen cordis, quanta utili- « tas in resistentia peccatorum, in facilitatem bono- « rum operum, in correctione morum, in devotionis « augmento, in omnibus denique spiritualibus « bonis, quæ conferunt ad æternam salutem. »

Qui dedit potestatem talem.

9. — Hæc potestas in ejus Vicario limitata non fuit, cum ei dictum sit, *Matth.*, XVI, 19 : *Quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis, et quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in cœlis*; fuitque ei delegata cum plenitudine tantæ auctoritatis, ut S. Bernardus dicere non dubitet : « Claves regni tam singulariter accepit, ut præce- « dat sententia Petri, sententiam cœli; » unde et B. Petrus Damianus ait : « Judicat Petrus, et Petri « judicia confirmat Omnipotens, et est in manu « Petri manus Altissimi. » S. Maximus similiter in homilia tertia de solemnitate hujus Apostoli, inquit : « Cujos tanta a Deo est approbata justitia, tantaque « ei potestas attributa est judicandi, ut in arbitrio « ejus poneretur cœleste judicium. » S. Job, XL, 4, quærit, cujus brachium adeo validum esse possit, ut ex æquo cum Altissimi dextra comparari valeat : *Si habes brachium sicut Deus, si simili voce tonas?* sed ecce tibi brachium Sacerdotis, dum pro absolutione Sacramenti impertienda elevatur, simile est brachio Dei, siquidem formulam Sacramenti, *absolvo te*, pronuntiando, veluti totidem fulminibus prostrati et dissipati corruunt omnes inimici infernales.

10. — Et quidem de hac potestate dubitare non licet, quia in symbolo Apostolorum, inter cæteros fidei articulos hic habetur : *Credo in remissionem peccatorum.* S. Isidorus postquam dixisset : « Nosse cupio, si est spes in confessione, si est « remissio, si est venia; » paulo post subjungit : « Est plane, est prorsus, est utique, est profecto, « est procul dubio; confessio sanat, confessio justi- « ficat; certissime crede, nullo modo hæsites. »

Hominibus.

11. — Quod si Redemptor noster, qui ad expiandum infinitum peccatorum nostrorum debitum, sanguinis sui pretium, e venis suis deprompsit, ita disposuisset ut confessionis faciendæ causa, ad ipsum accederemus, nimis utique arduum hoc fuisset remedium, quis enim non confunderetur, quis post tot ingratitudines, recidivas, infidelitates, coram ipso toties se præsentare non erubesceret? ac proinde nequaquam ita fieri voluit, non sibi sed

hominibus confessionem fieri præcepit : hasce claves hominum mortalium manibus commissas esse voluit, eo quod hi eisdem sint subjecti miseriis, ejusdem necessitatis remedio stringantur, et consequenter eadem cum benignitate alios ad se accurrentes recipiunt, quam erga se exercere desiderant. Tametsi Dei Filium benignissimum esse probe sciamus, de ipso tamen nobis per fidem pariter constat, quod *peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus*, I *Pet.*, II, 22; unde audacter vitam suam examinandam omnibus dedit, dicens, *Joan.*, VIII, 46 : *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Scimus pariter, quod honoris Patris sui æterni maximus existat zelotes, ideoque licet nos ad se recurrentes, summa cum pietate recepturus fuisset, nihilominus unusquisque se utique ob nimium respectum et reverentiam ab illius subduxisset conspectu, coram tanta Majestate, quam *tremunt potestates*, comparere nequaquam præsumens; at vero *homo indigens*, inquit sapientissimus Salomon, *Prov.*, XV, 22, *misericors est* : recurrunt peccatores ad alios homines peccatores, quia eadem compassione indigent, quam ipsi erga sui similes exercere debent. In Lege scripta civitates Deus ordinavit refugii, in quas se reciperent humani sanguinis rei, sed in quorum manus, urbes has a Deo consignatas esse existimabitis? utique non aliorum, quam Levitarum : disposuit igitur, ut tres ex una et tres ex altera Jordanis parte haberentur; volens namque misericors Deus excessibus hisce etiam flagitiosis nimium indulgere, latum iis et amplum assignavit refugii spatium, sternens diligenter viam ad salutem, idque in terræ habitatæ medio. *Omnia in figura contingebant*; voluit namque in eo designare Dominus confessionis facilitatem, quam Ecclesiæ suæ reliquit : de quo regius quondam Propheta vaticinabatur, inquiens, *Psal.* LXVIII, 36 : *Quoniam Deus salvum faciet Sion*, id est, Ecclesiam suam, *et ædificabuntur civitates Juda*, id est, *confessionis*. Enimvero non sine magni mysterii ratione, civitates illæ, tribus sacerdotalis et leviticæ manibus concreditæ fuerunt, quia in his specialiter requirebatur, verus lenitatis, charitatis et compassionis spiritus.

12. — Ratio autem, quare ad hoc ministerium, spirituum angelicorum opera usus non fuerit, hæc est, quia cum hi impeccabiles, et puri spiritus sint, neque hac nostra fragili carne, tot miseriis subjecta vestiantur, nobis compati non potuissent, quin potius gloriam Dei nimium zelantes consequenter in vindicandis offensis nostris nimis futuri fuissent rigidi. Unde D. Chrysostomus ait : « His qui terram « incolunt atque in ea versantur, commissum est, « ut ea, quæ in cœlis sunt dispensent, iis datum « est, ut potestatem habeant, quam Deus optimus « maximus neque Angelis neque Archangelis datam « esse voluit. » Quis, obsecro, inter omnes Apostolos, S. Joanne Christo acceptabilior erat, quis innocentior? etenim Ecclesia illum, quantumvis centenarium, pueri nomine appellat : *Ecce puer meus quem elegi*; et tamen non is, sed Petrus, qui conjungatus fuit, qui Magistrum suum trina vice negavit, peccata remittendi potestatem accepit. Divus Chrysostomus, *Hom.* LXXX *in Matth.*, ait : « Ideo non Angelis hæc est commissa potestas, « qui nunquam peccaverunt, sed homo passibilis « supra hominis ordinatur, ut, dum in aliis suas « recolit passiones, mitem apud eos se præbeat et « benignum. »

DOMINICA NONADECIMA POST PENTECOSTEN

EVANGELIUM MATTHÆI, CAP. XXII, VERS. 2-14

2. Simile factum est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo.

3. Et misit servos suos, vocare invitatos ad nuptias, et nolebant venire.

4. Iterum misit alios servos, dicens : Dicite invitatis : Ecce prandium meum paravi, tauri mei et altilia occisa sunt, et omnia parata sunt; venite ad nuptias.

5. Illi autem neglexerunt et abierunt, alius in villam suam, alius vero ad negotiationem suam.

6. Reliqui vero tenuerunt servos ejus, et contumeliis affectos occiderunt.

7. Rex autem cum audisset, iratus est, et missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos, et civitatem illorum succendit.

8. Tunc ait servis suis : Nuptiæ quidem paratæ sunt, sed qui invitati erant, non fuerunt digni.

9. Ite ergo ad exitus viarum, et quoscumque inveneritis, vocate ad nuptias.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

10. Et egressi servi ejus in vias, congregaverunt omnes quos invenerunt, bonos et malos, et impletæ sunt nuptiæ discumbentium.

11. Introivit autem rex, ut videret discumbentes, et vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali.

12. Et ait illi : Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem ? At ille obmutuit.

13. Tunc dixit rex ministris, ligatis manibus et pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus et stridor dentium.

14. Multi enim sunt vocati, pauci vero electi.

Versus 2.

Simile factum est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo.

1. — Lyranus vult, in hac parabola minime intelligendas esse nuptias æternæ beatitudinis, quia ad eas, quarum fit mentio in præsenti, etiam mali invitati fuerunt; imo unus quoque eorum inde exturbatus fuit, quod de æterna gloria verificari nequit, unde per has nuptias, Verbi incarnationem intelligendam esse dicit. S. Thomas hanc parabolam ab ea, quæ Lucæ, *cap.* XIV, recensetur, differentem esse existimat, quia ibi de cœna, hic de nuptiis fit mentio, atque insuper nullus ibi fuit exclusus, quemadmodum hic; ac proinde concludit : « Per illam, convivium cœleste intelligitur, per « istam, convivium, quod fit in terra. » S. Hieronymus ait : « Rex iste, qui fecit nuptias filio suo, « Deus omnipotens est, qui fecit nuptias Domino « nostro Jesu Christo et Ecclesiæ, quæ tam ex « Judæis, quam ex gentibus congregata est. » Quisnam vero thalamus harum nuptiarum fuerit, S. Anselmus insinuat, dum ait : « Uterus virginis, « hujus Sponsi thalamus fuit nuptiarum. Unde « David, *Psal.* XVIII, 6, ait : *Tanquam sponsus Domi-* « *nus procedens de thalamo suo.* »

2. — Theophylactus inquit : « Facit Deus nup- « tias Filio suo, copulans eum omni formosæ « animæ. »

3. — Cur autem hic rex homo appelletur : *Homini regi*, hujus causam reddit Albertus Magnus dum ait : « Dicitur *homo*, quia humanus, et benig- « nus, et misericors est. »

4. — S. Thomas per hasce nuptias in sensu morali convivium Eucharisticum interpretatur, dicens : « Istud nuptiale convivium est Eucharistiæ « Sacramentum, ad quod Christos invitavit Ju- « dæos. » Unde idem Salvator inquit : « *Non* « *Moyses dedit vobis panem de cœlo, sed Pater meus* « *dat vobis panem de cœlo verum;* istud convivium « in cœna Domini fuit paratum; per tauros et alti- « lia significantur Spiritus Sancti dona, quæ con- « feruntur in hujusmodi Sacramenti perceptione « devota. »

Additiones.

a. — *Simile est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo.* Diversa est hæc parabola ab ea quam scribit S. Lucas, *cap.* XIV, de cœna magna, quia illa exponi potest tam de cœna gloriæ, quam de mysteriis Christi, ejusque fidei; hæc autem tantum locum habet de vitæ Christi mysteriis, scilicet incarnationis, in qua factæ sunt nuptiæ Filii Dei cum humana natura. Valde tamen et hæc illi similis, et omnia quæ ibi dicta sunt, præsertim de sacratissimo Eucharistiæ Sacramento, facile hic applicari possunt. Proinde vide *Dom.* II *post Pentecosten.*

b. — Homo rex Deus Pater est; filius regis et sponsus, Christus Jesus. Nuptiæ factæ sunt quando divinum Verbum assumpsit naturam humanam, eamque sibi hypostatice univit. Ita Gregorius Magnus, *Hom.* XXXVIII *in Evang.* : « Tunc, » ait, « Pater « Filio nuptias fecit, quando hunc in utero Virginis « humanæ naturæ conjunxit. » Et D. Augustinus, *Orat. contra Jud.*, ait : « Christus processit ex utero « Virginis, tanquam sponsus de thalamo suo. In « quo utero spirituales nuptiæ celebratæ sunt, Deus « conjunctus est carni et caro adhæsit Deo. » In qua admirabili copulatione Deus majorem in nos amorem ostendit quam in creatione. Didacus Stella, in *cap.* X *Lucæ*, ait : « Creare te nihil illi constitit, « nisi velle, non minus quam sua vita et sanguis « fuit redemptio. » Et S. Leo ita scribit : « Mirabi- « lior est secunda hominum generatio, quam prima « conditio, quia plus est in novissimis reparasse « Deum quod perierat, quam a principio fecisse « quod non erat. » Eusebius Emissenus ad hoc probandum tali motivo utitur : « Maximum quidem « circa hominem divini amoris insigne est, quod « inter ipsa mundi principia imaginem, ac simili- « tudinem Dei sui servus accepit, sed pene amplius « est, quod nunc personam et formam servi Deus « auctor assumpsit. » S. Fulgentius Christum qui vera vita est, ideo in hunc mundum descendisse considerat ut nos vivificaret; sic ait : « Magnum « mysterium, dilectissimi fratres, magnum divinæ « electionis indicium; homo Deum contemnens, a « Deo discessit, Deus hominem diligens, ad homi- « nem venit, dilexit impium, ut faceret justum;

« dilexit perversum ut faceret rectum; dilexit mor- « tuum ut faceret vivum. » Chrysologus ad illa verba : *Exinanivit semetipsum*, alludens ait : « Mun- « dum suum pauper ingreditur, quia cœlestes « thesauros suos omnes in nostram redemptionem « consummandam adhibuit. Et ideo non obstante « quod totius universi Dominus esset, pauper et « nudus in hunc mundum intravit : *Et reclinavit* « *eum in præsepio, quia non erat ei locus in diver-* « *sorio.* Jacet in cunabulis ut homo; vagitu suo « implorat, inquirit, exigit, quam tibi præstitit ipse « pietatem; parens omnium usus est te parente, « subjectus tibi extitit, cui omnis subjacet alti- « tudo. » Neque hujus alia causa est quam S. Augustinus hisce pauculis verbis exprimit : « Amor « majestati oculos clausit. »

c. — Non abs re hic inquiri posset, quare prius hic ponatur *homini* quam *regi*. Dubium hoc movet Origenes, *Hom.* XX *in Matth.*, et respondet : « Necesse « est ut simile sit regnum Dei *homini regi*, et homi- « nibus quasi homo, apud homines loquatur. » Optime fit illa in parabola hominis cum rege connexio, ut licet reges aliique magnates et Prælati super homines sint, homines tamen se esse cognoscant, nec deos se existiment; qua fatuitate et stultitia jam aliqui laborarunt, ut se deos nuncuparent, ac in seipsis idololatriæ causæ existerent. Talis enim naturæ est ambitio, quæ præter alia mala, etiam idololatriæ causa fuit. Populum Dei electum bina vice idololatrasse suaque eorum bove conflatili, cum æterna sua infamia, genua flexisse legimus, semel in deserto et iterum sub Jeroboam rege. Verum enimvero valde mirandum venit, qua ratione summus Sacerdos Aaron in petitionem quamdam adeo impiam atque sacrilegam, qualis erat illa, qua idola fabricandi licentia postulabatur, consentire potuerit. Et tamen certum esse constat, quod ne vel unico verbo, eorum petitioni contradixerit, quin potius sine ulla resistentia vel oppositione, armillas et inaures suo jussu allatas in ignem conjecit, *et fecit vitulum conflatilem.* Ubi Cajetanus ait : « Ecce quo ducit principatus ambi- « tio. » Ab illa namque suprema dignitate deponi timuit, ideoque ne id fieret, in ipsorum quantumvis impias postulationes consensit. Jeroboam ex natalibus valde humilibus oriundus erat, servus nimirum Salomonis; Deus autem ad universarum tribuum Israeliticarum, sola tribu Juda excepta, regendum imperium eum evexit; sed quam putas eum pro tanto beneficio divino benefactori suo rependisse gratitudinem? *Excogitato consilio, fecit duos vitulos aureos, et dixit : Nolite ultra ascendere in Jerusalem. Ecce dii tui, Israel.* Quis vero tandem immanem hanc ingratitudinem consecutus est finis? *Dixit in corde suo : Nunc revertetur regnum ad domum David, si ascenderit populus iste, ut faciat sacrificia in domo Domini in Jerusalem, et convertetur cor populi hujus ad Dominum suum.* Infelicissimus ille Jeroboam ob unicam temporalis regni ambitionem, populum illum, per tot sæcula ad idololatriam induxit.

d. — Finis ac scopus parabolæ præsentis est hic quem assignat S. Chrysostomus, *Hom.* LXXVI. Dixerat enim in alia parabola Christus : *Auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus;* postquam jam determinasset gentem illam, cui dandum erat regnum, aliam adhuc illius rei loco citato assignat rationem : « Neque id solum, » ait, « sed ineffabilem erga Judæos curam ostendit. Nam « cum ibi ante crucem eos vocare videtur, hic « etiam in vocando post mortem perseverat. » In superiori enim parabola ad agricolas vineæ delegavit servos suos, et tandem misit Filium suum, dicens : *Verebuntur Filium meum;* et tamen ipsum comprehensum occiderunt. Nunc vero adhuc post mortem Filii sui, mittit ad eos servos suos, qui vocarent eos ad cœleste convivium; in quo maxime declaravit suam immensam bonitatem, cum post injurias, ac mortem Filii sui adhuc beneficiis non destitit. Licet juste punire posset, tamen hic quod misericordia ejus superior sit justitia ejus ostenditur, et quam proclivis sit ut in beneficium nostrum pietatem suam exhibeat.

Et quidem non quacumque præeminentia misericordia excellit, aut sublimitate, sed maxima penitus. Si namque misericordiæ altitudinem mensurare voluerimus, eam super firmamentum ad cœlos usque, quæ prærogativa justitiæ denegata est, sese extendisse reperiemus, attestante Psalmista, dum ait, *Psal.* CVII, 5 : *Magna est super cœlos misericordia tua, et usque ad nubes veritas tua;* et *Psal.* XXV, 6 : *Domine, in cœlo misericordia tua, et veritas tua usque ad nubes; justitia tua sicut montes Dei.* Justitia igitur ad summum super altissimos sese elevat montes, verbi gratia usque ad Olympum, de quo Poeta cecinit : « Nubes excedit Olympus. Misericordia « autem usque ad ipsos penetrat cœlos, » unde idem Psaltes, *Ps.* CII, 11, ait : *Secundum altitudinem cœli a terra corroboravit misericordiam suam super timentes se.* Quam forsitan ob causam Spiritus Sanctus quoque in Scriptura Sacra, sæpe sæpius innumerabilibus misericordiam afficit encomiis, paris vero justitiam. Cujus ad imitationem et Doctores sacri, in deprædicanda Dei misericordia unice quasi et unanimiter desudant; alios inter dicente S. Cyrillo Jerosolymitano : « Benignus est Deus, nec « ullus poterit homo illius benignitatem satis « prædicare; imo etiamsi omnes omnium linguæ « simul coacervarentur, ne sic quidem partem ali- « quam benignitatis illius enarrare possent. » Quo loco neutiquam prætereundum censeo S. Bernardi dogma, quod in illius tradit solutione dubii, quare scilicet Deus non justitiæ, sed misericordiæ Pater, ab Apostolo, II *Cor.*, I, 3, voluerit denominari, dicente : *Pater misericordiarum*, cum tamen utra-

que æqualiter divinitatis sit attributum; ad hoc namque dubium dupliciter respondet. Et primo quidem, quia nomen *Patris* potius misericordiæ, quam justitiæ appropriatur et adaptatur. Secundo, quia misericordia Deo propter infinitam ejus bonitatem potius innata est, quam justitia, quam Deus in nostram perniciem, non ex naturali sua inclinatione, sed ob nostra exercet demerita, nostris provocatus et ad vindictam compulsus iniquitatibus : « Recte non Pater judiciorum et ultionis, » inquit Doctor Mellifluus, « Deus dicitur, sed Pater « misericordiarum, non modo quod Pater videatur « misereri potius quam indignari, sed eo magis, « quod miserandi causam et originem sumat ex « proprio, judicandi vel ulciscendi ex nostro. »

Observanda est notabilis quædam differentia, quæ misericordiam inter et justitiam versatur, secundum quod Spiritus Sanctus de utraque loquitur. Etenim de misericordia dicitur, *Luc.*, I, 78 : *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto.* Non vero eodem modo fit sermo de justitia. Etenim de hac apud Isaiam, LIX, 17, dicitur : *Indutus est justitia ut lorica ; indutus est vestimentis ultionis, et opertus est quasi pallio zeli.* Et apud eumdem Prophetam, IX, 5, dicitur : *Erit justitia cingulum lumborum ejus.* Porro inter vestes et viscera, hæc est differentia quod vestes ab homine nunc portentur, mox vero deponantur, quod de pallio specialiter verum est. At vero viscera a nobis quoadusque vivimus sunt inseparabilia. Eodem modo Deus non semper manum flagello armatam habet, ut nos castiget, sed nonnunquam illud apprehendit, mox vero idem deponit. At vero sicut viscera quoadusque vivimus, nunquam a nobis deponi possunt, ita misericordia a Deo est indivisibilis, adeo ut, tametsi nonnunquam velut justus Judex rigoris sui in nos tuimina vibret, nihilominus in ipsismet, quæ nobis immittit suppliciis, atque in ipsamet rigoris severitate misericors esse non desinat, quippe qui semper citra condignum punit.

e. — Mirum est quod cum per hunc hominem regem ordinarie intelligatur Deus Pater, et cum hic homo non sit, tamen assimiletur homini regi. Richardus a S. Laurentio, *de laud. Mariæ*, illius aliquam assignat rationem : « Propter dilectionem, » ait, « quam habet Deus ad hominem, dicitur Pater « homo. » D. Chrysostomus vero, *Serm.* XCV, in eadem sententia inquit : « Audisti Dei convivium, « sollicitus non sis de qualitate convivii. Qui per- « venire regis meretur ad mensam, manducabit « quidquid regni dominatio possidet et potestas ; « sic qui ad convivium venerit Creatoris, habebit « in deliciis suis quidquid continetur in Crea- « tore. » In aliis parabolis dicitur Deus Pater similis *homini patrifamilias : Simile est regnum cœlorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam. Matth.*, XX, 1. At vero in præsenti dicitur homo rex, cum præparat convivium suum, ut denotetur ingens bonorum omnium affluentia, quæ in hac mensa divini Regis exhibetur. Sicut enim in mensa temporalis regis, omnia bona quæ terra parturit apponuntur ; sic in hac mensa divini Regis, scilicet sacratissimi Corporis et Sanguinis, omnia cœlestia ac divina bona communicantur ; quibus anima valde suaviter ac delectabiliter fruitur ac pascitur in Ecclesia. Et quidni esset hæc hujus convivii tanta excellentia, cum in illo sacrificium exhibeatur æterno Patri acceptissimum, cum Filius ejus in eo sit Sacerdos simul et hostia, in quo omnia dona habentur. In quonam putatis quod Deus singularem suam monstret complacentiam, satisfactionem, maximeque amabiles delicias? *Quid bonum, quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, et vinum germinans virgines? Zach.*, IX, 17. Quod de sacrificio intelligitur quod juxta Melchisedech figuram, sub panis vinique speciebus, Deo offertur. In sacrificio igitur considerari possunt persona quæ offert, cui offertur, res oblata, finisque oblationis. Secundum quas omnes rationes, sacrificium hoc summæ Dei majestati acceptissimum esse reperiemus. In primis namque persona sacrificans est ipse Christus : *Sacerdos in æternum Christus Dominus.* Juxta quod in Tridentino decisum est verbis sequentibus : « Una eadem- « que est hostia ; idem nunc offerens Sacerdotum « ministerio, qui seipsum nunc in cruce obtulit. » Quod et Dionysius Carthusianus in hæc verba confirmat : « Deus acceptans sacrificium, ipse est « secundum divinam naturam idem offerens seip- « sum secundum naturam assumptam. » Infallibilis namque coeli providentia ita disposuit, ut illi ipse qui sacrificatur, sit secundum naturam divinam una eademque res cum sanctissima Trinitate, in honorem cujus, ad ejusdem gloriam nostramque utilitatem, offertur sacrificium. Ipse quoque hujus sacrificii offerens, unum idemque nobiscum factus est, pro quorum beneficio offertur, quia nostram humanitatem assumpsit, quæ eadem in altari sacrificatur.

VERSUS 3.

Et misit servos suos vocare invitatos ad nuptias, et nolebant venire.

Et misit servos suos.

1. — Quod si in numero singulari legatur *servum*, « haud dubium, » inquit S. Hieronymus, « quin ad Moysen, per quem legem invitatis dedit ; « si autem servos legerimus, ad Prophetas referen- « dum est. » Dionysius Carthusianus quinam hi servi fuerint, nominatim recenset : « Videlicet « misit Moysen, Aaron, Samuelem. » Lyranus similiter antiquos Prophetas fuisse dicit, « qui clarius « denuntiaverunt ea de Christo, quæ obscurius « erant posita in lege. »

2. — Considerabile est verbum *misit*, non enim illos semetipsos in hoc ministerium ingessisse, sed ab eo, qui in ipsos auctoritatem habebat et cui obedire tenebantur, missos fuisse dicit : *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur. Rom.*, X, 15.

Vocare.

3. — Deus ex parte sua nos invitare non desinit, quia, *Psal.* XVIII, 7 : *Non est, qui se abscondat a calore ejus*; unde nemo se excusare potest, dicendo, sibi ad propriam salutem, sufficientem ab eo non fuisse subministratam gratiam, imo ad cognoscendam veritatem : *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine, Psal.* IV, 7.

4. — *Vocare* dicit, non *cogere*, quia Deus nobis arbitrii reliquit libertatem : *Reliquit nos in manu consilii nostri. Eccli.*, XV, 14.

Invitatos.

5. — « Id est, populum Israel, » inquit Dionysius Carthusianus, « quem Deus per legem ac varia « beneficia, invitavit ad credendum Christum, ad « præstolandam gratiam et salutem seu redemp- « tionem per eum. » S. Hilarius verbum *invitatos* pariter de eodem populo exponens, ait : « Qui ad- « monetur, ut veniant invitati, antea populus Israel « est ; in gloriam enim æternitatis per legem est « advocatus. »

Ad nuptias.

6. — Lyranus hanc invitationem a Prophetis factam fuisse opinatur, dicens : « Hortabantur « populum Judaicum exspectare Christi adventum « et tendere in ipsum per fidem et bona opera. »

7. — Nihilominus S. Hilarius inquit : « Servi « missi, qui vocarent, Apostoli sunt ; » cui sententiæ si adhærere velimus consequens est dicere, nuptias has eas esse, de quibus Jansenius ita scribit : « Est autem nuptiale illud convivium, istud quo « Deus in hac vita mentes fidelium pascit, jucunda « et salutari doctrinæ Evangelicæ prædicatione, ac « variis Sacramentorum et charismatum ferculis, « quo item et post hanc vitam eos pascit et usque « ad satietatem reficit gaudiis æternæ beatitudi- « nis. »

Et nolebant venire.

8. — Dionysius Carthusianus per hosce invitatos duritiam intelligit et incredulitatem Judæorum, dicens : « *Nolebant venire*, id est, credere et laudabi- « liter vivere, secundum documenta servorum illo- « rum ; » quia non solum Scripturis sacris, sed et tantis rebellarunt monitis et doctrinis, post mortem Christi acceptis. Unde idem Auctor in alio quodam loco dicit : « *Nolebant venire*, id est, per fidem for- « matam credere et servorum illorum documenta « servando, laudabiliter conversari ; » pro cujus confirmatione hanc adducit S. Stephani, ad ipsos factam exprobrationem, *Act. Apos.*, VII, 15 : *Dura cervice et incircumcisis cordibus et auribus, vos semper Spiritui Sancto resistitis, sicut patres vestri, ita et vos.*

9. — Bene autem notandum est, non dici : *Et non poterant venire*, sed *nolebant*; totum namque perditionis nostræ malum ex nostra oritur voluntate, non impossibilitate : *Nolumus hunc regnare super nos*, dicebant aperte et intrepide rebelles alii, *Luc.*, XIX, 14 ; in parabolæ hujus ducatu et figura.

10. — Albertus Magnus ait : « *Et nolebant*; ecce « ingratitudo ; » quod obstinationis scelus industrie contemplans Paulus de Palatio, vix se continere potest, quin exclamet, *Hom.* LXX *in Matth.* : « O « phreneticum facinus, pauper es, famelicus es, tris- « tis es, mortuus es, vocaris ad vitam, ad festa, ad « convivia, ad opes immensas et renuis? » Chrysostomus eidem pariter insipientiæ huic condolens, inquit : « Quid igitur dementius inventur, quam « cum in nuptias vocaris, resilire ? »

Additiones.

a. — *Et misit servos suos vocare invitatos ad nuptias.* De hoc textu vide quæ diximus, *Dom.* II *post Pentecosten.*

b. — *Et nolebant venire.* Nolebant voluntatem propriam, voluntati Regis divini subjicere. « Tolle « voluntatem propriam et tolles infernum, » dicit S. Bernardus. Beatus Laurentius Justinianus de malis a propria voluntate dimanantibus, hunc in modum discurrit : « Quicumque Deo studet placere et « sine animæ suæ scandalo vivere delectatur, con- « tra propriam reluctetur voluntatem nec ei vitæ « suæ unquam tribuat habenas. Præceps nam- « que ad malum est, nec judicio subjacet rationis ; « vult quod libet, nec considerat utrum liceat. » Paulo post vero innumera ab eadem derivantia mala seriatim enumerat, dicens : « Ipsa est pecca- « torum origo, criminum fomes et omnium malo- « rum incentivum. Propter hanc Protoparens noster « amisit immortalitatis gloriam. Nemo sine hac « corruit. Ob hoc, ut tantum evitetur malum, san- « citæ sunt leges, decreta firmata et mandata sunt « tradita. Imposuit Deus legem Adæ. Indixit præ- « cepta Moysi et Ecclesiæ suæ per Sanctos suos « statuta composuit, ne iterum ac deterius præci- « pitaretur. Nullo enim modo salubrius homo re- « paratur, quam per præceptum. Sicut prostratus « est proprio arbitrio, ita restaurandus est alieno ; « et sicut per inobedientiam incurrerat culpam, ita « per obedientiam admittendus est ad gratiam. » S. Hieronymus in Epistola quadam sic ait : « Quid « enim unquam tam superbum, quid vero tam in- « gratum videri possit quam adversus ejus vivere

« voluntatem a quo ipsum vivere acceperis? Quam « illius præcepta despicere, qui ideo aliquid im- « perat, ut causam habeat remunerandi? »

Versus 4.

Iterum misit alios servos, dicens : Dicite invitatis : Ecce prandium meum paravi, tauri mei et altilia occisa sunt, et omnia parata sunt ; venite ad nuptias.

Iterum misit alios servos.

1. — Lyranus in hisce pro secunda ad nuptias vice invitantibus servis, eos designari docet, qui cæteris vicinius, adventum Dei Filii, mundo annuntiarunt, quales discipuli et Apostoli Christi fuere, in specie autem et expresse ipse Præcursor Domini.

2. — Juxta Jansenii sententiam, sive per invitatores primos Prophetæ accipiantur, ut aliqui volunt, et per secundos, Apostoli vel alii, nihilominus tam hi quam isti quandoquidem invitant, post nuptias jam paratas ; videtur verisimilius, per primos intelligendos esse S. Joannem Baptistam et Apostolos Domini, hi enim primi fuere, qui immediate post mortem Christi, Regnum cœlorum Judæis annuntiarunt, hosque ad Messiæ notitiam invitarunt. Per secundos autem invitatores, videntur tum Apostoli tum reliqui omnes perhiberi, qui simul cum iis cooperati sunt prædicationi Evangelicæ et Catholicæ fidei dilatationi. Notat autem idem Auctor, quod si legerimus, *servum* in numero singulari, tunc in eo solum innuit Joannem Baptistam : « Qui primus de nuptiis Christo paratis annuntiavit, « professus se amicum Sponsi ; post quem alii servi « missi sunt ad Judæos, nempe Apostoli. » Si vero quis satius existimaverit, Apostolos, non tam primos quam secundos potius invitatores dicendos esse, huic immediate respondet Jansenius idem, quod tunc, stante numero plurali *servos*, nomine primorum accipiantur Præcursor Domini et ipse Christus, qui in similitudine servi, suum ipsemet adventum annuntiavit, nomine autem secundorum, magis expeditorum, Apostoli, qui incarnationem Verbi, post Christi resurrectionem suis prædicationibus mundo manifestarunt.

3. — S. Thomas nimium admirator et stupet hujus regis patientiam, injurias sibi illatas non modo non ulciscentis, sed novis etiam iteratisque beneficiis easdem benignissime recompensantis : « Ponitur argumentum, » inquit, « benignitatis ex « parte invitantis et augmentum malitiæ ex parte « excusantis. » Pariter Lucas Brugensis inquit : « Magna regis patientia atque humanitas, qui, « quamvis merito offendi potuisset vocatorum in- « gratitudine, quod et suam majestatem et regias « Filii sui nuptias parvi fecissent, tamen misit alios « servos. »

Dicite invitatis : Ecce prandium meum paravi.

4. — Bene observat Angelicus Doctor, in prima invitatione non dici, nuptias jam tum paratas esse, quemadmodum in secunda ; in hac namque addunt servi, convivium jam tum etiam lautissimis fercula instructissimum esse. Verba porro præsentia ita Dionysius Carthusianus interpretatur : « Mysterium « incarnationis perfeci, Sacramentum Eucharistiæ « institui, diversa sacræ Scripturæ alimenta pro- « posui, gratiarum charismata dedi. » Huic non dissimilem eorumdem verborum glossam instituit Lyranus, dum ait : « Sacramenta Ecclesiæ et doc- « trinam paravi, quibus reficitur anima, et potissime « Sacramentum Eucharistiæ, in quo datur nobis « caro Christi in cibum et sanguis in potum. »

Tauri mei.

5. — Jansenius secundæ citationis executoribus, non sine magni ratione momenti a rege præceptum esse considerat, ut dicerent invitandis, convivium jam paratum esse ; ideoque dicit : « Significatur, Apostolos post Christi resurrectionem ex « Dei jussione prædicasse Messiam mortuum, cru- « cifixum, resurrexisse, omniaque tunc peracta « esse, quæ ad salutem hominum et spiritualem « eorum refectionem essent necessaria. »

6. — Albertus Magnus, in tauris his, Apostolos et Martyres designari existimat, qui, dum vixerunt, jugum Christi indefesse portarunt. « Per tauros « intelliguntur sancti Apostoli et Martyres, qui ju- « gum Domini portaverunt et aratrum dominicæ « crucis traxerunt ; isti enim occisi sunt, et viam « nobis ad nuptias Christi, suo sanguine præpara- « verunt. » Cui opinioni illa correspondet S. Hilarii sententia, a S. Thoma in *Catena* citati : « Tauri « gloriosa Martyrum species est, qui confessioni « Dei tanquam hostia electa sunt immolati. »

7. — S. Thomas inquit : « Per tauros, significantur exempla Sanctorum, quæ Dominus præ- « paravit in convivium ; » subjungit porro S. Doctor hoc S. Jacobi, iii, 10, monitum, dicentis : *Exemplum accipite, fratres, exitus mali, laboris et patientiæ, Prophetas, qui loculi sunt in nomine Domini.* Denique juxta S. Gregorii mentem, idem Angelicus Doctor ita scribit : « Per tauros significantur Patres « veteris Testamenti, quia taurus ferit cornibus et « in tempore Patrum semper quærebatur sindicta ; « præcipiebatur oculum dari pro oculo. » Tertiam denique idem glossam adducit, inquiens : « Per « tauros intelliguntur Sacerdotes veteris Testa- « menti, quia taurus est animal immolativum. »

Et altilia occisa sunt.

8. — Jansenius inquit : « Mystice significatur « pretiositas et magnificentia convivii a Deo homi- « nibus parati. »

9. — « *Tauri* sunt, » ait Lyranus, « præcepta « moralia, *altilia* consilia superaddita. »

10. — S. Thomas, Origenis auctoritatem citans, taliter discurrit : « Est dispositio sapientiæ Dei ; « tauri dicuntur rationes fortes. *Isa.*, viii, 11 : *In « forti manu sua erudivit me* ; altilia dicuntur, quasi « alita bene ; dicuntur proprie aves saginatæ, quæ « nutriuntur et impinguantur, et significant subti- « les sensus ; et fiunt saginatæ, quando sacris sen- « sibus multiplicantur, quibus anima saginatur ; « *Psal.* lxii, 6 : *Sicut adipe et pinguedine repletur « anima mea* ; quidquid enim necessarium est, in- « venitur in sacra Scriptura. »

11. — Glossa scribit : « *Altilia* ab alendo dicta, « id est, pinguia interna charitate, præcones novi « Testamenti, contemplationis penna superna pe- « tentes ; qui aut vitam pro Christo cum morte « mutarunt, aut certe mortificationibus eam homi- « fuverunt et pœnitentiis. »

12. — « Per *altilia* » S. Thomas intelligit « Pa- « tres novi Testamenti, qui omnia dimiserunt pro « Christo et impinguantur sapientia Dei, occisi « propter Deum. »

13. — Albertus Magnus autem per eadem altilia virgines interpretatur, quæ virginalis floris candorem martyrio consecrarunt : « Per *altilia*, id est, « per aves domi alitas, sanctæ virgines figurantur, « quæ, licet tenerum corpus haberent, tamen mar- « tyrium fortiter pro Domino passæ fuerunt et hæ « nobis ad has nuptias suo exemplo viam fece- « runt. »

14. — S. Hilarius a S. Thoma in *Catena* citatus, ait : « *Saginata*, sunt homines spirituales, tanquam « cœlesti pane ad evolandum aves pastæ, cæteros « accepti cibi ubertate expletura. »

15. — S. Gregorius, in eadem *Catena* citatus, differentiam perpendit primæ et secundæ vocationis ; in sola namque secunda meminerunt servi animalium, in cibum præparatorum, unde sequens elicit documentum : « Quia omnipotens Deus, cum « verba ejus audire nolumus, adjungit exempla, ut « omne, quod impossibile credimus, tanto nobis ad « sperandum fiat facilius, quanto per hoc transisse « et alios audivimus. » Haymo in sensu spirituali inquit : « *Tauri mei et altilia occisa sunt*, ac si « diceret, Patrum præcedentium mortes aspicite et « media vitæ vestræ cogitate. »

Et omnia parata.

16. — Lucas Brugensis, fusius de harum nuptiarum apparatu tractans, in eo adæquate contineri et concludi docet, quidquid Deus pro redemptione humana disposuerat : « Jam mortuus est Christus « pro peccatis vestris, surrexit propter justifica- « tionem vestram, jam penetravit cœlos et sedet « ad dexteram Patris, interpellans pro vobis ; appa- « rata sunt omnia pretio meritoque sanguinis « ipsius ; expensis utique magnis, quibus ad salu- « tem ac beatitudinem vobis opus esse possit ; » prophetiæ adimpletæ sunt, Scripturæ verificatæ, figuræ manifestatæ, mors jacet devicta, exanimatus corruit inimicus infernalis ; remissionem peccatorum obtinuimus et gratiarum abundantiam, charismatibus Spiritus Sancti imbuti sumus : « Offert « se vita, salus, adoptio, pax, gaudiumque in Spi- « ritu Sancto, delicia verbi Dei exundant, totius « gratiæ fons apertus est, cœlum ipsum patet. »

17. — Cajetanus primis servis non aliud in mandatis considerat esse datum, quam tantum, ut ad nuptias invitarent, secundis autem insuper imperatum esse, ut præter invitationem, convivii etiam apparatum insinuarent : *Omnia parata.* Apostoli namque a Spiritu Sancto edocti, missi fuere, ut Judæis annuntiarent, redemptionis opus jam tum consummatum esse, Messiam venisse, crucifixum et mortuum esse, denique resurrexisse et omnia, saluti eorum necessaria, adimplevisse, solum hoc in cardine difficultatem versari, ut salutari doctrinæ per sinceram fidem acquiescerent. Ad hanc consequenter glossam Dionysius Carthusianus ita inquit : « *Omnia parata*, id est, quidquid ad sa- « lutem requiritur, per passionem et meritum « Christi vobis offertur. »

18. — Chrysostomus, a S. Thoma in *Catena* citatus, per hoc convivium, Scripturam sacram intelligere videtur, dum ait : « Quia quidquid quæritur « ad salutem, jam adimpletum est in scripturis ; « qui enim ignorans est, invenit ibi quod discat ; « qui contumax est, invenit ibi quod timeat ; qui « laborat, invenit ibi promissa, quibus excitetur ad « opus. »

19. — S. Thomas eorumdem verborum glossæ intentus hanc succinctam ipsorum tradit explicationem : « Passus est Christus, aperuit cœlos, misit « Apostolos. »

20. — Non dissimiliter supra eumdem Evangelicum textum Dionysius Carthusianus discurrit, inquiens : « Cœlestium gratiarum charismata, omnia « Spiritus Sancti dona, et quidquid ad salutem « exigitur, jam per passionem et meritum Christi « vobis disposita sunt ; imo et offeruntur, quatenus « de plenitudine ejus omnes accipiatis. »

Venite ad nuptias.

21. — Chrysostomus, *Hom.* lxx *in Matth.*, qualitatem hujus convivii in hocce nobis compendio exhibet : « Ad quid porro invitat? an ad labores, « afflictiones, sudores? nequaquam, imo vero ad « delicias. »

Additiones.

a. — *Ecce prandium meum paravi ; tauri mei et altilia occisa sunt.* In hæc verba pulcherrime notat Haymon : « *Tauri mei et altilia occisa sunt*, quasi

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

« diceret : Patrum præcedentium mortes aspicite « et media vitæ nostræ cogitate. » Ad quid putas tendit quod de occisione taurorum et altilium fit mentio? Erat mensa ista parata a rege illo non convivii temporalis, sed æterni, quod non respiciebat ad carnalem, sed spiritualem vitam; ideo illa mortuorum memoria componitur, de qua humanus maxime solet saginari spiritus. Si autem ad mortuos hosce Patres antiquos per hæc animalia occisa respexisse videtur Dominus, juremerito tu inter terrenarum voluptatum convivia, ad mortuum respicies Christum Jesum crucifixum. Per Christi enim patientia et morientis consideationem, lumen acquiritur ad contemnendas voluptates, quæ crucifixionis ejus causa fuerunt.

S. Carolus Borromæos, ut populum suum Mediolanensem a dissolutionibus, quæ antehac in grege suo inundabant, retraheret, in memoriali suo ad eumdem populum directo ita scribit : « Deus recor- « datus est nostri, quoniam pulvis sumus et tamen « opus manuum suarum; et ideo per gratiam, quæ « data est nobis, fecit nobiscum misericordiam « suam, » quibus verbis ad liberationem a contagione pestilentiæ, ab ipso, gregi suo impetratam alludit, ac proinde subjungit et aptius quidem ad propositum : « Simus nos quoque memores ipsius : « *Recordare paupertatis et transgressionis meæ, ab-* « *sinthii et fellis*, inquit de cruce Christus, *Thren.*, « III, 19, quasi diceret : Memor esto crucis, dolorum, « spinarum, clavorum et flagellorum, verberum « quoque et vulnerum, quæ in carne mea perpes- « sus fui, sanguinis denique quem liberaliter effudi, « ut te a paganismi profanitate et ab omni alia « immunditia criperem. Recordare igitur ne ad « eadem opera denuo redeas, neque de novo, « quantum est ex parte tua, crucifigas et torquas. »

6. — Dicuntur tauri et altilia occisa et tamen numerus eorum non apponitur. Aliter ille aiebat, qui se excusabat a Cœna magna, *Luc.*, XIV : *Juga boum emi quinque, eo probare illa.* Cur in his numerus non vero in illis assignatur? Dapes in regali mensa cœlesti dona adumbrant; empti boves terrena bona, ut docet D. Augustinus, ut dictum est supra, *Dom.* II *post. Pent.*, prout ergo boves terrenis inserviunt, numerus brevis in eis apponitur : *Juga boum emi quinque*; cum autem cœlestibus ac regiis mensis inserviunt, omni numero carent. Cœlestia enim dona et bona, respecto terrenorum innumera sunt et infinita. S. Augustinus, vel quisquis Auctor ille sit, *lib. de spiritu et anima*, dicit : « Quid ibi deesse « potest, ubi Deus est, cui nihil deest? » Idem quoque S. Doctor alibi nos inadvertantiæ vel ignorantiæ redarguit, dicitque se capere non posse, cur ad voluptates et delectationes captandas, ad creaturas convertamur, cum in Deo Creatore vera, æterna et infinita gaudia invenire valeamus : « Cur ergo per « multa vagaris, homuncio, quærendo bona animæ « tuæ et corporis tui? Ama unum bonum in quo « sunt omnia bona, et sufficit. Quid desideras anima « mea? Ibi est, ibi est quidquid amatis, quidquid « desideratis? Si delectat pulchritudo : *Fulgebunt* « *justi sicut sol.* Si velocitas, aut fortitudo, aut « libertas corporis, cui nihil obsistere possit : *Erunt* « *similes Angelis Dei.* Si longa et salubris vita : Ibi « erit sana æternitas et æterna sanitas, quia *justi* « *in perpetuum vivent*, et *salus justorum a Domino.* » Si satietas : *Satiabuntur cum apparuerit gloria tua.* Si ebrietas : *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ.* Si melodia : Ibi Angeli concinunt sine fine Deo. Si quælibet sunt immunda, sed munda voluptas : *Torrente voluptatis suæ potabit eos Dominus.* Si sapientia : Ipsa Dei Sapientia ostendet seipsam illis. Si amicitia : Diligent Deum plus quam seipsos et Deus illos plusquam illi seipsos; quia illi illum et se; et invicem per illum; et ille se et illos per seipsum. Si concordia : Omnibus una erit voluntas, quia nulla in illis erit, nisi Dei summa voluntas. Si potestas : Omnipotentes erunt suæ voluntatis, ut Deus suæ. Si honor et divitiæ : servos suos bonos et fideles supra multa constituet, imo Dei filii et dii vocabuntur et erunt; ubi erit unicus, ejus ibi erunt, et illi hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Si vera securitas : Certe ita certi erunt se, non sua sponte illud amisuros, nec dilectorem Deum, illud dilectoribus suis invitis ablaturum, nec aliquid potentius Deo, Deum et illos separaturum. S. *Aug. in Man.*, *cap.* XXXIV.

Versus 5.

Illi autem neglexerunt et abierunt, alius in villam suam, alius vero ad negotiationem suam.

Illi autem neglexerunt.

1. — Hac invitatorum negligentia et imprudentia, Lyranus designari existimat, Judæorum despectum, quo Apostolorum prædicationem contempserunt, paucis eorum ad Christi fidem conversis : « Causa fuit cupiditas rerum temporalium, propter « hoc enim Sacerdotes conspiraverunt in mortem « Christi, ne perderent civitatem et templum; in « quo quidem templo hauriebant pecuniam populi, « sub prætextu cultus divini. »

2. — Auctor Imperfecti, *Hom.* XLI, considerat, non dici : *malignati sunt*, sed, *neglexerunt*; nosi etenim omnes et singuli uniti fuere ut crucifigerent Salvatorem, non omnes divino verbo aures suas recluserunt, non omnes perfide adversus Christum conspirarunt, ab his nihilominus nuptiis, ab incarnationis, inquam, et redemptionis Filii Dei participatione exclusi fuere, profecto non ob aliam causam, quam quia *neglexerunt*. Unde inquit prædictus Auctor : « Qui odio aut invidia crucifixerunt Christum, illi malignati sunt, qui autem negotiis impediti sunt et non crediderunt, illi neglexisse « dicuntur; nam sunt quidam homines, qui possunt « et audire et credere, sed sollicitudo rerum necessariarum et delectatio mundi separat eos a Deo. »

3. — Albertus Magnus arbitratur, in his negligentibus designari homines sensuales : « Non « curantes ejulus spirituales, deliciis carnis reso- « lutos; » juxta namque caput II Sapientiæ evidentissime docemur, homines carnales nulli rei alteri, quam propriis desideriis adimplendis insudare, quasi nec Deus, nec altera post hanc mortem vita esset. Ubi Glossa ait : « Vox hæc perditorum « est, qui tanquam bruta animalia, quæ præsentia « sunt, amant et despiciunt, nec post hanc vitam, « requiem æternam sperant. »

4. — S. Anselmus dicit : « Administrationem « habuerunt, sed illi admoniti venire noluerunt, « imo neglexerunt suæ salutis præconium. »

5. — « *Neglexerunt.* » ait Dionysius Carthusianus « beneficia Dei parvipendentes. »

6. — Hugo Cardinalis juxta Auctoris Imperfecti dogma, scribit : « Quia quidam non odio, non in- « vidia, sed mundi negotiis impediti, non venerunt « ad Christum. » Innumerabiles profecto animas hæsce damnat negligentia, dum nihil de vita futura sollicti, omnem suam industriam studiumque in eo unico collocant, ut præsentis sæculi commoditates sectentur et possideant, ut diversa non æternæ, sed hujus momentaneæ vitæ bona accumulent, immemores moniti, quod S. Augustinus, in *Psal.* IV, hæc sacræ Scripturæ verba : *Sperate in Domino, multi dicunt, quis ostendit nobis bona*, interpretans, nobis reliquit dum ait : « Ea tantum « diligenda sunt bona, quæ ad interiorem hominem « pertinent; cæteris autem ad necessitatem tantum « utendum, non ad gaudium perfruendum. » Thomas a Kempis, *lib.* III *de imit. Christi*, *cap.* III, pariter, hanc nimiam Christianorum in spiritualibus bonis comparandis desidiam, hoc præclaro discursu sugillat et convincit : « Promittit mundus « temporalia et parva et servitur ei aviditate magna; « Christus promittit summa et æterna, et tepescunt « mortalium corda. » Contemplativus quidam tantam perstringens stultitiam Christianorum, neutiquam apprehendere posse videtur, quomodo in vitam futuram credant et nihilominus « brevi tem- « pori maximam curam et maximo tempori curam « brevem impendunt. » Obstupescit quoque regius Psaltes illorum Hebræorum insipientiam, qui tantis cum molestiis per desertum gradiebantur, ad terram promissionis, lacte et melle manantem, ubi pro batillis lauros; pro sarculis sceptra gestaturi erant, quod nihilominus flocci eam æstimaverint, imo potius ad unum omnes retro conversi, cucumeres, allium et cæpas expetierint Ægypti. *Psal.* CV, 24 : *Pro nihilo habuerunt terram desiderabilem.* Eadem est hodie penes Christianos multos practica, proh dolor vivendi veritas et methodus qui in hac miseriarum et lacrymarum valle degentes, quantumvis post tot tantarumque afflictionum et incommodorum experientiam, ad regni cœlestis acquisitionem invitentur, nihilominus hoc ipsum fastidiunt, eique difficilem et laboriosam hujus terræ fruitionem præponunt : *Neglexerunt et abierunt, alius*, etc.

Et abierunt, alius in villam suam.

7. — Salmeron verba hæc in sensu litterali de Judæis explicat, qui populares seu plebei operibus manualibus lucra sibi acquirebant; ast certum est, nullum eorum propter camporum culturam, aut quoscumque alios labores et sudores, licitos atque honestos, reprehensum et ab æternorum honorum comminatione exclusum fuisse : « Per eos, qui va- « cant villæ, id est proprio agro, vel negotiationi, « non ullam rem vitiosam intelligimus, sed eos qui « mundi bona etiam licita æternis et spiritualibus « præferunt. » In viam ire, inquit S. Anselmus, « est terreno labori immoderate incumbere, » pro cujus corroboratione ipse Glossam citat. Eamdem quoque aut similem considerationem Auctor Imperfecti hisce verbis expressit : « Non villæ cultus pec- « catum est, sed tu præferendo eam Deo, facis eam « esse peccatum. » Lyranus per vineæ culturam, quemcumque alium laborem corporalem denotari existimans, ait : « Per laborem vineæ intelligitur « omnis occupatio corporalis circa terrena, impe- « diens divina. » Lucas Brugensis pariter, supervacaneam terrenarum rerum et occupationum industriam ejus esse rationis docet, ut nos damnet atque condemnet, cujus rei hanc assignat causam : « Quamdiu homo inhæret hujusmodi, quaslibet « facile salutis suæ occasiones negligit; » post quæ immediate declarat, nullum penes nos, excusationis fundamentum esse, dicens : « Si ob quæcumque « negotia, vera salus negligatur et terrena, quæ « data sunt in salutis adminicula, vertantur in im- « pedimenta. » Chrysostomus, a S. Thoma in *Catena* citatus, ita inquit : « Quamvis videantur rationa- « biles occasiones esse; sed hinc discimus, etiamsi « necessaria sint, quæ delineant, omnibus tamen « præponere spiritualia oportet. »

8. — Theophylactus in sensu morali hunc textum de iis applicat, qui carnalium desideriorum suorum præda, convivium fastidiunt Christi tam Eucharisticum in terris, quam gloriæ in cœlis, unde inquit : « In proprium agrum abiit, hoc est, indul- « sit deliciis et voluptatibus vitæ, uniuscujusque « enim ager est corpus. »

9. — Albertus Magnus scribit : « In villam ire, « est dominium et principatum super alios quæ- « rere; superbi, dummodo principari possint in « hoc sæculo, non curant de superno gaudio. »

Alius vero ad negotiationem suam.

10. — Quibus verbis, ut Albertus Magnus, *in Matth.*, ait, « intelligitur omnis occupatio humani « laboris a vocatione æternorum retinens. » Salmeron vero in specie de Judæis ait : « Per negotia- « tionem vero divitias sive lucrum ex ingenio sive « industria collectum, quod majores Judæorum « amplectebantur, intelligit; » Paulus de Palatio harum negotiationum, quin cæteroquin in seipsis illicitæ non fuissent, malitiam ostendit, dicens : « Negotiatio licita quidem est, dicitur enim, *Prov.*, « XXXI, 18 : *Gustavit et vidit, quia bona est nego-* « *tiatio ejus.* « verumtamen vitium ejus exinde nascitur, quod, « qui magno fervore res sæculi « tractat, sæculi non Dei conviva videatur; » et ideo in oratione, qua Ecclesia, Dominica III post Pentecosten utitur, hanc a Deo gratiam postulamus, nimirum : « Ut te rectore, te duce, sic transeamus « per bona temporalia, ut non amittamus æterna. » Glossa ait : « Negotiari, est terrenis lucris inhiare, » ubi vox *inhiare*, magnum denotat ad divitias et terrena lucra affectum. Lyranus inquit : « Per « negotiationem occupatio mentalis circa terrena » intelligitur, qua semen divinæ gratiæ inter sollicitudines et anxietates temporales, veluti spinas, suffocatur.

11. — Theophylactus finem hujus parabolæ esse dicit, ut per illam insinuetur, « quod, qui a spiri- « tualibus nuptiis, et convivio, et Christi societate « destituuntur, ob has duas potissimas causas « excluduntur; vel propter corporales voluptates, « vel avaritiæ morbum. »

Additiones.

a. — *Illi autem neglexerunt et abierunt*, etc. Mirabile hoc fuit; si isti ad laborandum vocati fuissent, mirum non esset si renuerent; homines enim suapte natura proclives sunt ad otium et inimici laboris; at cum ad nuptias opulentissimas vocati essent, et ire noluissent, hoc nullo modo potest culpa vacare. O insania diris plectenda suppliciis! Vocat Satanas ad labores, quos velint, nolint, superbi perferunt, in adipiscendis honoribus; et homines currunt, nullas trahentes moras. Vocat mundus fallax ad atroces cruciatus, quos ultro subeunt avari, maria transfretantes, variaque terrarum climata perlustrantes et sponte obediunt? Vocat autem Deus summæ bonitatis ad gaudium nuptiarum Filii sui et cæci homines tantum bonum negligunt. Unde hæc differentia? Ex cæcitate et ignorantia; qui enim Dei, ejusque bonorum habet notitiam illum offendere nequit et ejus bona spernere. Unde peccatum ignorantiæ et tenebrarum nomine titulatur; cumque Deus peccatori sui peccati gravitatis notitiam exhibet, ipse illud mox detestatur.

S. Joannes Apostolus mendacii redarguit illum qui notitiam Dei se habere profitetur et tamen eodem tempore divina ejus præcepta prævaricatur; *Qui dicit se nosse Deum et mandata ejus non custodit, mendax est, et in hoc veritas non est.* I *Joan.*, II, 4. Ipse namque a Deo illuminatus, impossibile esse censebat, quod is, qui Deum agnoscit, eumdem simul offendere queat. Ejusdem quoque mentis fuit virgo illa quæ ut P. Cornelius a Lapide scribit, moriens dixit : « Discedo ex hoc mundo, cum hac « sola incapacitate, quod nequeam comprehendere, « quomodo creatura possit deliberate committere « peccatum mortale contra suum Creatorem. » Sancta quoque illa anima, quæ ut dicitur in sacris Canticis, VI, 11, propriam sensit perturbatam conscientiam : *Anima mea conturbavit me*, paulo ante hujus conturbationis hanc reddidit causam, scilicet : *Nescivi*; quasi diceret : Ignorans peccavi, quæ scienter peccare non poteram. Peccatum igitur ei evenerat ex defectu sufficientis cognitionis et notitiæ; ac proinde eadem anima in præcedenti capite protestata fuerat, dicendo : *Expoliavi me tunica mea : quomodo induar illa?* Quæ verba S. Ambrosius exponens, inquit : « Vide, anima mea de- « vota, quid dicat; sic se, actus corporis et terrenos « exuit mores, ut nesciat quomodo, etiamsi velit, « eos possit induere. » Etenim, ut ipsa docet experientia, lux incompatibilis est cum tenebris; et ideo Apostolus ait, *Rom.*, XIII, 12 : *Nox præcessit, dies autem appropinquavit.* At vero quid inde sequitur : *Abjiciamus ergo opera tenebrarum et induamus arma lucis.* Anima enim Dei notitia illustrata, contra eumdem per offensam mortalem se armare non potest : « Nulla enim justitiæ cum iniquitate com- « munio, » inquit Origenes; « sicut nec luci cum « tenebris potest esse societas. » Id vero quod idem Origenes de fide subjungit, possumus et nos de notitia Dei asserere, dicendo : « Si enim quis credit « quod Jesus est Christus, ex Deo natus est et qui « ex Deo natus est non peccat; manifestum est, « quia qui credit Jesu Christo, non peccat; quod si « peccat, certum est quia non credit ei. Indicium « igitur fidei vere est, ubi non delinquitur; sicut « e contra, ubi delinquitur indicium est infideli- « tatis. » Qui enim deformitatem et enormitatem peccati, damna item inevitabilia, et infinita, quæ per peccatum incurrimus, agnoscit simulque novit eminentem sanctitatem, majestatem sublimem, beneficentiam et amorem immensum erga nos Dei illius, qui offenditur, qua fronte poterit talis, non obstante hoc lumine et notitia, peccatum committere? S. Basilius a S. Damasceno citatus inquit : « Fieri non potest, ut quispiam a via recta deflectat, « nisi animus ipsius prius Dei oblivione laborarit. »

b. — Pro *neglexerunt*, legit Syriacus : *Spreverunt.* Extrema hominum miseria; cum enim terrenis essent dediti, cœlestia ac spiritualia contempserunt.

Abierunt a seipsis, alii ad propria sua negotia, alii in villam suam. Ecce quanta horum sit stultitia; pro agricultura et mercatura relinquunt cœlestem mensam quæ facit reges et principes. Verum nil mirum. Peccatum enim stultitiam inducit, peccatoremque qui se a sua sensualitate in peccatum seduci permittit, omni judicio et ratione destituit. Deus olim populum suum invitabat et exhortabatur, ut erga se constanter fidelis esset, suoque cultui terga minime verteret; unde eumdem per os Psalmistæ, *Psal.* LX, 13, his verbis affabatur : *Audi populus meus et contestabor te : Israel si audieris me, non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum. Ego sum Dominus Deus tuus.* At vero quia populus ille duræ cervicis, et erga Deum contumax et rebellis erat, subdit per eumdem Psalmistam : *Et non audivit populus meus vocem meam et Israel non intendit mihi.* At vero quodnam fuit illud supplicium, quod ex hac contumacia retulit? Nimirum illud quod sequitur : *Et dimisit eos secundum desideria cordis eorum; ibunt in adinventionibus suis.* At vero dicat aliquis : Hoc proprie erat, illud, quod populus ille desiderabat, nimirum habenas sibi relaxari, effrenibus suis indulgere appetitibus et pro arbitrio suo et libito vivere. Sed respondeo, verum quidem hoc esse, populus tamen ille non considerabat, quod hoc modo vivendo, judicium suum amissurus esset et discursum, quodque sensualitatem suam sectando, rationi esset reluctaturus; ac proinde sciendum est, quod alia quædam a Lorino allegata versio, loco illorum verborum : *Adinventionibus suis*, legat : *Stultitiis suis*, S. Chrysostomus ab Hugo Cardinali citatus, insinuare volens quod in quovis ætate et statu indifferenter, omnes cupiditatibus suis in contemptum, et ignominiam Dei indulgeant, hac phrasi loquendi utitur : « Video insanientes, « non juvenes solum, sed et senes, super quibus « maxime verecundor. » Apud Oseam, II, 10, pariter dicitur : *Et nunc revelabo stultitiam ejus, in oculis amatorum ejus*; ubi nomen stultitiæ prævaricationi attribuitur, per quam Deus se contumeliatum esse dicit. Sapiens in duobus diversis locis reprobos insensatos appellat; in primis enim dicit, *Sap.*, V, 21 : *Pugnabit pro eo orbis terrarum contra insensatos.* In eodem vero capite, paulo ante, eosdem introducit, sibimetipsis hoc nomen attribuentes, eo quod electos, qui in hac præsenti vita bonis operibus dediti fuerant, derisissent et subsannassent. In hæc enim verba illos introducit loquentes : *Nos insensati! Vitam illorum æstimabamus insaniam et finem illorum sine honore.*

VERSUS 6.

Reliqui vero tenuerunt servos ejus, et contumeliis affectos occiderunt.

1. — Id quod Lyranus S. Joannis Baptistæ, ab Herode Judæorum Rege in vincula conjecti et decollati, nec non S. Jacobi Majoris Apostoli, S. Stephani, aliorumque Christi discipulorum exemplo declarat; quibus Cajetanus adjungit S. Jacobum minorem fratrem Domini nuncupatum; et quidem quoad Apostolos idipsum confirmat textus ille Actuum Apostolorum, V, 31 : *Ibant Apostoli gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt, pro nomine Jesu, contumeliam pati.*

2. — Lucas Brugensis sese continere nequit, quin contra sacrilegos, ingratos, beneficiorumque immemores exclamet : « Quid hoc furore furiosius? « erga eos, qui ad tantum honorem et tantam « inæstimabilem felicitatem invitabant, ut regiæ « accumberent mensæ, non modo ingrati, verum « etiam contumeliosi et crudeles fuerunt » Chrysostomus, *Hom.* LXX *in Matth.*, eorum se opponens malitiæ, qui filium, ad exigendos vineæ fructus ablegatum, occiderunt, majorem horum iniquitatem esse demonstrat, dum ait : « Illi enim fructus « repetentes, hi vero in nuptias vocantes trucida- « runt, quo furore quis major excogitari potest? »

3. — S. Anselmus objectioni cuidam, quæ hoc loco fieri potuisset, cur scilicet non etiam de morte, sponso nuptiarum illata, mentio facta fuerit, ita respondet : « Nota, quod hic siletur occisio Sponsi « et per mortem servorum ostenditur contemptus « nuptiarum. »

4. — Dionysius Carthusianus, *Serm.* III *in Dom. XX Trin.*, in sensu morali, per contumeliosos hosce, qui servos tam dire tractant, illos intelligit, qui correcti et melioris vitæ commoniti, illis, qui ipsorum promovent salutem, molesti sunt eosque indigne habent : « Intelliguntur omnes obstinati et « pessimi, qui eos a quibus audiunt verbum Dei et « justas increpationes, seu charitativas et pias ex- « hortationes, odiunt, persequuntur et perimunt. »

5. — Albertus Magnus ait : « Per istos notantur « luxuriosi, qui servos Regis, id est, Prædicatores « verbi Dei, quantum in eis est, tenent, quantum « enim possunt, vel audent, impediunt ne verbum « Dei prædicetur. » De his Apostolus loquitur, dum ait : *Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, et contumeliis afficiunt corpora sua in semetipsis.*

6. — Paulus de Palatio in his servis intrepidum ministrorum Evangelicorum animum considerat, qui innumera pro fide dilatanda, contumeliarum sustinent genera, unde ait : « Constantiam Prædi- « catorum indicat, qui usque ad contumelias, usque « ad mortem, homines ad convivium vocantes per- « durant. Indicat etiam, quod sit Prædicatorum « munus, non enim illorum est, populum beatum « dicere, non est pulvinos sub omni cubito et cer- « vicalia capitibus supponere; si enim hoc esset « prædicare, nunquam Prædicator ad contumelias « vel mortem veniret. »

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS

7. — S. Athanasius, *Hom. de semente*, impietatem et ingratitudinem detestatur illorum, qui invitantes ad nuptias diris adeo modis tractabant : « Quid « enim deterius, » inquit, « quam beneficia acci- « pere et insidiari. » S. Ignatius Martyr, qui cum feris pugnabat, id est, cum militibus, qui post accepta ab eo beneficia crudeliter eum tractabant, dixit : « Pugno ad bestias; die nocteque ligatus « cum decem leopardis, hoc est, militibus, qui me « custodiunt, quibus et cum beneficeris, pejores « fiunt. »

VERSUS 7.

Rex autem cum audisset iratus est, et missis exercitibus suis perdidit homicidas illos, et civitatem illorum succendit.

Rex autem.

1. — S. Paschasius notat, quod incarnata illa Sapientia cui cum veritate dicere possumus : *Omnia in sapientia fecisti*, in principio parabolæ eum, qui nuptias instituit, *hominem regem*, hic vero solum regem appellarit, cujus quoque mysterium explicans, subjungit : « Introducitur primo rex et homo, « quando invitat ad nuptias et agit opera clemen- « tiæ; nunc quando ad ultionem festinat, homo « bene tacetur et rex tantum dicitur, et iratus « introducitur, quia ira regis nuntius mortis. » Idem quoque mysterium S. Thomas tangit inquiens : « Supra dicebatur, *homini regi*, hic autem « dicitur *rex*, quia nomen hominis ad pietatem « pertinere videtur, rex vero ad punitionem, ideo « hic solum dicitur *rex*. »

Cum audisset, iratus est.

2. — In hac illius Regis ira, in cujus fœmore scriptum legitur : *Rex Regum*, propheticum illum impletum est oraculum, *Psal.* CV, 40, 41 : *Iratus est furore in populum suum, et abominatus est hæreditatem suam, et tradidit eos in manus gentium, et dominati sunt eorum, qui oderunt eos, et tribulaverunt eos inimici eorum*, quod tunc factum est, quando Deus hunc populum, a se derelictum, tradidit in manus Romanorum.

3. — Dionysius Carthusianus verbum *iratus est* exponens, dicit, id factum esse : « Non passionis « affectum habendo, sed justitiam exercendo, seu « infligendo vindictam per modum irascentis. »

Et missis exercitibus suis, perdidit, etc.

4. — Lyranus hæc verba, quoad sensum litteralem, de exercitibus Romanorum sub Tito et Vespasiano explicat : « Qui ex divina ordinatione venerunt « contra Jerusalem, quadragesimo secundo anno « post Christi passionem, quia in ultionem sangui- « nis Christi et suorum discipulorum, ab exercitu « Romanorum sunt trucidati et captivati de Judæis, « usque ad decies centum millia. » Jerosolyma quoque una cum templo, igne conflagravit, ut omnia ad unguem adimplerentur. Lucas Brugensis ait : « Perdidit illos fame, bello et peste, ipse enim « est Deus exercituum, cui Romani hic militarunt, « ulciscenti gentem reprobam; » adducitque regis Babyloniorum exemplum, quo Deus contra populum illum, velut divinæ justitiæ instrumento usus fuit; prout legitur Jeremiæ, XXV, 5. De quo exterminio idem Auctor ita scribit : « Undecies centena « mortuorum, captivorum vero millia septem nona- « ginta, qui dispersi in omnem ventum, alii ad « opera, alii ad bestias damnati, alii vilissimo prelio « venditi, cæteri triumpho servati. » S. Hieronymus per hosce exercitus, Angelos quoque intelligi dicit, dum ait : « Exercitus seu ultores Angelos, de qui- « bus in Psalmis scribitur, *Psal.* LXXVII, 49 : *Immis- « siones per Angelos pessimos.* » Glossa ait : « *Missis « exercitibus*, id est, Angelis, per quos judicium « exercebit, persequentes perdet et civitatem, id « est, carnem, in qua habitaverunt, cum anima in « gehenna cremabit. »

5. — Albertus Magnus per illos, qui invitati ad nuptias, venire noluerunt, carnales homines, ut alibi diximus, intelligit, « hi enim homicidæ sunt, « quantum in ipsis est, et Dei et Prædicatorum « ejus, nec non et animæ propriæ; civitatem vero « eorum, id est, corpora, æterno igne succendet. »

6. — Considerandum quoque hic est, ingratos hosce homines, nuptias frequentare neglexisse, quia negotiationes et inde provenientia lucra derelinquere noluerunt, quia potius servos illos invitantes occiderunt : Deus autem iisdem mediis, quibus ipsum offenderunt, punire voluit, disponendo, ut omnia bona temporalia perderent, ingenaque de corporibus ipsorum strages fieret, præter animarum ipsorum reprobationem et damnationem.

7. — Paulus de Palatio optime ponderat, Evangelistam non dicere, hunc regem primis indignatum fuisse, sed tantum secundis, quia his solum de convivio perfecte parato mentio facta fuerat : « Ea « enim ignorantia furorem Dei mitigabat, at ubi « opes Evangelicæ, beneficia Christi nobis aperiun- « tur, tunc negligere, contra nos Dei excitat vin- « dictam. »

8. — Idem quoque observat, quod, quando divinæ justitiæ supplicia nobis remittuntur, ea peccatis nostris velut causæ attribuere debeamus : « Cur ergo querimur, quod tot malis morborum, « famis et miseriarum opprimimur? Tolle neglec- « tores Evangelii, tollet Deus exercitus vastantes. » Dum Joab civitati Abelæ et Bethmaathæ per formidabilem exercitum suum, totale comminaretur exterminum sapiens quædam mulier, instantissime præfati belli ducis alloquium expetens, eumdem, quidnam in civitate illa prætenderet, interrogavit, cui ille : *Sebam filium Bochri, regis sui*

traditorem, manibus suis consignari se velle respondit; *tradite illum solum et recedamus a civitate*, qui mox, ut præcisum Sebæ caput ad se allatum fuisset, civitate intacta relicta abinde recessit. Eodem quoque modo in calamitatibus publicis famis, belli, pestis, aliisque similibus, soli peccato præscindatur caput et salva res erit, hoc enim solum est, quod divinæ justitiæ arcum armat et ad feriendum excitat. Unde S. Ambrosius, *Serm.* LXXXV, ait : « Civitati non nisi propter civium peccata, « infertur excidium. Desine peccare, et civitas non « peribit. » Armantur creaturæ, ut offensas Creatori suo, cujus nos infideles traditores sumus, illatas zelent et vindicent, *Sap.*, V, 12 : *Armavit creaturam ad ultionem inimicorum.* Optime hac de re Chrysologus ita scribit : « Dei, Dei est, quod urgemur « malis, quod verberamur semper, quod ruit « grando, quod rubigo inficit, quod impietas po- « test, quod dominantur morbi, quod sævit mors, « quod tremit terra, nos tamen nec tremimus, nec « timemus, nec declinamus a malis : Dei flagella « veniunt, sed nostræ provocant culpæ. »

Additio.

a. — *Rex autem cum audisset, iratus est*, etc. Clementissimus alias homo, qui opera agebat misericordiæ et clementiæ, et ideo hominis nomine dignus, ubi inaudivit servos suos contumelia affectos et occisos, voce scilicet sanguinis eorum clamante, lenitate sua deposita et in furorem conversa, iratus est, non passionis affectum habendo, sed justitiam exercendo, sed infligendo vindictam per modum irascentis. Perdidit homicidas et civitatem illorum succendit, quod dicitur ad gravissimam pœnam explicandam, quam Deus justissime iis infligit qui in pristina peccata relabuntur. Nam non solum ipsi recidivi peccatores in perditionem ituri erant, sed etiam eorum civitas et patria, cujus devastatio magnum dolorem ingerit. Nec immerito; gravissimum siquidem crimen commiserunt homicidæ, servos enim regis, qui missi fuerant ad vocandos eos ad nuptias, sine ulla causa occiderunt; et ideo justa pœna factum est, ut homicidæ occiderentur, et insuper eorum civitas succenderetur, cum pro tot beneficiis mala rependerent. « Quid enim « deterius quam beneficia recipere et insidiari? » ait D. Athanasius. Hi enim, et reatum, et supplicium sibi augent.

Vix credo, quod in amplo sacrarum Litterarum volumine, testimonium inveniri possit aptius his verbis Amos, I, 3 : *Hæc dicit Dominus : Super tribus sceleribus Damasci, et super quatuor non convertam eum*, ad ostendendum quantopere Deus a recidivantibus offendatur peccatoribus, et quam juste eosdem severissime castiget. Porro S. Hieronymus hæc verba ita exponit : « Si semel populum meum « esset persecutus, aut secundo darem veniam; « nunc vero cum tertio et quarto, crudelis extite- « rit; ut captivam multitudinem plaustris ferreis « tereret, nonne debeo cum plagis corripere? « Nonne clementiæ meæ vultum avertere ab eo? « Juxta tropologiam vero, hoc possum dicere : « Primum peccatum est cogitasse quæ mala sunt. « Secundum, cogitationibus acquievisse perversis. « Tertium, quod mente decreveris, opere com- « plesse. Quartum, post peccatum, non agere « pœnitentiam et in suo sibi complacere delicto. » Enimvero gaudere, sibique placere in peccato, illudque post receptam peccatorum veniam, denuo recommittere, hoc est, quod divinæ justitiæ fulmina a Dei manibus extorquet. Porro condonavit nobis quidem Deus prima et secunda vice, et forsitan etiam tertia, postea vero justo suo judicio manum suam amplius non porrigit ad nos sublevandos : *Super quatuor non convertam eum.*

VERSUS 8.

Tunc ait servis suis : Nuptiæ quidem paratæ sunt, sed qui invitati erant, non fuerunt digni.

Nuptiæ quidem paratæ sunt.

1. — Hoc est, inquit Dionysius Carthusianus : « Christi mysteria sunt completa, videlicet ejus « incarnatio, passio, resurrectio, spiritualis quoque « refectio Sacramentorum ac gratiarum offertur « hominibus, virtute ac merito Salvatoris; » id quod cum explicatione S. Anselmi optime consonat, dicentis : « Omne Sacramentum humanæ repara- « tionis peractum est; » Auctor Imperfecti, *Hom.* XII, pariter ait : « Quidquid quæritur ad salutem, « totum jam adimpletum est. »

Sed qui invitati erant non fuerunt digni.

2. — Lyranus, per hæc verba, reprobationem Judæorum, et Gentilium ad fidem vocationem significari dicit; quia postquam servi ad invitandum dimissi, id est, Apostoli et discipuli Christi ab Hebraismo repudiati fuerunt, hi in omnes terræ nationes, ad legem Evangelicam annuntiandam dispersi fuere, quam proinde amplexati sunt Gentiles, et hoc est, quod Doctor Gentium, *Act. Apost.*, XIII, 46, dicere voluit, dum ait : *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud et indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad Gentes.*

VERSUS 9.

Ite ergo ad exitus viarum, et quoscumque inveneritis, vocate ad nuptias.

Ite ergo ad exitus viarum.

1. — Salmeron hoc idem esse ait, ac si diceret, ad loca, majori hominum frequentia inhabitata ;

« Concursus et varias vias, » ubi enim viæ simul coincidunt, major est concursus communiter personarum. Unde Jansenius quoque ait : « Ubi multæ « viæ simul coeunt et multæ viæ exeunt, ibi proba« bilius est, multos reperiri posse, ex diversis viis « illuc confluentes, ut significetur multos ad nup« tias vocandos ; » Redemptor enim noster, qui sanguinem suum pro omnibus fudit, omnes quoque harum nuptiarum vellet fieri participes, I *Tim.*, II, 4 : *Vult omnes salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire*; defectus tantum est in nobis, qui illum repellimus.

2. — Dionysius Carthusianus hæc verba ad litteram intelligenda esse docet, de Apostolorum itinere, extra Palæstinæ confinia instituto, dum ait : « Ad « litteram misit Deus Apostolos ad exitus viarum ; « id est, ad loca ultra Judæam, dicendo, *Marc.*, XVI, « 15 : *Euntes in mundum universum, prædicate Evan« gelium omni creaturæ* ; » ante passionem suam vero, hanc coram gentibus prædicationem iis interdixerat, his verbis, *Matth.*, X, 5 : *In viam gentium ne abieritis*, id est, ut idem Carthusianus glossat, « fines Judææ ne exeatis. » De homine scandalosam vitam agente, in proverbio dicere solemus : hic mala via graditur, periculose incedit; in hoc statu Gentiles erant, de quibus Theophylactus in hæc verba scribens, ait : « Existentes juxta exitus « viarum, hoc est in errore. Via est vita uniuscu« jusque exitus a via, dogma ; Gentiles igitur, qui « vias habebant malas, hoc est, vitam ducebant « reprehensibilem, ab ea mala via exierunt in « dogmata impia, fœdos sibi deos constituentes « patronos vitiorum. » S. Hieronymus similem fere adducit expositionem, inquiens : « Gentilis populus « non erat in viis, sed in exitibus viarum, qui sunt « errores Gentilium. »

3. — S. Thomas hæc verba de dogmatum varietate intelligit, per quæ ad veritatis notitiam pervenitur; dicit enim : « Per vias intelliguntur diversa « dogmata, quia ista sunt viæ quædam, quæ ducunt « nos ad veritatem. »

4. — Dionysius Carthusianus inquit : « Jussit « Apostolos ire ad exitus viarum, hoc est, ad corri« gendos errores Gentium ; quæ non fuerunt in « via, sed in devio, in tenebris et umbra mortis ; » hoc autem facientes, ad ultimos usque mundi fines penetrarunt, unde Jansenius ait, ipsos quoque illuminasse « eos, qui in extremis mundi partibus « habitant ; » juxta illud, *Act. Ap.*, I, 8 : *Eritis mihi testes in Jerusalem et in omni Judæa et Samaria, et usque ad ultimum terræ*, quod ipsum vates Regius prædixerat, inquiens, *Psal.* XVIII, 5 : *In omnem terram exivit sonus eorum et in fines orbis terræ verba eorum*; id est, « ad gentes, etiam remotissimas et « abjectissimas, » ut idem Jansenius docet. Salmeron in eodem sensu exponit illa Isaiæ, XLIX, 6, verba : *Ut sit salus mea usque ad extremum terræ.*

5. — Paulus de Palatio Prædicatores Evangelicos, ad exitus viarum abire jussos esse dicit, ut docerentur de modo, quem in hoc tam arduo ministerio servare debebant : « Prædicatores, » inquit, « jubentur e civitate exire, extra urbis septa « egredi ; certe in civitate omnia tractantur hu« mana ; jubentur ergo exire a rebus humanis, a « modo loquendi, intelligendi et volendi humano, « ut viribus fidant divinis, non humanis ; ut sermo « sit, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ « verbis, sed in doctrina spiritus qua ratione Bap« tista prædicabat in deserto. » Jansenius quoque per hos exitus viarum, homines viles et a mundo abjectos, intelligi posse considerat, quibus Deus auxilia sua ministrare non desinit : « Aut simpli« cius, » inquit, « per exitus viarum significantur « fines et termini viarum, in quibus fere abjecti « commorantur, ut significetur, Prædicatores missos « etiam ad vocandum abjectissimas gentes ; » unde in parabola illa, quam Lucas describit de cœna præparata quæ huic simillima est, servi pariter jussi sunt invitare *debiles, pauperes, cæcos et claudos.*

6. — S. Gregorius, *Hom.* XXXVIII *in Ev.*, in sensu spirituali illos intelligit, qui in hac præsenti vita, habent terrena, quibus adhærescunt, qui proinde ad invitationem Dei acceptandam proni et faciles inveniuntur : « In Scriptura sacra, » inquit, « vias, « actiones accipimus, exitus viarum intelligimus « defectus actionum, quia illi plerumque facile ad « Deum veniunt, quos in terrenis actibus prospera « nulla comitantur. »

7. — S. Hilarius, *Com.* XXVIII *in Matth.*, ait : « Dono gratiæ, vitæ anterioris crimina remittuntur, « nam sæpissime viam, tempus sæculi intelligen« dam monuimus ; atque ideo ad exitus viarum « jubentur ire, quia omnibus retroacta donantur. »

8. — S. Albertus Magnus viæ nomine, vitam nostram intelligens, quia quoadusque vivimus, viatores sumus, pariter per exitum viæ, transitum, quo ad aliam vitam pergimus, intelligendum esse dicit ; indeque sequentem elicit moralitatem : « Illi « sunt in exitibus viarum, » ait, « qui mortem « suam jugiter prospiciunt et qui se credunt quoti« die morituros et certe tales dignos se efficiunt, ut « ad Christi nuptias introire mereantur, quicumque « enim mortis suæ efficaciter recordantur, student « esse continentes, patientes et obedientes, nitun« tur seipsos ad veram contritionem et per veram « confessionem a peccatorum maculis expiare. »

Quoscumque inveneritis, vocate.

9. — Id est, ait Anselmus, « cujuscumque condi« tionis homines vocate ad Christianitatem, id est, « vitam Christianam ; » redditque efficacem hujus indifferentiæ rationem, dicens : « Sicut non est « distinctio, in natura creationis hominum, sic non « sit differentia in vocatione salutis eorum ; vel viæ « sunt omnes professiones hujus mundi, » inquit D. Chrysostomus, a Glossa citatus, « ut puta philo« sophiæ, militiæ et hujusmodi. *Dicit ergo : Ite ad « exitus viarum*, ut cujuslibet conditionis homines « vocet ad fidem ; » nam ut Auctor Imperfecti ait : « Quantæ sunt diversitates actuum, in hoc mundo, « tantæ sunt viæ, quæ omnes viæ ducunt ad diabo« lum, generalem viam perditionis ; ideo ergo « dicite : *Ite ad exitus viarum*, et cujuslibet condi« tionis homines vocate ad fidem ; adhuc sicut « castitas via est, quæ ducit ad Christum, et misc« ricordiæ cæteræque virtutes ; sic et fornicatio via « est, quæ ducit ad diabolum, et avaritia, cæteræ« que species malæ ; jubet ergo, ut cujuscumque « conversationis homines invitent ad fidem, quos« cumque sive servos sive liberos ; potens est « mutare omnes, sive bonos sive malos ; boni, ne « pereant, mali, ut inexcusabiles fiant : nemo « propter ignorantiam pereat, nemo propter igno« rantiam excusetur. »

10. — Magna profecto est hæc nostra prærogativa, qua certi sumus, quod, in quacumque vocatione, professione et statu, in quo vivimus, hisce æternæ beatitudinis nuptiis, dummodo velimus, assidere valeamus ; et ideo magnum nobis solatium suggerunt illa Chrysostomi, *Hom.* XXX *in Matth.*, verba : « Una res quæritur, magnitudo et genero« sitas animi, quam non ætas, non inopia, non « divitiæ, non aliquid aliud, ne ad virtutem perve« nias, coercebit. » Rusticus aliquis vel homo mechanicus irreprehensibiliorem nonnunquam conscientiam habebit, quam religiosus in claustris. Id quod operum nostrorum monetæ, qua gloriam comparamus, valorem et pretium attribuit, amor est et charitas, qua Deum diligamus ; hæc autem omni statui et professioni hominum, in quovis mundi climate, in quavis natione, etiam barbara, æqualiter congruit, dicit enim Scriptura, *Rom.*, IX, 33 : *Omnis qui credit in illum, non confundetur, non enim est distinctio Judæi et Græci, nam idem Dominus omnium, dives in omnes, qui invocant illum, omnis enim quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit*, inquit S. Paulus, *Matth.*, XIX, 16, homo ille Salvatorem interrogavit : *Quid boni faciam, ut habeam vitam æternam?* cui responsum fuit : *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*; adimpletio autem mandatorum cuivis competit sorti personarum, nullus enim est, qui ad amandum cor non habeat. Inter hasce nuptias et nuptias sive convivia Magnatum, hæc est differentia, quod in hisce convivæ sint personæ selectissimæ, dignitate et natalium splendore præcellentes et insignes ; ad mensam vero æternalium deliciarum, cœlestiumque gratiarum participationem, omnes æqualiter invitantur, cujuscumque sint status et conditionis, *Luc.*, XIV, 21 : *Pauperes, debiles et claudos introduc huc.* Sancti Reges, Imperatores et Pontifices, cum mendico et ulceroso Lazaro, qui in limine Epulonis moriebatur fame, æqualiter considebunt. S. Petrus, cui consignatæ fuerunt claves Regni cœlorum, quando jussu Dei, domum abiit Cornelii Centurionis, ut eumdem per sacrosanctum lavacrum regeneraret, dignam hanc protulit sententiam, *Act. Ap.*, X, 34 et 35 : *In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet eum, et operatur justitiam, acceptus est illi*; quæ obsecro gens usquam inter omnes professiones humanas reperiri poterit, a salutis semita magis devians, quam sit illa, quæ vitam profitetur militarem? de militibus enim etiam Poeta ille cecinit :

Nulla fides pietaque viris qui castra sequuntur.

11. — Et tamen de Centurione Evangelico æterna Veritas egregiam hanc protulit sententiam : *Non inveni tantam fidem in Israel*; imo hic Cornelius primus fuit, qui gentilismo ad veri Dei notitiam viam aperuit ; memorandum quoque est, quod, quando Salvator noster post suam resurrectionem, Apostolos retia sua explicare jussit, ingentem iisdem ceperint piscium prædam, nimirum centum quinquaginta tres pisces ingentis magnitudinis, *Joan.*, XXI, 11 : *Ascendit Simon Petrus et traxit rete in terram, plenum magnis piscibus centum quinquaginta tribus*, S. Hieronymus super Ezechielem dicit : « Aiunt, qui de animantium scripsere naturis, de « quibus Oppianus Cilix est poeta doctissimus, « centum quinquaginta tria esse genera piscium, « quæ omnia capta sunt ab Apostolis, dum et nobi« les et ignobiles, diviles et pauperes, et omne « genus hominum de mari hujus sæculi extrahitur « ad salutem. »

Additiones.

a. — *Ite ergo ad exitus viarum, et quoscumque inveneritis, vocate ad nuptias.* Viæ actiones sunt, exitus viarum defectus et infortunia in actionibus intelliguntur ; seu ut clarius dicam, per exitus viarum significantur molestiæ, fatigationes, ac afflictiones, quas experitur, qui ad exitum seu finem viæ pervenit. Merito ergo jubentur ire ad exitum viarum, quia ad Deum facile convertuntur, quos fortunæ adversitas prosequitur, premitque afflictio. Quanto enim quis magis homo a bono et felicitate terrena nudus et alienus existit, tanto magis cœlestibus abundat ; præsentis enim vitæ prosperitates nos a Deo seducunt. Philippus Abbas ad locum ubi Saul cecidit mortuus, se ingeniose reflectit ; locus autem mons Gelboe fuit, qui illorum ruinam repræsentat, qui in sublime dignitatum ascendentes, non solum non acquirunt spiritum, verum etiam illum quem de facto habent, amittunt, quia quanto illos inimicus infernalis altius sublimatos esse conspicit, tanto sagacius, ut illis nocere possit, contendit. Etenim, « Gelboe idem est

« quod mons lubricus, quia videlicet in sublimi « fastigio dignitatis, non figit gressus stabiles, nisi « maturæ gravitatis sanctitas. » Idem quoque Abbas Spiritum Sanctum mox subjunxisse observat, quod in hoc monte generosissimi quique et fortissimi ex Israel occubuerint : « *Ubi ceciderunt fortes Israel*, « quia plerumque qui in plano et humili videbatur « securius stare et stabiliter ambulare, cum ad ar- « duum et lubricum venerit, adversario fortius « impugnanti non resistit, nec persistit in ea, quæ « cœperat sanctitate. »

S. Thomas in libro *de Eruditione Principis*, assignat rationem quare humanæ dignitatis culmen adeo lubricum sit et periculosum. Considerat enim quod homo aliud nihil sit quam pulvis et cinis, ac proinde cum loca alta ventis exposita sint, mirum profecto non est, quod homo de dissipatione et dissipatione sui periclitetur; quid enim facilius est quam quod pulvis in alto positus evanescat et a vento elationis dissipetur? « Quid est potestas cul- « minis? tempestas mentis. Specialiter perflat ibi « Aquilo, juxta verbum Luciferi : *Dominans sedebo « in lateribus Aquilonis.* » Ac proinde clarum est, inquit idem sanctus et Angelicus Doctor, qui primas summasque etiam prælaturas et dignitates semper a se repulit, dignitates humanas non ambiendas sed timendas et formidandas potius esse; quia juxta Christi consilium humiles esse debemus : « *Recumbe in novissimo loco*; hic est locus « congruens homini, qui est terra et cinis : terræ « enim non congruit esse in alto, quæ est infima « elementorum; cineri enim congruit ne in alto « sit, ne dispergatur a vento. »

b. — Rex paterfamilias nuptias complere sollicitus, ad compita et vicos servos dimittit. Anne sapiens in rege consilium? Nam in civitate ordinatum erat convivium. Cur igitur non in civitate, ejusque foro et plateis quærit convivas? Ad quid per exitus viarum extra civitatem invitatos perquirit? « Egredientes servi, » ait Origenes, relatus in *Catena*, « sive de Judæa, sive de Jerusalem; Apostoli « Christi venientes ad vias diversorum morum, « congregaverunt quos invenerunt. » Et merito sane ita factum est, nam in illo convivio, sedem solum erant habitari, qui nuptiali charitatis et puritatis veste ingrederentur vestiti; in civitatibus autem probati justitia valde difficile reperiuntur, Ut ergo convivantium locus adimpleretur, necesse fuit extra civitatem, per exitus viarum epulatores vocare atque perquirere; inibi enim continentia probati reperibiles existunt. Ad hanc conservandam plurimum solitudo juvat. Solitudo verecundiæ centrum est, ait S. Ambrosius, *exhort. ad virgines* : « Decet, » inquit, « solitudo verecundiam, et gym- « nasium pudoris secretum est. » Auctor quidam scribens de expeditione Christiana apud Sinas, refert quod : « Magnam partem mulieribus elegantiæ « statuunt in pedum parvitate; qua ex causa a « prima pueritia pedes arctissime fasciis obsolvunt « ne secrescant libere, atque ideo in incessu trun- « cas prope judicares. Has fascias per universam « vitam adhibent. Id videtur sapientis alicujus « inventum fuisse, ut eas domi contineret, ne fa- « cile per vicos cursant; quod fœminas decet im- « primis. » D. Hieronymus virgini Eustochiæ hoc dedit consilium : « Cave ne domum exeas, et velis « videri filia regionis alienæ. Dina egressa corrum- « pitur. Nolo te sponsum quærere per plateas. »

Nulla fuit inter omnes animas creatas, quæ ita rapuit cor Dei, sicut Beatissima Maria Virgo, Dei Mater jam electa; grata enim ei fuit specialiter virginitas sua : « Virginitate placuit; » verba sunt S. Bernardi omnibus nota. Vultisne scire quanta cura et circumspectione custodierit, ac conservarit hunc thesaurum? Ecce invenietis in ea intensissimum semper solitudinis amorem, de quo S. Ambrosius scribens Sabino Episcopo, ita discurrit : « Sola erat Maria, et loquebatur cum Angelo; sola « erat quando supervenit in eam Spiritus Sanctus, « et virtus Altissimi obumbravit eam. » Hisce conformia sunt quæ scribit S. Eucherius, *Hom. de festo Annunt.* « Ingressus est Angelus ad eam; non « enim Virgo in plateis erat, non in publico mora- « batur; intus erat in penetralibus, sola sedebat. » Legationes Magnatum celebriores ad alios principes destinatæ, pro expediendis magni momenti negotiis, prima vice ad minus, summa cum pompa et applausu publico, præsentibus regni primatibus excipiuntur; in hac vero legatione longe alius stylus observatus fuit : « Sola in penetralibus, quam « nemo virorum videret, solus Angelus reperiret, » ait S. Ambrosius, « sola sine comite, sola sine « teste. » Nec aliud mysterium erat, quam quia *missus est Gabriel Angelus ad Mariam Virginem.* Virginitas amat solitudinem et sequestrationem. Nix est symbolum puritatis; conservatur autem candida et illæsa in solitudine, non in plateis urbium, aliisque locis inhabitatis. « Tenera res in « fœminis, fama pudicitiæ; » ait S. Hieronymus, « quasi flos pulcherrimus cito ad levem marcescit « auram. » Unde Tertullianus, *lib. de velandis virg.*, ait : « Struendum esse sacris virginibus pudoris « murum, qui nec proprios emittat oculos, nec « admittat alienos. »

Versus 10.

Et egressi servi ejus in vias, congregaverunt omnes, quos invenerunt, bonos et malos, et impletæ sunt nuptiæ discumbentium.

Et egressi servi ejus in vias, congregaverunt.

1. — Dionysius Carthusianus per hunc servorum in vias egressum, iter Apostolorum interpretatur, ad varias nationes et terræ populos, ad fidem reducendos institutum : « Id est, ad gentium disper- « siones ac lata itinera perditionis, congregaverunt, « hoc est, ad Christum converterunt, atque in ejus « fide et charitate, et ecclesiastica unitate spiritua- « liter collegerunt. »

2. — Venerabilis Beda per has vias, varias Gentilium sectas et dogmata intelligit : « Viæ intelli- « guntur dogmata et errores Gentilium, sed ex « omnibus his ad nuptias venerunt, id est, Christo « crediderunt. »

Omnes quos invenerunt.

3. — Non vult dicere, inquit Dionysius Carthusianus, *in Matth.*, quod hi servi, id est, Apostoli, omnes individualiter converterint, sed aliquos ex omni natione, omni statu et professione. « Non « omnes simpliciter, » inquit, « quia *non omnes « obediunt Evangelio*, teste Apostolo; nec omnium « est fides, sed quosdam de omni genere hominum. »

4. — Chrysostomus ad hanc a Christo datam commissionem : *Ite ad exitus viarum et quoscumque inveneritis, vocate*, se reflectens, subjungit : « Etiam abjectos, et viles, obviam factos invitate, « itaque quoniam crebro dicebat, quod meretrices « et Publicani, cœlos hæreditabunt, fientque primi « ultimi, et ultimi primi, id juste fieri demon- « strat, » pergit ulterius dicere, quod Judæos acriter punxerit, quando etiam Gentibus viam ad cœlum apertam esse audierunt : « Hoc quippe maxime « omnium, Judæos vexabat, et multo magis quam « ipsius urbis ruina illos mordebat, quia gentes « introduci jam audiebant. »

Bonos et malos.

5. — Quo sensu hæc malorum et bonorum in hisce nuptiis commixtio intelligenda sit, cum indubitatum esse sciamus, quod *nil coinquinatum intrabit in regnum cœlorum*; Jansenius bene declarat, dum convivium hoc in Ecclesia hic in terris militante instruit, dicit : « Secundum Gregorium, » inquit, « boni pariter et mali congregati dicuntur; ut « intelligeremus in Ecclesia semper malos bonis « permixtos fore; » et quidem Christum de statu præsenti hic loqui, ex verbis sequentibus clare deducitur, siquidem is, qui veste nuptiali carebat, ab hisce nuptiis expellitur; itaque boni et mali dicuntur, non ratione bonitatis et malitiæ, in qua fuerant, cum vocarentur, sed in qua post vocationem erant futuri.

6. — Anselmus ait : « *Malos et bonos*, id est, « eos, qui per naturalem legem et morum hones- « tatem, quodammodo boni erant, et eos, qui post- « posita naturali lege, male vivebant. »

7. — S. Thomas hæc verba de illis explicat, qui a principio, quando invitabantur, mali erant, postmodum vero in statum reducti fuere salutis : « Vel « potest dici, » ait, « quod loquitur comparative, « quod inter illos aliqui sunt boni, secundum « virtutes civiles; vel *bonos et malos*, qui postquam « congregati fuerint, commiscentur boni et mali. »

8. — De hypocritis et inconstantibus verba illa Lucas Brugensis intelligit : « *Malos* vero dicit, « hypocritas, qui conversionem simulaverunt; et in- « constantes, qui relapsi perseveraverunt in malo. »

9. — Dionysius Carthusianus hoc loco quærit, qua ratione inter Gentiles, boni homines reperiri potuerint, et respondet cum S. Paulo, dicens : « Teste Apostolo, gentes, quæ legem non habent, « et tamen quæ legis sunt, faciunt, ipsi sibi sunt « lex; et multi Gentilium in suo genere, natura- « libus virtutibus ornabantur, morum honestate « fulgentes, et inclinati ad bona; hi comparatione « aliorum boni vocantur, quamvis non erant in « statu salutis. »

10. — S. Anselmus dicit : « Vel *bonos et malos*, « id est, prædestinatos ad vitam et ad mortem, qui « indiscrete utuntur præsentis Ecclesiæ conversa- « tione; » ad quod pariter parabola retis alludit, quo « omnium piscium genera capiuntur quidem, e quibus tamen postea particularis instituitur bonorum delectus, prout in Matthæo, XIII, 47, legitur; etenim dum vocamur, nullus habetur respectus, an boni vel mali simus, quia ad salutem æternam omnes vocamur, et invitamur; habetur autem hic respectus, quando huic mensæ accumbendum est, quando æterna beatitudine fruimur.

11. — Lucas Brugensis ait : « Addidit vero hoc « de bonis, et malis coactis, eo quod videri poterat, « ad has sacrosanctas nuptias neminem admitten- « dum fuisse, nisi bonum, a servis præsertim missis « a Domino, cordium scrutatore; aliqui noluit Do- « minus judicium hoc servis committere, qui mali « essent, qui boni, sed reservavit sibi; quia, ut « inquit Hilarius, malos intelligere non omnium « est, et humana simplicitas difficile fraudulentiam « simulatæ mentis intelligit. »

Et impletæ sunt nuptiæ discumbentium.

12. — « Quia fides Catholica, » inquit Lyranus, « diffusa est per orbem universum. » Albertus Magnus similem affert expositionem, dum ait : « Crediderunt, quotquot præordinati fuerant ad « vitam; hæc impletio non est nisi perfecta per « mundum dilatatio. »

13. — Dionysius Carthusianus in Dominicam XX post Trinitatem dici non potuisse considerat, omnia fuisse perfecta, hasque nuptias ultimum suum habuisse complementum : « Non perfectæ « nisi in fine mundi, cum plenitudo gentium intra- « verit, omnisque Israel, juxta Apostolum, salvus « fuerit; nunc autem aliqualiter sunt nuptiæ istæ « impletæ, quia in omnem terram exivit sonus « Apostolorum. »

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Versus 11.

Intravit autem Rex, ut videret discumbentes, et vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali.

Intravit autem Rex, ut videret discumbentes.

1. — S. Anselmus huic ingressum non motu progressivo factum esse dicit, quia Deus in omni loco præsens adest : « Intravit videre, non quod est « aliquid, ubi non sit, sed quia, ubi vult aspicere, « sit præsens, ubi non vult, absens videtur. » Auctor Imperfecti illa de judicio explicat, quod de nobis in fine mortis erit : « Dies aspectionis est « dies judicii, quando visitaturus est Christianos. » S. Thomas, *in Matth.*, pariter de judicio finali exponit, dicens : « Examinans intravit; intrat enim, « quando exercet judicium super eos, et hoc in « finali judicio; item in morte, item quando immi- « nent tribulationes Ecclesiæ. » Lyranus eamdem adhibet distinctionem, dum ait : « Intrat, discer- « nendo merita, et demorita credentium, et hoc « dupliciter et in futuro judicio et specialiter in « morte cujuslibet hominis. » Hanc Glossam præ omnibus aliis Beda super hanc S. Matthæi textum adducit, inquiens : « Ingressus regis adven- « tum Domini in die judicii ostendit, quando fidem « et merita singulorum discernere venit. »

2. — Quærendum hic est, cur rex ille ad hunc reum castigandum personaliter venerit, de quo alias dicitur : *Dominus de cælo prospexit super filios hominum alta a longe cognoscit, ipse sciebat, quid esset in homine?* Numquid igitur ministrorum suorum opera uti poterat? Sciendum igitur per hunc regem, Filium Dei significari, qui notitia hac intuitiva opus non habebat; illos tamen, quibus alios judicare competit, docere voluit, ne aliorum relationibus nimium fidant, sed quotiescumque illis permittitur, personaliter negotiorum examini se applicent, et, si opus est, id de quo agitur, oculis videant, quia in judiciis et reputatione proximorum agitur, quod est punctum valde arduum, et, si negligatur, magnum secum affert conscientiæ nostræ gravamen. S. Paschasius aliam quamdam adducit glossam, proposito nostro admodum aptam : « Quia, » inquit, « malos in conscientia intelligere « non omnium est, quoniam humana simplicitas « difficile fraudulentiam simulatæ mentis potest « deprehendere, idcirco solus Deus terribilis et rex « magnus inveniet. »

3. — Cajetanus per hunc ingressum, discussionem actualem, quæ in uniuscujusque judicio fiet, intelligit : « Intrat Deus judicio, qui foris manet, « tolerando; intrat autem discutiendo, et judicando « singulos, cum in morte visitat, et judicio suo « discutit merita cujusque morientis. »

4. — Jansenius per hunc ingressum, inspirationes internas intelligit, per quas Deus in hac vita nos visitat et admonet : « Intelligunt mystice impleri « in vita præsenti, ut tunc intelligatur Deus intrare « ad videndum convivas in suis nuptiis, quando « interna visitatione cor uniuscujusque commovet « et admonet. »

Et vidit ibi hominem.

5. — Valde considerabilis est dictio *hominem*, quæ nescio quid humani et carnalis nobis exprimat. Unde Apostolus Corinthios velut homines carnales, et rixosos reprehensurus, ita scribit, I *Cor.*, III, 8 : *Cum enim sit inter vos zelus, et contentio, nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis?* In hisce nuptiis, convivio Agni immaculati accumbendum nobis erit, ad quod quies, unio, puritas et munditia angelica requiritur; qua de re Padius de Palatio bene scribit dum ait : « En culpa prima in « divino convivio, ubi Deus est auctor convivii, « Deus sponsus, sponsa divina et omnia divina : « cur miser divinis hominem miscuisti? eo ipso, « quo e via ad prandium adductus es, hominem « exuisti, Christum induisti, ut jam non esses « homo; sed velut Christus, velut Deus; cur igitur « Christum exuisti quo indutus eras? » Unusquisque qui in sacro lavacro regeneratur, harumque nuptiarum factus est particeps, consequenter eodem tempore exuto veteri homine Christum induit, *Gal.*, III, 27 : *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis*; culpa igitur et scelus æterna pœna puniendum est, hanc vestem abjicere, ut veterem denuo hominem reinduamus. Unde Apostolus nos monet, *Colos.*, III, 9, 10 : *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum, eum qui renovatur in agnitionem secundum imaginem ejus qui creavit illum.*

Non vestitum veste nuptiali.

6. — Quæri hoc loco potest, qua ratione rex ille inter innumerabiles convivas præsentes, unicum tantum hac veste carentem notare potuerit? Salmeron ait : « Unus tantum ejectus fertur e convivio, « ut ostendat Dominus, ne unum quidem in tanta « turba eum latere posse, nec tutum esse, eo quod « unus sit. » *De cælo respexit Dominus*, inquit Psalmista, *Psal.* XXXII, 14, *vidit omnes filios hominum, de præparato habitaculo, respexit super omnes qui habitant terram, qui finxit sigillatim corda eorum, qui intelligit omnia opera eorum.*

7. — At vero inquies, ex quo hic in tot convivarum societate erat, qui omnes erant eodem vestium splendore ornati, cur ab his monitus non fuit, vestem nuptialem induere, nisi velit ab ipsorum consortio exclusus esse? Ad hoc dubium Lucas Brugensis respondet : « Facile quidem est, homi- « nem specie pietatis decipere, et frequenter im- « possibile est hominibus discernere malos a bonis, « sed Deum perlustrantem Ecclesiam fallere, aut « latere, non potuerunt hujusmodi. »

8. — Quæres fortasse iterum, ex quo numerus perversorum, præcipue vero malorum Christianorum ingens et sine numero existat, quomodo multitudo illa per unum solum repræsentari potuit, veste nuptiali carentem? S. Augustinus, *contra Donat.*, XX, dicit : « In hoc uno homine grande « quiddam corpus figurari omnium malorum, ante « Domini judicium, convivio Dominico permisso- « rum. » Jansenius fuse hanc difficultatem considerat, eamque utilibus quibusdam, et moralibus responsionibus resolvit : « Unum dicitur vidisse « rex, » inquit, « non indutum veste nuptiali, « quamquam forte sint plures in Ecclesia mali « quam boni, tum ut in illo uno unusquisque « discat fidelium, sollicitus esse, ut vitam vivat sua « vocatione dignam; tum ut hinc intelligeretur « exacta, et diligens consideratio Dei ad vitam et « merita fidelium, ne quis sibi persuadeat, se unum « in novissimo die in tanta hominum multitudine « posse effugere Dei oculum. »

9. — Per hanc porro vestem nuptialem, charitas præcipue intelligitur; unde S. Anselmus legit : « Non ornatum charitate, quæ maxime vestis Dei « dicitur. » Non sufficit igitur, ad nuptias ingressum esse, id est, Baptismum recepisse, vel ad participationem Sacramentorum Ecclesiæ admissum esse, nisi in corde nostro, hic ignis amoris Dei exarserit. Salmeron ait : « Per hunc unum, carentem veste « nuptiali, intelligimus omnes eos, qui fidem et « fidei Sacramenta habent, sine qua non essent « ingressi in convivium Ecclesiæ, sed charitate et « bonis operibus destituuntur. » Lyranus quoque per hanc vestem intelligit charitatem : « Quæ divi- « dit inter filios regni et perditionis; » citatque S. Chrysostomum dicentem : « Quia ea indutus Chris- « tus ad nuptias venit, quando ex charitate incar- « nari voluit. »

10. — S. Thomas quærit : « Quæ est ista ves- « tis? Christus; Christum induamus, qui sumus « Christi; » varios autem distinguit modos, quibus per Sacramentum adornari possimus, dicit enim : « Quidam induunt Christum per Sacramentum, « *Gal.*, III, 27 : *Quicumque in Christo baptizati estis, « Christum induistis*; quidam sunt in Christo per « charitatem et amorem, item per operum confor- « mitatem; habere ergo vestem nuptialem, est « induere Christum, per operationem bonam, per « conversationem sanctam, per charitatem veram. »

11. — Origenes, ab eodem Angelico Doctore in *Catena* citatus, ait : « *Vidit non vestitum veste nup- « tiali*, id est, qui non mutaverat proprios mores. »

12. — Theophylactus per hanc vestem, opera misericordiæ interpretatur, et forte ad hoc textus ille Apostoli alludere voluit, *Gal.*, III, 18 : *Induite vos ergo sicut electi Dei, sancti et dilecti, viscera misericordiæ*; dicit ergo Theophylactus : « Quis est « iste, sordida vestimenta gerens? is, qui non « indutus est viscera miserationum, fraternitatem, « benignitatem. »

13. — S. Hieronymus de divinorum præceptorum adimpletione explicat, dicens : « Vestis « nuptialis præcepta sunt Domini et opera, quæ « complentur ex lege et Evangelio, novique homi- « nis efficiunt vestimentum; si quis igitur in tem- « pore judicii inventus fuerit sub nomine Christia- « norum, non habere vestem nuptialem, hoc est, « supercœlestis hominis, sed vestem pollutam, id « est, veteris hominis exuvias, hic statim corripitur « et dicitur ei, etc. »

14. — De hac veste Jansenius ita scribit : « Hæc « vestis est vita pura et splendida in modum vestis, « virtutibus et bonis operibus contexta, hominem- « que ornans. » S. Bonaventura autem idipsum diu ante illum scripsit, dum *Serm.* III *in hac Dominica*, ita ait : « Hæc vestis est optima conversatio bonæ « vitæ, quæ melius vestit hominem, quam purpura « vel aurum, vestis autem bonæ vitæ necessaria est « ad evadendam gehennæ condemnationem. »

15. — Jansenius perpendit non sufficere, intrasse convivii locum, et in eadem cum aliis societate honorari, dignumque, qui mensæ illi accumbat, haberi, qualis hic utique erat, qui, ut credibile est, ab omnibus ejectus fuisset, si illum tanquam convivio indignum agnovissent, indeque hoc elicit morale dogma : « Non satis alicui esse debet, quod sit intra « Ecclesiam, nec rursus quod in ea sic sit et sese « gerat, ut toleretur a fidelibus, nec eorum con- « spectui displiceat, sed curandum, ut sic se gerat, « ut etiam oculis Domini placere possit; hic enim, « qui regis oculis displicuit, satis placuit reliquis « convivis, a quibus ejectus prius fuisset, si per- « turbatorem se molestum exhibuisset; » utique enim se ita ficte composuit, ut omnibus gratus, omniumque oculis dignus videretur, sed nondum erat talis in oculis Dei.

16. — Glossa ait : « Id est, fidem habentem, « non opera charitatis, per quam Dominus ad « sociandæ Ecclesiæ nuptias venit; » eadem quoque S. Gregorii in *Catena* citati sententia fuit, dicentis : « Intrat ergo ad nuptias sine veste nup- « tiali, qui in Ecclesia fidem habet, sed charitatem « non habet; » nam juxta Auctorem Imperfecti, *Hom.* XLI, « nuptiale vestimentum est fides vera, « quæ est per Jesum Christum et justitiam ejus. »

17. — Hugo Cardinalis pariter dicit : « *Non « vestitum veste*, id est, non operibus, licet fide; « cum tamen *fides sine operibus mortua* sit. » Theophylactus timendum et tremendum nobis esse dicit, nisi dignis operibus fidei, quam profitemur, correspondeamus : « Horreamus igitur, » inquit, « cogitantes, nisi quia quis vitam habeat puram, « nihil ei proderit pura fides, non solum enim e « nuptiis ejicitur, sed et in ignem mittitur. » Sicut enim, ut Auctor Imperfecti ait, certum est, quod si

quis veste luto vel fœtidis sordibus coinquinata, ad nuptias interveniret, omnem aliorum turbaret lætitiam, gravemque defectum committeret : « Ita qui « opera habet tenebrosa et inter Christianos, quasi « unus ex eis conversatur, ipsi Christianitati facit « injuriam; » moxque hanc utilissimam subdit doctrinam : « Homo itaque aut secundum locum « eligat vestem, aut secundum vestem eligat locum; « id est, aut secundum opera eligat professionem, « aut secundum professionem faciat opera : qui « vult esse Christi, faciat opera Christi; qui autem « non vult opera Christi facere, non veniat ad « Christum, alioquin audiet in die Christi : *Amice, « quomodo huc*, etc. » *Genes.*, XXVIII, de Jacob scribitur, quod in itinere Arum versus constitutus, subque noctis crepusculum dormiens, scalæ cujusdam visionem habuerit, vertice cœlum, extremitate vero terram tangentis, in eaque Angelos viderit, alios ascendentes, alios descendentes; a somno vero expergefactus, præ meta nimio exclamavit : *Quam terribilis est locus iste;* in eodem quoque libro idem Jacob tota nocte cum Angelo quodam luctatus fuisse legitur, qui ipsum in nervo lædens, claudicare fecit et tamen omnino lætus post hanc luctam, dixit, *Gen.*, XXXII, 30 : *Nunc salva facta est anima mea;* quis hic non dicat, Jacobum potius in hoc secundo casu terreri, in primo autem lætari debuisse, quando Paradisum ante se apertum conspexit : *Vere non est hic aliud, nisi porta cœli*, simulque scalam ad ascensum cœli promptam et paratam, cum tamen e contra post contractum sibi nervum, dicere debuisset, magnum sibi allatum fuisse salutis suæ præjudicium. S. Ephrem hanc difficultatem resolvit, dicens : « Ante luctam terribilis erat locus, quem « post certamen suavem appellat, ut scias Paradi« sum per solam fidem nobis exulem esse quem « opera concivem nobis faciunt; » merito timuit, quando in terra jacens et dormiens, cœlum sibi apertum conspexit, quia gloria non est pro ignavis; at vero quando tota nocte luctatus fuit, tunc vere dicere potuit : *Salva facta est anima mea*, quia passiones et labores jus nobis conferunt ad regnum æternum. Ad nuptias invitatum esse non sufficit, nisi nos virtuosorum et Christianorum operum nuptiali veste adornemus. Apud Oseam, II, 20, Deus animæ dicit : *Sponsabo te mihi in fide*, ubi tamen advertendum est, fidem hanc nequaquam nudam esse debere. Unde Hugo Cardinalis super illa verba, *Luc.*, XV, 22 : *Date annulum in manu ejus*, per annulum enim, ut recte constat, sponsalia contrahuntur, dicit : « Id est, docete eum habere fidem in opere. » Sponsus in sacris Canticis, VIII, 6, Sponsæ dicit : *Pone me ut signaculum super cor tuum;* nec tamen hoc ei sufficit, neque enim solum cor et amoren ejus prætendit, sed insuper opera correspondentia, unde adjungit : *Signaculum super brachium tuum;* id quod S. Gregorius ponderans, ait : « In corde « sunt cogitationes et in brachio operationes; super « cor igitur et brachium Sponsæ, *dilectus et signa« culum ponitur, quia in sancta anima quantum ab « ea diligitur, et voluntate, et actione designatur.* » Servus Abrahæ in Mesopotamiam, filio domini sui sponsam conducturus, proficiscens, non modo in aures, sed etiam armillas aureas, manibus innectendas secum transtulit, *Gen.*, XXIV, 47 : *Suspendi inaures ad ornandam faciem ejus, et armillas posui in manibus ejus;* ut exinde intelligeretur, siquidem *omnia in figura contingebant*, non sufficere, quod Rebecca, quæ Ecclesiæ vel animæ figura est, pro auribus ornamentum, id est, fidem habeat, nam fides ex auditu, sed insuper opus sit, ut armillas aureas, id est, bona opera, ex auro charitatis procedentia, in auribus conjungamus; nam ut Apostolus ait, *Gal.*, V, 6 : *Fides per charitatem operatur*, et S. Gregorius, *Hom.* XXX *in Evang.*, opera, veri amoris notam esse dicit : « Operatur enim magna, « si est, si autem operari renuit, amor non est. »

Additiones.

a. — *Et vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali.* Mirum est quod huic homini succenseat Dominus, qua non erat vestitus veste nuptiali, quia annon omnes pauperes, cæcos et claudos curaverat vocari? Quo igitur jure stomachatur? Non iniqua fuit hæc reprehensio, sed justa, quia ut digne huic interesset convivio, non desiderabat Dominus vestem excellentiorem, quæ esset ultra suum statum, sed eam quæ habebat, magis nitidam, comptam, expolitam, nec non juxta statum suum accommodatam. Hoc quoque a nobis exigit Deus, qui ut ad convivium æternorum gaudiorum admittat, non petit vestem extraordinariam, id est, non voluit omnes obligare ut per excellentem passionis viam ad cœlum transeant, per quam ille cœlum obtinuit, sed ut in tuo statu in Dei famulatu mundus et fidelis vivas; id est, multas aperuit vias faciles, per quas cujuslibet status et professionis homines transire ad salutem æternam possint.

Observastisne quinam magnæ illius Cœnæ, *Luc.*, XIV, præparatæ commensales et convivæ extiterint? Lucas Brugensis de hac Cœna dicit : « Convivium « ideirco vocat, quia mentes hominum dulcissima « Dei visione satiabit. » Qualitatem autem convivantium Christus illis verbis insinuat : *Exi in vias et plateas civitatis, et pauperes, ac debiles, et cæcos, et claudos introduc huc.* At vero quidnam hæ viæ et plateæ, e quibus Cœnam hanc degustaturi congregantur, significare putas? Nimirum quia in viis et plateis omnis generis homines congregantur, ideo mystice innuitur, quod huic mensæ in cœlo ingens hominum multitudo, ex omni hominum genere congregata accumbet. Similis quoque commissio in illa huic persimili parabola hodierni Evangelii a rege data fuit : *Ite ad exitus viarum et quoscumque*

adiaveneritis, vocate ad nuptias. Ubi Auctor Imperfecti ait : Viæ sunt omnes professiones hujus mundi, ut puta philosophiæ, militiæ et hujusmodi. Dicit ergo : *Ite ad exitus viarum*, ut cujuslibet conditionis homines vocent. Præterea si clare videre vultis, qualiter Christus nullum prorsus hominum genus e Cœlorum regno excludat, observetis velim, quibus allusionibus utatur, quotiescumque in Ecclesiæ suæ annalibus aliquam beati et immortalis regni sui similitudinem describere voluit : *Simile factum est regnum Cœlorum homini qui seminavit bonum semen in agro suo;* ecce tibi ab agricola desumptam similitudinem. *Simile est regnum Cœlorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ tribus satis;* ecce tibi qualiter nec mulierem panibus pinsendis operam dantem a Cœlo excludat. *Simile est regnum Cœlorum thesauro, quem qui invenit homo, abscondit;* ecce tibi qualiter et divites, debita adhibita cautela cœlesti gloria se dignos efficere possunt. *Simile est regnum Cœlorum homini negotiatori*; igitur et mercatores modum habent, quo salvari possint. *Simile est regnum Cœlorum homini regi qui fecit nuptias filio suo;* igitur et ii qui regnis et provinciis præsunt et sceptra tractant, etiam inter nuptias regnum istud comparare possunt. Enimvero, cum omnis Christi actio, nostra sit instructio, ipsomet dicente : *Ego sum via, veritas et vita. Ego sum ostium. Per me si quis introierit salvabitur*, advertendum est quod ipse Dominus noster in vita sua per triginta tres annos omnis status, ætatis et conditionis homines conversatione sua sanctificare voluerit, ut per hoc nobis omnes cœli possidendi capaces esse significaret. Sic enim incarnari voluit ex virgine quadam, ostendendo per hoc quantopere statum virginalem super omnes alios status diligat. Hanc autem Virginem nexu conjugali S. Josepho astringi voluit ad insinuandum, quod sibi nequaquam status displiceat conjugalis. Duodennis existens, in medio Doctorum disputationibus assistere, alias quoque sæpe cum Scribis et Pharisæis, ac legis Doctoribus familiariter conversari voluit, ut studia litterarum et scientias debita cum moderatione, non plus sapiendo, quam oportet sapere, acquisitas approbaret. Item in stabulo inter pastores nasci, eisdemque gaudiosum felicissimæ nativitatis suæ nuntium, præ cunctis aliis annuntiari voluit, ut ostenderet se hujus status laboribus dediti paupertatem et simplicitatem nequaquam despicere : *Pater meus Agricola est.* In officina S. Joseph aliquot annis dictum nutritium suum laborando adjuvit, adimplendo illud Davidis, *Psal.* CXVIII, 2, effatum : *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es et bene tibi erit;* ut hac ratione artistarum, sive mechanicorum vocationem sanctificaret. Propterea cum Principibus synagogæ sæpius conversatus fuit, ut regibus, magnatibus, potentatibus, aliisque in hoc sæculo honoratis viris spem daret salutis. Fidem laudavit Centurionis, in ejusque domum ingredi non fuit dedignatus, ut inde cognosceremus, quod quælibet hominis professio, quantumvis etiam sit periculosa, se per divinæ gratiæ subsidium et assistentiam, ad gloriam habilitare queat. Quisnam primus fuit, qui Christo Cœlum ingredienti comitatum præbuit? Certum est quod id latro quidam præstiterit, is videlicet cui Christus in cruce dixerat : *Amen dico tibi : Hodie mecum eris in Paradiso.*

b. — D. Hilarius ad hunc locum pulchre hanc vestem nuptialem describit : « Vestitus, » ait, « nup« tialis est gratia Spiritus Sancti et candor habitus « cœlestis, qui bonæ interrogationis confessione « susceptus, usque in cœtum regni Cœlorum im« maculatus et integer perseverat. » Singulariter ponderanda sunt verba : « Vestitus autem nuptialis « est candor habitus cœlestis. » Iste enim erat vestitus ille, quo iste homo carebat candor seu puritas vitæ, speciem quamdam, ac odorem cœlestis patriæ referens; ut exinde jam ostendatur, quod homo ad cœleste regnum pertineat, qui candorem Angelicæ puritatis in se exhibet. Virtus enim puræ virginitatis suos in cœlo natales habet, ideoque velut divinum quidpiam in se continens tota natura humana superior existit.

Tametsi S. Paulus Apostolus, virgo esset, corporisque pudicitiam supra modum zelaret, prouti ex multis Epistolarum suarum locis facile deducitur, attamen se in ordine ad virginitatem nullum a Domino præceptum promulgandum accepisse, aperte protestatur, dicens, I *Cor.*, VII, 25 : *De virginibus præceptum Domini non habeo.* Ubi S. Isidorus inquit : « Virginitas admonita tantum, non jussa, sed ideo « tantum admonita, quia nimis excelsa. » Et S. Basilius, *de vera virginitate* disserens, ait : « Conju« gium naturale est, ubi etiam lex convenientia « naturæ disponit; virginitas vero supergressa « naturam legis vinculis non tenetur adstricta, quæ « incorruptionis excellentem virtutem, Creatori et « auctori legis jure pretiosi muneris offert. » Quia enim virtus est heroica, ideo quoque infrequens est et rara. Unde S. Ambrosius pariter ait : « Sola est « virginitas quæ suaderi potest, imperari non po« test, res magis voti quam præcepti, quod enim « gratiæ est, non jubetur sed desideratur. » Idem S. Doctor, *lib.* I *de virginitate*, sic ait : « Ad rem « pertinet, arbitror, ut quæ sit, et patria, et quis « auctor appareat. Prius ubi sit patria, definiamus; « si enim ibi est patria, ubi genitale solum, in cœlo « profecto est patria castitatis; itaque hic advena « est, ibi incola. Quis enim neget, hanc vitam « fluxisse de cœlo, quam non facile invenimus in « terris, nisi postquam Deus in hæc terreni corpo« ris membra descendit. » S. Bonaventura pariter virginitatem e cœlo derivari, ibique suos natales habere affirmat, dum ait : « Castitas est virtus ori« gine cœlesti, hanc ipsi Angeli sancti, ab ipso

« Domino omnium virtutum fontali principio pri-
« mitus didicerunt et indeclinabiliter servaverunt.
« Hanc summus et unus Magister noster, qui in
« cœlis Angelorum Magister est, Christus Dominus
« noster, de cœlesti schola ad terras, publice
« docendo attulit et Matrem suam gloriosam Virgi-
« nem, perfectam et primam post se hujus disci-
« plinæ magistram, in cathedra virginalis munditiæ
« cæteris mirandam et imitandam præfecit. »

VERSUS 12.

Et ait illi : Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit.

Et ait illi : Amice.

1. — Quis hic non miretur, quod hominem illum eodem, quo ipsum condemnat, tempore, pariter amicum appellarit? S. Anselmus ait : « Mi-
« randum, quia hunc et amicum vocat, et tamen
« reprobat, q. d. amice, et non amice; amice per
« fidem, et non amice per operationem et charita-
« tem. » Idem ante ipsum S. Gregorius, *Hom.* XXXVIII, docuit, S. Thomas autem *super Matthæum* ait : « Amicum vocat per fidem, vel quia ipse amavit
« eum, vel potest dici, quod ubicumque vocat ali-
« quem amicum, improperando dicit, unde impius
« perdat amorem, quo amavit eum. » Eadem quo-
que est Lucæ Brugensis sententia, dicentis : « Erga
« quem tantam ego amicitiam gessi, quod admise-
« rim ad filii mei nuptias. » Lyranus ad fideles alludit, qui tales sunt, sed solo nomine, non vero operibus : « Vocatur amicus propter fidem infor-
« mem, quæ Dei donum est, licet non sufficiat ad
« salutem; » vel etiam, ut idem notat : « Vocatur
« amicus peccator, per naturam, qua ad imaginem
« Dei factus est. »

2. — Hoc adeo benigno modo admirabiliorem se magis erga reprobos exhibuit divina pietas, ut illos ad emendationem et pœnitentiam inducere atque lucrari posset. Hoc amici nomine Judam in horto appellare voluit, postquam caput, dux lictorum factus fuit, qui eum cum armis et fustibus capturi veniebant, qui paulo ante, nuptiis Agni immaculati, *Apoc.*, XIX, 7, *nuptiæ Agni*, sine nuptiali veste accubuerat : *Amice ad quid venisti?* « Ut intelliga-
« mus, » inquit Jansenius, « Deum non personarum
« odio, sed justitiæ tantum zelo quosdam condem-
« naturum. » Lucas Brugensis pariter dicit quod fuerit « objurgatio non ex odio, sed ex justitia pro-
« fecta. » Cajetanus quoque ait : « Nota, prudens
« lector, quod non contumeliose increpat; non
« dicit : indigne, præsumptuose, sed *amice*; non,
« quomodo ausus es? sed, *quomodo huc intrasti?*
« proponendo interrogative factum simplex, ut ipse
« seipsum damnet; » idque insigne illorum ad exemplum et documentum, qui in tribunalibus reorum judiciis assistunt : « Ad erudiendum nos,
« ut etiam in notorio facto non judicemus, et exa-
« minemus absque contumelia, absque convicio,
« cum delectatione hominum et odio vitiorum. »

Quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem?

3. — Quod si hic in illa veste, qua in campis, unde invitatus fuerat, indutus erat, ad convivium receptus fuisset, adhuc aliquem habiturus excusationis prætextum; at vero, ut Paulus de Palatio ait : « Non vitio vertitur misero illi, quod sine veste
« fuisset in sepibus et exitu viarum, sed quod ves-
« tem in ipso liminis ingressu non conservarit, sed
« amiserit. »

4. — « *Quomodo huc intrasti*, etc., id est, » inquit Dionysius Carthusianus, « qua præsumptione intra
« Ecclesiam habitas, et inter fideles apparuisti,
« Sacramentis quoque communicasti; » quod idem est cum eo Alberti Magni, super hunc textum scribentis : « Quomodo ad numerum fidelium, et
« Sacramentorum participationem, ad Ecclesiasti-
« cum officium vel beneficium intrasti? quis te
« adduxit huc? quod hic agis? quam ob causam
« huc venire voluisti? » Idem quoque improperium, ut idem Albertus considerat, Prælatis objicietur, quibus utique exprobrabitur : « *Quomodo*
« *huc intrasti*, quomodo vixisti, quomodo rexisti,
« quomodo huc intrasti, non veniens per ostium. »

5. — Jansenius ad diem Judicii finalis se reflectens, suasce hisce verbis, perversis Christianis transgressiones improperandas esse existimat; unde dicit : « Significat in novissimo die Deum severe
« reprehensurum eos, qui fidelibus permixti, non
« vixerunt vitam dignam fidelium consortio. »

6. — Salmeron per hanc vestem, sacrum lavacrum intelligendum esse declarat : « Etsi enim per
« baptismum in ingressu illam vestem habuerit,
« de qua dicitur : *Accipe vestem candidam et imma-*
« *culatam, quam perferas*, etc., postea tamen suo
« vitio illam amisit. » Paulus de Palatio, nullam ab hoc homine injuriam committendam fuisse considerat, si solum hac veste caruisset, priusquam ad convivium ingrederetur, vel etiam in foribus illius et in ingressu ad illud; cujus rationem reddit dicens : « Baptismus siquidem janua est Ecclesiæ,
« ante baptismum vero, et in ipso baptismo, non-
« dum gratiam habere et nondum Christum induisse
« commune est, post ingressum vero per baptismi
« januam, jam non licet sine veste coram rege
« comparere. » Pergit ulterius hujus vestis ostendere præstantiam et pretiositatem, nec non gravitatem injuriæ, quam donatori illius irrogamus, omittendo eam : « Est vestis tibi concessa pretio-
« sissima; magno sumptu texta, lota est in sanguine
« Agni; gravissima est injuria illam amittere, eo
« præsertim quod ea veste amissa, necesse est, luc-

« tuosa veste, imo infernali, vestiri; » juxta illud Isaiæ, IX, 5, 6 : *Vestimentum mixtum sanguine erit ei in combustionem et cibus ignis, Parvulus enim natus est nobis, et Filius datus est nobis*; q. d. qui candorem vestimenti, nobis in baptismo collati, iniquitatum suarum sanguine conspurcaverit; ignis infernalis esca erit, quia injuriam facit nuptiis, id est, incarnationi et redemptioni Verbi incarnati, quod ad salutem nostram a Patre nobis datum est. Terribilis est illa S. Petri sententia, qua melius nobis futurum esse dicit, si ad hasce nuptias nunquam invitati fuissemus, aut veste nuptiali pro ingressu eis nunquam induti fuissemus, quam si illam semel habitam et receptam, propria culpa amittamus, II *Petr.*, II, 21 : *Melius erat illis non cognoscere viam justitiæ*, inquit Apostolus, *quam post agnitionem retrorsum converti.*

7. — S. Ambrosius, *Serm.* II *in Psal.* XVIII, ait : « Qui calorem fidei non habet, tolerabilius illi
« fuerat, fidem non accepisse, quam neglexisse, »
melius enim tali futurum fuisset, si inter idololatriæ tenebras natus et educatus fuisset, quam quod in clara Evangelii luce, in tot errorum et scandalorum scopulos impegerit.

At ille obmutuit.

8. — S. Lucas Brugensis ait : *Capistratus est.* Arias vertit : *Ore occlusus.* Quis hic non diceret, miserum hunc hominem, jure se excusare potuisse, dicendo, vel quod ex improviso, non domi, sed in itinere et in campis invitatus fuerit; vel quod invitator nimis acceleraverit, nec tempus dederit, ut vestis mutandæ causa, domum repeteret; vel etiam quod pauper et egenus fuerit, adeoque veste mutatoria caruerit, nec censum habuerit ad aliam comparandam? quomodo ergo dicitur obmutuisse, aut cur dictas excusationes non adduxit, nimirum quia in ingressu ad locum convivii, unicuique vestis nuptialis offerebatur, ideoque mera negligentia et ignavia fuit, illam vel non accepisse vel amisisse; ideoque quid in propriam defensionem responderet, non habuit? Invitatus enim erat ad nuptias, nec alius quid rex ab eo requirebat, quam ut oblatum a rege honorem, et beneficium immensum agnosceret, et pro dignitate æstimaret. Chrysologus, *Serm.* XLI, de Deo nostro, ad regnum suum nobis conferendum avidissimo dicit : « Ut emere illud omnis
« homo possit, tantum petit pretii, ut quantum
« hominem scit habere. » S. Anselmus super verbum *obmutuit*, hæc verba velut Glossam adjungit : « Quia argumentum excusationis male sibi conscius
« non habuit. »

9. — Albertus Magnus textum illum Isaiæ, XXXVIII, 15, adducit, ubi dicitur : *Quid dicam, aut quid respondebit mihi, cum ipse fecerim?* eademque verba misero huic homini adaptat, sicut et dictum illud Jobi, IX, 3 : *Si voluerit contendere cum eo, non poterit respondere unum pro mille*, ideoque subjungit illud Ecclesiastes, IX, 8 : *Omni tempore sint vestimenta tua candida.* Quænam vero hæc sordida vestis fuerit, per quam adeo factus est abominabilis, Chrysologus docet, inquiens : « Ingredi cum sor-
« didis vestibus significat cum vita impura hinc
« abire, quocirca et obmutuisse scribitur; » infallibilem namque fidei veritatem esse novimus : *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum*, quomodo igitur hanc munditiam negligendo, vivere possumus? idem quoque sanctus Pater omnes illos, qui totum suum studium in expoliendis vestibus, quæ corpus adornant, non vero iis, quæ animæ propriæ sunt, collocant, sequentia ad verba ejus auscultanda invitat, dicens : « Audiatis mulieres, audiatis viri, quia
« non est opus vobis hic aureis, sed illis interio-
« ribus ornamentis; scitote, quomodo, quoadusque
« illa retineamus, difficillimum est illis uti, non
« enim possumus corpus, et animam simul exor-
« nare; » quodsi ad comparendum in hisce nuptiis, purpura et bysso nobis opus esset, væ pauperibus, et ideo id a nobis non requiritur, sed dimidia chlamys militaris, ense per medium divisa, ad Paradisi nuptias aditum aperuit etiam illi, qui adhuc catechumenus erat; quia enim S. Martinus compassione in pauperem commotus, chlamydem suam dimidiam illi largitus fuisset, Christus in paupere illo latens, in conspectu Angelorum eamdem veluti Paradisi meritum exhibuit. *Non est, qui se abscondat a calore ejus*, dici non immerito de hac veste nuptiali potest, nam cuivis animæ in ingressu Ecclesiæ hæc vestis conceditur, *Rom.*, V, 5 : *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Unde Hugo Cardinalis super ea verba : *Non est, qui se abscondat*, hanc Glossam adhibet : « Nec est, qui se possit excusare, quin
« ciur diligere non possit. »

10. — Venerabilis Beda futurum esse dicit in novissimo judicio, quod conscientia propria unumquemque reum tanta cum vehementia mordebit, ut, quid in sui excusationem reponat, invenire non possit : « Ille foris enim increpat, qui testis con-
« scientiæ animum intus accusat. » Lyranus quoque ait : « Nullus potest respondere Deo, sed propria
« arguente conscientia convincitur et mutus effi-
« citur; » nec mirum, quia ut S. Hieronymus considerat, cœlum et terra in die sua contra nos testimonia producent : « In tempore enim illo non
« erit locus pœnitentiæ, nec negandi facultas, cum
« omnes Angeli et mundus ipse testis sit peccato-
« rum; » unde et Interlinearis dicit : « Non locus
« negandi ibi est, et ideo, quid sum miser tunc
« dicturus? » — « Quid enim dicet, » inquit Paulus de Palatio, « cui monstrantur tot Dei beneficia,
« tot ab eo impensa auxilia, tot instituta remedia,
« toties Deus contemptus, toties violata Sacra-
« menta. »

11. — Quod si quærat, qua ratione fieri potuerit, quod nullus convivarum præsentium, se apud iratum regem interposuerit, maxime cum omnes habitu nuptiali, qui symbolum erat charitatis, vestiti fuerint, ipseque Apostolus, I *Cor.*, XII, 15, dicat : *Pro invicem sollicita sunt membra; si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra?* Respondetur, quod cum processus ille regis adversus miserum hunc hominem, judicium præfiguret, quod in articulo mortis, circa quamvis animam instituendum erit, ideo tunc omnis intercessio cessabit : « Quem patronum rogaturus, dum vix justus « sit securus? » et Cajetanus ideo ait : « Coram « divino judicio nulla est exceptio, ipsa namque « veritas palam accusat, convincit, confundit. »

12. — Auctor Imperfecti, nullum tunc nobis superfuturum esse effugium notat, quia *illuminabit abscondita tenebrarum et manifestabit consilia cordium.* « Hic quidem, » inquit idem auctor, *Hom.* XLI, « abscondimus opera nostra, invicem corda « nostra celamus; in illa autem die nihil erit, quod « respondeamus, ubi cœlum, et terra, et aqua, et « sol, et luna, et dies et noctes, et totus mundus « stabit adversus nos in testimonium peccatorum « nostrorum et si omnia taceant, tamen ipsæ cogi- « tationes nostræ et nostra opera stabunt ante ocu- « los nostros, accusantes nos ante Deum. » Pergit idem auctor ultra dicere examen contra malos Christianos, rigorosissimum instituendum esse, adeo ut omnimo convicti et confusi sint remansuri : « In cogitationibus impii interrogatio erit, et « interrogat eum, quæ sunt opera ista, quæ agis, « quia non sunt opera Christiani? Ut quid factus es « Christianus, si hæc opera diligebas? ita ut non « habeat, quod respondeat contra conscientiam « suam. »

13. — Lucas Brugensis punctum illud tangit, cujus paulo ante mentionem fecimus, nimirum neminem in illa die allegare posse paupertatis prætextum, quo minus sibi de hac veste prospexerit, multo minus per ignorantiam se excusare : « Si « studiosi fuerunt audiendi verbi Dei, Deum, qui- « bus offert nuptias, vestes non negare; » unaquaque anima novit, quam noster Deus liberalis imo prodigus erga nos sit, in ministraudis nobis cunctis auxiliis suis, ad nostram salutem necessariis, at nos illa insolenter contemnimus : *Quid est, quod debui ultra facere vineæ meæ et non feci? Isa.*, V, 2.

14. — Galfredus in allegoriis tempus notat, in quo rex ille iram suam contra illos exerturus sit : « Tunc videlicet non ubi ille sine veste nuptiali « introivit, sed postquam admonitus siluit, interro- « gatus obmutuit et noluit confiteri. » Quam enim excusationem anima aliqua in mortis articulo adducere poterit, dum ei exprobrabitur, quod remedio ad sui salutem adeo potenti, securo et facili, quale confessio peccatorum suorum erat, usa non fuerit? *At ille obmutuit.* Nesciet, quid respondere debeat, ac proinde confusa remanebit et convicta; at vero cur obmutuit? quia os suum ad confitendum aperire noluit, cum tamen ore *fit confessio ad salutem.* Divus Chrysostomus super illa Psalmi CV, 1, verba : *Confitemini Domino, quoniam bonus,* apposita ad propositum, ita loquitur : « Non peccator jam « potuerit excusari, qui confessionem, per quam « venia nascitur, noluit amplecti, » adeoque simul ostendit, talem duplicis reatus pœnam mereri : « Dum primo legem contempsit, ut delinqueret et « confessionis remedia amplecti noluit, ut peri- « ret; » et consequenter exhortatur peccatorem, ut os suum aperiat ad frequentem confessionem : « Confessio offert salutem, » inquit, « cui con- « temptus attulerat mortem, vivet remediis, qui « moriturus fuerat aliquando peccatis. »

Versus 13.

Tunc dixit rex ministris : Ligatis manibus et pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus et stridor dentium.

Tunc dixit rex ministris.

1. — S. Thomas, *in Matth.*, hic quærit, quare rex tanta cum severitate pauperculum hunc punierit, maxime « *quia vocavit bonos et malos?* » Respondet autem : « Sed noluit, quod mali venirent, « nisi pararent se et disponerent se, ut essent « boni. »

2. — Sed cur nuptiarum lætitiam per adeo funestum spectaculum turbare voluit, maxime quando tam insignia benignitatis suæ insignia ediderat, cur supplicium hoc in aliud usque tempus non distulit? S. Ambrosius, *Serm.* III *de Nat.*, opinatur, regem hunc adeo graviter in hunc hominem animadvertisse, ut hypocrisis peccati gravitatem et enormitatem insinuaret, utpote pro quo puniendo nullus habetur, sive temporis, sive loci, sive personarum respectus, et certe rem hanc bene consideranti patebit, Christum de hoc vitio vix unquam locutum fuisse, nisi adhibitis æternæ damnationis comminationibus, quotiescumque enim hujus vitii meminit, vocem cæ semper adhibere consuevit : « Propterea ergo ligatis manibus et « pedibus, in tenebras exteriores expellitur, non « solum quia peccator erat, sed quia, cum peccator « esset, sanctitatis sibi meritum vindicabat. »

3. — Miser hic etiam Christianum præfigurabat, qui ad fidem vocatus, nuptialem sacrosanti lavacri vestem suscepit quidem, sed eamdem postea contaminavit, certum namque est multo crudelioribus malos Christianos quam infideles tormentis cruciandos esse; qui merito ad dæmoniorum condemnati sunt societatem, utpote similes iis facti, secundum S. Jacobi doctrinam, inquientis : *Tu credis, quoniam unus est Deus, et bene facis, et dæmones credunt, et contremiscunt*; nec tamen eo quod credant, in statu salutis existunt; quem etiam textum S. Augustinus, *Serm.* XXXVI *de Sanctis*, adducens, ait : « Qui credunt, et opera bona non faciunt, « fidem dæmonum videntur habere. » Concludit tandem S. Jacobus : *Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? numquid poterit fides salvare eum?* Cum igitur ii, qui credunt in Deum, nec tamen illi, quod credunt, conformiter agunt, justum etiam est, ut eorum sint in pœna consortes. Divus Chrysostomus, *Hom.* XLI *in Matth.*, contra malos Christianos ita discurrit : « Quibus te indiciis ego Christianum potero agnos- « cere? an quia sacrati aquas fontis ingressus es? at « hoc ipsum, quod tibi datum fuerat ad salutem, « fit tibi gravioris causa supplicii; » cujus efficacissimam adducit rationem, dum ait : « Honoris « siquidem magnitudo his, qui non digno vivunt « honore, cumulus incipit esse pœnarum. » Salvianus Episcopus Massiliensis ad auxilia, quæ Deus nobis contulit ad salutem, item ad vocationis nostræ dignitatem, ad lumen quoque, notitiam et religionem, ad quam sumus vocati, sese reflectens, concludit : « Omnis Christianorum culpa, divinitatis « injuria est; atrocius sub sancti nominis profes- « sione peccamus, ipsa enim errores nostros reli- « gio, quam profitemur, accusat. »

Ligatis manibus et pedibus.

4. — S. Antonius de Padua ait : « Ligantur ibi « pœna, qui hic a malo noluerunt ligari, id est, « cohiberi; ibi singula membra pœnis subjicientur, « quæ hic singulis vitiis servierunt; » quia ut Hugo Cardinalis ait : « Pedes veloces fuerunt ad effunden- « dum sanguinem; manus non extendit ad paupe- « res. » Glossa scribit : « Manus tuæ non extensæ « ad eleemosynam, pedes tardi ad bonum. »

5. — S. Maximus considerat, hunc hominem mitiori atique pœna puniendum fuisse, nisi adeo præsumptuose bonorum se societati inmiscuisset, ut et ipse talis appareret : « Qui poterat minus dis- « plicuisse forsitan, si in consortium justorum « minime se dedisset, » hoc enim faciendo, ficte videri voluit bonus et per hoc majorem aliis nauseam attulit; unde, ut bene advertit Divus Chrysostomus, *Hom.* IX *in Joan.* : « Hoc pacto rex et nuptias « et convivas honorat, cum temerarios et impuden- « tes expellit, aliter reliquos invitatos offenderet. »

6. — Quæri hoc loco potest, unde in hoc nuptiarum loco, funes ad ligandum acceperint et alia similia instrumenta? S. Augustinus ait : « Non ergo « esset unde illi ligarentur manus et pedes, nisi « ipse fecisset restim; funibus peccatorum suorum « unusquisque constringitur. » Job, XVIII, 8, de peccatore loquens, inquit : *Immisit in rete pedes suos et in maculis ejus ambulat, tenebitur planta illius laqueo*; ubi S. Thomas ait : « Sicut ille, qui « se sponte ingerit ad peccandum. »

7. — Lucas Brugensis mysterium hujus manuum et pedum ligaturæ per id, quod iis, qui mortis reatu obnoxii sunt, accidere solet, sic explicat : « Ligantur reis mortis manus, ne se defendere, « pedes ne fugere; utraque ne quovis se modo « juvare possint; » intelligenda est itaque inevitabilis reproborum pœna, absque ulla facultate defensionis et liberationis spe. Dionysius Carthusianus ait : « Per hoc nil aliud designatur, nisi inevitabi- « litas divini judicii, cui resistere et a quo fugere « nemo valebit. »

8. — Lyranus ideo manus et pedes ligari dicit, « quia post mortem nequit peccator bonum ope- « rari, nec ad salutem reverti. »

9. — S. Anselmus ait : « Ligantur tunc manus « et pedes, per districtionem sententiæ illis, qui « modo a pravis operibus ligari noluerunt per me- « liorationem vitæ; pedes, qui visitare ægrum « negligunt; manus, quæ indigentibus nihil tri- « buunt, a bono opere ex voluntate ligatæ sunt; qui « enim nunc sponte ligantur in vitio, tunc inviti « ligantur supplicio. »

10. — S. Hieronymus aliam reddit rationem hujus ligaturæ, nimirum ut peccator ab offensa Dei desistat : « Ut male operari et currere desistat ad « effundendum sanguinem. »

Mittite eum in tenebras exteriores.

11. — S. Gregorius duplices pœnas distinguit, quarum aliæ sunt internæ, aliæ externæ; « interio- « res sunt cæcitas cordis, exteriores, æternæ dam- « nationis nox. » Venerabilis Beda his verbis idem scribit : « Exteriores æternam noctem damnationis, « in quam invitus tunc projicitur, qui nunc sponte « cecidit in peccatum. »

12. — Psalmista, *Psal.* CXXXVIII, 12, ait : *Sicut lumen ejus, ita et tenebræ ejus,* quia juxta proportionem luminis et notitiæ Dei, quævis anima Christiana in tenebrosa inferni abysso torquebitur. Hugo Cardinalis ait : « Quia hic habuit interiores tene- « bras, usque in æternum non videbit lumen; » et ideo Job, X, 20, infernum nominat, *terram tenebrosam et opertam mortis caligine, ubi umbra mortis et sempiternus horror inhabitat*; quia tametsi verum sit, quod igni proprium sit, lucere, nihilominus vox *Domini intercidentis flammam ignis,* lucem ab illo igne separat, solumque fumum, et activitatem, et voracitatem flammæ relinquit. S. Gregorius verba illa Psalmi LVII, 9 : *Supercecidit ignis, et non viderunt solem,* ponderans, ita scribit : « Ignis quidem super « impios cadet, sed sol igne cadente non cernitur; « quia illos, quos gehennæ flamma devorat, a « visione veri luminis cæcat, ut foris eos dolor « combustionis cruciet et intus pœna cæcitatis obs- « curet. » Enimvero si forte modicum aliquod

UNIVERSIDAD DE NAVARRA

lumen inter damnatos penetrare possit, idipsum ad majus illorum tormentum ipsis immittitur. Unde S. Isidorus ait : « Ignis gehennæ lucebit miseris ad « miseriæ augmentum et damnationem, ut videant « impii unde doleant ; et non ad consolationem, ne « videant unde gaudeant. »

Ibi erit fletus et stridor dentium.

13. — « Ut scilicet illic dentes stupeant, » inquit S. Anselmus, « qui hic de edacitate gaudebant ; « et oculi defleant et doleant, qui hic per illicitas « concupiscentias versabantur. » Idem quoque S. Antonius his verbis docet : « Fletus oculorum in « vanitate vagantium et stridor dentium, qui de « edacitate gavisi sunt et bona pauperum devora- « verunt. » Idem quoque in hisce verbis, duo æternæ perditionis supplicia insinuari notat, ignem videlicet ac frigus : « In his duobus signantur « pœnæ majores inferni, scilicet ignis et frigus ; « procedit ex igne fumus, qui fletum provocat, ex « frigore provenit stridor dentium. »

Additiones.

a. — *At ille obmutuit. Tunc dixit rex ministris : Ligatis manibus et pedibus ejus*, etc. Interrogatur homo, quare ingressus sit sine veste nuptiali, et ille, nullo responso dato, mox obmutescit. Tunc autem ait rex ministris : *Ligatis manibus*, etc. « Tunc videlicet, » ait Galfridus, *apud Titelman.*, « non ubi ille sine veste nuptiali introivit, sed « postquam admonitus siluit, interrogatus obmu- « tuit, noluit confiteri. » Ingreditur rex convivium, et intuitus pannosum præter morem nuptiarum, non statim eum damnat, sed benigne ab eo quærit : *Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem ? At ille obmutuit.* Non perditur miser, quia male intraverat et inique sedebat, sed quando obmutuit et peccatum suum palam confiteri recusavit. Damnatur ergo non tam ob vestis defectum quam ob negatam oris confessionem. Detestabiles enim sunt, quotquot a confessione abhorrent, in eoque frequenter applicando remedio vivunt negligentes. Solidam atque indelebilem meretur notam dignissimus, quem in hac confessionis materia, magnus quidam spiritualis Magister format conceptum. Pœnitentia, inquit ille, est quædam arca depositi, in qua repositi sunt Christi Salvatoris nostri thesauri, omnes meritorum ejus divitiæ, inestimabile redemptionis nostræ pretium. Hæc aperitur omnibus ejusdem fruitionis cupidis, tantum ex ipsa pretium extrahere valentibus, quantum ad totius sui debiti abundat solutionem. Quam insanabili ille insaniæ malo laboraret, qui multis obstrictus debitis, ditissimum offenderet thesaurum, ex quo juxta debiti qualitatem, tot sibi licite tollere posset pecunias, quot sufficeret ad omnimodam satisfactionem, ille vero manibus otiosis sperneret favorem ? Ita et insaniunt qui a confessione abhorrent, in eoque frequenter sibi applicando remedio vivunt negligentes. S. Laurentius Justinianus, ut nos ad acceleratæ confessionis frequentiam inducat, diversos ejusdem, omnesque egregios adducit effectus, inquiens : « Quicumque « deliquisse se meminit, ad confessionis remedia, « quanto potest citius recurrat ; nam delicti con- « fessio veniam impetrat, gratiam promeretur, hu- « militatem nutrit, Cœlum aperit. » Neque minus efficaciter S. Bernardinus discurrit dum ait : « Su- « bito cum peccasti, vadas ad confitendum ; quia « quemadmodum in domo cum accenditur ignis, « subito exclamas ; ita cum peccasti, subito vadas « ad clamorem confessionis, ad extinguendum pec- « catum. » Nisi ignis mox in principio sapiatur, proficit et incrementa capit ; ita etiam peccatum, si tantisper in anima toleretur, et non extirpetur, protinus augmentatur. Unde S. Gregorius Magnus inquit : « Peccatum, quod pœnitentia non diluit, « mox suo pondere ad aliud trahit. »

b. — Tota hujus hominis culpa in hoc consistebat quod ingressus esset sine veste nuptiali. Et statim ingressus rex mandat ministris : *Ligatis manibus ac pedibus*, etc. Aliter tamen factum fuisse legimus apud Zachariam, III, 3, ubi Scriptura refert : *Et Jesus*, nempe Josedech filius, *erat indutus vestibus sordidis, et stabat ante faciem Angeli. Qui respondit et ait ad eos, qui stabant coram se, dicens : Auferte vestimenta sordida ab eo. Et dixit ad eum. Ecce abstuli a te iniquitates tuas, et indui te mutatoriis.* Ecce in utraque historia a D. Matthæo et Zacharia descripta repræsentatur aliquis vestibus sordidis indutus. Illum Rex acerrime percutit ; hunc Angelus vero ad meliorem fugam trahit, sordidam aufert, et candida resumi facit. Cur rex et Angelus tam diversimode se habent ? Ad quæstionem respondet Theodoretus apud Zachariam : « Angelus populi tutor aliis astantibus Angelis « præcipit, ut ex illis vestibus eum exuerent. » Rex supremus Dominus jus dicebat, quapropter in reum iratus, eum tortoribus tradit. Angelus vero, ut populi tutor, sordidum non spernit, sed omnibus modis ejus salutem negotiatur, eumque ad candorem vitæ tradit, ut mortem evadat. Rex ille Filium Dei nobis præfigurat, qui in casu quo anima in puncto sive articulo mortis inventa fuerit pretiosa veste charitatis denudata, eidem in particulari judicio quo circa quamlibet animam instituetur, implacabilis Judex futurus erit. In visione autem Zachariæ benignitas nobis indicatur Angelorum, qui Satana nos in judicio accusante, peccata nostra cooperire et tegere satagunt : *Et Satan stabat a dextris ejus ut adversaretur ei. Zach.*, III, 2. Nos excusant, defendunt, nuditatemque nostram virtutum habitibus contegunt, et bona opera nostra Deo Judici repræsentant, ac demum furorem Dei, quoad

possunt placare student. *Et Angelus Domini stabat.* Glossa super verba S. Stephani, apud S. Lucam, *Act. Apost.*, VII, 55, dicentis : *Vide Jesum stantem*, ita ait : « Per stantem habitus auxiliantis et pro « servis pugnantis ostenditur. » Enimvero an aliquis Angelorum illi convivio in quo alter non habens vestem nuptialem, condemnatus est, interfuerit minime constat ; at vero in hac visione Zachariæ, Sacerdotem magnum quaquaversum Angelis circumdatum, eorumque precibus Deum permotum inimicum infernalem repulisse claris verbis describitur : *Et dixit Dominus ad Satan : Increpet Dominus in te Satan, et increpet Dominus in te, qui elegit Jerusalem. Numquid non iste fortis est erutus de igne ?* Væ proinde nobis nisi cœlestes illos spiritus defensores nostros habuerimus ? Audite enim S. Laurentium Justinianum hac de re loquentem : Quis nisi angelico fultus esset auxilio, tam immanissimorum hostium valeret superare rabiem, effugere laqueos, tentationes vincere, fraudesque detegere ? S. Thomas de Villanova sollicitudinem et zelum Angelorum quo pro nobis mediatores existunt, per sequentem similitudinem demonstrat : « Sicut vir zelat uxorem, ita Angelus animam cui « datus est in custodiam, ne videlicet cum pes- « simo dæmone committat adulterium. » — « Dis- « currit medius inter Deum et animam, vota offe- « rens, referens dona, » ut inquit S. Bernardus, « illam ad amorem excitat, illum ab offensa pla- « cat. »

c. — Tametsi regiis oculis publice in manifesto scelere deprehensus, homo ille veste nuptiali non indutus, rite tamen de reatu interrogatur, si forsan aliqua excusatio suppetat, quæ crimen aut extenuat, aut excutiat. Dum autem reus omnia signat muta taciturnitate, ad tenebras exteriores damnatur. Ergone nemo audax adest, qui Regis amicus, in die tantæ lætitiæ, vel verbum reo concedat, quo sic festivum gaudium omni tristitia careat, Herodianæque cœnæ dissimile maneat ? Scilicet hic miser reus, cujus scelerosa infelix causa tam cito, et discussa, et damnata est, typum cujusvis gerit Christiani, qui ex quo fidem suscepit, Christusque sub vexillis regiis diu militavit, demum vero rebellis veniam non meretur. Christianus enim, qui habitæ lumine fidei, sciens et volens peccat, in tantum aggravat culpam suam ut venia et compassione haud dignus sit. Et ideo destinatur ad tenebras exteriores. « In tenebris siquidem positus, » ait Galfridus, « jam non intus, foris erit, alienus siqui- « dem a luce veritatis, sed ab eo palam et publice « redargutus, » ut in omnium oculis prostet evidentia damnati criminis, omniumque oculis expositus, justissimam illius condemnationem cuncti approbent et illius reatum palam videant. Quadamtenus enim excusabiles sunt qui per ignorantiam peccant ; omni autem supplicio digni, qui in Christi conclavi gravitatem peccati agnoscunt et nihilominus peccant.

d. — Eleganter S. Cyrillus Jerosolymitanus, in *Catech. præfat.*, inquit : « Circumiens singulos con- « vivas, et circumspiciens, vidit quemdam exter- « num non habentem vestem nuptialem, dixitque « illi : *Amice, quomodo huc intrasti ?* Quo colore ? « Qua licentia ? Esto : ostiarius non prohibuit ; « ignorabas quo amictu ingrediendum esset ad « convivium ? Si ita, sane. Sed cum jam intrave- « ras, vidisti splendida discumbentium vestimenta ; « nonne te oportuit ex his quæ cernebas, discere ? » Heu crimen magno luendum ! Ili enim qui majorem habentes rerum divinarum notitiam et scientiam, Deum offendunt, majora merentur supplicia. Salvator noster, *Luc.*, XII, 47, sic protestatur : *Qui cognovit voluntatem Domini sui et non fecit juxta voluntatem ejus, vapulabit multis.* Hæc verba glossa non indigent, quia clare satis exponunt, quod quisquis voluntatis Domini sui conscius, illam non adimpleverit, tanto majori cum rigore ab illo sit castigandus. Inter alias S. Isidori sententias, hanc quoque doctrinam traditam legimus : « Quid sit « iram Dei mereri, quid vero provocare, prudens « lector scire debet ; gravior namque ira est quæ « provocatur, quam ea quæ meretur, nam mere- « mur, quando ignorando peccamus ; provocamus « quando scimus bonum facere, nec volumus. » Dicite igitur nunc sodes, si iram Dei provocamus, quando virtuose vivere scientes, idipsum facere negligimus ; quanto magis divinæ iræ fulmina merebimur, et irritabimus, quando prævia scientia et lumine mortaliter illum offendimus. *Qui cognovit voluntatem*, etc.

e. — Quidquid Dei est, lucidum est, undique radiat et splendet ; fruuntur enim Dei opera, perpetuo lumine ; imo ipsa diem efficiunt et bonos semper faciunt videre. Sola diaboli operatio tenebrosa est, et hominum peccata longas effingunt tenebras. Fallor nisi ex his tenebris, ligantibus pedes, manusque non pateant peccati mala, in ream animam derivantia. Quæ mala sic obtenebrant mentes humanas, ut illas omnino reddant inefficaces ad opera salutis æternæ. Et sic ligant miseras, ut nihil jam liceat, nisi tenebras expectare. Utrumque hic respexit Dominus, cum eum qui sine veste nuptiali, hoc est, in peccato accesserat, alloquitur : *Ligatis manibus* ; ubi enim deficit gratia, et peccatum adest, nullum opus esse potest, quod ad salutem æternam valeat ; omnia opera redduntur inutilia. « *Ligatis*, » inquit S. Hilarius, *Hom.* I *in Ascen.*, « *manibus et pedibus*, id est, damnatis operibus et « cursu totius vitæ, *ejicite eum in tenebras.* Nullum « opus fit sub peccato mortali luci æternæ aptum. » Deus, per Ecclesiasticum, apertis verbis se declarat, quod oblationes et dona impiorum acceptare atque illorum causa iisdem propitiari aut parcere nolit,

quia quantumvis opus aliquod in se perfectum sit et sanctum, si tamen anima facientis illud est, propter mortale peccatum, extra Dei gratiam constituta, apud Deum non est meritorium. *Eccli.*, XXXIV, 23 : *Dona iniquorum non probat Altissimus, nec respicit oblationes iniquorum, nec in multitudine sacrificiorum propitiabitur peccator.* Sapiens pariter in duobus Proverbiorum suorum locis hanc eamdem veritatem insinuat, nam *cap.* XXI, 27, ait : *Hostiæ impiorum abominabiles, quia offeruntur ex scelere.* In *cap.* XV, 8, ejusdem libri similiter dixerat : *Victimæ impiorum abominabiles Domino, vota justorum placabilia. Abominatio est Domino via impii; qui sequitur justitiam, diligetur ab eo.* Apud Isaiam Deus populum suum sacrificia sua et victimas in altaribus templi offerentem, interius vero cordis templum, *templum Dei quod estis vos*, innumerabilium scelerum sanguine contaminatam, his verbis affatur, *Isa.*, I, 11 : *Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum? Holocausta arietum et adipem pinguium, et sanguinem vitulorum et hircorum nolui. Ne offeratis ultra sacrificium frustra. Incensum abominatio est mihi, iniqui sunt coetus vestri; calendas vestras et solemnitates vestras odivit anima mea. Cum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos a vobis, cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam.* At vero dicet quispiam : Numquid omnes hi actus in prædictis verbis recensiti, actus sunt religionis erga cultum divinum? De hoc nullum est dubium. Cur igitur Deus omnes illos actus non solum inutiles esse, sed et sibi displicere declarat? Ecce tibi hujus rationem : *Manus enim vestræ sanguine plenæ sunt. Auferte malum cogitationum vestrarum, quiescite agere perverse.*

6. — Maxima consideratione dignum est quomodo in domo tanta festivitate præparata, inventi sunt funes et vincula quibus homo penderetur. Quomodo etiam in promptu fuerunt carnifices, a quibus sine ulla mora homo deduceretur in caveam tormentorum. Aderat plane ipse iniquus, multis criminibus onustus; et ubi tot erant scelera, statim in ipso homine apparuerunt vincula, quibus ligaretur, ac asportiores a quibus in tenebras exteriores demergeretur. Quot enim in homine erant peccata, tot in ipso mortis laquei atque sui carnifices. « Meminis« tis, » ait D. Augustinus, *Enar. in Psal.* CXXX, « dictum de quodam peccatore : *Ligate illi manus « et pedes, et projicite illum in tenebras exteriores.* « Non ergo esset unde illi ligarentur manus et « pedes, nisi ipse sibi restem fecisset. » Flagella namque quibus Deus peccatores castigat, hæc sæpe in manibus iniquorum invenit. Unde alio in loco scriptum est : *Funibus peccatorum suorum constringetur. Prov.*, V, 22. Sic enim peccatum peccatores constringit, ut per effrenes appetitus suos, suipsius carnificem efficiat. Vincula namque sunt peccata, quibus nosmetipsos stringimus; dumque oculos in voluptates defigimus, amaritudinem latentem haud attendimus.

7. — *Ibi erit fletus et stridor dentium.* His effectibus pœnarum acerbitas exprimitur, nam fletus summum dolorem, stridor dentium summum horrorem indicat, denotaturque inevitabilem esse damnatorum pœnam, cui nullus potest resistere. Unde S. Augustinus, *Serm.* I *de pluribus Martyr.*, ait : « O « quisquis es flagitiosus, qui soles propter tua ma« lefacta et lasciva adulteria non solum tenebras « non abhorrere, sed quærere; non tales tenebras « habebis, ubi gaudeas; non sic erunt ipsæ tenebræ; « Quomodo erunt? *Ibi erit fletus et stridor dentium.* » Tortor sine defectu, tortusque sine defectu. Grave ergo malum peccatum est, quod Deus ipse æternis suppliciis castigat. Unde vero hæc supplicia originem habeant, conceptis verbis exponit ad rem Rabanus, *in libro Judicum* : « Contrariæ virtutes non « invalescerent adversum nos, nec ipse diabolus in « nobis aliquid valeret, nisi ei vires ex nostris vitiis « præberemus. » Inde tam potentes in reum sunt tenebræ, quia vires ex peccatore desumunt : per peccatum enim diabolus peccatorem totaliter facit suum.

Versus 14.

Multi enim sunt vocati, pauci vero electi.

1. — S. Bonaventura in sermone quodam in hanc Dominicam ait : « *Multi sunt vocati* temporaliter, « *pauci electi* æternaliter. » Lyranus verba illa de iis explicat, qui ad fidem et religionem Christianam vocati sunt, ex quibus culpa eorum propria, pauci salvantur. Dionysius Carthusianus ait : « *Multi sunt* « *vocati* ad nuptias Ecclesiæ militantis, *pauci electi* « ad nuptias triumphantis; » cujus ratio desumi potest ex eo quod S. Gregorius, in *Catena* citatus, scribit : « Nonnulli bona nec incipiunt; nonnulli « vero in his, quæ conceperunt, minime persis« tunt; tanto ergo sibi unusquisque sollicite metuat, « quanto ignorat, quæ resistunt. »

2. — Hugo Cardinalis ait : « Timendum est « Christianis, ne eo modo introeant in regnum « Cœlorum; quo filii Israel in terram promissionis, « scilicet duo solum. »

3. — Jansenius dubium quoddam resolvit, quod hic moveri potest, quomodo scilicet conclusio hujus Evangelii vel consequentia præmissis respondeat; quia in præcedentibus dictum est, quod ex iis, qui ad nuptias invitati fuerunt, omnes sint earum facti participes et unus tantum exclusus : « Sciendum « est, » inquit, « per unum, qui ejectus dicitur, « significari non omnes, qui vocati sunt, fore sal« vandos; deinde cum illo, qui ejectus est, sunt « conjungendi, et omnes illi, qui vocati primum « fuerant, sed indignos se fecerunt nuptiis. » Cajetanus non omnes ex Judæis invitatos, nuptias respuisse dicit, tametsi major pars illas spreverit;

propterea circa illum unum observat, dicens : « Nec « carens veste nuptiali fuit unus, sed sub illo mul« titudo descripta est fidelium, qui indignos Chris« tiano convivio seipsos exhibent. » Jansenius insuper ad Gentilium, in Judæorum locum substitutorum instructionem notat, cavendum illis esse; ne sibi de propriæ salutis securitate inaniter blandiantur, eo quod ad nuptias fuerint vocati, quia multi etiam eorum fuere rejecti : « Ne remissiores « essent et nimis securi existimantes satis esse cre« dere et baptismum suscepisse. »

4. — Lucas Brugensis verum totius hujus parabolæ sensum paucis hisce verbis complectitur, dicens : « In summa docet hoc loco Christus, fidem « ipsam et Ecclesiæ communionem minime suffi« cere, ut quem pro suo agnoscat et æterna vita « beet Deus, nisi in ea vocatione digne vivere per« severet. »

DOMINICA VIGESIMA POST PENTECOSTEN

EVANGELIUM JOANNIS, CAP. IV, VERS. 46

46. Erat quidam regulus, cujus filius infirmabatur Capharnaum.

47. Hic cum audivisset quia Jesus adveniret a Judæa in Galilæam, abiit ad eum, et rogabat eum, ut descenderet, et sanaret filium ejus, incipiebat enim mori.

48. Dixit ergo Jesus ad eum : Nisi signa et prodigia videritis, non creditis.

49. Dicit ad eum regulus : Descende, priusquam moriatur filius meus.

50. Dicit ei Jesus : Vade, filius tuus vivit; credidit homo sermoni, quem dixit ei Jesus, et ibat.

51. Jam autem eo descendente, servi occurrerunt ei et nuntiaverunt dicentes, quia filius ejus viveret.

52. Interrogabat ergo horam ab eis, in qua melius habuerit; et dixerunt ei : Quia heri hora septima reliquit eum febris.

53. Cognovit ergo pater, quia illa hora erat, in qua dixit ei Jesus : Filius tuus vivit, et credidit ipse, et domus ejus tota.

Versus 46.

Erat quidam regulus, cujus filius infirmabatur Capharnaum.

Erat quidam regulus.

1. — Cajetanus vox *regulus* interpretatur *prorege*: « incertum est autem, an esset regius genere « vel officio; » existimat autem verisimile esse, quod de stirpe et progenie Herodis fuerit, vel saltem consiliarius regni ejus. S. Hieronymus dicit : « *Regulus*, id est, regius sive palatinus; » Syriaca legit : *Servus regius*; alii explicant *nobilis, potens.* Nonnus exponit : « *Vir regius* regens exercitum. » Lyranus hoc nomen non prout sonat, intelligendum dicit, videlicet quasi parvus quidam rex fuerit, eo quod statum nimis modicum gubernandum habuerit; cujus litteralem hanc adducit rationem, quia scilicet Romani fastum Judæorum deprimere volentes, regnum illorum in quatuor diviserunt tetrarchias, dignitatem et dominium regnum iis auferendo, ut per hanc divisionem, rebellionem ipsorum præcaventes, de suo se regno securiores efficerent : « Pro illo tempore, nullus rex erat in Judæa; dicitur « ergo iste regulus, quia erat officialis Imperatoris « deputatus ad custodiam Galilææ, propter quod « manebat in Capharnaum, quæ erat metropolis « illius terræ. »

2. — S. Thomas, *in Joan.*, moralem sensum secutus, per hunc regulum, rationem intelligit, dicens : « Cum in regno animæ rex sit ipsa ratio, « secundum illud, *Prov.*, XX, 8 : *Rex, qui sedet in « solio suo*; quærendum, quare dicitur rex? Quia « totum corpus hominis per eam regitur, et affectus « hominis ab ea dirigitur et informatur, nec non « et aliæ vires animæ eam sequuntur; » mox vero pergit ostendere, quando hic rex in regulum degeneret, dum ait : « Sed quandoque dicitur *regulus*, « quando scilicet diminuitur in cognitione et obs« curata sequitur inordinatas passiones; et ideo « filius ejus, id est, affectus infirmatur, inde deviat « a bono, et declinat ad malum. »

3. — Theophylactus per hunc regulum quemvis hominem intelligendum esse dicit, *non solum, qui regi universorum propinquus secundum animam, sed quia super omnia principatum sumpsit, ejus filius meus febricitans, ex voluptatibus et pravis desideriis.*

4. — Pater hujus infirmi non sine causa a S.

quia quantumvis opus aliquod in se perfectum sit et sanctum, si tamen anima facientis illud est, propter mortale peccatum, extra Dei gratiam constituta, apud Deum non est meritorium. *Eccli.*, XXXIV, 23 : *Dona iniquorum non probat Altissimus, nec respicit oblationes iniquorum, nec in multitudine sacrificiorum propitiabitur peccator.* Sapiens pariter in duobus Proverbiorum suorum locis hanc eamdem veritatem insinuat, nam *cap.* XXI, 27, ait : *Hostiæ impiorum abominabiles, quia offeruntur ex scelere.* In *cap.* XV, 8, ejusdem libri similiter dixerat : *Victimæ impiorum abominabiles Domino, vota justorum placabilia. Abominatio est Domino via impii; qui sequitur justitiam, diligetur ab eo.* Apud Isaiam Deus populum suum sacrificia sua et victimas in altaribus templi offerentem, interius vero cordis templum, *templum Dei quod estis vos*, innumerabilium scelerum sanguine contaminatam, his verbis affatur, *Isa.*, I, 11 : *Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum? Holocausta arietum et adipem pinguium, et sanguinem vitulorum et hircorum nolui. Ne offeratis ultra sacrificium frustra. Incensum abominatio est mihi, iniqui sunt coetus vestri; calendas vestras et solemnitates vestras odivit anima mea. Cum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos a vobis, cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam.* At vero dicet quispiam : Numquid omnes hi actus in prædictis verbis recensiti, actus sunt religionis erga cultum divinum? De hoc nullum est dubium. Cur igitur Deus omnes illos actus non solum inutiles esse, sed et sibi displicere declarat? Ecce tibi hujus rationem : *Manus enim vestræ sanguine plenæ sunt. Auferte malum cogitationum vestrarum, quiescite agere perverse.*

6. — Maxima consideratione dignum est quomodo in domo tanta festivitate præparata, inventi sunt funes et vincula quibus homo penderetur. Quomodo etiam in promptu fuerunt carnifices, a quibus sine ulla mora homo deduceretur in caveam tormentorum. Aderat plane ipse iniquus, multis criminibus onustus; et ubi tot erant scelera, statim in ipso homine apparuerunt vincula, quibus ligaretur, ac asportiores a quibus in tenebras exteriores demergeretur. Quot enim in homine erant peccata, tot in ipso mortis laquei atque sui carnifices. « Meminis« tis, » ait D. Augustinus, *Enar. in Psal.* CXXX, « dictum de quodam peccatore : *Ligate illi manus « et pedes, et projicite illum in tenebras exteriores.* « Non ergo esset unde illi ligarentur manus et « pedes, nisi ipse sibi restem fecisset. » Flagella namque quibus Deus peccatores castigat, hæc sæpe in manibus iniquorum invenit. Unde alio in loco scriptum est : *Funibus peccatorum suorum constringetur. Prov.*, V, 22. Sic enim peccatum peccatores constringit, ut per effrenes appetitus suos, suipsius carnificem efficiat. Vincula namque sunt peccata, quibus nosmetipsos stringimus; dumque oculos in voluptates defigimus, amaritudinem latentem haud attendimus.

7. — *Ibi erit fletus et stridor dentium.* His effectibus pœnarum acerbitas exprimitur, nam fletus summum dolorem, stridor dentium summum horrorem indicat, denotaturque inevitabilem esse damnatorum pœnam, cui nullus potest resistere. Unde S. Augustinus, *Serm.* I *de pluribus Martyr.*, ait : « O « quisquis es flagitiosus, qui soles propter tua ma« lefacta et lasciva adulteria non solum tenebras « non abhorrere, sed quærere; non tales tenebras « habebis, ubi gaudeas; non sic erunt ipsæ tenebræ; « Quomodo erunt? *Ibi erit fletus et stridor dentium.* » Tortor sine defectu, tortusque sine defectu. Grave ergo malum peccatum est, quod Deus ipse æternis suppliciis castigat. Unde vero hæc supplicia originem habeant, conceptis verbis exponit ad rem Rabanus, *in libro Judicum* : « Contrariæ virtutes non « invalescerent adversum nos, nec ipse diabolus in « nobis aliquid valeret, nisi ei vires ex nostris vitiis « præberemus. » Inde tam potentes in reum sunt tenebræ, quia vires ex peccatore desumunt : per peccatum enim diabolus peccatorem totaliter facit suum.

Versus 14.

Multi enim sunt vocati, pauci vero electi.

1. — S. Bonaventura in sermone quodam in hanc Dominicam ait : « *Multi sunt vocati* temporaliter, « *pauci electi* æternaliter. » Lyranus verba illa de iis explicat, qui ad fidem et religionem Christianam vocati sunt, ex quibus culpa eorum propria, pauci salvantur. Dionysius Carthusianus ait : « *Multi sunt* « *vocati* ad nuptias Ecclesiæ militantis, *pauci electi* « ad nuptias triumphantis; » cujus ratio desumi potest ex eo quod S. Gregorius, in *Catena* citatus, scribit : « Nonnulli bona nec incipiunt; nonnulli « vero in his, quæ conceperunt, minime persis« tunt; tanto ergo sibi unusquisque sollicite metuat, « quanto ignorat, quæ resistunt. »

2. — Hugo Cardinalis ait : « Timendum est « Christianis, ne eo modo introeant in regnum « Cœlorum; quo filii Israel in terram promissionis, « scilicet duo solum. »

3. — Jansenius dubium quoddam resolvit, quod hic moveri potest, quomodo scilicet conclusio hujus Evangelii vel consequentia præmissis respondeat; quia in præcedentibus dictum est, quod ex iis, qui ad nuptias invitati fuerunt, omnes sint earum facti participes et unus tantum exclusus : « Sciendum « est, » inquit, « per unum, qui ejectus dicitur, « significari non omnes, qui vocati sunt, fore sal« vandos; deinde cum illo, qui ejectus est, sunt « conjungendi, et omnes illi, qui vocati primum « fuerant, sed indignos se fecerunt nuptiis. » Cajetanus non omnes ex Judæis invitatos, nuptias respuisse dicit, tametsi major pars illas spreverit;

propterea circa illum unum observat, dicens : « Nec « carens veste nuptiali fuit unus, sed sub illo mul« titudo descripta est fidelium, qui indignos Chris« tiano convivio seipsos exhibent. » Jansenius insuper ad Gentilium, in Judæorum locum substitutorum instructionem notat, cavendum illis esse; ne sibi de propriæ salutis securitate inaniter blandiantur, eo quod ad nuptias fuerint vocati, quia multi etiam eorum fuere rejecti : « Ne remissiores « essent et nimis securi existimantes satis esse cre« dere et baptismum suscepisse. »

4. — Lucas Brugensis verum totius hujus parabolæ sensum paucis hisce verbis complectitur, dicens : « In summa docet hoc loco Christus, fidem « ipsam et Ecclesiæ communionem minime suffi« cere, ut quem pro suo agnoscat et æterna vita « beet Deus, nisi in ea vocatione digne vivere per« severet. »

DOMINICA VIGESIMA POST PENTECOSTEN

EVANGELIUM JOANNIS, CAP. IV, VERS. 46

46. Erat quidam regulus, cujus filius infirmabatur Capharnaum.

47. Hic cum audivisset quia Jesus adveniret a Judæa in Galilæam, abiit ad eum, et rogabat eum, ut descenderet, et sanaret filium ejus, incipiebat enim mori.

48. Dixit ergo Jesus ad eum : Nisi signa et prodigia videritis, non creditis.

49. Dicit ad eum regulus : Descende, priusquam moriatur filius meus.

50. Dicit ei Jesus : Vade, filius tuus vivit; credidit homo sermoni, quem dixit ei Jesus, et ibat.

51. Jam autem eo descendente, servi occurrerunt ei et nuntiaverunt dicentes, quia filius ejus viveret.

52. Interrogabat ergo horam ab eis, in qua melius habuerit; et dixerunt ei : Quia heri hora septima reliquit eum febris.

53. Cognovit ergo pater, quia illa hora erat, in qua dixit ei Jesus : Filius tuus vivit, et credidit ipse, et domus ejus tota.

Versus 46.

Erat quidam regulus, cujus filius infirmabatur Capharnaum.

Erat quidam regulus.

1. — Cajetanus vox *regulus* interpretatur *prorege*: « incertum est autem, an esset regius genere « vel officio; » existimat autem verisimile esse, quod de stirpe et progenie Herodis fuerit, vel saltem consiliarius regni ejus. S. Hieronymus dicit : « *Regulus*, id est, regius sive palatinus; » Syriaca legit : *Servus regius*; alii explicant *nobilis, potens.* Nonnus exponit : « *Vir regius* regens exercitum. » Lyranus hoc nomen non prout sonat, intelligendum dicit, videlicet quasi parvus quidam rex fuerit, eo quod statum nimis modicum gubernandum habuerit; cujus litteralem hanc adducit rationem, quia scilicet Romani fastum Judæorum deprimere volentes, regnum illorum in quatuor diviserunt tetrarchias, dignitatem et dominium regnum iis auferendo, ut per hanc divisionem, rebellionem ipsorum præcaventes, de suo se regno securiores efficerent : « Pro illo tempore, nullus rex erat in Judæa; dicitur « ergo iste regulus, quia erat officialis Imperatoris « deputatus ad custodiam Galilææ, propter quod « manebat in Capharnaum, quæ erat metropolis « illius terræ. »

2. — S. Thomas, *in Joan.*, moralem sensum secutus, per hunc regulum, rationem intelligit, dicens : « Cum in regno animæ rex sit ipsa ratio, « secundum illud, *Prov.*, XX, 8 : *Rex, qui sedet in « solio suo*; quærendum, quare dicitur rex? Quia « totum corpus hominis per eam regitur, et affectus « hominis ab ea dirigitur et informatur, nec non « et aliæ vires animæ eam sequuntur; » mox vero pergit ostendere, quando hic rex in regulum degeneret, dum ait : « Sed quandoque dicitur *regulus*, « quando scilicet diminuitur in cognitione et obs« curata sequitur inordinatas passiones; et ideo « filius ejus, id est, affectus infirmatur, inde deviat « a bono, et declinat ad malum. »

3. — Theophylactus per hunc regulum quemvis hominem intelligendum esse dicit, *non solum, qui regi universorum propinquus secundum animam, sed quia super omnia principatum sumpsit, ejus filius meus febricitans, ex voluptatibus et pravis desideriis.*

4. — Pater hujus infirmi non sine causa a S.

Joanne specificatur, vult enim ut intelligamus, quod etiam Magnates et potentes, per omnem suam auctoritatem et dominium, infirmitates et alias miserias humano generi communes, a suis domibus avertere non possint.

5. — Lyranus in sensu morali inquit : « Quilibet « peccator potest dici *regulus* diminutive, quia « deficit in suipsius regimine, et tunc *ejus filius* « *infirmatur*, quando rationi sensibilis appetitus « contrariatur, qui debet obedire rationi, sicut « filius suo patri. »

Cujus filius infirmabatur.

6. — Videri equidem posset, quod omnes, filium hunc ad mortem infirmatum cernentes, condolere debuissent, adeo pro filii salute sollicito, major nihilominus in eo fuit lætitiæ, et exultationis causa, quia, ut Toletus, *in Joan.*, scribit : « Talis « infirmitas magnam attulit toti domui felicita- « tem; » et S. Augustinus, *tract.* VII *in Joan.*, similiter tradit : « Quam multi scelerati sunt, qui « innocenter ægrotarent? vitia reciduntur ægritu- « dine; » quando namque aliquis in morbum incidit, confessiones instituit generales, conscientiam purificat, et multa bona facit proposita. S. Hieronymus de quodam monacho refert, qui Abbatem Joannem Ægyptium, ut suis ei precibus liberationem ab actuali quadam infirmitate impetrare non graveretur, cui Abbas : « Item tibi necessariam « cupis abjicere, ut enim corpora nitro, vel aliis « hujusmodi linteamentis abluuntur a sordibus; « ita animæ languoribus, aliisque hujusmodi casti- « gationibus purificantur. » Beda, *in Prov.*, pariter inquit : « Infirmitas carnis, si patienter sustineatur, « est quasi purgatorius ignis. » Cujus rei veritatem ipse etiam gentilis Seneca attigit, nobisque scriptam reliquit, dum ait, ex infirmitate cujusdam sui fidelis amici se didicisse, tunc nos homines bonos, virtutisque studiosos effici, dum sumus infirmi : « Quem enim infirmum, » inquit, « aut avaritia, « aut libido sollicitat? non amoribus servit, non « appetit honores, opes negligit; tunc Deos, tunc « hominem esse meminit; invidet nemini, nemi- « nem despicit; » accuratius tamen de infirmitatibus S. Bernardus scribit, utpote qui, quoad vixit, infirmus semper fuisse dici potuit : « In salutem, » inquit, « flagellat infirmitate corporis, ne peccent, « ut eis utilius sit frangi ad salutem languoribus, « quam remanere incolumes ad damnationem. » S. Gregorius, qui et ipse per experientiam de hac eadem materia loquitur, infirmitatem hoc nobis bonum parere dicit, quod « admissa peccata diluit, « et ea, quæ admitti poterant, compescit. » Est et alia magni momenti utilitas, quam corporalis secum ferre solet indispositio, quam Ecclesiasticus, XXXI, 2, his verbis tangit : « Infirmitas gravis « sobriam facit animam. »

7. — Salvianus, *lib.* I *de Provid.*, illa Apostoli verba : *Caro concupiscit adversus spiritum*, ponderans, ait : « Non imprudenter quidam hoc loco « dixit : quid si repugnante corporis fortitu- « dine, quæ optamus facere non possumus? Infir- « mandum nobis sit carne, ut optata faciamus; « infirmitas enim carnis vigorem mentis excutit, « ut effectis artibus, vires corporum in virtutes « transferantur animorum; » et hoc forte est, quod Apostolus dicere voluit, dum ait, II *Cor.*, XII, 10 : *Cum infirmus sum, tunc potens sum*, mira profecto res, nunquam enim corpus magis languescit, quam dum infirmitatibus succumbit, et tamen tunc fortiorem se esse dicit, eo quod anima majorem tunc sibi vigorem acquirat; cum enim hæc in continua lucta cum tribus inimicis esse debeat, dæmone videlicet, mundo et carne, hoc ultimo, qui periculosior est, devicto et prostrato, ad alios duos superandos vigorosior et fortior evadit.

8. — Salmeron ait : « Adverte, potentiam et « divitias reguli non potuisse infirmitatem filii « prævenire, neque postquam venit, illam pulsa- « verit; » dum enim magnates a Deo visitantur per infirmitates, nihil eos tunc juvant divitiæ, status, splendor et imperia; imo ex deliciis infirmitates potius robur accipiunt.

Capharnaum.

9. — Hunc juvenem in optimo annorum flore, prosperitatumque temporalium culmine positum, in Capharnaum, lecto videmus affixum; et bene in Capharnaum id ei accidit. « Notandum enim « est, » inquit Hugo Cardinalis, « ubi infirmatur, « in Capharnaum, quod interpretatur villa consola- « tionis, vel pinguedinis, et in hoc notatur causa « morbi, id est, peccati, abundantia scilicet tempo- « ralis. » Hanc quoque reflectionem in duobus diversis apud Albertum Magnum legimus, et primo quidem in sermone super hanc Dominicam dicit : « Capharnaum significat abundantiam sæcularem, « et voluptatem carnalem, quæ sæpissime sunt « occasiones, quod anima vel spiritus hominis « infirmatur infirmitate peccati; » deinde sæpe hunc S. Joannis textum pariter scribit : « Ecce « locus, qui villa pinguedinis interpretatur, et sua « pinguedine occasionem dat infirmitati anima. » Hugo optime considerat quod Deus nobis quidem vigorem et vires corporis, sanitatem et bona temporalia ad consolationem et gratiarum actionem subministret, sed nos vertimus in corruptionem; unde in Psalmo LXXIII, dicitur : *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum*; quod Ecclesiasticus, XI, 10, hac propositione confirmat : *Si dives fueris, non eris immunis a delicto*; cui consonat quod idem David alibi dicit, *Psal.* LXXII, 12, nimirum : *Ecce ipsi peccatores, et abundantes in sæculo, obtinuerunt divitias.* Enimvero qui navigationum experientiam

habent, unanimiter dicunt, naves in aquis dulcibus fluminum navigabilium, quam in falsis maris undis facilius submergi, eo quod hæ illarum ponderi magis resistant; eodem quoque modo dicere possumus, plures animas in dulcibus felicitatum humanarum aquis, quam in undis tribulationum et miseriarum in profundum usque inferni naufragari; unde S. Bernardus in quadam Epistola ita exclamat : « O sæculum nequam! quod solos tuos « sic soles beare amicos ut Dei facias inimicos, « consequenter et indignos concilio Beatorum. » Plutarchus in vita Cleominis refert, Ægypti regibus in more positum fuisse, quod, quem cibo regio honorarent, eumdem intra biduum laqueo suffocari facerent; in multis quoque locis pia est confraternitatum consuetudo, quod reos suspendio multandos opiparis et delicatis cibis tractare soleant. Judas quoque paulo post laqueo vitam finituros, a Christo sapientissimo ferculo refectus fuit : *Cui intinctum panem porrexero.* Uriæ item occidendo submissæ sunt epulæ regales, II *Reg.*, XI, 8 : *Secutusque est eum cibus regius.* Amanus denique, prinsquam raperetur in patibulum, Mardochæo præparatum, a regina Esther lauto convivio exceptus fuit.

10. — Quandoquidem Capharnaum, consolationis et deliciarum villa interpretatur, quis non credidisset, hunc juvenem inibi in bona valetudine perseveraturum? sed in eo Deus docere nos voluit, verissimum esse, quod quidam cecinit Poeta :

Nulla facta loco pœnis excludere, dum mors
Venerit in medio Tyhrre Sardinia est.

11. — In mediis deliciis, lusibus, voluptatibus, corporales plerumque abundant disordinationes, magisque multiplicantur peccata; unde sit, quod ut plurimum mors eis acceleratur, quia *stimulus mortis peccatum est.* Ubinam prima hominis culpa, quæ omnium aliorum hominum mortem secum subintulit, originem suam habuit? Certe non nisi in loco deliciarum, id est, in Paradiso terrestri. S. Augustinus, *in Psal.* XLVII, protoparentem nostrum impenetrabili, ut inimici insultibus resistere posset, justitiæ et innocentiæ originalis lorica munitum considerans, eique Jobum sterquilinio insidentem opponens, ita scribit : « Vicit homo in stercore, « victus est in Paradiso; » hujus autem differentiæ talem nobis S. Eucherius assignat rationem : « Quanto jucundior ille amœnitatis locus, tanto « huic in lapsum pronior fuit. » Ut igitur Deus illum ad vitam salutis reduceret, adque veram et perseverantem pœnitentiam induceret, eum cum tota sua posteritate expulit e Paradiso, quod S. Bernardus hisce nobis verbis insinuat, dum ait : « Neque enim ad hoc nos de Paradiso voluptatis « animadversio divina ejecisse videtur, ut sibi hic « Paradisum adinventio humana pararet. »

Additiones.

a. — *Erat quidam regulus, cujus filius infirmabatur Capharnaum.* Pro elucidatione historiæ et ordine miraculi, quæri potest, cur piissimus Dominus, cum prima vice iter sumpsit in Cana Galilææ ad nuptias vocatus iverit, nunc autem cum ad patrandum miraculum in Capharnaum venit, propria sponte illuc concesserit? Verum est, ad nuptias, ubi festivitatis et lætitiæ signa dabantur, Dominus Jesus nonnisi vocatus venit. At vero quia in hoc secundo adventu pergebat in Cana, ut prædicaret et doceret, ac cum hominibus imperfectam fidem habentibus, utpote regulo et aliis similibus disputaret, quod erat opus magni laboris, sibique a Patre commissum, *Joan.*, IV, 34, ideo non vocatus descendit in Cana. More suo, qui erat non libenter ire ad loca ubi signa levaminis, ac quietis se exhibent, maxime vero propensus erat ubi labores ac molestiæ pro nostro salute apparent.

b. — Patravit hoc miraculum Dominus in Cana Galilææ, uno anno postquam ibidem aquam convertisset in vinum. Non caret mysterio repetitus hiece Christi in Canam adventus. Theophylactus et D. Bonaventura hic inquiunt : « Venit in Galilæam « quia ibi bene exceptus erat ab illis hominibus, « gratos se exhibentibus pro primo miraculo. » Noluit Dominus ire in locum ubi propter exhibita beneficia non venerabantur. In Nazareth patria sua compatritii erant infesti et eum contemnebant, ut ipse Dominus declaravit hoc eodem cap. IV, 44. Venit ergo in Cana Galilææ, ubi bene excipiebatur per gratitudinem ob collata beneficia, et hinc etiam revertitur, nam receptorum beneficiorum gratitudo benefactores ad nova impertienda movet. In libro Geneseos, Jacob Patriarcha Dei beneficentiam suam in memoriam revocans, ait : *Tu locutus es quod benefaceres mihi, et dilatares semen meum sicut arenam maris.* At vero quonam fine sanctus iste Patriarcha Deum factæ sibi promissionis memorem facere voluit? Num forte timuit ne Deus promissionis factæ oblitus fuisset, vel suam mutasset voluntatem? Ex nentro capite profecto timebat, sed solum manifestum facere voluit, quod benefícia a liberalissima Dei manu sibi exhibita, cordi suo tenacissime insculpta teneret; sed quo fine id manifestavit? Utique non propter ostentationem, sed potius quia in necessitate constitutus, alia beneficia a Deo postulare debebat; nec frustra hoc fuit usus consilio, quia a multis periculis, sibi ex odio Esau fratris sui imminentibus ereptus, facultatibus et familiæ suæ de securitate prospexit, fratrem sibi reconciliavit, tota nocte cum Angelo luctatus victoriam obtinuit, gloriosissimum Israelis nomen a quo postea omnes Hebræi Israelitæ appellati fuere, sibi imponi meruit, ac proinde sancte gloriari potuit, dicendo : *Vidi Deum facie ad faciem, et salva facta*

est anima mea. Et hæc omnia quidem obtinuit, ut Cajetanus observat, « ad fontem gratiarum recur- « rens. » Sciebat namque quod ad hoc gratiarum tributum recurrendo, spe sua nequaquam defrau- dari posset.

Apud certum quemdam Auctorem ingeniosam invenio similitudinem, qua utilitas, quam ex hoc gratitudinis exercitio recipimus, aptissime exprimitur; dicit enim hic Auctor : Opera nostra bona in Deum referre debemus, quemadmodum dum pila luditur, jacit unus, alter vero refert illam, tamdiuque ludus producitur quamdiu inter utrlusque manus jacta, et reciprocata pila non excidit, atque ita qui pilam non rejicit, perdit : eodem modo omnis ingratus suum non recompensans beneficium, spe destituitur novorum recipiendo- rum. Secus vero, qui gratus existit : « Qui gratus « futurus est, » verba sunt Senecæ, « statim dum « accipit de reddendo cogitat. »

c. — Primum signum edidit Dominus in Cana Galilææ, dum convertit aquam in vinum. In quo figura sacræ Eucharistiæ præcessit. Nunc etiam in Cana secundum edidit miraculum, et fuit primum in quo donat vitam et sanitatem hominibus. Sed cur in eodem loco hæc duo miracula operatur? Cur non alius locus ad primam hominis sanitatem eligi- tur, nisi ille qui figura Eucharistiæ primo nobilitatus est? Ut ex his discamus, quod tota vita et salus hominis ex umbra sacræ Eucharistiæ dimanat. Nec enim alibi homo poterat vitam recuperare, sanita- tem impetrare, nisi ubi vivifici mysterii umbra, ac figura demonstrata, ac a Christo data est. Sacra- mentum enim hoc vitam donat mundo. In libro Geneseos, *cap.* XLII, mundum extrema quadam fame oppressum fuisse invenimus : *In universo orbe fames prævaluit; in cuncta autem terra Ægypti panis erat. Omnia* autem ut Apostolus ait, *in figura contin- gebant illis.* Sed quænam erat hæc fames, cui tunc universa terra subjacebat? Fames nimirum panis spiritualis. Audite Chrysologum de illo prodigo ita scribentem : « Facta est fames valida; famem « magnam cognoscendæ veritatis sustinebat. » Sed quonam remedio rex Ægypti famem a regno suo profligabat? *Ite,* inquit, *ad Joseph; aperuitque Joseph universa horrea.* Porro Joseph iste Salvatorem nos- trum præfigurabat, qui frumentum appellatur elec- torum. Audiamus S. Prosperum hac de re ita loquentem : « Aperuit Joseph horrea tempore « famis et ministrabat populis; hoc et de nostro « dictum est : *Oculi Domini super justos,* et sequi- « tur, *ut eruat a morte animas eorum, et alat eos in « fame;* nimirum illa quam Deus per Amos comm- « natur dicens : *Mittam famem in terram, non famem « panis, sed audiendi verbi Dei;* in hac fame positis, « noster Joseph Christus Dominus, ex horreis suis, « nobis divinam sui corporis annonam ministrat. »

Olim in Paradiso terrestri, universus mundus per pomum infectus fuit toxico æternæ mortis, unde Deus ait : *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris;* at vero in Sion Eucharistia instituta fuit, in quam cœlestis ille panis descendit, qui nostram vivificavit mortalitatem. Unde Albertus Magnus in persona Christi ait : « Quia in corporali cibo vitam « perdidistis, ideo ego corporalem cibum præparavi « vobis, in quo vitam invenietis. » Idem quoque Præsul, illum Apostoli ad Hebræos, *cap.* XIII, tex- tum : *Optimum est gratia stabilire cor,* adducens, ait, omnem fidelium in pietate et religione, ac quovis alio bono constantiam et stabilitatem, hujus Sacramenti esse effectum : « Gratia cor stabilit et « confortat ad hoc, » inquit, « quod in bono divino « permaneat; hoc autem specialiter hæc gratia « facit, sicut dicitur *Psal.* CIII : *Panis cor hominis « confirmat.* » S. Paulus Apostolus qui ad hoc a Deo destinatus erat ut mundum Evangelicæ legis prædicatione, et fidei Christianæ notitia vivificare, hoc cibo vitæ restauratus et confortatus fuisse legi- tur; unde idem Albertus Magnus ait : « Diu nuta- « verat Paulus, et sicut dicitur, *Act. Apost.,* II, « 19 : *Cum accepisset gratiæ ejus cibum confortatus « est.* »

d. — Capharnaum ager interpretatur pinguedi- nis; in Capharnaum igitur infirmatur, id est, in pinguedine, seu multiplicitate ciborum et epula- rum, per quarum excessivum mors accelerratur, et pœnosæ ac mortales ægritudines contrahuntur. Cibo quem Deus ad vitæ sustentationem indulsit, ingu- vies humana et inordinatio nostra sæpissime abu- litur, excedendo in quantitate et qualitate ipsius; hacque ratione abbreviando vitam, eamque multis infirmitatibus obnoxiam efficiendo. Quotidie vide- mus quod civitates fortiores sufficienti provideantur annona, in longum usque tempus duratura, ut si forte obsidione cingerentur, hostem defatigare, ejusque vires frangere possint, ne eas suo jugo subjiciat; at vero si milites præsidiarii civitatis illius provisionem illam, quæ integro anno suffi- cere posset, per voracitatem et ingluviem suam, paucis mensibus consumant, mirum non est, quod talis civitas subito inimico in prædam cedat. Eodem quoque modo in præsenti discurrere licet; divina namque providentia certam quamdam et limitatam annonæ quantitatem unicuique deputavit, pro indi- vidui proprii sustentatione assignatam. Unde Psal- mista, *Psal.* CXLIV, 15, ait : *Oculi omnium in te sperant, Domine, et tu das escam illorum in tempore opportuno.* At vero si quis, per gulositatem anno- nam hanc ante tempus consumat, consequens erit quod pariter ante tempus per mortem immaturam deficiat. Tritum est illud proverbium : « Ad men- « sam nemo consenescit; » quod licet prima facie alludere velle videatur ad lætitiam conviviorum, in quibus animi expanduntur, et sine ulla melancholiæ cogitatione exhilarantur, verus tamen et germanus

sensus est, quod qui mensæ diu nimis assidet, mul- tumque epulatur, nunquam consenescat, sed præ- propere moriatur, in juventute; nam : *In multis escis erit infirmitas,* dicit Ecclesiasticus, XXXVII, 33. Unde S. Ambrosius cuidam illum ad convivium invitanti, respondit : « Rogas ad jucunditatem? « cogis ad mortem. Invitas ad prandium? afferre « vis ad sepulchrum. Cibos promittis? tormenta « irrogas. Vina prætendis? Venena suffundis. » Sapiens, *Prov.,* XXIII, 30, acriter invehitur contra illos qui vini sibi violentiam dominari permittunt : *Cui væ? Cui fovea? Cui sine causa vulnera?* At vero quidnam per hasce fossas, per hæc vulnera insi- nuare voluit? Hoc nimirum, quod ebrietas vicina sit fossæ et cœmeterio contermina, quia vitium hoc frequentando, evidens vitæ periculum incurritur. Unde S. Basilius ait : « Vocas ad cœnam ut ami- « cum, postea ejicis ut cadaver. » Idem quoque ebrium interrogat : « Quousque vinum? Quousque « ebrietas? Periculum, miser, est, ne pro homine « cœnum, lutumque fias. »

e. — Vide quam sollicitus, quam anxius hic regulus, pro salute filii impetranda discurrat, et ad Christum accedens, ejus insignem patienter per- ferat reprehensionem. Parentes enim sui sæpius obliviscuntur, ut filiorum reminiscantur, eisque in necessitatibus ferant subsidium; unde filii multum obligantur ad reverentiam parentibus exhibendam. Ecclesiasticus, VII, 29, sic ait : *In toto corde tuo, honora patrem tuum et gemitus matris tuæ ne obliviscaris; retribue illis, quomodo et illi tibi.* Qua de re S. Cyrillus Jerosolymitanus, *Catec.,* VII, ait : « Chris- « tianorum est pietas honorare parentes, et labores « educationis rependere, atque omni studio, quæ- « cumque ad eorum quietem pertinent, curare. » Valde notabile est quod dicit Ecclesiasticus ut hanc retributionem cordibus nostris tenaciter imprimat; dicit enim : *Memento quoniam nisi per illos, natus non fuisses.* Cui consonant illa S. Ambrosii verba, dicentis : « Non possem salvo pietatis jure odisse « patrem, cui debeo, quod creatus sum, nec matrem « longo decem mensium fastidio pii fœtus onera « portantem, cui in absolutione plus periculi, in « dilatione plus tædii est. » De matre enim Scrip- tura dicit : *Gemitus matris tuæ ne obliviscaris.* Et iterum : *Mulier cum parit, tristitiam habet.* Psal- mista quoque dolores magnos vocat dolores partu- rientis. Quot enim mater molestias et ærumnas sustinet, quot vigilias in partu suo luctando, et educando subire cogitur? S. Ambrosius dum verba illa exponit : *Et erat subditus illis,* filiis motiva demonstrare volens subjectionis et reverentiæ erga illos, qui genuerunt et educarunt, ea, de matre in specie, dicit : « Disce quid parentibus tuis debeas : « tu matri debes pudoris injuriam, virginitatis dis- « pendium, partus periculum; matri longa fastidia, « matri longa discrimina. » S. Hieronymus, *Epist.* XII, ait : « Fauces tuæ necdum lacteum perdiderant « saporem, quem tibi pia mater infundens, linguam « istam pavit potu corporis. Impende debitum patri « matrique servitium, qui nunquam tuos vagitus « horrentes, totum in te lambebant osculis corpus. » Pia illa mater, in libris Machabæorum, ut filium suum ultimum in carnificina a tyranno ei præpa- rata constantem et intrepidum ad martyrium lucra- retur, his eum verbis affata fuit : *Fili mi, miserere mei, quæ te in utero novem mensibus portavi, et lac triennio dedi, et alui, et in ætatem istam perduxi.*

Ecclesiasticus, III, 14, nos quoque specialius ad obedientiam et obsequium erga genitores, pro tempore invitat, quando hi ad ætatem decrepitam pervenerunt, in qua omnino deficiunt; tunc enim supponitur quod opera nostra, vel maxime indi- geant : *Fili, suscipe senectam patris tui, et non contristes eum in vita illius, et si defecerit sensu, veniam da, et ne spernes eum in virtute tua.*

f. — Non otiose Evangelista hominem tacet et regulum nominat; nec tamen quis istius reguli nomen fuerit, declarat; nam cum ex imperfecta fide rogaret, ut Dominus descenderet et sanaret filium ejus, in eo dubitabat, tam de potentia sanandi, quam de deitate Christi, quasi non posset absentem sanare. Et ideo, ait S. Ambrosius, ejus nomen tacetur quia non fuerat dignus audire : *Novi te ex nomine. Exod.,* XXXIII, 12. Subjungit S. Ansel- mus : « Homo in eo, quod amisit, rex esse desiit; « in eo autem, quod præ cæteris animalibus sibi « relictum est, quasi regulus militavit. Idcirco « nomen ejus Spiritui Sancto vilaerat, quia pecca- « tor erat, quia infirmus, quia regulus. » Peccatum enim, vile et infame, hominem vilem reddit. Videmus autem per experientiam, quod in majori parte hominum, stimulus honoris et reputationis multa efficere possit; nemo enim tolerare potest, quod tanquam vituperosus et infamis contemnatur. Unde S. Ambrosius inquit : « Infirmus custos diu- « turnæ bonitatis est timor, pudor autem bonus « magister officii; qui enim metuit, reprimitur, « non emendatur. » Unde si in nobis hæc ignomi- nia et vilitas, quam peccatum secum affert, tenaciter et firmiter imprimeretur, hæc una, cum adjutorio divinæ gratiæ, sufficiens foret ad hoc, ut irrepre- hensibilem ageremus vitam. Sententia est S. Theo- doreti : « Peccati fructus est probrum. » Id quod in Lucifero et Adamo verissimum esse comprobatur. Lucifer enim pulcherrimus erat omnium, qui a Deo creati fuere, Angelorum; et tamen subito ut conta- minatus fuit per superbiam, in horribile et terrifi- cum transmutatus est monstrum. Primus parens noster hoc a Psalmista, VIII, 6, retulit elogium : *Minuisti enim paulo minus ab Angelis; gloria et honore coronasti eum.* At vero, quid tandem evenit? *Cum in honore esset non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus. Ps.* XLVIII, 13. S. Augusti-

nus inquit : « Primus homo, quando peccavit, foliis « ficulneis pudenda velavit. Hæc velavit, unde « nati sumus, membra; quæ enim ante peccatum « erant glorianda, post peccatum pudenda facta « sunt. Denique antea nudi erant et non confun- « debantur; non enim erat unde erubescerent, « quando peccatum non præcesserat. » Soror S. Bernardi fratrem suum interrogavit, an anima peccatoris nigra esset et turpis? Cui mellifluus Doctor respondit : « Soror in Christo dilecta, tria sunt in « hoc mundo nigriora et deteriora omni malo, « videlicet anima peccatoris perseverans in pec- « cato, quæ est plus nigra quam corvus; et mali « Angeli qui eam rapiunt in die mortis ejus; et « infernus in quo jactatur. Non sunt nigriora his « tribus in hoc mundo. » Porro anima nostra ad imaginem et similitudinem sanctissimæ Trinitatis creata : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*, nobilissima quidem erat, sed vilescit et deformatur per culpam. Unde Blosius ait : « Co- « gita quod anima tua fuit facta a Deo nobilissima, « atque pulcherrima; sed tu eam inique et negli- « genter vivendo, inhonestissime defedasti, et « vilem, sordidam atque abominabilem reddidisti. « Nam turpitudo peccati omni turpitudine visibili « major est, et revera tanta est enormitas mortalis « peccati, cui æterna damnatio debetur, ut jure nos « ipsos pro uno etiam minimo tali crimine, omni- « bus diebus vitæ nostræ, usque ad pulverem, sibi « ipsis quoque brutis animalibus, deprimere debea- « mus. »

6. — Pulchram hujus loci moralitatem adducit D. Antonius Ulyssiponensis, *Serm.* XII *post Trinit.*, quare potius in Capharnaum, quam alibi, jaceat infirmus? « Filius reguli, » ait, « anima est cujuslibet « fidelis Christi, qui dum in suo ordine vivit, inco- « lumis existit; sed cum in Capharnaum moratur, « ad mortem infirmatur. *Capharnaum* interpreta- « tur, *ager pinguedinis* vel *villa consolationis.* »

Subjungit Simon Cassianus, *lib.* V, *cap.* XVIII : « Hujus filius infirmatur in Capharnaum; amor « ejus ægrotaverat in pinguedine mundi. Ager « quippe pinguedinis Capharnaum interpretatur. « In abundantia temporalium rerum habita, vel « quæsita, infirmatur amor hominum, qui dum « habet abunde quod habendum est temperate, « ipsa intemperie est ægrotus. » En quantum præjudicium et detrimentum affert prosperitas, et felicitas temporalis. Ex ipsa enim bonorum affluentia infirmatur animus, ut deviet, ac tepescat in via rectitudinis, et justitiæ, et ab ipsa affluentia, tanquam a radice, omnia mala derivantur, scilicet, infirmitates, quæ instar freni sunt, quo peccata coercentur, ab his causantur et eorum sunt pœnæ, per quam confessionem sæpe infirmus sanatur.

Libertate intemperanter abuti punitio Dei est. Unde huic proposito conformiter observat D. Chrysostomus de populo Hebræo loquens : « Cum tribu- « lantur Israelitæ, tanto plures fiebant; postquam « autem eos dimiserunt, tunc omnes perierunt. » Equi sine freno, suæ relicti libertati, in multa ruunt præcipitia; idem iis contingit qui sui explent appetitus desideria, nec ullis in præsenti vita impetuntur contradictionibus et adversitatibus. Divus Augustinus, *Serm.* CV *de temp.*, allegans hunc textum : *Cum tribulamur, a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur*, subdit, monens nos hisce verbis : « Magis timere debemus, si aut nullas aut « parvas tribulationes in hoc sæculo patimur; quia « si *Deus flagellat omnem filium, quem recipit*, sine « dubio quem non flagellat, non recipit. » Quem pater enutrit filium, et non continet in freno timoris et disciplinæ paternæ, eum nutrit ad laqueum et patibulum. In quodam sermone de tribulatione allegans S. Gregorius ait : « Nisi eis quos corrigit, « Dominus hæreditatem dare disponeret, erudire « eos per molestias non curaret; » et addit : « Dominus hic quibusdam parcit, ut eos in perpe- « tuum feriat. Eligant ergo pagani consolari, Judæi, « hæretici, avari, superbi, luxuriosi, omnes filii « diaboli, qui æterno sunt judicio condemnati. Tu « autem, dilecte fili, qui cupis vitam æternam, audi « Augustinum : Noli iniquo attrahi spiritu, sensu, « et puerili agitari insania, ut apud te dicas : Plus « pater meus diligit fratrem meum, cum ei omne « quod vult facere permittit, quam me, quem acri- « ter verberat; sed potius sub flagello gaudeas, « quia tibi servatur hæreditas, sed illos nunc ad « modicum hic relinquit, quos in æternum damna- « bit. »

h. — A Judæa in Galilæam venienti Christo occurrit regulus, pro filio precaturus; qui cum forte esset unicus, supra omnia amabatur a patre, utpote paternorum bonorum, et regiæ dignitatis hæres, et parentum unicum solatium. Nihilominus hunc adeo ad propagandum regiæ stirpis nomen necessarium, extremo morbo affligi permisit Deus, non sine divini dispensatione consilii, ut ipse filii cum morte conflictus et agon, fieret totius regiæ domus salutis occasio, et regulus cum tota domo ad Christum converteretur; infirmitates enim corporales divini amoris signa sunt, et indicia quæ animæ saluti plurimum cooperantur. De infortunato illo viatore qui *descendebat ab Jerusalem in Jericho*, affirmari posse credo, quod significabat impie viventem, seu peccatorem; etenim de civitate sancta proficiscebatur Jericho, urbem a Deo maledictam et mundi typum; præterquam itinerebatur per sylvas et memora, quo indicatur, quod a recta deviabat semita. At quomodo, qua via reductus fuit ad statum salutis æternæ? *Incidit in latrones; plagis impositis abierunt, semivivo relicto.* Latrones miserum illum sauciarunt, vulneraverunt et quasi mortuum deseruerunt. Samaritanus vero ille, qui Christum figurabat, *misericordia motus est.* Actuum Apostolorum cap. IX, legitur historia illa de Thabita, ob cujus mortem consultum existimarunt multæ personæ devotæ, ut S. Petrus rogatus advoceretur ex Joppe in Lyddam. Accessit Vicarius Christi, motusque tot adstantium gemitibus, ejulatibus et efficacissimis precibus, mortuum resuscitavit ad vitam. Inquiro nunc causam, cur vel ipsa adhuc infirma, aut certe iidem adstantes et supplicantes, prius non petierint intercessionem S. Petri, ut eam restitueret sanitati? « Quare expec- « tavit ut moreretur? Quare non ante hoc Petrus « est? » quærit S. Chrysostomus : « Indignum « censebant pro talibus discipuli sollicitos esse. » Apud Christianos olim, tribulatio in summa erat veneratione et æstimatione : tanquam pignus divinæ benevolentiæ excipiebatur. Imo infirmitates eo utiliores gratioresque erant primis fidelibus, quo graviores et periculosiores erant, quia a vinculis hujus exilii eos eximebant, et ab hac mortalitate ad cœlum transferebant.

Versus 47.

Hic cum audivisset, quia Jesus adveniret a Judæa in Galilæam, abiit ad eum, et rogabat eum ut descenderet et sanaret filium ejus, incipiebat enim mori.

Hic cum audivisset, quia Jesus adveniret a Judæa in Galilæam.

1. — Optime novit oblata sibi occasione uti transeuntis Salvatoris, qui de Judæa in Galilæam migrabat, de quo utique ex aliorum relatu cognoverat, quod, ubicumque eundo suarum imprimebat plantarum vestigia, similiter post se relinqueret beneficentiæ et misericordiæ suæ edita testimonia : nam, *Act. Ap.*, X, 38 : *Pertransiit benefaciendo, et sanando omnes*; et quidem plurimum refert, oblatas divinarum gratiarum acquirendarum occasiones non negligere; has enim recipere oportet, dum Deus illas offert, quia postea occasione sublata eamdem rem acquirere, in nostra non est potestate.

2. — S. Thomas ait : « Motivum ad interpellan- « dum fuit adventus Christi; nam quamdiu adven- « tus Christi differebatur, spes hominum invalidior « erat de sanatione a peccatis; sed cum auditur « adventus Christi appropinquare, spes sanationis « confortatur in nobis. »

3. — Benignissimus Salvator periculosam et mortalem hujus filii infirmitatem, patrisque afflictionem probe sciens, huic infirmo sanitatem, toti vero domui salutem æternam conferre avide cupiens, iter illud data opera ingressus fuit, ut ostenderet se illum esse, qui suis gratiis nos prævenit et invitat, ad illas ab eo poscendas sponte excitat.

Abiit ad eum.

4. — Verisimile est, regulum hunc fama miraculorum Christi, quæ per omnes Galilææ et Judææ partes in multis infirmitatibus ediderat, et ubique resonabat, permotum abiisse; misericordia enim et compassio, quam miserabilibus ubique exhibebat Christus, magnam ei se sequentium turbam conciliabat, *Joan.*, VI, 2 : *Sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa, quæ faciebat super his, qui infirmabantur.*

5. — De anxio quidem patre constat ex Evangelio, illum filii sanitatem suppliciter expetiisse, an vero filius hic perinde movendus fuisset, ut patris infirmi sanitatem exposceret, nequaquam patet, sæpe enim contigit, quod filii parentum mortem læto animo excipiant, ut paternæ subjectionis jugum excutere, illorumque relictas facultates ut domini tractare et gubernare possint.

6. — Satis credibile est, hunc regulum quoque simul cum aliis Redemptorem nostrum sæpe derisisse, ejusque miraculis et discipulis, quamdiu in eum non credebat, variis dicteriis detraxisse; nunc autem manifeste tribulationum videtur virtus, et efficacia, *Psal.* LXXVII, 34 : *Cum occideret eos, quærebant eum, et revertebantur, et diluculo veniebant ad eum, et rememorati sunt, quia Deus adjutor est eorum.*

7. — Divus Chrysostomus dicit, hunc regulum in Christi virtute non magnam adeo habuisse fiduciam; secus enim cum salus filii plurimum ab eo desideraretur, eum in Judæa, antequam Christus inde se moveret convenire curasset : « Consueve- « runt patres ex multo amore, non solum medicis « loqui de quibus confidunt, sed etiam de quibus « non confidunt, nihil volentes prætermittere eo- « rum, quæ ad salutem pertinent filiorum; si « tamen valde crederet Christi virtutem, non ne- « glexisset etiam in Judæam ire. »

8. — Ex quo hic regulus Capharnaum gubernando, tanquam summus præfectus a Romanis constitutus erat, indubie omnes certatim medici ad curandum ejus filium convenere; attamen quia omnia remedia humana hactenus adhibita, vana et inutilia fuisse agnoscit, ad cœlestem illum protomedicum, qui dixit, *Joan.*, X, 10 : *Ego veni ut vitam habeant, et abundantius habeant*, recurrere decrevit, per hoc nobis utilissimum quoddam tradendo documentum, quod corporeis infirmitatibus correpti, pro illarum sanatione, ad Deum nobis præcipue recurrendum sit; primo quidem per bonam, integram, et sinceram confessionem, purgando animam; deinde vero per sanctam quamdam confidentiam, nostram divino beneplacito substernendo voluntatem ac tunc demum dependenter a Dei voluntate, remedia corporalia adhibendo. In libris Paralipomenon, *lib.* II, X, 12, de Asa dicitur :

Ægrotavit Asa dolore pedum vehementissimo, nec in infirmitate sua quæsivit Dominum, sed magis in medicorum arte confisus est. Ex quo vero in Ecclesiastico expresse dicitur : *Altissimus creavit de terra medicamenta, et vir prudens non abhorrebit illa*, hic vero rex de medicorum consilio iis usus fuerit, cur ei hoc in crimen et vitium imputatur? Notandum igitur, totam facti ejus malitiam in voce *magis* consistere, et potissimum in eo quod sequitur : *Non quæsivit Dominum;* potuit sine peccato uti remediis medicinæ, dummodo egisset hoc ordinate. « Debuit, » inquit Dionysius Carthusianus, « magis « sperare in gratia, quam in natura. » Optimum medicamentis, et medicorum opera utendi modum S. Basilius nobis insinuat, dum ait : « Fugienda « non penitus ars ista est, neque cursus omnis in « ea salutis nostræ præsidia collocanda. » Exemplo nobis sint agricolæ, qui improbis sudoribus et industria sua terram excolunt, in eamque semen spargunt, ita tamen ut fertilitatem fructus a cœlo expectent; sic quoque nauarchus temoni assistit, et vela pandit, ventos autem favorabiles a Deo expectat. Cedrenus et Suidas Regem Ezechiam, librum a sapientissimo Salomone Rege, de infirmitatum curandarum remediis compositum dissipasse et dispersisse observant, idque prudentissimo consilio, ne homines scilicet in infirmitatibus suis corporalibus omnem spem suam in herbis, mineralibus, aliisque similibus medicamentis fixam haberent, absque eo, quod ad implorandum divinum auxilium se unquam reflecterent. Abulensis dictum illud Paralipomenon : *Nec in infirmitate sua quæsivit Dominum*, dupliciter posse dicit a nobis declinari et emendari : Primo, « quærendo, remedium ægritudinis corporalis a Deo, ut sanitatem « tribuat, » et ad hoc non semper nos obligari dicit, quia sanitatem corporalem non desiderare, nonnunquam non nisi eximius perfectionis actus erit, qualem Apostolus exhibuit, dum ait, I *Cor.*, XII, 9 : *Virtus in infirmitate perficitur; gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi.* Secundo, si Deus quæratur cum conatu ipsi placendi, ejusque nobis amicitiam procurandi; et hoc fit *quærendo remissionem peccatorum*, et hoc modo illam specialiter in infirmitate quærere obligamur : « Quia tunc in maximo periculo sumus, ne recedamus in odio divino et pereamus æternaliter. » In capitulo : *Cum infirmitas, de pœnitentia et remissione*, medicis præcipitur, ut, priusquam corporis curam aggrediantur, prius infirmum de confessione facienda moneant. Similiter Pius Quintus in quodam *Motu proprio*, anno MDLXVI, medicis præcipit, ne infirmum ultra tres vices visitent, nisi is per confessionem se expiaverit, voluitque insuper, ut, dum laurea doctorali insigniuntur, se hanc constitutionem observaturos juramento confirment.

9. — Ecclesiasticus, XXXVIII, 9, ait : *Fili in tua infirmitate ne despicias teipsum*, quonam autem modo hoc exequendum sit, paulo post docet; non enim dicit : Ne despicias remedia corporalia, hoc enim non erat necessum præcipere, cum nullus facile illa despiciat : *Sed ora Dominum, et ipse curabit te; avertere a delicto et dirige manus, et ab omni delicto munda cor tuum, da suavitatem et impingua oblationem, et da locum medico*; postquam enim Sacramenta confessionis, nec non suo tempore, Communionis accepimus, tunc per divinam opem, in remediorum virtute confidere possumus; quis est, qui peccata ut plurimum infirmitatum causam esse nesciat? id quod Apostolus insinuare vult, dum ait, I *Cor.*, XI, 29 : *Qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat; ideo inter vos multi infirmi et imbecilles, et dormiunt multi;* radicem igitur mali, id est, peccatum, a nobis tollamus necessum est. Tigurina legit : « Deinde locum des « medico, ut cujus Dominus auctor sit; » hoc autem præcipit, postquam animam purgari jussisset.

Et rogabat eum.

10. — Beatus Laurentius ait : « Omnes medici « pecuniis, Deus autem noster pura oratione ad « conferendam sanitatem placatur. » Magnates quidem et qui imperium in populos obtinent, supplicationes et memorialia a subditis suis recidere assueverunt, nunquam vero illi supplicant; et tamen hic regulus in hac occasione supplex eorum Christo se prosternit, urgentibus enim necessitatibus, dum mors illis ob oculos ponitur, omnem magnates fastum et arrogantiam deponunt, omniumque respectuum humanorum, per tribulationes, efficiuntur immemores, *Ps.* XV, 4 : *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt.*

11. — Salmeron notat, quod regulus hic nos in infirmitatibus ad Deum, non vero ad superstitiones recurrere doceat, cum tamen ipse lumine et notitia veri Dei illustratus non fuerit : « Arguit hic regulus « eos, qui in adversis non ad Deum, sed ad magos « et incantatores et ad dæmonum auxilium pro « solutione maleficii confugiunt. »

Ut descenderet.

12. — Albertus Magnus opinatur, regulum hunc infirmo suo, multum profuturam putasse Christi viciniam, utpote quem velut hominem Deo charum et sanctum colebat : « Appropinquando infirmo, « putabat eum plus posse; » in quo convenit cum opinione Lyrani, dicentis : « Licet crederet Deum « posse sanare, credebat tamen, quod hoc non « faceret sine præsentia corporali; » similiter Glossa scribit : « Jam credens, quod posset sanare filium « ejus, sed quia per Deitatem, quæ ubique est, non « credit filio adesse, rogat, ut descenderet et præ« sens corpore sanaret; » quæ etiam causa fuit, cur hisce a Christo verbis reprehensus sit : *Nisi signa et prodigia*, etc., ac proinde civitatis ejusdem Capharnaiticæ Centurio præ hoc summe commendari meruit, quia aiebat : *Dic tantum verbo et sanabitur puer meus.*

13. — Vel forte credebat, Christum per aspectum filii in agonia positi ad majorem commovendum fore compassionem ; ex quo enim ipsum tanquam virum summa virtute præditum venerabatur, futurum sperabat, ut viso hoc adeo funesto spectaculo cor ejus emollitum, optatam in filium charitatem exerceret. Sciebat enim, ipsum non ignorare illud Ecclesiastici, VII, 39 : *Non te pigeat visitare infirmum, ex his enim in dilectione firmaberis;* forte etiam de Christo audivit, quod, quando domum Petri ingressus, *Matth.*, VIII, 14 : *Vidit socrum ejus jacentem;* ubi Chrysologus ait : « Videtis, « quæ res ad domum Petri invitaverit Christum, « utique non discumbendi voluptas, sed jacentis « infirmitas ; » adhæc sciebat utique Christum alias, in eadem civitate, aliis pluribus restituisse salutem, neque charius aut gratius objectum illi offerri posse, quam personas miserabiles, ut iis benefaceret. Noverat insuper Christi in infirmis benefaciendi, gratiasque conferendi facilitatem et promptitudinem; vix Centurio, ut Christo infirmitatem servi sui insinuaret, os suum aperuerat, ecce subito responsum audiit, *Matth.*, VIII, 8 : *Ego veniam et curabo eum.* S. proinde Cyrillus Alexandrinus, *in Joan.*, ait : « Non propter signa simpliciter Christum mira« bantur, sed propter signa, quæ infirmis ægro« tisque faciebat. »

14. — Ast inquies fortasse, quare Christus in præsenti descendere noluerit, quemadmodum facere decreverat Centurioni, qui etiam sicut hic regulus, gentilitati deditus erat, huic namque subito respondit : *Ego veniam et curabo eum*; ast responsio in prompta est, Centurio etenim humilis, indignum se judicabat, cujus domui Christus vel pedem inferret, regulus vero præsumptuose quasi præcipiendo, *descende*, inquit; in quo docemur, quod quisquis Filium Dei ad se venire desiderat, in infimum humilitatis, suique ipsius gradum descendere debeat; etenim iter ex Cana in Capharnaum, quatuordecim horas poscebat, nec tamen hanc Christo incommoditatem regulus afferre curabat.

Et sanaret filium ejus.

15. — Paucos admodum reperiemus, qui Salvatorem pro curandis infirmitatibus spiritualibus convenerint, aut sua ei obsequia detulerint, sed potior pars sanitatem et res temporales respiciebat; unde S. Bonaventura ait : « Intuitu sanitatis filii adivit « ad eum, non affectu devotionis. » Albertus Magnus hanc supplicam Christo oblatam existimat, solum ad hoc, ut Christum suam apud Deum pro filio intercessionem interponeret, non vero ut divinam ejus potestatem et omnipotentiam ad sanandum filium excitaret; hanc enim Christo inesse non credebat : « Ut sanaret intercedendo apud Deum, quia « non putabat eum Deum. »

16. — Salmeron ex hac, pro sola infirmitate corporali, quæ minus malum erat, tollenda, facta supplicatione, talem deducit moralitatem : « Quod « autem orat pro sanitate corporis, infirmitatis hu« manæ est, qua prius corporis, quam animæ « sentimus incommoda, cum tamen majora sint « animæ mala. »

Incipiebat enim mori.

17. — S. Thomas in sensu morali dicit : « Quando « homo tentatur incœpit infirmari, sed quando ten« tatio prævalet, ita ut inclinet ad consensum, est « prope mortem; sed quando jam consentit, incipit « mori; cum ergo consummat peccatum, moritur. »

18. — Considerari quoque hoc loco potest, quod a primo instanti, quo anima in utero materno unitur corpori, homo pariter non solum subjiciatur, verum continuo procedat ad mortem, adeo ut vita ejus non sit aliud, quam mors continua; id quod Apostolus optime intelligebat, I *Cor.*, XV, 31, dicens : *Quotidie morior;* et alibi, *Rom.*, VII, 24 : *Quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Quod etiam confirmat S. Bernardus, *Serm.* XVII *in Psal. Qui habitat*, inquiens : « Hæc vita qua vivimus magis mors est; « moritur homo, dicimus, quando morti certissime « appropinquat; quid vero agimus, ex quo primum « incipimus vivere, nisi morti appropinquare et « incipere mori? » Huic quoque veritati vel ipse Seneca solo ex naturali lumine testimonium perhibet, scribens : « Quotidie morimur, quotidie enim « demitur aliqua pars vitæ; et tunc quoque cum « crescimus, tunc vita decrescit, hunc, quem agi« mus diem, cum morte dividimus. » Quod si in vas aliquod vino plenum aqua immitteretur, certum est, quod virtus et sapor vini semper magis magisque minuendus esset, ita ut in fine omnis ejus perderetur substantia; haud secus dum calor naturalis quotidie per actionem alimenti diminuitur, ipsum vivum continuo deficit. S. Basilius hanc eamdem veritatem, quod scilicet hujus vitæ cursus aliud non sit, quam continuus processus ad mortem, manibus nobis palpabilem reddere studet, dum ait : « Vita hominis per multas mortes consue« vit expleri; » quibus verbis forsitan alludere voluit, ad quamdam Senecæ reflexionem ad cibos, quibus vita hominis sustentatur; sic enim ille inquit : « Quidquid avium volitat, quidquid piscium « natat, quidquid ferarum discurrit, nostris sepeli« tur in ventribus; quære nunc cur subito moria« mur? quia mortibus vivimus. » At vero iisdem S. Basilii verbis alium quoque sensum dare possumus; dicit enim ipse, vitam hominis per multas mortes expleri, quia primo in ipso infantia moritur, postea deficit adolescentia, deinde virilitas de-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

perit, donec tandem etiam senectus per mortem intereat; adeoque impletur illud Nazianzeni : « Vita « et mors improprie vocatur; vita enim hæc est « mater corruptionis, adeoque continua mors; mors « vero est janua vitæ beatæ. » S. Isidorus se non intelligere profitetur, quomodo homo din possit crescere in ætate, quandoquidem, quanto amplius homo vivendo procedit, tanto velocius vita ipsius deficit : « Sed quomodo possit recte dici augmentum, quod « per dimensiones ætatum, ad mortis tendit detri- « mentum. » Innocentius III, de humanæ conditionis miseria scribens, ad propositum nostrum apposite loquitur, dum ait : « Morimur dum vivimus, et « tunc tantum desinimus mori, cum desinimus vi- « vere; nihil est vita mortalis nisi mors vivens. » S. Augustinus, *in Psal.* CII, licet vitam non appellet mortem, aperte tamen eamdem infirmitatem et ægritudinem quamdam continuam esse dicit : « Quis, » inquit, « non ægrotat in hac vita? quis « non longum languorem trahit? nasci in hoc cor- « pore mortali, incipere ægrotare est. »

19. — S. Bernardus pœnalitates omnesque alias ærumnas, quibus in hac vita subjicimur, considerans petit : « Hæccine vita dicenda est, qua nimi- « rum soli vivitur morti? »

Additiones.

a. — *Hic cum audivisset, quia Jesus advenîret a Judæa in Galilæam*, etc. Nactus regulus bonam occasionem ex appropinquatione Jesu, abiit ad eum; nempe ex Capharnaum, quæ interpretatur *pinguedo terræ*, proficiscitur in Galilæam, hoc est in pinguedinem cœli seu Ecclesiæ, ubi erat pinguis panis Christi, præbens delicias regibus; hoc est Sacramentum Eucharistiæ.

b. — Immediate Dominus discesserat a Samaria in Galilæam, et tamen dicitur quod ex Judæa advenerit. Cur hoc? Ratio est quia Judæi utpote maligni, Christum appellant Samaritanum et quod in Samariam abierit, objiciunt. At Galilæi, quamvis Dominus immediate ex Samaria discederet, dicunt, quod ex Judæa advenerit ad quam missus erat et in qua missus fuerat, ut ita majori vinculo Domino adstringerintur, quod relicta patria sua ad eos abiret. Multum sane interjacet inter probos viros et iniquos. Nam probi ea solum memoria tenent atque dicunt, ex quibus se maxime obligatos vident, ut ita se gratos erga benefactorem suum exhibeant. At iniqui semper accepta beneficia minuunt et vituperant, ne multas suo benefactori gratias cogantur. Ingratitudo enim est reproborum tessera. Non est dubium quin incarnata Sapientia, *quæ alta a longe cognoscit*, novem hosce leprosos lepra mundatos sua fuisse probe noverit; verumtamen, ut Hugo Cardinalis ait : « Non quærit ex ignorantia, quia « omnia antequam sint novit, sed hoc ipso mystice « insinuat, quia ingratos ignotos reputat. » Ideoque in tremendo novissimi Judicii die præscitis, a Judice dicetur : *Nescio vos*. Ingratus enim quoddam habet sibi impressum signaculum, ex quo filius perditionis esse cognoscitur, adeoque dum erga Deum et homines sibi benefacientes, ingratus est, minime temere judicabit qui illum de reproborum numero esse dixerit. Conjiciamus velim oculos in primum electum et primum reprobum, Abel nimirum et Cain, de quorum primo S. Ambrosius ita scribit : « Abel qui omnia refert ad Deum, pia devotus « mentis intentione, nihil sibi arrogans, sed totum « tribuens Conditori, quod accepisset ab eo. » Non vero eodem modo de præscito Caino loquitur, sed potius inquit : « Cain dictus est *acquisitio*, quod « omnia sibi acquireret. » Et ideo hic caput est eorum qui quicquid boni habent, sibimetipsis attribuunt; talis enim Cain erat, de quo idem Ambrosius inquit : « Totum menti suæ deputat, tanquam « principali. »

In principio Exodi dicitur : *Surrexit interea rex novus super Ægyptum, qui ignorabat Joseph*. Sed qui fieri poterat, quod Pharao non amplius agnosceret Joseph, qui paulo ante salvator Ægypti fuerat et ærarium publicum, tempore famis, providentia sua locupletando, immortalem sui memoriam reliquerat? Abulensis inquit : « Pessimus ille rex et omni « indignatione indignior, qui cum quotidiana in se « Joseph beneficia experiretur, quantam partem « proventuum Ægypti percipiens annuatim, quod « dispositione provida Joseph redditibus Regis fue- « rat attributum, benefactorem Joseph, quem ipsa « beneficia necessario demonstrabant, ingrata men- « tis ægritudine tabefactus, nunquam in recorda- « tionem saltem levi rimula reducebat. » In quibus verbis Præsulem hunc præcitatum, huic Pharaoni hunc attribuere titulum : « Pessimus et omni indig- « natione indignior; » erat enim verum reprobis alicujus symbolum, quia *induratum est cor Pharaonis*. Talibus autem pessimum ingratitudinis vitium specialiter adhærescit. S. Petrus Chrysologus quamdam habet observationem ex qua manifeste deducitur divitem Epulonem in infernum deturbatum fuisse, eo quod Deo ingratus fuerit, statumque suum prosperum, quo gaudebat, propriis meritis attribuit. *Recordare*, inquit ad eum Abraham, *quia recepisti bona in vita tua*. Circa quæ verba D. Chrysologus advertit, Patriarcham hunc reprobum secundum internos illius sensus allocutum fuisse. « Videtis, » inquit, « fratres, quia Abrahæ sancti verbo, istius « divitis animus proditur, sensus arguitur, intel- « lectus punitur, qui non sibi data, sed reddita « credidit, quæcumque Domino largiente possedit. « Intelligite, quo sensu incesserit, quo corde am- « bulaverit, qui Deum sibi credidit debitorem. » Nihil igitur mirandum est, si Christus de hoc præscito hominis ingratissimi typo, manifeste pronuntiaverit, ipsum in inferno sepultum fuisse, quia

infernus proprium est pessimi hujus vitii centrum.

c. — Miro certe modo Deus hunc regulum ad se trahit et allicit, per flagellum scilicet infirmitatis filii ejus, hic est enim Dei mos affligere ut consoletur et beneficia conferat, aut infirmitatibus affligere corpus ut animæ afferat sanitatem. Unde super illa verba : *Ego occidam et ego vivere faciam; percutiam, et ego sanabo*, S. Bernardus inquit : « Percussit car- « nem ut anima sanaretur. » Enimvero hi qui animæ suæ salutem parvi faciunt et nihil æstimant, hi sunt præcipue, qui in corpus suum oculos suos et curam mentis defixam habent, animamque suam simul cum corpore desituram aut morituram esse existimant. Unde inter alias, in vitis Patrum recensitas sententias, hæc valde est considerabilis, qua dicitur : « Illi animam suam in vanum accipiunt, « qui existimant eam dissolvi una cum hac carun- « cula, qui virtutes spirituales negligunt. » Ac proinde utilissimum est illud D. Chrysostomi documentum, quo nos ut seriæ considerationis oculum, in alterius vitæ bona dirigamus, his verbis monet : Nihil ita animam recreare et præstantiorem reddere solet, sicut bona de futuris « concepta spes. » Quamvis etiam animam nostram pulchram et mundam reddant nonnulli alii actus virtutum, de quibus Hugo de S. Victore ita scribit : « Contritio cordis, « confessio oris, afflictio carnis, hi sunt tres fontes, « quibus lavatur anima; contritio, per anxietatem; « confessio, per humilitatem; afflictio per asperita- « tem. »

Versus 48.

Dixit ergo Jesus ad eum : Nisi signa et prodigia videritis, non creditis.

1. — Toletus hic dubium movet, cur scilicet benignissimus Salvator hunc regulum increparit, eo quod, priusquam in ipsum crederet, miracula ab ipso requisierit; cum tamen ipsemet dixerit, *Joan.*, X, 37 : *Si non facio opera Patris mei, nolite mihi credere*; et iterum, *Joan.*, XV, 24 : *Si non venissem et opera non fecissem, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*. Prophetæ quoque Messiam miracula patraturum esse prædixerant; sic Isaias, XXXV, 4, ait : *Veniet et salvabit nos; tunc aperientur oculi cæcorum*, adeoque nullum videtur motivum, regulum miracula poscentem, reprehendendi. Respondet tamen populum Hebræum sine miraculorum testimonio, in Christum credere nolentem, pluribus modis peccasse : primo, quia indubitatum jam audiverat Præcursoris testimonium, qui ipsum illi digito monstravit; secundo, quia ejus prædicatio ad hoc lumen et notitiam iis communicandam sufficiens erat, hæc enim ab auribus ad corda usque penetrabat, *Psal.* CXVIII, 130 : *Declaratio sermonum tuorum illuminat et intellectum dat parvulis*; ideoque multi etiam fuere conversi. Sic Samaritani, nullis visis miraculis, crediderunt; Scribæ quoque et Pharisæi S. Joannem, promissum in lege Messiam esse existimabant, tametsi nulla in eo miracula vidissent. S. Thomas quoque idem movet dubium, scilicet regulum signa patentem reprehensibilem minime videri : « Nam fides per signa probatur. » Respondet autem per differentiam quamdam, quæ est inter fideles et infideles, quando ad fidem trahendi sunt; infideles enim per Scripturæ auctoritatem convinci non possunt, quia illam non admittunt, multo minus per rationes naturales, cum fides nostra superior sit quavis ratione, omnemque superet naturam, ac proinde per miracula sunt adducendi; unde dicitur : *Signa data sunt infidelibus*; fideles autem ut credant indubitatæ sacræ Scripturæ veritati acquiescere debent; hæc enim ad illos convincendos sufficit, nec aliud requiritur; demum vero ad hunc regulum descendens, subjungit : « In « hoc ergo regulus redarguitur, quia cum esset « nutritus inter Judæos et de lege instructus, non « per Scripturæ auctoritatem, sed per signa cre- « dere volebat. »

2. — Glossa hanc reprehensionem incredulitatis ejus demeritis tribuit, inquiens : « In hoc redargui- « tur de incredulitate; per hujus duritiam signifi- « catur duritia Judæorum, qui nec visis miraculis « credunt; at vero e contra per Samariam notatur « fides gentium, quæ solo verbo credidit. » Et quidem licet hæc incredulitas nobis non appareat, ab oculis tamen Christi abscondi non potuit. Unde S. Augustinus, *tract.* XIV *in Joan.*, ait : « Verba « rogantis audivimus, cor diffidentis non videmus, « sed ille pronuntiavit, qui et verba audivit et cor « inspexit. » Lyranus regulum non ob supplicationem pro filii salute factam, reprehensum esse dicit, « sed de defectu fidei suæ. »

3. — S. Thomas aliam quamdam movet difficultatem, inquiens, quod si regulus in Salvatorem non credidisset, utique filii moribundi sanitatem non postulasset : « Ad quod dicendum, quod regulus « iste adhuc non credebat perfecte; erat enim in « eo duplex defectus fidei, » quorum primus erat, quod tametsi Christum, verum hominem esse profiteretur, cum tamen virtute et omnipotentia divina præditum esse minime credebat, quia Christum ut in propria persona accederet, rogabat. Secundus defectus erat perplexitas ejus, qua, an moribundo salutem dare posset, dubitabat; si enim hoc firmiter credidisset, non expectasset, donec Christus de Judæa in Galilæam transiret, sed eumdem in Judæa, ubi erat, convenisset; maxime cum tantam de filii sanitate curam haberet.

4. — Dionysius Carthusianus regulum Salvatorem accessisse existimat, ut experiretur, an sibi hunc Christus infirmum sanare posse confideret, non vero cum viva fide, quod in ipsum per divinam omnipotentiam exequi posset : « Accessit ad

« eum, non credens, sed tentans, volens experiri, « quis aut qualis esset et quantum posset; » ac proinde Hugo Cardinalis ait : « Arguit homi« nem in fide tepidum ac frigidum, aut omnino « nullius fidei, sed tentare cupientem de sanitate « filii sui. »

5. — Lucas Brugensis differentiam insinuat, quæ est inter miracula et prodigia; dicit enim Christus : « *Nisi signa et prodigia videritis, non* « *creditis*; etenim quamvis utraque præter naturam « fiant signa, tamen sunt hujusmodi, quæ sæpe« numero per naturam fiunt, ut sanare infirmum; « prodigia vero quæ raro aut nonquam fiunt vi « naturæ, ut aperire oculos cæci nati, suscitare « mortuos. »

6. — Hugo Cardinalis quoque in ordine ad hanc differentiam, per similem distinctionem discurrit, dicens : « Proprie signa sunt, quæ fiunt in re natu« rali et per naturam, sed lente operantem, cum « Christus in momento, ideoque per miraculum id « ipsum præstaret; tale est, infirmos sanare; pro« digia vero sunt, quæ omnem naturæ vim supe« rant, ut est mortuos suscitare. »

7. — Cajetanus hanc Christi reprehensionem eo tendere dicit, ut reguli et Judæorum incredulitatem ostenderet, non simpliciter, sed in comparatione Samaritanorum, qui sine visis effectibus miraculosis crediderunt, siquidem paulo ante Samaritanam, moxque universam Samariæ civitatem, ad sui notitiam reduxerat. Hugo Cardinalis in sententia D. Chrysostomi, huic assertioni, *non creditis*, tres adhibet expositiones. Prima paulo ante a nobis facta fuit; nimirum « in comparatione Samaritanorum. » Secunda : « Non propter reguli perso« nam, sed propter civitatem, unde erat. » Tertia, « sicut ille, qui dixit : *Credo, Domine, adjuva incre« dulitatem meam*, in parte credebat et in parte « nihil credebat; ita et hic credidit, sed non inte« gre neque sane; » unde Cajetanus concludit : « Merito arguitur, qui tam imperfecte credebat; « imo per hæc Domini verba explicatur, quod non « credebat, et recursus ad eum pro sanitate filii « non procedebat ex fide, sed ex opinione et affectu « ad filium. »

8. — Chrysostomus, *Hom.* xv *in Joan.*, notat, hanc reprehensionem artificium quoddam fuisse bonitatis et benignitatis Christi in regulum : « Ar« guit, » inquit, « ut magis in fide confirmaret, « neque enim ante signum admodum credebat, « rationem vero quam adducit, nos supra insinuavimus, quia si credidisset, in Judæa ipsum convenire debuisset, non vero expectare, donec per transitum Galilæam versus veniret : « Constat, » inquit, « quoniam veniente Jesu in Galilæam, obiter et per « occasionem accessit; quod si vere Christi potesta« tem credidisset, non utique in tanto filii periculo, « Judæam petere neglexisset. »

9. — Jansenius eidem interpretationi adhærens scribit, cœlestem hunc protomedicum primo loco salutem animæ patri et postea corporalem filio dare voluisse : « Ubi notandum, » ait, « Christum prius « operam dedisse, ut curaret morbum patris, quam « filii, ut qui gravior esset et periculosior et ad offi« cium Christi magis pertinens; magis enim ve« nerat ad sanandum animas quam corpora. » Quam expositionem Jansenius ex Divo Chrysostomo sumpsisse videtur, qui in eadem homilia ita scribit : « Neque minus hoc loco patrem, animi morbo la« borantem, quam filium curat, suadetque non « signa nobis, sed doctrinam ipsius attendendam. » Lucas Brugensis similem habet considerationem, dum ait : « Regulus præter filii sanitatem nihil « quærebat, negat Jesus miracula a se fieri, ob eam « præcipue causam, ut ægroti convalescant corpore, « sed ut, qui miracula conspexerint, in ipsum cre« dant Christum Filium Dei. »

10. — S. Augustinus, *tract.* xvi *in Joan.*, amabilissimum agendi modum, quo Salvator erga Centurionem, pariter Capharnaitam, usus fuit, examinat, eumque confert cum illo, quo regulum hunc tractavit : « Videte distinctionem; regulus iste Do« minum ad domum suam descendere cupiebat, ille « Centurio indignum se esse dicebat; illi dicebatur : « *Ego veniam et curabo eum*; huic dictum est : *Vade,* « *filius tuus vivit*; illi præsentiam suam promitte« bat, hunc verbo sanabat; ille se præsentia ejus « indignum esse dicebat; hic cessum est elationi, « illic concessum est humilitati, tanquam si huic « diceret : *Vade, filius tuus vivit*, noli mihi tædium « facere; præsentiam meam vis in domo tua, pos« sum, et verbo jubere; Centurio alienigena credit, « verbo me posse facere et antequam facerem cre« didit, vos *nisi signa et prodigia videritis, non* « *creditis*. »

11. — Glossa aliam tangit hujus reprehensionis rationem dicens : « Redarguitur, quod non ubique « credebat eum esse; » et hæc proprie unica causa est, cur tam exigua in nobis fides reperiatur, quia præsentiam Dei non apprehendimus, eumque nobis ubique præsentem esse non imaginamur, ac proinde et nos reprehensibiles erimus, nisi nos continuo in hoc utilissimo divinæ præsentiæ exercitio continuerimus, utpote quod unicum frenum est ad evitandam omnem Dei offensam, sanandamque omnem nostram infirmitatem spiritualem, *Psal.* xv, 8 : *Præcidebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi, ne commovear*; ubi Glossa ait : « Hinc trahe exemplum, quo peccata vitentur, « qui enim Deum semper acie mentis intuetur, « peccatis non inclinatur. »

Additiones.

a. — *Nisi signa et prodigia videritis, non creditis.* Conveniunt omnes Patres quod hæc : *Nisi signa,*

etc., dixerit Christus regulo per modum objurgationis, propter fidem ejus imperfectam, quam ex multis indiciis probant sancti Patres et Expositores. Singulari tamen ex causa arguit eum Dominus, quam assignat D. Chrysostomus, *Hom.* xxxiv : « Arguit eum ut magis in fidem confirmaret. » Multi de Domini divinitate dubitarunt, et tamen a Domino particulariter non sunt reprehensi, quemadmodum hic regulus arguitur. Intendebat autem Salvator ut hic proficeret, ac melior fieret, ideo objurgatur, nam deberet reprehensio ordinarie ex amore procedere, et tunc est valde utilis. Ea enim homo se colligit, statim ac conditionem suam considerat, et in vita ac moribus reformatur. D. Chrysostomus nos docet quam utile et proficuum sit, si correctio cum demonstratione charitatis et amoris conjungatur : « Vis fratrem corrigere? » inquit, *Hom.* III *ad pop. Antioch.* « Lacrymare, ora Deum, « seorsum apprehensum admone, consule, exhor« tare; sic et Paulus faciebat. Declara charitatem « erga peccatorem, persuadere ipsi, quod consu« lens et curans, non traducere volens, peccatis « ipsum commonefacis; comprehende pedes, oscu« lari non erubescas, si modo vere moderi vis. Hæc « et medici faciunt sæpius, difficiles ægrotos ha« bentes, osculantes, rogantes persuadent saluta« rem sumere medicinam. » Sic S. Paulus Corinthiis dicit, II *Cor.*, II, 4 : *Ex multa tribulatione et angustia cordis scripsi vobis per multas lacrymas.* Erant quippe Corinthii, ut ex duobus Paulini epistolis clare satis patet, in multis gravibus peccatis reprehensibiles, ipsos autem admonere, reprehendere, corrigere ad ipsum spectabat; sed observanda sunt verba quæ sequuntur : *Non ut contristemini, sed ut sciatis, quam charitatem habeam abundantius in vobis.* Quem textum S. Ambrosius considerans, ait : « Manifestum est quia quando hoc affectu quis « aliquem corripit, ut plus illo doleat de peccatis « ejus, non utique ut illum contristet, corripit, sed « ut ostendat illi, quo amore diligat eum. Qui enim « non hoc affectu corripit fratrem, contristat, in« sultat enim qui non condolet fratri. » S. Gregorius similiter modum docere volens quem sacri Doctores servare debent, dum tanquam patres spirituales hac correctionis virga erga aliquem uti volunt, his verbis eos monet : « Verba asperæ incre« pationis movent, ut spinas mortiferæ cogitationis « eradicent, et hæc cum agunt, charitatis amore « suviunt, non inflatione elationis intumescunt. » S. Anselmus, verba illa Apostoli, I *Cor.*, XVI, 14 : *Omnia vestra in charitate fiant*, exponens, hanc illorum assignat rationem : « Nam quidquam sine « charitate agitur, nihil est, quamvis esse bonum « valde videatur. » Prosequitur hanc doctrinam ulterius, et dicit, quod etiam reprehensiones, quæ ut plurimum asperæ videri solent, ab hac nihilominus charitate derivari debeant : « Cum dicit, *omnia,* « satis ostendit ipsas correctiones, quas asperas et « amaras sentiunt, qui corripiuntur, cum charitate « esse faciendas. »

S. Antonius de Padua, Evangelium quod de hac correptionis materia tractat, et præcipue illum a Salvatore præscriptum ordinem : *Vade et corripe*, exponens, primo loco de correctione dicit : « Hoc « supponit actum charitatis. *Vade*, quod dupliciter « potest intelligi, uno modo ad litteram : *Vade* ad « eum qui ad te venire verecundatur. Alio modo « dicit, *Vade*, ad designandum quid debeat te mo« vere, quia charitas ipsa debet te portare et utili« tas proximi attrahere. » S. Bernardinus eadem verba, *vade et corripe*, exponens, eum, cui officium corrigendi incumbit, monet dicens : « Debes ex « charitate considerare quantum illi, et tibi neces« sarium est eripere eum de statu damnationis, « Ideo Dominus ait : Et *corripe eum*, id est, cor ejus « rape de statu damnationis, vel perditionis. » Alibi quoque in sermone qui *de christiano pietate*, intitulatur, idipsum monens ait : « Corripere est subito « cor rapere de periculo, ut solertiam charitatis « ostendat. » Ignis enim divini amoris et veræ charitatis fervidus est, atque sollicitus : « Nescit tarda « molimina Spiritus Sancti gratia. »

b. — Dixit Dominus regulo : *Nisi signa et prodigia videritis, non creditis.* Usque adeo super omnia mutabilia volens mentem credentis attollere, ut nec ipsa miracula, quæ quamvis divinitus de mutabilitate corporum fiunt, a fidelibus quæri velit. Congruum videri poterat quod Dominus desideraret homines ad divina signa currere; tamen aliquo modo indignatur, quod hujusmodi mirabilia appetantur. Nam quamvis sint opera Dei ejus potentia edita, cum tamen de mutabilitate corporum fiant ac hujusmodi mutabilitatem importent, ab eis Dominus nostram vult avertere mentem et elevare ad ea quæ æterna sunt et permanentia. Non patitur enim ut noster animus ad inconstantia, labentiaque temporalia feratur, sed ut tendat ad ea quæ fixa sunt atque perpetua. Ex quo concludo quam indecens sit quod corpus præponatur animæ, quodque de corpore magis solliciti simus quam de anima. Maxime dum anima in hisce bonis terrenis perditur dum æterna negliguntur.

S. Augustinus, *lib. de spiritu et anima*, ex definitione animæ inconvenientissimam illam deordinationem, quam quotidie in magna hominum parte experimur, in quibus scilicet corpus animæ prædominatur, manifeste declarat; anima enim ab ipso definitur : « Substantia quædam incorporea, ratio« nis particeps, regendo corpori accommodata. » Quod si enim animæ competit regimen et dominium in corpus, quod si illa a supremo artifice velut regina quædam creata est, quod si illi datum est sceptrum imperii super corpus, cum dominio absoluto et despotico in illud veluti mancipium

quoddam; quænam igitur est illa indecentia, quod anima perturbato Dei ordine corpori subjiciatur? et tamen certissima experientia quotidie comprobatur, quod *corpus quod corrumpitur aggravat animam.* Magnam hanc vilitatem et indignitatem S. Bernardus detestatur dicens: « Dominam ancillare et an« cillam dominare, magna abusio est. » Inaudita namque monstruositas futura esset, si potens aliquis regina alicui mancipio et vili servo famulari et obsequi conspiceretur. Quod quidem adeo est evidens, ut vel Gentilis Seneca, solo naturali lumine præditus dicere solitus fuerit: « Major sum et ad « majora natus, quam ut sim mancipium corporis « mei. » Et Erasmus Socratem dixisse refert: « Ho« minem ipsum animam esse, corpus nihil aliud « quam animæ organum, vel domicilium, aut ve« rius dicam, sepulchrum aut carcerem. » S. Bernardus corporis cum anima comparati considerat vilitatem, ut tanto magis confundat eos, qui tam pretiosæ animæ saccum vermium præferre et anteponere non verentur. « O anima, » inquit, « Dei « imagine insignita, decorata similitudine, despon« sata fide, dotata spiritu, redempta sanguine, « deputata cum Angelis, capax beatitudinis, hæ« res bonitatis, rationis particeps, quid tibi cum « animali? »

Quisnam, obsecro, vitæ suæ adeo prodigus inveniri poterit, qui juratum hostem et traditorem suum, a quo sibi simul cum vita facultates omnes et boni nominis sui existimationem eripiendam esse novit, blande excipiat, et in delicijs et voluptatibus enutrire non vereatur? Maximus inimicus, quem in hac vita sustinere cogimur, est mortale hoc corpus nostrum, utpote quod æternam animæ mortem conciliat, de quo proinde S. Ambrosius unumquemque his verbis admonet: « Non creda« mus nos hinc corpori, non misceamus cum eo « animam nostram; cum amico, inquit, misce « animam tuam, non cum inimico. Inimicum tibi « est corpus tuum quod repugnat menti tuæ. » Vultisne videre quanta sit hujusce traditoris ingratitudo? Audite eam paucis, sed nervosis verbis explicantem S. Ambrosium, dum ait: « Anima « vitam corpori tradit, caro autem mortem animæ « transfundit. » Huic a S. Ambrosio tradito monito, valde conforme est quod Doctor Seraphicus eadem de re scribens asserit; dicit enim: « Habes, o « anima mea, inimicum domesticum, hostem ami« cum, adversarium propinquum, qui tibi malum « pro bono reddidit et sub specie amicitiæ crude« lior existens, infinitis bonis te privavit. Hic hostis « est caro infelix, multum tibi dilecta. Hanc cum « pavisti, inimicum pessimum contra te erexisti. »

c. — Multi e populo Judæorum dubitarunt circa Domini majestatem et excellentiam, et nullum Dominus ita severe in particulari reprehendit ut diceret: *Nisi signa videritis.* Cur ergo regulus ita rigide pungitur, qui paterno plane affectu sanitatem filii æstuebat? Cur protinus non exauditur? Sapienter Hieronymus in finem *cap.* VIII Ezechielis, ait: « Qui non intelligunt quid sibi prosit, et orant « frequenter contraria, expedit eis ut non exau« diantur a Domino. Unde et in oratione Dominica « dicitur: *Fiat voluntas tua*; non voluntas nostra, « quæ errare consuevit, sed *voluntas tua*, quæ fu« tura cognoscit, magnæque interdum felicitatis « est, ad præsens misericordiam non mereri. » Heu plerumque, quæ nobis hianter optamus, inimica potius vota sunt! Pecus ad victimam uberius saginatur et adipatur. Et Dei iram sæpe portat, in quem mundialis prosperitas toto pondere incumbit, et ad votum cuncta fluunt. Si sapis dum tibi incessanter arridet fortuna in continua felicitate, humani infortunii nescio, irati numinis notas haud dubiis characteribus descriptas legere licet. O quoties beniguior Dei indulgentia iras nutrit! Non merita indulgentia, pœnalioris supplicii omen est. Dei enim indulgentia, dum peccata dissimulat, peccatores humana felicitate cumulat, minæ sunt acerbiores æternæ iracundiæ et æternæ perditionis indicia.

Deus apud Ezechielem, se adversus Jerosolymam et populum ejus iratum esse, jamque de facto ad sumendum de sceleribus illius justum et severissimum supplicium, flagellum apprehendisse dicit, et tamen in vindicativi furoris sui summo fervore, expressis verbis dicit, *Ezech.*, XVI, 42: *Et requiescet indignatio mea in te, et auferetur zelus meus a te, et quiescam nec irascar amplius.* Porro terribiles illæ desolationum, exterminiorum, aliarumque miserabilium ærumnarum comminationes, quibus antecedenter hunc sibi rebellem populum consternaverat ad inserendum uniuscujusque illos legentis, vel audientis pectori sanctum Dei timorem, et ad perterrefaciendum omnes sufficiunt, et tamen post illos protestatur, dicens: *Requiescet indignatio mea in te, et auferetur zelus meus a te, et quiescam, nec irascar amplius.* Quod ipsum, ut S. Hieronymus ait: « Pessimum signum est, tunc enim Deus pecca« tori, vel maxime irascitur cum illius peccata « dissimulare videtur, et impune transire permit« tit. Ex quo perspicimus grandem offensam esse « nequaquam curæ haberi a Deo sed permitti ho« minem sceleribus suis. » Verum enimvero hic modus castigandi ipsius Dei, a paucis intelligitur, scilicet quando Deus a nobis in hac vita castigandis supersedet, licet per culpas nostras divina flagella mereamur. Videbitis nonnunquam quod is qui ingentem quamdam fossam vult transilire, communiter aliquot passus retrocedat; sed quo putatis fine id facit? Nimirum ut saltum magis promoveat et vehementius saliat. Eodem modo de divina justitia circa divinorum præceptorum suorum prævaricatores sese habet. Dissimulat enim peccata illa, differt pœnam, summam exhibet pœnitentiam, in tot injuriarum toleratione; at vero quonam fine id Deum facere existimatis? Num forte ut peccatores impuniti remanent? Nequaquam. *Rom.*, II, 4: *An divitias bonitatis ejus et patientiæ et longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam, et impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera ejus.*

d. — Exprobrat Dominus parvam reguli fidem, quando jam filio animam agente, totus est in remediis corpori adhibendis, nihil sollicitus de judicio quod filio imminebat. Huc refert: *Nisi signa et prodigia videritis, non creditis*, quasi dicat: Ubi est fidelium fides de morientibus? Quando aderit de judicio sollicitudo? Non credo memineritis illius examinis, donec illius signa et prodigia percipiatis sensu. Ita S. Anselmus: Non creditis judicium futurum; securitate torpetis, nisi mirabilibus excitemini. Vere miseri homines, dum patentibus signis non moventur, nil curant judicium futurum et omnia ad salutem spectantia, ad ipsum differunt limen æternitatis. Magna est autem tunc in illo extremo vitæ momento pœnitentiæ difficultas. Propheta regius, *Psal.* VI, 6, inquit: *Convertere, Domine, et erige animam meam, salvum me fac propter misericordiam tuam, quoniam non est in morte qui memor sit tui.* His verbis nos monet ne pœnitentiam ad mortem usque differamus, quia expresse dicit: *Quoniam non est in morte qui memor sit tui.* Certum quidem est quod in toto vitæ humanæ curriculo nullum sit spatium, in quo magis conveniat Dei meminisse, quam in articulo mortis, in quo quævis sollicita esse debet, ut se Deo inseparabiliter per omnem æternitatem conjungat. Et tamen cum sit veritas infallibilis, quod corpus, quod corrumpitur, aggravet animam, ideo in illo extremo momento, quando anima separanda est a corpore, difficile admodum valdeque arduum est, ut anima de Deo serio cogitet. Quænam igitur est Christiani hominis stultitia, quod ad ultimam usque horam illam, negotium illud adeo arduum salutis æternæ reservet et differet, quando illa hora ad hunc finem assequendum adeo est importuna. S. Bernardus, *Serm.* XXXVII *in parvis*, ita scribit: « Quid dissimulant « homines in vita sua agere pœnitentiam et extrema « de confessione præsumunt? Quomodo sub una « hora revocari posse existimant omnia animæ « membra, cujus concupiscentiæ et desideria per « totum mundum sparsa sunt, et ubique terrarum, « velut quodam visco tenentur? » Etenim doloris vehementia, infirmitas pœnosa et supervenientia ex vehementia ardoris deliria efficiunt ut tres animæ potentiæ totaliter labefactentur. Hominis enim agonizantis intellectus obtenebratur et delirat; memoria non reminiscitur; voluntas non appetit aliud, præterquam malum quod antea habitualiter amaverat. Tantus sensitivus dolor opprimit et cruciatus membra coarctat, quam vix homo aliud cogitare valet.

e. — Præcipua ratio cur tam dure et aspere huic regulo, ad petitionem suam respondeat, est, quia cum modica et imperfecta accedebat fide; est enim hæc miraculorum sicut et bonorum omnium principium. Fides recte assimilatur radici arboris vel plantæ alicujus, eo quod hæc omnis influentiæ et vigoris qui cernitur in frondibus, foliis, floribus et fructibus, prima est origo atque principium. Et ideo S. Bonaventura postquam fidem velut fundamentum esse dixisset: « Fides est sicut funda« mentum ad sustinendum, » protinus subjungit: « Sicut enim videmus, quod natura quando vult « producere plantam, primo ponit radicem; simili« ter quando domificator facit domum, primo ponit « fundamentum; similiter in moralibus, si aliquis « vellet ædificare bona opera, debet supponere « fidem, quæ est totius spiritualis ædificii funda« mentum. » S. Cyrillus Alexandrinus similiter ad radicem alludens, ad nostrum propositum, inquit: « Radix virtutis est omnis Dei cognitio, et pietatis « fundamentum est fides. » Quod idem forsitan S. Bernardinus Senensis dicere voluit, quando in quodam sermone de hac virtute ait: « Fides prima et « initialis est inter omnes virtutes, et quasi capi« talis honorificentia summi Dei. Ipsa nempe caput « humanæ mentis, id est, intellectum, ad adoran« dum et venerandum Dei altissimam Majestatem, « primum incurvat atque inclinat. » Quia sicut S. Apostolus, II *Cor.*, X, 5, ait: *Per fidei captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.*

Versus 49.

Dixit ad eum regulus: Domine, descende, priusquam moriatur filius meus.

Dixit ad eum regulus.

1. — Notandum hic est, quod, postquam propter petita miracula et prodigia reprehensus fuit, ne verbum quidem in sui excusationem, ipsum protulisse constet; imo absque eo, quod animo linqueretur, majori cum ausu, priorem supplicationem repetiit; et qui prima vice rogabat eum, ut descenderet, nunc per imperium Christum aggreditur, verbis imperativis ipsi dicendo: *Descende.* Aliqui credunt, regulum hunc ob filii agoniam vehementi passione correptum, non applicuisse animum ad id, quod benignissimus Redemptor ei exprobraret; vel etiam dicere possumus, ipsum hanc reprehensionem prudenter dissimulasse, sicuti in simili occasione Chananæa fecerat, quando Christum audivit sibi dicentem, *Matth.*, XV, 26: *Non est bonum sumere panem filiorum et dare canibus.* Videtur etiam, quod

regulus hic modum divinas a Deo gratias petendi, sancta quadam cum perseverantia et importunitate didicerit; sic enim apud S. Lucam, XI, 8, hac de re dicitur : *Et si ille perseveraverit pulsans, dico vobis, etsi non dabit illi surgens, eo quod amicus ejus sit, propter improbitatem tamen ejus surget et dabit illi, quotquot habet necessarios.* Salmeron quoque in paulo ante dicta opinione fuit, quod scilicet regulus in illa tristitia et perturbatione animi positus, ad dicta sibi a Christo verba minime reflexerit : « Regulus non « attendit ad Christi verba, multum enim domina- « tur affectus animi et perturbatio, quæ non dat « locum prædicationi aut correctioni. »

Descende.

2. — Lyranus hanc regali repetitam petitionem, ut Christus in Capharnaum descenderet, devotionis fervori potius quam diminutioni fidei attribuit : « Non reprehendit eum de petitione salutis filii « sui, sed de defectu fidei suæ; verumtamen quia « ex devotione repetit petitionem suam, dicens : « *Domine, descende,* ideo exauditur a Christo. »

3. — Dionysius Carthusianus ex his verbis imperfectionem fidei ipsius deducit, non solum quia corporalem Christi præsentiam ad filium sanandum necessariam esse sibi persuasit, verum etiam quia Christum post mortem eum in vitam revocare non posse existimavit; ideo enim Christi descensum accelerare petiit : *Descende, priusquam moriatur.* Unde Rupertus Abbas regulum eodem modo Christum allocutum fuisse dicit, sicut si expertum aliquem alloqueretur medicum : « Quid aliud perito « diceret medico regulus iste? medico, inquam, qui « cum sit homo et non Deus, opus habet per semet- « ipsum ad lectulum ægri accedere, et tam visu « oculorum, quam tactu venarum genus morbi « dignoscere et secundum morbum antidotum dare; « illo enim differente, *Domine, descende,* inquit, « *priusquam moriatur;* videlicet non credebat, quod « ab illo resuscitari posset, si moreretur. »

4. — Sacri expositores bene notant, imperativum hunc loquendi modum, *descende*; jam enim consuetudinem habebat præcipiendi; sic enim et Naaman, licet a lepra sanari opus haberet, quia tamen Elisæus non cum debita reverentia et obsequio ei occurrerat, iratus denuo ad suos reverti decreverat, nisi furor ejus a bonis et prudentibus ipsius consiliariis mitigatus fuisset. Jansenius in eo, quod S. Joannes statum et conditionem hujus hominis expresserit, mysterium aliquod latere existimat; dicit enim : « Videri potest Evangelista ob id « viri hujus potentiam insinuasse, ut indicaret cau- « sam, quare ausus fuerit petere, ut Christus secum « in Capharnaum per tam longum iter descende- « ret, nimirum quod divitibus et potentibus, ob « suas divitias nihil videatur denegandum. »

5. — Multorum hujus temporis error est, quod Deo modum præscribant, quo malis ipsorum remedium dare debeat; sufficisset enim, quod ei pro sanitate filii supplicasset, cæterum modum ei præscribere non debebat, ut scilicet in domum ejus, idque cum sollicitudine descenderet; semper enim in petitionibus nostris, in divinum ejus beneplacitum nos remittere debemus : *Revela Domino viam tuam, et spera in eo, et ipse faciet. Psal.* XXXVI, 5. In vita S. Thomæ Cantuariensis legitur et speciatim a S. Bernardino Senensi refertur quod dum sanctus hic Archipræsul infirmum quemdam sanitatem sibi a Deo restitui postulantem subito sanasset, idem ægre postea se reflectens, quod in hoc se divinæ voluntati non conformasset, id est, sanitatem sub ea conditione a Sancto sibi restitui non postulasset, si id animæ suæ expediens foret, eumdem Sanctum denuo adiens, cum limitatione prædicta sanitatem petiverit, morque pristina eum infirmitas reinvaserit. Regius Vates optimum nos modum docet, quo res temporales vel liberationem ab infirmitatibus, vel aliis similibus adversis a Deo petere debeamus; dicit enim, *Psal.* CXII, 3 : *Effundo in conspectu ejus orationem meam et tribulationem meam ante ipsum pronuntio; tu cognovisti semitas meas.*

Priusquam moriatur.

6. — Dionysius Carthusianus ex hac reguli sollicitudine insigne elicit documentum, quo Prælatos Ecclesiasticos instruit et adhortatur, ne minorem spiritualis commissarum sibi, suæque fidelitati et directioni concreditarum animarum salutis curam gerant, quam hic regulus corporeæ sanitatis filii sui : « Sic quilibet bonus Prælatus, » inquit, « si « quem subditorum suorum conspexerit aliquo vitio « inquinari, pro illius curatione debet permaxime « sollicitari, eumque corripiendo, hortando, in- « struendo, comminando, corrigendo pro posse « sanare. »

7. — Advertendum denique, regulum domi non subsistere usque ad filii mortem, cum præsumptione et fiducia consequendæ postea miraculosæ filii a mortuis resuscitationis, sed quantum potest, ne moriatur, facit et prævenit; in quo præclarum nobis spirituale documentum exhibetur, quod scilicet nunquam per propriam voluntatem, medio peccato, animæ nostræ morti cooperari debeamus, cum fiducia resurgendi postea, beneficio divinæ misericordiæ; omnibus enim et singulis intentatum est severe : *Maledictus, qui peccat in spe*; unde apposite ad rem nostram hoc nobis consilium tradidit S. Fulgentius : « Nullus hominum debet sub spe miseri- « cordiæ Dei, in suis diutius remanere peccatis, » multo minus eadem cum simili spe et præsumptione perpetrare, « cum etiam in ipso corpore nemo velit, « sub spe futuræ salutis, diutius ægrotare. » Nemo profecto prudens corporalem se ultro conjiciet in mortem ex eo, quod media divina omnipotentia se

speraret resurrecturum; quanta igitur est præsumptio animam occidere, eam mediante misericordia divina revivificandam et in gratiæ statum reducendam fore? quanta temeritas et divina frui pietate, ut tanto in flagitiis audaciores atque animosiores inveniamur.

Additiones.

a. — *Descende priusquam moriatur filius meus.* Valde insipienter dixerat regulus, quod Dominus descenderet, antequam filius ejus obiret. Tamen Dominus hujusmodi insipientiæ non attendens, miseretur et puero dat sanitatem. Quod ponderans D. Cyrillus, *l.* II *in Joan.*, ait : « Non imperitiam in « omnibus nostram Christus respicit, sed, ut Deus, « etiam peccatoribus auxilium affert. » Et de hac insipientia hic eum Deus non reprehendit, sicut antea fecerat ad primam reguli petitionem : *Nisi signa et prodigia videritis, non creditis*; exemplum dans Prælatis quia non semper reprehensionibus instandum est. Correctio enim cum discretione instituenda est, et diligenter observanda temporis opportunitas. Correctio autem nimis severa, rigida et indiscreta, impium hominem in desperationem sæpenumero indigit, ipsumque in erroribus suis magis efficit arrogantem, obstinatum et inverecundum. S. Thomas Doctor Angelicus ait, II, II, *quæst.* XXXIII, *art.* I : « Admonitio est actus charitatis prin- « cipaliter quasi imperantis, prudentiæ vero secun- « dario quasi exequentis et dirigentis actum. » Et ideo ad correctionem, non solum ex motivo charitatis procedendum est, verum etiam per dirigentis prudentiæ magisterium. Nimirum æqua trutina ponderandum est tempus, locus, qualitas personarum, occasio modus, aliæque similes circumstantiæ exacto libramine sunt attendendæ. S. Antonius de Padua idipsum apta similitudine explicat, desumpta ab eo, qui zizania eradicare volens, culpa sua simul eradicat triticum, qui utique eo ipso insignem meretur pœnam. « Est autem advertendum, » inquit Sanctus, « vel cavendum, ne dum corrigens « vult evellere zizania, incauto zelo simul virtutes « evellat, quia tunc non præmiabitur ut corrector, « sed punietur et condemnabitur ut destructor. » Cujus figuram adducit ex illis Exodi, XXII, 6, verbis : *Si egressus ignis invenerit spicas, et comprehenderit acervos frugum, sive stantes segetes in agris, reddet damnum qui ignem succenderit.* « Ignis zelus est, » inquit Sanctus, « qui cum distractione quasi ignis « zizania succendit discrete, cum corrigit vitia; « sed dum indiscrete correptionis ignem succendit, « tunc granum virtutum spargit. »

Non semper tempus est reprehensionis tractandi ferulam. Aptior in hac materia adduci non potest similitudo quam sit illa quæ a medicina desumitur. Etenim his ad quos spectat alios corrigere, munus quoque incumbit sanandi animarum vulnera et spirituales infirmitates; medicinæ autem non quavis hora infirmo porriguntur, neque dum febris in maximo suo ardore flagrat, sed ad illas ministrandas tempus congruum expectatur. « Advertendum, » inquit S. Antonius de Padua, quod servanda est cautela, ut non nimis exasperes, « illum, quem « corripis, maxime quando scis eum impatientem « et furiosum esse. Exemplum dicunt medici, quod « quando materia furiosa prorumpit in aliquod « membrum, non debet ipsi imponi repercussura, « ne sic materia ad interiora trahatur, et sic inter- « ficiat hominem, lædendo cor et membra vitalia, « nec sit asperrimus, sed potius lenitiva. » S. Bernardinus eamdem facit observationem, dum inter alias circumstantias, quas corrigens advertere debet, hanc quoque observandam esse dicit : « Tertium « vero quod requiritur, est opportunitas temporis, « id est, quod sit spes, quod non habeat majorem « opportunitatem temporis ad corripiendum fra- « trem; » citatque S. Augustinum, *lib.* I *de Civ. Dei, c.* IX, dicentem : « Si quis præterea objurgan- « dis, corripiendisque male agentibus parcit, quia « tempus opportunum quærit, non videtur occasio « cupiditatis, sed consilium charitatis. »

b. — Notandus est hic modus loquendi imperativus : *Descende*; jam enim consuetudinem habebat regulus præcipiendi, sed Deo non est ita loquendum; semper enim, petitionibus nostris, in divinum ejus beneplacitum nos remittere debemus. Quidquid nobis expediat longe melius nobis agnoscit. Æstimat sæpe infirmus utile quod ut noxium contra, medicus altiori scientia sanxit; ut quod est utile, aut minus lædens, conferat, denegat quod delectat. Porro voluntas nostra pro fine et objecto suo bonum habet, quia tamen concupiscibilis rationalem sæpe obfuscat, ideo potius ea quæ delectationem, quam quæ profectum spectant, postulamus; quando igitur Deus nobis concedit id quod huic expedit, utique dat nobis quod volumus, licet neget quod postulamus. Blosius ait : « Omnino dabit quod « petis, si expediat ut accipias; si vero illud non « conducit, dabit aliud quod conducat. Novit « quando, novit quatenus tuæ petitioni satisfacere « debet. Dum ex infirmitate humana postulas, quæ « utilia non sunt, absit ut donet quæ petis. Quando « tale aliquid desideras, quod utrum illi placeat, « ignoras, hoc, aut consimili modo orare disce : « Domine si tibi placet, si expediat ut id fiat, fiat. « Si vero non tibi placet, si non expedit, non fiat. » D. Chrysostomus in homilia de oratione, ad nostram consolationem ita scribit : « Aliquando non dat, ac « utrumque quidem utiliter, adeoque sive accipias, « sive non accipias, acceperis tamen dum non « accepisti; et sive impetres, sive non impetres, « impetraveris tamen, dum non impetrasti, non- « nunquam enim non accepisse utilius est. » Similis doctrina in *Epist.* CXX *ad Honorat.*, S. Augustini

in hæc verba legitur : « Sive consequamur quod « petimus, sive non consequamur, sed et si repul- « sam passi fuerimus. Nam cum Deus nobis aliquid « negat, non minus est quam si concessisset. Nesci- « mus enim nos quæ nobis conducunt, sicut ipse « novit. »

c. — Dominus rogatur a regulo, ut descendat in domum suam; ad eam tamen accedere noluit. A Centurione autem rogatus, ut dei sanitatem servo, in domumque suam ne descendat, tamen ad ejus domum statim se confert. Causam dat D. Augustinus, *tract.* XVI : « Videte, » ait, « distinctionem. » Regulus iste Dominum ad domum suam descen- « dere cupiebat. Ille Centurio indignum se esse « dicebat. Hic cessum est elationi; illic concessum « est humilitati. » Regulus superbia inflatus imperiose dicebat : *Descende antequam moriatur filius meus.* At Centurio magna humilitate se indignum fatebatur, ut Dominus in domum suam veniret, et quod superbiæ ac elationi denegatur, humilitas ac submissio obtinet et impetrat. In Exodo, III, 9, legitur, quod Deus Moysi in Madiam greges Jethro soceri sui pascenti apparuerit in medio rubi ardentis et tamen incombusti manentis; quem rubum videns : *Abscondit Moyses faciem suam, non enim audebat aspicere contra Deum.* Quam vero existimatis fuisse causam, quod Moyses suos ad Deum oculos erigere ausus non fuerit? Interpres quidam modernus ait : « Cum abscondisset Moyses faciem suam ex humili- « tate, tunc Dominus revelavit faciem suam, pariter « et secreta opera sua, quæ facturus erat. » Tunc quoque in generalem populi sui ducem illum elegit, perpetuamque assistentiam suam ei promisit, et in divinorum secretorum suorum penetralia introduxit. S. Gregorius in quadam homilia super Ezechielem, textum illum Psalmistæ, *Psal.* LXXXV, 6 : *Ascensiones suas disposuit in valle lacrymarum*, exponens, inquit : « Convallis proprie humilis locus « est, et peccator quisque, dum se in lacrymis « humiliter affligit in corde, per ascensum virtutis « proficit; qui rursus ait : *Emittet fontes in conval- « libus*, quia omnipotens Deus dona spiritualis « gratiæ humilibus præstat. » S. Bernardus, *Serm.* XXXIV *in Cant.*, sic ait : « Quia nisi humilitatis « merito, maxima minime obtinentur, propterea « qui provehendus est, correptione humiliatur; tu « ergo cum te humiliari videris, habeto id signum, « in bonum omnino argumentum gratiæ appropin- « quantis. »

d. — Regulus superbia inflatus, divitiis et nobilitate fretus, imperiose dicebat : *Domine, descende.* Dominus autem superbis resistit eosque aversatur et odit. S. Ambrosius, *Serm.* VII *in Psal.* CXVIII, ait : « Quid hoc peccato potest esse deterius, quod a Dei « cœpit injuria? Ideoque Scriptura dicit : *Dominus « superbis resistit.* Tanquam suæ contumeliæ pro- « pulsator, veluti quoddam suscepit adversus super- « biam speciale certamen, tanquam dicat : Meus « iste adversarius est, qui me lacessit; mihi debe- « tur ista congressio. » Ubi nostra Vulgata legit in Isaia, XXVIII, 1 : *Væ coronæ superbiæ*, legunt Septuaginta : *Coronæ injuriæ*, quia superbi Deo inferunt injurias, et male quoque tractant homines; ideoque Deus illos deprimit et humiliat. In campo Sennaar conventio fuit superborum istorum gigantum, ut turrim Babel erigerent et ædificarent; at quanta cum facilitate Deus eorum confudit superbiam? « Confusi sunt, » ait Episcopus Bellovacensis, « quoniam Deus sprevit eos, sicut illi qui volebant « contra Deum ascendere, ædificantes turrim Baby- « loniæ. » Et Hugo Cardinalis : « Turris Babel, » inquit, « superbia mundi, quæ contra Deum erigi- « tur, sed confusa dejicitur. » Legimus in S. Bernardino Senensi, *Serm.* XI, *art.* 1, cui titulus : *De peccatis propter quæ exterminabitur mundus*, sequentia : « Tria sunt peccata Deo horrenda, propter quæ « contra rationalem creaturam irascitur Deus : « Superbia scilicet, qua offenditur Deus per spiri- « tum; luxuria, qua offenditur Deus per corpus; « avaritia, qua offenditur Deus per temporalem « substantiam. » De his peccatis, I *Joan.*, II, 16 : *Omne quod est in mundo aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ.*

Deo quoque exosus est superbus ex alio capite, quia benefactori suo ingratus est. Ignis superborum symbolum et signum est, quia sicut ignis natura sua semper ascendit in altum, ita de hoc vitio cecinit Propheta, *Psal.* LXXII, 23 : *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.* Ad eum plane modum quo ignis nunquam saturatur quacumque materia combustibili, ita superbus nunquam satiatur. Quid mirum igitur, quod superbus, qui Deum spernit, despicit et odio habet, Deo pariter odiosus et execrabilis, ac detestabilis sit, ac proinde constringatur Deus ipsum deprimere, et humiliare?

e. — Dominus noster rogatus a regulo, noluit tamen ad ejus accedere domum; et ita nos docet, quod homini benefaciendum sit, et ipse æstimandus non propter terrenam dignitatem, sed ob imaginem sui Creatoris quam portat.

Versus 50.

Dicit ei Jesus : Vade, filius tuus vivit; credidit homo sermoni, quem dixit ei Jesus, et ibat.

Dicit ei Jesus : Vade.

1. — « Ad filium reguli non vadit, » inquit Glossa, « ne divitias honorare videatur; ad ser- « vum Centurionis ire promittit, qui naturam ho- « minis non despicit; in quo superbiam destruit, « quæ in hominibus non pensat naturam, sed quæ « extra patent. » Dionysius Carthusianus aliam, quare Christus domum reguli in persona non adierit, rationem insinuat, dicens : « Ad filium reguli ire « noluit, non utique ex contemptu personæ, sed « ut doceat nos, quia alia sunt judicia Dei, atque « alia hominum, et ut potius pensemus in homini- « bus naturam, qua ad imaginem Dei facti sunt, « quam temporalia bona. » Imo Christus semper se pauperibus benevolentiorem, magisque gratiarum suarum dispensatione se iis partialem præstitit, quam opulentis; unde S. Cyprianus inquit : « Pau- « peres electi, superbi neglecti; Christus pauper « discipulos suos divites aspernatur; pauper mater, « pauper filius, inops hospitium his, qui in forma « scholæ hujus, in Ecclesia militant, præbent effi- « cax documentum. » Auctor Imperfecti, *Hom.* XXII, similiter causam assignat, quare Christus ad reguli ædes rogatus ire noluerit, quemadmodum alias ad Centurionis servum adeundum se promptum obtulerat : « Illic cum rogaretur, noluit ire, ne forte « personam reguli videretur aspicere; hic autem « non rogatus promisit ire, ne videatur humilita- « tem contemnere; » at vero Jansenius auctoritatem D. Chrysostomi secutus scribit : « Quoniam « in negotio Centurionis fides erat confirmata, « idcoque promisit se iturum, ut per prohibitionem « Centurionis, fides ejus et devotio manifestaretur; « hic autem regulus adhuc imperfectus erat et « nesdum noverat, quod absens eum curare posset; « unde id addiscere debuit, per id quod non acce- « dit Dominus; » repulsam proinde, quem passus est regulus, ei convertit in beneficium, siquidem filium in illa distantia procul sanando, patrem cum tota familia, in divinitatis suæ fide stabilivit; hæc etiam mens est Theophylacti, dicentis : « Pueri « quidem sanavit febrem, patris autem incredulitatem. » S. Cyrillus Alexandrinus pariter inquit : « Duos iisdem verbis Salvator curavit; nam et ani- « mam reguli ad fidem induxit et a corporis morbo « adolescentem eripuit. » Quod si, ut rogatus fuerat, personaliter in domum reguli concessisset, reguli incredulitas majus fomentum accepisset, juxta illud Lyrani : « Non enim voluit Christus ire cor- « poraliter, ut amoveret ab eo falsam æstimatio- « nem, qua putabat ipsum posse sanare tantum « præsentia corporali. »

Filius tuus vivit.

2. — Rupertus Abbas ait : « Hoc unum idemque « dictum et vera de præsentibus prophetia et im- « perium vitæ est. »

3. — Dionysius Carthusianus hæc verba de corporis pariter et animæ vita intelligenda esse dicit, ut sit sensus : « *Filius tuus vivit* vita naturali et « convenienti, imo et vita gratiæ. »

4. — Cajetanus observat, Christum non dixisse in tempore futuro, *vivet;* sed in præsenti, *vivit* : « Non dicit : *Vivet*, sed *vivit*, ut præsentia potentiæ « ejus in Capharnaum, in lectum ægritudinis filii « significetur; minusque dicit, quam significet, « nam dicit, *vivit*, et significat, sanus est. »

5. — Lucas Brugensis hujus boni patris supplicam duo in se capita comprehendisse observat; quorum primum erat, ut personaliter in domum ejus descenderet, secundum vero, ut agonizanti filio redderet sanitatem : « Prius negat, dicendo : « *Vade*, ne, si annueret, et cum regulo descen- « deret, pravam illius opinionem firmaret, existi- « mantis, ipsi Jesu ad sanandum opus esse præsen- « tia; alterum concedit, dicendo : *Filius tuus vivit*, » utrumque vero ingens beneficium exstitit, quia etiam primæ petitionis negatio, gratia fuit et quidem incomparabiliter major quam secunda. Pergit idem auctor et dicit : « Iis verbis non tantum re- « velat, quomodo agatur cum filio ipsius longe « absente, verum etiam facit id, quod dicit, et « summa cum majestate, quæ a nullo alio depen- « deret. » Toletus nos ad admirandam Verbi incarnati sapientiam et benignitatem his verbis invitat : « Perpende sapientiam Christi, si descenderet et « sanasset, adhuc reguli fides infirma mansisset, « credidisset enim, sua præsentia illum sanasse, « neque tamen potuisse absentem sanare; porro si « non sanasset nec descendisset, quam conceperat « fidem amisisset : sanat ergo, ne modicam, quam « habebat fidem, amittat; non autem descendit, « ut fides ejus perficiatur, credatque etiam absen- « tem sanare potuisse, et hac via, et morbo filii, et « patris infidelitati medetur. »

6. — Christus Dominus occasionem habens, ut regulo huic, ob modicam ejus fidem qua ipsum non Deum, sed hominem agnoscebat, nec non ob contumaciam, in non confitendo errore suo post adhibitam illi reprehensionem, graviter indignaretur, id tamen facere omittit, quia potius omnibus illis defectibus per divinarum gratiarum suarum abundantiam respondet, siquidem moribundo salutem confert; ipsi vero filio et omnibus numerosæ familiæ suæ, qualem ipsum utpote amplissimæ civitatis gubernatorem et virum in dignitate positum habuisse verisimile est, salutem æternam clementer contulit, siquidem sacer textus dicit : *Credidit ipse et domus ejus tota*; unde Cyrillus Alexandrinus ait : « Nostram imperitiam Christus non rejicit, « quin peccantes etiam beneficiis afficit ut Deus. »

7. — Cardinalis Toletus considerat, quod, ex quo ad sanandam spiritualem patris infirmitatem, Christus reprehensionem suam nihil profecisse vidit, aliud remedium adhibendum esse censuerit : « Cle- « mentissimus humanæ salutis medicus, » inquit, « oblatum medicamentum nihil profecisse videns, « alterum adhibet et quem reprehensionem non « sanavit, beneficio convertit; » enimvero tametsi prima facie videri possit, verba illa : *Filius tuus vivit*, in singulari numero de filio intelligi, nihilo-

minus licet pater et filius una et eadem persona censeantur, illorum se virtus ad ambos patrem scilicet et filium transfundit; unde Toletus egregium pro Prælatis elicit dogma : « Exemplum iis, qui sa-« lutis animarum curam gerunt, præbet, ut multis « ac variis modis hominem alliciant. »

8. — Regulus solam filii sui sanitatem postulaverat, Salvator autem insuper tam ipsi, quam toti familiæ ejus, salutem æternam indulsit : « Quia « abundantia pietatis suæ, merita supplicum exce-« dit et vota; » similiter quando ob filii sui agoniam, domum suam susque deque vertendam; seque per asperam Christi reprehensionem ab eodem penitus repudiatum censere poterat, majoribus se favoribus et gratiis præventum et in summo prosperitatis apice sublimatum conspicit; siquidem *credidit ipse et domus ejus*; unde Salmeron ait : « Etsi duriusculis verbis objurgaverit regu-« lum, præstat tamen, quod rogavit, cum iratus « fuerit, misericordiæ recordatur. » Josephus Hebræus retert, cum Philo Judæorum legatus, a Caio Imperatore cum furore rejectus fuisset, ipse ad ad suos conversus dixerit : « Nos oportet bono « animo esse, quando Caius iratus est, nunc enim « Deus nobis contra illum aderit. » Simili modo, quando in Davidem, persecutionum et adversitatum sagittæ copiosissime immittebantur, tunc ille divinam manum in sui defensionem quam maxime propriam sibi futuram esse sperabat, *Psal.* LXXVII, 3 : *Sagittæ tuæ infixæ sunt mihi et confirmasti super me manum tuam.*

Credidit homo.

9. — Dionysius Carthusianus vocabulum *homo* ponderans, scribit : « Jam merito regulus appella-« tur *homo*, id est, rationabiliter agens, cum credit « Christo et voci ejus obedit, eundo non solum « gressibus corporis, sed et mentis profectu ab im-« perfecta fide ad perfecta proficiens. »

10. — Hugo Cardinalis ait : « Jam incipit cre-« dere, quod sermone sanet et sic meruit ille « salutem filio; » citat tamen auctoritatem D. Chrysostomi et S. Augustini existimantium, quod nec tunc quidem fidem perfectam habuerit; siquidem paulo post scire voluit horam recuperatæ salutis : « Scrutatus est horam, utrum a casu, vel ab ipso « Jesu facta sit sanitas, sed tamen ibat confidens, « quod sanatus esset filius, libenter enim credit « homo, dum sibi dicitur quod cupit. »

Sermoni, quem dixit ei Jesus.

11. — Toletus declarat, quo modo crediderit, sensum horum verborum : *Credidit sermoni*, examinando; dicit enim : « Advertendum, hunc hominem « credidisse quidem sermoni Christi quod vera nar-« raret, non tamen quod ipse causa esset sanitatis, « et sanum fecisset tali verbo filium, sed quasi « annuntiasset salutem filii, et incolumitatem futu-« ram, ut solemus dicere de infirmo : erit salvus, et « non morietur. »

12. — Cajetanus pariter hanc a regulo obtentam gratiam non merito fidei ipsius attribuit, sed illam ei sine merito collatam fuisse censet, sicut et donum fidei et notitiæ Christi : « Quamvis immeritus con-« secutus est non solum beneficium sanitatis filio, « sed donum fidei sibi ipsi. »

13. — Salmeron Christi notat liberalitatem, qua benefaciendo nobis superabundat : « Pius dedit, « quam peteretur; dedit enim sanitatem filio in « absentia et fidem patri; » quam eamdem Glossam S. Cyrillus Alexandrinus diu ante tradiderat dicens : « Salvatoris mandatum duas salvat animas; in re-« gulo quidem insolitam fidem operatur et ex cor-« porea morte adolescentulum eripit; » moxque dubium movet, uter eorum primus beneficium acceperit, an pater, an filius? « Uter autem prior « sanetur, difficile dictu est; » ambo enim, ut reor, eodem tempore, Salvatoris nostri jussu, morbo soluto sanari fuerunt.

14. — Salmeron efficaciam stupet sermonis divini, inquiens : « Uno verbo sanavit patrem et « filium; » quæ vox ut suam operaretur efficaciam et virtutem, regulus aures aperuit, sed cordis potissimum, ut namque S. Joannes inquit : *Credidit homo sermoni, quem dixit ei Jesus.* Neque enim Deum ad cor nostrum loqui sufficit, nisi nos illud ei loquenti ex parte nostra aperiamus. De Lydia in Actibus Apostolicis, XIX, 41, legitur, quod sonora illa Spiritus Sancti tuba insonante : *Quædam mulier nomine Lydia, colens Deum audivit, cujus Dominus aperuit cor, intendere his, quæ dicebantur a Paulo; cum autem baptizata esset;* ecce tibi fructum quem illa percepit, dum verbum divinum a S. Paulo prædicatum auscultavit, eique fidem præbuit, inde enim baptismus ejus consecutus fuit. Similiter in casu nostro observandum est, quod fides, quam regulus verbo Dei adhibuit, suam, filii, et totius domus conversionem reportarit : *Credidit ipse et domus ejus tota.* Evidentissimum namque prædestinationis nostræ signum est, si verbum Dei prono et cupido animo auscultemus : *Qui ex Deo est, verba Dei audit.*

15. — Joannis, *cap.* V, 21, 23, Verbum incarnatum protestatur dicens : *Sicut pater suscitat mortuos, et vivificat, sic et filius quos vult, vivificat. Amen, amen, dico vobis, quia qui verbum meum audit, et credit ei, habet vitam æternam;* sic enim verbum Christi moribundo filio sanitatem perfectam restituit et universæ hujus Principis aulæ vitam contulit et salutem æternam. *Credidit ipse et domus ejus tota.* Hanc divinæ vocis efficaciam Centurio illo Capharnaita bene intellexit, ideo Christum, ad servum ejus sanandum personaliter recipere volentem, moratus est se opponendo et dicendo : *Dic tantum verbo et sanabitur puer meus.* Cornelius a Lapide hoc servi

Centurionis miraculum, post sanatum reguli filium accidisse opinatur, ideoque ipsum eorum, quæ regulo in hac occasione acciderunt perfectam habuisse notitiam, verisimile esse dicit. Cum igitur Seneca tradat : « Felix sapientia, quæ ex aliorum insipien-« tia dicitur, » credibile est, Centurionem, cognito reguli errore, prudenter dixisse ad Christum, quod etiam procul solo verbo, unico voluntatis actu, sanare posset absens, proindeque minime necessarium esse, ut laboriose se in ædes ejus reciperet, cujus se præsentia indignum judicabat.

Et ibat.

16. — S. Antonius de Padua ex hoc verbulo sequens elicit documentum morale : « Nota, quod « prius dicit, *credidit*, et postea *ibat*, quia prius est « corde credere et postea ire opere; » significat autem iter istud continuum in virtutibus progressum, juxta quod scriptum est, *Psal.* LXXXIII, 7 : *Ibant de virtute in virtutem;* et Apostolus pariter suos neophytos Ephesios, lumine Evangelii illustratos, commonefacit, dum ait, *Eph.*, V, 8 : *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, ut filii lucis ambulate; fructus enim lucis est in omni bonitate et justitia et veritate.*

Additiones.

a. — *Vade, filius tuus vivit.* Personant passim Scripturæ, ut pudor sit, loca referre, nemini non nota, in quibus Christus dicitur humanarum ægritudinum, præsertim peccati, quod lethalis morbus est, et tanto medico indiget, curator. Æstuet licet in anima fervor irarum, licet ardeat avaritiæ et invidiæ febris, etsi luxuriæ flamma imas depascatur medullas, et mortis periculo demergatur homo, peritus animarum sanator Christus Jesus, levis attactus et vel unius rationalis verbuli pharmaco sistit ægritudines, et remedia facit immedicabili morbo. Pulchre Clemens Alexandrinus, *l.* I *Pædag.*, *cap.* II, fatur : « Verbum paternum solus est huma-« narum ægritudinum pæonius medicus et sanctus « ægrotæ animæ incantator. » Dicitur ergo Christus pæonius medicus, id est, medicus adeo peritus arte et ratione medendi, ut arrogantem superbiam, intestinam invidiam, incredulitatem, etc., quæ sunt dæmonum vitia, imo mortiferam lasciviæ incendium, quod hic juvenis obumbrat, et cæteras animi pestes, et corporis contagia, efficacissimo pharmaco, uno scilicet verbo rationali curet. Saluberrima enim medicina ad salvandas animas verbum Dei est.

Salomon in libro Sapientiæ, XVI, 11, 12, hanc memorat verbi Dei specialissimam virtutem, quod scilicet animabus infirmis afferat salutem. En verba ipsius : *In memoria sermonum tuorum exterminabuntur, et velociter salvabuntur, ne in altum incidentes oblivionem, non possent tuo uti adjutorio. Etenim neque herba, neque malagma sanavit eos, sed tuus, Domine, sermo qui sanat omnia.* Et ideo S. Petrus cœlesti Magistro suo dixit : *Verba vitæ æternæ habes.* Porro vulnera, indispositiones et morbi animæ, vitia sunt, peccata et inordinatæ passiones illius; quibus curandis Deus divinum verbum suum velut antidotum et medicinam providit. Idem Sapiens, in capite VII ejusdem libri, ait : *Multitudo sapientium sanitas orbis terrarum.* Per hos autem sapientes, Albertus Magnus Prædicatores Evangelicos intelligit, inquiens : « Multitudo sapientum, hoc est mul-« titudo Prædicatorum. » Quod si quis multorum fidelium penetrare posset conscientias, eas utique pro majori parte misere infectas, magnoque remedio indigentes inveniret. Salvator autem noster, quando impiorum conversioni, per divinam vocem suam, procurandæ erat intentus, medico cuidam se comparavit. Proprium autem est medicorum, mala, complexiones, vires, habitudines eorum, quos curandos habent, prudenter discernere, ac demum remedia convenientia adaptare. Idem pariter observandum est a spirituali infirmarum animarum medico. Debet enim unicuique, juxta particularem cujusque indigentiam, convenientia et proportionata subministrare documenta.

S. Bonaventura, super illa verba Psalmistæ, *Psal.* CXVIII, 9 : *Ut custodiam sermones tuos*, egregias quasdam a verbo Dei dimanantes recenset utilitates, inquiens : « Sermones Domini libenter audire « debemus propter tres speciales effectus, utpote « quæ sanant, vim scilicet concupiscibilem; illu-« minant, vim scilicet rationalem; armant, vim « scilicet irascibilem. » Ubi observandum est, quod effectui sanativo primum locum attribuit.

b. — Theophylactus hæc verba : *Vade, filius tuus vivit*, exponens, ait : « Vide quid dicat ad illum « Dominus : *Vade, filius tuus vivit;* hoc est, ne sis « immobilis ad bonum, sed vade, incessabilem « motionem ostende ad bonum, tunc enim filius « tuus vivet. Si autem quieveris, non ambulans, « morietur plane mens tua, eo quod ad bonum « te non promoveris. » Jubet Dominus eum ire, hoc est, ab imperfecta fide ad bonam, et consummatam fidem. In via enim virtutis Christiano nulla meta contuenda est, sed semper de die in diem in virtutibus ultra progrediendum. Inter alias beatitudines, hæc quoque recensetur : *Beati qui esuriant, et sitiunt justitiam.* Clarum est autem quod nomine justitiæ, in multis Scripturæ locis perfectio, omnisque virtutis professio intelligatur. Ac proinde Christus illos specialiter nominat beatos, qui magna cum aviditate, quotidie magis magisque sancti fieri desiderant. Et vero hæc beatitudo, ut S. Bernardus observat, valde convenit cum illo quod Sapiens ait : *Qui edit me, adhuc esuriet, et qui bibit me, adhuc sitiet.* Salvator noster non ait : *Beati, qui esuriunt* humilitatem, obedientiam, castitatem; sed : *Qui esuriunt justitiam;* quia a nobis non unam

duntaxat virtutem, sed omnium virtutum cumulum desiderat. Præterea notandum est, Christum non dicere : *Beati qui* edunt, sed : *Qui esuriunt*; quia hæc est differentia inter famem alicujus cibi, et inter cibum quem de facto deglutivimus, quod hic nobiscum uniatur, fiatque nobiscum una et eadem res, cum tamen fames solum sit appetitus quidam et desiderium cibi. Deus autem optime novit quod ob fragilitatem nostram, admodum sit nobis difficile animam nostram cum omnibus virtutibus unire, ac proinde hoc nequaquam nobis præcipit, sed solum a nobis desiderium acquirendæ virtutis requirit; vultque ut idem adhibeamus studium, in ordine ad profectum in virtutibus, quod in procurandum corpori nostro cibum adhibemus. Ac proinde sicut hunc in finem quotidie magnam diligentiam adhibemus, ita quoque a nobis requirit ut in actibus virtuosis et perfectis, nos continuo exerceamus.

Versus 51.

Jam autem eo descendente servi occurrerunt ei, et nuntiaverunt dicentes, quia filius ejus viveret.

1. — Dionysius Carthusianus hujus servorum occursus perpendens, motiva eorum tria statuit; primo, ut dominum suum optato hoc nuntio recrearent : « Servi quippe optantes amari a dominis « suis, libenter annuntiant læta et prospera; » secundo, ut molestias in domino mitigarent itineris, accelerata filii recuperatæ salutis insinuatione; tertio, juxta Origenis traditionem : « Quoniam filio « jam sanato, putabant Christi præsentiam super- « fluam, quem cum regulo putabant venturum. »

2. — S. Antonius Paduanus sensum spiritualem secutus, ait : « Si descendis, occurrunt tibi servi; « nota ista tria; ipso descendente occurrunt servi et « nuntiant vitam filii; bonum ergo est descendere, « a quo? a monte; quo? in vallem, a superbia in « humilitatem. » Deinde quinam sint hi domino suo occurrentes servi, examinans, eos denominat sensus nostros, qui rationi subesse tenentur : « *Occurrerunt servi*, » inquit, « qui sunt corporis « sensus, qui rationi debent servire; si descendis, « servi tibi occurrunt, id est, obediunt; si enim « cor est humile, sensus corporis sunt obedientes, « ex humilitate oritur obedientia. »

Versus 52.

Interrogabat ergo horam ab eis, in qua melius habuerit, et dixerunt ei : Quia heri hora septima reliquit eum febris.

Interrogabat ergo horam ab eis, in qua melius habuerit.

1. — Lucas Brugensis hanc reguli interrogationem nequaquam ex fidei defectu præcessisse opinatur, inquiens : « Voluit horam scire non ex « incredibilitate, sed ex officio grati hominis, ut « certior fieret, an Jesus annuntiasset; fuerat enim « sermo Jesus anceps, ne dubitationi ultra relin- « queretur locus, casu ne an natura, non vero vir- « tute Jesu puer revaluisset. »

2. — Euthymius notat, quod, licet juxta Evangelistam regulus credidisse dicatur : *Credidit homo sermoni, quem dixit ei Jesus*, necdum tamen fidei perfectionem attigisse scribitur : « Nondum tamen « recte credebat et hoc manifestum est, eo quod « interrogaverit, quando ægrotantem reliquisset « febris; volebat namque discere, utrum casu, an « Christi jussu hoc factum esset. »

3. — Rupertus Abbas hæc verba ita interpretatur : « Videlicet scire cupiebat, utrum eodem verbo, « quo dixerat ei Jesus : *Filius tuus vivit*, eodem, « inquam verbo virtutis suæ salutem portasset, ut « ad filium febre fugata tam cito rediret. »

Et dixerunt ei : Quia heri hora septima.

4. — Albertus Magnus supra S. Joannis textum scribens, hanc ipsam horam cæteris periculosiorem fuisse tradit, utpote in qua infirmi assolent plerumque laborare deterius : « Quæ hora proxima est « post meridiem, » inquit, « hora quidem, in qua « omnis æger pejus habere incipit secundum natu- « ram, quia tunc sol a summo cœli incipit incli- « nare et cum declinatione solis omnis virtus ægri « incipit cadere et declinare. » Notanter igitur in hujus temporis circumstantia Christus desperatam filii salutem restituere voluit, ad docendum nos, cœlestem hunc protomedicum tunc nobis vel maxime vicinum esse, quando omni penitus destituimur auxilio humano, quis obsecro unquam præsumere potuisset, in gratiam recipiendos Mariam Magdalenam, Matthæum publicanum, Paulum persecutorem, Augustinum, latronem in cruce, totque innumeros alios, tunc præsertim, quando nulla superesse videbatur salutis apparentia?

5. — Idem quoque Albertus in quodam hujus Evangelii sermone, sequentem tradit prædictorum verborum Glossam : « Ad curationem seu sanatio- « nem spiritus sive animæ per peccatum in pecca- « tum infirmatæ, septem horæ requiruntur : Prima « hora est, quod homo recognoscat, quod a Deo sit « creatus; secunda, quod etiam sciat, ad quid sit « creatus; tertia, quod recolat, quæ a suo Creatore « mandata acceperit; quarta est, ut videat si contra « aliquod mandatum peccaverit; quinta est, ut « peccata utpote vilia detestetur; sexta, ut futuri « judicii attente memoretur; septima, ut pro pec- « catis suis intime doleat et conteratur. »

6. — S. Bonaventura in septem illis horis septem intelligit Spiritus Sancti dona, inquiens : « In « figura septiformis Spiritus, a quo est omnis « salus. »

7. — S. Thomas pariter numeri septenarii mysterium perpendens, eamdem cum S. Bonaventura doctrinam adducit, dum ait : « Mystice per horam « septimam, in qua puer a febri dimittitur, signi- « ficantur septem dona Spiritus Sancti, per quæ fit « remissio peccatorum; etiam per horam septimam « significatur tempus quieti conveniens; nam Do- « minus septimo die ab omni opere requievit, quod « patravit, in quo significatur, quod vita spiritualis « hominis in quiete spirituali consistit. »

8. — Hugo denique Cardinalis has septem horas septenis applicat mundi considerationibus, dicens : « Septem horæ septem mundi considerationes; « prima est consideratio brevitatis, secunda mutabi- « litatis, tertia infidelitatis, quarta dolositatis, quinta « malignitatis, sexta quod tibi adversatur, septima « quod tibi inimicatur. »

Reliquit eum febris.

9. — S. Bonaventura per hanc febrem peccatum interpretatur, inquiens : « Per febrem, in qua est « successio caloris et frigoris, significatur peccatum, « quod gignitur ex timore male humiliante et ex « amore male inflammante. » Ab hac febri genus humanum omni remedio destitutum, hora septima feliciter convaluit, quia Redemptor noster hora sexta in crucem suffixus fuit, in eoque patibulo tribus horis, priusquam exspiraret, agonizans hæsit, adeoque hora septima, quando *cum clamore valido et lacrymis exauditus est pro sua reverentia*, *Hebr.*, v, 7, *reliquit eum febris*, tunc enim peccatum abolitum, nostrumque debitum per divinam justitiam litura perpetua deletum fuit.

Versus 53.

Cognovit ergo pater, quia illa hora erat, in qua dixit ei Jesus : Filius tuus vivit; et credidit ipse, et domus ejus tota.

Cognovit ergo pater, quia illa hora erat, in qua, etc.

1. — Exactissime regulus hic horam notavit, in qua ei a Salvatore dictum fuerat : *Vade, filius tuus vivit*, id quod Rupertus Abbas observat, inquiens : « Diligenti memoria tenebat ex industria notatam « horam, qua ei dixit Jesus : *Filius vivit*. » Utinam et nos memores essemus beneficiorum, quæ a Deo quotidie recipimus, maxime nunc, quando illa plurimum demeremur; et aliud nihil cogitamus, quam quod in ejus offensam cedit, quodque in pœnam transgressionis justum Dei super nos supplicium, cum adjuncta corporis, animæ, honoris et famæ jactura provocare merito deberet; et tamen Deus erga nos adeo est misericors, ut nos tunc defendat, a periculis eripiat, suamque nobis manum porrigat, ut ad pœnitentiam surgere valeamus, quæ profecto consideratio calcar nobis addere deberet, ad firmius in Deum credendum, majori cum fervore et innocentia ei inserviendum.

2. — Albertus Magnus, *in Joan.*, in sensu spirituali mysteria explicat miraculosæ hujus restitutæ sanitatis, dum ait : « Regulus iste mens sive ratio « est, filius autem spiritus in carne, febris ardor « fomitis et concupiscentiæ; hunc sanat Dominus « interpellantibus sanctis, qui paterno affectu ægro- « tum diligunt, *Jer.*, xvii, 14 : *Sana me, Domine, et « sanabor, salvum me fac, et salvus ero*; servi occur- « rentes sunt viri sancti et Ecclesiæ ministri, de « salute animarum gaudentes. »

3. — Potest etiam ex verbo *cognovit* deduci, regulum non habuisse notitiam Christi imperfectam, sed per seriam reflexionem et divinitatis Christi et beneficii ab eo recepti, quod maximum erat quod ab eo sperare poterat, nimirum vita filii, suaque et totius familiæ salus æterna, meditationem bene ab eo exercitatam, *Joan.*, xvii, 3 : *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum et quem misisti Jesum Christum.*

4. — Enimvero credibile est, lumen a Christo ei infusum permagnum fuisse; siquidem Christus de se ait : *Ego sum lux mundi; hæc vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*; et ratio est, quia lumen hoc ei infusum fuit, non modo ad depellendas tenebras infidelitatis ipsius, sed et totius familiæ; siquidem *credidit ipse, et domus ejus tota*. Ecce, quousque hujus principis et quoad divitias et quoad honores prospere agentis fortuna, Deum cognoscendo ascenderit, *Jer.*, ix, 23 : *Non glorietur sapiens in sapientia sua, non glorietur fortis in fortitudine sua et non glorietur dives in divitiis suis, sed in hoc glorietur, qui glorietur : scire et nosse me.*

Et credidit.

5. — Fidem, quæ donum Dei est, a Christo huic regulo et omnibus ad familiam ejus spectantibus, datam esse scimus, non tamen constat, illius quoque participes factos fuisse cives Capharnaitas, quorum ipse dominium habebat, quia ut Glossa notat : « *Credidit ipse*, non alii cives; in quo paucitas fidei « Judæorum designatur, quamvis signa viderint, « sicut supra multitudo gentium solo verbo con- « vertendarum in Samaritanis signabatur; » etenim ad unius mulieris tantum et peccatricis mulieris verbum integra commovetur civitas et in Christum credit, cum tamen hic, viso tam præclaro miraculo, in persona tam conspicua edito, vix una tantum familia ad Dei notitiam perducitur; ubi, ut S. Remigius ait : « Signabatur, quod paucitas Judæo- « rum credituri erant in Deum. »

6. — Porro regulus iste ad credendum in Christum efficacissima habebat motiva; siquidem, ut Rupertus Abbas observat : « Non signum hoc par- « vum fuit, per quod se ubique esse, ubique posse

« et sola voluntate cuncta perficere; satis evidenter « ostendit. » Qualis autem hæc ejus fides fuerit, Lucas Brugensis hisce verbis declarat : « Credidit « scilicet filium suum abs Jesu absente, solo ser- « mone fuisse sanatum, ac proinde Jesum esse « Filium Dei; credidit plane et perfecte, se profes- « sus est discipulum Jesu, qui ejus Evangelio ac « doctrinæ nomen dedit. »

7. — Chrysostomus, *Hom.* XXXV *in Joan.*, hoc loco multorum observat commoda sua spectantium devotionem, qui nimirum in divinorum præceptorum adimpletione tunc vel maxime se ferventes exhibent, quando ab infirmitatibus vel aliis adversis infestati, divinam in se benignitatem et clementiam experiuntur. De quibus proinde dicit : « Non expec- « tanda miracula, neque divinæ virtutis pignora « efflagitanda; video enim et nunc multos, cum in « filii vel uxoris morbo exaudiuntur, tunc majorem « Deo exhibere reverentiam; decens autem est « etiam non exauditos tolerare et nihilominus gra- « tias habere, eamque laudibus prosequi, hoc fide- « lium servorum est, hoc constantiæ, hoc pietatis, « hoc in Dominum affectu esse debemus, ut non « solum, cum clementer nobiscum agit, verum « etiam cum indignatur, cum flagellat, ad eum « percurramus, hoc enim divina operatur provi- « dentia, siquidem quem diligit, castigat; qui au- « tem, dum votum assequitur, Deum colit tantum, « non multa præsefert dilectionis argumenta, neque « sincere Christum amat. »

8. — Venerabilis Beda gradus considerat, quibus hic regulus in fide sua paulatim altius ascenderit, dicit enim : « Datur intelligi et in fide gradus esse, « sicut in aliis virtutibus, quibus est initium, incre- « mentum, atque perfectio; » etenim hic regulus initium fidei habuit, quando Christum de infirmitate filii sui informans, ei pro hujus salute supplex factus fuit, progressum autem et augmentum habuit, quando verbis Christi, dicentis : *Vade, filius tuus vivit*, protinus fidem adhibuit : *Credidit homo sermoni quem dixit Jesus*; perfectiorem vero fidem acquisivit, quando per suorum servorum relationem, in iis quæ credidit et speravit, confirmatus fuit.

Et domus ejus tota.

9. — Ecce quantum bonum capitis exemplum, emolumentum creet, quantamque bona patrisfamilias opera consequentiam secum inducant; nam S. Hieronymus ait : « Regulus non solum filii, sed « universæ domus suæ reperit sanitatem. Vide, « quanti referat majorum fides cum bonis con- « juncta moribus, inferiores enim eos facile se- « quuntur. » Lucas Brugensis ex dignitate et imperio, quod regulus in civitatem adeo insignem obtinebat, ipsum quoque copiosam refert habuisse familiam : « Familiam ejus frequentem ac numero- « sam fuisse haud dubium est, utpote hominis « opulenti et magistratu fungentis, constantem in « servis et ancillis plurimis præter uxorem et libe- « ros, » motivum vero, cur hi omnes jugo se legis Evangelicæ subjecerint, seque Christi sequelæ mancipaverint, bonum heri exemplum fuisse dicit : « Cre- « diderunt, » inquit, « persuasione atque exemplo « heri. »

10. — S. Thomas pariter super hunc S. Joannis textum et præcipue super illa verba : *Et domus ejus tota*, dicit : « Servi et ministri secundum domino- « rum conditionem, sive bonam, sive malam dispo- « nuntur. »

11. — Ex eo porro, quod juxta Lucæ Brugensis expositionem diximus, regulum omnes, quotquot in familia sua habebat, adhortatum fuisse patet; ipsumque de bono illius regimine magnam habuisse sollicitudinem verisimile est, cum Apostolus, I *Tim.*, v, 8, dicit : *Si quis suorum et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit et est infideli deterior*; et quidem, quia hic regulus bonum domesticorum suorum ordinem pro viribus anxie curavit; ecce tibi qualiter omnibus ad familiam suam pertinentibus fidei donum lucratus fuerit; siquidem *credidit ipse et domus ejus tota*. Ubi notandum est vocabulum *tota*, ex eo namque colligitur, sermones ejus et præcipue bonum illius exemplum, maximam in se habuisse ad persuadendum efficaciam et energiam, in tanto enim numero nullus superfuit, qui novam a se susceptam fidem et religionem non fuerit amplexatus.

12. — Porro, de hac infirmitate idem dici potuit, quod Salvator de Lazari ægritudine dixit, *Joan.*, XI : *Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei*; nam ut Toletus scribit : « Non est silen- « tio prætereundum, quantum mundi homines « decipiantur in judicio rerum; quis non credidis- « set, quando filium reguli infirmatum usque ad « mortem vidisset, male actum esse cum filio et « cum patre? et tamen infirmatur filius usque ad « mortem divino consilio, ut occasio potioris salutis « fieret familiæ universæ. » In hac occasione dicere possumus, adimpletum fuisse illud regii Vatis, *Psal.* XXXVII, 7 : *Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me*; quamdiu enim in tota illa domo sanitas erat, mortem in ea prævaluisse dici potest, quia tunc ibi dæmon adorabatur in falsis simulacris, nec minimum cœlestis luminis vestigium ibi collucebat; at vero quamprimum in eam filii infirmitas et afflictio patris subingressa fuit, tunc sumpto ad Filium Dei refugio, omnes receperunt vitam æternam. Unde S. Augustinus super prædicta Psalmi verba dicit : « Nunc sic ait, tanquam si diceret : Si « forte venerit tribulatio aliqua, liberabis inde me; « sed quomodo? *Si ambulavero in medio tribulatio- « nis, vivificabis me*; id est, aliter non vivificabis « me, nisi in medio tribulationis; » major pars

generis humani, si Deus illam in felicitatem et prosperitatem terrenarum medio nasci fecisset, in æternum utique periclitata fuisset : *Quia incrassatus, impinguatus, dilatatus homo dereliquisset Deum factorem suum et recessisset a Deo salutari suo. Deut.*, XXXII, 15.

13. — Joannis *cap.* v, 3, in probatica illa piscina innumerabiles languidi reclusi fuisse dicuntur : *Multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum*; semel tantum in anno in aquas illas Angelus quidam de cœlo descendebat, dabatque sanitatem uni tantum, et non pluribus. Porro magnum hoc hospitale, mundum hunc, in quo tot sunt infirmi, præfigurabat; in eo namque *circumdederunt nos mala, quorum non est numerus*; per Angelum vero qui miseris his subsidium præstiturus descendebat, Filium Dei intelligere possumus, qui in Scriptura *magni consilii Angelus* vocatur, estque protomedicus ille cœlestis, qui de semetipso ait : *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus; non veni vocare justos, sed peccatores*. At vero, quod in eo latet mysterium, quod, cum Dominus noster in gratiarum suarum dispensatione adeo est liberalis, hic nihilominus adeo fuerit parcus, ut ex ingenti illa multitudine, per Angeli cœlitus missi auxilium, nonnisi unicum liberarit? ad hæc, cur is, qui vera vita erat, eo ingrediens uni tantum sanitatem restituit? Ad hoc aliud responderi nequit, quam quod Deus primo loco animæ et postea corporis saluti consulere intendat, sicut in sanato illo paralytico videre licuit, cui prius peccata remisit; certum est autem, quod salus spiritualis facilius et majori cum securitate in tribulationibus, quam in prosperitate temporali conservetur : « Aliter non vivificabis me, « nisi in medio tribulationis. » Quotidiana nos experientia docet, quod dum sani sumus, bonisque hujus vitæ feliciter fruimur, parum Dei et alterius vitæ memores simus, non vero item quando lecto affigimur, ideoque multis doloribus cruciamur; *Psal.* CVI, 6 : *Clamaverunt ad Dominum, cum tribularentur*. In Osea, VI, 1, Deus ita loquitur : *In tribulatione sua mane consurgent ad me : venite, et revertamur ad Dominum; percutiet et curabit nos, et vivificabit*; sed quis est hic salutem per verbera et vulnera restituendi modus? Est hic stylus Dei, quo sæpenumero nobiscum agere solet, quod corpus lethalibus infirmitatibus percutiat, gravia nobis evenire infortunia et infligi vulnera permittat, ut animæ salutem tribuat; in Hebræo dictio aliqua continetur, quæ idem significat, quod vulnera fasciibus alligare, ratione cujus S. Hieronymus inquit : « Appellantur linteola, quæ inseruntur « vulneribus, ut putridas carnes comedant. » Ad sanandam namque putridam carnem nostram, ad reducendam nos in continentiæ statum, et ad inordinatos appetitus frenandos, sæpe sæpius percutit et vulnerat, quemadmodum boni chirurgi, de quibus S. Augustinus, *in Psal.* t., scribit : « Armant « se, ut feriant; ferrum gestant, et curare veniunt; » ferro plagam aperiunt, venam incidunt, ut sanguinem eliciant, qui nisi effunderetur, vitam infallibiliter patiens amitteret; ita pariter indeceptibili divina Providentia permittente, hic et ille ad gloriam prædestinatus, in paupertatem incidit, omniumque bonorum temporalium, quæ vitiorum fomentum fuerant, jacturam patitur; unde S. Hieronymus inquit : « Percutit nos Dominus, et « curat nos, quia quem diligit, corripit. » Tertullianus ad propositum præsens, chirurgum itidem nobis ob oculos ponit, tenentem in manu ferrum, infirmique carnes, nulla fletuum et lamentorum habita ratione, incidentem : « Sicut enim in tali « perversitas, » inquit, « quam putas, ratio est, « quod sævitiam existimas, gratia est, ita Deo de « momentaneis æterna mediante, magnifica bono « tuo Deum, incidisti in manus ejus, sed feliciter « incidisti. » Iterum sicut pessimum gravissimæ sanitatis indicium est, quando permittitur ægro edere quod vult, et facere quod libet, ita pariter Deus nobis laxato freno permittit, ut ductum sequamur inordinatorum appetituum nostrorum, manifestum desperatæ salutis signum est : *Dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis*. Eodem quoque argumento S. Petrus Damianus utitur ostendendo, medicum bonum, ut perfectam languenti infirmitatem restituat amaras in finem usque potiones et medicinas adhibere; proinde de hujusmodi medicis inquit : « Quos « erigendos esse conjiciunt, cuncta eis noxia delec- « tationis edulia minaciter interdicunt, antidota « insuper amara propinant, ut per amaritudinis « haustum ad incolumitatis dulcedinem convales- « cant. » S denique Cyprianus eamdem cum Tertulliano similitudinem adducit alicujus corporaliter infirmi, quia chirurgo et medico severe admodum tractatur, sanitatis restituendæ intuitu, nec illi ullis ægri lamentis ut recedant, se vinci permittunt : « Vociferetur, » inquit, « et clamet licet et conque- « ratur, æger impatiens per dolorem, gratias aget « postmodum, cum senserit sanitatem. »

Additio.

a. — *Credidit ipse et domus ejus tota.* Super his verbis sic Ammonius ait : « Primum quidem cre- « didit, sed postea reipsa factum comperit, quod « futurum crediderat; plurimum namque fides va- « let, cum effectorem ac consummatorem sui habet « Deum. » Et ideo eadem hora qua credidit, fructum suæ fidei consecutus est. Una die credidit et altera agnovit filium sanum, atque universam suam domum ad Christum perduxit. Nescivit enim sola esse ejus fides; sed adeo fœcunda fuit, ut de illius exemplo famulorum omnium examina renascerentur Christo. Qui enim accedit ad Deum, et credit,

statim fidei suæ fructu gaudet, et exultat. Fiducia enim, quæ in Deum potius quam in nostram industriam habetur, a Deo liberaliter compensatur, maxime quoad illos qui hanc fiduciam cum bona conscientia habent conjunctam.

Notum est miraculum illud, quod Salvator noster, in refectione devotarum turbarum illarum, ipsum per tres dies et noctes, sine ullo cibo indefesse sequentium, patravit. Porro Evangelista, *Luc.*, IX, 12, ait : *Loquebatur illis de regno Dei. Dies autem cœperat declinare; et accedentes duodecim, dixerunt illi : Dimitte turbas, ut euntes in castella, villasque quæ circa sunt, diversent et inveniant escas, quia hic in loco deserto sumus. Ait autem ad illos : Vos date illis manducare. At illi dixerunt : Non sunt nobis plus quam quinque panes et duo pisces. Erant autem fere viri quinque millia.* Mirum vero non erat, quod Christus erga hasce devotas turbas adeo se beneficum exhiberet; siquidem hæ turbæ Christo devote inservierant, in ejus sequela perseveraverant, prædicationem ejus assidue auscultarant, perque lassitudinem, vigilias et famem, sese erga illum devotas esse probaverant. Ac proinde Christus ostendere voluit, eas ipsisque similes paterna sua providentia nequaquam fore defraudandas.

DOMINICA VIGESIMA PRIMA POST PENTECOSTEN

EVANGELIUM MATTHÆI, CAP. XVIII, VERS. 23

23. Assimilatum est regnum cœlorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis.

24. Et cum cœpisset rationem ponere, oblatus est ei unus, qui debebat ei decem millia talenta.

25. Cum autem non haberet, unde redderet, jussit eum dominus ejus venundari, et uxorem ejus, et filios, et omnia quæ habebat, et reddi.

26. Procidens autem servus ille, orabat eum dicens : Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi.

27. Misertus autem dominus servi illius, dimisit eum et debitum dimisit ei.

28. Egressus autem servus ille, invenit unum de conservis suis, qui debebat ei centum denarios, et tenens suffocabat eum dicens : Redde quod debes.

29. Et procidens conservus ejus, rogabat eum dicens : Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi.

30. Ille autem noluit, sed abiit, et misit eum in carcerem, donec redderet debitum.

31. Videntes autem conservi ejus quæ fiebant, contristati sunt valde; et venerunt et narraverunt domino suo omnia quæ facta fuerant.

32. Tunc vocavit illum dominus suus, et ait illi : Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me.

33. Nonne ergo oportuit et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum ?

34. Et iratus dominus ejus tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet universum debitum.

35. Sic et Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo, de cordibus vestris.

VERSUS 23.

Assimilatum est regnum cœlorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis.

1. — Christus præsentem parabolam, prout Lyranus advertit, ideo adduxit, ut S. Petro datam, immediate ante, de humanarum injuriarum indulgentia et remissione doctrinam confirmaret; quando interroganti se Apostolo responderat : *Non dico tibi septies, sed septuagies septies*, in præsenti igitur discursum instituit *a minori ad majus*; quasi diceret, inquit Lyranus : « Magis debitores estis « Dei, et plus offendistis eum, quam homo possit « offendere proximum, quia tanta est offensa, « quantus ille, qui offenditur. » Cum igitur Deus sit meriti et dignitatis infinitæ, proportionaliter etiam culpa contra eum admissa, gravitatem habebit infinitam; hoc tamen non obstante, Deus semper promptissimus est, modo vere nos pœniteat omne delictum indulgere; quanto igitur justius, ut idem et nos proximo nobis injurianti præstemus : « Ergo multo fortius similiter debemus peccanti « in nos facere. »

2. — Dionysius Carthusianus mystice per hunc regem, Christum intelligens, dicit : « Qui licet in « die extremi judicii, nullum peccatum relinquat « inultum, nec tempus pœnitentiæ tribuat, tamen « quotidie ponit rationem cum fidelibus per vicarios « suos Prælatos, per Scripturarum admonitiones. » Hugo Cardinalis in hoc eodem judicio, quod in præsenti vita, examinatores in majori numero ponit, dum ait : « In præsenti ponit rationem « Dominus cum servis suis per Scripturas, per « creaturas, per doctores, per confessores, per illu- « minationem propriæ conscientiæ; » demum vero per hæc verba, Prælatos merito exstimulandos esse dicit, ne animarum sibi commissarum studiosam negligant inquisitionem, juxta illum Sapientis textum, *Prov.*, XXVII, 23 : *Diligenter agnosce vultum pecoris tui.*

3. — Venerabilis Beda ait : « Quis melius quam « Redemptor noster intelligitur, de quo Psalmista, « *Psal.* LXXI, 2 : *Deus judicium tuum regi da?* » S. Antonius Paduanus per hanc rationum redditionem interpretatur judicium, quod tam in hac quam in altera vita de nobis instituetur : « Rationem « poni, qui merita uniuscujusque examinat in hoc « mundo, quæ districtius trutinantur in futuro. » Salmeron hanc, quæ quoadusque vivimus a nobis exigitur, rationum redditionem individualius considerans, scribit : « Dicitur cœpisse rationem ponere « cum servis suis, ab initio inspirando beneficia « accepta, vel ingratum animum et scelera com- « missa increpando, sive huic inspirationi det locum « tribulatio cœlitus immissa, sive peculiare aliquod « et insigne beneficium. »

4. — S. Remigius, a S. Thoma citatus, per hos servos, omnes homines intelligit : « Designantur « omnes homines, quos ad laudandum se creavit, « quibusque legem naturæ dedit; cum quibus « rationem ponit, quando vitam, et mores, et « actus singulorum discutit, ut unicuique, secun- « dum quod gessit, tribuat. »

5. — S. Thomas per hos servos, Prælatos Ecclesiasticos, quibus animarum cura demandata est, intelligit, juxta illud Lucæ, XII, 41 : *Fidelis servus, quem constituit Dominus super familiam suam :* « Quid est ergo rationem ponere de commissis, « nisi quod obligant se, ut rationem reddant? « *Hebr.*, XIII, 17 : *Ipsi pervigilant quasi rationem « pro animabus vestris reddituri.* »

6. — Ad hoc, ut homo, quoadusque vivit in perditionis barathrum non incidat, nullum est securius remedium, quam si examen rigorosissimum, cujus tempus et horam quidem nescimus, non tamen qualitatem, quia « judex est venturus, « cuncta stricte discussurus, » quod de anima instituendum erit, ob oculos habeat. Dicitur *cum servis suis*, quia qui majori lumine et notitia Dei, tanquam servi illius illuminati sunt, majori cum severitate examinabuntur; nemo enim est, qui nesciat illa S. Gregorii verba : « Quo plus angen- « tur dona, rationes etiam crescunt donorum; » et ideo Deus apud Ezechielem, IX, 6, inquit : *A sanctuario meo incipite.*

7. — Finis primarius hujus parabolæ, ut Theophylactus notat, eo præcipue respicit, ut necessaria injuriarum a proximis nobis illatarum remissio, tanto tenacius fidelium cordibus imprimatur : « Mens parabolæ, » inquit, « ut veniam demus « conservis in nos delinquentibus; præsertim si « illi veniam ante nos procidentes petant. »

Additiones.

a. — *Assimilatum est regnum Cœlorum homini regi*, etc. Christus Dominus communis Magister per similium parabolarum propositionem, communi se doctrinæ, ac methodo accommodat : « Quia, » ut ait D. Hieronymus, « Palæstinorum, Syriorumque « secutus est morem, qui ad omnem sermonem « parabolas jungunt, ut quod per simplex præcep- « tum teneri ab auditoribus non potest, per simi- « litudinem et exempla teneatur, atteque cordibus « infigatur. » Præsenti autem parabola, rem valde necessariam nobis inculcare voluit Dominus, Deum nempe nobis peccata nostra non esse remissurum, nisi et nos injurias fratribus remittamus. S. Augustinus in quadam homilia ita scribit : « Considerate, « fratres mei. Hoc Dominus Jesus Christus orare « docuit discipulos suos, illos primos magnos Apo- « stolos suos, arietes nostros : *Dimitte nobis debita « nostra, sicut et nos dimittimus.* Si ergo peccatis « suis dimittendis arietes orant, agni quid debent « facere, de quibus dictum est : *Afferte Domino « filios arietum?* » Hoc igitur jacto fundamento, quod videlicet unicuique necessitas incumbat hanc recitandi orationem, sequentem subjungit doctrinam : « Induxit nobiscum Deus pactum et placitum « firmumque chirographum, ut dicamus : *Sicut et « nos dimittimus debitoribus nostris.* Si hoc quod est « posterius, aut non dicit, aut fallaciter dicit, illud « quod prius est, inaniter dicit. » Idem quoque Sanctus in alio sermone unicuique hanc orationem recitanti sequens tradit monitum, dicens : « Si « debitor es, gratulare te habere debitorem, in quo « facias, quod fiat in te. Audi me et discute te, quia « vel de paucis prodis, qui possunt veraciter orare, « orationem Dominicam veraciter dicere : Domine, « dimitte mihi, sicut et ego dimitto. Non fallaciter, « non ficte, ex corde vero fac, ut in te verum fiat; « si enim qui te læsit, qui in te peccavit, petit a te

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

statim fidei suæ fructu gaudet, et exultat. Fiducia enim, quæ in Deum potius quam in nostram industriam habetur, a Deo liberaliter compensatur, maxime quoad illos qui hanc fiduciam cum bona conscientia habent conjunctam.

Notum est miraculum illud, quod Salvator noster, in refectione devotarum turbarum illarum, ipsum per tres dies et noctes, sine ullo cibo indefesse sequentium, patravit. Porro Evangelista, *Luc.*, IX, 12, ait : *Loquebatur illis de regno Dei. Dies autem cœperat declinare; et accedentes duodecim, dixerunt illi : Dimitte turbas, ut euntes in castella, villasque quæ circa sunt, diversent et inveniant escas, quia hic in loco deserto sumus. Ait autem ad illos : Vos date illis manducare. At illi dixerunt : Non sunt nobis plus quam quinque panes et duo pisces. Erant autem fere viri quinque millia.* Mirum vero non erat, quod Christus erga hasce devotas turbas adeo se beneficum exhiberet; siquidem hæ turbæ Christo devote inservierant, in ejus sequela perseveraverant, prædicationem ejus assidue auscultarant, perque lassitudinem, vigilias et famem, sese erga illum devotas esse probaverant. Ac proinde Christus ostendere voluit, eas ipsisque similes paterna sua providentia nequaquam fore defraudandas.

DOMINICA VIGESIMA PRIMA POST PENTECOSTEN

EVANGELIUM MATTHÆI, CAP. XVIII, VERS. 23

23. Assimilatum est regnum cœlorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis.

24. Et cum cœpisset rationem ponere, oblatus est ei unus, qui debebat ei decem millia talenta.

25. Cum autem non haberet, unde redderet, jussit eum dominus ejus venundari, et uxorem ejus, et filios, et omnia quæ habebat, et reddi.

26. Procidens autem servus ille, orabat eum dicens : Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi.

27. Misertus autem dominus servi illius, dimisit eum et debitum dimisit ei.

28. Egressus autem servus ille, invenit unum de conservis suis, qui debebat ei centum denarios, et tenens suffocabat eum dicens : Redde quod debes.

29. Et procidens conservus ejus, rogabat eum dicens : Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi.

30. Ille autem noluit, sed abiit, et misit eum in carcerem, donec redderet debitum.

31. Videntes autem conservi ejus quæ fiebant, contristati sunt valde; et venerunt et narraverunt domino suo omnia quæ facta fuerant.

32. Tunc vocavit illum dominus suus, et ait illi : Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me.

33. Nonne ergo oportuit et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum ?

34. Et iratus dominus ejus tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet universum debitum.

35. Sic et Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo, de cordibus vestris.

VERSUS 23.

Assimilatum est regnum cœlorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis.

1. — Christus præsentem parabolam, prout Lyranus advertit, ideo adduxit, ut S. Petro datam, immediate ante, de humanarum injuriarum indulgentia et remissione doctrinam confirmaret; quando interroganti se Apostolo responderat : *Non dico tibi septies, sed septuagies septies*, in præsenti igitur discursum instituit *a minori ad majus*; quasi diceret, inquit Lyranus : « Magis debitores estis « Dei, et plus offendistis eum, quam homo possit « offendere proximum, quia tanta est offensa, « quantus ille, qui offenditur. » Cum igitur Deus sit meriti et dignitatis infinitæ, proportionaliter etiam culpa contra eum admissa, gravitatem habebit infinitam; hoc tamen non obstante, Deus semper promptissimus est, modo vere nos pœniteat omne delictum indulgere; quanto igitur justius, ut idem et nos proximo nobis injurianti præstemus : « Ergo multo fortius similiter debemus peccanti « in nos facere. »

2. — Dionysius Carthusianus mystice per hunc regem, Christum intelligens, dicit : « Qui licet in « die extremi judicii, nullum peccatum relinquat « inultum, nec tempus pœnitentiæ tribuat, tamen « quotidie ponit rationem cum fidelibus per vicarios « suos Prælatos, per Scripturarum admonitiones. » Hugo Cardinalis in hoc eodem judicio, quod in præsenti vita, examinatores in majori numero ponit, dum ait : « In præsenti ponit rationem « Dominus cum servis suis per Scripturas, per « creaturas, per doctores, per confessores, per illu- « minationem propriæ conscientiæ; » demum vero per hæc verba, Prælatos merito exstimulandos esse dicit, ne animarum sibi commissarum studiosam negligant inquisitionem, juxta illum Sapientis textum, *Prov.*, XXVII, 23 : *Diligenter agnosce vultum pecoris tui.*

3. — Venerabilis Beda ait : « Quis melius quam « Redemptor noster intelligitur, de quo Psalmista, « *Psal.* LXXI, 2 : *Deus judicium tuum regi da?* » S. Antonius Paduanus per hanc rationum redditionem interpretatur judicium, quod tam in hac quam in altera vita de nobis instituetur : « Rationem « poni, qui merita uniuscujusque examinat in hoc « mundo, quæ districtius trutinantur in futuro. » Salmeron hanc, quæ quoadusque vivimus a nobis exigitur, rationum redditionem individualius considerans, scribit : « Dicitur cœpisse rationem ponere « cum servis suis, ab initio inspirando beneficia « accepta, vel ingratum animum et scelera com- « missa increpando, sive huic inspirationi det locum « tribulatio cœlitus immissa, sive peculiare aliquod « et insigne beneficium. »

4. — S. Remigius, a S. Thoma citatus, per hos servos, omnes homines intelligit : « Designantur « omnes homines, quos ad laudandum se creavit, « quibusque legem naturæ dedit; cum quibus « rationem ponit, quando vitam, et mores, et « actus singulorum discutit, ut unicuique, secun- « dum quod gessit, tribuat. »

5. — S. Thomas per hos servos, Prælatos Ecclesiasticos, quibus animarum cura demandata est, intelligit, juxta illud Lucæ, XII, 41 : *Fidelis servus, quem constituit Dominus super familiam suam :* « Quid est ergo rationem ponere de commissis, « nisi quod obligant se, ut rationem reddant? « *Hebr.*, XIII, 17 : *Ipsi pervigilant quasi rationem « pro animabus vestris reddituri.* »

6. — Ad hoc, ut homo, quoadusque vivit in perditionis barathrum non incidat, nullum est securius remedium, quam si examen rigorosissimum, cujus tempus et horam quidem nescimus, non tamen qualitatem, quia « judex est venturus, « cuncta stricte discussurus, » quod de anima instituendum erit, ob oculos habeat. Dicitur *cum servis suis*, quia qui majori lumine et notitia Dei, tanquam servi illius illuminati sunt, majori cum severitate examinabuntur; nemo enim est, qui nesciat illa S. Gregorii verba : « Quo plus angen- « tur dona, rationes etiam crescunt donorum; » et ideo Deus apud Ezechielem, IX, 6, inquit : *A sanctuario meo incipite.*

7. — Finis primarius hujus parabolæ, ut Theophylactus notat, eo præcipue respicit, ut necessaria injuriarum a proximis nobis illatarum remissio, tanto tenacius fidelium cordibus imprimatur : « Mens parabolæ, » inquit, « ut veniam demus « conservis in nos delinquentibus; præsertim si « illi veniam ante nos procidentes petant. »

Additiones.

a. — *Assimilatum est regnum Cœlorum homini regi*, etc. Christus Dominus communis Magister per similium parabolarum propositionem, communi se doctrinæ, ac methodo accommodat : « Quia, » ut ait D. Hieronymus, « Palæstinorum, Syriorumque « secutus est morem, qui ad omnem sermonem « parabolas jungunt, ut quod per simplex præcep- « tum teneri ab auditoribus non potest, per simi- « litudinem et exempla teneatur, atteque cordibus « infigatur. » Præsenti autem parabola, rem valde necessariam nobis inculcare voluit Dominus, Deum nempe nobis peccata nostra non esse remissurum, nisi et nos injurias fratribus remittamus. S. Augustinus in quadam homilia ita scribit : « Considerate, « fratres mei. Hoc Dominus Jesus Christus orare « docuit discipulos suos, illos primos magnos Apo- « stolos suos, arietes nostros : *Dimitte nobis debita « nostra, sicut et nos dimittimus.* Si ergo peccatis « suis dimittendis arietes orant, agni quid debent « facere, de quibus dictum est : *Afferte Domino « filios arietum?* » Hoc igitur jacto fundamento, quod videlicet unicuique necessitas incumbat hanc recitandi orationem, sequentem subjungit doctrinam : « Induxit nobiscum Deus pactum et placitum « firmumque chirographum, ut dicamus : *Sicut et « nos dimittimus debitoribus nostris.* Si hoc quod est « posterius, aut non dicit, aut fallaciter dicit, illud « quod prius est, inaniter dicit. » Idem quoque Sanctus in alio sermone unicuique hanc orationem recitanti sequens tradit monitum, dicens : « Si « debitor es, gratulare te habere debitorem, in quo « facias, quod fiat in te. Audi me et discute te, quia « vel de paucis prodis, qui possunt veraciter orare, « orationem Dominicam veraciter dicere : Domine, « dimitte mihi, sicut et ego dimitto. Non fallaciter, « non ficte, ex corde vero fac, ut in te verum fiat; « si enim qui te læsit, qui in te peccavit, petit a te

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

« veniam et ignoscis, jam potes securus dicere : « *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus* « *debitoribus nostris.* » S. Bernardinus Senensis damna recensens quæ illi obveniunt, qui mortale erga inimicos odium conservans, Dominicam recitare præsumit orationem, inquit : « Deum contra « se provocare videtur, cum dicit : Dimitte mihi, « sicut ego dimitto aliis. Etiam Augustinus ait : « Non dimittis injuriam, quæ tibi facta est? Non « orationem pro te facis, sed maledictionem super « te inducis, cum dicis : *Dimitte nobis debita nostra,* « *sicut et nos dimittimus.* »

b. — Christus Dominus per hanc parabolam principaliter indicare voluit duo, scilicet, articulum fidei nostræ, remissionem nempe peccatorum et teneri nos illatas a proximo injurias remittere. Quantum vero ad primum, certum est quod dolor contritionis excellentissimus sit, qui tamen ut validus sit, non ex timore servili, sed ex amore Dei procedat oportet, fundatus in spe remissionis peccatorum. « Sunt quos peccasse pœnitet, » ait S. Augustinus, « propter præsentia supplicia; displi« cent enim latroni peccata, quando operantur « pœnam; desit vindicta, revertitur ad crimina. Ista « est pœnitentia non ex fide procedens, nec est « charitate munita, sed sterilis et sine misericor« dia. Hæc non purgat conscientiam, non lavat « crimina, in hac nulla est spes veniæ, dicente « Apostolo : *Quæ secundum Deum tristitia est, pœni*« *tentiam in salutem stabilem operatur, sæculi autem* « *tristitia mortem operatur.* » S. Chrysologus, *Serm.* XCIV, sic scribit : « Ama : charitas cooperit multitu« dinem peccatorum. Negationis crimini quid po« jus? Et tamen Petrus amore solo valuit hoc « delere, probante Domino cum dicit : *Petre, amas* « *me?* » Et tandem paulo post concludit inquiens : « Ama ergo, homo, Deum et ama totus, ut possis « omnia sine labore vincere peccata. Teneræ mili« tiæ, delicati conflictus est amore solo de cunctis « criminibus reportare victoriam. »

Teste S. Luca, VII, 47, post Christi in Simonis Pharisæi ædes ingressum, infamis subintravit peccatrix, non tam obsessa septem dæmoniis, quam septem ad collum usque immersa capitalibus vitiis. Pessima intravit, sanctissima exivit, quia nimirum *dilexit multum.* Unde Venerabilis Beda inquit : « Quid esse credimus dilectionem, nisi ignem? et « quid culpas nisi rubiginem? Unde nunc dicitur : « *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit mul*« *tum.* » Cui illud S. Augustini consonat assertum : « Charitas est mors criminum. »

Ad idem successive regnum duos Deus promovit humilis conditionis viros; alterum agasonem, opilionem alterum, Saul et David. Utrumque consecravit Samuel, quietum uterque sceptri Israelitici cepit possessionem, successuque temporis, ambo divinum prævaricati sunt mandatum; ille in pugna Amalecitica, hic per adulterium et homicidium. Ad primum Samuel missus est, suam ei transgressionem exprobraturus; ad secundum Nathan : uterque suam agnovit noxam : *Peccavi*; nihilominus Saul terreno et cœlesti fuit exutus regno, cum David e contra audire meruit : *Dominus transtulit peccatum tuum.* Deus forsitan acceptor est personarum? Secundum hominem loquendo, Saul potius aliquam meruisse videtur excusationem, siquidem, ut protestabatur, inimicas servaverat exuvias et regem vivum, ex motivo pietatis et compassionis. David autem in propriæ etiam virtute professionis, nullam penitus merebatur excusationem : *Filius mortis est vir, et qui fecit hoc.* Differentiam quæritis? Dicebat quidem reprobus ille : *Peccavi*; sed non ob illatam Deo offensam, non ex motivo divini amoris, sed propter damnum et infamiam publicam, ex metu amittendi regni; ideoque cum vix pronuntiasset *peccavi*, mox subjunxit : *Sed nunc honora me coram senioribus populi; porta quæso peccatum meum.* David autem prout Psalmi ejus pœnitentiales attestantur, ferventissimos in corde suo elicuit divini amoris actus, ex solo et puro supremæ Majestatis offensæ motivo : « Utique reges David et Saul dixerunt : « *Peccavi,* » inquit Hugo Victorinus; « sed Saul « audivit : *Scidit Dominus regnum Israel a te hodie,* « *et tradidit illum proximo tuo meliori te;* David « autem : *Transtulit Dominus peccatum tuum, et non* « *morieris,* quia confessio Saulis, quæ in ore fuit, « non fuit in corde; et humilitas, quæ in ore David « exstitit, in corde radicavit. » Cui et S. Petrus Damianus subscribens, ait : « Plane si Scripturæ « series utrobique discutiatur, copiosior Saul quam « David in pœnitentiæ verbis reperitur. Iste siqui« dem duntaxat dicit : *Peccavi Domino*; ille autem : « *Peccavi,* inquit, *quia prævaricatus sum sermones* « *Domini et verba tua, timens populum et obediens* « *voci eorum*; atque idipsum postmodo repetens « ait : *Peccavi.* » Hac igitur confessione subdit Sanctus, commotus Samuel, instantissime pro Saule *clamavit ad Dominum tota nocte*; sed irritæ ceciderunt preces. « Quid est ergo, quod alterius « pœnitentia pie suscepta, alterius autem sub dis« trictæ severitatis est examine reprobata, nisi « quod ille scelus inobedientiæ spiritu superbiæ « parvi pendens, nequaquam pleno corde pœnituit; « hic autem pauca quidem protulit, sed ejus viscera « divini timoris gladio transfixa, veri luctus amari« tudo replevit? »

c. — Hic homo rex qui a servis suis rationem exigit, non dubium, quin ille sit, qui, ut Joannes in *Apocalypsi*, XIX, 16, *habet in femore suo scriptum* : *Rex regum et Dominus dominantium.* Hujus autem Regis servi, nos homines sumus, in quos hoc servitutis nomen magis quam in ipsos Angelos quadrat; illi namque jure creationis; nos vero, et creationis, et redemptionis, duplici titulo, ejus servi

sumus. Rationis vero exigendæ tempus extremi judicii dies est, *in quo omnes nos manifestari oportet, ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.* II *Cor.*, V, 10. Inter eos autem servos, a quibus ratio exigenda, oblatus esse dicitur unus, qui debebat decem millia talenta, quæ efficiunt sex millionès aureorum. Quis vero est hic ingentis summæ debitor? Certe quisquis vel unius tantum lethalis criminis reus est : « Debitum enim, » ait Tertullianus, « in Scriptura delicti signum est. » S. Augustinus subdit : « Et debita peccata intelliguntur. » Nam debitum contrahitur, quoties peccatur; et ideo tanta auri summa optime congruit, ad delicti gravitatem exprimendam, contra Dei Majestatem. Auget enim peccati gravitatem et personæ offensæ dignitas, et offendentis vilitas, et ipsius etiam offensionis causa, si illi præsertim contemptus adjunctus sit. Quod personæ dignitatem, contra quam delinquitur, attinet, Deus est, cujus immensa est bonitas et majestas, ut si nobis omnium et hominum, et Angelorum vires essent, nunquam illum pro dignitate diligere possemus; cujus item ea sunt in genus humanum beneficia, ut si mille quotidie mortes, illius gratia oppeteremus, nullo modo illius in nos beneficentiæ satisfacere possemus. Et hic adeo bonus et beneficus offenditur! Heu grande nefas et injuria summa! Et quidem ab eo qui divinæ Majestati collatus nihil est ex se; ratione vero peccati, minus adhuc quam nihil. Et hic vilissimus audet contra Dominum levare calcaneum suum? Congrue igitur Dominus hanc tanti debiti summam, decem videlicet millium talentorum, apposuit, ut immensam atque infinitam peccati gravitatem ostenderet.

d. — Dominus, ut supra dicitur, quotidie ponit rationem cum servis suis, per internas inspirationes, per lectiones sacrarum Scripturarum. His igitur nos uti convenit tanquam veris instrumentis nostræ salutis. S. Augustinus, in Psalmo IX scribens, quasdam nobis e Cœlo missas litteras esse dicit, quæ nos ad virtuose vivendum exhortantur, ut in futura vita æternaliter vivere valeamus. Ait enim : « De illa civitate, unde peregrinamur, litteræ « nobis venerunt; ipsæ sunt Scripturæ, quæ nos « hortantur, ut bene vivamus. » Similiter S. Gregorius Regem gloriæ ad cœlum nos invitare volentem sacrosanctas nobis in terram Scripturas misisse inquit, utpote quæ sunt veluti litteræ quædam ab ejus proprio pugno exaratæ : « Imperator Cœli, « Dominus Angelorum et hominum, pro vita tua « epistolas suas transmittit et tu illas ardenter « legere negligis; quid est enim sacra Scriptura, « nisi quædam epistola omnipotentis Dei ad suam « creaturam? » Ac proinde sancti Dei homines sacram Scripturam, aliosque libros spirituales, hoc nomine, plurimum sunt venerati. S. Hieronymus de S. Marcella scribit : « Divinarum Scripturarum « ei ardor incredibilis; semper cantabat : *In corde* « *meo abscondi eloquia tua ut non peccem tibi*; et « illud de B. viro : *In lege Domini voluntas ejus et in* « *lege ejus meditabitur die ac nocte.* »

Imo juxta doctrinam S. Hieronymi, hi qui Scripturas sacras frequenter legunt, etiam in hac præsenti vita beatorum nomine appellari merentur. Sicut enim is, qui in cœlo est, consortio gaudet Angelorum, ipsique Altissimo præsentialiter assistit, ita certe, qui volumina sacra pervolvunt, beatis quod invideant minime habere videntur, si S. Ephrem fidem adhibemus cujus hæc sunt sequentia verba : « Gloriantur alii de Magnatum, principum« que ac regum familiaritate et colloquio; at tu « coram Angelis Dei gloriare colloquens et cum « Spiritu Sancto per sacras litteras conferens. Nam « Spiritus Sanctus est qui loquitur per eas. » Et paulo post subjungit : « Quotiescumque per eas « Deum interpellas, toties tibi corpus sanctificatur « et anima, et spiritus. » Quotiescumque enim sacram Scripturam legimus, Deus nobiscum loquitur, suamque voluntatem manifestat et ad suam familiaritatem nos dignanter admittit. Unde S. Ambrosius inter orationem et lectionem spiritualem, hanc assignat differentiam, quod in illa nos cum Deo loquamur; in hac vero Altissimus se demittat et inclinet ad familiariter conversandum nobiscum. « Cur non illa tempora, » inquit S. Doctor, « quibus ab Ecclesia vacas, lectioni impendas? « Cur non Christum alloquaris? Christum audias? « Illum alloquimur, cum oramus; illum audimus, « cum divina legimus oracula. »

e. — Certum est et de fide reddendam esse nobis omnium dictorum et factorum rationem, contra eos qui asseruerunt, quod Deus mundum non gubernat et omnia comparari posse orgastulo stultorum, nulla adhibita, dataque ratione. Est autem hoc adeo certum, reddendam esse rationem, ut in eum finem certum diem designaverit, licet tempus hoc certum Deus propter utilitatem nostram nobis ignotum esse voluerit. B. Laurentius Justinianus, super illa verba : *Dies Domini quemadmodum fur in nocte veniet*, I *Thes.*, V, 20, dicit : « Voluit hunc homini« bus esse ignotum ut ad vigilandum singulas « induceret generationes. » S. Bernardinus multas adducit rationes ob quas utilis nobis est et expediens, ignorantia diei illius venturi; dicit enim : « Talis dies debet abscondi, sicut et mortis, ex « multiplici ratione. Primo, ut semper timeant. « Secundo, ut semper se præparent ad diem illum, « tanquam de proximo imminentem. Tertio, ut « tam in hoc, quam in plerisque aliis ignorantes « se noscant; quod quidem est perutile ad super« biam comprimendam. Quarto, ut arcana divino« rum judiciorum magis revereantur. Quinto, quia « non decet Dei secreta indignis et indispositis « revelare. » Sexta ratio hæc est : Ignotum esse

voluit hunc diem, « ad excæcandos reprobos talium « temporum et ad hoc, ut tale judicium Dei veniat « super eos subito et improvise. » Hæc eadem de re S. Hilarius in hæc verba discurrit : « Cur autem « diei scientia abscondita sit, non in obscuro est; » namque commonet nos irremissos, fide intentos « semper manere, securitatem cognitionis ademit, « ut pendulæ expectationis incerto mens sollicita « festinans et adventus diem semper expectans, « semper expectando sperarel, curamque pervigi- « lem incertum ipsum, non ambigendi tamen « temporis detineret. »

7. — Hoc plurimum inter alia vitæ nostræ congruit emendationi, si jugiter consideremus reddendam esse nobis exactam omnium rationem. Animam aliquam amore Dei ferventer ardere, ex nullo evidentiori indicio colligere possumus, quam si ignem, qui Judicem præcessurus est nequaquam timeat, eo quod alius quidam ignis longe ferventior, id est, amoris divini, in ejus corde vehementer ardeat. De quo scriptum est : *Deus ignis consumens est*. Unde S. Augustinus ait : « Quisquis fiduciam « habet in die judicii, perfecta est in illo charitas. « Quid est habere fidem judicii? Non timere ne « veniat dies judicii. Date operam, intus agite « vobiscum, ut desideretis diem judicii, aliter non « probatur perfecta charitas, nisi cum cœperit ille « dies desiderari. Ille autem eum desiderat, qui « fiduciam habet in illo; ille autem fiduciam habet « in illo, cujus conscientia non trepidat in charitate « perfecta atque sincera. » Porro ad acquirendam hanc puram conscientiam, ad accendendum in corde charitatis ignem, ad excludendum omnem judicii timorem nullum est efficacius medium, quam si quis continuo de futuro judicio cogitet.

VERSUS 24.

Et cum cæpisset rationem ponere, oblatus est ei unus, qui debebat ei decem millia talenta.

Oblatus est ei unus.

1. — Salmeron verbum *oblatus* in sensu spirituali examinans ita scribit : « *Oblatus* vel a Spiritu « Sancto ducente animam, ut peccatorum suorum « magnitudinem et gravitatem agnoscat, et recor- « detur viarum suarum pessimarum, et displicean't « illi peccata sua; vel ab Angelo impellente ad sui, « et suorum debitorum cognitionem; vel a propria « conscientia, quæ semper deprecatur ad optima, « et pro Deo militat : sive a Prædicatore vel Sacer- « dotibus, qui sunt a confessione, qui culpas ex « parte Dei exaggerant, et ad satisfactionem impel- « lunt. »

Qui debebat ei decem millia talenta.

2. — Cornelius a Lapide juxta computum talenti Hebraici, hanc summam exacto calculo, ad centum viginti milliones scutorum deducit. S. Antonius de Padua per hoc debitum, quod infinitatem quamdam in se continet, obligationem interpretatur, qua Deo obstringimur, ad servanda decem præcepta : « Omnis homo debet Jesu decem millia « talenta, id est, decalogi observationem; » qui enim hanc legem transgreditur, ingentis hujus summæ se Deo debitorem constituit; quia veritas est, quod S. Augustinus a S. Thoma citatus, ait : « Quia lex in decem præceptis commendatur, ille « debebat decem millia talentorum, per quod « omnia peccata significat, quæ secundum legem « fiunt; » et quidem, licet nonnunquam aliquis unum duntaxat præceptum transgrediatur, horum nihilominus decem millium talentorum debitor efficitur, quia omnibus aliis præceptis per talem transgressionem injuria irrogatur, et hoc forte, ni fallor, S. Jacobus, II, 10, dicere voluit, dum ait : *Quicumque autem totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus*. Salmeron de hoc debitore dicit, quod per illum « significatur « insignis et ingratissimus peccator, quasi millies « transgressus sit decem præcepta Dei; » observandum est enim, quod Christus orationem Dominicam ab omnibus fidelibus quotidie frequentandam tradens, peccatum debili nomine compellet, *Luc.*, II, 4 : *Dimitte nobis debita nostra*; quia in S. Luca dum eadem oratio recensetur, loco vocis *debita*, legitur : *peccata nostra*; pariter sapientissimus Magister noster apud eumdem S. Lucam, II, 41, de enormium peccatorum remissione, magnæ illius peccatricis, in domo Simonis leprosi loquens ait : *Duo debitores erant cuidam fœneratori*. S. Thomas, quintam petitionem ejusdem orationis Dominicæ exponens, hujus ad debitum alluslonis rationem reddit; quia quando peccamus, inquit, Deo suam jurisdictionem auferre satagimus, quia Deus hoc in nos jus obtinet, ut divinam ejus voluntatem observare et adimplere teneamur, id est, ut divinam ejus legem firmiter observemus, quia *in lege Domini voluntas ejus*; similiter quando in aquis Baptismalibus regeneramur, divina ejus præcepta observare, et peccato in perpetuum renuntiare solemniter promittimus. Et ideo S. Augustinus peccatum ita definit : « Dictum « vel factum, vel concupitum contra legem Dei, » quia in aversione a divino beneplacito formaliter consistit; ac proinde dum nos ab ejus lege subtrahere præsumimus, consequenter divinam ejus jurisdictionem usurpamus. Deinde per culpam, timorem et reverentiam Deo debitam ei adimimus, *Malac.*, I, 6 : *Si ergo Pater ego sum, ubi est honor meus; si Dominus, ubi est timor meus?* Amorem pariter, quem illi debemus, creaturis attribuimus. Denique jugum obedientiæ et subjectionis, Deo ex infinitis titulis debitæ : *Justum enim est, subditum esse Deo;* excutimus, eique rebellando, ex Dei servis inimici infernales efficimur.

3. — Et quidem si peccati gravitatem ad exactam trutinam revocare, illiusque excessivi debiti inexhaustam summam computare velimus, tot millium talentorum debitum indubie istinc emergere videmus; peccatum namque ad tantam gravitatem exsurgit, ut Psalmista, *Psal.* XVIII, 13, dicit : *Delicta quis intelligit?* Sublimissimi cœlorum Cherubini, nec non illuminatissimi, quos Cathedra Petri habet, Theologi, ad dignum malitiæ unius peccati mortalis conceptum formandum, pertingere nunquam possunt, quia hæc notitia, a bonitatis, omnipotentiæ, majestatis, divinitatis et dignitatis illius, qui offenditur, perfecta et adæquata cognitione dependet; unde S. Thomas ait : « Peccatum « habet quamdam infinitatem ex infinitate divinæ « Majestatis; tanto enim offensa est gravior, quanto « major est ille, in quem delinquitur; » hæc quoque gravitas ex contemptu personæ offensæ, quæ Deus est, « quem adorant Dominationes, tremunt Potes- « tates, » plurimum aggravatur, maxime quando contemptus ille a tam vili creatura sit, qualis homo est, qui nihil est aliud, quam quidam luti pugillus, vilissimus terræ vermiculus et saccus putredinis.

4. — Theophylactus notat, hoc debitum quoque haud vulgariter crescere ad proportionem talentorum, id est, immensorum et innumerabilium beneficiorum, a Deo receptorum : « Decem millium « talentorum debitores nos sumus, qui quotidie « multis beneficiis afficimur, et nihil boni Deo « rependimus. »

5. — Porro quæ et qualia hæc sint talenta, de quibus Deo rationem reddere tenemur, quorumque debitores efficimur, Paulus de Palatio his verbis graviter exponit : « Hæc partim naturalia, partim « supernaturalia esse. Naturalia : Dedit se Deus « homini, ut, ubicumque velit, Deum habeat « cooperatorem, quia sine Dei cooperatione, ne- « que naturalia opera quis facere posset; secundo, « dedit homini mundum; tertio, ipsum hominem, « carnem scilicet tot organis instructam, animam « tot potentiis vigentem, acumen rationis, et arbi- « trii libertatem; quarto, peculiares gratias : alii « canunt, alii pingunt, alii aliis artibus pollent; « quinto, reliqua bona, salutem, honores, amicos, « divitias; » demum vero bona supernaturalia, licet obiter, ponderando progreditur, his verbis : « Innumera hæc sunt, sed his quinque millibus « comprehensa : Primo, dedit homini Filium unige- « nitum; secundo, Ecclesiam; tertio, gratiam, cum « qua fidem, spem, charitatem et reliquas virtutes « infusas; quarto, gratias gratis datas; quinto, in- « spirationes innumeras et spiritualia beneficia; si « hæc talenta in cultum Dei insumantur, nihil « debebit, qui insumit, siquidem in usus Dei « expenduntur; sed si in obsequium diaboli, exac- « tissimam rationem exiget. » Augetur etiam gravitas hujus debiti per offensam, qua talem Deum injuria afficimus, qui tanquam Creator et Redemptor noster, qui vita et sanguine suo nos sibi comparavit, innumeris nos beneficiis cumulavit : unde Beatus Laurentius Justinianus ait : « Ex pretio « erogato pro te, Redemptoris tui agnosce munus, « tuæque prævaricationis pondus : » trutinari quoque merentur omnia alia specialissima beneficia, quibus nos Deus adauxit; dum nos ad imaginem et similitudinem suam creavit, dum amplissimos cœli thesauros in nos effudit, dum pari cum Angelis gradu, cœlestis regni nos participes effecit, *Psal.* IX, 7 : *Gloria et honore coronasti eum, et constituisti eum super opera manuum tuarum*; quando ergo pro una turpi voluptatula, pro vili quodam lucello, et ad bestialem quemdam appetitum in nobis exsatiandum, hujus adeo erga nos beneficii Dei lex conculcatur, sanguis ejus proteritur et contemnitur, nosque ei rebelles effecti, dæmonis mancipia efficimur, quis in Deum resultantem injuriam et contractum a nobis debitum, infinitatem quamdam in se habere dubitare poterit?

6. — Inter alias quoque proportiones, quæ debitorem inter et peccatorem versantur, una quoque et quidem præcipua hæc est, quod, sicut debitor in continuo est carceris sustinendi metu; ita quoque qui hoc peccati debitum contraxit, continuum in se interius experitur remorsum, malæque conscientiæ synderesin. Psaltes, *Psal.* LX, 17, ait : *Cognoscetur Dominus, judicia faciens*, circa quæ verba S. Hieronymus ab Hugone Cardinali citatus inquit : « Unusquisque peccans secum portat funes, « tormenta, vincula. » Lyranus super verba, *decem millia talenta*, dicit : « Id est, obligatus manet ad « magnam pœnam; » siquidem protinus ut divinam legem in materia gravi transgredimur, pœnæ temporalis et æternæ rei efficimur, taleque a nobis debitum contrahitur, ut si divina justitia pro uno tantum peccato nos omnibus puniat flagellis famis, pestis, bellorum, incendiorum, diluviorum, omnibus quoque atrocissimis martyrum suppliciis, imo cunctis damnatorum tormentis, nos altamen parum, et ut scholæ loquuntur, *citra condignum* nos punire censeatur. Neque censendus est in Deo, adeo in nos benigno, misericordiæ defectus, dum ultorem justitiæ suæ ensem, pro una tantum culpa mortali adeo atrociter in nos stringit, quia injuriam vindicat infinitam, in Deum infinitæ bonitatis et meriti infiniti admissam.

7. — Considerari quoque hic potest, quantum judicia Dei et hominis distent et differant; de hoc enim debitore post contractum adeo excessivum debitum, non constat, quod de illius solutione quidquam cogitarit, aut se ob carceris metum subduxerit, imo in hujus rei aula in societate aliorum, sine ullo verecundiæ rubore substitit, et hæc est multorum peccatorum similis conditio, qui *bibunt, quasi aquam, iniquitatem*, suoque genio in hac vita in-

dulgent, finem hujus vitæ neutiquam considerantes; imo sæpe, *Prov.*, II, 14 : *Lætantur cum male fecerint et exultant in rebus pessimis;* at vero, tametsi nos peccata nihili faciamus, erit tamen tempus, quando rigorosissimus judex Deus, illa bilanci suæ imposita, in pondere sanctuarii accuratissime librabit : *Tu quidem*, dicebat Job, XIV, 16, *gressus meos dinumerasti*. Et *Matth.*, XX, 30 : *Vestri capilli capitis omnes numerati sunt*; omnes cogitationes et desideria nostra, omnia inquam et singula ad trutinam revocabuntur.

8. — Apud Zachariam, V, 7, mira legitur visio. *Ecce*, inquit Propheta, *talentum plumbi portabatur et ecce mulier una sedens*. Origenes ad rem nostram, Prophetam ad peccatorum carnalium gravitatem alludere dicit, utpote quæ plus quam omnia alia peccata, penes divinam justitiam nos debitores constituunt : « Ideo » inquit, « talentorum multo« rum factus est debitor, quoniam secutus est mu« lierem super talentum plumbi sedentem, cujus « nomen iniquitas; » hoc enim peccatum consequenter post se omnia alia trahit, quod proinde Clemens Alexandrinus jure appellat « metropolim « vitiorum. »

Additiones.

a. — *Et cum cœpisset rationem ponere, oblatus est ei unus*, etc. Sic obæratus est homo per delictum, ut neque ipse solvendo par sit tanti debiti molem. Grande peccati damnum, cum ex eo a semetipso peccator resurgere nequeat. Si mala et damna peccati compendiose enumerare velimus, illa revera et in substantia ad sequentia reducuntur capita. Ex peccato enim nascitur jactura amicitiæ et gratiæ Dei, quæ pretiosissimus est totius cœli et terræ thesaurus; præterea privatio donorum et virtutum infusarum a Spiritu Sancto, juris item quod habemus ad supernam hæreditatem regni cœlestis, adoptionis et filiationis divinæ, protectionisque et providentiæ paternæ, quam Deus circa justos gerit, quibus omnia cooperantur in bonum. Insuper peccatum a nobis tollit pacem et serenitatem bonæ conscientiæ, consolationes internas spirituales, quibus servi Dei etiam in summis adversitatibus abundare solent; spoliat nos quoque omnibus meritis bonorum operum quæ in decursu totius ætatis nostræ fecimus; insuper etiam participatione innumerorum bonorum aliarum animarum justarum, quæ cæteroquin gavisi fuissemus, tanquam membra unita corpori mystico Ecclesiæ, cujus caput est Christus. Unde David dicebat, *Psal.* CXVIII, 63 : *Particeps ego sum omnium timentium te*. Ad hæc peccator, quantum est ex parte sua, inutilem reddit et conculcat sanguinem Salvatoris, infinitum scilicet redemptionis nostræ pretium; infructuosa efficit et inutilia omnia opera sua, quantumvis virtuosa et bona, scilicet jejunia, eleemosynas, orationes, disciplinas, aliaque opera similia, quia hæc si in peccato mortali fiant, Deo non sunt grata. Præterea unum peccatum alterius est pœna; dum enim unum peccatum super aliud accumulatur, longa quædam contexitur catena, quæ tanquam servi et mancipia dæmonis, ad infernum per totam æternitatem tolerandum raptamur. Deinde peccatum contristat Deum, Angelos et omnes cœli cives, si hi alicujus essent tristitiæ capaces. Debilitat et enervat in nobis inclinationem et promptitudinem illam, quam alias a natura et ratione haberemus ad virtuose operandum, excæcat quoque intellectum nostrum, vulneratque alias potentias, bestiisque nos similes efficit. Damnum infert non solum animæ, sed et corpori, abbreviando vitam et mortem accelerando. Verum enimvero, id quod inter omnia deplorabilius est, ex hoc tot ærumnarum inextricabili et profundo barathro, nunquam a nobismetipsis resurgere valeremus, nisi Deus, etiamsi a nobis offensus, per summam et infinitam bonitatem suam, manum nobis porrigeret. S. Antoninus proinde ait : « Si liber homo « ambulans per viam, juxta quam est fovea profun« dissima, projiceret se in eam, non est liber ad « exeundum nisi alterius adjutorio. Ita et in foveam « peccati, quod ad infernum ducit, liber est quili« bet per se ad intrandum, sed non ad exeundum, « nisi Deus porrigat ei manum gratiæ. Quod « agnoscens David, *Psal.* CXLV, dicebat : *Emitte « manum tuam de alto; libera me, et eripe me de « aquis multis, scilicet vitiorum*, quia scilicet, per « me non valeo. »

b. — Undenam huic servo multiplicata delicta? Ex uno peccato; ex eo enim in aliud decidit homo, ut in tantam delictorum multitudinem contra omnem legem deveniret; specialis enim peccati pœna est quod unum peccatum post se trahat aliud. Hisce verbis Apocalypticis, *Apoc.*, XXII, 11, hoc insinuatur gravissimum supplicium : *Qui in sordibus est, sordescat adhuc*. Etenim teste experientia, quanto quis in luto se magis circumvolvit, tanto magis sese coinquinat et defœdat. Porro Abulensis modum insinuat quo unum peccatum ad alterum invitet; ait enim : « Dici potest quod unum peccatum est « dispositio ad aliud, non quidem quod directe « unum peccatum sequatur ex alio, sed quia cum « homo magis perseverat in malo, fit pigrior ad « bonum et ad malum pronior. » Consideratione digna est observatio illa S. Augustini, quam explicando verba illa Psalmi LVII : *Iniquitates manus vestræ concinnant*, his verbis tradit : « Quid est « *concinnant*, vel connectunt? de peccato pecca« tum, et ad peccatum peccatum, propter pecca« tum. Quid est hoc? Furtum fecit; peccatum « est. Visus est; occidere quærit eum a quo visus « est. Connexum est peccatum peccato. Permisit « Deus occulto judicio occidere eum quem voluit « occidere. Sentit sciri; quærit alium occidere : « connexuit tertium. Dum ea molitur, forte ne « inveniatur, ne convincatur, consulit mathemati« cum : additum est quartum. Respondit forte « aliquæ dura et mala mathematicus; currit ad « aruspicem ut expietur. Respondet aruspex se « non posse expiare; maleficus quæritur. Et quis « omnia possit numerare quæ connectuntur peccata « peccatis. » S. Doctor ipsemet quoque declarat, qua ratione ante suam conversionem jacuerit miserabilis, et ab immensa innumerabilium peccatorum multitudine oppressus; ait enim, *lib.* VIII *Confes.* : « Velle meum tenebat inimicus, et inde mihi cate« nam fecerat, et constrinxerat me, quippe ex « voluntate perversa facta est libido, et dum servi« tur libidini, facta est consuetudo, et dum consue« tudini non resistitur, facta est necessitas. »

c. — In decem millibus talentorum denotatur hic magna et ingens auri summa. Talentum Atticum, ut refert Bulæus, valebat sexcentos aureos; ex quo patet, centum talenta esse sexaginta millia aureorum, millia talenta continere sexcenta millia aureorum. Si autem Hebræorum supputationem sequamur, multo plus exercesit summa; Hebraicum enim talentum continebat duodecim millia aureorum; inde decem millia talenta auri, sunt centum viginti milliones aureorum, quod singulari studio apponere volui, ut quia in sacro Evangelio aliquoties de talentis fit mentio, sacer Ecclesiastes, maxime is cui librorum copia, seu instructior bibliotheca non suppetit, facili studio id scire, auditoribus suis explicare possit. Nunc autem ad explicationem thematis redeamus.

Voluit Dominus, per hanc parabolam, sicut indicare peccatorum remissionem, sic quoque ostendere eorumdem gravitatem contra Dei majestatem infinitam. Optime autem ad dictam gravitatem exprimendam congruit tanta auri summa. Plus enim exigit Deus ab eo qui unum peccatum mortale commisit, quam si a servo paupere dominus exigisset centum viginti milliones aureorum. Unum enim peccatum mortale cum sit contra Deum commissum, Deoque injuriosum, imo quantum in suo affectu Deum spoliare conatur sua divinitate; longe autem multo major est injuria Dei, indeque resultans debitum, quam sint omnia cumctorum hominum debita, quæ ab aliis hominibus debentur. Quod jam vel inde patet, quod unum peccatum mortale commissum animam Deo gratissimum pignus, ejusque singulare ac pulcherrimum opus deformet, destruat et perdat. Patet etiam ex eo quod Deus ipse pretium pro anima exsolvere debuerit, quod nulla hominum potentia adæquare poterat.

d. — Quæstionem hic movet Eusebius Emissenus, dicens : « Quare cum hoc prius Dominus rationem « ponere voluit? » Respondet considerando, in hoc denariorum numero omnium peccatorum gravitatem contineri. « Omnes enim, » inquit, « numeri « hoc numero continentur; cum enim usque ad « decem numeramus, nisi iterum ab uno incipia« mus, nihil habemus quod dicamus. » Hoc igitur debito major debitum non est. Ad quid ergo summus debitor, seu peccator introducitur? Subdit ipse Eusebius : « Ut ejus exemplo cæteri intelligerent « quantam spem habere potuissent. » Ex divina ordinatione hic tantorum debitor talentorum statim in principio coram Domino sistitur, ut cum alii peccatores viderint huic tanto debitori, indulgentiam ac remissionem concessam, nullus desperet, sed omnes animum sumant, quod etiam in suis magnis delictis veniam impetrabunt; ac proinde media ad peccatorum remissionem conducentia, sine dilatione sibi applicent, qualia sunt, contritio, confessio et satisfactio.

e. — Tanta auri summa congruit antecedenti doctrinæ, in qua docuerat Dominus, fratri injuriam dimittendam septuagies septies. Si enim Deus nobis condonat tantam peccatorum multitudinem, quæ longe excedit decem millia talentorum, id est, centum viginti milliones aureorum; ergo multo magis omnes proximorum contra nos offensas ei dimittere debemus, quæ numero pauciores et qualitate sua multo inferiores sunt; præsertim cum Deus, hac lege et conditione, nostra gravissima et plura crimina remittat, ut et nos exiguas et parvas offensas proximis condonemus. D. Chrysostomus, in quadam super Genesim Homiliam, ubi præsentem adducit parabolam discurrentem audiamus, atque dicentem : « Hic non de talentis et denariis simpli« citer dixit, sed de peccatis erat sermo, et delicto« rum magnitudine; ut discamus quod nos quidem « infinitorum peccatorum pœnas Domino debentes, « propter ineffabilem illius misericordiam, remis« sionem ab ipso accipiamus : si vero erga conser« vos et proximos, et eos, qui eamdem, quam « nos, naturam sortiti sunt, crudeles et inhumani « fuerimus, et quæ in nos commissa sunt, non « demiserimus, tunc et nos in indignationem « Domini incidimus et ea quæ jam antea dimissa « erant, solvere iterum in tormentis cogemur. »

Egena quædam vidua Elisæo quondam extremam suam paupertatem, seque debitis insuper gravatam, in hæc legitur insinuasse verba : *Ecce creditor venit, ut tollat duos filios meos ad serviendum sibi*. Sed quid Propheta ei respondisse autumatis? *Dic mihi, quid habes in domo tua?* At illa respondit : *Non habeo, ancilla tua, quidquam in domo mea, nisi parum olei quo ungar. Cui ait : Vade; pete mutuo ab omnibus vicinis tuis vasa vacua, non pauca, et ingredere, et claude ostium tuum, et mitte inde in omnia vasa hæc, et cum plena fuerint, tolles*. Crevit itaque oleum in omnibus vasis, adeo ut oleum, deficientibus vasis, exundaret; de quo certior factus Elisæus, feminæ præcipit dicens : *Vade, vende oleum et*

redde creditori tuo. Tu autem et filii tui, vivite de reliquo. Quis hæc in figura contigisse negaverit? siquidem immensum est quod homo cum justitia divina contraxit debitum, utpote qui *in multis offendimus omnes*, quemadmodum in oratione Dominica profitemur quotidie. Quem autem satisfactionis modum nobis a creditore nostro insinuatum esse putatis? *Dimittite et dimittemini.* S. Augustinus per oleum misericordiam intelligit, dum ait : « In oleo « misericordia intelligitur ; » ac proinde, si oleum charitatis et amoris erga Deum et proximos nostros habeamus, optime facturi erimus, si illud pro aliqua saltem parte in vasa vacua infundamus, id est, nostris persecutoribus et inimicis, qui timoris Dei, charitatis, virtutum, aliorumque bonorum spiritualium inania vasa sunt, impendamus. Hanc enim dilectionem exercendo, per redditionem boni pro malo, iis qui injuriis nos affecerunt, charitas erga Deum et proximos, in cordibus nostris augebitur, hæcque ea quibus coram Deo obnoxii sumus, debita diluet et abolebit, siquidem, *charitas operit multitudinem peccatorum.*

7. — Origenes, *tract.* VI *in Matth.*, ait : « In « principio ergo ponendæ rationis, oblatus est ei « debitor talentorum multorum ; qui scilicet multa « fecerat damna, et magna ei erant injuncta, et « nullum attulit fructum ; qui forsitan tot talenta « perdidit quantos perdidit homines. » Servus iste Superiorum et Prælatorum personam exprimebat, ut docent D. Paschasius, D. Thomas, Abulensis et alii hic. Talenta autem credita sunt subditi : quot ergo, aut injuria sua, aut malo exemplo seu scandalo, subditi perierunt, tot talentorum factus est debitor, ut de illis redderet rationem, pro eisque pœnas solveret. Legitur, *lib. Num.*, XXV, 3 : *Initiatus est Israel Beelphegor, et iratus Dominus ait ad Moysen : Tolle cunctos Principes populi, et suspende eos contra solem, in patibulis, ut avertatur furor meus.* Qui hanc Numerorum historiam conscripsit chronista, ipsemet Moyses erat, cui Dominus præcepit, ut Principes cruci affigeret, quia populus in fornicationem et idololatriam corruerat. Quare igitur, contra primates gladius acuitur? Origenes respondet : « Vides quæ sit conditio Principum : « de populi peccatis coguntur reddere rationem. » Principaliter autem ad rigorosissimam obligabuntur, si ipsimet causa offendiculi fuerint, iis, qui a se dependent ; quia nimirum Princeps scandalosus, toti est periculosus reipublicæ. Tales autem fuisse in præsenti, ex eodem deducitur capitulo, siquidem ille, contra quem ferrum vibravit Phinees, quique alios ad fornicationem pessimo suo exemplo inclinabat, Princeps erat, dicente Scriptura Sacra : *Erat autem nomen viri Israelitæ, qui occisus est cum Madianitide, Zambri filius Saul, dux de cognatione et tribu Simeonis. Porro mulier Madianitis vocabatur Cozbi, filia Sur principis nobilissimi Madianitarum.* Quantumvis igitur omnes scandalosi a justitia punitiva Dei plectantur, nihilominus capita, Prælati et Principes manifestius et severius castigantur, ideoque notanter dicitur : *Suspende eos contra solem* : « Ut arguantur a luce, » inquit Origenes, « ostentantur contra solem ante quo nihil « potest abscondi ; » quia nimirum scandalum publicum justitia divina publico cœlitus supplicio expiari jubet. Quisquis quatuor Regum et duos Paralipomenon libros attente pervolvet, inveniet utique, nullum inter omnes reges Israel atrocius fuisse a Deo castigatum quam Jeroboam ; sæpe autem dum fulminum, a divina justitia in ipsum emissorum, fit mentio, ratio illorum his verbis insinuatur : *Quia peccare fecit Israel.* Duos enim vitulos aureos a subditis suis adorandos erexit, unum in Bethel, in Dan vero alterum : « Duo « autem vituli, » ut Bellovacensis ait, « duo exem- « plorum malorum genera significant, in Prælatis « et personis Ecclesiasticis. Hic est vitulus quem « posuit in Bethel, id est, in domo Dei ad ruinam « populi. Vitulus in Dan, qui *judicium* interpreta- « tur, significat exemplum malum Principum ter- « renorum. » Pro cujus majori intelligentia, *cap.* XIV *lib. Reg.* III, si lubet, percurrite, ubi exterminium ejus, totiusque posteritatis ipsius fusius describitur.

8. — Theophylactus inquit : « Decem millium « talentorum debitores nos sumus, qui quotidie « multis beneficiis afficimur, et nil boni rependi- « mus ; » et in ingratitudine in bonis acceptis, tot tantaque debita excreverunt. Ingrati enim omnibus pene abundant vitiis, ideoque maxime Dei debitores et abominabiles. Nec immerito, siquidem vitium hoc habet sibi annexam omnem malitiam.

Rupertus Abbas, Adami erga communem Creatorem, post indultam adeo nobilem substantiam, considerat ingratitudinem ; siquidem ut divino illi artifici a quo formatus fuerat, gratias tribueret, ne suum quidem os aperire dignatus fuit. « Nam in eo « quod hominem gratis fecit, » inquit ille, « et « gratis nihilominus in illo voluptatis loco, in illo « tali Paradiso deliciis affluens, patrem futurum « multitudini Sanctorum posuit, plane debitorem « magnæ charitatis eumdem sibi effecit hominem, « et valide suis beneficiis obligavit. At ille ingratus « tantæ gratiæ, debitum charitatis non rependit, « in quo magnitudinem nequitiæ nullus est qui « æstimare possit. » Ubi titulum hunc quo vitium ingratitudinis appellat, observetis velim, scilicet « magnitudinem nequitiæ. » S. Laurentius Justinianus ait : « Grande prorsus malum est ingratitudo « quæ divinæ bonitatis exsiccat fontem, hominum « benevolentiam dirimit, spoliat bonis, dignitate « privat, elationem parit, infert cæcitatem, amicos « despicit, disseminat scandala, detractiones fovet, « nutrit jurgia, odia auget, seque possidentem « coram Deo et hominibus facit inglorium. »

VERSUS 25.

Cum autem non haberet unde redderet, jussit eum dominus venundari, et uxorem ejus, et filios, et omnia, quæ habebat, et reddi.

Cum autem non haberet unde redderet.

1. — Salmeron penuriam nostram, qua etiam si culpa mediante bonorum nostrorum operum meritis exuti non essemus, continuo laboramus, his verbis optime exaggerat : « Etiamsi peccati exper- « tes simus, minime tamen pro beneficiis æquiva- « lens reddere valeremus, nam nos totos Deo de- « bemus, non solum ratione redemptionis, et vitæ « æternæ, et gloriæ promissæ, sed etiam creationis « atque conservationis. »

2. — Sciendum est enim, peccatum adeo grande debitum esse, ut, si omnes angeli, qui in cœlis sunt innumeri, siquidem in infimo choro plus sunt Angeli, quam omnes animæ creatæ et in finem usque sæculorum creandæ, si item omnes animæ, quot- quot exstitere aut imposterum existent, a Deo creandæ, si, inquam, omnes isti, per omnem æternitatem, pœnas paterentur infernales, ad satisfaciendum pro uno solo peccato mortali, æquivalentem divinæ justitiæ pro debito hujusmodi nunquam offerre possent monetam, ideoque necessum fuit, ut pro condigna tanti debiti satisfactione, Filius Dei in ara crucis, pretium sanguinis venarum suarum exsolveret de ærario isto, *in quo sunt omnes thesauri.* Imaginemini vobis, quemdam inter compedes et vincula, squalidi carceris angustiis inclusum, mortisque condemnatum, potentis cujusdam regis, dilectum servum, cujus debito diluendo exhausti sint omnes regni illius thesauri, licet nullo et irrito effectu, ad cujus etiam consolationem evacuata regia ærariа pertingere non potuissent, imo tametsi omnes monarchæ subditi pro ejus e carcere liberatione, debitisque diluendis, vitam suam offerentes, ingens tamen ejus debitum expungere non valuissent, ac proinde cogente necessitate ejusdem regis filius unicus pro eodem servo redimendo et abolendo ejus debito, infame patibulum fuisset adigendus ; eumdemque casum in homine peccatore reipsa vere contigisse cogitetis ; vere enim homo, servus Dei vilissimus, magnis tamen a Deo favoribus exornatus, per peccatum infinitæ quantitatis contraxit debitum, pro cujus satisfactione, oblati mille mundi, nec non omnium Angelorum, aliorumque cœlitum, imo et ipsismet Matris magnæ merita, nihil unquam prævalere aut ingentis debiti summam diluere potuere, adeoque Filium Altissimi in crucis trunco crucifigere necessarium fuit, idque ut Dionysius Carthusianus super verba : *Oportuit pati Christum*, ait : « Ut innotesceret, quam enorme « et grave sit peccatum, pro cujus expiatione, oper- « tuit pati unicum Dei Filium, » qui, ut pariter scribit Apostolus, *Coloss.*, II, 13 : *Cum mortui essetis in delictis, convivificavit, donans vobis omnia delicta, delens, quod adversum nos erat chyrographum decreti, quod erat contrarium nobis ; et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci.*

3. — Dionysius Carthusianus hominem in statu peccati mortalis constitutum, et consequenter ad satisfaciendum impotentem, per hunc debitorem intelligendum esse dicit ; ideo verba hæc, *cum non haberet unde redderet*, ita exponit : « Cum ei non « essent opera virtuosa meritoria, quibus Deum « placaret et ejus justitiæ condignam honoris re- « compensationem pro illata injuria exhiberet ; hæc « enim non habet, qui in mortali est culpa, » quod ipsum Lyranus advertens, super hæc verba ita scribit : « Quia peccator non habet unde satisfaciat « Deo pro peccato. » Hugo Cardinalis pariter observat, quod hoc quidem debitum ex nobis ipsis facere, non vero ex nobis ipsis diluere valeamus : « Potest homo per se ruere in peccatum non tamen « resurgere. » — « Ex nobis enim, » ut Salmeron super hæc verba ait : « Quasi ex nobis, non habe- « mus nisi peccata, id est, spinas et tribulos. »

Jussit eum dominus ejus venundari.

4. — Albertus Magnus per hanc venditionem, æternam intelligit damnationem, inquiens : « Hæc « venundatio est æterna damnatio, omnis enim, « qui mortuus fuerit in peccato mortali, venunda- « bitur, id est, suppliciis æternis condemnabitur. » Lyranus pariter in horum verborum explanatione, ad pœnas allodit infernales, dicens : « Quia omnia « sua sunt pœnæ æternæ propter peccatum suum « obligata. » S. Augustinus in *Catena* citatus ait : « Pretium venditi, est supplicium damnati. »

5. — Lucas Brugensis aliquibus in locis consuetudinem fuisse scribit, ut in satisfactionem, ipsi pro mancipiis venderentur debitores : « Erat consue- « tudo, » inquit, « regnorum quorumdam, ut, cum « debito solvendo par aliter non esset, posset cre- « ditor vendere etiam ipsum debitorem, uxorem- « que ejus et filios ; » prout lamentabatur afflicta vidua illa, quæ sancti se Elisæi providentiæ committebat, IV *Reg.*, IV, 17, inquiens : *Ecce creditor venit, ut tollat duos filios meos ad serviendum sibi ;* mos nihilominus communior obtinuit, ut debitor carceribus includatur : « Ut, qui non habet in « bonis, luat in corpore. » S. Thomas hanc particulam *venundari* de pœna intelligit, quæ culpam consequitur : « Quia cum Dominus facit rationem, » inquit, « cum homine, et non habet homo unde « solvat, et considerat justitiam Dei, quæ est pœna, « jubet, quod venundetur ; quando venundatur pre- « tium peccati est pœna, quia pretium est, quod « aliquis accipit pro eo et sic venundatur, quando « pœna infligitur. *Isa.*, L, 1 : *In iniquitatibus vestris « venundati estis.* »

6. — Glossa Interlinearis servitutem cui anima per culpam subjicitur, considerans dicit : « Permisit justo judicio malignorum spirituum servum « fieri; » nec solum anima mancipium dæmonis, sed etiam effrenium appetituum suorum efficitur. Unde Paulus de Palatio ait : « Tunc venundatur, « cum datur in reprobum sensum, in quamdam « velut impotentiam resurgendi a peccato. » *Rom.*, VII, 14 : *Ego carnalis sum, venundatus sum sub peccato;* neque anima peccatrix ab alio, sed a seipsa in vincula conjicitur; fitque mancipium sensuum suorum, *Joan.*, VIII, 24 : *Omnis enim, qui facit peccatum, servus est peccati.* Hanc veritatem S. Ambrosius confirmat, dicens : « Servile est omne peccatum, « libera innocentia. » S. Augustinus quoque de se ante suam conversionem confitetur, quod, licet libertate sua fraeretur, a se tamen liber non fuerit : « Velle meum tenebat inimicus, et inde « mihi catenam fecerat, et constrinxerat me; » qui ibidem ultra longæ hujus catenæ annulos seu modos describere pergit, dum ait : « Quippe ex volun- « tate perversa facta est libido, et dum servitur « libidini, facta est consuetudo, et si consuetudini « non resistitur, facta est necessitas. »

7. — Sacra Scriptura communiter, quando hominem impiissimum exprimere nititur, simili fere phrasi loquitur idipsum; sic Spiritus de Achab, III *Reg.*, XII, 25, ait : *Igitur non fuit alter talis Achab, qui venundatus est, ut faceret malum;* verum quidem est, eumdem Achab regem fuisse et ut talem aliis imperasse; attamen appetitibus suis serviebat, eratque servus passionum suarum; optime igitur Eusebius Gallicanus ait : « Quid prodest, quod « liber est in natura, qui servus est in conscientia? « Videmus nos extrinsecus generis claritate subli- « mes, intrinsecus mentis infirmitate degeneres, « innocentium dominos et criminum servos. »

8. — Objici a nonnemine posset, qua ratione Rex ille, qui Christi erat figura, summe benigni et misericordis, tantam in debitorem sævitiam exercuerit? Cui responderi potest his Psalmistæ verbis : *Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis.* « Non « enim ex crudelitate certe, » ut Chrysostomus, *Hom.* LXII *in Matth.*, ait, « nec quia inhumanus « esset, sed quia incredibili cura illius devictus, « hac comminatione ad supplicandum, ne vende- « retur, eum adducebat; » ratio autem, quam dictus Sanctus reddit, valde est efficax, eamque colligit ex eo, quod subsequitur : « Si propter debitum fe- « cisset, non annuisset sane petitioni debitoris, nec « universo ipsum debito condonasset. »

9. — Euthymius aliud hujus severitatis motivum perpendit, dum eam in bonum hujus debitoris ordinatam fuisse dicit : « Propter hoc, » inquit, « in « magnam necessitatem eum redegit, ut ad memo- « riam imposterum revocare posset, qua condona- « tione absolutus esset et compassivus etiam ipse « erga suum fieret debitorem, propriis edoctus ca- « lamitatibus. »

Et uxorem ejus.

10. — « Per uxorem ejus, » inquit Lyranus, « significatur delectatio prava, » vel etiam per illam hoc corpus, hæcque caro nostra denotatur, quam Deus nobis dedit, tanquam servam animæ, in adjutorium ei consignatam. Unde Theophylactus ait : « An non antem uxor, caro, quæ scilicet est conjux « animæ? » At vero culpa nostra, corpus animæ pondus et onus est, *Sap.*, IX, 15 : *Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.* Dionysius Carthusianus ait : « *Uxorem*, id est, sensualitatem. » Albertus Magnus pariter : « *Uxorem*, carnalem con- « cupiscentiam, quæ allexerat eum, » idem alibi dicit : « Uxor tua, id est, conscientia tua, » sed quæ culpa in hac ejus consorte erat, quod ejusdem pœnæ particeps facta fuit et ipsa? Quoad sensum spiritualem hac de re dubitare non potest, quia : *Caro concupiscit adversus spiritum*, ideoque omnis debiti apud Deum contracti origo est, *et spiritus adversus carnem : hæc enim invicem pugnant, ut non quæcumque vultis, illa faciatis;* quoad sensum vero litteralem illæ uxores intelliguntur, quæ vanitati, luxibus, pompis deditæ, multorum damnorum causa existunt et consequenter multorum debitorum origo; atque ideo, quia culpæ instrumentum fuerunt, justum erat, ut et ipse in pœna partem haberent.

Et filios.

11. — « Id est, » ut Dionysius Carthusianus ait, « opera mala; » sic quoque Lyranus in hujus loci moralitate dicit : « Per uxorem delectatio prava, et « per filios, actus mali procedentes inde, pro qui- « bus est puniendus; » per filios quoque, sensus nostros intelligere possumus, qui transgressionum nostrarum origo existunt. Theophylactus ait : « Pueri, opera quæ male fiunt a corpore et animo; « jubet carnem dari Satanæ in interitum, hoc est, « morbis vel passioni dæmonis. » Albertus Magnus in sermone citato inquit : « *Filios ejus;* id est, opera « et omnia membra venundabuntur, id est, æter- « naliter damnabuntur, ut videlicet persolvat in « pœna, quæ commisit in culpa. »

Et omnia quæ habebat et reddi.

12. — Id est, inquit Albertus Magnus : « Omnia « hujus mundi delectabilia et reddi per supplicia « pœnarum. *Job.*, X, 18 : *Luet, quæ fecit omnia.* » Dici quoque potest, quod per culpam mortalem omnibus gratiis, cunctisque bonorum operum meritis ad illud usque tempus comparatis spoliemur. « Vendi cum uxore et familia, » ait Theophylactus, « signat alienationem a Deo; qui enim venditur,

« alterius domini fit; » et qui a Deo se alienat et separatur, omnis boni jacturam facit : *Deus meus et omnia.*

13. — Glossa de hac venditione et servitute in persona Judæorum tractans, ait : « Eum non solum « populum, sed etiam prælatos et subditos; cum « tota familia vel substantia eorum, pro magnitu- « dine delictorum exteris tradidit nationibus, ut « quod noluerunt voto, solvant tormento. »

14. — Ita sensu quoque morali dici potest, quod sæpe, quando Deus uxorem, filios, facultates et quidquid in hac vita amamus, nobis eripit, signum id sit evidens, in proximo esse, quod ad rationes reddendas postulandi simus, adversitates enim immissæ, ut plurimum citationes sunt, ut coram tribunali Dei compareamus.

Additiones.

a. — *Cum autem non haberet unde redderet, jussit dominus ejus venundari.* Magna hic apparet severitas illius domini, ex qua quilibet peccator miseram status sui valet conditionem recognoscere. Cum mandatur venundari, jam amittit dominum suum, scilicet Deum, deindeque omnia gratiæ bona, et ad diaboli transit mancipium. Cum venundatur, jam sibi disperdit usum propriæ vitæ, cum alterius sit, alterique vivat. Cum venundatur, jam suum perdit honorem, servus enim constituitur. Cum venundatur, etiam omnia sua bona disperdit. O utinam homines recogitarent sedulo quot mala illis inferunt peccata, tam in ordine supernaturali quam naturali. In supernaturali amittit Deum, indeque omnia gratiæ bona; in naturali vero propriam vitam, honorem et omnia, quæ habet homo; et tandem sola peccata sunt pabulum et nutrimentum inferni, qui tamen adversus animas innocentes nihil facere prævalet.

b. — Abulensis supra illa verba : *Cum non haberet unde redderet*, ita scribit : « Non habet unde « solvat, quia non habet per quid se liberet. Potest « enim homo per seipsum cadere, sed nemo per « seipsum potest a peccato resurgere, sed gratia « indiget suscitante. Sic dicit Remigius : Sua « sponte peccans, suo conatu nullo modo surgere « valet; et non habet unde reddat, quia nihil per « se et in se invenit per quod se a peccatis absol- « vat. » S. Anselmus super eumdem textum ita scribit : « Quia ex seipso habebat unde in culpam « caderet; sed ex seipso non habebat unde ad « veniam resurgeret. » S. Augustinus quoque hanc habet considerationem, inquiens : « Idoneus est « homo ad vulnerandum se; numquid idoneus est « ad sanandum se? Quando vult, ægrotat, non « quando vult, surgit. Ut jaceret ægrotus, intem- « perantiam suam habuit necessariam; ut surgat « autem, necessariam habet artificis medicinam. « Sic ergo, ut peccet homo, ipse sibi sufficit ad « peccandum; ut justificetur, non sibi sufficit nisi « ab illo justificetur, qui solus est justus. » Claras etenim est sequens Oseæ, XIII, 9, textus : *Perditio tua ex te, Israel; tantummodo in me auxilium tuum.*

VERSUS 26.

Procidens autem servus ille orabat eum, dicens : Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi.

Procidens autem servus ille.

1. — Ex quo debitor ille tot millionum debito se onerarit, ipsum magna cum pompa et fastu vixisse, credere juvat; ideoque hic humiliationis actus, tanto magis in ipso est admirandus; unde S. Thomas ait : « Commendatur ejus humilitas, quia procidens; « *respexit in orationem humilium et non sprevit* « *precem eorum.* » Salmeron quoque hanc humilitatem observat, dicens : « Quemadmodum super- « bia initium est omnis peccati, ita initium justifi- « cationis, humiliatio est. »

Orabat eum.

2. — D. Chrysostomus hanc debitoris supplicam considerans, ad orationis valorem ponderandum nos invitat, dicens : « Audiamus, quotquot ignavi « sumus ad preces, quanta sit obsecrationis vis; « non jejunium ostentavit, non ultroneam paupertatem, non aliquid hujusmodi, sed nudus omnis « virtutis, ubi se ad obsecrandum convertit, eo solo « potuit Dominum ad misericordiam pertrahere. »

3. — S. Antonius Paduanus tria considerat, quæ peccator, post contractum infinitum peccati sui debitum apud Deum, creditorem suum, facere debet : « Ecce quod interim debet facere peccator, dum « vivit; nota ista tria; *procidens* dicitur cadere; « cadit, qui vere conteritur : *rogare*, est humiliter « et devote aliquid postulare, confessio debet esse « humilis et devota : *omnia reddit*, qui pro omni- « bus satisfacit, ut pœna respondeat culpæ. »

Patientiam habe in me.

4. — Lucas Brugensis hoc loco quærit, qua ratione debitor iste, summæ adeo excessivæ, se successu temporis satisfacturum promittere potuerit : « Non habebat, » inquit, « unde redderet et « unde speraret, se posse reddere, et tamen polli- « cebatur, se omnia redditurum. » Respondet autem, totum fundamentum hujus præsumptionis, immensum hoc debitum solvendi, regis sui fuisse clementiam : « Cognoscebat, » inquit, « Domini sui « clementiam, qui placatus humilitatis officiis, om- « nia facile condonaturus esset; illam utique Do- « mini patientiam ac magnitudinem, instar optimæ « solutionis sibi fore ducebat, præter conatum « promptamque voluntatem, quam ipse exhibitu- « rus esset. »

5. — S. Anselmus de ea, quam a divina misericordia postulamus, peccatorum remissione, hæc verba intelligit, q. d. « Peccatis meis parce; » vel, ut Dionysius Carthusianus pariter ait : « Emenda« tionem et satisfactionem meam clementer ex« specta, nec statim me damnes, sed æterna sup« plicia in temporalem pœnam commuta. »

6. — Possunt quoque hæc verba intelligi quasi ad Filium Dei directa, qui per passionem suam, peccatorum nostrorum debitum exsoluturus erat, ut sensus sit : *Patientiam habe in me*, id est, pro me; cui etiam glossæ Salmeron adhæret, dum ait : « Modus, quo quis omnia reddit, est, Deo patiente « et patientiam habente, quo pro nobis in cruce « Deo satisfecit, nam in persona Christi ait Job, VI, « 2 : *Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram « merui, et calamitas, quam patior, in statera*, « scilicet crucis, *quasi arena maris hæc gravior « appareret.* »

Et omnia reddam tibi.

7. — Paulus de Palatio ad hunc debitorem se convertens, eum interrogat : « Unde tibi pauper « decem millia talenta? si te tuaque vendas, nihil « es, vermis es, homo non es; et si peccator es, « nihil es, unde igitur tanta tibi solvendi fiducia? » demum vero modum, quo prudens hic et providus debitor usus fuit examinans, inquit : « Sed profecto « eleganter ipse dixit : *Patientiam habe in me, et « reddam omnia tibi*, quia ex inimico sibi Deum « amicum facere cœpit; reddere etiam ei omnia « cœpit : patientiam igitur habe in me, gratiam « inveniam apud te, et incœpi omnia tibi reddere; « si enim amicus mihi fueris, quid non acceptabis « in pretium debitorum? calicem aquæ frigidæ pro « magna solutione recipies; » minimus enim sanctificantis gratiæ gradus, unicus veræ contritionis actus, vel una amoris Dei scintilla, ad delendum non modo decem millium, verum etiam centum millium millionum talentorum, id est, innumerabilium et enormissimorum animæ vere pœnitentis peccatorum debitum delendum abunde sufficiunt; unde Chrysologus, *Serm.* XXIV, ait : « Teneræ militiæ, delicati conflictus est, amore « solo de cunctis criminibus reportare victoriam. »

8. — Dionysius Carthusianus hæc verba peccatori adaptari posse dicit, qui per bonam vitæ emendationem, divinæ justitiæ integre se satisfacturum esse promittit, q. d. « Pro universis peccatis meis « satisfaciam tibi, et sicut te inhonoravi male « agendo, ac bona debita omittendo, ita te honorabo « bene vivendo, et bona neglecta recuperando. »

9. — Experientia docet, nos in pericolis constitutos multa elicere vota, promissa et juramenta Deo et Sanctis ejus, hoc tantum fine, ut subterfugiamus illa; ita Antiochus Rex egit, quantam enim non præ se tulit pietatem, et cultus ecclesiastici zelum, quando divinæ justitiæ flagellis exceptus fuit? « Hic mos est debitorum, » inquit Chrysostomus, « ut in summa inopia promittant, tantum « quod præsens periculum elabi possent; » ut hoc vel illo beneficio frui possint, plurima adducere norunt effugia atque excusationes. Contingit quandoque, impium etiam peccatorem et flagitiosum nimis, tempus a Deo obtinere pœnitendi et resipiscendi, illudque ad veniam et reconciliationem efficaciter impendere, sed in eo totus consistit punctus, ut tale pœnitentiæ spatium consequatur, et bene eo utatur, contra quod multi faciunt, quorum miseriam Guerricus Abbas hisce verbis deplorat : « Sic nullus fere est, qui tempori pretium « ponat, qui cogitet apud se, quantum valeat ad « comparandam æternitatem dies una. » S. Bernardinus inquit : « Modico tempore potest homo « incrari veniam, gratiam, gloriam. »

10. — S. Thomas super Matthæum scribens, plurimos observat in hoc debitore virtutum actus, dum ait : « Commendatur ejus humilitas, item « discretio, item justitia : humilitas, quia proci« dens; discretio, quia non petiit totum sibi « dimitti debitum, sed tantum petiit tempus, unde « dicit : *Patientiam habe in me*, id est, da mihi « tempus, ut possim satisfacere; item tangitur jus« titia : *et omnia reddam tibi.* »

11. — Paulus de Palatio facilem nobis omnia debita nostra exsolvendi methodum tradit, inquiens : « Si homo se Deo reddit, omnia fere « reddidisse videbitur : sapienter Deus ob homine « petit, cum dicit : *Fili, præbe mihi cor tuum*; hoc « enim si præbeas, cuncta præbuisse videberis. »

12. — Idem quoque auctor in hoc debitore peccatorem figurari considerat pœnitentem, qui emendationis et pœnitentiæ cupidus vitam et mores perversos in melius mutare statuit, qui omnia priora gratiæ dispendia, scelerumque mala integre resarcire potest, si nimirum omnes imposterum actiones suas in debitorum contractorum ordinet solutionem : « Illo audaci verbo docuit, » inquit Auctor, « quo animo esse debeat in Deum homo « pœnitens, videlicet vir vere pœnitens, vereque « proponens male actam vitam corrigere; decernit « in pectore suo, quidquid edat, bibat, dormiat, « vigilet, omnia in gloriam Christi facere; » ita namque verificatur illud : *Omnia reddam tibi.* Proposito nostro favisse crediderim in Canticis Canticorum, VII, 3, Sponsam, animæ electæ figuram, dum cœlestem Sponsum suum ita alloqueretur : *Omnia pomo, nova et vetera, dilecte mi, servavi tibi*; per fructus enim novos intelligere possumus opera bona, quæ divinæ gratiæ virtute adimplentur, quæ in lege nova Evangelica plurimum abundant, videlicet misericordiæ opera, jejunia, austeritates corporales, communiones, et similia. Per poma veteres designari possunt hæreditaria corrupta naturæ nostræ exercitia, quæ dicuntur indifferentia, v. g.

edere, dormire, studere, laborare; vult igitur anima ista, per Sponsam figurata, dicere, quod omnes operationes et actiones suas, licet aliunde nullius in seipsis sint meriti, nihilominus ad Dei gloriam ordinet, cum bonæ intentionis rectitudine, vi cujus aliquem saltem valorem obtineant apud Deum.

Additiones.

a. — *Procidens autem servus ille orabat eum dicens : Patientiam habe in me.* Hoc legitimum est peccatorum remedium si se pedibus Dei prosternant, peccatorum suorum veniam deprecaturi, divinæ se committentes misericordiæ, cujus exemplum præbet hic servus debitor, qui in magno multorum talentorum debito deprehensus, tamen audax rogat : *Patientiam habe in me.* Unde iniquo servo tanta præfidentia, ut herum sibi iratum precibus aggrediatur, et bona spe credat flecti posse ad pietatem? Agnoscebat enim servus herum suum esse Deum, natura bonum et pium, flectique facilem, magnum et excelsum in misericordia, stimulante eum ingenti quem erga hominem gerit amore. Amor enim Dei sive ut Dei erga nos, sive ut noster erga Deum, debita peccatorum remittit.

Argute Idiota, *cap.* XVI, observat quod tamelsi Magdalena multa Christo præstiterit obsequia, pedes ejus lacrymis abluendo, capillis tergendo, ablutosque et detersos pedes pretioso unguento ungendo, multosque virtuosos et heroicos actus in corde suo excitando : « Tamen istis non tribuitur « remissio, sed soli dilectioni, quia sine dilectione « parum valuissent. » Verumtamen præsenti nostro proposito magis deservit, quod Cajetanus notavit, nimirum quod non dixerit : *Dilexit multoties*, « ut « inde discas non oportere ad delendum centum « peccata, exigi centum actus diligendi, quoniam « semel diligere multum, delet innumerabilia pec« cata. » Sicut enim unicus duntaxat gratiæ justificantis gradus, pro infinita peccatorum summa diluenda sufficit; ad eundem quoque modum, unicus duntaxat veræ charitatis et divini amoris gradus ad eamdem debiti quantitatem liquidandam sufficit.

S. Petrus cui collata fuit peccata remittendi summa potestas, facillimum hujusce condonationis modum nos docet, dum ait, I *Epist.*, IV, 8 : *Ante omnia autem mutuam in vobismetipsis charitatem continuam habentes, quia charitas operit multitudinem peccatorum.* Esto quod aliquis, ad gulam usque sit peccatis immersus, gravisque Dei inimicus existat, attamen ut talis plenam peccatorum suorum veniam consequatur, unicum amare sufficit. Unde Idiota ait : « Tua immensa dilectio usque ad inimi« cos se extendit, nulli te negas, nullum spernis, « sed omnes manu amica vocas et recipis, nisi per « peccatum a te invito et nolente contumaciter et « inobedienter recedant. » Ex parte nostra stat omnis defectus, si hanc indulgentiam non assequamur, siquidem in sententia S. Augustini certum est quod « Charitas sit mors criminum et vita vir« tutum. » Idem Idiota, *cap.* V, hunc nobis effectum indicat, quod scilicet « pestes mentis sanat, » et *cap.* XVI, dicit : « Non est peccatum quod dilec« tione tua non remittatur, non macula tam fœda, « tenax ac etiam inveterata, quæ tua dilectione et « amore non dissolvatur. »

b. — Hæc ordinaria est cantilena peccatoris ante pedes confessoris : *Omnia reddam*, omnia emendabo, firmiter propono; et tamen pauci propositum servant, quod ad remissionem peccatorum confitentibus necessarium est; et præter hoc, ea est multorum impudentia, ut Dei patientiam cognoscentes, nimium concedant verecundiæ quæ eos a graviorum peccatorum confessione abstrahit.

Inter alias bonæ confessionis circumstantias, vult S. Bonaventura, ut sit *pura*. Hæc autem juxta ipsum in eo consistit : « Ut in confessione tua intendas « dimittere et emendare peccata tua, et facere de « cætero, quod Deo placet. Si ergo ante Paschu, « confiteris, quod tamen post intendas facere, sicut « ante, vel si in infirmitate flagellatus a Domino, « non intendis, si evaseris, Dei placitum facere, « sed tuum; tunc tua confessio impura est. » Porro propositorum nostrorum valor et perfectio, variis ex indiciis dignosci potest; sed primum quidem signum esse poterit operatio.

Ecclesiasticus, *cap.* IV, 25, ita dicit : *Est confusio adducens peccatum, et est confusio adducens gratiam et gloriam.* Per hanc sententiam eos erudire et a gravi liberare satagit errore, qui verecundia præventi, suos subticent defectus in confessione; cujus vitii enormitatem nobis ob oculos ponit S. Petrus Damianus inquiens : « Nihil fortius ad expugnan« dum gratiam Dei, quam timor humanus, quia « dum erubescimus confiteri, quæ commisimus, « Deum minus quam homines reveremur. Hæc est « confusio adducens peccatum. »

c. — « Valde confidenter promittebat iste satis« factionem operum, quia novit per pœnitentiam « applicari sanguinem Christi, » inquit hic Palatinus, « qui cum sit infiniti valoris, profecto omnia « talenta valet. » Non mirum quod iste servus, quamvis valde pauper esset, et multum pecuniæ deberet, tamen confidenter dicat se omnia redditurum; pollicebatur enim se Redemptoris corporis et sanguinis participem fieri, indeque etsi extrema degeret paupertate, confidenter tamen sperabat, se decem millia talentorum persoluturum; qui enim hoc sacratissimo edulio reficitur, omnibus gratiarum divitiis abundat, ut omnia talenta valeat exsolvere.

Sancta Mater Ecclesia a Spiritu Sancto gubernata, hunc habet peculiarem ritum, quod quando

Angelorum panem per suos distribuit ministros, hæc verba : *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*, præmittere soleat ; ex quibus clare deducitur, quod præcipuus quidam hujus Agni Eucharistici effectus, sit remissio et indulgentia peccatorum. Ideo etiam in consecratione sanguinis specialis fit mentio ejusdem effectus, dum dicitur : *Qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Sententia quoque est S. Paulo a Spiritu veritatis dictata, quod *sine sanguinis effusione non fit remissio.* Atque ideo ut hæc remissio peccatorum a nobis percipiatur, Agnus ille qui dicitur *Agnus occisus ab origine mundi*, in sacrificio incruento salutarem hunc sanguinem pro mundandis animabus nostris quotidie fundit. Et ideo S. Paschasius de hoc sanguine disserens, ait : « Sicut in remissionem fusus est peccatorum et traditus, ita ad hoc hodie in remissionem comeditur et potatur delictorum, ut qui in terris, sine quotidianis, levibusque delictis vivere non possumus, tali esca et potu refecti, sine macula et ruga inveniamur. » S. Carolus proinde inter alios hujus Sacramenti fructus, hunc quoque agnoscit, quod scilicet « venialia peccata hoc etiam in Sacramento remittantur ; » ut merito dicat S. Ambrosius : « Panem hunc quotidianum sumi in remedium quotidianæ infirmitatis. » Idem S. Carolus Borromeus iterum dicit : « Vires præbet, ut a criminibus fideles puros et integros, atque a tentationum impetu incolumes se conserventur, ac præterea tanquam cœlesti medicamento animam præparat, ne alicujus mortiferæ perturbationis veneno facile infici et corrumpi queat. Concupiscentiæ ardorem debilitat, dum charitatis igne animos fidelium vehementer inflammat. »

d. — Versio Arabica sic legit : *Patiens esto, et ego dabo tibi quod tuum est.* Insana videtur esse hujus servi temeritas. Omnem substantiam suam decoxerat cum uxore et liberis ; contraxerat debita tanta quæ ad decem millia sese extendebant talenta ; interim animi æquior factus, quod Domini est, spondet se redditurum, dummodo patiens foret. Unde ? Ex ipsa scilicet patientia. Ea enim est quæ hominem in immensum ditat. Non solum enim per patientiam peccata nostra expiando, pedes nostros ab ipsa perditionis abysso eruimus, verum insuper æternam Cœlorum gloriam nobis feliciter comparamus. Ideoque Blosius optime monet inquiens : « Omnis afflictio et amaritudo patienter loco Inferni atque Purgatorii toleranda est. » S. Augustinus in libro *de Patientia*, cap. VII, similiter inquit : « Verumtamen cum pro libidinibus et sceleribus, cum pro ista temporali vita, ac salute, multa homines horrenda mirabiliter sufferant, satis nos admonent, quanta sufferenda pro vita bona, ut etiam postea possit esse æterna. »

Versus 27.

Misertus autem dominus servi illius, dimisit eum et debitum dimisit ei.

Misertus autem dominus servi illius.

1. — Ex hisce verbis eruit S. Thomas, misericordiam Dei, non vero pœnitentiam nostram, remissionis peccatorum causam existere : « Unde « dolor pœnitentis, » inquit, « non causat remis- « sionem, sed misericordia Domini, » juxta illud Romanis, IX, 16, consignatum dogma : *Non est currentis, sed miserentis Domini.*

Dimisit eum et debitum dimisit ei.

2. — In parabola de talentis vidimus unum servorum ob negligentiam in non negotiando cum talento sibi concredito, adeo severe punitum fuisse, in præsenti igitur cur tanta cum liberalitate decem millia talenta condonantur? Salmeron, hujus observationis auctor, dubium istud ita resolvit : « Hic « humiliter egit et rogavit, ille arroganter et su- « perbe seipsum justificando et Deum accusando « egisse visus est ; unde præstat vel omnia peccata « mundi habere cum humilitate et confessione « erroris, quam unum cum superbia et cordis « duritia. »

3. — Glossa regis hujus bonitatem miratur, qui solum pro dilatione solutionis a servo rogatus, totum ei debitum condonavit ; unde ulterius progreditur admirando superabundantem Dei erga nos amorem et charitatem inquiens : « Vide amoris divini su- « perabundantiam. » S. Thomas ait : « Notat quod « Dominus plura dat, quam homo audeat petere, » juxta id, quod in oratione dicitur : « Qui merita « supplicum excedis et vota. » Theophylactus pariter idem ponderat, dicens : « Misericordia Dei « dimisit omne debitum, tametsi servus non om- « nia remitti, sed prorogari tempus peteret ; disce « igitur, quod Deus plura dat, quam petimus. » D. Chrysostomus hanc veniam nobilissimo titulo condecorat, dum eam « mirabilem misericordiæ « exaggerationem » nuncupat ; siquidem pro condonatione rogatus non fuerat, quia memoriale ipsius oblatum solam respiciebat prorogationem temporis : « Dilationem, » inquit « solummodo « temporis postulavit, ille autem multo magis de- « dit, quam petiit, quia videlicet totius æris alieni « donationem ultro præbuit. »

4. — Salmeron in sensu morali ait : « Dimisit « eum liberum infundendo gratiam, qua liberatus « est a peccato et ab angustia, et stimulo conscien- « tiæ, donavit pœnam temporalem, vel æternam. »

Additiones.

a. — *Misertus autem dominus servi illius*, etc. Magnitudinem doni hujus in servum collati, nobis

explanat D. Antonius Ulyssiponensis, *Serm.* III *in hac Dom.*; ait enim : « Tria facit hic, misericordia « Dei, scilicet, purificat animam a vitiis, locupletat « charismatum divitiis, accumulat cœlestium gau- « diorum deliciis. » Dei misericordia purificat animam a vitiis, sicque huic servo remisit debitum. Locupletat charismatum donis ; non solum Dei pietas, interveniente nostra pœnitentia, culpam nostrorum delictorum remittit, sed etiam multa quibus anima ditatur, interiora gratiæ communicat dona.

b. — Hæc ingens est Dei misericordia, quæ ad unicum verbum omnia dimittit peccata. Talis etenim est efficacia veræ pœnitentiæ et semel vere contusi pectoris, ex corde vere contrito, ut ingressus ille ante gravatus debito, liber egrediatur. Ad unius actus contritionis comparationem Deus omnes flocci æstimat terræ thesauros : *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.*

Admirabilem divinæ misericordiæ methodum nobis exhibet Michæas Propheta, dum inquit, *cap.* VII, 19 : *Miserebitur nostri ; deponet iniquitates nostras, et projicet in profundum maris omnia peccata nostra.* Quis iste loquendi modus ? Nostras divina misericordia iniquitates submerget in mari ? Salsum intelligitur contritionis mare, de quo dicitur : *Velut mare contritio tua.* Hoc in mari omnia submerguntur delicta nostra. Ex S. Vincentii Ferrerii vita adducam exemplum. Ad Sancti hujus in Francia prædicantis pedes, quidam se advolvit impiissimus, multorum temporum homicida, qui divino aspirante lumine pœnitens, dum post confessionem a Sancto pœnitentiam accepisset septennii, petiit utrum in exilis adeo pœnitentiæ virtute salvari posset. Sanctus intensionem advertens compunctionis, totam pœnitentiam ad tres, in pane et aqua, jejunii dies restrinxit ; tunc equidem pœnitens, præ cordis angustia, in amarissimos sese diffundere singultus, quos ut Sanctus observavit, unicum duntaxat *Pater noster* et *Ave Maria*, ei in pœnitentiam injunxit ; vix debito satisfacerat pœnitens, cum ecce subito ad Sancti pedes, quasi intensissimæ contritionis ferro confossus, corruit victima. *Sacrificium* enim *Deo spiritus contribulatus ; cor contritum et humiliatum Deus non despexit ;* atque indilate rectissima ad Paradisi transit gloriam, prout ipsamet nocte sequenti S. Vincentio apparens revelavit cum dicto : « Tantus « potest esse dolor, ut etiam pœnam Purgatorii « tollat. »

Versus 28.

Egressus autem servus ille, invenit unum de conservis suis qui debebat ei centum denarios, et tenens suffocabat eum, dicens : Redde quod debes.

Egressus autem servus ille.

1. — Chrysostomus idipsum immediate, postquam a Regis præsentia egressus fuisset, contigisse dicit : « Cum exisset, non multo tempore « post, sed confestim, beneficii magnitudinem ante « oculos adhuc habens, tanto munere, tantaque « liberalitate Domini abusus fuit. » Euthymius quoque idem tempus ponderavit, dicens : « Non « post longum tempus, sed statim beneficentia fa- « ciens tramitem ad id, quod neque Deo gratum « est, neque hominibus. » S. Thomas servi illius ingratitudinem ex multis circumstantiis exaggerans dicit : « Ponuntur quinque, quæ aggravant ingrati- « tudinem ejus : primo aggravatur ex tempore, « quia si post novem vel decem annos accidisset, « non esset mirum, sed quia eodem die deliquit, « ingratus efficitur, sicut de peccatore, qui, quando « dimissa sunt ejus peccata, in eodem die ad pec- « cata regreditur ; item ex simulatione, quia in « consideratione domini humilis fuit, sed egressus, « statim ostendit qualis esset ; item ostenditur ex « cognatione, quoniam invenit unum de conservis « suis. *Eccli.*, XXVIII, 3 : *Homo homini conservat iram « et a Deo quærit medelam?* Item ex parvitate de- « biti, quia debebat centum denarios, unde innu- « mera erat differentia, quia ipse decem millia ; in « pondere, quia ille denarios, et ipse talenta ; unde « peccata, quæ in Deum committuntur, sunt plura « et gravia magis quam peccata quæ in hominem, « quæ levia sunt, quia ex infirmitate ; unde diffe- « rens ibi est gravitas, sicut inter talenta et dena- « rios ; gravius enim esset regem percutere, quam « famulum ; item designatur crudelitas in exigendo, « quia *tenens suffocabat.* »

2. — Cur de Caino, reproborum primo, fratricida, adeoque in Deum rebelli, dixisse arbitramini Spiritum Sanctum : *Egressus Cain a facie Domini?* Profecto non ob aliam causam, quam quia omnium excessuum causa, indeque gravissima animarum præcipitia impetus impellens est amissio præsentiæ divinæ, sicut e contra ejus possessio ab omni nos peccato præservat, *Psal.* X, 5 : *Non est Deus in conspectu ejus ;* ast quid inde ? *Inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore, auferuntur judicia tua a facie ejus.* Albertus Magnus ait : « Egressus a conspectu « Dei, cui semper astare et gratias agere debuit. » Lucas Brugensis scribit : « Egressus a facie et con- « spectu regis ac domini sui, recentem beneficii « magnitudinem adhuc ante oculos habens, invenit « in ipsa forte adhuc regia. »

3. — Juxta Dionysii Carthusiani mentem, *egressus*, id est, « mente adversus ; » in alio quoque loco in ejusdem Evangelii sermonibus per hunc egressum, recidivationem in peccata pristina intelligit, unde dicit : « Liber a debito, sed rursus victus a « vitio, utpote Deum relinquens per recidivum « peccati ; » eamdem quoque glossam Lyranus his verbis adducit : « *Egressus* per recidivum peccati ; « egreditur enim a Domino, peccatum reiterando. »

4. — Ex præsentis Evangelii decursu, damnum in hunc ingratum redundans clare videtur et merito damna hæc expertus fuit, quia illos præfiguravit, qui non obstante luce recepta, ad offendendum Deum denuo redeunt, et in peccata alias detestata reincidunt, ideoque severius puniuntur, tenaciusque iniquitatibus illaqueantur, quas reassumunt. Hanc quoque veritatem Christus confirmat, *Luc.*, XI, 24, dicens : *Cum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca inaquosa, quærens requiem, et non inveniens dicit : Revertar in domum meam, unde exivi; et cum venerit, assumit septem alios spiritus secum nequiores se, et ingressi habitant ibi, et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus*, quasi diceret : Talis anima majus penes divinam justitiam debitum contrahit, severioribus etiam subjacet suppliciis, majoremque in resurgendo ad gratiam experitur difficultatem.

5. — S. Antonius Padoanus in hoc servo, beneficii paulo ante a Rege recepti oblivionem, nec non quam in hunc conservum suum exercuit crudelitatem notans, dicit : « Qui misericordiæ sibi impensæ « obliviscitur, nullus miseretur; unde servus egres- « sus, vel ejus egressio, oblivionem denotat; » de qua etiam Albertus Magnus ita scribit : « *Egressus*, « hoc est, extra memoriam indulgentiæ perceptæ « positus. »

Invenit unum de conservis suis.

6. — Lucas Brugensis titulum, quo increata Sapientia debitorem hunc compellat, observans dicit : « Observatu dignum est id, quod notatur, homines « omnes conservos inter se esse, utpote ejusdem « Domini cultini et famulatui natura obstrictos. » Salmeron dicit : « Invenit unum, neque a domino « dilectum, atque ipse erat; » experientia etenim quotidiana docet, quod inter illos, qui perpetuo sibi convivunt, maxime in aulis et magnatum familiis rancores et odia intestina magis habituata et diuturniora esse soleant, quia cum sæpius convivendi occasionem habeant, majores sibi invicem et frequentiores inferunt injurias et despectus; sic primi per iram in se invicem concitati, fuerunt germani fratres Cain et Abel; Joseph quoque a fratribus insectabatur insidiis, qui *nec poterant ei quidquam pacifice loqui*; et quis est, qui nesciat, quæ Esau inter et Jacob intercesserunt insidiæ?

Qui debebat ei centum denarios.

7. — Cornelius a Lapide, exacto adhibito calculo, summam hanc decem adæquasse julios dicit; cum e contra summa huic servo condonata, ad centum viginti milliones scutorum ascenderit; unde clare deducitur, quam erga nos liberalis sit Dei misericordia in condonandis peccatis nostris, quamque ex alia parte nos tenaces et parci simus in illatis nobis a proximo nostro injuriis, etiam modicis. Jansenius ait : « Significatur quanta sit simul « ingratitudo et crudelitas ejus, qui inopinabilem « clementissimi Domini benignitatem expertus in « remissione maximi debiti; quo quisque certe Deo « est obstrictus, parvum recusat debitum in se « admissarum injuriarum conservo remittere, sed « extremam ab eo ultionem et vindictam crudeliter « requirit. » Ex hac etiam adeo tenui summa deducitur, quanto minus pondus secum inferat injuria facta nobis, ab ea, quam nos infinitæ majestatis et dignitatis Domino et Deo nostro inferimus.

Et tenens suffocabat eum.

8. — Qualiter hæc conservi suffocatio intelligenda sit, Hugo Cardinalis declarat, dum ait : « Suffocare, est vindictam in fratrem exercere. »

9. — Origenes impietatem hanc ex eo processisse dicit, quia nimirum vim inferens, longe ab oculis Domini sui positus erat, hoc enim fecit *egressus*; unde ait : « Ideo, ut arbitror, suffocabat, quoniam « a rege exierat; non enim suffocaret conservum « suum, si non exisset a rege. » Theophylactus sævitiam ejus his verbis describit : « Injecta in eum « manu, obtorto collo trahebat; strangulat ac pre- « mit; » moxque rationem subdit inquiens : « Nullus, qui in Deo manet, compassionis expers « est, sed ille egressus erat et a Deo nunc alienus « erat. »

10. — Salmeron ad Hugonis Cardinalis mentem conformiter inquit : « Tenet proximum, qui inju- « riam non remittit; suffocat, qui verba excusatio- « nis non audit, quia suffocans gulam stringit, per « quam vox emitti debebat. »

11. — Cajetanus injuriam hanc non soli conservo, sed etiam regi, cujus uterque servus erat, illatam esse dicit : « In nonnullam injuriam com- « munis domini respectus redundat, tractare sic « conservum statim post acceptum tantum bene- « ficium, tanquam pro nihilo æstimetur exemplum « domini, etiam pro nihilo æstimetur conservi ser- « vitus, respectu ejusdem communis domini. »

Reddе quod debes.

12. — Dionysius Carthusianus verba hæc de illis interpretatur, qui ab iis, a quibus passi fuere injurias, satisfactiones exigunt impertinentes et inopportunas, vel tunc satisfactionem ab injuriantibus exigunt, quando id illis impossibile esse norunt; unde dicit : « Hoc aiunt crudeles, qui per solutio- « nem debiti, aut pro injuria satisfactionem ultra « vires, aut violenter a proximis suis exquirunt. »

13. — Salmeron ad damnatorum pœnam hisce verbis alludi existimans, in alio diverso sensu eadem exponit; dicit enim : « Damnatus dicitur reddere « debitum, quatenus omnia, quibus abusus est et « vane oblectatus, præstant ei cruciatum et tor- « menta, secundum illud : *Quantum glorificavit se « et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum.* »

14. — Theophylactus actionem hanc, magnam vocat crudelitatem : « Magnæ autem erat crudeli- « tatis; » siquidem recenter huic servo condonatam decem millium talentorum summam, nec non tenue alterius centum denariorum debitum ad invicem comparans, dicit : « Omnino nec remittere, « nec prorogare tempus dinumerandi volebat, « tametsi conservus eadem verba diceret, quæ et « ille ad dominum, misericordiam domini in me- « moriam illi reducens. »

Additiones.

a. — *Egressus autem servus ille, invenit*, etc. Sistitur ante Dominum servus qui ei debebat decem millia talenta, et supplici prece rogat Dominum, ut ad solvendum præberet inducias, et inducias indulsit, et debitum liberaliter dimisit. Multis ergo bonis repletus, egreditur lætus et hilaris! Sed o instabiles hominum fortunæ! Mox egressus, iram Domini incurrit, multaque mala eum invenient. Traditur tortoribus, mittitur in terreum ergastulum, donec redderet universum debitum. Unde tanta infortunia mox felici accidunt? Respondet docte Joannes de Sylveira hic : « Ex Domini præ- « sentia multa bona hausit servus, ut esset mitis et « humilis; at ubi a facie Domini recedit, in multa « mala incurrit. » Nam ex neglecta consideratione præsentiæ Dei, omnia mala derivantur. In Psalmo nono regius Psaltes, integrum quemdam contexuit iniquitatum catalogum; ait enim : *Superbit impius. Laudatur peccator in desideriis animæ suæ. Exacerbavit Dominum peccator. Inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore. Cujus maledictione os plenum est, et amaritudine et dolo. Sedet in insidiis cum divitibus, ut interficiat innocentem*, etc. At vero vultisne scire cuinam innitatur hæc tot enormium scelerum congeries? Huic nimirum, quia Deus a mente eorum exclusus erat, sibique persuadebant, quod ab oculis ejus subducere se possent. Non est hoc a me excogitatum somnium, sed ipsiusmet Spiritus Sancti oraculum, qui per os Davidis inquit : *Usquid, Domine, recessisti longe? Non est Deus in conspectu ejus. Dixit in corde suo : Oblitus est Deus, avertit faciem suam ne videat.* Alter huic non dissimilis a lobo, in capite XXII, his verbis constituitur : *Numquid timens arguet te, et veniet tecum in judicium? Et non propter malitiam tuam plurimam, et infinitas iniquitates tuas? Abstulisti enim pignus fratrum tuorum sine causa, et nudos spoliasti vestibus. Aquam lasso non dedisti et esurienti subtraxisti panem. Viduas dimisisti vacuas et lacertos pupillorum commovisti.* Undenam vero tot scelera suam habuere originem? Subjungit idem Propheta : *An non cogitas, quod Deus excelsior cœlis sit, et super stellarum verticem sublimetur? Et dicis : Quid enim novit Deus? et quasi per caliginem judicat : nubes latibulum ejus, nec nostra considerat, et circa cardines cœli perambulat.* Quænam, obsecro, causa est cur atheistæ hodie ad omnem impietatem committendam sibi laxent habenas? Nulla certe alia quam quia sibi nullum prorsus Deum esse, stulte persuadent. Ab hoc enim pessimo principio omnia inter ipsos commissa scelera proficiscuntur : *Dixit insipiens in corde suo*, inquit Psalles, *Psal.* XIII, 1 : *Non est Deus.* Et quid inde secutum fuit : *Corrupti sunt et abominabiles facti sunt in studiis suis. Non est qui faciat bonum; non est usque ad unum.*

Duo Apostoli in schola cœlestis Magistri eruditi gravissime prævaricati fuere. Quorum tamen unus resipiscens, errorem suum amaris lacrymis deflevit; alter vero in desperationis barathrum se præcipitem egit. Scitisne hujus differentiæ causam? S. Petrus Dominum suum tunc abnegavit, quando extra Domini sui conspectum positus fuit : *Sequebatur eum a longe.* Circa quæ verba S. Ambrosius ait : « Bene *a longe sequebatur eum* proxime nega- « turus; neque enim negavisset, si Christo proxi- « mus adhæsisset. » At vero qua occasione demum errorem suum inconsolabiliter deflens et detestans, se emendavit? Nimirum quando Christus fixis eum oculis aspexit : *Respexit Petrum, et flevit amare.* Judas vero e contra eodem tempore, quo Dominum suum tradere machinabatur, tergum eidem obvertit, dicente Scriptura : *Tunc abiit unus e duodecim*; nec amplius coram facie Christi apparuit, præterquam quando traditionis promissæ machinam in societate armatorum militum est executus. Cæterum vero in totius passionis suæ decursu, priusquam laqueo se suspenderet, benignissimi Redemptoris fugit præsentiam et beneficos oculos, quos Rupertus Abbas « fenestras salutis et patentes mi- « sericordiæ januas » appellavit.

b. — O impudens socie! An tam facile oblitus es beneficii a Domino tuo tibi præstiti, maxime ex hac causa ut addicas qualiter et tu cum conservo tuo habere debeas? Ex quo tu judica, quod si Deus tanta facilitate remittit decem millia talenta, annon et tu tenearis illi remittere, qui modicum tibi ventum debet, nempe unicum verbum insipidum, aut aliquo etiam modo injuriosum, et hoc non semel sed etiam septuagies septies?

VERSUS 29.

Et procidens conservus ejus rogabat eum, dicens : Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi.

1. — Considerandum quoque hoc loco venit, debitorem hunc creditori suo se recommendando, eodem modo processisse, quo ipse domino et regi suo supplicando processerat, licet cum hac differentia, quod de hoc dicatur *orabat*, de illo vero, *rogabat*, quia rex ille Deum referebat, cui religiosus

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

orationis cultus debetur, ille autem solum homo erat.

2. — S. Antonius de Padua de hoc ingrato et crudeli servo ita scribit : « Eodem verborum ordine « rogasti Deum, et dimisit tibi, de eodem rogatus « a conservo, noluisti dimittere ei; sed crede mihi « veniet tempus, et *ipse clamabit, et non exaudietur.* « *Prov.*, xxi, 13. »

Versus 30.

Ille autem noluit, sed abiit, et misit eum in carcerem, donec redderet debitum.

Ille autem noluit, sed abiit.

1. — « *Abiit,* » inquit Albertus Magnus, « hoc est, « a naturali pietate recessit, inhumane agendo; » qui enim remittendis et condonandis injuriis durus est et obstinatus, naturam humanam exuit, quia ferocire ferarum est proprium. Unde Lactantius Firmianus ait : « Ira non modo boni, sed hominis « appellatione despoliat, siquidem nocere alteri non « est secundum hominis naturam; nam et pecudes, « si lacessas, aut calce aut cornu repugnant. »

2. — Ecce tibi magnam, quæ regem hunc et servum intercedit, differentiam. Rex enim summa cum benignitate et minime rogatus, siquidem servi petitio dilationem solutionis solum spectabat, decem millia talentorum remittit; hic vero se erga eum, qui longe minoris summæ, id est, centum denariorum debitor erat, severum se et implacabilem exhibet; unde colligitur, quod injurias remittere et condonare actio sit vere regia et heroica, solisque magnatibus propria; irreconciliabilem vero se præbere, seu injurias fixa mente vindicare velle, opus sit servile, hominibus vilibus et infimis natalibus oriundis, qualis hic esse cernebatur, proprium. David Rex postquam in pacifica regni sui possessione stabilitus et confirmatus esset nonnullis eum ad injurias, paulo ante a Semei sibi irrogatas, castigandas irritantibus, respondit : *An ignoro, me hodie factum Regem super Israel? cur efficimini mihi hodie in Satan?* Pessimi illi conciliarii optimum Regem pretiosissima regii diadematis gemma, scilicet mansuetudine et inimicorum dilectione privare satagebant. Nota vero, cum dixisse, se eo die ad regium fuisse thronum sublimatum : *An ignoro, me hodie factum Regem?* cum tamen multos annos a Samuele in Regem unctus, sceptrum rexisset regium, cur ergo dicit, *hodie?* ad denotandum nimirum, se tunc præcipue regium diadema meruisse, quando actum illum heroicum, in Semei adeo indignum, severissimisque pœnis dignum, gloriose exercuit. Revocandum hic quoque in memoriam, quod, quando idem Rex David ad mortem injuste quæsitus, ideoque in specu delitescens, eidem Saul hosti suo, cui ob propriam defensionem, caput juste detruncare poterat, vestis tantum limbum præsciderit, eumdemque ei, ad insinuandum, quod evaserat periculum, nec non quam in illum exercuerat mansuetudinem de longinquo ostenderit, Saul ex instinctu prophetico exclamare mox cœpit : *Nunc scio certissime, quod regnaturus,* quasi diceret : Sicuti ego ob quæsitam in te vindictam regno sum exuendus, ita tu ob generosam animi mansuetudinem ad regium solium meum eveheris.

3. — Injurias remittere nolle, actio est personarum vilium; e contra vero dissimulatio injuriarum solis viris nobilibus, generosis et virtute præditis propria est. Unde S. Bernardus ait : « Magna gloria « est, si, cui nocere potuisti, parcas; nobile vin« dictæ genus est ignoscere victo. » Notandum est autem, quod tametsi hæc virtus, ut historiæ perhibent, a multis quoque Gentilibus usurpata fuerit, hæc tamen doctrina specialem in schola Christi locum habere debeat; nam ut S. Paulinus ait : « Præstat, vinci bono, quam vincere malo; » itaque vinci videtur in hoc sæculo, cui tunicam alter abstulerit; at in Christo triumphat, qui tunicam auferenti remittit et pallium.

Versus 31.

Videntes autem conservi ejus quæ fiebant, contristati sunt valde, et venerunt, et narraverunt domino suo omnia quæ facta fuerant.

Videntes autem conservi ejus quæ fiebant, contristati sunt valde.

1. — Salvator noster fidelibus suis charitatem et compassionem reciprocam inserere semper conatus fuit, ac proinde S. Petrus, I *Epist.*, iii, 8, cunctos pariter fideles monet, ut sint *omnes unanimes compatientes, fraternitatis amatores, misericordes.* S. Paulus, *Heb.*, x, 34, similiter ait : *Socii taliter conversantium effecti, nam et vinctis compassi estis;* hujus autem dilectionis mutuæ rationem ad Corinthios transcribit, dum omnes fideles, veluti unius corporis membra esse, ostendit, I *Cor.*, xii, 25 : *Idipsum,* inquit, *pro invicem sollicita sint membra, et si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra.* S. Thomas similiter super hæc verba, ad hunc Apostoli textum alludens, dicit : « Videmus enim, « quod si patiatur unum membrum, compatiuntur « alia; unde videntes hominem affligi, compatiun« tur ei naturaliter; » proinde dicitur : *Vidi prævaricantes et tabescebam.* Lucas Brugensis super hæc verba ita scribit : « Optimi quique homines, « dum vident tyrannidem quorumdam hominum, « qui tantum ipsi Deo debent, quantum nemo « verbis exprimat, in alios, a quibus offensi forte « fuerint, sævitiam exerceri videntes, non se conti« nent, quin gemant et Deo querelas exponant. » Pergit deinde ostendere, quod si spreta fraterna

compassione, in alios sævierint, tot habituri sint crudelitatis in proximum exercitæ testes, quot futuri sunt virtuosi homines, eamdem videntes : « Nobis « itaque coram Deo, tot adversarii testes erunt cru« delitatis integræ, quot nobiscum vivunt pii homi« nes. »

Et venerunt et narraverunt domino suo omnia quæ facta fuerant.

2. — « Id est, divinam justitiam imploraverunt, » inquit S. Thomas, « idque si non ore, saltem corde, « quia *desiderium pauperum exaudivit Dominus,* « *præparationem cordis eorum audivit auris tua.* « *Psal.* x, 17. »

3. — Dionysius Carthusianus per hos conservos intelligit Angelos, utpote qui una nobiscum eidem Regi gloriæ inserviunt et ministrant, quorum proinde unus S. Joanni dixit, *Apoc.*, xix, 10 : *Conservus tuus sum et fratrum tuorum;* « hi tanquam « diligentissimi, fidelissimique custodes, » inquit Dionysius, « nostra considerant facta et sicut de « nostro gratulantur profectu, ita de nostro vitio « contristari dicuntur, quia per modum dolentis se « habent, dum nostræ eis displicent culpæ. » Theophylactus quoque, per illos, spiritus intelligit angelicos : « Videntur hi conservi esse Angeli, osores « mali et amantes boni, non quod ignoranti Domino « hæc dicant, sed ut tu discas quod Angeli nobis ad « tutelam dati sint, et quod inhumanis et immiseri« cordibus indignentur. »

Additio.

a. — *Videntes autem conservi ejus quæ fiebant,* etc. Boni servi a Domino addiscunt misericordiam et pietatem, quam miseris impertiuntur. Secus malus servus Domini clementia nihil proficit, sed a sua malitia, in sævitiam et impietatem impellitur. Per hos autem servos, Theophylactus, D. Remigius, Carthusianus et alii intelligunt nostros Angelos custodes, qui sicut de nostro profectu vere lætantur, ita de nostris peccatis et delictis, metaphorice contristari dicuntur, quia per modum dolentis habent dum displicet eis quod impie agimus, vel quod sinistre nobis contingit. Hi autem narrant Christo, non ut ignoranti, sed ut judicanti opera nostra, et verba, et ut etiam pro nobis loquantur et exorent.

Versus 32.

Tunc vocavit illum dominus suus, et ait illi : Serve nequam, omne debitum dimisi tibi quoniam rogasti me.

Tunc vocavit illum dominus suus.

1. — Juxta S. Thomæ sententiam : « Vocat « Dominus per mortem, *Job.*, x, 22 : *Vocabis me et* « *ego respondebo tibi.* » Frequenter etenim Dominus ad nostræ in Deum ingratitudinis pœnam, dum scilicet amore ejus, qui maxima nobis debita dimisit, minima inimicis nostris remittere noluimus, vitam nobis abbreviat; juxta quod scriptum est. *Psal.* liv, 28 : *Viri sanguinum non dimidiabunt dies suos.* Prætorquam quod insuper experientia testis evincat, verissimumque esse doceat illud Davidis, tanti vindictæ inimici axioma, *Psal.* xxxvi, 15 : *Gladius eorum intret in corda eorum;* quot namque sunt, qui eam, quam inimicis intentant, primi ipsi mortem incurrant? Aut certe si vindictam exercent superstites, ignominiosum vitæ terminum in manibus attingunt carnificis. Testatur insuper Spiritus Sanctus, indignationem atque iram notabile saluti nostræ corporali inferre damnum, dum ait, *Eccli.*, xxx, 26 : *Zelus et invidia minuunt dies.* Quis non obstupescat eam, quam David de suis maxime sibi infensis et supra furibundis tractans inimicis, adducit similitudinem, non ursorum, leonum, aut tygrium, sed apium, dicendo, *Psal.* cxvii, 12 : *Circumdederunt me sicut apes;* qui loquendi modus magis me in admirationem rapit, quando alibi, *Psal.* xxi, 13, eum, de iisdem inimicis disserentem, dixisse recolo : *Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me.* Responderi nihilominus potest, inimicos convenienter apibus comparari, multi namque requiruntur, qui, ut bonam præ se ferant amicitiam, boni sermonis mel in ore portant, sed occulto detractionum et persecutionum aculeo proximum lædunt; dicere etiam possumus, Psalmistam hisce verbis alludere voluisse ad immensa ea, quæ sibi ab inimicis permanabant bona; pro cujus intelligentia sciendum id, quod de ursis naturalistæ tradunt, eos scilicet magna cum aviditate alvearibus appropinquare, non tam suavitatem mellis, quam utilitatem puncturarum in apibus experiri gestientes, ut mediantibus hisce læsionibus sanguis eliciatur, in lenimentum doloris capitis, quo antea cruciabantur; ita ergo Psalmista pariter inferre voluisse videtur, se nimirum, dum in medio esset adversariorum suorum, se, inquam, ex illorum puncturis et insultibus ingens elicuisse animæ suæ beneficium; unde vice quadam ad Deum conversus, dicebat, *Psal.* lxiv, 4 : *Verba iniquorum prævaluerunt super nos et impietatibus nostris tu propitiaberis.* Nihilominus in magis litterali hujus similitudinis sensu videtur dicendum, quod, sicut apes nos pungendo seque vindicando, majus sibi, quam nobis damnum inferunt; relicto enim impresso plagæ aculeo, mori coguntur; ita pariter vindicativis accidat in iis, quibus inimicos suos insectantur injuriis; licet enim quandoque, id quod tamen rarum est, non etiam et ipsi vitæ corporalis damna aut vulnera incurrant, infallibiliter tamen in mortem incident æternam, verificato in iis illo æternæ Veritatis effato : *Corpus et animam perdant in gehennam.*

Ait illi : Serve nequam.

2. — Temerarius alter, qui sine debita veste nuptias audacter intrans, ad ignem condemnatus fuit, amici titulo condecoratur : *Amice, quomodo huc intrasti?* traditor similiter, qui ad capiendum Redemptorem, velut carnificum ductor, turbas armatas in hortum conducebat, sibi dici audiit : *Amice, ad quid venisti?* Cur igitur hic, qui non aliud fecit, quam suum repetere debitum, licet cum severitate, suffocatione et tantæ asperitatis verbis istud egerit : « Cur vocatur is servus nequam, » inquit Paulus de Palatio « qui bona sua repetit? siquidem « nequam non est, qui jure suo utitur, nec eo privatur, licet suam gratiam a suo hero receperit. » Huic ipse difficultati multiplici responsione satisfacit, dum varios hujus creditoris notat excessus, quorum primus fuit, quod propriis debitorem suum manibus interficere attentarit : *Tenens suffocabat eum.* Secundus, sibi non competentem usurpando auctoritatem, dum, quod justitiæ publicæ est, ipse privatus conservum suum in carcerem conjecit. Tertius, violenter argendo impossibilem debiti solutionem : « Exigens ab eo, qui solvere non poterat, qui tamen solvere cupiebat; quia gravissime « indigenti dare, non auferre jubemur. » Quartus excessus committebatur in eo, quod erga miserabilem hunc compassionis viscera occluserit, divinæ prævaricator legis, a S. Joanne, I *Epist.*, III, 17, nobis hisce verbis consignatæ : *Qui viderit fratrem necesse habere et clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas est in eo?* Quintus erat vitium ingratitudinis in regem suum : « Peccavit ex ingratitudine; « *servus enim sciens voluntatem domini sui et non « faciens, vapulabit multis*; ergo recepisse summa « beneficia a Domino, fratrum amorem summe « cupiente et jubente, et torquere fratrem tamen « exigui æris debitorem, id mortale Domino visum « est. »

3. — Salmeron pariter hujus ingrati servi flagitium ex aliis aggravat capitibus, inquiens : « Quod « tam cito accepti beneficii fuit immemor; in « egressu enim suo servus hoc delictum in conservum commisit; secundo quod non extraneum, « sed conservum tam dure tractavit; tertium, pro « vili et exiguo debito tam inhumane se gessit; « quartum non tam verbis, quod tolerabile fuisset, « pretium exegit, sed violentia et suffocatione; « quintum, quod nec illis iisdem verbis quibus « ipse flexerat divinam clementiam, rogatus, conservum suum exaudire voluit; sextum, quia nec « dilationem præstitit, tantum abest, ut debitum « dimiserit; septimum, quod humiliter deprecantem carceri tradidit. »

4. — Hugo Cardinalis verbum *nequam* ita explicat : « Quasi non æquus in misericordia facti exhibenda, quæ tibi prius exhibita est. » Divus Chrysostomus, *Hom.* LXII, similiter hancce perpendit iniquitatem, servus namque crudelis domino suo debuerat centum millionès scutorum sive aureorum, conservus ejus decem julios, id est, unicum duntaxat scutum; adeoque inæqualis hujus erat petitio : « Non æquali de re iste supplicabat, cum « pro talentis hic decem millibus, alter unum pro « centum denariis supplicaverit et ille conservo se « prostravit, iste Domino et cui omnino indultum « fuit, is nec prorogationem quidem concessit, vinculis enim atque carcere ipsum oppressit. » Considerandum docet idem insuper, regem hunc non obstante, quod excessivæ cujusdam summæ creditor esset, non solum in nullum prorupisse verbum injuriosum, contra suum et servum et debitorem, sed benignitate et misericordia in ipsum usum fuisse : « Non conviciatus debitori, sed misertus « fuit, » inquit Chrysostomus; « quando vero adversus conservum crudelitatem exercuit, hunc « nequam atque improbum servum appellavit. » Idem quoque Sanctus alibi, quanti Deus offensam a vindicativis sibi inde illatam, quod ex amore et ad imitationem ipsius, injurias remittere nolint, æstimet, *Hom.* XXVII *in Genes.*, ita insinuat : « Vere hic « videre licet, quantum malum sit injuriarum non « remissio, quoniam cum decem millia talenta « consumpsisset, non vocavit eum malum, sed « nunc, quia conservo, crudelis fuit. »

5. — Hæc etiam inæqualitas ex debito infinito considerari potest, quod Deus nobis condonat, ut injurias quoque proximis condonemus; ex alia vero parte ex debito in comparatione illius exigui momenti, cujus nos debitores sumus illis, qui nobis injurias inferunt, in iis enim decem millibus talentis, ut dictum est, innumera denotantur peccata, quibus divinam justitiam exasperavimus et tamen hæc omnia nobis condonat et se illorum immemorem esse ostendit; at vero, quando de actu vindictæ in proximum agitur, divina ejus justitia adeo exasperatur, ut non modo nos omni cum asperitate et severitate puniat; verum etiam universum antecedens debitum vivaciter redire faciat. Idem quoque Chrysostomus considerat, Deum peccata contra seipsum admissa, in comparatione indignationis et offensæ, quam inimicis nostris inferimus, non tanti æstimare : « Ut discas, facilius ipsum, quod in se « peccetur, quam quod adversus alios, remittere « solere. »

6. — Hæc dictio *nequam* ex alio quoque capite, vindictæ cupidis convenit, quia ut Ecclesiasticus XVI, 6, ait : *Qui sibi invidet, nihil est illo nequius, et hæc redditio est malitiæ illius.* Cujus Lyranus hanc rationem reddit : « Quia torquet seipsum, quantum « ad animam et corpus, » is enim, qui vindictam quærit, sibimetipsi invidet, quia irreparabile corpori pariter et animæ damnum conciliat, dum utramque partem majoribus et desiderabilioribus

hujus et alterius vitæ bonis privat; quantum enim ad animam, hanc gratia et amicitia Dei et vita æterna destituit : *Qui non diligit, manet in morte.* Præterquam quod vindictæ cupidus, in continuo vivit timore, quietem nullam experitur nec pacem, cor ejus inter vulnera, strages et sanguinem humanum convolvitur, dum illud rabiei et furoris veneno plenum semper habet. Torquet etiam corpus, quia bilis et ira nimia talem in ipso ignem accendunt, qui ipsum in cinerem facile redigere valeat, præterquam quod eumdem periculis sæpe mortalibus exponant. Optime igitur Ecclesiasticus, XVII, 30, inquit : *Quid nequius est, quam quod cogitavit caro et sanguis?* nam qui vindictam prosequitur, adeo sibimetipsi inimicus existit, ut animam propriam perdere nihil ducat, dummodo adversarii sui corpus perdere possit.

7. — S. Bonaventura, *Serm. in hac Dom.*, per hunc servum, peccatorem intelligere, ita scribit : « Homo nequam est contra semetipsum, scilicet « male vivendo et sic animam suam damnando; « zizania sunt filii nequam; zizania sunt omnes, qui « in agro Ecclesiæ carent fructu bonæ vitæ; in hoc « certe nequam est, cui alii bonus erit? »

8. — S. Thomas ex hisce verbis, moralis dogmatis loco deducit, quanti referat resipiscere et in culpa non perseverare, quia quando servus ille debitor erat, nulla eum injuria affecit, sicut modo, dum percepta grandis debiti condonatione, in malitia sua persistebat : « Superius cum deberet ei, non « dixit ei opprobrium, sed nunc cum facere debuit « quod non fecit, dixit : *Serve nequam*; quia quod « homo peccet, hoc humanum est, sed si perseve« ret, hoc diabolicum est. »

Omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me.

9. — S. Bonaventura verba *quoniam rogasti me*, considerans, dicit : « Mira liberalitas non partem, « sed totum, non centum, sed mille, sed decem « millia talenta, id est, innumerabiles reatus con« tra decem præcepta contractos tam faciliter di« mittit petenti. »

10. — S. Remigius, a S. Thoma in *Catena* citatus, bene considerat, quod debitor ille ad hanc objurgationem nihil responderit, nec se excusarit, cum tamen videatur, facile se excusare potuisse, dicendo : Conservi debitum indubitatum esse et certum, eumque se ex justitia ad debitum diminendum convenire posse, neque se contrarium faciendi mandatum a Rege unquam accepisse, ac proinde duritiam hanc gratiæ ab eo obtentæ minime præjudicare debere. At S. Remigius in sensu spirituali respondet : « In hoc demonstratur, quod in die « judicii et statim post hanc vitam, omne argumentum excusationis cessabit; » quamvis etiam dici possit, quia hujus parabolæ vis in eo consistit, ut ostendatur, quantopere ad remittendas proximo injurias obligemur, exemplo et præcepto Dei supposito, nemo excusare se poterit, si ei objiciatur, quod amore Dei, proximis offensam non remiserit, cum tamen ipse Deus debita etiam infinita, quæ divinam ejus justitiam suscitare poterant, facillime condonarit.

Additio.

a. — *Serve nequam, omne debitum dimisi tibi*, etc. Tota hujus textus doctrina in hoc consistit naturali principio : « Quod tibi non vis fieri, alteri ne « feceris. » Quod si igitur servus ille sibi congratulari poterat quod ex tanta Domini sui benignitate et misericordia debiti sui consecutus esset remissionem, revera quoque ex debito aliquo morali et decentia debebat misereri conservi sui; ac proinde dignus consequenti pœna, quia proximum suum non dilexerat sicut seipsum. S. Thomas tres modos distinguit, quibus nos proximos nostros diligere possumus sicut nos ipsos : « *Primo*, quantum ad « finem dilectionis, ut nos et proximum diligamus « propter Deum. » Primarius enim finis propter quem proximum amare debemus, est acquisitio æternæ salutis. *Secundus* modus amandi proximum sicut nos ipsos quem S. Thomas nos docet, se tenet quoad modum dilectionis : ut scilicet sicut aliquis seipsum diligit, quasi sibi volens bonum, ita aliquis proximum diligat, quasi ei volens bona. Qui autem diligit proximum ad hoc solum, ut ejus utilitate et delectatione potiatur, non vult bonum proximo sed ex proximo vult sibi bonum; quo quidem modo homo amare dicitur res irrationales, puta vinum vel aquam ut eis utatur. *Tertius* denique modus diligendi proximum sicut nos ipsos a S. Thoma traditus est : « Quantum ad effectum dilectionis, ut « scilicet aliquis necessitati proximi subveniat, « sicut sibi, et quod nihil illicitum propter amorem « proximi committat, sicut nec propter suum amo« rem. » S. Jacobus Apostolus nos in hujus præcepti observatione mendacii redarguit et convincit, dum ad subveniendum proximorum necessitatibus, viscera seu potius manus nostras non aperimus et extendimus dum ait : *Si frater et soror nudi sint et indigeant victu quotidiano, dicat autem aliquis vestrum illis : Ite in pace, et calefacimini, et saturamini, non dederit autem ea quæ necessaria sunt corpori, quid proderit?*

VERSUS 33.

Nonne ergo oportuit et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum?

1. — Salmeron vocem *oportuit* ponderans, inde deducit, quod si salvari cupimus, ad dimittendum proximo, non libertatem, sed necessitatem nobis impositam habeamus : « Pondera verbum, *oportuit*, « ut intelligas ad necessitatem præcepti pertinere « remissionem injuriæ. »

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

2. — S. Antonius Paduanus decem millium talentorum debitum, cum alio centum denariorum comparans, ait : « Tanta differentia et longe major inter « peccatum, quo offendimus Deum, et peccatum « quo offendit nos proximus; si ergo Dominus « totius creaturæ tantum dimittit, cur tu tantillum « proximo non dimittis? » Dionysius Carthusianus nos ad hanc remissionem etiam naturali præcepto obligari existimat; dicit enim : « Qui Dominum « tuum imitari debueras et ad misericordiam natu- « rali præcepto teneris, ut facias alteri quod tibi « vis fieri; » verumtamen ut, quanta sit injurias remittendi necessitas, facilius addiscamus, motivum efficax est, si cogitemus quod continuo, ut Deus nobis offensas contra ipsum quotidie admissas condonet, opus habeamus, ac proinde ut de hac remissione securiores esse possimus, in oratione quotidiana ita nos precari docuit : *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Et alibi dixit : *Dimittite, et dimittemini*; at vero ut S. Bonaventura, *Serm.* III *in hac Dom.*, ait : « Tu vis dimitti centum marchas, et non vis « alis dimittere unum denarium? Mira res : *Homo « homini servat iram, et a Deo quærit medelam? Eccli.*, « XXVIII, 3. Attende proprium periculum, quod tibi « in servo nequam ostenditur; videat ergo quilibet, « ne contra se petat, cum dicit : *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* » citatque S. Augustini testimonium, dicentis : « Unus- « quisque talem indulgentiam accepturus est a Deo, « qualem impenderit proximo suo. » Advertat igitur quilibet, regem hunc, per quem Deus noster symbolice designatur, dixisse : *Omne debitum dimisi tibi*, cum hac tamen expressa conditione : *Nonne ergo oportuit et te misereri conservi tui, sicut ego tui misertus sum?* Ecclesiasticus, XXVIII, 1, protestatur, quod : *Qui vindicari vult, a Domino inveniet vindictam*; quæ porro Domini in vindicativos pœna sit, ipsemet etiam docet, dum inquit : *Et peccata illius servans servabit*, quasi diceret : debitum ejus, perpetua signatura, divinæ justitiæ libro inscriptum remanebit; e contra vero eveniet iis, qui offensam facile remittunt, his enim, *Eccli.*, XXVIII, 2, dicitur : *Relinque proximo tuo nocenti tibi, et tunc deprecanti tibi peccata solventur.* Ubi notandum est : *Deprecanti tibi*; quasi tot ante sæcula in spiritu prophetico eam Ecclesiasticus prævidisset orationem Dominicam, quam Christus ita construxit, nobisque tradidit, ut in ea remissio nobis promittatur peccatorum nostrorum, modo et nos proximis nostris injurias et offensas remittamus. Petitio porro hæc maxime nobis est necessaria et proficua, posse scilicet eam coram divina majestate reiterare per omne vitæ nostræ spatium; quamdiu namque vivimus, periculis versamur delictorum. Nunc igitur videamus Dei clementiam, siquidem liberam in manibus nostris constituit indulgentiam, omniumque culparum absolutionem. « Tu legem scribis, » inquit D. Chrysostomus, *Hom.* XXXVIII *in Joan.*, « de venia « et pœna; tu in tui causa fers sententiam : *Dimitte « nobis debita nostra, sicut et nos*, etc. » Hugo a S. Victore horum verborum contemplationi intentus, miratur, qua temeritate vindicativi eadem proferre audeant : « O infelix, » inquit, « præsumptio! iram « Dei adversus se precibus provocare dicitur, cum « homo homini servat iram et a Deo quærit miseri- « cordiam. » Quis non horreat? siquidem non sacrilegiis, non adulteriis, non furtis, aut similibus aliis prævaricationibus, sed oratione homo provocat iram Dei : « Iram Dei adversus se precibus provo- « care dicitur. » Legitur de simili homine, qui contra inimicum suum implacabili flagrans odio solitas ad Deum fundebat orationes, per septem nihilominus mensium spatium, quibus in suo contra inimicum persistebat rancore, recitare nequit orationem Dominicam; re igitur cum confessario collata, admonitus fuit inimico condescendere, cui ut paruit consilio, lingua protinus perfecte resoluta, totum orationem Dominicam cum verbis illis : *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*, expedite pronuntiavit.

3. — « Quilibet tenetur alii misereri tripliciter, » inquit S. Bonaventura, *Ser.* IV *in hac Dom.*, « primo, « ex consideratione suscepti beneficii; secundo, ex « consideratione divini exempli; tertio, ex consi- « deratione æterni supplicii. »

4. — Salmeron tempus discutit, quo Dominus voluit servum misereri conservi sui, postquam scilicet ipse misericordiam consecutus esset : « Nam « hic servus non poterat remittere conservo, si « prius Dominus sibi non dimisisset; nam cum « deberet satisfacere domino suo, æquum erat « exigere a suis debitoribus; sed postquam remis- « sum est, tunc oportuit et ipsum misereri conservi « sui; juxta quam rationem postquam Christus « venit et liberavit nos ab omni culpa et pœna, « oportet nos proximis nostris remittere. »

5. — Diversas Cajetanus rationes perpendit, vi quarum crudelis hic creditor culpabilis efficitur; unde inquit : « Ac si aperte diceret : Etsi nolebas « imitari me in liberalitate, oportuit tamen me « imitari in misericordia, saltem exspectando sup- « plicantem pro dilatione temporis, » docetque, quod, licet non obligaretur debito legali, bene tamen morali et consequenter ex duplici capite, primo, ob debitoris in solvendo impotentiam, saltem ad tempus; secundo, « ex beneficio simili, imo « longe majori, in simili materia et supplicatione, « sibi tunc præstito a communi domino. »

VERSUS 34.

Et iratus dominus ejus tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet universum debitum.

Et iratus dominus.

1. — Quam obsecro dominus habebat indignationis causam adversus servum hunc, dum non alio fine conservum premeret, quam ut suum extorqueret debitum, quare voluit dominus eum ab hac desistere exactione? Hugo Cardinalis pro sensu morali in hæc verba pro responsione citat divum Chrysostomum : « Si grave videtur damnum, opor- « tebat aspicere lucrum, quod factum est; si grave « videtur præceptum, cogita præmium. » Peregrinum quidem videtur, reddere bonum pro malo, et remittere injurias atque imposturas; ast in præmium atque inde resultantem remunerationem conjiciendus est oculus. De vindicativis etiam Chrysostomus in alia quadam Homilia ita scribit : « Nihil omnium Deus ita odit et aversatur, ut « hominem ultionis avidum, et in animo suo per- « petuas adversus proximum servantem inimici- « tias; tantum enim ejus peccati damnum est, ut « misericordiam Dei revocet, nec locum habere « sinat. »

2. — Dionysius Carthusianus hunc in Deo irascendi modum ita fieri docet : « Iratus Dominus, « videlicet Christus, qui irascitur non per passionis « commotionem, sed per justitiæ executionem, seu « pœnæ inflictionem. »

Tradidit eum tortoribus.

3. — Juxta S. Jacobi Apostoli doctrinam, sine misericordia judicabuntur ii, qui ipsam non exercuerint in proximos suos, *Jac.*, II, 13 : *Judicium sine misericordia illi qui non fecit misericordiam.* Unde Albertus Magnus, *Serm.* LXXIV, ait : « Hoc vade « terribile est exemplum omnibus his, qui nolunt « injurias sibi illatas ex corde dimittere. » Salmeron similiter inquit : « Est severus Deus, acerri- « musque eorum, qui remittere nolunt fratribus « suis, vindex. » Quærit porro idem Auctor, quid si hic servus iterum Regi supplex, delicti veniam petiisset in conservum commissi, an impetrasset, respondetque : « Pepercisset utique pro sua boni- « tate, si adhuc viveret, sed in adverte et time, « nam hic non amplius veniam petiit, quod forte « multis evenit, qui satiare animum volunt, postea « non inveniunt locum pœnitentiæ, nec amplius ex « corde veniam petunt. » *Cor durum*, inquit Ecclesiasticus, III, 27, *habebit male in novissimo.*

4. — Non abs re fuerit, in præsenti, æternæ damnationis supplicia, quæ varia sunt, examinare, conformiter ad illa verba : *Tradidit eum tortoribus.* S. Thomas ait : « Per servum istum intelligitur « peccator quilibet, cui irascitur Deus in judicio, et « tradet eum æternis tormentis; » quorum primum est, reprobos in æternum visione Dei privari, de quo cruciatu ita divus Chrysostomus, *Hom.* XIV *in Matth.*, scribit : « Novi, quod quam plurimi perti- « mescant gehennam, ego tamen illius gloriæ amis- « sionem multo amarius quam ipsius gehennæ « puto esse supplicium, » pœna etiam damni, omni absque comparatione, major est quam pœna sensus, quia illa nobilissimam hominis partem, animam scilicet, hæc vero partem ignobiliorem et inferiorem incessanter affligit; sicut ergo major est beatitudo et lætitia in solius divinæ essentiæ, quam in omnium aliorum, simul unitorum, Paradisi bonorum fruitione, ita pariter majus est reproborum tormentum, æternaliter amissise Deum, in quo consistit pœna damni, quam omnia abyssi infernalis incurrisse supplicia. Præter hanc igitur pœnam damni, in qua reprobus vivaciter summi boni a se perditi infinitatem apprehendet, non minori excruciabitur dolore seu pœna sensus; carnifices erunt diaboli, infensissimi jam a principio mundi, et implacabiles inimici nostri, quandoquidem ad eorum ruinas restaurandas creati sumus; deinde pro suis quisque viribus, damnatus in damnatum carnifex erit, omnesque damnati carnificinam exercebunt in quemcumque reprobum, solliciti ad unum omnes, ut tormenta et lamenta multiplicentur in proximo. Fames erit inibi canina, *Psal.* LVIII, 7 : *Famem patientur ut canes.* Sitis vagabitur inextinguibilis; exemplo sit dives epulo, qui post mille sexcentorum et plurium annorum spatium, irritis hucusque suspiriis, vel unicam aquæ stillam sollicitavit; alleviaturus nihilominus aliqua ex parte nimiam hanc faucium suarum ariditatem, qualem arbitramini haustum potet? *Fel draconum vinum eorum et venenum aspidum insanabile, ignis, sulphur et spiritus procellarum pars calicis eorum.* Fetor inibi invalescet, omnia humana imaginatione major; in hanc enim infernalem cloacam omnes projicientur, atque exonerabuntur execrabiles totius humanæ et diabolicæ nequitiæ inpuritates, a principio usque in finem sæculorum evomitæ; damnati etiam tam stricte comprimentur invicem, ut ne in omnem quidem æternitatem sese loco movere valeant. *De cadaveribus eorum ascendet fetor*; juxta S. Bonaventuræ opinionem, tanta ab iis exibit sanies et putredo, ut vel unicum damnati cadaver sufficeret ad inficiendum mundum universum : « Omnium sentina « fœcum infernus est, » inquit, « adeo pestilens, ut « vel unus sat esset mundum inficere universum. » Ignis tormentorum erit intolerabilis, de quo S. Hieronymus ita scribit : « In uno igne omnia supplicia « sentiunt peccatores. » Considerate, obsecro, omnia præterita et futura totius mundi supplicia, certique sitis, omnia hæc simul sumpta ne vel uni posse comparari infernalis istius ignis scintillæ. Unde S. Augustinus ait : « Ignis illius potentiam nulla vox

« exponere, nullus poterit sermo explicare; » de quo Job, x, 26, prædixit, inquiens : *Devorabit eum ignis, qui non succenditur*; cujus hæc est natura, ut nec lignis et follibus egeat; nam, *Isa.*, xxx, 33 : *Flatus Domini sicut torrens sulphuris, succendens eam nocte et die, non extinguetur, in sempiternum ascendet fumus ejus.* S. Basilius super illa verba : *Vox Domini intercidentis flammam ignis*, ad rem nostram ita discurrit : « Arbitror quod ignis præparatus « diabolo et angelis ejus, dissecetur voce Domini, « ut, quoniam duo sunt in igne facultates, ustoria « et illuminatoria, acris quædam et punitoria vis « permaneat apud eos, qui digni sunt, ut urantur : « illuminatoria vero ac splendida ipsius facultas ad « exhilarandos beatos, gaudio fruentes cedet. » S. Petrus Damianus dicit : « Ilta ultrix flamma vitio- « rum habet ardorem, non habet penitus lucem. » Carnificum improbissimus, malæ conscientiæ remorsus erit et vermis incessanter devorans : *Ubi vermis eorum non moritur*; unde S. Bernardus, *Meditat.*, inquit : « Extortes cœlo in carne cruciabuntur per « ignem, in spiritu per conscientiæ vermem. » Ecclesiasticus, vii, 19, pariter dicit : *Vindicta carnis impii, ignis et vermis.* Marci, ix, 42, 43, Redemptor noster de pœnis infernalibus disserens, tertio ignis mentionem facit, eumdemque huic vermi pariter associat : *In ignem inextinguibilem, ubi vermis eorum non moritur. Tendidit eum tortoribus.* Chrysostomus, *Hom.* LVII *ad pop.*, dum omnes alias hujus barathri perditionis pœnalitates et ærumnas perpendit, super omnes cruciatus, dæmonum reprobos circumstantium carnificinam exaggerat, dicens : « Affligunt « nos undique pœnæ, nunquam morimur, transi- « mus ab aquis nivium ad calorem nimium, et « omnia exquisitissima tormentorum genera, per- « petua morte gustamus, sed quod crudelius nostra « dissecat viscera cordis, ab impiis ministris hæc « omnia patimur, de nostra infelicitate severissime « gaudentibus. » Erit et aliud damnatorum crudelissimum tormentum, desolata nimirum eorum desperatio; unde S. Bernardus ait : « Portæ inferi, « cæca desperatio; » in hac vita sunt, qui, ut ærumnis suis finem faciant, ex alta rupe sese præcipites agunt, aut se in mare submergendos dejiciunt, vel crudeliter carnes suas dilaniant; hoc autem refrigerii genus desperatis illis minime concedetur. S. Augustinus æternæ damnationi horrendum titulum, dum eamdem « incommutabilitatem « divinæ sententiæ » appellat; etenim si reprobus postquam mille annorum milliones ex uno latere decumbens, inter inexplicabiles pœnas absolvit, in aliud se vertere velit, id facere minime poterit. Verum enimvero immanissimum omnium suppliciorum erit, quod omnes hi cruciatus futuri sint æterni, nullumque in sæcula sæculorum habituri finem; æterna etenim privatio et jactura Dei erit, æternus planctus, tenebræ, fætor, ignis, vermis æternus, æternum dæmonum consortium et carnificina, denique desperatio æterna; et ideo : *Spes impiorum peribit.*

Quoadusque redderet universum debitum.

5. — Quem hæc verba sensum habeant, S. Thomas, *in Matth.*, docet, dum ait : « Et hoc erit infi- « nitum; si enim pœna cessare non debet, donec « fiat satisfactio debiti, et nullus sine gratia potest « satisfacere, qui decedit sine charitate, non potest « satisfacere in æternum. »

6. — Cajetanus hic quærit : « Quomodo verifi- « catur, quod sic faciet Pater cœlestis, quoadusque « reddat, cum torqueat post mortem in æternum, « sine termino aliquo? » Cum enim per hoc supplicium, quod huic debitori decernitur, Infernus intelligatur, certum est, quod ibidem nunquam debitum suum diluet nec unquam restituet. Respondet autem : « Torquendus est, quousque reddat, si « nunquam reddat, nunquam evadit tormenta, « tales sunt damnati in Inferno, qui ideo nunquam « desinunt torqueri, quia nunquam reddunt, nun- « quam pœnitet eos offensa divinæ, nunquam « satisfaciunt, perseverant enim in voluntate obsti- « nata in malo. »

7. — Potest et aliud hic dubium moveri, scilicet quomodo debitum huic misero semel dimissum, reviviscere potuerit; nam ut Salmeron ait : « Re- « pugnat divinæ justitiæ et Scripturæ dicenti, juxta « Septuaginta : *Non punit bis in idipsum.* » Cajetanus quoque dicit : « Cum sine pœnitentia sint dona « Dei, ut Apostolus ait, quomodo si debita semel « donata sunt ab eo, postea repetuntur? » Quam difficultatem idem hoc responso protinus resolvit : « Repetuntur, non ut fuerant prius debito, sed ut « modo effecta sunt materia ingratitudinis tam « inhumanæ; ingrata siquidem hæc inhumanitas « tanto magis pensanda est, quanto majus fuit « beneficium donationis tantorum delictorum. »

8. — Paulus de Palatio super hæc verba similem considerationem instituens, dicit : « Cum quis « summa beneficia post summa debita et peccata « recepit a Domino, si iterum offendet in scelere « grandi, hoc peccatum ex ingratitudine sit gravis- « simum, adeo ut gravitatem præcedentium delic- « torum aut superet, aut æquet; » cui doctrinæ consonat illud Jansenii : « Non quod redeat proprie « reatus peccatorum præcedentium, semel remis- « sorum, sed quod virtute contineatur in illa ingra- « titudine et in crudelitate in fratrem admissa, eo « quod peccata illa remissa efficiant, ut ingratitudo « illa et crudelitas, tam grave peccatum reputetur, « et pro ea tam severe quis puniatur, ac si priora « peccata ei nunquam dimissa fuissent. » Eamdem quoque doctrinam Dionysius Carthusianus tradit, qui idem ingratitudinis vitium memorans dicit : « Indirecte et aliquo modo redire dicuntur, in « quantum sequentia vitia graviora et damnabiliora « sunt propter ingratitudinem indultæ pietatis, et « propter recidivam in eadem mala, sicut et pericu- « losius est, eamdem corporis partem vulnerari, « quæ læsa est semel. »

9. — Ex his quoque verbis alia deducitur veritas, quæ quotidie practicatur, nimirum quod majus damnum vindictam exercens patiatur, quam sit illud, quod inimico conciliare nititur, quia licet is, contra debitorem suum, omnem crudelitatem exerat ad eum suffocandum et incarcerandum, suas in illum manus immittens, per hoc tamen nullam quoad creditum debitum satisfactionem accepit; quinimo ab omnibus regiæ curiæ aulicis, quos inhumanitate sua scandalizavit, apud Regem accusatus, ab eodem hisce improperii verbis : *Serve nequam*, acriter fuit reprehensus; postque improperatam ejus ingratitudinem et revocatam decem millium talentorum factam remissionem carnificibus et lictoribus infernalibus in æternum traditus fuit; unde S. Augustinus, *in Psal.* CXXXVI ait : « Constat plus esse, quod se lædunt iniqui et quod « sibi nocent, quam quod sibi videntur nocere illis, « quos oderunt; » nam præter angustias timoris, periculorum et persecutionum, quibus se subjiciunt, dum vitam, facultates, honorem et reputationem, amicos et parentes extremo periculo exponunt, dum tanquam perturbatores publicæ pacis ab omnibus odio habiti, juridicis infestantur processibus, vel mulctantur exiliis, irreparabile quoque animæ damnum conciliant; unde idem sanctus Doctor illa Psalmi XVI, 13, verba : *Gladius eorum intret in corda ipsorum*, exponens observat, Psalmistam non dicere, *in corpus*, sed, *in corda eorum*, « quia in corpore « voluerunt occidere et in anima moriuntur. » Contra illos, qui ob acceptas injurias irreconciliabiliter offenduntur, illa a Spiritu Sancto dictata et consequenter indubitata veritas militat, *Prov.*, I, 18 : *Contra sanguinem suum insidiantur et moliuntur fraudes contra animas suas*; et ideo Lamech dicit, *Gen.*, IV, 23 : *Occidi virum in vulnus meum; et adolescentulum in livore meo*; sanguis enim, qui ab homicidis effunditur, supra ipsos recidit, idque cum majori incomparabiliter damno, quam sit illud, quod inimico intulerunt; huic enim ipsi solam eripuere vitam, ipsi vero non solum idem sibi attrahunt periculum, ne videlicet a cognatis occisi, qui homicidium vindicabunt, pariter occidantur; vel eam jactura facultatum, famæ et honoris, a justitia publica mortis damnentur; verum insuper irreparabile animæ suæ damnum comparabunt, Deum et supernam Jerusalem, visionem pacis amittentes.

Additiones.

a. — *Et iratus dominus ejus, tradidit eum tortoribus* : nempe suæ conscientiæ propriæ, quæ præterquam quod naturaliter nobis sit impressa, maximus tamen conscientiæ malæ est cruciatus, ut merito tortor et carnifex dici possit. Quoniam nec torquere cessat donec deposita sit omnis culpa et persolutum omne debitum. Nullus tantus est humanæ tribulationis furor, qui non aliquod quietis concedat intervallum : ast conscientiæ remorsus, vulturis instar cor indesinenter abrodit : *Semper sæva et perturbata conscientia. Sap.*, XVII, 10. Neminem periculum latet vitæ honoris, omniumque temporalium rerum nobilissimæ famæ, in quod castissima quondam incidit Susanna, quæ in mediis illis angustiis, vitam potius et famam, quam corporis animæque puritatem prostituere decrevit; sed verba notate : *Si hoc egero, mors mihi erit.* Imo contrarius videbatur, siquidem per venerem consensum mortem declinasset. Sed prudentiam discite castissimæ viraginis : mortem illam non corporalem designabat, sed spiritualem animæ; hanc illa mortem fugere contendebat, et vermem, seu atrocem malæ semperque cruciantis conscientiæ remorsum. Quo fine S. Bernardinus hanc divi Ambrosii adducit sententiam : « Nulla pœna gravior quam interioris vulnus con- « scientiæ malæ, hoc magis fugiendum quam mors, « quam suspendium. » Pro millibus unum in testem vocemus Jodam, qui vehementem nimis cruciantis conscientiæ remorsum sufferre impotens, vitam succidit in patibulo.

b. — Universum debitum quod jam donaverat, repetit, tunc scilicet, quando novum ingratitudinis debitum contraxit, quem idcirco utpote servum nequam torqueri præcepit, quoad usque universum debitum redderet. Tali nempe odio, benignissimus licet, Deus contra peccatum fertur et armatur, ut immanissimis traderetur tortoribus. Tortorum autem nomine dæmones intelligimus, qui velut carnifices sunt et ministri divinæ justitiæ; ideoque tortores appellantur, quod divinæ justitiæ decreto, reprobos pro qualitate criminum torqueant. Quam graviter autem miseras peccatorum animas isti tortores cruciant, implacabiles illorum inimicitiæ demonstrant, quæ eousque torqueri præcipiuntur, quousque reddant universum debitum. Hoc autem debitum in gehenna, nulla unquam temporis diuturnitate dissolvetur; ita fit, ut quod in hoc sæculo brevi poterat labore resarciri, in illo acerbissimis et perpetuis cruciatibus nunquam dissolvatur. En igitur, o homo, peccati gravitatem, quod ipse Deus acerbissime sic persequitur, ut licet transitorium sit, æternis tamen pœnis, iisque infinitis, illud castiget et puniat.

c. — Supra dictum est, quod misertus Dominus servi illius, dimisit eum et debitum dimisit illi. Cum autem servus crudelis esset in conservum, ut eum suffocaret, tradidit eum tortoribus, usque dum redderet universum debitum. An Dominus talenta semel dimissa iterum repetebat? Minime : nam licet Theologi, cum divo Thoma, III *part.*, *quæst.*

LXXXIX, *art.* 5, meritorum reviviscentiam, peccatorum non admittunt. Quodnam igitur erat illud universum debitum? Recte respondet D. Thomas : « Propter subsequentem ingratitudinem, « odit universum debitum, in quantum quantitas « peccatorum præcedentium proportionaliter, in « ingratitudinem subsequenti, non autem abso- « lute. » Et quamvis opus non sit, ut hoc posterius peccatum, illi priori et antecedenti omnino exequetur, per illud tamen saltem efficitur, ut peccatum novum alias ex objecto suo non ita grave ac antecedens peccatum, in circumstantia ingratitudinis ob receptum beneficium, gravissimum evadat, majorique pœna reddatur dignum. Supplicium enim reincidentium in peccata semel dimissa angetur propter ingratitudinem.

d. — Debitum, sicut supra dictum est, delicti figura est, nam debitum contrahitur, quoties delinquitur; unde Venantius Fortunatus : « Convenien- « ter, » ait, « debita peccata dicuntur, quæ et « debentur, et requirenda sunt. » Quot ergo peccata commisit hic nequam servus, qui debuit decem millia talenta? A quibus tamen liberalissime absolutus, spontanee pristina repetens, seipsum in ingenti damnificavit; quæ damna sequentibus verbis S. Ambrosius exponit, *in Psal.* XXXV : « Ostenditur « nobis ultrix nostri imaginatio peccati, nec quie- « tum reum suum esse permittit, inferens miseram « servitutem, atque in sua vincula trahit, enodare « se ut non queat : quoniam volens ipse se vendi- « dit, cui liberum erat, delictorum aera non ca- « pere et libertatem innocentiæ reservare. » Sic scilicet peccator mortaliter peccans semetipsum offendit et damnificat, suipsius carnifex efficitur. Pergit vero citatus Ambrosius : « Itaque cum ora- « mus, peccatum effunditur : ubi somnus sensum « corporis laxaverit, peccatum recurrit. Semper « nobis error noster, tanquam mali exactor occur- « rit, vel tanquam improbus fœnerator, conveniens « debitorem. » Ita torquet et tormentat peccatorem peccatum, et impii mordet conscientiam, ut sævus exactor.

e. — Primo cum Dominus mandasset servum venundari, ipse prostratus patientiam supplicans, misericordiam impetravit : *Misertus Dominus servi illius, dimisit eum, et omne debitum dimisit ei.* S. Joannes Chrysostomus, *Hom.* LXVI *in Matth.*, hanc super re ad rem præsentem ita acute philosophatur : « Vide divini amoris superabundantiam; petit « servus solius temporis dilationem, ipse autem « majus eo quod petit, dedit; et dimissionem, et « concessionem totius mutui. Modo autem iratus « Dominus, tradidit eum tortoribus. » Quæ repentina illa obstupescenda tam liberalis Domini mutatio? quæ inopina rerum vicissitudo? cur servus ad sponsiones non recurrit? ad patientiæ asylum, dicens : *Patientiam habe in me?* Dicunt jura : Fraus et dolus nemini patrocinatur. Fraudulenter spoponderat delicti pœnitentiam, quod ex eo patet, quod tam facile adeo gravis delicti venia impetrata, mox crudeliter opprimat conservum; adeoque si millies has pœnitudinis voces repeteret : Doleo, doleo, patientia, patientia! necuicquam obtineret. Et ideo modo sic tacet, et pro sui causa non offert, per quas antea clementiam fuerat assecutus. Exteriores enim illæ devotionis demonstrationes, quas impii mortis tempore fundunt, heu nimium sunt fallaces et inutiles!

f. — Communiter sancti Patres per hunc locum intelligunt Purgatorium, a quo interdictus est exitus, quousque reatus pœnæ atrocissimis pœnis expurgetur. « Illud scitote, » ait S. Bernardus, *de obitu Humberti*, « quia post hanc vitam, in purga- « toriis locis centupliciter, quæ hic fuerint ne- « glecta, redduntur usque ad novissimum quadran- « tem. Scio ego, quam durum sit homini dissoluto « apprehendere disciplinam, verboso silentium pati, « vagari solito stabilem permanere. Sed durius, et « multo durius erit, futuras illas molestias tolerare « in purgatorio igne. Centupliciter hic neglecta « redduntur. » O gravissimum et acerbissimum supplicium!

g. — Profecto cum dona Dei sint absque pœnitentia, quare sic iratus Deus inducitur, ut non tantum dicatur inhibuisse benignitatis scarturiginem, sed et specietenus largita munera revocasse? Tantumne deliquit hic servus conservum ad debiti solutionem urgendo? Nihil Deus magis odit quam impatientiam, in cujus detestationem id factum est.

D. Joannes Chrysostomus, die quadam populum suum Antiochenum ad patientiam exhortans, sequentem illis proposuit doctrinam : « Si vis gau- « dere, et remissione, et voluptate potiri, neque « voluptatem, neque remissionem quæras, sed ani- « mam patientia plenam quære et tolerantiam « adhibere valentem. Quod si hoc non habeas, non « tantum tentatio te redarguet, sed et remissio « perdet, et magis dejiciet. Quod enim non gra- « vium incursus casuum, sed mentis nostræ, cor- « poris salutem nostram subvertat, audi quid dicat « Christus : *Quicumque audit verba mea hæc, et non* « *facit ea, similis erit viro stulto, qui ædificavit do-* « *mum suam super arenam : et descendit pluvia, et* « *venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in* « *domum illam, et cecidit, et fuit ruina ejus magna.* « Vides quod non tentationum conflictus, sed ædifi- « cantium stultitia ruinam fecerit? » Totus porro hic discursus eo tendit ut ostendatur, nunquam nos ruinas timere posse, quando fundamentum patientiæ subsistit; e contra vero illas formidandas esse, quando dictum fundamentum collabescit et deficit. S. Augustinus suam adversus impatientiam indignationem clare ostendit, quando in sermone quodam *ad fratres*, in hæc verba detonuit : « Sicut

« per impatientiam omnia destruuntur bona, om- « niaque suffocantur optima, sic et per patientiam « omnia generantur bona, omnes iniquitates de- « merguntur in profundum. »

Versus 35.

Sic et Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.

Sic et Pater meus cœlestis faciet vobis.

1. — Notandum hic est, non dicere : *Pater vester*, aut *noster*; sic enim æternum Patrem suum primis Dominicæ orationis verbis : *Pater noster*, fideles suos compellare docuerat, quia, ut Theophylactus ait : « Non dicit Pater vester, sed Pater meus; « indigni enim sunt tales, qui Deum habeant Pa- « trem; » qua enim fronte vindictam appetentes ut Deum patrem invocare, seque filios ejus appellare poterunt, dum proximis injurias condonare nolunt? Merito enim Deus talibus respondere poterit : Neque ego pater, neque vos filii; aut quomodo in veritate dicent : *Dimittimus debitoribus nostris?* Quando Dominus noster filiorum titulo nos honoravit, audite, quo verborum pondere idipsum fecerit; postquam enim dixisset, *Matth.*, v, 44 : *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, orate pro persequentibus et calumniantibus vos*; protinus subdit : *Ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos.* Eadem quoque est Chrysostomi, *Hom.* LXII *in Matth.*, observatio, dicentis : « Non dixit *Pater ves-* « *ter*, sed *meus*; non enim digni sunt isti, quorum « pater, Deus vocetur, cum ita nequam sint, ut « homines odio prosequantur. »

Si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.

2. — Cajetanus observat, quod Christus injuriarum remissionem non verbis tantum, sed etiam corde factam desideret : « Non vult simulatam « remissionem, sed ex intimo corde, qui cordium « scrutator et judex est Deus. » S. Augustinus in *Catena* citatus, salutare hoc nobis monitum tradit : « Melius est, ut clames ore et dimittas corde, quam « ut sis blandus ore et crudelis corde. » S. Hieronymus pariter a S. Thoma citatus, dicit : « *De cor-* « *dibus vestris*, ut omnem simulationem fictæ pie- « tatis averteret. » Theophylactus ait : « *De cordi-* « *bus*, non de ore duntaxat. » Salmeron multorum detegit astutiam, qui extrinsecus quidem remittunt, cum tamen odii venenum in cordibus illorum ebulliat. » Addit, *ex cordibus vestris*, quia injuriæ « condonatio, ab omni fuco et fictione debet esse « aliena; » adducitque ex S. Hieronymo auctoritatem contra illos, qui hac in re ficte agentes dicunt : « Ego nihil habeo contra eum, ipse novit, habet « Deum judicem; quæ verba sat arguunt animum « adhuc exulceratum et inimicum ei, qui læsit. »

3. — Venerabilis Beda supplicium ob oculos nobis statuit, quod reportaturi sumus, nisi ex toto corde remiserimus inimicis nostris : « Ex quibus « videlicet dictis constat, » inquit, « quia si hoc « quod in nos delinquitur, non ex corde dimitti- « mus et illud rursus a nobis exigitur, quod nobis « jam per pœnitentiam remissum fuisse gaudea- « mus. »

Additio.

a. — *Sic et Pater meus cœlestis faciet vobis.* Formidolosa certe sententia, sed justa, quia cum facillimum sit, et delectabile fraternam servare charitatem, merito iisdem, cum servo isto nequam, tortoribus traduntur temporalibus et æternis, qui nec in tantum divino voluerint obedire præcepto, neque tantillum malignæ suæ contrariæ voluntati. Unde defectus hujus dilectionis, reprobationis indicium est, et varia hujus præcepti transgressoribus sunt irrogata supplicia. Dum S. Joannes Apostolus, I *Epist.*, II, 10, dicit : *Qui diligit fratrem suum in lumine manet, qui odit in tenebris est*; verba illius hunc fere sensum habent, quod scilicet proximorum dilectio luce divinæ gratiæ hominem adimpleat; qui vero eamdem negligit, in æternæ perditionis barathrum sit præcipitandus. Hugo Cardinalis ait : « In lumine permanet, quia, *Rom.*, XIII, 8 : *Qui* « *diligit proximum, legem implevit.* » Joannes autem, I *Epist.*, III, 14, sic ait : *Qui non diligit, manet in morte.*

DOMINICA VIGESIMA SECUNDA POST PENTECOSTEN

EVANGELIUM MATTHÆI, CAP. XXII, VERS. 15

15. Abeuntes Pharisæi, consilium inierunt, ut caperent eum in sermone.

16. Et mittunt ei discipulos suos, cum Herodianis, dicentes : Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces, et non est tibi cura de aliquo, non enim respicis personam hominum.

LXXXIX, *art.* 5, meritorum reviviscentiam, peccatorum non admittunt. Quodnam igitur erat illud universum debitum? Recte respondet D. Thomas : « Propter subsequentem ingratitudinem, « odit universum debitum, in quantum quantitas « peccatorum præcedentium proportionaliter, in « ingratitudinem subsequenti, non autem abso- « lute. » Et quamvis opus non sit, ut hoc posterius peccatum, illi priori et antecedenti omnino exequetur, per illud tamen saltem efficitur, ut peccatum novum alias ex objecto suo non ita grave ac antecedens peccatum, in circumstantia ingratitudinis ob receptum beneficium, gravissimum evadat, majorique pœna reddatur dignum. Supplicium enim reincidentium in peccata semel dimissa angetur propter ingratitudinem.

d. — Debitum, sicut supra dictum est, delicti figura est, nam debitum contrahitur, quoties delinquitur; unde Venantius Fortunatus : « Convenien- « ter, » ait, « debita peccata dicuntur, quæ et « debentur, et requirenda sunt. » Quot ergo peccata commisit hic nequam servus, qui debuit decem millia talenta? A quibus tamen liberalissime absolutus, spontanee pristina repetens, seipsum in ingenti damnificavit; quæ damna sequentibus verbis S. Ambrosius exponit, *in Psal.* XXXV : « Ostenditur « nobis ultrix nostri imaginatio peccati, nec quie- « tum reum suum esse permittit, inferens miseram « servitutem, atque in sua vincula trahit, enodare « se ut non queat : quoniam volens ipse se vendi- « dit, cui liberum erat, delictorum aera non ca- « pere et libertatem innocentiæ reservare. » Sic scilicet peccator mortaliter peccans semetipsum offendit et damnificat, suipsius carnifex efficitur. Pergit vero citatus Ambrosius : « Itaque cum ora- « mus, peccatum effunditur : ubi somnus sensum « corporis laxaverit, peccatum recurrit. Semper « nobis error noster, tanquam mali exactor occur- « rit, vel tanquam improbus fœnerator, conveniens « debitorem. » Ita torquet et tormentat peccatorem peccatum, et impii mordet conscientiam, ut sævus exactor.

e. — Primo cum Dominus mandasset servum venundari, ipse prostratus patientiam supplicans, misericordiam impetravit : *Misertus Dominus servi illius, dimisit eum, et omne debitum dimisit ei.* S. Joannes Chrysostomus, *Hom.* LXVI *in Matth.*, hanc super re ad rem præsentem ita acute philosophatur : « Vide divini amoris superabundantiam; petit « servus solius temporis dilationem, ipse autem « majus eo quod petit, dedit; et dimissionem, et « concessionem totius mutui. Modo autem iratus « Dominus, tradidit eum tortoribus. » Quæ repentina illa obstupescenda tam liberalis Domini mutatio? quæ inopina rerum vicissitudo? cur servus ad sponsiones non recurrit? ad patientiæ asylum, dicens : *Patientiam habe in me?* Dicunt jura : Fraus et dolus nemini patrocinatur. Fraudulenter spoponderat delicti pœnitentiam, quod ex eo patet, quod tam facile adeo gravis delicti venia impetrata, mox crudeliter opprimat conservum; adeoque si millies has pœnitudinis voces repeteret : Doleo, doleo, patientia, patientia! necuiequam obtineret. Et ideo modo sic tacet, et pro sui causa non offert, per quas antea clementiam fuerat assecutus. Exteriores enim illæ devotionis demonstrationes, quas impii mortis tempore fundunt, heu nimium sunt fallaces et inutiles!

f. — Communiter sancti Patres per hunc locum intelligunt Purgatorium, a quo interdictus est exitus, quousque reatus pœnæ atrocissimis pœnis expurgetur. « Illud scitote, » ait S. Bernardus, *de obitu Humberti,* « quia post hanc vitam, in purga- « toriis locis centupliciter, quæ hic fuerint ne- « glecta, redduntur usque ad novissimum quadran- « tem. Scio ego, quam durum sit homini dissoluto « apprehendere disciplinam, verboso silentium pati, « vagari solito stabilem permanere. Sed durius, et « multo durius erit, futuras illas molestias tolerare « in purgatorio igne. Centupliciter hic neglecta « redduntur. » O gravissimum et acerbissimum supplicium!

g. — Profecto cum dona Dei sint absque pœnitentia, quare sic iratus Deus inducitur, ut non tantum dicatur inhibuisse benignitatis scarturiginem, sed et specietenus largita munera revocasse? Tantumne deliquit hic servus conservum ad debiti solutionem urgendo? Nihil Deus magis odit quam impatientiam, in cujus detestationem id factum est.

D. Joannes Chrysostomus, die quadam populum suum Antiochenum ad patientiam exhortans, sequentem illis proposuit doctrinam : « Si vis gau- « dere, et remissione, et voluptate potiri, neque « voluptatem, neque remissionem quæras, sed ani- « mam patientia plenam quære et tolerantiam « adhibere valentem. Quod si hoc non habeas, non « tantum tentatio te redarguet, sed et remissio « perdet, et magis dejiciet. Quod enim non gra- « vium incursus casuum, sed mentis nostræ, cor- « poris salutem nostram subvertat, audi quid dicat « Christus : *Quicumque audit verba mea hæc, et non « facit ea, similis erit viro stulto, qui ædificavit do- « mum suam super arenam : et descendit pluvia, et « venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in « domum illam, et cecidit, et fuit ruina ejus magna.* « Vides quod non tentationum conflictus, sed ædifi- « cantium stultitia ruinam fecerit? » Totus porro hic discursus eo tendit ut ostendatur, nunquam nos ruinas timere posse, quando fundamentum patientiæ subsistit; e contra vero illas formidandas esse, quando dictum fundamentum collabescit et deficit. S. Augustinus suam adversus impatientiam indignationem clare ostendit, quando in sermone quodam *ad fratres,* in hæc verba detonuit : « Sicut

« per impatientiam omnia destruuntur bona, om- « niaque suffocantur optima, sic et per patientiam « omnia generantur bona, omnes iniquitates de- « merguntur in profundum. »

Versus 35.

Sic et Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.

Sic et Pater meus cœlestis faciet vobis.

1. — Notandum hic est, non dicere : *Pater vester,* aut *noster;* sic enim æternum Patrem suum primis Dominicæ orationis verbis : *Pater noster,* fideles suos compellare docuerat, quia, ut Theophylactus ait : « Non dicit Pater vester, sed Pater meus; « indigni enim sunt tales, qui Deum habeant Pa- « trem; » qua enim fronte vindictam appetentes ut Deum patrem invocare, seque filios ejus appellare poterunt, dum proximis injurias condonare nolunt? Merito enim Deus talibus respondere poterit : Neque ego pater, neque vos filii; aut quomodo in veritate dicent : *Dimittimus debitoribus nostris?* Quando Dominus noster filiorum titulo nos honoravit, audite, quo verborum pondere idipsum fecerit; postquam enim dixisset, *Matth.*, v, 44 : *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, orate pro persequentibus et calumniantibus vos;* protinus subdit : *Ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos.* Eadem quoque est Chrysostomi, *Hom.* LXII *in Matth.*, observatio, dicentis : « Non dixit *Pater ves- « ter,* sed *meus;* non enim digni sunt isti, quorum « pater, Deus vocetur, cum ita nequam sint, ut « homines odio prosequantur. »

Si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.

2. — Cajetanus observat, quod Christus injuriarum remissionem non verbis tantum, sed etiam corde factam desideret : « Non vult simulatam « remissionem, sed ex intimo corde, qui cordium « scrutator et judex est Deus. » S. Augustinus in *Catena* citatus, salutare hoc nobis monitum tradit : « Melius est, ut clames ore et dimittas corde, quam « ut sis blandus ore et crudelis corde. » S. Hieronymus pariter a S. Thoma citatus, dicit : « *De cor- « dibus vestris,* ut omnem simulationem fictæ pie- « tatis averteret. » Theophylactus ait : « *De cordi- « bus,* non de ore duntaxat. » Salmeron multorum detegit astutiam, qui extrinsecus quidem remittunt, cum tamen odii venenum in cordibus illorum ebulliat. » Addit, *ex cordibus vestris,* quia injuriæ « condonatio, ab omni fuco et fictione debet esse « aliena; » adducitque ex S. Hieronymo auctoritatem contra illos, qui hac in re ficte agentes dicunt : « Ego nihil habeo contra eum, ipse novit, habet « Deum judicem; quæ verba sat arguunt animum « adhuc exulceratum et inimicum ei, qui læsit. »

3. — Venerabilis Beda supplicium ob oculos nobis statuit, quod reportaturi sumus, nisi ex toto corde remiserimus inimicis nostris : « Ex quibus « videlicet dictis constat, » inquit, « quia si hoc « quod in nos delinquitur, non ex corde dimitti- « mus et illud rursus a nobis exigitur, quod nobis « jam per pœnitentiam remissum fuisse gaudea- « mus. »

Additio.

a. — *Sic et Pater meus cœlestis faciet vobis.* Formidolosa certe sententia, sed justa, quia cum facillimum sit, et delectabile fraternam servare charitatem, merito iisdem, cum servo isto nequam, tortoribus traduntur temporalibus et æternis, qui nec in tantum divino voluerint obedire præcepto, neque tantillum malignæ suæ contrariæ voluntati. Unde defectus hujus dilectionis, reprobationis indicium est, et varia hujus præcepti transgressoribus sunt irrogata supplicia. Dum S. Joannes Apostolus, I *Epist.*, II, 10, dicit : *Qui diligit fratrem suum in lumine manet, qui odit in tenebris est;* verba illius hunc fere sensum habent, quod scilicet proximorum dilectio luce divinæ gratiæ hominem adimpleat; qui vero eamdem negligit, in æternæ perditionis barathrum sit præcipitandus. Hugo Cardinalis ait : « In lumine permanet, quia, *Rom.*, XIII, 8 : *Qui « diligit proximum, legem implevit.* » Joannes autem, I *Epist.*, III, 14, sic ait : *Qui non diligit, manet in morte.*

DOMINICA VIGESIMA SECUNDA POST PENTECOSTEN

EVANGELIUM MATTHÆI, CAP. XXII, VERS. 15

15. Abeuntes Pharisæi, consilium inierunt, ut caperent eum in sermone.

16. Et mittunt ei discipulos suos, cum Herodianis, dicentes : Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces, et non est tibi cura de aliquo, non enim respicis personam hominum.

17. Dic ergo nobis, quid tibi videtur : Licet censum dare Cæsari, an non?

18. Cognita autem Jesus nequitia eorum, ait :

19. Quid me tentatis, hypocritæ? Ostendite mihi numisma census; at illi obtulerunt ei denarium.

20. Et ait illis Jesus : Cujus est imago hæc et superscriptio? Dicunt ei : Cæsaris. Tunc ait illis : Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari, et quæ sunt Dei, Deo.

Versus 15.

Abeuntes Pharisæi, consilium inierunt, ut caperent eum in sermone.

Abeuntes Pharisæi.

1. — Sciendum, quod, ut Salmeron bene advertit, Salvator noster in capite præcedenti Pharisæos per tres parabolas perstringendo exasperarat, quarum prima fuit de filiis ad vineam missis, quorum unus eo dimissus quidem, non tamen ivit. Secunda, de vinea agricolis elocata, quam speratum non ferentem fructum, a primis ablatam, aliis excolendam tradidit. Tertia denique de iis, qui ad nuptias invitatis eas adire detrectarunt : « His parabolis « puncti fuerant et offensi; unde velut injuria « affecti vindictam meditantes quamdam, consi- « lium inierunt, qua ratione eum confunderunt. »

2. — Dionysius Carthusianus verba hæc de discessione interpretatur corporali, qua a Christi præsentia abierunt : « Id est, a corporali Christi « præsentia se subtrahentes et seorsim euntes; sta- « bant equidem coram Christo cum principibus « Sacerdotum, sed illis convictis callide abierunt et « inter se contulerunt, quomodo possent capere « Christum. » Hoc autem feria quarta, passionem ejus antecedente, contigit. S. Marcus, XII, 12, ita de illis scribit : *Et relicto eo abierunt.* Ecce quantum sibi damnum ex eo intulerint, quod a Dei præsentia abierint, seque ab eo elongaverint, *Jer.*, XVII, 13 : *Omnes qui te derelinquunt, confundentur; recedentes a te in terra scribentur, quoniam dereliquerunt venam aquarum viventium Dominum.* Id quod eis ad litteram evenit, quia ad finem usque sæculorum a Deo derelicti fuerunt; enimvero dum Salvatorem ab oculis suis dimiserunt, scelus committere non dubitarunt adeo execrandum, ut abominabilius nunquam ab humana fuerit malignitate commissum, ipsam videlicet Filii Dei crucifixionem. S. Petrus, qui divinum Magistrum suum ad mortem usque sequi inviolabiliter promiserat, vix se ab eo elongarat, *Matth.*, XXVI, 58, *Sequebatur eum a longe*, cum ecce trina eum vice negavit; unde S. Ambrosius ait : « Bene a longe sequebatur, eum proxime « negaturus, neque enim negavisset, si Christo « proximus adhæsisset. » Salvator noster quondam per os Psalmistæ lamentabatur, dicens : *Insurrexerunt adversum me, et fortes quæsierunt animam meam*, ac confestim rationem subjungit, dicens : *Non proposuerunt Deum ante conspectum suum*, omne namque malum ab eo procedit, quod homines se in divinæ præsentiæ exercitio minime occupent.

Consilium inierunt.

3. — Coadunati sunt, ut stratagema aliquod sibi ad Christum illaqueandum contexerent, ex quo enim alias in similibus occasionibus in intentione et machinationibus suis fuere sæpius delusi, suoque fine frustrati, ideo ne idipsum et hac vice illis contingeret, consilio ipsis opus erat. Unde Lucas Brugensis ait : « Experientia jam discere debuerunt, « nullum valere consilium contra Dominum; » at vero concepta ab ipsis adversus Dominum invidiæ et odii passio illos excæcabat : *Quærebant mittere in illum manus*, ut est apud Lucam, X, 19, *illa hora, et timuerunt populum, et observantes miserunt insidiatores, qui se justos simularunt.*

4. — Salmeron verbum *abeuntes* notans, terminum a quo et ad quem considerat, dicens : « Vide « a quo, id est, Christo, et ad quos, id est, Herodia- « nos confugiant, ut consilium capiant; qui enim a « Christo recedit, nullum bonum consilium inve- « nire potest; » unde optime in libro Tobiæ, IV, 19, suadetur : *Consilium semper a sapiente perquire*; sapientior autem consiliarius inveniri nequit, quam Christus, quem magni consilii Angelum appellatum esse novimus.

5. — Adimpletum est in hac occasione illud Sapientis oraculum, *Prov.*, II, 20 : *Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium supra Dominum*; quia tantum abest, ut consilio suo quidquam contra Salvatorem obtinerent, ut idem potius ad majorem redundarit Salvatoris gloriam, ipsorum vero majorem confusionem; unde S. Lucas, XX, 26, ait : *Et non potuerunt verbum reprehendere coram plebe et mirati in responso ejus tacuerunt.* Theophylactus, *in Luc.*, ait : « Laqueum paraverunt Pharisæi, quem « difficile, ut illis videbatur, effugere poterat Do- « minus, sed comprehensus est illo pes eorum, » quia juxta Sapientis dictum, *Prov.*, I, 17 : *Frustra jacitur rete ante oculos pennatorum.*

Ut caperent eum.

6. — S. Lucas, XX, 20, aperte dicit : *Ut traderent illum principatui et potestati præsulis*; Salmeron ait, verbum *caperent* in græco idem esse quod *illaquearent*; quo modo etiam Cajetanus legit : « Insi- « nuatur, quod volebant capere ad mortem. » Glossa

interlinearis inquit : « Ut aliquid quasi eo ignorante « extorquerent ab eo, in quo argui posset. » Dionysius Carthusianus ait : « *Caperent*, id est, repre- « henderent. »

In sermone.

7. — Lucas Brugensis eos existimasse dicit, fore ut Christus per responsum suum seipsum irretiret, qui talem ei interrogationem facere decreverant, ad quam quidquid responderet, præjudicium non evaderet. « Rationem ineunt, qua ipsum capiant, « adeoque illaqueant suis verbis, in quibus facilius « offenditur, quem ut nondum capere audebant; in « opere autem capere impossibile erat irreprehen- « sibilem; » eamdem quoque observationem Lyranus habet : « Quia, » inquit, « non poterant capere « eum in opere malo et quia facilius capitur homo « in verbis quam in factis, » cujus causa est, ut inquit Dionysius Carthusianus, quia *linguam*, juxta S. Jacobum, *domare nemo potest.*

8. — Salmeron ipsos speraisse dicit, quod eum ad proferendum verbum aliquod inducere possent, unde mortem ei machinari ipsis liceret : « Ut indu- « cerent ad dicendum aliquid, unde possint morti « tradere, quia vi et potentia non audebant ob ple- « bem. *In sermone*, quia lubricam esse sciebant « humanam linguam; addo quod verba citius trahi « possint ad calumniam, quam facta; hæc enim « quoniam manent, facile judicari possunt; at « verba emissa semel, quoniam revocari nequeunt, « non magno labore a detractore pervertuntur; » unde de iis dici potest, quod Apostolus scribit, *Rom.*, I, 21 : *Evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum, dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt*; inter se studiose deliberarunt, seu, ut Evangelista dicit, *consilium inierunt, ut caperent eum in sermone*, et tamen vide, quam turpiter in eo erraverint. Verissimum quidem est S. Jacobi dictum, scilicet : *Qui non errat in lingua, hic perfectus est vir*, verumtamen ipsum Filium Dei esse scire debebant; unde Hugo Cardinalis ait : « Hic est solus Christus, qui est Verbum et ideo « non potest errare in verbo : *Sermo tuus veritas* « *est.* » Confirmat dicta S. Thomas, scilicet quod *stulti facti sint*, siquidem ita scribit : « Stultum con- « silium fecerunt, ut Jesum caperent in sermone, « quia ipse erat Verbum Dei; et Verbum Dei non « est comprehensibile. »

9. — Ecce, quousque malitia ascendat Pharisaica, ad utendum scilicet velut instrumento mortis, contra Verbum æternum, verbo et sermone ejus, qui ordinatur ad vitam : *Verba quæ ego locutus sum, spiritus et vita sunt.* Et S. Petrus, omnium Apostolorum nomine confitetur : *Verba vitæ æternæ habes*; Hugo Cardinalis ait : « Stulti sunt, qui volunt « capere Verbum in verbo; » idem tamen illi faciunt, qui ad auscultandum quidem Dei verbum abeunt, non tamen ut inde proficiant, sed ut illud censura sua exagitent, contra quos Paulus de Palatio ita scribit : « Ita nunc Pharisæi quidam in nihil « aliud intendunt, quam ut Prædicatorem capiant « in sermone; » quantum vero hi tales Deum offendant, idem per hanc observationem exaggerat : « Quam sit horum gravis iniquitas, ex Dei in « loco isto furore conjicias, vix enim invenies « Christum tam gravia verba dixisse, quam nunc. » Porro differentiam, quæ in Dei verbo auscultando, hominem sapientem inter et stultum versatur, Ecclesiasticus, XXI, 18, ad propositum nostrum his verbis edisserit : *Verbum sapiens quodcumque audierit scius, laudabit, et ad se adjiciet; audivit luxuriosus, et displicebit illi, et projiciet illud post dorsum suum.* Pharisæi Christi verbum auditu suo non dignabantur, quia non erat conveniens gustui eorum, quia vitia reprehendebat, detegebatque hypocrisin illorum, qua cunctas actiones suas obtegebant, ac proinde prædicationi ejus insidiabantur, eumque calumniari satagebant.

Additiones.

a. — *Abeuntes Pharisæi consilium inierunt ut caperent eum in sermone.* Postquam Christus Dominus, per longam prædicationem Pharisæos hosce a vitiis et a peccatis revocare, fere per triennium allaborasset, eosdemque sæpe reprehendisset, imo et morte, et urbis suæ excidio terruisset, illi tamen nequaquam emendati : *Tunc*, id est, eodem die Martis post Dominicam Palmarum, ut notant Carthusianus, Hugo, Lucas Brugensis et alii, abeuntes consilium inierunt, nova et iniqua adversus eum molientes. O perditæ salutis homines! Similes sunt hisce Pharisæis ii qui correctiones aspernantur et rident, corrigentem vero calumniantur et indigne tractant. Sapiens, *Prov.*, XV, 12, pestilentem appellat eum, qui non amat corripi et a suis erroribus emendari : *Non amat pestilens eum qui se corripit*; facile enim malitiæ suæ contagium transmittit ad alios, dum non castigatur, perque impunitatem morbus ejus non curatus, in grave Reipublicæ damnum latissime serpit. Ecclesiasticus, XXI, 7, inquit : *Qui odit correptionem, vestigium est peccatoris.* Quæ verba Lyranus, Hugo Cardinalis et Rabanus unanimiter sic interpretantur : « Indicium « præbet inhabitantis in se diaboli; vel imago et « imitator est diaboli. » Dionysius vero et Emmanuel Sa ita exponunt : « Qui odit correptionem, eo « ipso ostendit se decrevisse peccatis adhærescere. » Simon de Cassia illa Evangelii verba : *Sit tibi sicut ethnicus et Publicanus*, exponens, ita scribit : « Eo- « rum est desperanda salus, quibus est odiosa cor- « rectio; et tibi et omnibus anathema fiant ab omni « conversione semoti, qui proximum unum et dein- « ceps auctoritatem Ecclesiasticam animo contumaci « contempserint; quoniam seipsum diabolum tecit,

« qui corrigi nequit et propemodum homo delin-
« quens, justæ correctioni non subditus, pejor est
« diabolo, cum corrigi nolit et nequit; ac nolit
« quia nequit, aut nequit quia nolit. » S. Isidorus considerat, multis perversis et in peccato obduratis minime sufficere, quod illos a quibus corriguntur a se repellant, quin etiam multas contra eos falsas calumnias et imposturas coacervare solitos esse : « Nonnullos tantæ esse pravitatis homines, qui dum « ipsi a malo corrigi negligunt, correctorum vitam « falsa criminatione detractant et ad sui sceleris « notatum usurpant, si vel false compererint, quod « ad infamiam bonorum objiciant, sicut est illud « ex Salomone, *Eccli.*, XI, 33 : *Bona in malum con-* « *vertit impius et in electis imponit maculam.* » Iis autem qui tales sunt, S. Isidorus comminatur, dicens : « Væ autem illi, qui suam vitam renuit « corrigere et bonorum non desinit detrectare. »

b. — Multa Christus Dominus, tum verbo prædicationis suæ, tum opere curationis, in Phariseos contulerat beneficia, variaque media adhibuerat, quibus eos emendaret et in viam salutis reduceret. Illi tamen hisce nihil emendati, adhuc *consilium inierunt, ut Jesum caperent in sermone*, et sic causam mortis in eo invenirent. Certe pessima retributio; unde etiam tam severe a Deo urbis suæ excidio puniti sunt in exemplum ingratorum.

c. — Pharisæi, auditis parabolis de vinea locata agricolis, *Matth.*, XXI, ac nuptiis filii Regis, digressi a loco sermonis Domini et proinde seorsum ad secretum locum, ad incundum consilium recesserunt, ut notat Abulensis, malitia pleni et illo tempore sceleratiores, ut notat D. Chrysostomus, *Hom.* LXXI, quando maxime illos oportuit compungi, quando clementiam illius admirari debuerunt, quando futurorum eventus erant expavescendi. Tanta tamen fuit Pharisæorum malitia, quod auditis hisce parabolis et minacibus verbis : *Malos male perdet*; et iterum : *Perdidit homicidas illos*, minime commoverentur, ut a sua malitia desisterent. Ut proinde bene de illis prophetaverit Jeremias, *Thren.*, IV, 6 : *Major effecta est iniquitas filiæ populi mei, peccato Sodomorum quæ subversa est in momento.* At unde horum malitia major præsertim cum hi sub lege vixerint Dei, cum templo et sanctis Prophetis, quibus Sodoma carnit? Inde nimirum, quod cum hæc adminicula salutis haberent, Dei scientiam, legis notitiam, rerum divinarum contemplationem, nihilosecius turpissime peccarint; hæc autem omnia ipsum peccatum valde aggravant, ipsosque peccatores inexcusabiles efficiunt? Quos, cognita eorum nequitia, hypocritas vocat. Qui enim lumen Dei habentes peccant, merito sic arguuntur. Si enim vita virtuosa, si opera perfectionis, quibus antea dediti eratis, in tenebras conversa sunt malitiæ; quis conceptus formari poterit de subversione et inordinatione sensuum, lascivorumque vestrorum appetituum, quibus habenas laxatis? Unde S. Augustinus, qui diuturnam hujus materiæ habuit experientiam, audacter ita scribit : « Fateor chari- « tati vestræ coram Domino Deo nostro, qui testis « est super animam meam; ex quo Deo servire « cœpi, quomodo difficile sum expertus meliores, « quam qui in monasteriis profecerunt; ita non « sum expertus pejores quam qui in monasteriis « ceciderunt; ita ut hinc arbitrer in Apocalypsi « scriptum : *Justus justior fiat, et qui in sordibus est* « *sordescat adhuc.* » Medicorum hic est infallibilis aphorismus : « Corruptio optimi pessima; » siquidem ut Cornelius a Lapide observat : « Pelagius, « Eutyches, Nestorius, Jovinianus, Lutherus, Bu- « cerus, Petrus Martyr, fuerunt Monachi; sed « apostatæ facti sunt hæresiarchæ. Simile de Athe- « niensibus, apud quos vigebat sapientia et probi- « tas, dicit Plutharcus in vita Dionis, eos esse opti- « mos aut pessimos. Sicut Attica præstantissimum « mel, sic et exitiale venenum progignit. »

d. — Quemadmodum sancti Patres concilia cogere solent quibus malis in Ecclesia grassantibus remedium adhibeant; ita e contra filii diaboli cogere etiam conciliabula solent, in quibus communicato cum satellitibus suis consilio, flagitia sua perficere valeant. Sic parricida Absalon, paternam regnum invadens, ait, II *Reg.*, XVI, 20 : *Inite consilium quid facere debeamus.* In eo autem consilio tractandum erat, qua ratione sapientissimo patri Davidi vitam simul et regnum eriperent. Simili ergo modo Pharisæi pleni livore et invidia, consiliabant, quomodo Christi regnum, ejusque famam et vitam diminuerent, ut cujus vitam et mores accusare non possent, neque divinæ legis ignorantiam objicere, saltem in lapsu verborum et sermonis deprehenderent et calumniose accusarent. Vide hic perillustre semen Abrahæ de vaferrima fraudis ignominia, quam ignobili a se comparatione degeneret; de quo sit ad rem S. Chrysologus, *Serm.* XXXI : « Vere sic scriptum est : *Progenies vipe-* « *rarum.* Submittebant capita sua, adulabantur lin- « gua, vulnera dabant dolis, blasphemiis venena « fundebant, et quasi non sufficeret, ad dolum « contemptus, despectus ad injuriam. Sic Christum « persequebantur injuriis, tentabant dolis, interro- « gatione pulsabant, appetebant contumeliis et « tota cupidi simulatione vallabant. » Objiciebant censum solvendum Cæsari; ut si diceret, quod non, læsæ majestatis reus fieret; si vero ita, de lege maneret calumnia. Verum laqueum quem paraverunt pedibus ejus, in eumdem inciderunt; capti sunt verbis suis, confusi sunt, nec potuerunt stare. Interrogationem interrogatione confutat, et sapientia vincit malitiam, et Moysis serpens Magorum devoravit serpentes. Plerumque enim impii in suis perversis consiliis deluduntur, malumque, quod aliis machinantur, in ipsos recidit. Dionysius Carthusianus super illa verba Ecclesiastæ, X, 8 : *Qui dissipat sepem, mordebit eum coluber*, scribens, illudque Sapientis dictum adducens : *In insidiis suis capientur iniqui*, hunc in modum discurrit : « Unius- « cujusque malum redundat in suum auctorem, « propriam linguam detractor coinquinat, propriam « mentem invidiosus exulcerat, seipsum iracundus « conturbat. Qui vitiorum occasiones non vitant, « sed sponte assumunt, sibi ipsis foveam parant et « in eam labuntur. » S. Augustinus explicans illa verba Psalmi VII, 16 : *Lacum aperuit et effodit eum*, interrogat dicens : « Unde fieri potest ut iniquitas « prius lædat hominem justum in quem procedit, « quam cor injustum, unde procedit? Itaque frau- « dator pecuniæ, verbi gratia, dum cupit alium « damno lacerare, ipse avaritiæ vulnere sauciatur. « Quis autem, vel demens, non videat, quantum « inter hos distet, cum ille patiatur damnum pecu- « niæ, ille innocentiæ? »

e. — Pharisæi et Principes Sacerdotum, omni conatu volebant Christum occidere, ut scribit D. Lucas et observantes, miserunt insidiatores, ut caperent eum in sermone. Timebant tamen populum, et ideo non audebant eum tenere ac apprehendere, ut scribit D. Matthæus, XXI, 46. Volebant ergo habere occasionem ad eum accusandum, et non determinant ipsum capere in operibus et factis, quia aperte videbant, vitam ejus esse puram, et sanctam, et irreprehensibilem. Voluerunt ergo eum capere in sermone, ut diceret aliquid, propter quod reus esset mortis; nam sæpe inter dicendum et loquendum, præter opinionem ac intentionem, inter homines communiter prosilit aliquod verbum incautum. An ita hic contingeret, observare voluerunt Pharisæi proposita captiosa ac periculosa quæstione. Nam praxis difficilis est ut quis silentio, virtutis indicio, linguam frenet; tacendo autem quilibet bene loqui discit. Nobis impressus est pruritus loquendi cum tali propensione, ut facilius sit, ignitum in ore gestare carbonem, quam frenare linguam et retinere mente, id quod proferre et dicere volumus; cujus opinionis jamdudum fuit Aristoteles. Etenim interrogatus a quodam, quis arcanum sermonem retinere posset? Respondit : « Qui carbonem quoque ignitum, lingua retinere « potest. » Eliu, veluti legitur, cap. XXXII libri *Job*, in simili proposito dixit : *Plenus sermonibus, et coarctat me spiritus uteri mei. Et venter meus quasi mustum absque spiraculo, quod lagunculas novas disrumpit. Loquor et respirabo paululum; aperiam labia mea.*

Porro quilibet homo merito capere deberet, majus sibi conferre emolumentum tacere, quam loqui, quia in silentio homo discit; at in loquacitate plerumque cespitat et errat. S. Bonaventura, postquam retulisset sanctissimam Dei Matrem nonnisi septem vicibus, prout ex sacris eruitur Evangelistis, locutam fuisse, pro nostra instructione subdit sequentia : « In hoc confunditur nostra loquacitas, qua « proni sumus ad multiplicationem verborum, « cum tamen magna sit utilitas silentii. Una utili- « tas est, quia inducit compunctionem; homo cum « tacet, cogitat vias suas et locum habet cogitandi, « quam multiplex sit suus defectus et ex hoc surgit « compunctio. »

f. — Malitia Pharisæorum, qui *consilium inierunt ut caperent Jesum in sermone*, vel ut Græcus habet : *Ut illaquearent eum cum suo sermone*, non de repente erumpit, sed ex præconsiliato venit, unde nocentior est, et flagitiosior, tardioremque veniam invenit. Enimvero de peccato ex surreptione commisso, aliqua suppetit excusatio, quia peccatum hoc dici potest non esse peccatum. At vero quod ex industria committitur, de hoc se impius coram Deo excusare nequit et dicere : *Tu scis figmentum meum.* Peccatum ex malitia, deliberate et cum studio, ac præmeditatione commissum, Sacra Scriptura variis in locis magnopere detestatur. Et quidem Deus in Psalmo VI, 9, per os Davidis ait : *Discedite a me omnes qui operamini iniquitatem.* Et tamen constat quod postquam Deus fuit incarnatus, nihil adeo studiose quæsierit, quam ut peccatores incitarot ad sibi magis approximandum. Unde David, *Psal.* XXXIII, 6, monebat, dicens : *Accedite ad eum et illuminamini*; et de Christo expresse in Evangelio dicitur, *Luc.*, XV, 2 : *Hic peccatores recipit.* Maligni quoque Pharisæi murmurabant, dicentes : *Cum Publicanis et peccatoribus manducat Magister vester*; imo ipsemet protestatus est, *Matth.*, IX, 11, dicens : *Non veni vocare justos sed peccatores*; *non est opus valentibus medicus, sed male habentibus.* Cur igitur in hoc Psalmo dictos peccatores a se repellit, dicens : *Discedite a me*, quod quasi æquivalet formidabili illi sententiæ, quam in extremo die judicii adversus reprobos est pronunciaturus? Pro intelligentia illius, considerandum est significatum verbi illius : *Operamini*; nec non quod idem verbum in tempore præsenti proferatur; per hoc enim denotantur illi, qui data opera et studio, incessanter, ac continuo nihil aliud faciunt, nihil aliud cogitant, quam quod de committendis iniquitatibus agitent consilium; et hi sunt, qui æternam merentur maledictionem, quibusque dicit : *Discedite a me.* Spes enim salutis ipsorum nulla est, vel exigua. Præterea *operamini iniquitatem*, idem significat, quod facere professionem de committenda iniquitate; adeoque omnem amisisse Dei respectum et timorem, omnemque exuisse verecundiam. S. Ambrosius, super illa verba Psalmistæ, *Psal.* CXVIII, 125 : *Discedite a me, maligni, et scrutabor mandata Dei mei*, ita scribit : « Ubi malignitas est, ibi custodia mandatorum « cœlestium esse non potest. » Citatque textum illum : *Quærent me mali et non invenient.* Paulo post vero idem S. Doctor subnectit : « Malignus

« repellit, laborantes vocat; dicit illis Jesus : *Discite a me, omnes qui operamini iniquitatem*; istis « ait : *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati « estis*. Non utique malignitate mentis, sed infirmi« tate carnis onerati. » Vocat ad se illos qui ex fragilitate cadunt, non vero illos qui ex malitia illum contemnunt.

g. — Pharisæi sperabant quod Jesum ad proferendum verbum aliquod inducere possent, unde mortem ei machinari ipsis liceret. Lingua enim ad prævaricandum lubrica est et facilis; et ideo Propheta regius, jure merito, ori suo a Deo custodiam adhiberi petiit, dicens, *Psal.* CXL, 3 : *Pone, Domine, custodiam ori meo*. S. Bernardus de illa dicit : « Est « membrum proximum omni malo, quod quidem « natura ipsa ostendit, cum in lubrico, id est, in « humido posita sit. » Qui idem in eodem sermone, de *multiloquio*, paulo ante dixerat : « Lingua in hoc « humido collocatur, ut ex parte nostra ostendatur, « lubricam esse linguam; propterea de facili labitur « in peccatum. » S. Thomas de Aquino, super illa verba S. Jacobi Apostoli linguam appellantis, *inquietum malum*, dicit linguam inquietam esse, « quia est « membrum labile et lubricum, quia consistit in « humido, unde non ita cito fatigatur sicut aliud « membrum. » Verum enimvero advertendum est, quod licet lingua una ex parte lubrica sit et facilis ad motum, suaque natura ad malum inclinata, attamen Deus naturæ artifex eamdem naturaliter variis munitionibus circumvallarit, ut eam tueretur et custodiret; ac proinde David dicebat : *Pone, Domine, custodiam ori meo*. Ubi Euthymius in Glossa citatus ait : « Sciens Propheta, quod os magna malorum « causa esse solet, si negligatur; quemadmodum e « contra multorum causa bonorum, si cura ejus « adhibeatur, ex intimo corde preces fundit et Deo « opem invocat. » Ad quod intentum S. Bernardinus respicit quando, postquam de linguæ lubricitate discurrisset fusius, subjungit dicens : « Sed ad « hanc lubricitatem refrenandam, etiam ipsa natura « remedium ordinavit, nam cum cætera membra, « sicut manus, pedes, oculi, aures, et nares, et « plura alia membra in patulo facta sint, lingua « tamen ab ipsa natura, propter suam pronitatem, « et feritatem, quasi quidam crudelis et stultus in « carcere oris tam arcte reclusa est. »

h. — *Tunc abeuntes Pharisæi, consilium inierunt*, quando illos maxime compungi oportuit, quando clementiam Domini admirari debuerunt, quando ob ipsa supplicia comminata debebant moveri, gratulantes Dei pietatem, quæ sic eos commonebat, dans locum pœnitentiæ et veniæ. Sed heu, sæpius ab hominibus contemnitur miseratio divina. S. Apostolus, priusquam diceret, *Rom.*, II, 4 : *Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* nos jam ante his verbis reprehenderat : *An divitias bonitatis ejus, et patientiæ, et longanimitatis contemnis?* Quæ verba Apostoli S. Anselmus ita exponit : « Hoc dicit Apostolus blandiens, ut ad pœnitentiam « provocet. Dives esse monstratur et patientia ejus, « qui tot et tanta mala facientes, patienter sustinet. « Dives est longanimitas ejus, quoniam non statim « punit eos, sed expectat ad pœnitentiam per « multa tempora. Sed has divitias bonitatis et « patientiæ et longanimitatis contemnit, qui sic « utitur eis non ad pœnitentiam, ut Deus intendit, « sed ad vanam securitatem vertit, æstimans Deum « aut non curare res humanas, aut donare quod « differt. » Quibus verbis negligentiam reprehendit illius, qui extra Dei gratiam vivens, bonitatem Dei non applicat ad finem illum, propter quem ab eadem toleratur, sed potius exinde movetur, ut in æternam damnationem se præcipitet. Subdit vero idem S. Anselmus : « *Ignoras*, id est, non cogitas, « *quoniam benignitas*, id est, pia misericordia Dei, « *adducit te*, quantum in se est, *ad pœnitentiam*, « dum tibi spatium adhuc temporis indulget? Ipsa « te provocat ad pœnitendum, sed tu *secundum « duritiam tuam et impœnitens cor, thesaurisas tibi « iram*, quia duros es et in malitia tua pertinax, de « qua nec corde pœnites. »

Oseas Propheta Deum nobis iracundum repræsentans, inquit : *Non faciem furorem iræ meæ, non convertam, ut disperdam Ephraim, quoniam Deus ego et non homo*. Ubi Rupertus Abbas eam quæ inter Dei hominisque iram versatur, in hæc verba assignat differentiam : « Statim ut locutus sum « adversum te malum et crudelem protuli sententiam, tetigit me pietas, vincente me misericordia, « veluti auctoritatem judicii pietas mitigat patris. « Homo dum irascitur, accepta injuria profunde « læsus eo totus intendit, ut vindictam exigat et de « pœnis satietur ejus, qui læsit. Nec enim pœnitentiam, sed solum quærit vindictam. Ego autem « Deus sum in medio tui Sanctus, non pro furore « vindictam aut pœnam, sed, pro misericordia, peccatorum desidero pœnitentiam. » Id quod ex illo quem Deus in hos puniendos servat, confirmari potest modo. Si namque Deus ex pietatis motivo sua sæpe odivit supplicia ad nostri emendationem; quidni ipsum gratias suas, bonitatem, benignitatem, ac misericordiam, ad eumdem finem dispositurum esse credemus.

i. — *Ut Jesum caperent in sermone*. Insigne profecto stratagema, quo quia lingua nihil incautius, eo majorem sibi promittebant certitudinem de Christo triumphandi. Linguæ enim laqueus periculosissimus, ut vix illum evadere possimus. Utitur et eadem sæpissime dæmon, alios capiens in blasphemis, tanquam lingua sibi propria; alios in calumniis; alios in detractione, murmuratione et maledictione; alios in rerum turpium enarratione.

j. — Multa jam Pharisæi contra Christum objecerant, quod nimirum esset vini potator, quod cum Publicanis, ac peccatoribus manducasset. Sed primum evidenter erat falsum, secundum autem nullum admittebat defectum, sed erat summa sanctitas, religio ac pietas, et quamvis ab ipsis Pharisæis judicaretur malum, non tamen ideo erat morte dignum. Et tamen nocerent et aliquid morte dignum invenirent, voluerunt Jesum capere in sermone, lingua atentes pro instrumento, hunc enim communiter, sicut et hic solet, pro instrumento assumere invidia, cujus partus detractio est. Nam, ut beatus Laurentius Justinianus ait : « Frequenter face æmulationis et invidiæ livore quorumdam accendit « animos. Repleti autem hujusmodi diabolica ma« lignitate et invidiæ sagitta transfixi, profectum « fratrum suorum proprium judicant detrimen« tum. Propterea instigante livore, detractionibus « linguæ habenas laxant et vitam proximorum « murmurationibus dilaniare non cessant, obser« vant gressus, verba discutiunt et mores illorum « quibus invident, semper dijudicant, eorum dero« gant devotionibus, eorum virtutibus lacessuntur, « eorumque bonis operibus affliguntur. » Richardus de S. Victore, *de eruditione interioris hominis* disserens, et ipso hoc vitium detractionis invidiæ affine esse, his verbis asserit : « Familiare est invidiæ « alienam vitam reddere et morsibus obstrectatio« nem lacerare. » Invidi enim bonam opinionem et existimationem virtutis, et operum insignium æmulorum suorum tolerare nequeunt, ac proinde eadem quoad possunt depravare satagunt.

Versus 16.

Et mittunt ei discipulos suos cum Herodianis, dicentes : Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces, et non est tibi cura de aliquo, non enim respicis personam hominum.

Et mittunt ei discipulos suos.

1. — « Quasi minus notos, » inquit Beda, « atque « suspectos; a quibus » proinde, ut Interlinearis ait, « minus caveret. » Dionysius Carthusianus eos sibi persuasisse dicit, Christum illos minime cogniturum esse : Quos proinde miserunt, *ut mali nihil suspicans, loquatur liberius*. Lyranus eamdem rationem reddit, dicens : « Ut coram ipsis audacius « loqueretur et laxaret linguam ad aliquid dicen« dum, unde posset capi. » Si enim Pharisæi eum in persona propria convenissent, ait S. Thomas, haberi ab ipso potuissent suspecti : « Dolose inter« rogare voluerunt, unde si ivissent ipsi, non « haberet locum dolus. » Theophylactus scribit : « Per insidias, hæc fiebant; » ac proinde S. Lucas eos insidiatores appellat.

2. — Salmeron aliud quoddam tangit motivum, quod ab opinione aliorum Interpretum non multum dissentit : « Non audent, » inquit, « ipsi Pharisæi « per seipsos Dominum aggredi, ne videlicet toties « confusi, denuo confundantur. » Auctor Imperfecti, *Hom.* XLIII, dictam Bedæ opinionem sequens, quod scilicet discipulos miserint, « quasi adhuc « minus cognitos et minus suspectos » subjungit : « Ut aut abscondite facile deciperent eum, aut « deprehensi minus erubescerent apud eum. » Similem quoque rationem Albertus Magnus adducit, scilicet quod superbiam suam tueri cogitarint : « Ut discipulis victis non sit confusio, quasi parum « instructis et vincentibus discipulis major sit glo« ria. » Salmeron addit : « Ut major esset Christo « ignominia, si a talibus vinceretur, minor gloria, « si vinceret. »

3. — Erant hi Pharisaicæ scholæ discipuli, in illorum erroribus et præcipue in arte fingendi apprime edocti; unde Christus eos non sine ratione hypocritas vocat. Auctor Imperfecti ait : « Magistris « suis ætate minores erant, malitia autem pares; » adducitque concinnam a pullis serpentum et luporum catulis, in ætate tenera constitutis, deductam similitudinem : « Nam et pulli, » inquit, « serpen« tium, statura breviores, veneno autem æquales « sunt; et catuli luporum adhuc teneri constituti, « etsi venationem exercere non possint, jam tamen « sanguine gaudent et morsibus ludunt. » S. Lucas, XX, 22, ait : *Miserunt insidiatores, qui se justos simularent*; veniebant in vestimentis ovium, intrinsecus lupi. Salmeron dicit : « Qui simularent se teneri « studio justitiæ et sollicitudine cognoscendi, quid « justum et quid secus; » nimirum quales Magistri erant, tales et discipuli : « Non enim potest arbor « mala bonos fructus facere. »

Cum Herodianis.

4. — D. Chrysostomus, *Hom.* LXXI *in Matth.*, hos putat Herodis fuisse milites, qui ob vicinam Paschatis solemnitatem illis diebus in Jerusalem erant : « Mittunt discipulos suos cum militibus Herodis, sic « interrogaturos, ut utrimque prærupta præcipitia « laterent, ut quidquid responderit præceps ruat. » Ardenter quidem ad mortem Redemptoris anhelabant, in aperto tamen insidias ei struere, ob populi metum minime audebant. S. Bonaventura ait : « Quod præ timore populi per se non possunt, « manibus præsidis efficere volunt, ut velut immu« nes a morte ipsius videantur; » Herodes porro ab Imperatore ad tributorum exactionem deputatus erat, ideoque sperabant fore, ut, si Christus contradiceret, hi milites illum, veluti læsæ majestatis reum, vinculis constrictum abducerent, unde idem quoque unum ex præcipuis delictis erat, de quo ipsum coram Pilato accusarunt, dicentes, *Luc.*, XXIII, 2 : *Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, et prohibentem tributa dari Cæsari*. S. Hieronymus ait : « Ut statim audientes Herodiani, seditionis « contra Romanos principem teneant; » at vero si

tributum istud Cæsari deberi respondisset, contra ipsum, velut communis boni hostem, odium populi, tributum hoc quasi notabile onus et gravamen interpretantis, concitare cogitabant, culpando ipsum, ut religioni et libertati, quam Hebraismus profitebatur, male affectum; nam gens illa, velut peculiaris Dei populus, ab eo dependere, ipsique immediate et non aliis tributarius esse prætendebat.

5. — Cornelius a Lapide Evangelistam hic de speciali Judæorum secta loqui credit, quæ, ut Cæsari favens, tributum hoc ei deberi mordicus sustinebat; credibile namque est, illos hoc titulo specialiter a Pharisæis deputatos fuisse, quia scilicet Herodis partes sectabantur, ad quam tributi illius exactio spectabat; Pharisæi igitur, licet sectam profiterentur diversam, hos tamen adversus Christum instigarunt, ut eum per hosce inimicos ad lapsum mortalem disponerent. S. Epiphanius et alii putant, hosce Herodis, quem promissum in lege Messiam æstimabant, sectatores fuisse, et consequenter futuros esse contrarios.

6. — Hugo Cardinalis, *in Marc.*, de hisce Pharisæis et Herodianis in sensu spirituali ita scribit : « Significantur duo genera tentationum sive cogitationum, quas diabolus sæpe immittit ut capiat « Jesum, id est, salutem auferat. Pharisæi enim « interpretantur divisi, et significant tentationes « sive cogitationes singularitatis, quas sæpe immit- « tit diabolus, ut homo a communitate se separet, « vel plus vel minus aliis faciendo, utrobique singu- « laritas, utrobique periculum. Herodiani glorian- « tes in pellibus, significant motus inanis gloriæ « eorum, qui de pelle macerata insurgunt, vel de « habitu vili, qui et Jesu, id est, saluti insidiantur. »

Dicentes : Magister.

7. — Hanc denominationem ficte ab iis Christo datam fuisse, ex verbis prioribus clare deducitur, Evangelista dicente : *Mittunt ei discipulos suos;* ex quo enim Pharisæorum scholares erant, ipsosque magistrorum loco agnoscerent, Christo utique simulate dixere : *Magister.*

8. — Albertus Magnus eos in verbis suis quatuor præcipue adulationis motiva tetigisse notat, quorum primum magisterium ipsius respiciebat : « Blan- « diuntur a quatuor, ab auctoritate magisterii, a « veritate sermonis, a soliditate doctrinæ, a recti- « tudine judicii sine personarum acceptione. »

Scimus.

9. — Divus Chrysostomus, *Hom.* XLI *in Matth.*, hoc verbum ponderans, Pharisæis magnam ipsorum malitiam improperat, dicens : « Vos dicitis : *Novi-* « *mus, quia verax es;* quomodo igitur dicebatis : « *seductor est, et seducit turbam, et dæmonium* « *habet, et non est a Deo?* quomodo eum paulo ante « interficere volebatis? »

10. — Hoc verbum eos omnino reddebat inexcusabiles, siquidem ipsi se per ignorantiam non peccare, declarabant; et ideo Christus primo quidem de Gentilibus ita dicit, *Joan.*, XV, 21 : *Hæc omnia facient vobis propter nomen meum, quia nesciunt eum, et qui misit me;* moxque de Hebræis inquit : *Si non venissem, et locutus non fuissem eis, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato suo; si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent : nunc autem et viderunt, et oderunt me, et Patrem meum.* Quando Christo dixerunt : *Scimus quia verax es*, etc., idipsum non est factum in principio prædicationis ejus, quando se per patrata plurima insignia miracula et vitæ exemplaritatem, nec non Evangelii promulgationem, quis esset, manifestaret, sed biduo ante passionem ejus, contingit, quando, dummodo voluissent, plenissimam veritatis scientiam, sive notitiam habere poterant. Unde et Christus exprobrabat : *Et me scitis, et unde sim, scitis,* et quidem ut hæc eis verba tanto fortius imprimerentur, ut Evangelista ait : *Clamabat in templo, docens et dicens.*

Quia verax es.

11. — Per hanc adulationem, ut Interlinearis ait, sensum suum sincere ut ediceret, efficere nitebantur, utpote qui eos jam reputare poterat discipulos suos, ejus doctrinæ firmiter adhæsuros : « Ut quasi laudatus, mysterium sui cordis aperiat, « eosque velit habere discipulos. » Eamdem quoque consideationem habet Hugo Cardinalis, *in Luc.*, inquiens : « Laudant et blandiuntur, ut tanquam a « simplici et idiota, extorqueant ab eo secretum « cordis sui, putantes, quod velit eos habere disci- « pulos, sed frustra, quia non quærebat laudes « hominum. »

12. — « Universa hæc laus, » inquit Cajetanus, « ex adulatoria officina ad provocandum Jesum, ne « timeat proferre Deum Cæsari procedit; » more apium convenisse videntur, quæ placidum portant in ore mel, sed ferientem et vulnerantem in cauda aculeum.

13. — Considerans Chrysostomus adulationes hosce ad intentandam Christo mortem ordinatas fuisse, scribit : « Ita furorem quidem spirabant, et « fraudem sub cultus simulatione instruebant; » hicque viget inter deceptores agendi motus, primo enim bonos præmittunt sermones, ad virtutem exhortantur, zelum et desiderium præseferunt profectus spiritualis, idque eo fine, ut bona apud proximum de se existimatione comparata, tanto postea facilius errores suos cordibus instillent; de quo hominum genere Sapiens ita scribit, *Prov.*, XXIX, 9 : *Homo, qui blandis fictisque sermonibus loquitur amico suo, rete expandit gressibus ejus, et talis lingua laudans, sicut novacula acuta fecit dolum.* Psalmista pariter

inquit, *Psal.* LIV, 22 : *Molliti sunt sermones ejus super oleum, et ipsi sunt jacula;* ita hi adulatores blanditiis suis non Christi integritatem aut sanctitatem magnificare, sed verbum extorquere volebant a Christo, scilicet ut diceret, non esse tributum dandum Cæsari, sicque odium incurreret Cæsaris. « Illud solummodo sibi propositum fuit, » inquit Chrysostomus, « quomodo præsenti principatui « hostem esse ostenderent, ac Principi quasi sedi- « tiosum traderent. »

14. — Hugo Cardinalis super Marcum scribens, proposito nostro accommodatam adducit similitudinem, eorum scilicet, qui tauro blandiuntur, ut capiant eum : « Qui taurum non potest viribus « subjugare, » inquit, « mollibus manibus fricat « caput ejus, ut per blandimenta comprehendat; » utitur deinde hoc Sacræ Scripturæ textu, *Prov.*, XXVII, 14 : *Qui benedicit voce grandi proximo suo de nocte consurgens, maledicenti similis erit.* Adulatio potentissima est inimici infernalis machina, ad plurimas, etiamnum perfectiores, evertendas animas; ideo Salvatorem adorsus in deserto, ut lapides, quos manu ferebat, in panem mutaret : *Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant;* eum Filium Dei esse minime arbitrabatur, certus, talem non posse fame emori; sed reputans eum eximiæ hominem esse sanctitatis, tali sub forma aggreditur : *Si Filius Dei es;* non vero simpliciter inquit : Quandoquidem longa jam fame contabescis, miraculum operare, et lapides in panem verte. « Non dixit : Quandoqui- « dem esurias, » inquit Chrysostomus, « sed, *si* « *Filius Dei es;* scilicet existimans, posse se aliquid « per laudum blandimenta suffurari; idcirco non « commemoravit esuriem, ne hoc ei quasi expro- « brare et objicere videretur. » Hoc enim adulatoris est artificium, non meminisse alterius, quam quod ejus, cui assentatur, genio et gestui placitum est. Pharisæi quoque conceptum de Christo habebant, verbis suis longe adversum et contrarium, attamen in iis proprias expresserunt adulatorum conditiones, quarum una hæc et præcipua est, quod vitia et defectus suos sibi virtutis larva recondant; interim : *Laudatur peccator in desideriis animæ suæ, et iniquus benedicitur. Psal.* X, 3. S. Gregorius in quadam homilia sua hanc proposito nostro congruam habet sententiam : « Adulatoribus « vulnera nostra lingere, est, quod plerumque « solent etiam ipsa mala, quæ nos in nobis repre- « hendimus, improbo, favore laudare. »

15. — Lyranus horum discipulorum hypocrisin detestans, dicit : « Hæc est hypocritarum prima « simulatio, quia laudant quos perdere volunt; » unde de iis dicere potuit, quod David, *Psal.* CI, 9, ait : *Tota die exprobrabant mihi inimici mei, et qui laudabant me, adversus me jurabant.*

16. — S. Bonaventura in commentario super Lucam, illos quidem verum dixisse perpendit, dum inquiunt : *Quia verax es;* interius tamen minime credidisse dicit : « Quantum ad verbum, verum « quidem dicunt, quia dicitur : Sermo tuus veritas « est; laudant laude vera, sed fallaci corde. »

Et viam Dei in veritate doces.

17. — S. Thomas, *in Caten.*, super hæc verba distinctionem adducit; dicit enim : « Tripliciter « contingit, veritatem non docere : primo, ex parte « docentis, quia scilicet veritatem vel non novit, « vel non amat; et contra hoc dicunt : *Scimus* « *quia verax es;* secundo, ex parte Dei, cujus timore « postposito quidam veritatem de eo, quam nove- « runt, non pure annuntiant, et contra hoc dicunt : « *Viam Dei in veritate doces;* tertio, ex parte « proximi, cujus timore vel amore aliquis verita- « tem tacet, et ad hoc excludendum dicunt : *Non* « *est tibi cura de aliquo,* scilicet homine; *non enim* « *respicis personam hominum.* » Utique discipulis istis nec sapientiores nec veraciores se habuissent alii, suumque coram Deo meritum sibi acquisissent, si verba hæc ita veraciter ex corde protulissent, sed *Psal.* LXI, 5 : *Ore suo benedicebant, et corde suo maledicebant,* id quod adulatoribus et hypocritis proprium est.

18. — Veraciter dicere possumus : *Inimici nostri sunt judices;* quia veritatem edixere solidissimam, maximum et fundamentale Ecclesiæ principium : *Viam Dei in veritate doces;* Christus namque Evangelii sui veritate, dogmatum uniformitate, et sacrarum Scripturarum infallibilitate, veram nos docuit in cœlum viam; reliquæ omnes sectæ, quotquot unquam fuerunt, aut usque in finem mundi erunt, sunt, eruntque errorum plenæ, sibique invicem contrariantur; de sola autem Catholica Romana doctrina verificari potest : *Viam Domini in veritate doces.*

19. — Hugo Cardinalis, *in Marc.*, conformiter Sapienti, *Prov.*, III, 17, juxta sensum spiritualem, per hanc viam, virtutem intelligit : « *Viæ ejus, viæ* « *pulchræ* : virtutes doces, mandata : *Psal.* CXVIII, « 32 : *Viam mandatorum tuorum cucurri;* pœniten- « tiam : *Isa.*, XXX, 21 : *Hæc est via, ambulate in ea.* »

Non est tibi cura de aliquo.

20. — S. Hieronymus inquit : « Blanda et « fraudulenta interrogatio illuc provocat respon- « dentem, ut magis Deum quam Cæsarem timeat. » Non potuisset equidem sanctius et perfectius adduci motivum, modo id intentionis rectitudinem comitem habuisset; unde et postmodum S. Petrus protestatus est, dicens : *Obedire oportet magis Deo quam hominibus;* ast qua malitia et perverso hæc verba fine protulerint, S. Hieronymus declarat, dicens : « Ut dicat, non debere tributa solvi, ut « statim audientes Herodiani, seditionis contra « Romanos principes teneant. »

UNIVERSIDAD DE CUYO DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

21. — Hugo Cardinalis verbum istud ingeniosa refutat responsione, inquiens : « *Non est tibi cura* « *de aliquo*, imo de omnibus curat. » *Sap.*, VI, 8 : *Cui cura est de omnibus* : id quod et S. Augustinus, ad Deum conversus, attestatur, dum ait : « Sic « curas unumquemque nostrum, tanquam solum « cures : sic omnes, tanquam singulos. »

Non enim respicis personam hominum.

22. — Quasi dicat : « Non dimittes timore « cujuscumque hominis, etiam Imperatoris, » inquit Lyranus, « dicere veritatem. » S. Thomas similiter ait : « Non prætermittis timore alicujus « quod debes dicere vel facere. » Nihil hic a veritate alienum asserebant, quia Christus veritatem dicere nunquam destitit, licet magnatibus et rempublicam gerentibus sæpe displicuerit, ac proinde Principum synagogæ, Sacerdotum et Pontificum invidiam et odium sibi conciliarit, hi vero traditores discipuli, licet vere, qualis Christus erat, dicerent, neque ipsum ut talem reputabant.

23. — Salmeron e spinis rosam collegit, dum ab hac Pharisæorum adulatione ad ponderandum, quanti intersit, a personarum acceptione alienum esse, pertransit : « Magna, » inquit, « hæc est et « singularis virtus, ubi negotium Dei agitur, vel de « justitia cuique reddenda tractatur, carere vitio « acceptionis personarum, quo vitio judex, qui non « est spoliatus, non potest recte administrare ma- « gistratum; hoc autem vitium tunc committitur, « quando magis ad personam solam, vel ad extrin- « seca respicimus, quam ad merita causæ ipsius. » In Deuteronomio, I, 19, Deus populi sui judicibus hocce dat monitum : *Audite illos, et quod justum est, judicate; sive civis sit ille, sive peregrinus, nulla erit distantia personarum; ita parvum audietis ut magnum.* Apostolis quoque suis, qui ejus in judicio finali futuri erant assessores : *Sedebunt super sedes, judicantes duodecim tribus*, lucis titulum attribuit dicens : *Vos estis lux mundi*; lucis autem proprietas hæc est, quod se æqualiter diffundat ad illuminandum tam divites quam pauperes, Principes æque ac subditos : *solem suum oriri facit super bonos et malos*; et ideo supremus Judex ignem prodromi loco habiturus est, dum ad judicium veniet : *Ignis in conspectu ejus ardescet*; nec sine mysterio elementum hoc ante ejus tribunal præcedet, sed ut per hoc denotetur, quod non respiciat personam hominum, quia ignis ex æquo comburit et consumit sericum et lanam, sagum et purpuram, nec respicit, quid vel quale quidvis sit; ita quoque cui judicis munus incumbit, facere debet; solum namque ad justitiam et merita causæ respicere, non vero personarum qualitatem decernere debet.

Additiones.

a. — *Et mittunt ei discipulos suos, cum Herodianis.* Auctor Imperfecti, *Hom.* XLII, sic ait : « Pharisæi « quo abierunt? Ad Herodianos. Qui in diaboli « iniquitatibus ambulant, diaboli adjutorium neces- « sarium habent. Sic et isti convenienter, non ad « servos Dei, viros religiosos, sed ad Gentiles, id « est, Herodianos se contulerunt. Quis enim poterat « dare consilium contra Christum, nisi diabolus? » Et hoc quod diabolus hic in propria persona efficere non poterat, per malos hosce Pharisæos et Herodianos ad invicem congregatos efficere conatur. Malis enim sodalibus ad pervertendos bonos diabolus utitur tanquam instrumentis. Invidia ardens Lucifer, ut primum vidit hominem ad imaginem et similitudinem Creatoris sui efformatum, qui apostatarum spirituum thronos, sedesque occuparet, ac restauraret, hujus illico cœpit inhiare ruinæ. Ast dum solum prosternere nequit, tempus patienter præstolatus est, in quo Adæ obtigit socia Eva, qua mediante lethale toti humano generi infixit vulnus. *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, et comedi.* Non ipse immediate per se diabolus aggreditur Evam, sed medio serpentis. An forte in Adami et Evæ perniciem et seductionem, non poterat totam conjurare infernum? Poterat utique; sed medium omnium efficacissimum, maximeque infallibile, sociam seu consortem fore judicavit. Sed quare hanc ipsam non immediate, ast per serpentem tentavit, atque seduxit? Aquila et Theodotius pro *callidior*, legunt *versipellis*. Non defuere auctores qui serpentem hunc pulcherrimæ adolescentulæ figuram assumpsisse existimarunt, de cujus opinione quidquid sit, certum est serpentes naturali hoc pollere instinctu ut se per tortuosos, artificiososque gyros insinuent, per adulatorios, blandosque motus sese ingerant ubique; hancque ob causam illecebras designant et lenocinia sodalium et amicorum. Hac igitur de causa noluit dæmon ipsemet immediate nostrum aggredi et devincere protoparentem, sed per Evam et serpentem, certus sociorum atque amicorum malorum vires prævalere suis. Assertum meum a mendacio liberat S. Gregorius, dum ait : « Callidus adversarius cum a bono- « rum cordibus repelli se conspicit, eos, qui ab illis « valde diliguntur, exquirit et per eorum verba « blandius loquitur, qui plus cæteris amantur. » Cujus efficacem hanc assignat rationem, dicens : « Ut dum vis amoris cor perforat, facile persuasionis « ejus gladius ad intima rectitudinis munimina « irrumpat. » Eva utique ante habitum cum serpente colloquium vetitum non considerarat lignum, divini transgressio præcepti nunquam ei in mentem venerat; unde S. Chrysostomus ait : « Vere « corrumpunt bonos mores colloquia prava; quare « enim non ante diabolicum consilium illi tale « quid venit in mentem, nec lignum hoc conside- « ravit, ejusque pulchritudinem vidit? Quia timebat « mandatum Dei et secuturum supplicium. Nunc « autem postquam a mala hac bestia decepta est, « ita ut crederet, quod per hoc, non solum non « offendantur, sed et Deo æquales sint futuri, tunc « illam spes promissionis ad sumendum cibum « impulit, inimico et hosti salutis nostræ majorem « fidem habens, quam verbis Dei. » Deinde Sanctus ad amicitiæ et perversæ societati violentiam efficaciamque attendens, his Evam deviam et prævaricatricem perstringit verbis : « Quare illo relicto, « propter quem formata es, ad cujus auxilium « producta es, cujus dignitatum particeps, et cum « quo ejusdem es substantiæ et vocis, in familiari- « tatem serpentis venire sustinuisti, ut a diabolo « per hanc bestiam acciperes consilium, manifeste « contrarium his, quæ a Deo sunt injuncta? »

b. — *Magister, scimus quia veræx es. Ecce molliti sunt sermones eorum super oleum, et ipsi tamen sunt jacula. Psal.* LIV, 22. Accedentes enim discipuli Pharisæorum ad Christum cum Herodianis, blandis et adulatoriis vocibus dicunt : *Magister, scimus quia veræx es, et viam Dei in veritate doces.* Magistrum dicunt, quem seductorem publicabant. Unde D. Chrysostomus in *Imperfect.*, *Hom.* XLII : « Hæc est, » ait, « adulatorum prima simulatio, quia laudant « quos perdere volunt. » Et ideo præstat a detractoribus corrigi, quam ab adulatoribus decipi. Quod si quis in juvenculo et edomito equo totus festivus et lætus versus rupem quamdam, præcipitio proximum, velocissime equitans, aliquem calcaribus vel aculeo, aut virga equum suum ad velocius currendum urgentem videret, et alium, ut cursum suum sistat, pedem equo amputantem conspiceret, utrum ex duobus majorem amicum suum æstimaturus esset? Porro adulatio præcipitio similis est; « est « enim barathrum quoddam ad præcipitandum « eum qui non advertit, » dicit S. Chrysostomus. Ac proinde quisquis in via quæ ad æternam perditionem tuam te conducit, tibi blanditur, teque collaudat, verus est animæ tuæ inimicus, non item alius qui correctionibus et reprehensionibus suis mediantibus a simili te præcipitio retrahit. *Melius est a sapiente corripi, quam stultorum adulatione decipi. Eccle.*, VII, 6.

c. — Discipuli Pharisæorum Magistrum Christum dicebant; ideo veracem nuncuparunt, totius enim doctrinæ ornamentum, imo ac fundamentum, veritas est.

d. — Ecce quam pulchra verba, quam ingeniosa de Christo prædicatio! Etenim in rei veritate, ita etiam res se habebat, ut hæc de Christo negare non possent; et tamen eousque illos seducit invidia, ut hæc de Christo proferentes, ejus confirment innocentiam, seseque de injuria Christo per injustam mortem illata confundant. Sic invidus sibimetipsi omnium malorum est artifex. S. Cyprianus ait : « Quicumque es invidus et malignus, nullius ma- « gis, quam tuæ salutis inimicus es. » Et ideo peccatum longe maximum, quod nullam admittit excusationem, nec compassionem meretur. Albertus Magnus, ut invidiam peccatum in Spiritum Sanctum esse probet, ita discurrit : « Attende « autem, quod tria exiguntur ad hoc, quod pec- « catum sit in Spiritum Sanctum : Primum est « radix, secundum genus peccati, tertium pro- « prium. *Radix* semper est malitia, non infirmitas « trahens, neque error vel ignorantia decipiens. « *Genus* peccati, quod semper fit contra Spiritum « Sanctum, manifestum est in actibus, vel donis. « *Proprium* autem, quod non habet aliquod pallium « excusationis, nec a toto, nec a parte, sicut habent « peccata ex infirmitate, vel ignorantia facta. In « genere autem quinque sunt talia peccata : Obdu- « ratio scilicet, præsumptio, finalis impœnitentia, « invidia fraternæ gratiæ et impugnatio veritatis « agnitæ in divinis. » Porro D. Chrysostomus invidiam omni venia indignam esse censens, inquit : « An ignoras omni venia hoc peccatum carere? Ac « merito illud quidem, etenim fornicator cupidita- « tem prætendere potest, fur inopiam et homicida « iram; frigidas quidem causas et minime justas; « habent tamen quas dicant. Tu vero quas causas « commemorabis? Dic mihi. Nullas, nisi vehemen- « tem tuam improbitatem. Si enim inimicos dili- « gere jubemur, quam persolvemus pœnam, si « amicos quoque odio prosequamur? Num si is qui « amantes se diligit, nihil melius sese habet quam « Ethnici, quam habebit veniam qui nullam inju- « riam inferentes vexat? » Lividus invidendo bono alterius, nullum ipsi damnum afferre potest; irreparabile vero est damnum illud quod sibimetipsi conciliat; ac proinde S. Bernardus quemdam ex invidis his verbis affatur : « O quisquis es, qui saluti « invides alienæ, parcito vitæ tuæ. Si enim ubi « invidia, ibi mors, profecto non potes simul et « invidere et vivere. » Quamnam excusationem adducere homicida poterit? At vero, ut Alcuinus scribit : « Qui odit fratrem suum, homicida est, et « qui invidet, insuper est homicida suipsius. » S. Bonaventura hoc vitium tribus rebus assimilat, scilicet vermi, ærugini et tineæ. « Invidia, » inquit, « est sicut vermis in ligno, rubigo in ferro, tinea « in vestimento. »

e. — Dæmonis vicem agunt Pharisæi et tentant Christum, ut eum capiant in sermone, et utuntur dæmonis solertia, qui dum aliquem aggreditur se illius genio accommodat. Sciebant Pharisæi Christum de sua veracitate gloriari. *Joan.*, V, 32 : *Scio quia verum est testimonium meum.* Item *Joan.*, VII, 28 : *Verus est qui misit me. Joan.*, VIII, 14 : *Verum est testimonium meum.* Et sæpe eodem capite, et multis aliis in locis. Ideo accedentes discipuli Pharisæorum, dicunt : *Scimus quia veræx es*; ut adulantes ei de veritate, de qua gloriabatur, extorqueant ab eo optatum verbum, scilicet : Tributum

dare Cæsari non licere. Pulchre S. Gregorius, *lib.* XIV *Moral.*, VII, ait : « Intuetur inimicus gene« ris humani uniuscujusque mores, cui vitio sint « propinqui, et illa opponit ante faciem, ad quæ « cognoscit facilius inclinari mente. » Dæmon enim varias technas, dolos et fraudes excogitat, et se in Angelum lucis transformat; ait enim Apostolus, I *Cor.*, XI, 14 : *Ipse Satanas transfigurat se in Angelum lucis*. Quando animas, serpentis instar, inficere et damnificare nequit, figuram mutat; ubi nihil ferocitate sua efficere potest, ibi adhibere studet meras astutias, fraudes et dolos. Beatus Laurentius Justinianus de hoc serpente scribit : « Quemadmo« dum si quis stellas cœli, aut pluviæ guttas, seu « arenam maris dinumerare voluerit, casso consu« mitur labore; ita et quicumque varias dæmonum « fraudes ad plenum reserare conatus fuerit, super« vacue desudabit; nempe ipsorum venenata mali« tia inscrutabilis est, et prorsus ignota mortali« bus. Deo solum revelante, eorum possunt detegi « insidiæ. Tortuosi namque cum sint colubri, et « anfractibus assueti plurimis, mox cum teneri « putantur, e manibus effluunt. Mille enim modis, « investigabilique arte, ac infatigabili circumven« tione simplicium animas decipere moliuntur; « nunc blandis persuasionibus ignorantium mentes « decipere student, atque quibusdam rationibus « fictis, ad peccatum eos alliciunt; nunc callidis « machinationibus et astutiis eosdem præcipitare « contendunt. »

Quemadmodum ad spiritus Angelicos pertinet ut fervescant in exercitiis devotionis et spiritus; ad æmulationem horum idem diabolus operatur et efficere conatur. Sed habet finem totum contrarium, etenim insinuat et suggerit nobis rigores, austeritates et pœnitentias nostræ fragilitatis complexionem transcendentes, non alium in finem, nisi ut natura nostra debilitetur et enervetur, et enervata minus apta sit ut iter perfectæ vitæ, esto moderatum, perficere possit. S. Thomas de Villanova ait : « Quid faciet dæmon, cum protectum a veritate « Christianum, neque hoc tam crudeli incursu, a « sanctitate et justitia potuerit separare? Ad tech« nas et fraudes suas convertitur, ut quem violentia « non dejecit, fraudulentia decipiat. Transfigurat se « in Angelum lucis, ut sub specie pietatis, amato« rem sanctitatis et probitatis deludat; et jejunan« tem, magis ac magis jejunare suadet; orantem, « vigilantem, laboranteque similiter, ut post tri« duum inutilem jejunio et vigilia reddat. Excedere « monet, ut deficiat et, currenti calcaria addit, ut « cadat. Quis omnes ejus fallacias et fraudes expli« care sufficiat? Religiosum et modestum mona« chum sub charitatis prætextu ad pacem inter « fratres componendam, ad solatium infirmis exhi« bendum, et alia pietatis opera exercenda extra « cœnobium ducit, ut sic per plateas vagantem « libidine inficiat, curiositate sauciet, ambitione « inflet, curis sæcularibus disturbet et a devotionis « fervore distrahendo, tepefaciat et infrigidet. Simi« liter devotis matronis persuadere solet plus nimio « orationi vacare, ut familiæ curam negligentius « agant, et dum ipsa in oratorio inclusa diutius « manet, famula peccatis incumbat. »

Aliud est stratagema dæmonis, quod bene advertendum est, et locum habet in hominibus, qui sunt perfectioris vitæ, magnisque passibus tendunt ab perfectionem et vitæ sanctitatem. Gaudet ergo et cooperatur dæmon, ut tales applausum habeant, et nomen sanctitatis, vehementi accendantur Dei amore, ac incessanter, excessivaque austeritate affligant sua corpora; at in quem finem? Ut nimirum, præcipitentur et prolabantur in vanam gloriam et præsumptionem, veluti contigit illi Pharisæo, qui dicebat : *Gratias tibi ago, quia non sum sicut cæteri hominum.*

Versus 17.

Dic ergo nobis : quid tibi videtur, licet censum dare Cæsari, an non?

1. — Jam multi transierant anni, a quibus controversia isthæc suscitari cœperat, inquit Lyranus, quia enim eodem tempore, quo Salvator noster in hunc mundum natus fuit, Cæsar Augustus ab universo orbe sibi subjugato tributum exigere cœpit, teste Evangelista, *Luc.*, II, 1, qui ait : *Exiit edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis; hæc descriptio prima facta est a præside Syriæ Cyrino, et ibant omnes ut profiterentur, singuli in suam civitatem*; hinc homo quidam e Galilæa oriundus, cui nomen Judas erat, surrexit, huicque exactioni se opposuit, allegans Hebræorum populum, nullum in terris dominum agnoscere, sed solum Cœlorum Monarcham venerari. In qua opinione sua multos admodum sequaces habuit, prout videre est in Actibus Apostolicis, præterquam enim, quod populi defenderet libertatem, cultum insuper et honorem ipsiusmet Dei tueri omnibus videbatur; quantumvis præter hos ex Judæis plures alii erant, qui Romanis tributum illud jure deberi ascribebant : *Quia pro defensione patriæ militabant, et ab hostibus et latronibus defendebant, et pacem inter homines conservabant et justitiam.* Verum enim vero finis, quem hi a Pharisæis missi discipuli in hac Christo proposita interrogatione habebant, ut supra diximus, hic præcipue fuit, ut nimirum per quamcumque huic difficultati subjungendam responsionem, universi in ipsum populi odium concitarent, et tanquam homo seditiosus et saluti totius Reipublicæ summe noxius, imo criminis læsæ Cæsareæ Majestatis, omnem penes populum respectum, honorem et existimationem amitteret : « Dixerunt apud se, » inquit S. Bernardus, « si dixerit : licet, tenebitur « reus tanquam libertatis nostræ destructor, solutio « enim census servitii signum est; si dixerit, non « licet, reus erit læsæ majestatis. O stultos! solet « stultus alios secundum se æstimare, et quod ipse « ignorat, sapientes quoque credit similiter igno« rare; sed quid ait Sapientia? Libertati Dei non « derogo, Majestatem Dei non offendo, etc. » Ex textu S. Lucæ discipulos hosce studio et dedita opera Christum in præsentia multitudinis interrogasse dicitur, quia dicit Evangelista : *Non potuerunt verbum ejus reprehendere coram plebe*, id vero eo consilio utique fecerunt, ut si tributum solvendum esse responderet, plebecula præsens inde acerbius adversus illum, utpote bono illorum communi pessime affectum, graviaque illis imposita vel imponenda onera suadentem et approbantem exasperarentur, vel ut Salmeron ait : « Principibus « blandiri, et eorum favorem conciliare sibi cense« retur, et gratiam auramque popularem amitteret, « qui dicebant : Nemini serviamus unquam, et ita « traducerent eum, quod non zelaret pro lege et « libertate populi Dei. » Pergit idem Auctor ulterius qualem sibi formaturi conceptum, et quid de eo divulgaturi fuissent, si interrogationem propositam declinando, nullo eos responso dignatus fuisset; dicit enim : « Si neque hoc neque illud assumeret, « sed taceret, arguerent eum ut pusillanimem ac « timidum in confessione veritatis, quam tamen « velle profiteri videbatur. »

2. — Albertus Magnus verba illa : *Dic ergo nobis*, etc., eumdem sensum habere dicit, ac si dixissent : « *Dic nobis*, utilitati nostræ consulens, qui « sumus populus tuus : *nobis* dicunt, non contra « nos; *quid tibi videtur?* hoc est, ad conscientiam « responde. » Eamdem quoque observationem apud Cajetanum legimus, dicentem : « Non quærunt an « debeant dare, sed an licitum sit in foro conscien« tiæ dare. »

3. — Opponet forte quispiam, punctum istud sive dubium alias a Salvatore resolutum fuisse videri, siquidem Petrum pro utroque tributum solvere jusserat, *Matth.*, XVII, 23 : *Accesserunt, qui didrachmas accipiebant, ad Petrum, et dixerunt ei : Magister non solvit didrachmam?* verumtamen ex interrogatione, quam eodem in loco antecedenter fecerat, clare deducitur, Redemptorem in hujus thesis decisione, quid sentiret, declarare noluisse; interrogavit enim Dominus : *Quid tibi videtur, Simon? Reges terræ a quibus accipiunt tributum vel censum, a filiis suis an alienis? et ille dixit : Ab alienis; dixit illi Jesus : Ergo liberi sunt filii. Ut autem non scandalizemus eos, vade ad mare et mitte hamum; et eum piscem, qui primus ascenderit, tolle; et aperto ore ejus invenies staterem unum; illum sumens, da eis pro me, et te*; ac proinde mirum esse videri possel, cur eum modo an tributum solvendum esset interrogent, cum eum hactenus censum istum solvisse noverint. Responderi posset, historiam hanc a S. Matthæo conscriptam in Capharnaum accidisse, ac proinde fieri posse, nullam hactenus illius notitiam Jerosolymis innotuisse; at hoc dici nequit, quia Pharisæi conductos habebant homines, qui Christum ubique sequebantur, ejusque dicta et facta omnia diligenter explorabant et indagabant, et vel minimum ejus verbum accurate Pharisæis notificabant : potius ergo credendum est, quod propter spem concitandi adversus ipsum odii Romanorum, ipsum tunc blandis verbis nimirum : *Scimus, quia tu verax es*, etc., exstimulare voluerint, ut diceret et quidem hoc responsum tanto verisimilius secuturum esse sperare poterant, quia sciebant, ipsum dixisse : *Ergo liberi sunt filii.* Proinde illum esca blandimentorum et adulationum irretiendum esse confidere poterant : « Adulatione putant ita « eum inflare, » inquit Chrysostomus, *Hom.* LXXI *in Matth.*, « et audacem reddere, ut contra institutas « leges et præsentem rerum statum quippiam « dicat. »

Additio.

a. — *Licet censum dare Cæsari, an non?* Pharisæi, quamvis agnovissent tributum solutum fuisse a Domino, ut est verisimilius, tamen quæstionem proponunt, quia ex Christi factis ac operibus conjecturabant, quod ipse tributum præstitisset pro vitando scandalo, pro quo, inquam, evitando, eheu quam non Christus ipse et Sancti insudarunt! Sapiens, *Prov.*, XV, 19, differentiam assignans inter vias quas mundani terunt, et justorum et timoratorum semitas, ait : *Iter pigrorum sepes spinarum, via justorum absque offendiculo.* Hi enim in omnibus actionibus cavent, ne proximis vel minimam scandali umbram præcaveant. Unde S. Bernardus, *de interiori modo, cap.* XXXV, de semetipso ait : « Mori timeo, quoniam « non sum paratus; malo tamen mori, et miseri« cordiæ Dei me committere, quia benignus et « misericors est. » At vero quamobrem Doctor hic mellifluus mori cupiebat, magis quam vivere? Num forte Ecclesiæ aliqua hæresum, schismatis, vel persecutionis imminebat gravis tempestas? Aut vero mortem desiderabat, ob habitualis et pœnosæ cujusdam infirmitatis, qua tenebatur, violentiam? Aut vero quam fieri potuerit citissime Deo uniri anhelabat? Nihil horum, sed audite verum hujus desiderii motivum, ipsiusmet mellifluii Doctoris ore expressum : « Malo mori, » inquit, « quam de mala « mea conversatione alicui scandalum dare. » Et tamen non jam dico anima ejus, sed corpus ipsius, vehementer extenuatum, utpote Spiritus Sancti sacrarium, ad integrum quemdam mundum ædificandum sufficiebat. S. Ambrosius illum Apostoli ad Corinthios, I *Cor.*, X, 32, textum : *Sine offensione estote Judæis, et Gentibus, et Ecclesiæ Dei, sicut et ego*, etc., ponderans ait : « Sic temperandam con-

« versationem docet, ut nullum in ea scandalum « patiatur. » Ibidem quoque sensum exponit laudabilis et virtuosæ illius glorationis, qua Apostolus dicebat : *Sicut ego omnibus per omnia placeo,* dicit enim : « Omnibus per omnia placere, est sine « scandalo cujusquam agere, ad profectum utilita« tis illorum, ut et illis et huic sit utile. »

Quam causam fuisse existimatis, quod, qui ex virgineo Matris suæ sanguine, sine virili semine concipi et nasci voluit, nihilominus Matrem suam desponsari disposuerit? Eamdem pariter quæstionem S. Hieronymus his verbis proponit : « Quare « non de simplici virgine, sed de desponsata conci« pitur? » Et confestim respondet : « Ne lapidare« tur a Judæis ut adultera ; » sive ut omne arceret scandalum, quod alias Judæi ex ipsius nativitate concipere potuissent. Idem quoque Redemptor noster ab omni erat tributi debiti immunis, utpote in cujus femore scriptum erat : *Rex regum, et Dominus dominantium,* et tamen S. Petrum sollicite ad mare dimisit, ut ex ore piscis monetam erueret, qua pro se et Petro tributum exsolvere posset; idque, ut sapiens Magister noster ait : *Ut non scandalizemus eos.* Ob eamdem quoque rationem circumcidi et infami filiorum Adæ signo notari voluit. Deipara Virgo pariter ob eumdem finem se communi purificationis legi ultro subjecit. Imo si quisquis tam vetus quam novum Testamentum pervolverit, hanc virtutem, tam a Deo quam a servis suis, in multis occasionibus practicatam fuisse reperiet.

Versus 18.

Cognita autem Jesus nequitia eorum, ait :

1. — Ex quo hi discipuli se Christum in magistrum acceptare velle ostenderint, dicendo : *Magister, scimus,* etc., in Christi autem schola, licet omnes docerentur virtutes, specialiter tamen virtus mansuetudinis discenda proponeretur, *Matth.*, xi, 29 : *Discite a me, quia mitis sum*; quomodo Christus in hac occasione mitis fuisse dicetur, qui licet tanta cum benignitate interrogaretur, tanta tamen cum indignatione propositam thesin excepit? nimirum per id Christus, qui prima et æterna veritas est, docere voluit, quantum sibi adulationis vitium displiceat.

2. — Et quidem pro meliori hujus peccati malitia intelligenda, notandum est, nomen, quo Evangelista, ex Spiritus Sancti instinctu, vitium hoc appellavit, nimirum *nequitiam* esse dixit, quod nomen genericum est iniquitatis, multosque malitiæ actus in se includit; dæmon, qui omnis malitiæ centrum est, *spiritus nequam* appellatur, quo etiam nomine adulatio indigitatur, *Psal.* lxiii, 6 : *Firmaverunt sibi sermonem nequam, narraverunt ut absconderent laqueos*, quia sub blandorum verborum lenociniis laqueos suos semper tendunt. Non modo in veteri, sed et in novo Testamento spiritus infernales *nequam* communiter appellantur : *Assumit septem spiritus nequiores se.* Zizania igni destinata reprobos denotabat : *Zizania filii sunt nequam*; hoc pariter nomine probrose appellatus, qui in tenebras exteriores fuit ejectus : *Serve nequam*; denique Apostolus spirituum rebellium, in aere vagantium, malitiam Ephesiis, vi, 12, describere volens, ita ait : *Contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus*; ex quibus locis cumulatim citatis arguitur, quantum Deus adulationis peccato offendatur utpote quod generico iniquitatis nomine, *nequitia* appellatur. Sapiens in principio Proverbiorum nos ita monet : *Si te lactaverint peccatores, ne acquiescas iis*; ubi Hugo Cardinalis ait : « Quia sunt nutrices diaboli, « lamiæ infernales. » Chrysostomus, *Hom.* xiii *in Matth.*, ait : « Blandiri ut noceat, diaboli est; « corripere vero ut prosit, Dei; quis autem alteri « blandiri potest et non nocere? » ab hoc nocumento solus Dei Filius immunis erat, quantumvis alioquin adulari et nocere correlativa sint. Notandum porro illis Salvatorem calumniantibus, *Joan.*, viii, 48 : *Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu et dæmonium habes?* nullam Christum adversus hoc improperium monstrasse indignationem, quin potius multa cum benignitate respondit : *Ego dæmonium non habeo, sed honorifico Patrem meum.* Altera vero vice quadam, quando Christus ab iis requirebatur ad miraculi perpetrationem, *Matth.*, xii, 38 : *Magister, volumus a te signum videre*; tunc Christus cum asperitate eos a se rejecit, dicendo : *Generatio mala et adultera*, etc., quæ obsecro hujus facti differentia? honori sibi præstito indignatur, seque ad magisterii denominationem severum exhibet, non vero adversum injurias? ratio hæc est, quia Christus laudantium agnoscebat nequitiam, adulationem et functionem. « Cum illi « aspere atque contumeliose interrogant, » inquit Chrysostomus, *Hom.* xliv *in Matth.*, « jucundius « atque humilius respondet; cum vero adulantur, « tunc non mediocri utitur acrimonia, veluti enim « nulla ira concitatur, eodem nunc modo adulatio« nibus non delinitur. » Inter injurias moveri nescit, sed solas inter adulationes, ut verissimum esse discamus illud Sapientis edictum, *Prov.*, xxvii, 6 : *Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula odientis*; et aliud Ecclesiastici, vii, 6 : *Melius est a sapiente corripi, quam stultorum adulatione decipi*; adulatio namque vitiis illaqueatos detinet, in via mala nos impellit, inque præcipitia adigit? *Qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt et viam gressuum tuorum dissipant. Isa.*, iii, 12. Per quam rogo viam omnibus nobis gradiendum est? utique non per aliam, quam quæ de se ipsa dicit : *Ego sum via, veritas et vita*; quando igitur medium hujus itineris possidet veritas, vita viget; si vero adulatio, fallimur, aberramus, neque ad terminum pertingere

permittimur. Verum utique loquebantur Pharisæi, ad Christum dicentes : *Viam Dei in veritate doces,* licet interius secus crediderint, at vitiorum efficacissimum ad nos a bona hac via seducendos, est adulatio, quia, *Prov.*, xvi, 29 : *Vir iniquus lactat amicum suum et ducit eum per viam non bonam,* ad barathrum scilicet æternæ damnationis, ut enim beatus Petrus Damianus docet : « Sæpe malignus spiri« tus velut avis in ramo arboris, sic in lingua « ponitur adulatoris. » *Serpens erat callidior,* inquit Scriptura sacra, adeoque certus se manifesta ad prævaricationem instigatione in Adamo nihil effecturum, sed tanquam hostem repellendum, Evæ opera utitur; ita pariter hodie eos, qui nobis chariores sunt, dolose adhibere solet, ut sub specie mellis et lactis suum nobis venenum instillet, teste S. Gregorio, dum ait, *lib.* II *Moral.*, vi : « Callidus « adversarius cum a bonorum cordibus repelli se « conspicit, eos, qui ab illis valde diliguntur exqui« ritur, et per eorum verba blandius loquitur, qui « plus cæteris amantur. » De hoc porro assentationis scelere tradit Seneca, tanti esse roboris, ut etiam contemptum et rejectum placeat. « Habent « hoc in se naturale blanditiæ, » inquit, « ut etiam, « cum rejiciuntur, placeant : sæpe exclusæ novis« sime recipiuntur, hoc enim ipsum imputant quod « repelluntur et subigi ne contumelia quidem pos« sunt. »

Versus 19.

Quid me tentatis, hypocritæ? ostendite mihi numisma census; at illi obtulerunt ei denarium.

Quid me tentatis.

1. — « Primo respondet ad mentem, » ut ait S. Thomas, « secundo ad verba, quia hominis est « respondere ad verba, Dei autem respondere ad « mentem; ideo quia Christus erat Deus et homo, « ad utrumque respondit. » Hæc forte Angelicus Doctor ex Venerabili Beda desumpsit, qui diu ante in hunc modum scripserat : « Non secundum ser« mones eorum pacificus blande respondit; sed « secundum conscientiam eorum crudelem, aspera « dixit, quia Deus plerumque ad animam loquitur, « non ad corpus; voluntatibus respondet, non ver« bis. »

2. — S. Hieronymus dicit : « Prima virtus est « respondentis, interrogantium cognoscere men« tem; et ideo non discipulos sed tentatores vocat. » Ast nonne diabolo proprium est tentare? imo vero, eamque ob causam Christus hæc adulationis verba audiens, ex titulo tentationis afficit, dicendo : *Quid me tentatis?* Quia dæmon, conformiter dictis, ut suggerat, inque præcipitia adigat, adulationem adhibet; dici etiam potest, adulationem a Christo nominari tentationem, quia jam sæpe in se expertus fuerat, ea Pharisæos usos fuisse ad evertendum eum; quæ forte, ratio fuit, cur Christus iis alia quadam vice exprobravit, dicendo, *Joan.*, viii, 46 : *Vos ex patre diabolo estis; desideria patris vestri vultis facere.* Ex eodem quoque motivo diabolus Christum in deserto tentaturus, titulum sibi Filii Dei attribuit, existimans, inquit Divus Chrysostomus, *Hom.* xv *in Matth.*, posse se aliquid per laudum blandimenta suffurari, ideoque progreditur et ad miraculorum operationem invitat, dolosa adulatione palpando, ast cum necdum intentionem obtineret, in templi pinnaculum defert, dicendo, *Matth.*, iv, 6 : *Si Filius Dei es, mitte te deorsum; Angelis suis Deus,* etc. Non ei præcipitium sed ostentationem suadet, quam Christus consecuturus esset, si in totius civitatis conspectu ab Angelis per aera portaretur. At dicet forte quispiam : quid in eo lucri habuisset diabolus? si etenim Christus angelico suffultus obsequio, prodigiose per aera delatus fuisset, indubie eum ut Dei Filium adorassent homines. Huic objectioni respondet S. Cyprianus, dum de hujus serpentis astutia ita loquitur : « Experien« tia etiam didicerat, et in multis probaverat, vi« tiorum victores sæpe nugis laudationum corrup« tos, et cognatum propinquumque esse virtutibus « malum adulationem, nec facile quemquam posse « evadere, qui libenter assentatorum canticis porri« git aures; » ideoque diabolus victus, nonnihil quidem Christum reliquit, ast spem interim bonam lactavit victoriæ : *Diabolus recessit ab eo usque ad tempus.* « Non tentaturus, » inquit S. Ambrosius, « sed pugnaturus advenit. » Scitisne, quando dæmon crudelissimum Christo conflictum disposuit? forte dum Pharisæos in persecutionem animavit, forsitan dum hi in Christum lapides jacere pararunt, aut Judas traditionem consummavit? nequaquam, sed tunc, quando adulatorie ipsum adorsus est. Ita de quodam dæmoniaco, in sepulchris demorari, catenasque rumpere assueto, S. Lucas, viii, 28, scribit, quod hic obviam Christo factus, eum adoravit, altaque voce clamavit : *Quid mihi et tibi, Jesu, Fili Dei altissimi?* quo obsecro fructu, in præsentia omnium diabolus Christum Messiam esse docere voluit? « Ut adulator, non ut devotus, » inquit Chrysologus, *Serm.* xvii, « et obsequens hic adorat, « credidit ut eum, quem tentatione vincere, quem « muneribus nequivit inflectere, possit adulatione « pulsare. »

3. — Perpendit et Salmeron id quod jam præmisimus, Christum sibi injuriantibus placide, adulationibus vero acriter respondere semper solitum fuisse : « Ut ostendat se majorem utraque fortuna, « ideo neque laudibus intumescendum, neque de« tractionibus, a virtute constantiæ cadendum, « et plus standum constantiæ, quam alienæ lin« guæ. »

4. — Observat quoque Jansenius, non suffecisse Christo, simulationem Pharisæorum detexisse, sed

eam insuper objurgare et reprehendere voluisse : « Cognitam, » inquit, « eorum nequitiam severe « redarguit, suo exemplo nos docens, non atten- « dendum tantum verbis hominum, nec sinendum « animum nostrum flecti hominum commenda- « tione. »

Hypocritæ.

5. — Glossa ait : « Quia aliud sunt et aliud simu- « lant; » Interlinearis pariter scribit : « Quia aliud « est in corde; et aliud simulant in ore; » Lyranus similiter hanc lupi rabiem sub ovina pelle latitantem propalans, dicit : « Aliud præstabant et aliud « intendebant; quasi dicat, » Salvator videlicet, « non quæritis veritatem addiscere, sed me in ver- « bis capere. » S. Hieronymus super eadem verba ita discurrit : « Hypocrita appellatur, qui aliud est « et aliud simulat, id est, aliud opere agit, et aliud « voce prætendit. »

6. — Salmeron in sermone græco hypocrisin idem esse dicit, « cum nequitia et versutia horum « malo animo, simulantium justitiam et sancti- « tatem, » inquit, « ut magis noceant, quod est « duplex iniquitas et imitatio dæmonum, qui se « transfigurant in Angelos lucis, quo facilius sedu- « cant. »

7. — Lucas Brugensis Christum ad confundendos Pharisæos, internas eorum technas, quibus Christi interitum struere machinabantur, detexisse scribit, inquiens : « Primis verbis retegit consilia eorum « fraudulenta, quo nihil efficacius est ad retunden- « dum hypocritas, qui, quamdiu latere credunt « hypocrisim suam, tamdiu insolescant; si prodatur « ac publicetur, turbantur animo, minusque nocere « queunt. » Hanc porro confusionem, ut Auctor Imperfecti observat, benignissimus Salvator, ad eorum ordinabat bonum, licet hi tanto beneficio frui recusarint : « Vide ergo, » inquit, « quod Pha- « risæi quidem blandiebantur, ut perderent, Jesue « vero confundebat, ut salvaret; » ex quo hoc utilissimum elicit documentum : « Quia utilior est « homini Deus iratus, quam homo propitius. » Idem quoque Auctor a Glossa citatus, dicit, ideo Christum intima revelasse cordium eorum, ut ipsum Deum esse cognoscentes, ab insidiis desisterent : « Ut considerantes eum cordium humanorum « cognitorem, quod facere cogitabant, perficere « non auderent. »

8. — S. Thomas hocce severum ponderans Christi responsum, Salvatorem in eo omnibus nobis documentum et exemplum voluisse dare existimat, proscribendi adulatores : « Datur nobis exemplum, quod « non debemus adulatoribus credere. *Princeps, qui « libenter audit verba mendacii, omnes ministros ha- « bet impios. Prov.*, XXIX, 12. »

Ostendite mihi numisma census.

9. — Jam Christus requirebat monetam, qua annuum Imperatori tributum solvebatur; hæc autem dicebatur denarius, quia decem valebat assibus, a quolibet per annos singulos contribuendis.

10. — Hoc provido agendi modo, quo Christus in hac occasione usus fuit, nos Salvatorem docere voluisse, scribit S. Ambrosius, *in Luc.*, quanta cum cautela et circumspectione respondere debeamus hæreticis atque Hebræis : « Docet hoc loco Domi- « nus, circumspectos nos in respondendo adversus « hæreticos vel Judæos esse debere. » Beda modum, quo Christus ad convincendos eos usus est, contemplans, ait : « Sapientia semper patienter agit, ut « suis potius tentatores sermonibus confutentur, » id quod plerumque accidit impiis, dum justis laqueos parant, teste Psalmista, dum ait, *Psal.* X, 2 : *Comprehendantur in consiliis, quibus cogitant*; unde et Apostolus, I *Cor.*, III, 19, tradit : *Sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum*; scriptum est enim : *Comprehendam sapientes in astutia eorum*; et iterum : *Dominus novit cogitationes sapientium, quoniam vanæ sunt.* Consultarant inter se isti Hebræorum sapientes de modo retia tendendi Christo : *Abeuntes, consilium inierunt, ut caperent eum in sermone*; sed ipsi propriis illaqueati sunt retibus, dum propria ejus responsio confusos reddidit, *Psal.* IX, 16 : *In laqueo isto, quem absconderunt, comprehensus est pes eorum; cognoscetur Dominus judicia faciens, in operibus manuum suarum comprehensus est peccator.*

11. — S. Bonaventura in sensu morali ait : « Nummus anima, quam Dominum maximo in « morte examinat, ut imaginem suam quærat; « nummus iste est anima, ad imaginem Dei facta. »

Additiones.

a. — *Cognita autem Jesus nequitia eorum, ait : Quid me tentatis, hypocritæ?* Hos interrogatores, qui blande quæsierant : *Magister, scimus quia verax es,* severe ac coram omni populo eos vocat Christus hypocritas, ostendens quod eorum internam malitiam cognoscebat, quo se verum Deum esse demonstrabat, cum intima cordis agnosceret. Sic hypocrisis sæpe cum magna ignominia detegitur, et tametsi homines lateat, Deo tamen occultari nequaquam potest. Notabile hoc in libro suo Ecclesiasticus, I, 37, dat monitum : *Ne fueris hypocrita in conspectu hominum.* Quod ut vitium nobis detestabile et execrabile reddat, ipsum manifestandum esse subjungit dicens : *Ne forte adducas animæ tuæ inhonorationem, et revelet Deus absconsa tua, et in medio synagogæ elidat te, quoniam accessisti maligne ad Dominum, et cor tuum plenum est dolo et fallacia.* Utique nullus adeo stultus foret, qui hypocrisim sectaretur, qui confusionem suam manifestandam esse sciret; nullus pœnitentias austeras attentare et

amore mundialis conceptus aggredi præsumeret, si hoc modo solam se infamiam sibi comparaturum esse nosset. Et nihilominus infallibilis est primæ Veritatis protestatio, quia *nihil coopertum est quod non revelatur, neque absconditum quod non sciatur. Luc.*, XII, 2. Disponit namque Deus justo judicio suo, ut et gloria humana et cœlestis, in perpetuam hypocritæ cedant confusionem; dicens alibi per Prophetam, *Isa.*, XLVII, 3 : *Revelabitur ignominia tua, et videbitur opprobrium tuum; ultionem capiam, et non resistet mihi homo.* Ut proinde S. Cyprianus merito nos admoneat : « Hæc est vera « dementia, non cogitare, nec scire quod mendacia « non diu fallant; noctem tamdiu esse quam illu- « cescat dies; clarificato autem die, ac sole oborto, « luci tenebras et caliginem, et quæ grassabantur « per noctem, latrocinia cessare. » Seniores illi qui judices populi erant, se quidem in castigandis adulteriis et in patrociniando honestati, administrandaque judicia zeloses exhibuerant, et eo usque technas suas redegerant, ut populus, correptis lapidibus ad lapidandum Susannam innocentem promptus esset. At vero Daniel ex instinctu Spiritus Sancti, calumniam et detestabilem ipsorum hypocrisim manifestavit. Quot non excogitaverunt Judæi stratagemata, ut mundo contestarentur, se Agni immaculati sanguine coinquinare nolle, neque ad machinandam Salvatori mortem, ulla passione moveri? Et tamen etiam intimæ cogitationes et consilia illorum prodierunt in lucem, et per omnem æternitatem magis ac magis manifestabuntur.

b. — Severe ac coram omni populo vocat Christus hypocritas Pharisæos, ostendens quod eorum internam malitiam cognoscebat, quo se verum Deum esse demonstrabat, cum intima cordis agnosceret. Ex quo eleganter D. Chrysostomus, *Hom.* XLI *in Imperfect.*, ait : « Dicit eis, *hypocritæ*, ut quod « ab eo audierant in aure, apud semetipsos inve- « nirent in corde, ut considerantes eum humano- « rum cordium cognitorem, quod facere cogitabant, « perficere non auderent. Vide ergo quod Pharisæi « quidem blandiebantur, ut perderent. Jesus vero « confundebat, ut salvaret; quia utilior est homini « Deus iratus quam homo propitius. » Irata voce eos confundens coram omni populo hypocritas vocat; in ipsa tamen irata voce magna misericordia resplendet, cum se Deum declarat, intima cordis secreta agnoscentem; ut sic a sua mala mente, suisque dolis desistant, totoque corde se ad ipsum, ut verum Deum convertant, ut ab ipso misericordiam impetrent. Inter ipsa vulnera divinæ iræ Deus utilia homini ad salutem applicat; tribulatio enim nostræ cooperatur conversioni et pœnitentiæ.

Observat B. Petrus Damianus, quod Agar prius serva, assumpta postea in uxorem, licet secundariam, Abrahami, susceptaque ex eo prole, evaserit insolentior. Quamobrem Sara conquesta fuit apud maritum suum tantumque efficit et afflixit eam, ut fugam inire debuerit. In hac afflictione et tribulatione constituta Agar, quid facit? Recurrit, inquit Sanctus ille, ad Deum, qui misit illi Angelum, *Gen.*, XVI, 7 : *Cumque invenisset eam Angelus Domini juxta fontem aquæ in solitudine*, etc. « Agar pros- « peris stulta, » ait Petrus Damianus, « contra « dominam tumuit; afflicta postmodum, et in soli- « tudinibus exul oberrans, alloquium Angeli læta « promittentis accepit. » Ex quo concludit quoque S. Chrysostomus : « Discamus quantum sit in afflic- « tionibus lucrum, quanta calamitatis utilitas. »

Conversio splendentissimi istius Ecclesiæ luminis, sancti, inquam, Augustini, esto S. Ambrosio adscribenda sit; attamen magna ex parte veluti ipsemet in libro *Confessionum*, fatetur, attribuenda est tribulationibus quibus visitatus fuit; unde B. Laurentius Justinianus, ex libro *Confessionum*, propria illius adducit verba : « Tu semper aderas, miseri- « corditer sæviens, amarissimis successibus asper- « gens omnes illicitas jucunditates meas, ut in te « quærerem sine offensione jucundari. » Scribit deinde idem S. Augustinus, *lib.* I *de Civit. Dei*, in horum confirmationem : « Patientia Dei ad pœni- « tentiam invitat malos, sicut flagellum Dei ad « patientiam erudit bonos. »

c. — Blande quæstionem proponunt Pharisæi, sed Jesus, detecta nequitia eorum, aspere respondet : « Observa igitur, » ait D. Cyrillus Alexandrinus, *lib.* II *de Isa.*, « quo pacto redarguat palpantes « et blandientes repellat; non enim adhærebit « his. » Ut inde instruantur Principes quod hujusmodi adulatores eis maxime debeant esse suspecti. Qui tamen e contrario a principibus hodiernis magni æstimantur. Regius Propheta David, non quando pecorum suorum sequebatur gregem, sed quando in throno considebat regio gloriosus, anxius et meticulosus tremebat, dicens, *Psal* XI, 1 : *Salvum me fac, Domine.* Sed quis est, qui Davidem virum secundum cor Dei fuisse nescial? *Inveni hominem secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas. Act. Apost.*, XIII, 22. Numquid ipsemet de se sancte gloriabatur, dicens, *Psal.* C, 2 : *Perambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus meæ.* Et tamen summopere de salute sua anxius formidabat dicens : *Salvum me fac, Domine.* Scitisne causam? Nimirum Regem se esse considerabat, atque insuper, neminem se esse sciebat regum, qui non blandis adulationibus infestaretur, cuique veritatem libere edicere quis sibi auderet præsumere. Unde Nathan Propheta ut veritatem David necessario proponendam eidem manifestaret, quodam usus est artificio, et ut ipsi status sui miseriam, in qua tanto tempore sine debita pœnitentia immersus fuerat, in mentem revocaret, hasque ab eo voces : *Peccavi; salvum me fac quoniam defecit sanctus*, eliceret, parabolam illam ingeniose adin-

venit. Neque enim Samuel amplius in vivis erat, qui veritatem ipsis quoque regibus libere annuntiabat. *Quoniam diminutæ sunt veritates a filiis hominum; vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum. Labia dolosa in corde et corde locuti sunt : disperdat Dominus universa labia dolosa et linguam magniloquiam.*

VERSUS 20.

Et ait illis Jesus : Cujus est imago hæc et superscriptio?

1. — S. Thomas, *in Matth.*, hanc a Christo quæstionem non ex ignorantia, sed ob mysterium factam fuisse docet inquiens : « Quod Dominus interrogabat, non erat ex ignorantia, sed potius « ex dispensatione petiit, ad significationem. » Id quod et Salmeron hisce verbis tradidit : « Dominus « quod noverat, interrogat, ut ex confessione magis « confunderet, et ut se a negotiis sæcularibus alienum ostenderet, et futuros in Ecclesia Dei Episcopos et Pastores instrueret suo exemplo, ut temporalia et pecuniaria negotia per suos diaconos « administrent, animarum vero ad Deum reducendarum munus et verbi Dei ministerium per seipsos tractent. »

2. — Juxta mentem Cajetani, Christus hac interrogatione convincere eos voluit et demonstrare, qui jam Cæsari subjecti essent : « Illata ista conclusio est ex principatu Cæsaris super ipsos, quem « imago inscriptione in nummo contestatur. Principum enim est proprium, numisma conficere in « patria sibi subdita; ex eo igitur, quod profitemini « in denario Principem vestrum esse Cæsarem, « consequens esse oportet, ut reddatis, quæ sunt « Cæsaris Cæsari, id est, jura. » Similem quoque Glossam habet Salmeron, existimans, Christum quasi voluisse dicere : hæc moneta, qua vos utimini, imaginem continens Cæsaris, evidens est testis vestræ ad eum subjectionis, Deo ita disponente in pœnam scelerum vestrorum; consequens est igitur, ut ei obediatis, tributumque solvatis, idque tanto majori jure, quandoquidem ipse per ministros suos vobis justitiam administrat et pacem tutatur publicam : « Et multo plus est, » inquit Salmeron, « quod dat Princeps, nempe justitiam, pacem et « abundantiam, quam sit, quem populus pendit, « census. »

3. — Didacus Stella similem jam dictæ considerationem hisce adducit verbis : « Simulat, se monetam nescire, qua responsum ex eis eliceret, in « quo eos caperet, quamquam enim hoc nomine « monetam agnoscere nolebat, ut insinuaret, quod « munus et officium suum esset, non temporalibus « sed spiritualibus rebus vacare, voluitque hoc « docere, quod hi, quibus spirituale regimen commissum est, temporalium rerum usum pluris non « faciant; sed sint tanquam advenæ et peregrini in « terris; ita mortui debent esse sæculo, ut non « agnoscant, quæ sit imago auri, aut argenti. »

4. — Certum est juxta sensum moralem, in hac imagine nostram designari animam ad imaginem et similitudinem Dei creatam, unde Glossa ait : « Sicut Cæsar exigit impressionem suæ imaginis, sic « et Deus animam, lumine vultus sui signatam. » David vice quadam totum invitabat ad sermones suos genus humanum, volens ei infinita narrare bona, quibus Deus cumulaverat animam ejus, *Psal.* LXV, 16 : *Venite, audite, et narrabo, omnes qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ;* at quis est nostrum, qui thesaurum istum inæstimabilem, de quo Deus tantum donum protulit, consideret, thesaurum videlicet, *in quo sunt omnes thesauri. Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus :* « Expergiscere o « homo, » inquit contra hos S. Leo, « et dignitatem « tuæ cognosce naturæ. » S. Bernardus quoque ex una parte ad hujus animæ magnificentiam et dignitatem, ex alia vero, corporis a Deo optimo maximo ad tantam sublimitatem evecti vilitatem, oculum dirigens, præ stupore, *Serm.* LXXXI *in Cant.*, exclamat : « Quæ conventio tantæ Majestati et tantæ « paupertati, ut more et amore sponsorum, veluti « ex æquo sese complecti referantur, sublimitas illa « et illa humilitas? » Spiritus Sanctus dum libri Geneseos capite I, animæ nostræ originem et productionem refert, id facit per verba talia, quæ animæ nostræ excellentiam et dignitatem plurimum declarant; dicit enim : *Vidit Deus, quod esset bonum, et ait : Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram;* et paulo post : *Creavit Deus hominem ad imaginem suam; ad imaginem Dei creavit illum.* Ubi Beda ait : *Dignitatis humanæ magnitudo ostenditur, dum quasi consilio creatur.* Scriptura enim dum aliarum creaturarum productionem loquitur, easdem per unicum dumtaxat *fiat*, sine ullo prævio consilio creavit, dicendo : *fiat lux, fiat firmamentum, germinet terra, fiant luminaria*; non vero sic hominem creavit, sed ut Rupertus Abbas ait : « Mutavit vocem suam, quippe qui hactenus « de singulis dixit : *Fiat, et factum est.* » Origenes quoque idem notat, dicens : « Homo a Deo factus « est, omnia vero reliqua jussione ejus facta dicuntur; « imo videtur Deus animam quasi ex præcordiis suis produxisse, sicut ex præcordiis producitur halitus et spiritus oris : *Inspiravit in faciem ejus spiraculum;* corpus vero, quod pro aliquo tempore animæ debebat esse domicilium, propriis suis manibus plasmavit; ut proinde S. Ambrosius dicat : « Me fecisti, me tuis manibus figurasti; » unde et Tertullianus ait : « Recogita illuc totum Deum « occupatum ac deditum, manu, sensu, opere, consilio et affectione, qua lineamenta ductabat; » et quidem licet, quoadusque in hujus mortalis vitæ caligine vivimus, perfectum de hujus imaginis pulchritudine conceptum formare nequeamus, quia,

I *Cor.*, XIII, 12 : *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*, hoc tamen animæ nostræ pulchritudini nihil adimit, ut si quis potentissimus mundi Monarcha ex omnibus terræ partibus ad formandam elegantissimam, quam possent imaginem, omnes præstantissimos congregasset sculptores et pictores, factamque ab illis imaginem, rudi quodam velo contectam, in gaza sua asservaret, velum istud nihil utique illius imaginis elegantiam diminueret : ad eumdem modum, ad producendam hanc animam nostram, perfectissimam velut Divinitatis imaginem et similitudinem, simul congregatæ sunt tres divinæ Personæ, quarum quælibet extremum artis suæ in eamdem expressit; et licet, nec imaginem, nec ejus decorem oculis nostris intueri valeamus, ideo tamen nihilominus æstimanda venit. Idem Rupertus ait : « Magnum « plane consilium, in illo sapientiæ consilio, in illo « talium Personarum, Patris et Filii et Spiritus « Sancti non tam senatu quam colloquio venerando, » anima producta fuit. S. Bernardus pariter supremam illam Trisdem, animæ nostræ artificem fuisse, his verbis fatetur : « Beata illa et « sempiterna Trinitas, Pater et Filius et Spiritus « Sanctus creavit quamdam trinitatem et similitudinem suam, animam videlicet rationalem. » Ex his tribus Personis, quæ hujus tam nobilis partus, ut ita dicam, genitrices fuere, unaquæque secundum nostrum modum intelligendi, extremo potentiæ suæ conatu, eamdem beneficiis cumulare et magnificentissime exornare studuit, unde Rupertus ait : « Quid enim propositum est, nisi sanctæ « Trinitatis gloriam, per opera ipsius quasi per « speculum contemplari, et cujusque Personæ proprietatem agnoscere ex proprii qualitate operis? « hæc plane, humana scilicet creatura, illud potissimum opus est, quod eadem beata Trinitas « magna sibi dignatione divisit, ut Pater conderet, « Filius redimeret, Spiritus Sanctus igniret. » S. Bernardus proinde inter animam nostram et Sanctissimam Trinitatem, has dicit intercedere similitudines : « Sicut ex Patre generatur Filius, et ex « utroque procedit Spiritus Sanctus, ita ex intellectu generatur voluntas, et ex dictis ambobus « procedit memoria, et sicut Deus est Pater, Deus « est Filius, Deus est Spiritus Sanctus, non tamen « tres Dii, sed unus est Deus, et tres Personæ; ita « anima est intellectus, anima voluntas, anima « memoria, non tamen tres animæ, sed una anima « et tres vires. » S. Bernardinus Senensis parem fere discursum adducit, dum trium divinarum Personarum, in anima nostra resplendentem similitudinem ita exponit : « Una in essentia, trina in « potentiis nobilissimis, libero arbitrio prædita, et « dominio in res omnes corporeas; » eamdem similitudinem Dionysius Carthusianus aliis adhibitis ponderationibus ita declarat : « Anima potest dici « imago Dei, quantum ad trinitatem personarum « et similitudo ejusdem, quantum ad unitatem et « simplicitatem divinæ essentiæ, quemadmodum « enim in divinis sunt tres personæ, quarum una « ac prima a nulla est, secunda videlicet Filius est « a solo Patre, tertia ab utroque; ita in anima « intellectus actuatur a fœcunda memoria, et voluntas ab utrisque : rursus in superiori parte « animæ est verbum internum ab intellectu procedens et amor ex voluntate et verbo emanans. »

5. — Alias analogias adducunt alii; et S. Augustinus, seu quisquis est Auctor libri *de Spiritu et anima*, dicit : « Creata est anima a Deo, vita a vita, « simplex a simplici, immortalis ab immortali, ut « non sit longe a Creatore, cui appropriare videtur, simplicitate essentiæ et perpetuitate vitæ; » quemadmodum de Deo dicitur, *Psal.* CXI, 11 : *Omnia quæcumque voluit fecit*; ita et Thomas Villanovanus de anima scribit : « Grandis humanæ naturæ dignitas, altissimaque prærogativa est, ut ad Dei imitationem, ipsa quoque quodammodo sui juris sit, « et suo arbitrio derelicta, ut, quæcumque vult, « facere possit. » Deus noster unus est, et tamen semper et in omni loco, vivificat, movet et gubernat universum; unde Apostolus ait : *In ipso vivimus, movemur et sumus*; « sic anima in suo corpore, » ut S. Ambrosius discurrit, « ubique tota viget, vivificans illud, movens et gubernans, in minimis tota, « et in maximis tota. » Item sicut Deo proprium est, in omni loco præsentem esse, tam foris quam intra universum, ita pariter anima cogitationibus suis per omnes mundi partes discurrit, in unico momento ab uno polo volat ad alterum, et in mille differentibus locis mente sua præsens est, amplectitur mundum, nec tangit illum, et imaginatione sua modo in cœlo, mox in inferno moratur : sicut Deus unus et solus existens, effectuum, natura variorum et differentium, causa est, adeo ut idem calorem igni, nivibus gelu, lucem soli, abyssis obscuritatem, fragantiam floribus, fructibus saporem, gemmis denique pretium, virtutem et decorem impertiatur; ita et anima nostra, una substantia spiritualis existens, unicum est omnium operationum vitalium principium, adeo ut una cum sit, videat tamen per oculos, per aures auscultet, gustet per linguam, per stomachum digerat, perque venas sanguinem æquali proportione dispenset, innumera imaginationi imprimat phantasmata, variorum memoriam teneat vocabulorum, discurrat, amet, velit, oderit, etc.; præterea sicut Deus est incorruptibilis, inalterabilis, invisibilis, incorporeus, indivisibilis, immortalis, ita quoque anima nostra omnis est expers corruptionis, quia nec inficitur per aerem, nec humorum intemperie alteratur, nec ullam motus patitur violentiam, indivisibilis est, immortalis et invisibilis.

6. — S. Thomas in quodam articulo *Summæ*

snæ, I *p.*, *q.* XCII, *a.* 4, quærit, an in quolibet homine imago Dei reperiatur, cujus ratio dubii est, quia Apostolus, *Rom.*, XVIII, 29, dicit : *Quos præscivit et prædestinavit conformes fieri imagini Filii sui*, ergo soli prædestinati hanc in se Dei imaginem referunt; deinde similitudo est de ratione imaginis, peccator autem, ob peccatum, Deo similis esse non potest, quia, *Psal.* XLVIII, 13 : *Comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis*; nihilominus in contrarium adducit illum Psalmi XXVIII, 7 : *Veruntamen in imagine pertransit homo*, unde ita concludit : « Cum homo secundum actualem natu- « ram, ad imaginem Dei esse dicatur secundum « hoc est maxime ad imaginem Dei secundum « quod intellectualis natura, Deum maxime imitari « potest; » tribus autem modis imaginem Dei in homine considerari posse dicit : Primo, in ordine ad aptitudinem naturalem, quam homo habet ad Deum intelligendum et amandum, et hæc in natura, mente et intellecta nostro consistit, quæ communis est omnibus. Secundus modus in actu vel habitu Deum cognoscendi et amandi, licet imperfecte, positus est et hic dependet a gratia, nec est omnibus communis. Tertius consistit in actuali cognitione et amore Dei profecto, « et sic ostenditur « imago secundum similitudinem gloriæ. »

7. — Porro inter imaginem et similitudinem, variæ a sacris Expositoribus notantur differentiæ. Porrecta imaginem omnibus communem esse existimat, ita ut etiam post peccatum in homine remaneat, quam proinde nullam cum gratia justificante necessariam connexionem habere dicit; de similitudine vero ita scribit : « Est donum et gratuitum, et « gratiam gratificantem inferens. Scis, quid sit « imago Dei, seu in quo consistat? Imago Dei est « anima nostra; unde imago consistit in hoc, quod « homo habeat animam unam, tribus potentiis, « scilicet memoria, intellectu et voluntate insigni- « tam. Ubi autem consistit Dei similitudo? in hoc « quod homo habet gratiam, gratum Deo pro vita « æterna facientem cum virtutibus; » talem Adamus in statu innocentiæ et justitiæ originalis habuit. In hoc sensu Rupertus ait : « Ad imaginem requiri- « tur, ut sit rationalis, ad similitudinem nostram, « ut rectus sit, sectando justitiam Dei. » Hugo Cardinalis pariter ait : « Similitudo quantum ad « morum sanctitatem, vel imago quoad innocen- « tiam, similitudo quoad justitiam; factus est igi- « tur homo ad imaginem Dei, ut imitetur eum in « innocentia, ad similitudinem, ut assimiletur ei in « justitia; vel ad imaginem, ut cognoscat, ad simi- « litudinem, ut diligat; » quæ ultima verba desumpta sunt ex S. Augustino, *l. de spiritu et anima*, quem S. Thomas in *Genesin* scribens, citat; hic enim ita ait : « Habent ista duo distinctionem, nam « imago attenditur secundum potentiam cogno- « scendi, similitudo quantum ad potentiam dili- « gendi; » idem S. Augustinus iterum ait : « Facti « est ad imaginem et similitudinem Dei, ut facto- « rem suum pro imagine cognoscat, et pro simili- « tudine diligat; » S. Ambrosius ita quoque scribit : « Ut tanto ardentius amaret conditorem, quanto « mirabilius se ab eo conditum intelligeret. » Quod si truncus quidam ligneus ab omni alias viatore pedibus calcatus, ab artifice in statuam efformaretur, ac demum in altari exponeretur adorandus, in utique, si discursu et rationis usu præditus esset, hunc Apellem suum mirifice diligeret, utpote qui eum e luto ereptum, ad nobilem adeo statum perduxisset; quid vero homo erat, priusquam manibus Dei plasmaretur, corpus certe nihil præter lutum erat, anima vero nihil, nam ex nihilo productam, Angelis similem fecit, *Ps.* VIII, 6 : *Minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloria et honore coronasti eum, et constituisti eum super opera manuum tuarum*. Quod si vero, cur Deus huic imagini esse adeo præstans et nobile per inspirationem dederit, interroges, quia : *Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ et factus est in animam viventem*, responderi potest, exinde novam argui posse animæ cum creatore suo similitudinem, divina enim sapientia de semetipsa ait, *Eccli.*, XXIV, 5 : *Ego ex ore Altissimi prodivi*; deinde sicut respiratio a præcordiis attrahitur, ita et Deus noster ostendere volens, quanto eum amore hanc animam crearit, quantoque in pretio et æstimatione illam habeat, eamdem certo quodam modo e præcordiis suis educere voluisse videtur; unde Oleaster ait : « Potuit dicere : *Fiat* « *homo in animam viventem*; sed hoc non contentus, « quasi ex suis præcordiis vitam eduxit; » eumdem hunc modum, si meministis, Christus, Spiritum Sanctum qui sanctissimæ Triados tertia Persona est, post resurrectionem suam dilectis discipulis suis communicando, servavit, quia *insufflavit in eos, dicens : Accipite Spiritum Sanctum*. Et ideo Tertullianus animam, « divini flatus vaginam » appellat : « Absit, » inquit, « ut Deus manuum suarum opus, « ingenii sui curam, afflatus sui vaginam, molitionis « suæ reginam, liberalitatis suæ hæredem, reli- « gionis suæ sacerdotem, Christi sui sororem in « æternum destituat interitum. »

8. — Optima est igitur ista Eusebii Emiseni, *Hom.* II *de symb.*, sententia, dicentis : « Nobilem « vult esse vitam tuam, qui tibi commisit imaginem « suam; » id quod Apostolus quoque Areopagitis prædicabat, dicens, *Act. Ap.*, XVII, 29 : *Genus ergo cum simus Dei, non debemus æstimare auro et argento aut lapidi, sculpturæ artis et cogitationis hominum divinum esse simile*; ubi S. Gregorius ait : « Genus « videlicet Dei dicimur, per acceptam imaginem ad « similitudinem. »

9. — Notat Cajetanus, Moysen non sine mysterio bis repetiisse : *Creavit Deus hominem ad imaginem suam*; « ad arctius scilicet imprimendam nobis « tanti magnitudinem beneficii, quod ad imaginem « Dei creatus est homo; » at nos imaginem istam peccatis turpiter deformadamus, nam ut Beda ait : « Homo factus est ad imaginem et similitudinem « Dei, quam peccando corrupit, » et S. Ambrosius dicit : « Pictura pretiosa est Adam ante peccatum, « sed ubi lapsus est, deposuit imaginem cœlestis, « sumpsit terrestris effigiem; sed fugiamus hanc « imaginem, quæ intrare civitatem Dei non potest, « quia scriptum est : *Domine, in civitate tua imagi-* « *nem ipsorum ad nihilum redigis*, et non intrat « indigna imago. » Postquam Christus omnia in se peccata nostra assumpserat, in horto *procidit in faciem suam*; cur ita? cur faciem suam cœlum versus elevare non præsumpsit? S. Hieronymus ait : « Qua conscientia erigitis ad cœlum vultus, « quos conditor non agnoscit? » ingeniosa est illa Origenis observatio, qua objectioni cuidam respondet, quæ hoc loco moveri potest, cur scilicet Moyses, postquam dixisset, divinas Personas inter se consultasse dicendo : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*, postea consilii executionem recensens, solum dixerit et quidem bis : *Creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum*, nullam similitudinis faciendo mentionem; respondet igitur, verum quidem esse, quod in creatione ad imaginem Dei formati simus; at similitudinem cum Deo, bonorum operum penicillo depingendum in anima nobis reliquit, hæc enim est imaginem inter et similitudinem differentia, quod illa in donis naturalibus consistat, hæc vero in supernaturalibus gratiæ, innocentiæ, etc. Albertus Magnus ait : « Est imago Dei in nobis et super- « scriptio sui nominis, et hæc duo quæruntur in « denario, scilicet puritas et pondus, » quæ mox animæ nostræ, per hanc monetam denotatæ applicat, dicens : « Sic in nobis præter duo ista quæritur « puritas intentionis, et pondus affectus sive amo- « ris, » nisi enim amor in nobis fuerit, similitudo nobis inesse non poterit.

10. — S. Ambrosius per hanc imaginem, cui similes sumus, Filium Dei intelligit, dicens : « Ipsa « est imago Dei Patris, qui semper est et erat in « principio; imago est, qui dicit : *Philippe, qui* « *videt me, videt et Patrem meum*; » ac proinde S. Basilius obstupescens, quod Deus Filii sui effigiem nobis impresserit, nosque ei similes effecerit, dicit : « Cui quæso te, alii similis es, quam ei, qui splen- « dor est, gloria et figura substantiæ ejus, ei, qui « est imago Dei invisibilis? » Sed audiamus circa hoc insigne Origenis hocce consilium : « Semper « intueamur istam imaginem Dei, ut possimus ad « ejus similitudinem reformari, » quia ut Apostolus, *Rom.*, VIII, 29, ait : *Quos prædestinavit conformes fieri imagini Filii sui*, et ideo, quod Deus Moysi dicit, nobis dictum esse censere debemus : *Inspice et fac secundum exemplar, quod tibi monstratum est in monte*; etenim Deus Pater hanc imaginem et similitudinem, generi humano impressam, adeo defœdatam et deformatam esse videns, eidem Filium suum misit, ut in ipso se speculando, imaginem et similitudinem restauraret deperditam. S. Leo, *Serm.* I *de jejun.*, ait : « Si creationis nostræ intelli- « gamus exordium, inveniemus, hominem ideo ad « imaginem Dei conditum, ut imitator sui esset « auctoris, et hanc esse naturalem sui generis « dignitatem, ut in nobis quasi in quodam speculo « divinæ benignitatis forma respondeat. » Verum tamen est, quod, sicut totum esse imaginis repræsentatæ, quod ex speculo resistat, in objecti in eo relucentis firmitate et stabilitate consistit, nam eo recedente imago evanescit, eodem modo totum bonum hujus imaginis et similitudinis animæ cum Deo, in divina ejus misericordia et gratia erga illam subsistit, quæ si ab illa recedat, totum quod habuit bonum amittit : *Intellectum tibi dabo et instruam te in via hac, qua gradieris, firmabo super te oculos meos*, inquit David, *Psal.* XXXI, 8; et alibi, *Psal.* XXIX, 8 : *Domine, in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem*; mox vero subdit : *Avertisti faciem tuam a me, et factus sum conturbatus*; verum tamen est, quod, ut sacrum Concilium Tridentinum docet, hanc a Deo securitatem habeamus, quod is nos nunquam sua sit gratia destiturus, nisi nos ei primo dorsum obverterimus; et ideo anima nostra semper Deo dicere debet : *Respice in me et miserere mei*; et S. Augustinus ait : « Quisquis vult esse « similis Deo, non recedat ab eo, ei cohærendo, ut « custodiat similitudinem, ad quam factus est. »

11. — Hugo Cardinalis super Marcum, hanc eamdem historiam scribentem, ait : « In denario « sunt quatuor, scilicet veritas materiæ, gravitas « ponderis, imago regis, littera circumscriptionis; « sic in anima sunt quatuor; materia animæ est « nihilum, pondus affectio mentis, imago bona « naturalis, superscriptio bona gratuita; ex primo « habet anima humilitatem, ex secundo mutabilita- « tem, » juxta illud S. Bernardi : « Timent quæ « non oportet, amant quæ non decent, dolent vane, « gaudentque vanius; ex tertio habet operandi « potestatem; ex quarto proficiendi facultatem. »

12. — Didacus Stella dum vanioris et imbecillioris sexus detestatur abusum, utpote qui naturalem vultum pigmentis seu fictis coloribus adeo exornat, ut ex facie difficulter agnoscatur, pergit dicere : « Ita facies mutant atque ora, quæ a Deo « receperunt, ut eos Christus posset interrogare, « quod hos modo interrogat; » mox vero pro documento animæ subjungit : « Maxime cavere « debes, ne in eo, quod mutaris, Deo ignota redda- « ris, ut, quando eum vocare volueris, respondeat « tibi, quod fatuis virginibus : *Nescio vos*; non novi « te, quia non habes vultum, quem dedi tibi; » cui consonat illud S. Bonaventuræ : « Quam timenda

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

« est quæstio hæc, quando in judicio diligenter « examinatur anima, cujus imaginem habeat, Dei, « an diaboli. »

Additiones.

a. — *Cujus est imago hæc et superscriptio?* Imago hæc mystice explicata nostra est; nostra autem imago Dei est, Deo consequenter totaliter consecranda, juxta illud : *Reddite ergo quæ sunt Dei Deo.* Hugo a S. Victore observat quod sacer historicus, cujus calamus a Spiritu Sancto directus fuit, animam nostram non directe et immediate imaginem Dei appellavit, sed tantum dixerit : « *Creavit ad imagi-* « *nem suam*, quia non est ei usquequaque similis; « Filius autem imago est Patris, et non *ad imagi-* « *nem*, quia quidquid habet Pater, totum habet « Filius per naturam. Homo vero est ita imago « Dei, quoad imaginem, quia non per naturam, « sed participatione vel imitatione, habet ea quæ « deitatis sunt. » Hinc eamdem distinctionem in S. Laurentio Justiniano invenies, cujus hæc sunt verba : « Esse imaginem indicat parilitatem eam- « dem, eamdemque substantiam expressam et pro- « priam, ut non possit separari, neque persona « una esse valeat sine alia, aut altera cognosci « absque altera. » Idem quoque Unigenitus Patris insinuare volvit quando dixit : *Si cognovissetis me, Patrem meum utique cognovissetis.* Ad imaginem vero esse conditum, qualemcumque indicat exemplaritatem, prorsus ab essentia imaginis alienam, quamvis similem.

Verumtamen, certum quoque est, quod tametsi anima nostra producta sit, non velut imago ipsa prototypa, sed *ad imaginem Dei*, per hoc tamen in dignitate quadam adeo sublimi sit collocata, qua nulla in creatis dari aut dici possit. Porro finis ob quem Deus hanc animæ nostræ similitudinem impressit, a sacris Interpretibus multifariam exponitur. S. Augustinus dicit : « Facta est ad imaginem « et similitudinem Dei, ut factorem suum pro « imagine cognoscat et pro similitudine diligat. » S. Ambrosius pariter objectum hujus similitudinis in eo consistere dicit, ut videlicet anima in tanta se positam esse dignitate conspiciens, ad Creatorem suum tanto ardentius amandum extimularetur : « Ut tanto ardentius amaret Conditorem, quanto « mirabilius se ab eo conditam intelligeret. » S. Bonaventura S. Anselmum citat qui in *Prosologio, cap.* I, ad Deum Creatorem suum conversus, ita scribit : « Me creasti ad tuam imaginem, ut tui « memor sim, te cogitem, te diligam. »

b. — Imago nostra, et animæ nostræ, summa pulchritudine depicta est, quia in ea relucet divinæ operationis effigies. S. Ambrosius de creatione nostra diffuse tractans, ad explicandam præsentem materiam, picturæ cujusdam metaphoram adhibet, dicens : « Pictus es, o homo, et pictus a Domino « Deo tuo, et bonum habes artificem atque picto- « rem. » Hic autem pictor alius non est quam Sapientia increata, quæ est ipsa *imago Patris, speculum sine macula Dei majestatis, et imago bonitatis illius.* S. Bernardinus peritiam atque præstantiam pictoris hujus his verbis exprimit : « De quo consis- « tit omne scire et omne posse. » Solent quidem permagni æstimari picturæ factæ a Tiziano, Raphaele, Michaele Angelo, Guidone et aliis; at vero horum picturæ nequaquam comparabiles sunt cum illa imagine, quam divina Sapientia per totius æternitatis decursum depinxit, quam Psalmista, *Psal.* CXXXVIII, 6, contemplans in admirationem raptus exclamavit dicens : *Mirabilis facta est scientia tua ex me.* Et quidem tametsi hæc pictura sub hujusce corporis nostri velo contecta lateat, ob hoc tamen nequaquam minoris æstimari debet.

c. — Rupertus Abbas inter nomen *imaginis* et *similitudinis* aliquam observat differentiam : « Imago « et similitudo in hoc differunt, quod imago unius « imago est, similitudo autem nunquam minus « quam duorum similitudo est. » Idem quoque alibi idipsum confirmat, distinguendo imaginem et similitudinem quoad effectus alios : « *Ad imagi-* « *nem Dei*, » inquit, « homo factus est, in eo quod « rationalis est; *ad similitudinem* vero, in eo quod « divinæ bonitatis imitator conditus est; imago « namque Dei, vel *figura substantiæ ejus*, sicut Apo- « stolus ait, Filius est. Bonitas autem, vel charitas « Dei et imaginis ejus, Spiritus Sanctus est; et « idcirco non est dictum : *Faciamus hominem ad* « *similitudinem et imaginem meam*, sed : *Ad imagi-* « *nem et similitudinem nostram;* quia similitudo « non unius tantum, sed duarum personarum, sci- « licet Patris et Filii est; imago autem non dua- « rum, sed unius scilicet Patris est. »

Idem quoque illud scitu necessarium punctum tangit, nimirum quod tametsi ratio imaginis ab homine perdi nequeat, quia proprie in rationali consistit, possit tamen ab eo amitti ratio similitudinis, quæ in gratia, in imitatione, in participatione divinæ bonitatis, quam per culpam abjicimus consistit. « Potuit autem creatura rationalis amittere « id quod ad similitudinem Dei facta est; non po- « tuit vero eo carere, quod ad imaginem Dei con- « dita est. Quare? Quia videlicet divinæ bonitatis « imitatio, per quam Dei similitudo retinetur, « creaturæ quoque voluntatem exigit; rationalitas « autem, quæ impressione imaginis Dei humanæ « animæ insculpta est, a sola Creatoris arte proces- « sit. »

d. — « Numisma Cæsaris in auro est in quo est « ejus imago depicta, » ait S. Hilarius, *Can.* XXIII *in Matth.* « Dei autem numisma homo est, in quo est « ejus imago figurata. » Profecto sicut aurum argentumve Cæsaris imagine excusum, ad regii numismatis valorem et elogium affertur; ita homo

a sui conditore, Dei imagine figuratus, tanquam Dei nummus excuditur, Dei expressa similitudine pretiosus. Et sicut, pergit Tertullianus, qui venditant, prius nummum quo paciscuntur, examinant, ne sculptus, neve rasus, ne adulter; ita etiam credimus Dominum hominis probationem prius imire; an scilicet debitos characteres, nec rasos et adulterinos habeat. « In hominibus enim, » ait S. Ignatius, *Epist. ad Magnes.* « Characteres duos dico « inveniri : unum veri numismatis, alterum adul- « terini. Homo pius, pacificus, patiens, numisma « est a Deo cusum. Impius, impatiens, discors, « numisma ementium incertum, adulterinum, ca- « reus signo debito, non a Deo effectum, sed a « diabolo. »

e. — Nummus est anima, ad imaginem Dei facta, quam Dominus maxime in morte examinat, ut imaginem suam quærat. Rigorosum illud examen quod severus et inappellabilis judex facturus est circa animam, postquam e corporis carcere egressa fuerit, mortem supra modum reddit horrendam et terribilem. Unde sancta Mater Ecclesia in Sequentia Missæ defunctorum, ita canit : « Quan- « tus tremor est futurus, quando Judex est ventu- « rus, cuncta stricte discussurus? » D. Chrysostomus, *Conc.* II *de Lazar.*, ita scribit : « Cum semper « nos stimulat peccatorum conscientia, tum vero « maxime illa hora, cum hinc sumus abducendi ad « illa tribunalia, metuendamque judicium; tum « enim sive quis rapuit, sive fraudavit, sive contu- « melia affecit, sive cuiquam præter causam imi- « micus factus est, sive aliud quodcumque facinus « perpetravit, universus illic peccatorum cumulus « renovatur et oculis exhibetur, mentemque stimu- « lat. Et quemadmodum qui tenentur in carcere « semper quidem dejecti, mœrentesque sunt, « maxime tamen sub illum diem, quo sunt edu- « cendi, et ad ipsas judicis fores protrahendi, ac « pro cancellis foris stantes, judicis vocem intus « audiunt, exaniminantur metu, nihiloque melius « efficiuntur, quam mortui, sic et anima maxime « quidem in ipso peccati tempore cruciatur et an- « gitur, et multo tamen magis cum hinc avulsa « abducenda est. »

Circa hæc verba : *Redde rationem villicationis tuæ*, S. Antoninus ita scribit : « Reddenda est ratio de « corpore nostro et de membris ejus. Ad quid « enim data ostendit Apostolus, *ad Rom.*, XII : *Ut* « *exhibeatis corpora vestra hostiam viventem*, id est, « ut mactemus ipsum, vitiis et concupiscentiis « tanquam animal immolatum, ut vivat in operi- « bus virtuosis. Quinque sensus nostri exteriores, « quamvis radicem habeant in anima, tamen non « utitur eis anima nisi per organa quibus sunt « affixi, ut potentia visiva per oculos, auditus per « aures et hujusmodi. Dedit ergo tibi Deus oculos « ad aspiciendum, ad necessitatem et utilitatem, « non ad vanitatem. Dedit tibi oculos ut aspiciendo « cœlum et ornamenta ejus, solem, lunam, sidera, « elementa et alia pulchra opera Dei inde exurgas « ad contemplandum pulchritudinem et magnitu- « dinem Creatoris, a quo bona cuncta procedunt : « *Invisibilia enim Dei*, etc. Dedit tibi aures ut disci- « plinas morales, scientias naturales, artes varias « ab aliis audiendo valeas addiscere et ex harmonia « cantuum, et musicorum instrumentorum consi- « deres cantus Angelorum. Dedit nares ad odoran- « dum, ut ex fragrantia florum et aromatum « intelligas quia Sancti Dei in patria florebunt sicut « lilium, et sicut odor balsami erunt ante divinam « Majestatem. Dedit et linguam, et palatum, ubi « est gustus, ut lingua tua, non solum mente ut « Angeli Deum laudes; ut admoneas proximum; « ut confitearis peccata tua. Posuit in ea et gus- « tum ut ex suavitate ciborum et potuum percipias « quam dulcis est Dominus, omnis dulcedinis auc- « tor. Dedit et manus, ut non abscondas sub ascello « piger, sed, ut docet Salomon, quodcumque potest « boni manus tua, opereris instanter, quia nec « opus, nec ratio, nec scientia valent apud inferos, « quo tu properas. Pedes dedit ad ambulandum ad « loca tibi necessaria et proximo utilia, non veloces « ad effundendum sanguinem, sed ad dirigendos « pedes nostros in viam pacis. Tibi ergo dicetur : « *Redde rationem villicationis tuæ.* Et vere quilibet « dicere potest cum timore : Quid sum miser « tunc dicturus? Quid laboris et afflictionis corpus « tuum sustinuit pro Deo, qui nec jejunia Ecclesiæ, « nec vigilias, nec peregrinationes ad Ecclesias « fecistis, sed pro lucro innumera. Reddenda est « ratio de tempore, etc. »

Versus 21.

Dicunt ei, Cæsaris. Tunc ait illis : Reddite ergo, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, et quæ sunt Dei, Deo.

1. — Cajetanus ex hoc Christi responso arguit, interrogationem Christo factam eo spectasse, ut elucidaretur difficultas, quæ vertebatur, an scilicet in contemptum Dei cederet, quod Cæsari pendebatur tributum ab iis, qui peculiaris Dei populus erant; et hæc causa fuit, inquit Cajetanus, quod Christus non solum responderit : *Quod est Cæsaris, date Cæsari*, sed simul adjunxerit : *Quod est Dei, date Deo*; « docuit per hoc, quod solvere tributa, census, « vectigalia et quæcumque hujusmodi principibus « infidelibus, non contrariatur ad reddendum, quæ « sunt Dei, Deo; utrumque enim potest simul « fieri. » Non est inconveniens, inquit Lyranus, nec contradictionem involvit quod homo subjiciatur homini in rebus temporalibus et eodem tempore, Deo immediate in spiritualibus, leges etiam civiles Principum non tyrannorum, non sunt contrariæ

nec repugnant legibus Ecclesiasticis; unde Origenes ait : « Respondet, quod oportet reddere Cæsari, « quæ Cæsaris sunt, et non oportet eum frandare a « propriis ejus, pietatis occasione; » et quidem, quod Christus hac responsione insinuat, ipsemet prius executioni mandavit, inquit S. Bernardus, *Epist.* XIII : « Quod ore locutus est Christus, opere « implere curavit; conditor Cæsaris non cunctatus « est Cæsari reddere censum. » Lucas Brugensis nihilominus conditionem quamdam notat, quæ etiam ab aliis sacris Expositoribus adducitur : « Docet, » inquit, « non obstare, quo minus et « Cæsari pareatur et Deo, salva pietate, imo sua« dere pietatem, ut utrique pareatur; » Chrysostomus quoque, *Hom.* LXXI *in Matth.*, idem hisce verbis tangit : « Tu vero cum audias reddenda esse « Cæsari, quæ sua sunt, illa solum dici non dubi« tas, quæ pietati ac religioni nihil officiunt, nam « quod fidei aut virtuti obest, non Cæsaris sed dia« boli tributum et vectigal est. » Circa hæc verba ingeniosa valde est illa Didaci Stellæ consideratio : « Nec dicit, » inquit, « *reddite Cæsari, quæ petit*; « sed *reddite, quæ illius sunt*; nam si potestas « aliquid a nobis petit, per quod offendi Deum « necesse esset, id non esset Cæsaris, sed diaboli « tributum, » nam ut in Actibus Apostolorum dicitur : *Obedire oportet magis Deo, quam hominibus*; quoties enim legi Principis obediendo, lex divina offenditur, tributum Cæsari non solvitur, sed quod Dei est, tollitur; ac proinde immediate subjungit : *Ac quæ Dei, Deo*; quare nos docere vult, non satis esse Christiano, si Cæsari et potestati obedientiam præstet, nisi Deo obediens sit; vult etiam regum, principum, magnatum per hoc indicare servis, quod eorum Deo non erunt excusati, si propter dominorum suorum negotia, negligunt et omittunt quæ Deus exigit.

2. — Salmeron notat, Hebræos in aliis Dei, in aliis vero, Cæsaris debitores esse : « Vos estis, » inquit, « Dei et Cæsaris, nam omnia habetis a Deo, « ut animam, corpus, divitias naturales; aliqua per « Cæsarem, ut justitiam, pacem, abundantiam; » ac proinde juxta illud Apostoli, *Rom.*, XIII, 7 : *Reddite omnibus debita; cui tributum, tributum; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem.*

3. — Hic Salmeronis discursus ex S. Thoma *super Matthæum* decerptus fuit, ubi is ita describit : « Quasi dicat : Vos estis Dei et Cæsaris, et habetis « in usu vestro, et quæ Dei, et quæ Cæsaris; divi« tias naturales a Deo, scilicet panem et vinum, et « de his date Deo; habetis ista artificialia, ut dena« rios a Cæsare et hæc Cæsari reddite. » Idem in sensu mystico dicit, quod animam, quæ ad imaginem Dei est, Deo debeamus, « secundum ea vero, « quæ a mundo habemus, pacem cum mundo « habere debemus. »

4. — S. Hilarius horum verborum mysteria ponderans, exclamat : « O plenam miraculi responsio« nem et perfectam dicti cœlestis absolutionem, ita « inter contemptum sæculi et contumeliam lædendi « Cæsaris temperavit, ut curis omnibus et officiis « humanis devotas Deo mentes absolveret, cum « Cæsari, quæ ejus essent, reddenda decernit, si « nihil ejus penes nos resederit; conditione red« dendi ei, quæ sunt sua, non tenebimur. »

5. — Lucas Brugensis distinctionem Deo et Cæsari a nobis reddendi census sequentem assignat : « Singula tamen in his, quæ ipsi sunt propria, « ita neutri, alterius prætextu, fiat injuria, nec « Cæsari prætextu Dei, nec Deo prætextu Cæsa« ris. »

6. — S. Augustinus ait : « Deo reddendus est « christianus amor, regibus humanus timor, » quod ut fiat, considerandus est Daniel, favorem sibi concilians Nabuchodonosoris, licet impii et sacrilegi; David pariter veneratus est reprobum Saulem, S. Sebastianus primas habuit dignitates in aula Diocletiani Imperatoris, truculentissimi Christianorum persecutoris, et tamen *quæ sunt Cæsaris*, dedit *Cæsari et quæ Dei, Deo*; quia ut ejus historia refert, « tyrannis erat adeo venerandus, quod videretur « in omnibus vir spectatus et probatus, ut connu« meraretur inter amicos fidelissimos; » et tamen simul de eodem scribitur et experientia docuit, quod « erat vir per omnia christianissimus. » In aula quoque Neronis, viri sanctissimi vivebant, qui optime Cæsari, quod illius erat, dare noverant, sine tamen præjudicio ejus, quod Deo debebatur; quos proinde Apostolus sanctos appellat : *Salutant vos omnes sancti, maxime autem, qui de domo Cæsaris sunt.*

7. — Theophylactus, *super Lucam* notat, Christum non dixisse : *Date*, sed, *reddite*. « Vide, » inquit, « quia non dixit : *date*, sed *reddite*; debi« tum igitur est, reddite igitur debitum; » cujus ratio jam tradita est, quia Principes pro communi reipublicæ bono et beneficio subditorum, multas faciunt expensas, atque ideo necessum est, ut hi ad easdem aliqua saltem ratione concurrant : « Cus« todit te Princeps tuus ab hostibus, vitam tuam « pacatam facit, debes itaque ei pro his tributum. » S. Ambrosius autem in sensu spirituali dicit : « Bene prius, *quæ sunt Cæsaris*, reddenda decernit, « neque enim potest quis esse Domini, nisi prius « renuntiaverit mundo. » Eamdem et S. Paschasius moralitatem tangit, dicens : « Vosmetipsos reddite « Deo, quod omnino non potestis, nisi vos primo « exuatis, a censu Cæsaris, quatenus deinceps « liberi sitis et ideo prius reddite, quod alienum « est. »

8. — Eamdem ponderationem S. Bonaventura habet : « Prius, » ait, « præmittit, quod reddantur, « quæ sunt mundi, prius enim deponendum est « pondus, quam quis erigatur sursum. »

9. — Nec est prætereunda Salvatoris in præsenti animadversio, nimirum Christum solum de tributo Cæsaris interrogatum, simul etiam quod Deo debetur, respondisse : « Addidit de debitis Deo solven« dis, tum ne objicerent sibi præceptum Dei de « debitis solvendis, tum, ut ostenderet se curare, « quæ Dei sunt, non suo commodo, sed utilitate « reddentium. » Origenes a S. Thoma in *Catena* citatus ad *cap.* XX *Lucæ*, dum confirmat, dicit : « Postulat autem a nobis Deus, non quia necessa« rium habet, ut ei aliquod tribuamus, sed ut, post« quam ei dederimus, hoc ipsum nobis tribuat. »

10. — Theophylactus per Deum et Cæsarem, uniuscujusque corpus et animam interpretatur : « Ex « anima, » inquit, « et corpore constituimur; « corpori cibum et amictum, ut Cæsari debemus, « diviniori autem et nostræ parti, quæ et illi « congruunt; nos autem hunc ordinem non solum « sæpe pervertimus, dum major nos cura tenet, ut « primo loco corpori, secundario vero animæ satis« faciamus; verum etiam dum tributum Spiritui « debitum majori ex parte negligimus. »

11. — Jansenius modum nos docet, quo hunc sensum Deo, cui omnia debemus, solvere valeamus, inquit : « Cum ea, quæ habet homo in bonis vel « animæ, vel corporis, vel fortunæ, sint ipsius Dei, « omnia hæc quodammodo Deo sunt reddenda, id « autem fit, cum omnia Dei dona illi accepta feri« mus, iisque utimur secundum ipsius voluntatem « et ad ipsius gloriam. »

12. — Auctor Imperfecti pariter modum huic tributo satisfaciendi insinuat, dicens : « Illi beatam « semper Deo imaginem suam reddamus, non « superbiæ fastu tumidam, non iracundiæ livore « marcidam, non avaritiæ facibus succensam, non « gulæ illecebris deditam, non hypocrisis duplici« tate contectam, non luxuriæ sordibus contamina« tam. »

13. — Euthymius per hunc sensum, Deo debitum, pietatem et religionem maxime vero divinorum ejus præceptorum observantiam intelligit : « Redde, » ait, « pietatem et observantiam « mandatorum. »

14. — Theophylactus, *in Luc.*, ait : « Dedit tibi « mentem, illam redde ei, juxta mentem operans; « dedit tibi rationem, redde et illam, ne fias brutis « insipientibus similis. » S. Hilarius acceptabile Deo tributum esse dicit, si quæ in nos contulit, ei vicissim reddamus : « Deo quæ ejus sunt propria red« dere nos oportet, corpus, animam, voluntatem, « ab eo enim hæc profecta atque aucta retine« mus. »

15. — Porro Cæsarem in his, quæ ad Deum spectant, se ingerere non debere, ex Epistola XXXIII S. Ambrosii ad Marcellinam sororem de Imperatore Valente, Ecclesiam quamdam pro Arianis ab ipso postulante, loquentis clare intelligitur, his enim se verbis eum repulisse scribit : « Noli te gravare « Imperator, ut putes, te in ea, quæ divina sunt, « imperiale jus habere; noli extollere, sed si vis « diutius imperare, esto Deo subditus; scriptum « est : *Quæ Dei, Deo; quæ Cæsaris, Cæsari*; ad Im« peratorem palatia pertinent, ad Sacerdotem « Ecclesia, tibi mœniorum jus concessum est, non « sacrorum. » Deus, *qui omnia in sapientia fecit*, olim virgam Aaron, non vero Moysis, in arca ad perennem memoriam conservari præcepit; cum tamen illa Moysis virga, Ægyptum tot plagis castigando, aperiendo maria, atque aquæ limpidissimæ flumina e duris saxis eliciendo, admiranda ediderit prodigia, idque in populi Israelitici magnum beneficium, qua de re aliud dici nequit, quam quod *omnia in figura contingebant iis*, virga enim Aaron potestatem sacerdotalem, Moysis vero auctoritatem et potestatem sæcularem repræsentabat; hæc autem nequaquam præsumere debet, ut se in jurisdictionem ecclesiasticam ingerat, sed foris extra arcam manere debet; Ozias incensum offerre volens et Saul sacrificans et multi similes gravissime a Deo puniti fuere.

Additio.

a. — *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo.* D. Hilarius ait : « Deo etiam ea « quæ Dei sunt reddere nos oportet, id est, corpus « et animam et voluntatem. Numisma autem Cæsa« ris in auro est, in quo est ejus imago depicta; Dei « autem numisma homo est in quo est Dei imago « figurata. Ideo divitias vestras date Cæsari, Deo « autem innocentiæ vestræ conscientiam servate. » Quod etiam docet D. Bernardus, *lib. de Pas. Dom.*, *cap.* III. Terreno regi dandum est aurum et argentum, in quo est ejus imago exarata; Deo vero dandus est totus homo, qui ad imaginem et similitudinem Dei factus est. Idem S. Doctor Hilarius acceptabile Deo tributum esse, si quæ in nos contulit, ea vicissim reddamus Deo : « Deo enim quæ « ejus sunt propria, reddere nos oportet, corpus, « animam, voluntatem, ab eo enim hæc profecta « atque aucta retinemus. » Solo tamen amore contentus est, quem et etiam totum debemus.

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEÓN

DOMINICA VIGESIMA TERTIA POST PENTECOSTEN

EVANGELIUM MATTHÆI, CAP. IX, VERS. 18

18. Hæc illo loquente ad eos, ecce Princeps unus accessit et adorabat eum dicens : Domine, filia mea modo defuncta est ; sed veni, impone manum super eam, et vivet.

19. Et surgens Jesus sequebatur eum, et discipuli ejus.

20. Et ecce mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, accessit retro, et tetigit fimbriam vestimenti ejus.

21. Dicebat enim intra se : Si tetigero tantum vestimentum ejus, salva ero.

22. At Jesus conversus et videns eam, dixit : Confide filia, fides tua te salvam fecit ; et salva facta est mulier ex illa hora.

23. Et cum venisset Jesus in domum Principis, et vidisset tibicines et turbam tumultuantem, dicebat :

24. Recedite, non est enim mortua puella, sed dormit.

25. Et deridebant eum ; et cum ejecta esset turba, intravit et tenuit manum ejus, et surrexit puella.

26. Et exiit fama hæc in universam terram illam.

VERSUS 18.

Hæc illo loquente ad eos, ecce Princeps unus accessit, et adorabat eum, dicens : Domine, filia mea modo defuncta est ; sed veni, impone manum tuam super eam, et vivet.

Ecce Princeps unus accessit.

1. — Quantumvis Judæi, prout Lyranus tradit, in sola civitate Jerosolymitana templum haberent, sacrificiis et hostiis destinatum, in aliis nihilominus etiam urbibus et villis, sua tenebant orationibus effundendis, verbo Dei audiendo, omnibusque aliis ad divinum cultum spectantibus, pro universali populi beneficio deputata loca, quique in iis tanquam caput reliquorum cum auctoritate publica præerat, Princeps dicebatur Synagogæ. S. Marcus porro Archisynagogum, nuncupat Jairum, quod idem ei nomen S. Lucas imposuit, quod nomen S. Bonaventura in sensu spirituali explicat : « Jairus interpretatur illuminatus et aliis debet in « plebe Domini principari. »

2. — Glossa per hunc Principem, in sensu allegorico Moysen intelligit : « Archisynagogus, » inquit, « Moysen significat ; dicitur *Jairus*, id est, « illuminans vel illuminatus, quia accepit verba « vitæ dare nobis ; videns Dominum in carne ven- « turum, cadit ad pedes ejus, dicens : *Quod infir- « mum est Dei, fortius est hominibus*, pro filia rogat, « id est, pro Synagoga, quæ sola lege instructa « unica ei erat, quæ a lege et Prophetis educata, « postquam filios Deo generare debuit spirituales « erroribus languens in peccatis moritur ; prius pro « ea patres rogaverunt, tamen magna fides gentium « prius impetravit, Synagoga in civitate legis, ut in « domo, in qua unius Dei cultus est, moritur et « suscitatur. »

3. — Hoc verbum *accessit*, Archisynagogum ingens lumen, magnamque Dei, veri solis justitiæ, notitiam accepisse denotat, qui proinde benedicitur : *Jairus*, id est, *illuminatus* ; nam ut Psalmista ait : *Accedite ad eum et illuminamini.*

Et adorabat eum.

4. — S. Lucas ait : *Cecidit ad pedes ejus.* Albertus Magnus *super Lucam*, in hoc tanto viro hunc humilitatis actum valde admiratur : « Ecce humili- « tas devotionis, quia cum Princeps esset, non « dedignatus est locum pedum quærere, *Psal.* « CXXXII, 7 : *Adorabimus in loco, ubi steterunt pedes « ejus* ; » et quidem indubitatum est, quin considerabilis sit hæc adoratio, quod pro illo tempore Christus, Sacerdotibus, Scribis et aliis Synagogæ Principibus probro et contemptui haberetur : *Numquid ex Principibus aliquis credidit in eum?* de Regulo quidem constat, quod a Christo, ut in domum suam se conferret petierit : *Rogabat eum* ; non vero quod adorarit, sed ecce tribulationum effectum, utpote quibus superborum fastus plane deprimitur.

Domine, filia mea modo defuncta est.

5. — Archisynagogus ille Christum paucis verbis ad compassionem commovere conatus fuit, quibus scilicet pro filia quadam supplicabat, quæ unica divitiarum ejus hæres cum esset, optimo ætatis

flore decessit ; nam ut Chrysostomus, *Hom.* XXXI *in Matth.*, ait : « Unica puella erat et duodecimum « annum, ipsum ferme florem ætatis, attigerat. » Solet nonnunquam Deus, immaturam mortem permittere in pœnam parentum, qui nimio prolium suarum amore ducti, illis supra modum blandiuntur, bonamque earum educationem negligunt, neque vitia, tali ætati lubricæ familiaria corrigere satagunt ; rapit quoque eas per immaturam mortem, in beneficium eorumdem parentum, quos avaritiæ et iniquis exstorsionibus deditos futuros esse prævidet, ut filiis divitias et vitæ commoda coacervent ; rapit item eos, ad eorumdem filiorum utilitatem, dum illos in annis malitiæ incapacibus hinc avocans, salutem eorum securam reddit.

6. — S. Bonaventura in sensu morali ait : « Filia tua est anima tua defuncta per culpam, cui « manus Christi imponitur per gratiam. »

7. — Ex textu Evangelistarum hanc historiam recensentium, dubium nascitur, quia S. Marcus, V, 23, ita scribit : *Deprecabatur eum, dicens : quoniam filia mea in extremis est* ; S. Lucas, VIII, 41, vero ait : *Rogans, ut intraret in domum ejus, quia unica filia erat ei, fere annorum duodecim, et hæc moriebatur* ; quare igitur Princeps apud Matthæum dicit : *Modo defuncta est* ; Theophylactus ipsum afflictionem suam exaggerasse dicit, filiam mortuam dicendo, ut ad compassionem Christum magis permoveret : « Ut augens calamitatem, quo ad misericordiam « provocaret Christum ; » Toletus dicit : « Dolorem « suum amplificabat ; solent enim, qui rogant, suas « æruminas augere. » Dionysius Carthusianus usitatum loquendi modum esse dicit, quo infirmum desperatum et a medicis juxta medicinæ regulas depositum, mortuum esse dicimus, maxime dum est agonizans : « Dicendum, » inquit, « quod loqui- « tur secundum communem modum loquendi, quo « de agonizante, cujus vita desperatur, communi- « ter dicitur, quod sit mortuus homo ; » ad hæc dici potest, quod quando hic Princeps e domo sua egressus est, filiam agonizantem reliquerit, ac proinde eam intermedio tempore obiisse rationabiliter censere potuerit. Lyranus ait, id quod S. Marcus et Lucas scripsere, verissimum fuisse pro tempore, quo e domo exibat : « Sed antequam « Jesus veniret ad domum patris, ejus filia mortua « est, propter quod nuntii venerunt, de domo, qui « dixerunt : *Noli vexare Magistrum, quia defuncta « est filia tua.* »

8. — S. Bonaventura supra verbum *moriebatur*, quo S. Lucas utitur, scribit : « Filiam suam quasi « mortuam reputabat. » Unde et S. Augustinus de concordia Evangelistarum de duobus aliis Evangelistis dicit : « Expresserunt Principis verbum, « Matthæus vero intellectum expressit, quia eam « mortuam reputabat. »

9. — Theophylactus, *Hom.* XXXI *in Matth.*, ait, quod, ex quo filiam moribundam reliquerit, eam mortuam esse conjecerit : « Dicit autem velut con- « jectans, eo quod relinquerat eam in extremis « exhalantem spiritum ; » idem quoque Chrysostomus his verbis exprimit : « A tempore itineris con- « jicientis verbum erat, modo mortuam esse, aut « forsan calamitatem amplificantis. »

10. — Lyranus aliorum interpretum expositioni innixus, censet S. Matthæum, brevitatis gratia, id quod SS. Marcus et Lucas referunt, omisisse : « Ita, « omittit, ut brevius scribat, et accipit patris ver- « bum ab illo tempore, quo recipit nuntium. » Toletus qui hanc difficultatem diligenter et fuse examinat, Euthymio adhæret, dicenti, Archisynagogum prius Christo dixisse, quod moribunda esset, postea vero recepto mortis nuntio, subdidisse : *Modo defuncta est*, unde dicit : « Hæc sententia « mihi omnium accommodatissima videtur, exis- « timo enim sic se totam rem habuisse : puella in « extremis erat, quando Archisynagogus domo sua « egressus est ad Christum, quando autem accessit, « quia facile fieri poterat, ut jam tunc mortua « esset, ut veritatem Christo proponeret, dixit : « *Filia mea in extremis est, aut modo mortua est* ; « adjicit illud *modo*, indicans tempus quando « loquebatur cum Domino. » Dionysius Carthusianus ait : « Matthæus narrat verba Jairi, quæ dixit « Christo, postquam a servis suis percepit, filiam « esse mortuam. »

11. — S. Anselmus ipsum et agoniam, et mortem filiæ Christo nuntiasse censet, nuntium tamen mortis a servis acceptum subticet. Lucas Brugensis vero diligentissimus litteralis sensuum examinator, ita scribit : « Sic historia texenda est, quod primo « petierit in sanitatem restitui filiam, extreme « laborantem, deinde etiam a morte in vitam « restitui, postquam allato mortis nuntio, animum « illi Christus addidit. » Cajetanus quoque eidem opinioni subscribit, dicens : « Primo rogans, dixit, « quod filia sua in extremis laboret ; deinde eundo « cum Jesu accepit nuntios, quod mortua esset, et « tunc dixit Jesus, quod S. Matthæus explicat. »

12. — Chrysostomus, *Hom.* LI *in Matth.*, ait : « Duo a Christo postulat, ut veniat, et ut manum « imponat ; quod signum erat, spirare adhuc « puellam, quando ab ea pater decesserat ; » at vero, quod magis mirandum est, hic Jairus de eorum numero erat, qui Christum persequebantur, nam Pharisæi de omnibus Principibus edixere, *Joan.*, III, 48 : *Numquid ex Principibus aliquis credidit in eum?* et S. Lucas, XIII, 14, ait : *Archisynagogus indignans, quod sabbato curasset Jesus*, et tamen non constat, eum a Christo reprehensum, quin potius benigne ab illo exceptus fuit, non obstante fide ejus adeo imperfecta, dum ait : *Veni, impone manum tuam* ; cum Centurio contra dixerit : *Dic tantum verbo* ; at hoc mirum non est. Christus id

non solum ideo fecit, quia se erga illos, a quibus male tractabatur, benigniorem semper et beneficentiorem ostendere consuevit, sed etiam ad hoc ex eo moveri potuit, quia Princeps ille præter Magnatum morem, summa cum fiducia, devotione et submissione animi in ipsum, suam ei supplicationem proposuit, unde æquum duxit, ei non cum amaritudine sed benevole respondere, quia magni æstimandum est, dum se humiliant Magnates.

13. — Ex Evangelistarum relatione, trium præcipue mortuorum resuscitationem factam esse constat, nempe filii viduæ Naimiticæ, Lazari et hujus filiæ; et vero de hac solum constat, quod ejus in vitam revocatio supplici prece a Christo requisita fuerit, quia mater illa plorans, nullam pro filio fecit instantiam; sorores quoque Lazari, licet nuntios ad Christum miserint, pro insinuanda fratris infirmitate, pro ejus tamen resuscitatione non supplicarunt. Eusebius Emissenus per hosce tres mortuos, tres varios peccatorum gradus insinuari his verbis, *Hom. de Laz.*, docet : « Moritur « homo, prava et illicita cogitando, moritur male « operando, moritur in peccatis perseverando; « cogitas aliquid agere, quod non licet? mortua « est anima tua, sed latet peccatum et nondum « divulgatum est; si vere cogitationem ad effectum « perducas, non solum mortua est, sed jam extra « civitatis portam elata, et per peccatum ab Eccle- « sia separata et perditioni proxima est; at vero « ille, qui peccatum aliquod commisit, et multo « tempore in eo perseverat, non solum mortuus « est et sepultus, verum etiam jam fœtet, quia ejus « turpissimam famam circumquaque audire ab- « horret; omnes hos suscipiet Jesus, si a peccato « exeant et ex corde pœniteant; » hæc autem filia præ cæteris resuscitatis hanc habet prærogativam, quod animam præfiguret in peccato quidem mortuam, sed tamen tali, quod occultum est et non publicum, et recenter admissum, quod proinde nec habituatum est, nec scandalosum, hujus cura et remedium facilius est, aliorumque pro tali resuscitando factæ ad Deum preces citius acceptantur, cum e contra in peccatoribus habituatis obstinatio, durities cordis, et mala peccandi consuetudo plurimum resistat, paucique sint, qui pro his orantes, a Deo exaudiuntur. S. Bonaventura, *Serm.* I *in hac Dom.*, notat, Principem dixisse : *Modo defuncta est*, et immediate a morte Christum ad eamdem resuscitandam invitasse : « Festina, » inquit, « conversio : *modo*; non dicit anno præte- « rito, sed modo : *Ne tardes converti ad Dominum* « *et ne differas de die in diem.* » Idem quoque Seraphicus Doctor ait : « Manus autem imponenda est « misericordiæ suæ gratia; Christi operatio quatuor « facit in nobis; purgat culpam, reparat naturam, « confert gratiam, præparat gloriam, hujus filiæ « suscitatio est animæ peccatricis justificatio. » Per hanc quoque manus impositionem intelligi potest absolutio sacramentalis; per verbum veni, gratia excitans, per quam ad ferventes compunctionis actus eliciendos promovemur.

14. — De iis divinis manibus Job, x, 8, ait : *Manus tuæ, Domine, fecerunt me, et plasmaverunt.* Chrysologus dicit, *Serm.* XXXIII : « *Veni et impone* « *manum*, ut qui sponte posuit ad creandum, ad « reparandum iterum exoratus imponat. » Ab hac Dei manu salutem nostram sperare possumus, dicente Davide : *Fiat manus tua, ut salvet me; in manibus tuis sortes meæ.*

15. — Didacus Stella observat, quod Christus hunc Principem non sicut Regulum, ob modicam fidem reprehenderit, idque præcipue, quia caput Synagogæ erat : « Hic Sacerdos erat et Princeps « Synagogæ; hinc ad nostram eruditionem disca- « mus, viros ecclesiasticos, Prælatos honorare, et « eorum peccata, saltem coram populo, non ar- « guere. » Idem quoque Principis hujus sollicitudinem, in providendo infirmitati filiæ remedio ponderans, aliud inde elicit dogma pro iis, quibus regimen commissum est animarum : « Discant « Prælati, exemplo hujus Archisynagogi, quam « subditorum suorum debeant habere curam, ut, « si quando tot in peccato mortuos viderint, « accurrant, et amore paterno Deum precentur, ut « illos manu misericordiæ suæ tangat. » Se quoque reflectit idem Auctor ad Salvatoris benignitatem, qui tanta cum benevolentia afflictum hunc recipit; licet præstitum ab eo obsequium, propriam ejus utilitatem respicere probe sciret : « Propter commo- « dum, ad Dominum accedit, sed quomodocumque « accedant homines, eos suscipit Dei benignitas. »

16. — S. Thomas, *in Matth.*, in sensu allegorico ait : « Significatur appetitus Patrum de venturo « Christo, unde dicebant : *Veni, impone manum* « *tuam*, id est, Christum, ut in *Psal.* CXLIII, 7 : « *Emitte manum tuam de alto.* »

Additiones.

a. — *Ecce Princeps unus accessit.* Hic homo vere dicitur *Princeps*, quia seipsum et omnem vanam erubescentiam vincere noverat, ut a Pharisæorum supercilio descenderet et ad Christum veniret, eumque adoraret. Qui enim pudorem excutit, constans in servitio divino, magnam gloriæ possidet arrham. Paterfamilias quidam servos suos misit, ut fructus cujusdam vineæ suæ exigerent. Vinitores autem, non solum censum pactum non solverunt, sed insuper illos qui ad exigendum censum missi fuerant occiderunt; ac proinde justum quidem fuisset ut paterfamilias ad homicidas illos castigandos justitiæ vindicativæ ensem in illos vibraret; attamen expediens futurum esse censuit si prius filium suum eodem fine ad eosdem mitteret; dicebat enim intra se : *Forsitan verebuntur filium meum.* Auctor Imperfecti, hac parabola utitur, ut ostendat, qualem Deus peccatoribus pietatem exhibeat, postquam ab eis sæpius mortaliter offensus fuit, ponderansque verba illa : *Forsitan verebuntur filium meum*, ait : « Misit confundere illos, non « punire, nam pro tantis injuriis benigno domino « sufficiebat sola vindicta pudoris. » Etenim si is qui a mundo se abducit, malas societates relinquit et conversationes suspectas aversatur, ideoque in conspectu mundi digitis monstratur et deridetur; si is, inquam, post factam veram pœnitentiam, omnia sibi erogata ludibria amore Dei libenter suscipiat, certus esse poterit, hanc patientiam ad diluendam pœnam temporalem peccatis suis debitam, plurimum adjuturam, nam pro tantis injuriis benigno Domino sufficit sola vindicta pudoris. S. Ephrem peccatricem Magdalenam, ad postulandam a Christo peccatorum suorum plenariam indulgentiam, domum Pharisæi ingredientem, hunc in modum loquentem introducit : « Quemadmodum « exteriores oculos meos inhonestos exhibens, prius « neminem erubescebam, sed a multis me rapi « permittebam; ita et nunc, nisi internos cordis « mei oculos cum multa austeritate, atque vere- « cundia commutans, ingressa fuero, non potero « mei desiderii compos fieri. » Atque ideo cum virtuosa quadam et laudabili verecundia coram Salvatore, apparere voluit, ut veniam reciperet et divinæ gratiæ restitueretur : *Est confusio adducens gratiam. Eccli.*, IV, 14. De qua laudabili erubescentia S. Bernardus, *Serm.* XVIII *in Cant.*, ita scribit : « Robor « ipse genarum, quem forte invenerit pudor, quan- « tum gratiæ et decoris suffuso afferre vultui solet. « Usque adeo genuinum animi bonum verecundia « est, ut qui mala agere non verentur, videri tamen « verecundentur, dicente Domino : *Omnis qui male* « *agit, odit lucem.* »

b. — Accessit Princeps hic ad Christum, sicut alii accedebant. Sorores autem Lazari non adierunt, sed miserunt; viris enim convenit exire foras, mulieribus autem non item. Ad castitatem enim conservandam solitudo plurimum conducit, cui vel maxime sexus fœmineus deditus esse debet. Sponsus cœlestis Sponsam suam, id est, animam puram et immaculatam, non semel, sed iteratis vicibus hortum, et hortum quidem conclusum, appellavit, ut ex hoc nomine intelligeremus, quanta cum sollicitudine, pro firma castitatis custodia, solitudini vacandum sit animabus castis. In cujus confirmationem S. Bonaventura inquit : « Castitas debet « habere clausuram studiosam, nam dicitur : *Hor-* « *tus conclusus soror mea sponsa;* » simulque idem Seraphicus Doctor observat quod sicut in hortum conclusum, nemo potest ingredi, nisi ab alto : « Sic in homine casto, qui habet clausuram conti- « nentiæ, nullum desiderium debet intrare, nisi « cœleste tantum. »

Sponsus cœlestis in sacris Canticis interrogabat olim, VIII, 8 : *Quid faciemus sorori nostræ in die, quando alloquenda est?* Respondet autem idem Sponsus : *Si murus est, ædificemus super eam propugnacula argentea.* Ubi Hugo Cardinalis ait : « Muri et propugnacula quibus ipsa custodiebatur, « talem indicant virginis solitudinis recessum, quod « major dari nequit. » S. Bernardus notat, quod dum ab Angelo, in Annuntiatione sua visitata fuit, « clauserat illa hora super se habitaculum suum « Virgo prudentissima, sed hominibus, non Ange- « lis; » et tamen *turbata est in sermone ejus.* Causa autem turbationis hujus fuit, quia Archangelus Gabriel in assumpta specie humana, ad illam ingrediebatur; unde S. Ambrosius ait : « Ipsa autem ut « vidit eum, mota est in introitu ejus, sola in pene- « tralibus, quam nemo virorum videret, Angelus « reperiret, sola sine comite, sola sine teste, ne quo « degenere depravaretur affatu, ab Angelo salutatur. » Maria etiam salutationem Angeli verebatur. De eadem quoque Deipara, idem S. Doctor, *lib.* II *de Virginibus*, ita scribit : « Prodire a domo « nescia, nisi cum ad Ecclesiam conveniret, domes- « tico operosa secreto. »

Completa Annuntiatione, a Deo mota fuit, ut S. Elisabetham cognatam suam Præcursore filio suo gravidam, ministerii causa visitaret; at vero non sine mysterio S. Lucas, I, 39, de hoc itinere scripsit : *Abiit in montana, cum festinatione.* Ubi Dionysius Carthusianus ait : « Per hoc quod *cum festina-* « *tione* perrexit, docentur puellæ, ac fœminæ, non « diu extra domum manere, nec fabulari in pu- « blica; pertinet namque ad sexum fœmineum « pudor, timor, custodia, taciturnitas et esse in « domo. »

c. — *Et adorabat eum.* Undenam hic Princeps in tantam devenit humilitatem? Ecce filia ejus mortua erat, in qua videns miseriam conditionis humanæ, omnem deposuit fastum. Grandium enim fastum atque superbiam consideratio mortis dejicit. Severus imperator qui suam sibi præparari fecerat mortalem urnam, intra quam cineres suos recludendos statuerat, frequenter eam attingens dicebat. « Tu virum capies, quem totus mundus « capere non potuit. » Immensa illa regis Nabuchodonosori in somnis exhibita statua, quæ caput aureum, pectus et brachia argentea, ventrem et latera ænea, crura unamque pedum partem ferream habebat, juxta Danielis expositionem, quatuor sublimissimas significabat mundi monarchias, quas inter illa Assyriorum primum tenebat locum. Quorum regem Altissimo se assimilare volentem, dum humiliare vellet Dominus, ut quis sceptrorum coronarumque regalium finis esset, intelligeret, exile ei exhibuit saxum, motu proprio de monte corruens, inque pedes impingens statuæ, violenter adeo, ut ipsam penitus attriverit et quasi in nihi-

lum redegerit, dicente Scriptura : *Contrita sunt pariter ferrum, testa, æs, argentum, et aurum, et redacta quasi in facillam.* Quo facto increata Sapientia Magnates edocere voluit, dominia, regna, imperia, nil nisi colossos esse in aere fundatos, ac somnia et quantumvis armatis innitatur exercitibus, provinciarum dominio, legum promulgationi, populorum servituti, nihilominus omnes tam principes quam reges, imperatores et monarchas, pedibus constare fragilis vitæ, eorumque vitam, quemadmodum uniuscujusque alterius, ab unica dependere respiratione et flatu. Quæ illis singulariter verbis insinuari videntur : *Contrita sunt pariter*, etc. Siquidem et quemadmodum communis residua totius humani generis massa, ita et magnates multiplici subjacent morbo, faciliusque deficiunt, insidias sustinentes a conjurationibus et traditionibus, reformidati ab impiis, technis dolisque subjacentes inimicorum.

d. — *Filia mea modo defuncta est.* Princeps hic non accessisset ad Christum, nisi hac filiæ suæ pressus fuisset infirmitate; bonæ igitur sunt corporis infirmitates, ac adversitates, utpote ex quibus magnum capimus lucrum. Unde propter easdem Deo agendæ sunt gratiæ. Divus Chrysostomus illum Psalmi XLIX versiculum : *Invoca me in die afflictionis; eruam te et honorificabis me,* a Deo hujusmodi gratiarum actionem, non propter suum, sed nostrum lucrum requiri, statuit his verbis : « Hoc « dicit, non egens nostra gloria. Quomodo enim « egeret qui est Deus gloriæ? Sed ut per hymnum « gratiarum actionis, fiat memoria beneficii et sit « vehementior in eum affectio, quod primo felicita« tem maximam accipiamus. » Idem Psalmista, *Psal.* LXX, 8, alibi hanc a Deo gratiam postulasse scribitur, ut scilicet os ejus laudum, divinarumque gratiarum plenitudine exundaret. Supplicat enim dicens : *Repleatur os meum laude, ut hymnum dicam gloriam tuam, tota die magnitudinem meam,* prout S. Augustinus legit, qui immediate subjungit : « Quid est *tota die?* Sine intermissione. In prospe« ris, quia consolaris; in adversis, quia corrigis. « Antequam essem, quia fecisti; cum essem, quia « salutem dedisti; cum peccassem, quia ignorasti; « cum conversus essem, quia adjuvisti; cum perse« verassem, quia coronasti. »

S. Propheta Job, V, 17, ait : *Beatus homo, qui corripitur a Deo. Increpationem Domini ne reprobes, quia ipse vulnerat et medetur; percutit et manus ejus sanabunt.* Certissimum est quod medico non minus gratias agere teneamur, quando nos per remedia lenitiva, restaurativa, vel refrigerium apportantia curat, quam quando ferra, ignem, dietas et bolos amaros nobis adhibet. In utroque enim eventu aliud nihil quam sanitatis nostræ recuperationem intendit. Ita quoque ut Procopius ait : « Tam est « nostræ salutis peritus artifex Deus, ut vel plagas « incutiens, medeatur, utrinque nos ad pietatem « provocans. » S. Cyprianus, eamdem chirurgi adducens similitudinem, inquit : « Imperitus est « medicus, qui tumentes vulnerum sinus manu « parcente contrectat et in altis recessibus visce« rum virus inclusum dum servat, exaggerat. Apes« riendum vulnus est et secandum. Vociferetur et « clamet licet, et conqueratur æger impatiens per « dolorem, gratias aget postmodum cum senserit « sanitatem. »

e. — Pressus calamitate, Princeps synagogæ accessit et adorabat Jesum. Bonæ igitur sunt corporales infirmitates et adversitates. Mala enim quæ nos premunt ad Deum ire compellunt.

f. — Archisynagogum istum merito et nos tanquam legis etiam nostræ doctorem audimus. Deo enim nos docet, summopere necessaria et salutaria. Primum, post peccatum admissum statim quærere remedium, nec differre pœnitentiam. Alterum, festinare ad Sacerdotem, qui per manus impositionem nos absolvat a peccatis. Filia nostra unica, qualis hæc Jairi, anima est, quæ heu, moritur, cum lethale peccatum admittit. *Anima enim quæ peccaverit, ipsa morietur, Ezech.*, XVIII, 20. Est tamen morti huic remedium, videlicet pœnitentia. Sed vide ut festines cum Archisynagogo, dum adhuc calet anima; *vide ne de die in diem differas,* quia unica tibi est anima et pœnitentia sera raro est vera, maxime in articulo mortis. In vita insignis servi Dei, Joannes Baptistæ Vitellii, de Fulgino, viri rara sanctitate præditi, refertur quod cum sanctus hic vir alias in infirmitatibus suis a divina clementia impingari in mente sua consueverit, in certa tamen quadam infirmitate sæpius mens ejus adeo arida et ecclypsata permanserit, ut sibi videretur quasi a semetipso destitutus et veluti in mari quodam tenebrarum et oblivionis profunde sepultus. Unde similis factus est in lecto infirmitatis, adhuc vivens trunco alicui immobili, vel cadaveri non minus gelido quam desolato, ob corpus ejus angustiatum et immobile. Unde sequens potest formari argumentum : Si *hæc in viridi, quid in aridо?* Si vehementia infirmitatis in homine cæterum in oratione et contemplationibus cælestibus adeo elevato efficere potuit, ut vir ille adeo fieret aridus et Dei quodammodo oblitus, quid de eo dicemus, qui in vita sua nullas unquam alias cogitationes in mente sua revolvit, quam de carne, mundo, voluptatibus, honoribus, vindictis cunctisque aliis rebus inhonestis? Qua ratione persuadere nobis poterimus, quod talis in extremo articulo mortis, se totum occupare possit cogitationibus et affectibus cælestibus, siquidem *corpus quod corrumpitur aggravat animam.* « In mortis deprehensi articulo, » inquit B. Laurentius Justinianus, « atque languoris nimietate « afflicti, pene nihil aliud, quam de se cogitare « sufficiunt, revolventes animo sedulo, quibus « remediis suis valeant mederi doloribus, protelare « exitum, recuperare vires atque optatæ restitui « sanitati. Fit autem persæpe, ut circa talia occupati « interius, salutis propriæ minime recordentur et « absque ulla veræ compunctionis dispositione defi« ciant. » Idem quoque punctum S. Bernardinus, *Serm.* XIV, his verbis tangit : « Mens a dolore « corporeo transfigitur; » unde Gregorius ait : « Ægritudine opprimeris? Nihil aliud cogitare « poteris, quia dirigatur tota intentio mentis, ubi « sentitur vis doloris. » Eamdem quoque doctrinam S. Augustinus, *Serm.* XLVIII *ad Fratres*, sollicite his verbis inculcat : « Agite pœnitentiam antequam « mors inimica naturæ vos aggrediatur. Nam cum in « extrema ægritudine fueritis, fratres, o quam forte, « o quam durum, o quam lacrymabile erit vobis « pœniteré et dolere, de malis commissis et de « bonis omissis? Quare hoc erit nisi quia illuc capi« tur tota intentio mentis, ubi est vis doloris? « Multa enim occurrunt impedimenta cordi. Nam « corpus dolet, pœna affligit, quia mors appropin« quat intrare; filios quos patres summopere « dilexerunt, pro quibus etiam se damnatos existi« mant, tenebroso oculo aspiciunt; uxores jam « lacrymantes considerant; mundus adhuc eis fidu« ciam præstat; diabolus, ne de peccatis doleant « fidem tribuit et chirographum infirmantibus præ« bet; caro non deficere adhuc satis speral; medici « adhuc ut lucrentur, ipsum confortant; parentes « applaudunt; Sacerdotes alliciunt et sic divites « morinntur in Infernum. »

g. — *Impone manum tuam super eam et vivet.* Agnoverat Archisynagogus carnem Christi vivificam vim habere et spiritum vitæ. Postulat ergo ut filiam tangat, tanquam certus quod ex tactu illius sanctissimæ carnis spiritum vitæ hauriet filia. Conferebat tunc per tactum corporis spiritum vitæ corporibus; nec minorem habet virtutem nunc in Sacratissimo Sacramento conferendi vitam animabus. S. Hilarius, *lib.* VIII *de Trinitate*, sic ait : « Hæc « vero vitæ nostræ causa est, quod in nobis carna« libus manentem per carnem Christum habemus, « victuris nobis per eum, cum ea conditione, qua « vivit ipse per Patrem. » Christus enim apud S. Joannem, VI, 58, protestatus fuerat dicens : *Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem, et qui manducat me, et ipse vivet propter me.* Unde S. Hilarius hanc deducit consequentiam : « Vivit ergo « per Patrem et quomodo per Patrem vivit, eodem « modo nos per carnem ejus vivemus. » Apte ad propositum nostrum observat S. Bonaventura, quod incarnata Sapientia, dum in capite VI Joannis, de hoc Sacramento quod institutum erat diffuse loquitur, non semel sed decies vitæ mentionem faciat : « Decies, » inquit, « reperitur hic actus vivificandi, « et attribuitur pani. » S. Augustinus, *Serm.* II *de verb. Apost.*, de hujus Sacramenti salutari calice, inquit : « Illum bibere quid est, nisi vivere? Man« duca vitam, bibe vitam, habebis vitam et inte« gra est vita. » In Canone Missæ post consecrationem hæc verba recitantur : « Panem sanctum « vitæ æternæ et calicem salutis perpetuæ. » Similiter ante consecrationem, in eodem canone oblationem hostiæ, non solum pro salute animæ, sed etiam corporis, præsentamus dicendo : « Pro spe « salutis et incolumitatis. » Ubi Remigius Altisiodoris notat dicens : « Nec solum pro salute æterna, « sed etiam pro temporali incolumitate, id est, « corporali sanitate, incolumitas enim dicitur « sanitas et integritas, utraque enim sanitas ab « illo est, animæ et corporis. » S. Basilius pariter in quadam Epistola punctum hoc tangit immortalitatis, cujus panem hunc cœlestem dicit esse instrumentum. « Quis jam dubitabit, » inquit, « quin « vitam frequentius participare, non sit aliud om« nino quam frequenter vivere. » Quibus verbis hoc Sacramentum indigitat. Sicut enim ad sustentandam vitam corporalem, necessarius est cibus, ita quoque ad spiritualem animæ vitam conservandam, cibi Eucharistici urget necessitas.

Versus 19.

Et surgens Jesus, sequebatur eum, et discipuli ejus.

Et surgens Jesus.

1. — Non differt ne quidem momento, sed mox invocatus in subsidium nostrum accurrit; unde apud Isaiam, LVIII, 9, Deus dicit : *Adhuc te loquente, ecce adsum*; quæ verba Chrysostomus, *Hom.* LIX *in Matth.*, exponit, dicens : « Non exspecto, ut « orationem finias, sed confestim cum incipies, « exaudio; » vox *surgens* Christi ad vitam defunctæ restituendam indicat promptitudinem et sollicitudinem. Dionysius Carthusianus Christum a prandio surrexisse credit, cui in domo Matthæi Publicani accumbens, ad multarum anhelat animarum conversionem : « Surgens a domo Matthæi, in qua « cum Publicanis comedit. » S. Bonaventura facilitatem, qua Principem nunc exaudivit, aliquatenus ejusdem Principis meritis attribuit : « Quoniam, » inquit, « Christi præsentiam adiit cum reverentia, « rogavit ex confidentia, desideravit ex indigentia, « ideo oratio ejus fuit exaudita. »

2. — Chrysostomus ab Hugone citatus ait : « Vidit, ex qua domo exivit, scilicet Publicani, et « ideo sperat; » quia enim unico tantum obtutu, Publicanum in Apostolum converterat, longe magis futurum sperabat, ut per manuum suarum impositionem, vitam corporalem filiæ restitueret.

3. — Didacus Stella ex voce *surgens* hanc pro Prælatis elicit moralitatem : « Surrexit ut iret, quia « sedebat; hoc enim opus et labor boni Prælati « est, ut scilicet ad subditorum bonum surgat, « sedemque suam et quietem relinquat; non sic

« faciunt Prælati, otio et inertiæ vacantes, nec « tantillum voluptatis, propter subditi utilitatem « relinquentes. » S. Matthæus Christum tunc populo prædicasse dicit : « Quo facto docemur, orationem « et vitam contemplativam, ut proximis pericli- « tantibus et afflictis subveniamus relinquere ad « tempus. »

Sequebatur eum.

4. — Jansenius hujus Principis fidem imperfectam et defectuosam fuisse, ex duobus capitibus considerat; porro quia pro filiæ vita corporalem Christi præsentiam petebat, dicens : *Veni.* Secundo, quia manus ejus cadaveri filiæ imponi rogabat, dicens : *Impone manum tuam.* « Tamen, » inquit, « quia pro tempore illo, satis magna illa erat de « Domino fides, non rejicit eam Dominus, sed « obsequi volens sequebatur eum; » ex quo pro nobis hoc eruit documentum : « Hæc autem Domini « facilitas docet, nihil frustra ab eo orari posse, « quod quidem orantibus bonum sit, et imperfec- « tiones nostras illum benigne tolerare, ac docere « item nos, qui Christi esse volumus, ut pari « facilitate omnibus simus exorabiles. »

5. — Didacus Stella Salvatorem ædes Principis adire videns, nos monet, ne ejus exemplo, ad frequentandas Magnatum ædes faciles evadamus : « Discamus, non facile domos Principum et Magna- « tum ingredi, quandoquidem Christus non nisi « rogatus, et ob ingens bonum spirituale, populi- « que ædificationem, domum Archisynagogi intra- « vit. »

6. — Adimplevit in præsenti Dominus illud Ecclesiastici, IV, 4, monitum : *Rogationem contribulati ne abjicias;* compassus namque patris et totius familiæ afflictioni, in propria persona comparere statuit, licet vel unico solo voluntatis actu, procul distans, miraculose sanitatem conferre potuisset; ut nos doceret, in persona propria, tam corporales quam spirituales proximorum miserias, non gravate visitare et sublevare. Unde S. Remigius ait : « Miranda pariter atque imitanda Domini humilitas « et mansuetudo, nam mox, ut rogatus est, rogan- « tem cœpit sequi. » Notandum vero, nihil Christum Principi huic respondisse, prout Centurioni fecit, dicendo : *Ego veniam et curabo eum;* nihilominus, ut idem Auctor bene advertit, Christus hic non per verba sed per facta respondit. Salmeron quoque ait : « Non diligit Dominus verbo et lingua, « sed opere et veritate, et promptum se exhibet « ad benefaciendum etiam his, qui se oderunt; » sicuti, ut diximus, hi Principes Synagogæ Christum persequebantur; nihilominus modo ostendere voluit, nullam sibi permittere dominari passionem humanam, sed omnibus se injuriis superiorem esse, pro malo bonum reddendo.

Additiones.

a. — *Et surgens Jesus sequebatur eum.* Quando quis in propositas sibi preces facile condescendit, eum tractabilem esse dicere solemus. Vere igitur a nobis tractabilis, et ad nostrum commodum flexibilis est Deus, qui tam facile in orationes nostras inclinatur. Unde D. Chrysostomus exclamat : « O « Dei benignitatem, qui cum Patre sursum sedet, « in illo ipso temporis articulo, omnium manibus « pertractatur! » Et quidem ut illum pro arbitrio nostro contrectare valeamus, obtineamusque ab eo quod nobis placet, sub accidentibus, seu velo specierum sacramentalium in Eucharistia delitescit, non solum ut nobis sit tanto vicinior, verum etiam ut ad audiendum et exaudiendum nos tanto sit facilior et promptior. Ad Magnatum penetralia non cuivis aditus patet; homines enim viles et abjecti illuc non admittuntur. Non vero sic in curia cœlesti, nam teste Propheta regio, *Psal.* XXI, 15 : *Non sprevit, neque despexit deprecationem pauperis, nec avertit faciem suam.* Enimvero, prout quotidie videmus, Principes et Magnates non quovis die, aut qualibet hora dant audientiam, aut signaturam gratiæ instituunt, sed loco et tempore opportuno, non vero pro libito et arbitrio nostro. Apud Deum vero, ut suo loco videbimus, nullum est momentum, nullus est locus, in quo non die et nocte, et in quavis occasione, audientiam nobis præbeat nostrasque supplicationes favorabilibus subsigneat rescriptis. Porro nonnunquam homines inveniuntur adeo timidi et meticulosi, ut ad postulandum gratias, suasque exponendum necessitates, in conspectu Principis prodere non audeant; at vero sola oratio hoc timore caret, et audacter, et confidenter, tanquamque familiaris et domestica Dei ad eum ingreditur. Hinc dicitur : *Intret in conspectu tuo oratio mea; inclina aurem tuam ad precem meam.*

Salvator noster apud S. Lucam XI, 5, immediate post traditam orationem Dominicam, sequentem adducit similitudinem : *Quis vestrum habebit amicum, et ibit ad illum media nocte, et dicet illi : Amice, commoda mihi tres panes,* etc. Et tandem his verbis concludit : *Et ego dico vobis : Petite et accipietis.* Ubi S. Petrus Chrysologus exclamat, dicens : « O quam « dure vult qui se inquietari taliter, taliter patitur « suscitari! O quam pulsanti iste gestivit occurrere, « qui sic secreti sui cubile, ipsam collocavit ad « januam! O quam negare noluit, qui sibi etiam « neganti qualiter extorqueretur, ostendit! »

b. — Ubi primum Jairus accessit ad Christum, sine ulla dilatione, cum eo Dominus pergit in domum suam. Rupertus, *lib. X in Joan.*, componit cum hac celeritate quam Dominus hic præstitit, ad suscitandam puellam, moram illam quam traxit post annuntiatam Lazari infirmitatem. « Quare, » inquit Rupertus, « mansit in eodem loco duobus

« diebus? Utique idcirco ut, eo retardante, more- « retur. Non enim volebat languidum illum sanare, « sed sicut Archisynagogi filiam resuscitare. » Audita morte adolescentulæ, festinat Dominus eam resuscitare; cognita infirmitate Lazari, duobus diebus tardat. Sed cur hoc? « Expende textum, » inquit Rupertus, « Jesus Lazarum diligebat. Ut ergo audi- « vit quod infirmabatur, tunc mansit duobus die- « bus. » Tardatur in illo loco, ut fleret manifestum, quia ægre et difficulter vitam istam, ac temporalia bona, dilecto amico suo ac justo præstabat, cum illa a Deo nos seducant. Salomon postquam post mortem Davidis patris sui ad regnum Israel assumptus fuit, Deus illum nocte quadam visione et apparitione quadam divina dignatus est, III *Reg.*, III, 5 : *Apparuit Dominus Salomoni, per somnium, nocte dicens : Postula quod vis ut dem tibi;* cumque Salomon a Deo sapientiam, ad populum suum recte gubernandum, petiisset, dixit illi Deus : *Dedi tibi cor sapiens et intelligens in tantum ut nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit; sed et hæc quæ non postulasti dedi tibi, divitias scilicet et gloriam, ut nemo fuerit similis tui in regibus, cunctis retro diebus.* Quod et vere ac realiter præstitit, nam in capite X ejusdem libri legimus : *Fecit ut tanta esset abundantia auri in Jerusalem, quanta et lapidum.* Sciendum est autem quod Salomon thesauros et divitias minime desiderarit, sed satisfactum sibi fore dixerit, si quod ad nudam corporis sustentationem requiritur, Deus illi largiretur, prout ex ipsiusmet Dei testimonio et propria Salomonis protestatione clare satis constat; similiter non obstante quod tanta sapientia infusa et superhumana a Deo exornatus fuerit, sibi tamen in humanæ felicitatis culmine positus temperare non potuerit, quin potius turpiter adeo ceciderit, et naufragatus fuerit, ut S. Gregorius id considerans, exclamare coactus fuerit, dixeritque : « Quis ergo opes, quis potesta- « tem, quis gloriam quæral innoxie, si hæc illi « extiterunt noxiæ, qui hæc habuit non quæsita? »

c. — Postulat regulus ut Dominus vadat in domum suam, ad sanandum filium; ipsum Christus reprehendit, quod ejus præsentiam corporalem requirit. At dum Archisynagogus petit adventum Domini in domum suam, ad filiam suscitandam, Christus cum illo pergit et minime eum increpat. Ratio diversitatis est. Erat enim iste Princeps synagogæ et Sacerdos : ergo ob ecclesiasticam dignitatem fuit venerandus, et non publice arguendus, ac increpandus. S. Ephrem de Sacerdotio scribens, suadet ne quispiam debitum Sacerdotibus obsequium et reverentiam detrectet, eo quod an tali honore digni sint, ignoret; quia ad hoc respiciendum non est, sed ad Deum, qui Sacerdotes honorandos esse præcepit. Dicit enim : « Quod si « de illo qui Sacerdos est, ignoras dignusne, « an indignus sit tanta sublimitate; tu ob præcep- « tum ipsius Christi, eum non despexeris. » Honor quem Sacerdotibus exhibemus, inquit D. Chrysostomus, a Deo eodem prorsus habetur in pretio, quam si sibimetipsi exhibitus fuisset. « An nescitis, » inquit, « quod honor ad Deum ipsum transit? Ne « igitur respicias eum, cui honor confertur; non « enim propter illum debes, quod tuum est facere, « sed propter illum, cujus Sacerdos est, ut ab illo « retributiones uberim accipias. » Basilius imperator, Leonem filium suum exhortans ad honorem, et obedientiam Ecclesiæ, ejusque ministris exhibendam, ita loquitur : « Honor enim qui Sacerdotibus « habetur, ad Deum refertur; et sicut propter te « ministros tuos in honore habere justum est, ita « et te, propter Deum, Sacerdotes ejus magnificare « et in pretio habere sanctum. »

S. Thomas quoque, ad præsens propositum, aptissimam habet doctrinam, dum ita scribit, II, II, *q.* LXXIII, *art.* 3 : « Sciendum, quod aliquis potest « honorari, non solum propter virtutem propriam, « sed etiam propter virtutem alterius, sicut Prin- « cipes et Prælati honorantur, etiamsi sint mali, in « quantum gerunt personam Dei, et communitatis « cui præficiuntur. » S. Ephrem ad hoc valde idoneam in medium adducit similitudinem, dum ait : « Etenim sicut fulgentissimum aurum, licet « luto contaminatum, non percipit detrimentum, « neque speciosissima margarita, ex contactu qua- « rumdam immundarum specierum; ad eumdem « modum, nec Sacerdotium ab ullo sordidum red- « ditur, quantumvis etiam indignus sit is qui illud « suscipit. » Quando coram Sacerdote nos inclinamus, vel honorem ei et reverentiam exhibemus, id gradui et dignitati Sacerdotali præstamus et non personæ. Crux adoratur, non quia argentea est vel aurea, sed quia illam, in qua Filius Dei confixus fuit, repræsentat.

d. — Cur hunc Archisynagogum secutus sit Jesus, ratio esse potest, quod hic Archisynagogus fuerit de numero eorum, qui maxime Christum adversabantur, et multis injuriis afficiebant; et ita de quodam dicitur a S. Luca, XIII, 14 : *Respondens autem Archisynagogus, indignans quod sabbato curasset Jesus.* Ergo cum Jairus venisset ad Christum, non erat dure arguendus, sed benigne acceptandus. Magni enim animi est, eos, qui aliquando nos injuria affecerunt, benigne alloqui. Sapiens modum incendium iræ, et excandescentiæ nostræ contra injuriantem sopiendi, in verbis mitibus, benignis et humilibus consistere docet, dum ait, *Prov.*, XV, 1 : *Responsio mollis frangit iram, sermo durus suscitat furorem.* Inter alias a S. Augustino Monachis suis præscriptas regulas hæc quoque legitur : « A verbis « durioribus parcite; quæ si emissa fuerint ex ore « vestro, non pigeat ex ipso ore proferre medica- « menta, unde facta sunt vulnera. » Hoc autem medicamentum lenitivum esse debet, id est, mitis

quædam et benigna responsio. Hugo Cardinalis factum quoddam refert, quod etiam diversis circumstantiis a Dionysio Carthusiano narratur; ambo vero historiam hanc ex vitis Patrum desumpserunt. Cum enim Abbas quidam, Monachum quemdam juxta morem ad civitatem misisset, ut necessariam monasterio provisionem compararet, in proscriptum quemdam hominem incidens, zelo quodam, non tamen secundum scientiam moderato abreptus, eumdem interrogavit, dicens : Quo vadis, dæmon? ille respondit : Tu experieris me esse dæmonem; et extracto gladio occidit eum. Abbas vero a quo prædictus Monachus missus fuerat, eidem latroni obvius factus, amicabiliter eumdem salutavit : « Quem raptorem iterum Abbas inveniens, » inquit historia, « dixit ei : Salve frater; et ille respondit : « Non frater tuus, sed frater dæmonum sum; et « secutus Abbatem, factus est Monachus. » Circa quam historiam S. Hieronymus ait : « Vide quid « lenitas sermonis fecerit et quid austeritas. »

c. — *Surgens Jesus*, nempe a prandio, in quo erat in convivio Matthæi, *sequebatur eum*. Mira Christi Domini pietas, ac humilitas, *sequebatur eum*, ejus petitioni mox annuens. Et non legitur, quod dixerit ei aliquod verbum : nam optima responsio et præcipue afflicto, non verbis, sed operibus componitur. Postulat regulus, ut Dominus vadat in domum suam ad sanandum filium, nec exauditur; at dum Archisynagogus petit adventum Domini in domum suam ad filiam suscitandam, Christus cum eo pergit. Quid est in domo Jairi, quod Dominum trahit? An familiæ concursus? An astantium pompa? An auri ornatus, an plenæ mensæ, pretiosæ dapes, senescentia vina? Absit. In tota Archisynagogi domo, nihil aliud esse memoratur, quam mortua puella. Et super hanc suspiria et lacrymæ. In domo Principis, non vina sed lacrymæ fundebantur, turbabat ibi familiam, non cura convivii, sed cura mortuæ. Idcirco festinus sequitur Jesus; tribulatio enim habet aliquid divini, et ideo Christus animas afflictas amplexatur, et cum iisdem conversatur.

Gerson allegando discursum, quem instituerunt sex Magistri theologiæ in laudem tribulationis, refert dictum unius, qui fuit quartus : « Adoramus « crucem, eo quod Salvator noster Jesus eam plus « quam triginta annis pertulit. » Non est quod respiciamus duntaxat crucem constitutam in monte Calvariæ, quia quamprimum incarnatus fuit in Maria Virgine, amplexatus fuit tribulationem, tanquam dilectissimam suam sponsam. Unde ubi nostra Vulgata legit : *In laboribus a juventute mea*, habent aliæ versiones, *moribundus, expirans, agonizans a puero*. Guerricus Abbas, dignus S. Bernardi discipulus, *Serm. in de Annunt.*, scribit : « Omnium « tamen humanarum infirmitatum, vel injuriarum, « quas pro nobis pertulit divina dignatio, sicut « tempore primam, sic etiam humilitate per maxi- « mam existimo, quod in utero concipi, et in utero « novem mensium tempore, Majestas illa circum- « scripta passa est contineri. Ubi enim sic se « exinanivit, aut quando penitus a semetipso ita « defecisse visus est? » Quamprimum descendit in terram, quænam fuit prima infinitæ illius sapientiæ et omnipotentiæ expeditio? Non statim plantavit Ecclesiam, neque populos ad cultum divinum reduxit; non destruxit idololatriam; non principes tenebrarum dejecit e sua tyrannide, neque subito genus humanum redemit; sed ante omnia amplexatus est crucem, et tribulationem per novem menses in utero materno, deinde editus in lucem, amplexatus est paupertatem, nuditatem, fœtorem et angustiam stabuli : *Reclinavit eum in præsepio*; idque hunc in finem, ut in sua persona sanctificaret tribulationem. A quo tempore Filius Dei, qui erat impassibilis, nostra passibili se vestivit carne, ac sic subjacere voluit siti, fami, frigori, lassitudini, paupertati, opprobriis, cunctisque aliis adversitatibus, quas suo exemplo et prædicatione sanctificavit, cuncti deinde fideles, præsertim qui in primis vixere sæculis, felices ac fortunatos se existimabant, quotiescumque capiti suo se conformare poterant.

Versus 20.

Ecce mulier, quæ sanguis fluxum patiebatur duodecim annis, accessit retro et tetigit fimbriam vestimenti ejus.

Et ecce mulier.

1. — Lyranus causam reddit, cur Dominus domum Jairi, filiam ejus resuscitaturus, adeundo miraculum istud in itinere patrare voluerit, id enim factum esse dicit : « Duplici de causa. Prima « fuit, ut ostenderet nobis, quod non solum in « termino, sed in via debemus bonis operibus « occupari; secunda fuit, ut per miraculum factum « in via Archisynagogus hoc videns, certificaretur « de suscitatione filiæ suæ in termino. »

2. — Toletus, *in Luc.*, in hoc miraculo expressam quamdam gentilitatis figuram examinans, ita discurrit : Dum Filius Dei in itinere esset ut Archisynagogi, cujus deprecatio ab eo exaudita erat, filiam resuscitaret, Hemorrhoissa Salvatori in itinere ex obliquo occurrens, per receptum salutis suæ beneficium, illius resuscitationem prævenit, qua in re juxta mentem SS. Ambrosii, Hieronymi et Hilarii, id quod Judæos et Gentiles inter accidit, denotatum fuit : « Cum enim illi prius essent ad « populum Dei vocati, » dicti Cardinalis verba sunt, « eisque promissa salus; veniente Christo, plenitudo « Gentium, per fidem prior ad Ecclesiam accessit, « postquam Judæorum plenitudo accedet, juxta « illud, *Rom.*, xi, 25 : *Cum intraverit plenitudo « Gentium, tunc Israel salvus fiet*, quod Psalmo

« LXVII, 32, prædictum erat : *Æthiopia prævenient « manus ejus Deo*. Mulier igitur Gentium nationes, « filia vero Archisynagogi Judæorum populum « significat. » Estque considerabilis illa duodecim annorum in duabus hisce fœminis circumstantia, quarum una se tenet ex parte ætatis; altera vero ex parte infirmitatis fluxus sanguinis; nam ut Glossa ait : « Duodenis annis fluxit, sicut et illa filia « creverat duodenis, quia ex quo Synagoga cœpit « Deo famulari, cœpit gentilitas idolatria et pec- « cato pollui. »

3. — Porro Hemorrhoissa, quæ juxta Eusebium Gentilis erat, gentilitatem merito præfigurabat, quæ, ut ait Jansenius, duplici ex capite, sanguinis fluxu laborabat : « Recte, » inquit, « gentium « populus significatur, in quo sanguinis fluxus « dupliciter, secundum Bedam, potest intelligi, « scilicet vel super idololatriæ prostitutione, vel « super his, quæ carnis et sanguinis oblectatione « patrantur. » Lyranus quoque ad sanguinem a tot martyribus effusum se reflectit, quod Imperatorum, fidei Christianæ principio se opponentium, tempore contigit : « Fœdata fuit, » inquit, « effusione san- « guinis martyrum, temporibus duodecim Aposto- « lorum : hæc autem mulier fimbriam vestimenti « Christi tetigit, quando Christianam fidem incar- « nationis credidit, et alii Gentiles ejus exemplo; « humanitas enim divinitatis vestimentum est in « Christo, tunc autem a fluxu sanguinis sanata fuit, « quia fundere sanguinem catholicum cessavit. » Glossa quoque alios Evangelistas dixisse notat, quod mulier hæc omnes suas facultates irrito licet, effectu, in medicos erogavit : « Quia quanto magis « gentilitas vires naturales industriæ ad philosophos « expendit, qui recte videndi præcepta omnibus « se dare promittebant, tanto minus poterat a « sordibus liberari; sed ubi cœlestem medicum « cognovit adesse, cœpit remedium sperare et « quærere. »

4. — Albertus Magnus S. Hieronymi testimonio innixus, piam hanc mulierem mox, ut a malo suo convaluit, benefactori suo se gratam præstitisse scribit, dicens : « Devotissima ad Christum reman- « sit, et in horto suo imaginem ad figuram Christi « construxit, et hanc simili vestimento vestivit, « juxta quam quædam herba in horto similem « virtutem curandi fluxum sanguinis habens, nata « fuit; et quando vestimentum herba crescendo « attigit, tunc perfectam virtutem curandi herba « accepit. » Eusebius quoque Cæsariensis, a Glossa citatus, ita scribit : « Ante fores hujus mulieris, « accepimus æream hujus imaginem, in genu « inclinatam, expansis apte manibus, supplicanti « similem conspici, e regione autem illius alteram « ex eadem materia, viri rectam effigiem stare, « decora diploide indutam, manumque suam illi « protendentem, hujus ad pedes peregrinum quod- « dam herbæ genus nascitur, quod cum ad diploi- « dis oram ascenderit, omnium morborum medi- « camentum existit, quam quidem statuam Domini « Jesu dicunt imaginem exprimere; mansit autem « ad nostram usque ætatem. » Ecce tibi hujusce mulieris Deo per tantam gratiarum actionis multiplicitatem, in Deum relatam gratitudinem, ut vel inde intelligamus agnitionem beneficiorum, quæ a divina ejus manu recipimus, perennem quemdam esse continuorum favorum et gratiarum fontem. S. Lucas dicit : *In medicos erogaverat omnem substantiam suam*; ubi quæri posset, unde hæc mulier ad hosce sumptus faciendos facultates desumpserit? sed facilis est responsio, quia illi, qui Deo grati existunt, nunquam in penuria vivunt, nec unquam ab eo deseruntur, imo nullam prorsus experiuntur paupertatem.

Quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis.

5. — Albertus Magnus super Lucam scribens, hujus morbi gravitatem quatuor ex circumstantiis ponderat dicens : « Describitur magnitudo infirmi- « tatis a quatuor : a specie ægritudinis, ab antiqui- « tate, a sumptibus, quos faceret in medicos, et ab « incurabilitate. » S. Lucas ait : *In medicos erogaverat omnem substantiam suam, nec ab ullo potuit curari*. S. Marcus ait : *Fuerat multa perpessa a compluribus medicis, et erogaverat omnia sua, nec quidquam profecerat, sed magis deterius habebat*; ac proinde illos designat, qui per longum annorum decursum, sensuum et inordinatorum appetituum suorum desideria sequuntur, faciuntque quod possunt, ut ad perversos fines suos pertingere valeant, tandem vero frustra se laborare videntes, ad Deum se recipiunt, qui adeo est misericors ut eos ad se venientes benignissime recipiat; hi qui ultima hora in vineam laboratum venerant æquali cum aliis mercede a patrefamilias sunt remunerati, ut per hoc intelligeremus, veram quamdam pœnitentiam ex corde profectam, qua ad divinam pietatem confugimus, omnia delere peccata priora.

6. — Hæc mulier a Christo se abscondebat, ne ab eo observaretur : « Quia ægritudo hæc, » inquit Chrysostomus, « magna immundities secundum « legem judicabatur. Prima hæc mulier publice « accedere ausa est, quoniam fœminas quoque « ipsum curari jam audivit et quoniam ad filiolam « Archisynagogi mortuam proficisci conspiciebat; « ad domum vero suam, licet opulenta, nihilo- « minus non est ausa vocare; » cujus tametsi nullam rationem reddat, credibile tamen est, motivum ejus fuisse, se velut immundam, indignam se existimasse, quam ille reciperet, qui *candor lucis æternæ* vocatur. Salmeron per hunc sanguinis fluxum, vitium carnis intelligit, quod eum, quem afficit, multis subjicit molestiis : « Hæc mulier, » ait, « multa est perpessa, quia multa sustinent

« peccatores, maxime vero adulteri, concubinarii; « perferunt enim amara verba, duriora facta, cor- « poris molestias, cæcitatem mentis, damna rerum « suarum, odia hominum, famæ dispendium; item « erogaverat omnia sua pro voluptate carnis cap- « tanda, nempe ætatem, decorem, vigorem. »

7. — S. Thomas in sermone super hanc Dominicam per fluxum sanguinis, peccatorem in generi intelligit : « Peccator, » inquit, « patitur fluxum « sanguinis tribus modis; primo, per nimium amo- « rem consanguineorum; secundo, propter fluxum « carnalium delectationum; tertio, propter opera- « tionem quorumlibet peccatorum. »

8. — Hæc mulier per duodecim annos, nunquam ad Deum confugerat, sed potius omnia sua in remedia humana expenderat, in qua proinde dispendium et cura clare videtur, quam major pars hominum in salute corporali promovenda patitur; nullus est sumptus adeo magnus, qui eo fine non fiat, nullum est, quod tentetur remedium : at quam parum de salute animæ cogitatur; quam pauci ad Deum confugiunt et tamen ab hoc solo salus reportatur; idque in instanti : *Si tetigero fimbriam vestimenti ejus, salva ero.*

Accessit.

9. — At vero quomodo Christum accedere præsumpsit, quando accessus ille in lege prohibebatur? Chrysologus, *Serm.* LIII, ait : « In carnalibus lan- « guoribus dat crebro consilium vis doloris, in « desperatis causis est sæpe magistra necessitas, « invenit ipsa sibi passio medicinam; » ac proinde peccator, licet desperatus sit et immundus, generosum induat animum, sollicite penetret ad Salvatorem, magnaque cum fiducia cum Psalte dicat : *Libera me de sanguinibus, Deus, Deus salutis meæ*; non diffidat de divina ejus pietate, cum ipse Dei Filius dicat : *Non veni vocare justos, sed peccatores.* S. Thomas de hac infirma ita scribit : « Intellexit cœlestem « adesse medicinam, in ea totam suam intentionem « collocavit et ideo salvari promeruit. »

10. — S. Bonaventura, *in Luc.*, super verbum *accessit*, ita scribit : « Accessit quia credidit, *credere* « *enim oportet accedentem ad Deum, quia est, et in-* « *quirentibus se remunerator est. Hebr.*, XI, 6. »

Retro.

11. — Extremitatem vestis Christi, actualiter itinerantis, tetigit, eoque fine profunde se inclinavit, quod si in parte interiori fecisset, et Christi gressum impedisset, et cum timore, ne velut immunda repelleretur, seipsam manifestasset : « Ac- « cessit ergo a tergo, » ut ait Lucas Brugensis, « ut « enim non accederet palam, rogaretque ut Archi- « synagogus, obstabat tum pudor, tum metus; « pudor sexus ob morbi fœditatem; metus, ne a « turba cui se admiscuerat, abjiceretur, quippe « lege immunda et contagiosa. » Idem et Toletus hisce notat verbis : « Non est ausa palam Christum « accedere, sed latenter et retro, quia secundum « legem, immundam se esse sciebat, timebatque « ne a Christo repelleretur, nondum enim perfecte « de Christo sentiebat, quem se latere posse existi- « mabat; » cognoscebat quidem, aliud se non habere salutis suæ refugium, quam apud divinum hunc protomedicum; ex alia vero parte immundam se esse sciens, indignamque, quæ coram eo compareret, se æstimans, debitum ei respectum et reverentiam exhibuere voluit. Retro ipsum se collocando, salutemque, si posset, rapiendo; nam ut Chrysologus, *Serm.* XXXIV, ait : « Agebat mulier, ut « sibi et rediret sanitas et verecundia non periret. »

12. — S. Thomas in Matthæum ita scribit : « Quare, *retro?* quia immunda reputabatur; mystice « hoc significat gentilitatem, quæ accessit per fidem, « sed retro, quia non ipso vivente; item *tetigit ves-* « *timentum*, scilicet humanitatem, sed solam *fim-* « *briam*, quia per Apostolos tantum. »

13. — Didacus Stella hunc actum notitiæ tribuit, quam de indignitate sua habebat, agnoscens, se non mereri, quæ Christi oculis objiceretur : « In- « dignam se judicavit, quam Christus intueretur. » Magdalena quoque, quæ tot annis alium deteriorem longe sanguinis fluxum perpessa fuerat : *Et ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix*; etiam retro Christum se collocavit : *Stans retro secus pedes ejus*; ubi Chrysologus, *Serm.* XCIII, ait : « Quia reus « animus post tergum stat ad veniam, quia per « culpam novit, se vultus fiduciam perdidisse. »

14. — Gregorius de eadem Magdalena scribens, *lib.* V *in lib. Reg.*, ait : « Peccatores mala com- « mittunt, a facie Domini confugiunt, » quia ut David ait, *Psal.* XXXIII, 17 : *Vultus autem Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum.* Et subdit idem Sanctus : « Sed cum redire « pœnitendo deliberant, quasi post tergum Domini « sunt, quia et discedere longius nolunt, et tamen « præsumere de Deo quasi amici non possunt; « hinc est quod peccatrix mulier retro stetisse « dicitur. » Hæc Hemorrhoissa per infirmitatem suam, qua detinebatur, animam peccatis immersam significat, quæ resipiscens ad divinam pietatem recurrit et *retro* se collocat, ut Paulus de Palatio ait : « Quia non justificabitur in conspectu ejus omnis « vivens. »

Et tetigit.

15. — Glossa Interlinearis ait : « Tetigit manu « fidei. » Didacus Stella dicit : « Derelicta a medicis « sæculi, ad medicum cœlestem confugit; ita eos, « qui mundum relinquunt, Deus suscipit. »

16. — In Levitico, XV, 19, Deus populo suo tale dedit præceptum : *Mulier quæ patitur fluxum sanguinis, septem diebus separabitur; omnis qui tetigerit*

eam, immundus erit usque ad vesperam; ideoque qua ratione mulier hæc, legem istam violando, Christum tangere præsumpsit? Responderi potest, quod vivæ fidei luce illustrata, Christum instar solis, maculam contrahere non posse intellexit, quia licet radios suos super terræ sordes immittat, ab iis tamen minime coinquinatur, imo nonnunquam ardoris et splendoris sui activitate illas mundat, purificat, dissipat. Tertullianus respondet : « Sic « eum tangit mulier, non ut hominem sanctum « aut Prophetam, quem contaminabilem pro hu- « mana substantia sciret, sed ut ipsum Deum, quem « nulla spurcitia pollui posse præsumpserat. » Clarius autem ad lucem alludens Chrysologus ait : « Nam si sol tangit stercora, non tamen stercoribus « inquinatur, quanto magis Creator solis tangit « omnia et tamen non potest ullis contactibus coin- « quinari. »

Fimbriam vestimenti ejus.

17. — Lyranus Christum quoque vestes secundum usum judaicum portasse notat; voluit namque Deus, ut populus ille, ex quo Messias nasciturus erat, extrinsecus quoque sanctitatem præseferret, ab aliis populis distinctam, per quam ab aliis discerneretur; ac proinde data fuit illi circumcisio, velut signum distinctivum in corpore, leges quoque assignatæ et modi speciales in victu : « Similiter « præceptum fuit eis in habitu distingui, ut patet, « *Num.*, XV : *Loquere filiis Israel, ut faciant sibi fim-* « *brias per quatuor angulos palliorum, ponentes in eis* « *vittas hyacinthinas*; vittæ enim hyacinthinæ, quæ « erant cœlestis coloris, designabant, quod debe- « bant habere conversationem eminentem præ cæ- « teris, secundum quod Paulus dicit : *Nostra autem* « *conversatio in cælis est*, unde sequitur ibidem : « *Ut recordentur mandatorum Dei, et sint sancti* « *Domino Deo suo*; talem ergo vestem portabat « Christus, sicut et alia legalia observavit usque ad « passionem; et ideo mulier tetigit fimbriam, quia « illud, quod est in angulo pallii, quod est a parte « posteriori, facilius potest attingi; » notandum est autem, quod vestimentum ejus non tetigit, sic enim manus ejus facile sentiri potuisset, sed extremitatem illius, cujus non ita facile tactus sentitur; unde divina Christi virtus magis eluxit, quando tactum sensui imperceptibilem, mulieri proficuum reddit, tunc præcipue quando ab ingenti turbæ illum comprimentis copia cinctus erat.

18. — Toletus, in Lucam, sequens movet dubium, cur scilicet hæc mulier non directe Salvatorem aut vestes tetigerit, sed solam fimbriam? cujus quatuor rationes adducit; prima est in ordine ad cultum divinum, quia ut ex *Numer.*, XV, colligitur, fimbriæ illi populo a Deo præceptæ fuerant, tanquam signa religionis, quas proinde illi soli portabant, qui cultus veri Dei professores erant, unde et Pharisæi, qui cæteris se æstimabant sanctiores, *magnificabant fimbrias*; cum igitur hæc mulier etiamnum in fide imperfecta esset, se per illius fimbriæ tactum, Christi virtutem magis participaturam credebat. Secunda ratio est ob reverentiam, quam erga eum in hoc tactu protestabatur, Toletus enim probabile censet, quod etiam Christi tempore, dum quis celebris sanctitatis nomine conspicuus erat, vestium ejus contactus a concurrentibus devotis, certatim quæsitus fuerit, quod ex *cap.* VIII, *vers.* 23, Zachariæ colligit, ubi dicitur : *Apprehendent fimbriam viri Judæi*; præterquam quod S. Matthæus dicat : *Rogabant eum, ut vel fimbriam vestimenti ejus tangerent et quicumque tetigerunt, salvi facti sunt.* Tertium motivum infirmæ fuit humilitas : « Indignam enim se judicans, « quæ vestimentum tangeret, ad extremitatem « vestimenti manum porrexit; » quemadmodum S. Joannes Baptista ex humilitate, indignum se, qui corrigiam calceamentorum Christi solveret, judicavit. « Quarta causa, quæ accommodatior vide- « tur, ea fuit, ut minus sentiretur ejus tactus a « Christo, cum enim latenter accedere vellet, eam « tetigit partem, cujus tactus percipi minus po- « terat, qualis est fimbria, quæ non tam pars vesti- « menti, quam assuta et adjecta vestimento est; « fuit autem id ex divina providentia dispositum, ut « tanto magis Christi divinitas ostenderetur, quando « tactum, sensibus minus perceptibilem, etiam com- « primentibus turbis, distinctus percepit. »

19. — Sensum vero spiritualem fimbriæ considerando, per eam sacrosanctum Christi corpus interpretari possumus. S. Antonius Paduanus proinde ait : « Vestimenta Christi ipsius est caro, de qua « dicitur : *Quare rubrum est indumentum tuum?* « Jesus torcular, id est, pressuram crucis solus « sustinuit, in quo vestimentum sanguine rubrica- « vit; hujus vestimenti fimbria est ipsa passio, quæ « animam liberat a peccato sanguinis profluvio; « contra enim carnis vitia summe valet memoria « passionis Christi. » S. Bonaventura eamdem considerationem habet, dum per fluxum sanguinis animam, peccato carnali immersam intelligit : « Felici, » inquit, « fructu attigit fimbriam Jesu, et « statim stetit in illa fluxus carnalis illecebræ, car- « nalis delectationis. » Salmeron ut in hac Christi veste, Eucharistiæ Sacramentum præfigurari ostendit, congruentias aliquas adducens, ait : « Edocemur « de tangenda fimbria vestimenti, id est, humani- « tatis Christi, cujus fimbria sacrosancta Eucha- « ristia est, cujus accidentia ut vestes, corpus « Christi tegunt; hæc enim est fimbria, posita in « extremo corporis Christi, quia hic fuit ultimus « actus Domini in Cœna; estque fimbria hyacinthina « coloris cœlestis, ut cognoscamus panem esse vi- « vum, qui de cœlo descendit et vitam cœlestem « efficere. » Chrysologus frequentem divini hujus

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

usum commendans Sacramenti, multorum deflet miseriam, qui propria culpa medicinam in venenum convertunt : « Audiant, » inquit, « Christiani, « qui quotidie corpus Christi attingunt, quamnam « de ipso corpore possunt sumere medicinam, « quando mulier totam rapuit de sola Christi fim- « bria, sanitatem, sed quod nobis flendum est, « mulier de vulnere medicinam tollit, nobis medi- « cina ipsa retorqueretur in vulnus, » dum igitur sacrum Christi corpus per linguam nostram transit, rogandus nobis est Deus, ut tot maledicorum, obscœnorum et injuriosorum verborum fluxum sistere dignetur, dum fauces nostras ingreditur, ut gulam reprimat, nostramque refrenet intemperantiam, dum in pectus usque descendit, ut tot inordinatorum appetituum sanguinem coerceat. Chrysostomus quoque, *Hom.* LI *in Matth.*, ad Sacramentum Altaris alludens, dicit : « Tangamus et nos fimbriam « vestimenti ejus, imo vero totum ipsius, imo si « volumus, non vestis solum, sed corpus ipsius no- « his propositum est, ut non tangamus solummodo, « sed comedamus et saturemur ; edamus igitur « Christum ægrotantes cum fide, nam si, qui fim- « briam vestimenti ejus tunc tetigerunt, recte om- « nes convaluerunt, quanto magis corroborabimur, « si totum in nobis habebimus ? » hoc unum ad omnes spirituales infirmitates nostras curandas sufficit ; nam ut S. Prosper de hoc divino pane scribens, ait : « Lethalem omnium vitiorum digerit « eruditatem. »

Additiones.

a. — *Et ecce mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur accessit retro*, etc. Christus ad Archisynagogi filiam dum iret, ecce fœmina cruentæ, longæque passionis desperata, venit ad medicum, non obsecrans, non gemens, sed tacens, abstulit quod quærebat. Mediis se caeteris vehementer inseruit, parvam saltem desiderans summitatem Dominici contingere vestimenti, latensque posterius, ab extrema pendentis ora laciniæ, furtivam subito rapuit sospitatem. Adsit hic superbus Pharisæus et justas quas ut putavit, de Magdalena, hic de immunda fœmina quæ putatur Veronica, subnectat querelas ; repellat a contactu Dominici vestimenti, qui a pedibus repellere nitebatur peccatricem. Hæc interim Hemorrhoissa, non ut superstitiosa, a Christo repellitur, quod cogitaverit se vel tactu vestimenti ejus salvam fore. Hoc enim modo docuit antiquam sanctarum Reliquiarum venerationem. Per hanc devotam Hemorrhoissam, quæ sanguinis profluvii afflictabatur, anhelansque accedebat ad contactum vestimentorum Christi Lyranus intelligit Ecclesiam, utpote quæ ex Gentilibus vitam et sanguinem suum in tormentis et martyriis profundentibus congregata et coadunata fuit. Huic etiam nostro proposito conformiter asserere possumus, quod a primordio novæ Legis gratiæ, hoc facto, docere nos voluit Sapientia æterna quod iidem Gentiles, qui profudissent Christianorum sanguinem, conversi postea ad veram fidem, sacras Reliquias, profusumque sanguinem eorumdem Martyrum, debita veneratione coluissent, cum quo et corporis, et animæ salutem sibi comparassent : *Tetigit fimbriam*, etc. Doctrina est doctissimi Salmeronis : « Instruimur, inquit, quod « Deus miraculis subscribit virtuti corporum Sancto- « rum vel Reliquiarum, teste Bernardo, super his « verbis. Neque mirum est, nam si Dei bonitas « per quamvis creaturam se effundit ad dona sua « communicanda, quanto magis per Reliquias et « corpora Sanctorum, quibus Deus singulares virtu- « tes quibus nostram excitaret fidem et erigeret « imbecillitatem, videtur contulisse ? » Ab hac igitur salutari Christi veste, confidente et devota manu tacta, efficacem ac miraculosam virtutem vestium Sanctorum, et multo magis cinerum et ossium beatorum corporum deducere possumus. Vivificam hanc vestimentorum virtutem Salvator noster ad Apostolos suos etiam transferre voluit. Quapropter in Actis Apostolorum, XIX, 11, legimus : *Virtutes non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli ; ita ut etiam super languidos deferrentur a corpore ejus sudaria vel semicinctia, et recedebant ab eis languores, et spiritus nequam egrediebantur.* Superius, *cap.* V, 14, refert Lucas de S. Petro : *Magis autem augebatur credentium in Domino multitudo virorum ac mulierum, ita ut in plateas ejicerent infirmos et ponerent in lectulis ac grabatis, ut veniente Petro, saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum et liberarentur omnes ab infirmitatibus suis.* Si sola umbra sui mortalis corporis curabat infirmos, quanto magis rationi congruum erat, ut ossa et corporis cineres sui salutiferam hanc imbiberent efficaciam et virtutem.

b. — Ut aer ventorum turbine, sic cogitationum et affectionum procellis mulier turbabatur. Conflligebat cum fide cura, cum timore spes, et supplicatio cum pudore ; timoris frigus interstinguebat credulitatis ardorem, vis amoris obscurabat lucem fidei, spei constantiam necessitas verecunda frangebat. Sic mulier magni maris instar confusis æstibus jactabatur. Vincit interim fides, ait S. Petrus Chrysologus : « Confugit mulier ad fidem subitam, « cui longa defecerat cura ; quæ confundeba- « tur medicinam petere, furari voluit sanitatem. « Nosciri se ab eo voluit, quo credidit se posse « salvari. » Nec vane, optatam siquidem sanitatem consecuta est. Quod hisce notat D. Isidorus Pelusiota verbis, *lib.* III, *Epist.* CXXIII : « Et fimbriam « tetigit, Christus id passus, ac morbus profugit. » Ecce ut mulier duodecim annis misere afflicta, omnia sua expendit in medicos ; adest Christus, unaque pemisit suæ præsentiæ appropinquare et morbus profugit. Nempe tunc Deus suo adest auxilio, quando tribulamur et auxilio ab hominibus destituti sumus. Fidelis quævis anima sancta quadam ambitione anhelare deberet ad subeundam passionem tribulationis et adversitatis, cum tale apud Deum præstolelur lucrum, videlicet : *Juxta est Dominus his qui tribulato sunt corde. Psal.* XXXIII, 19. Infallibilis ipsiusmet Dei promissio est : *Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum.* Unde extat doctrina S. Paulini : « Ab initio sæculorum Chris- « tus in omnibus suis patitur, ipse enim est initium « et finis, qui in lege velatur, in Evangelio revela- « tur ; mirabilis semper et patiens, et triumphans « in Sanctis suis Dominus. In Abel occisus a fratre, « in Noe irrisus a filio, in Abraham peregrinatus, « in Jacob famulatus, in Joseph venditus, in Moyse « expositus et fugatus. » Conclusio quam inde elicit, est : « Exultemus igitur et gloriemur in ipso, qui « nos et pugnam et victoriam suam fecit, indicens : « *Constantes estote, quia ego vici mundum.* » De hoc patrocinio et assistentia Dei in extrema necessitate et tribulatione nostra dubitare non possumus, quemadmodum pia et sancta illa afflicta mulier ex instinctu Spiritus Sancti, nobis revelavit, huic dedita orationi, *Tob.*, III, 21 : *Hoc autem pro certo habet, qui te colit, quod vita ejus, si in probatione fuerit, coronabitur ; si autem in tribulatione fuerit, liberabitur ; et si in correptione fuerit ad misericordiam tuam venire licebit. Non enim delectaris in perditionibus nostris, quia post tempestatem tranquillum facis.*

Castissima Susanna heroico animo restiterat, generoseque se opposuerat iniquis judicibus populi et tamen tanta cum ignominia et calumnia tanquam adultera condemnata fuit ; unde et populus in procinctu stabat ad lapidandam paratus. Exclamavit autem voce magna Susanna et dixit : *Deus æterne, qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia antequam fiant, tu scis quoniam falsum testimonium tulerunt contra me ; et ecce morior, cum nihil horum fecerim quæ isti malitiose composuerunt adversum me. Dan.*, XIII, 42, 43. Et ecce adimpletum id, quod oraculo prophetico promissum est : *Clamabit ad me et ego exaudiam eum, eripiam eum.* Etenim *cum duceretur ad mortem*, omnisque abesset succursus humanus, *suscitavit Dominus spiritum sanctum pueri junioris, cujus nomen Daniel*, etc., et cum summa castæ Susannæ gloria detecta fuit ejus innocentia, eminensque virtus ejus, et in terra et in cœlo glorificata.

c. — Hæc Hæmorrhoissa nullos patronos adscivit, ut ad Jesum accederet, nullos titulos, nulla verborum lenocinia congessit, nihil loquitur, nihil clamat, solum Jesu sistitur, Jesu miseriam suam ostendit et sanatur. Siccine vel una sola repræsentatio necessitatis efficacissima est ad Deum in vota trahendum ? Sic vel simplex afflictæ postulatio, tam verum effectum sanitatis obtinere valet ? Præclare S. Ambrosius, *lib.* III *de Virg.*, ait : « Simul ut « accessit mulier, virtutem sensit, medicinam impe- « travit, ut si oculum lumini admoveas, illumina- « tur, antequam sentias, et operatio lucis prævenit « apparatum. » Recurre ergo, exemplo mulieris, in tribulatione ad orationem, quia afflictorum preces efficacissimæ sunt. Patriarchæ Jacob pervolvite reditum ad domum paternam. Postquam is intellexit, fratrem suum Esau odii et rancoris, quem pluribus annis in corde contra eum foverat, veneno repletum, in via sibi occurrere cum quadringentis sicariis, sapiens Jacob ferventi corde Deum exoravit : *Deus patris mei Abraham et Deus patris mei Isaac*, etc. Sacrum perlegite textum et videbitis tribulationem suggessisse ei supplicandi methodum optime compositam, atque fiducia plenam : *Minor sum cunctis miserationibus tuis et veritate tua*, etc. « Artificio spiritus format efficacissimam oratio- « nem, » ait Lippomanus. Vultisne orationis hujus videre effectum ? In defensionem ejus misit Deus Angelos aliquot tutelares : *Castra Dei sunt hæc* ; simulque cor durum obstinati fratris adeo mutavit, ut odium converterit in amorem : *Currens Esau fratri suo obviam, amplexatus est eum, stringensque collum ejus et osculans flevit.*

Notum est omnibus orationem figurari per incensum : *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo* ; significatur pariter per aromata. Sed quo modo ista diffundunt odoris sui fragrantiam, nisi contrita et contusa ? Similiter incensum odorem ad nares nostras transfundit, accensis injectum carbonibus ; item asserere possumus de oratione nostra, illam gratiorem fore Deo et coram throno Altissimi compariturum acceptiorem efficacioremque quam profundunt animæ contritæ et tribulatæ, patienter pro amore Dei quascumque tolerantes calamitates. Inter alios fructus afflictionis qua premuntur justi, enumerat S. Bernardinus sequentes : « Ut clament « affectuosius et invocent, scilicet, auxilium Salva- « toris. » Unde Augustinus : « Premuntur justi in « Ecclesia, ut pressi clament, clamantes exaudian- « tur, exauditi glorificent Deum. Tria utique sunt, « quæ faciunt auxilium fortiter invocare, accensus « ignis in domo, subintrans aqua in navim et tem- « pestas vehemens in mari. Sic nempe ignis afflic- « tionum et aquæ tribulationum, insuper et tem- « pestates persecutionum, justos torpentes excitant « ad affectuosum clamorem ; et tunc quippe, ut « testatur Psalmista, *prope est Dominus omnibus « invocantibus eum in veritate.* »

d. — Hæc mulier per duodecim annos nunquam ad Deum confugerat, sed potius omnia sua in remedia humana expenderat ; unde videtur quam pauci ad Deum confugiunt ; et tamen ab hoc solo vera salus reportatur. Apparet hic negligentia Christianorum in acquirendis bonis æternis, quæ per mundanorum in terrenis acquirendis et amissis

recuperandis laborem et industriam, merito condemnatur. Inclytus vir ille Thomas Morus, regni Anglicani magnus cancellarius, unica fidei catholicæ adversus impium regem Henricum ejus manibus coronatum, columna, dicere solitus erat : « Mundani, heu! laborant et sudant, ut eant ad « infernum, cum tamen si longe minus pro gloria « Dei et animæ propriæ salutem facerent, sublimis- « simos sibi gloriæ gradus in cœlo comparaturi « fuissent. » Et ideo licet mundani in temporalibus negotiis sagaciores et astutiores sint viris spiritualibus et veræ Christianæ vitæ deditis, attamen in rebus ad futuram vitam spectantibus, ab his longe superantur. Ipsimet mundani se pro æterna perditione sibi acquirenda, dure et ad fatigationem usque laborasse, rotundo ore, apud Sapientem, v, 7, fatentur dicentes : *Lassati sumus in via iniquitatis et perditionis; ambulavimus vias difficiles.* Quod si igitur reprobi pro igne inextinguibili sibi accersendo adeo laborarunt, quanto justius et rationabilius est ut pro regno Cœlorum adipiscendo strenue laboremus? Cumque sudores reproborum flammis compensentur infernalibus, numquid æquum omnino et justum est, ut a nostra tepiditate expergefacti, sudores nostros, coronis et diadematibus conservemus Paradisi? *Non enim coronabitur nisi qui legitime certaverit.* S. Bernardus in sermone quodam ex iis quos de modo bene vivendi conscripsit, hanc habet reflexionem : « Desidium facimus, quando « per torporem languidi ea quæ Dei sunt opera- « mur. Omnis ars hujus sæculi strenuos habet « amatores et ad exequendum promptissimos. « Quare? Quia præsentem habet remunerationem « sui operis. Ars vero divini timoris multos habet « sectatores tepidos, languidos et pigritiæ inertia « congelatos. Sed hoc proinde fit, quod merces « laboris eorum non in præsenti vita, sed in futura « dabitur. » Ubi notanda sunt verba : « Strenuos « amatores. » Quicquid enim impense diligimus, magnique facimus, pro ejus assecutione strenue quoque laboratur.

e. — Mulier miraculorum fama excitata, statim ad Christum se contulit, nec in aliam vicem fortuiti aliquando transitus Christo appropinquare distulit, sed tempus observavit et Christum accessit, ut discat peccator, quod ea ipso quo a Deo vocatur per inspirationes, ut pœnitentiam agat et confiteatur, voci ejus pareat, ne dum ex raritate et dilatione confessionis peccatum inveteretur in anima, illaque debilis efficiatur in virtutum exercitio et impotens ad dæmoni resistendum; tandemque se in æternam damnationem præcipitem agat. David in tribulationibus suis ad asylum confugiens misericordiæ divinæ, *Psal.* LXVIII, 16, dicebat : *Non me demergat, tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum, neque urgeat super me puteus os suum.* Ubi S. Augustinus profundissimum puteum docet esse peccatum; quisquis in ipsum corruit, os si clauserit, id est, confessus fuerit, facile effugiet submersionis discrimen; unde alibi idem asserit David : *De profundis clamavi ad te, Domine; Domine, exaudi vocem meam.* Quia autem *impius, cum in profundum venerit contemnit,* ideo subdit idem Sanctus : « Clausit super « eum puteus os suum; quia clausit os illius, per- « didit confessionem. »

f. — Non clamat mulier, vel rogat pro sua salute, ut Archisynagogus, vel cæcus; sed tacens retro venit ad Christum. Cujus rei causam dat D. Ambrosius, *lib. de Salomone,* v, quia turpi et fetido morbo laborabat. Et tamen ut notat D. Paschasius, *lib.* V *in Matth.*, accedit : « Maluit enim fidei trepidante « consilio ex fiducia judicari, quam de tam fetido « vulnere perire. » Audiant hoc scelesti et immundi; abrumpant pudorem noxium, assumant consilium fidei et viam salutis inveniant. Deposita verecundia, sarcinam deponant peccatorum.

g. — Hæc mulier retro accedens, peccatorem denotabat, qui dum vult converti, ad vitam anteactam respicere debet per exactissimum conscientiæ examen.

h. — Albertus Magnus hanc accessum a tergo mulieris adscribit humilitati, quia se judicavit indignam Domini aspectu; unde in tantum sublimata est a Christo, ut non solum Dominus in eam conjiceret oculos, ac cum ea loqueretur, sed etiam ut filiam vocaret, quod nulli alteri mulieri in Evangelio concessum fuisse legimus. Humilitas enim gratias et dona Dei promeretur.

Versus 21.

Dicebat enim intra se : Si tetigero tantum vestimentum ejus, salva ero.

Dicebat enim intra se.

1. — Filius prodigus tunc pridem resipiscere cœpit quando ex proposito et industria, status sui miseriam et infelicitatem sibi ob oculos posuit, *in se reversus;* eodem modo credere licet hanc mulierem ad seipsam se reflectentem has suas considerasse miserias, ut Jansenius ait : « Primo, quod « morbum adeo abominabilem apud Judæos pate- « retur; secundo, quod tamdiu eumdem passa sit; « tertio, quod a complurimis medicis multa per- « pessa fuerit; quarto, quod omnia erogasset, « novum malum veteri adjiciens, videlicet profluvio « sanguinis paupertatem, postremo quod etiamsi « multa perpessa et omnia erogata esset, non « solum nihil proficeret, sed magis deterius ha- « beret, » omnes, inquam, has miserias mente et corde suo per seriam meditationem conferens, tandem apud se statuit, nullum aliud salutis suæ recuperandæ superesse refugium, quam ut vestes tangeret Salvatoris. Paulus de Palatio ait : « Porro

« quod illa dicebat intra se, elegantissime indicat, « quod Christiana negotia intra aguntur; frustra « contendes, nisi dicas intra te; quid prodest ad « sacrificia, conciones et confessiones venire, nisi « dicas intra te? » internum est, quod Deus videt et quod animam animæ nostræ attribuit; hic sanguinis fluxus inordinatorum appetituum nostrorum et scandalorum cursum præfigurabat, pro quibus frenandis necessaria est confessio, contritio et diligens ac rigorosum conscientiæ nostræ examen; unde idem Auctor notans, quod S. Marcus, v, 33, de hac Hemorrhoissa referat : *Procidit ante eum et dixit omnem veritatem;* subjungit : « Cum peccator « sanandus est, prius tremat intra se, mox procidat « coram Sacerdote, qui personam gerit Christi, « illique confiteatur omnem veritatem, id est, om- « nia peccata, vere, nullo peccato dimisso. »

Si tetigero tantum vestimentum ejus, salva ero.

2. — Lyranus mulierem hanc probe scivisse, dicit, vestes hasce, virtutem sanandi non ex semetipsis habuisse, sed per participationem contactus, sacratissimæ illius humanitatis miraculosas et salutiferas facta fuisse. Hugo Cardinalis ait : « Credidit, « dixit, tetigit, quia his tribus, fide, verbo et opere « omnis salus acquiritur : *Corde creditur ad justi- « tiam, ore autem confessio fit ad salutem. Rom.*, « x, 10. »

3. — Vivam hanc mulieris fidem Chrysologus, *Serm.* XXXV, stupet, eique sanitatem obtentam attribuit, dicens : « Cum tangit fimbriam Christi, nunc « divino pectori pulsat arcanum et furto fidei, « summam rapit de fimbriæ summitate virtutem; « felix fraus, quæ et lucrum salutis contulit et « damna sustulit mox pudoris. »

4. — Chrysostomus in *Catena* citatus, fœminæ hujus confidentiam notans, ait : « Non aperte sed « occulte cum fide vestem ipsius tetigit; cum fide, « dixi, quoniam non dixit : Liberabor ab hac ægri- « tudine, si vestem ejus tetigero, an non? sed non « dubitans sanitatem se ab hujusmodi tactu conse- « cuturam, accessit. »

5. — Salmeron mulierem hanc, tantam in Christi vestibus fiduciam habuisse existimat, ut etiam nescio Christo, ab iis sanitatem se recuperaturam crediderit : « Nec dubitavit, » inquit, « quin « solo attactu vestium Christi, etiam ioscio Christo « sanitatem recipere posset. »

6. — Albertus Magnus in Matthæum scribens, non tam vestis quam sacrosanctæ Christi carnis virtutem considerat, dum ait : « Sciens, quod « tactus deificæ carnis, semper exerceret opera « orationis; » unde similem ei, quam citavimus Chrysologi, elicit contra eos moralitatem, qui sacræ se communionis fructu destituunt : « Miseria « autem magna est, quod tactu huic mulieri con- « tulit sanitatem vulneris, et heu multis hodie in « Sacramento sumentibus confert, alias infertur, « vulnus æternæ damnationis. »

7. — Archisynagogus ad filiæ resuscitationem, necessarium esse credebat, ut Christus cadaveri manum imponeret, et personaliter compareret : *Veni, impone manum tuam super eam, et vivet;* at hæc mulier vel solam Christi vestis extremitatem, etiam nesciente Christo, incurabili malo mederi posse credebat. Dionysius Carthusianus dicit : « Tantam credidit Christo sanctitatem atque vir- « tutem inesse, ut diffunderetur per ejus vestem. »

8. — Albertus Magnus *supra lucam*, fœminæ hujus stupet humilitatem, dicens : « Mirabilis « humilitas, quæ sibi fimbriam congruere et suffi- « cere reputavit ad consequendam salutem, cum « enim parva esset in oculis suis, parva reputavit « sibi congruere. » Salmeron humilitati fidem copulans ait : « Ex humilitate et fide hæc mulier « tetigit fimbriam, cum posset facilius multo vel « carnem, vel partem superioris vestis quam fim- « briam tangere quasi indignam se agnosceret « quod carnem vel vestem ejus contingeret, sed id « quod in vestimento minimum erat. »

9. — Dionysius Carthusianus in sensu spirituali dicit : « Per fimbrias quoque vestis Christi, Sacra- « menta ejus intelliguntur, sub quibus Christus « ejusque gratia tegitur ac consistit. »

10. — Idem quoque in quinto super hanc Dominicam sermone, ita scribit : « Hoc est, si « Salvatoris charitatem, cæterasque virtutes et « operationes sanctas, saltem pro aliquantula ac « modica fuero parte secutus, salvabor. »

11. — Salmeron mulierem tunc ad Christum confugisse considerans, quando omnibus erat destituta remediis humanis, hoc inde elicit dogma : « Ubi « ergo cessat omnis humana industria, et spes in « medicis vel facultatibus, tunc tandem incipit se « prodere divina potentia, et vicinior esse salus. »

12. — Intelligendo per mulierem hanc, ut diximus, gentilitatem, interlinearis ita scribit : « *Si « tetigero,* id est, si suscepero fidem incarnationis « ejus. » Glossa ordinaria ait : « *Fimbriam,* non « vestem, quia non vidit in carne Dominum, sed « suscepit per Apostolos, incarnationis Verbum; « beatus, qui vel extremam partem verbi tangit. »

13. — Ex illis S. Marci verbis : *Et sequebatur eum turba multa, et comprimebant eum,* evincitur clare, multos quoque alios Christum et sacras ejus vestes attigisse, at solam inter omnes mulierem hanc divinarum gratiarum participem factam fuisse scimus, *Isa.*, IX, 3 : *Multiplicasti gentem, sed non multiplicasti lætitiam.* Cujus ratio est, quia in aliis non ea fides, devotio, reverentia, humilitas, spes et ferventes reperiebantur preces quæ virtutes eminentes erant in hac muliere, de qua porro Albertus Magnus ait : « Tetigit fidei devotione. »

Additio.

a. — *Dicebat enim intra se : Si tetigero*, etc. Vera animi compunctio. *Dicebat intra se*, non ore, non externis verbis, sed intra se, hoc est, in corde suo, in anima sua. Disce, Christiane. Vis accedere ad Deum? Non solum dic ore, sed corde. Parum prosunt externa verba, si cor longe est a Deo. Reflexistisne vos aliquando ad doctrinam quam cœlestis Magister Samaritanæ in hæc verba tradidit : *Mulier, crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Jerosolymis adorabitis Patrem. Venit hora, et nunc est, quando adoratores adorabunt Patrem in spiritu, nam et Pater tales quærit, qui adorent eum : Spiritus est Deus. Joan.*, IV, 21. Ad quæ verba S. Bernardus alludens, ad nostrum propositum ita loquitur : « *Spiritus est Deus*, et in spiritu « clamet necesse est, quisquis clamorem suum ad « eum desiderat pervenire. Sicut enim non faciem « hominis respicit tanquam homo, sed magis intue« tur cor; sic ad cordis vocem potius quam corpo« ris aures ejus cui merito dicitur, *Deus cordis mei*, « diriguntur. » Et in sermone quodam *de modo bene vivendi*, in quonam oratio consistat, indicat dicens : « Oratio cordis est, non labiorum. » Beatus Laurentius Justinianus, in libro *de oratione*, nonnullas orationis definitiones assignans, eamdem sub hisce terminis describit : « Oratio est mentis conversio « in Deum per pium, per humilem intellectum; vel « oratio est ascensus intellectus in Deum; sive ora« tio est ostensio voluntatis nostræ ei a quo impe« trare speremus id quod desideremus. » In quibus definitionibus nullam invenietis linguæ aut vocis unquam fieri mentionem. Idem sanctus Patriarcha, in *cap. VII de orationis infructuosa* tractans ait : « De « hac dicit Isaias : *Populus hic labiis me honorat, cor « autem eorum longe est a me.* Nihil proficuum est « sola ad Dominum voce clamare, sed ipsa est sua« vissima orationis harmonia, quando vox cogno« scitur animo consonare, nec aliud corde, quam « ore profertur. »

Versus 22.

At Jesus conversus et videns eam, dixit : Confide, filia, fides tua te salvam fecit; et salva facta est mulier ex illa hora.

At Jesus conversus.

1. — S. Marcus, v, 30, 31, de Christo ait : *Et statim Jesus in semetipso cognoscens virtutem, quæ exierat de illo, conversus ad turbam aiebat : Quis tetigit vestimenta mea? et dicebant ei discipuli sui : Vides turbam comprimentem te, et dicis : Quis me tetigit?* S. Lucas, VIII, 45, pariter in ejusdem miraculi recensitione idem quasi hisce verbis tradit : *Et ait Jesus : Quis est, qui me tetigit? negantibus autem omnibus, dixit Petrus, et qui cum illo erant : Præceptor, turbæ te comprimunt et affligunt, et dicis : Quis me tetigit? et dixit Jesus : Tetigit me aliquis, nam ego novi virtutem de me exisse; videns autem mulier, quia non latuit, tremens venit et procidit ante pedes ejus, et ob quam causam tetigerit eum, indicavit coram omni populo, et quemadmodum confestim sanata sit.* Toletus Victoris Antiocheni auctoritate usus in horum verborum, *turbæ te comprimunt et affligunt*, consideratione ait : « Christum « redemptorem spiritualiter tangunt, qui in illum « credunt, cæteri vero qui in illum fidem non « habent, eum verius comprimunt et affligunt, « quam tangunt; qui autem vere tangit, eum ad « misericordiam et clementiam allicit. »

2. — At quæret forte quispiam, cur Christus occulte a se patratum miraculum, coram tota illa multitudine, per ipsius Hemorrhoissæ testimonium, in modo et qualitate distincte propalari voluerit? Respondetur quod omnis Christi actio ad nostram sit ordinata instructionem et eruditionem; sciendum est itaque, mulierem hanc turbæ immixtam, Christo appropinquasse, ejusque vestem manu sua attigisse, ut igitur se ab omni suspicionis umbra, respectu periculosi adeo sexus immunem redderet, voluit mulierem publice motivum edicere, quare eum attigisset, et profiteri se solam tetigisse fimbriam, intentione sedandi sanguinis fluxum : « Ob « quam causam tetigerit eum, indicavit coram « omni populo, et quemadmodum confestim sanata « sit. » Ut in hoc exemplum capiant omnes, etiam quantumcumque sancti, ne scilicet a muliere, quacumque etiam de causa, se tangi sinant, non enim sedabit, sed augebit fluxum, dum sola Christi caro, concupiscentiæ fomitem reprimendi et continentiæ virtutem nobis inserendi, efficaciam habet.

3. — Chrysostomus, *Hom.* XXXI *in Matth.*, causam quærit, cur Christus in omnium conspectu id quod fœmina fecerat, propalari voluerit, et respondet, hoc ideo factum esse : « Primum, ut ab omni « formidine fœminam liberaret, ne conscientiæ « stimulis quasi furata sanitatem mœrore exagita« retur; deinde ut fidem ipsius corrigeret, quæ se « putavit latere potuisse; denique ut fidem ejus « manifestam faceret; præterea non est minus « signum secreta cordium scire, quam flumina « sanguinis coercere; postremo Principem syna« gogæ voluit confirmare. » Cajetanus quoque hoc ultimum sustinet, dicens : « Miraculum latens vo« luit manifestari, quia tempus urgebat ad augen« dam fidem Archisynagogi. » Salmeron, ut mulier ipsa miraculum divulgaret, Christum voluisse tradit, dicens : « Ut mulier sponte confiteretur signum, ut « attentam redderet turbam, et vim suam percipe« rent, nec dixit : Tu me tetigisti, ut mulier « mereretur confitendo, ne videretur extorta con« fessio, sed rei series narraretur. »

4. — Idem auctor mulierem hanc, per Salvatoris attactum, ab infirmitate sua liberari quidem voluisse notat, ita tamen ut simul etiam ob immunditiam latere potuisset : « Volebat latere, quia « morbus turpis erat, et quia timebat Christi in« dignationem ob sanitatem furtim ablatam. » Ita pariter multæ sunt animæ, quæ immunditiæ et sensualitati in prædam datæ, peccata sua confiteri verecundantur, et nihilominus salutem et absolutionem obtinere gestiunt; maximi sane ponderis est præsenti integræ confessionis rite instituendæ negotio dexteritas confessarii maxime respectu debilioris et verecundioris sexus.

5. — Jansenius populi multitudinem, quæ Christum comprimebat, contemplans, ait : « Mira Domini « lucet clementia, mansuetudo et humilitas, qui « cum tantus esset, ut et multos haberet discipulos, « qui a turbarum compressione eum possent libe« rare, patitur se a turbis comprimi, tam humani« ter scilicet cum eis conversans sine omni fastus « indicio, ut turbæ non vererentur eum compri« mere. » S. Bonaventura ait : « Ex amoris affectu, « omnes volebant contingere; in hoc etiam versa « vice ostenditur benevolentia Salvatoris, qui etiam « a multitudine vult comprimi, quasi nullum a se « repellens; ipse enim est, qui dicit : *Eum, qui « venit ad me, non ejiciam foras. Joan.*, VI, 37. »

6. — Ex hac compressione utilem valde elicit S. Augustinus moralitatem pro iis, qui indecenter sanctissimo Christi corpori appropinquant : « Cor« pus Christi, » ait, « multi moleste premunt, « pauci salubriter tangunt; » illi autem opprimunt, qui fideles sine omni, aut certe cum exili præparatione, ad Sacramentum Altaris accedunt; denique his turbis, in quibus nec fides, nec reverentia, nec devotio erat, S. Petrus dicit : *Turbæ te comprimunt et affligunt*; at de hac tantæ fidei, humilitatis et devotionis virgine Christus ait : *Quis me tetigit?* salubriter tetigit, quia corporis simul et animæ salutem obtinuit, quæ tam speciosis titulis honorata fuit : *Confide, filia, fides tua te salvam fecit. Ego novi*, inquit Christus, *de me virtutem exisse*, quia juxta præparationis, devotionis, et in sanctissimum ejus corpus frequentando reverentiæ mensuram, ab eodem donorum et gratiarum cœlestium abundantia in nos redundat.

Et videns eam.

7. — Christi in nos oculus, misericordiæ et compassionis est instrumentum, ideoque Deum deprecabatur, dicens : *Aspice in me et miserere mei.* Si per fluxum sanguineum, iniquitatis et appetitum inordinatorum cursum intelligamus, nobis persuadere possumus, eam Salvatori ita supplicasse : *Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meæ; vide humilitatem meam et laborem meum; et dimitte universa delicta mea.*

8. — Chrysologus, *Serm.* XXXIII, de hoc benignissimo oculo ita scribit : « Erat totius oculus, « qui post se supplicem sic videbat. » Albertus Magnus eumdem intuitum contemplans ait : « Visio « Dei misericordia est. » S. Marcus, v, 32, dicit : *Circumspiciebat videre eam, quæ hoc fecerat.* Venerabilis Beda, *Hom. in Evang.*, pariter per hunc obtutum, salutem infirmæ a Christo collatam intelligens ait : « Non obliviscitur filiorum suorum Dominus, « nec in se sperantes intueri desistit, sed omnes, « qui salvari merentur, suo dignos intuitu ac « miseratione judicat. »

Dixit : Confide.

9. — Rabanus, a S. Thoma in *Catena* citatus, interrogat, qualiter Christus eam ad fiduciam animarit, quæ confidentia et viva fide plena ipsum convenerat, dicens intra seipsam : *Si tetigero tantum fimbriam, salva ero?* « Quid est, quod eam con« fidere jussit, quæ si fidem non haberet, salutem « ab eo non quæreret? sed robur et perseverantiam « fidei ab ea expostulavit, ut ad certam et veram « perveniat salutem. »

10. — Duplicis autem virtutis, fidei scilicet ac fiduciæ mentionem factam esse perpendit, ut eas differentes esse sciamus; fiducia enim innititur fidei, estque spes certa et indubitata : *Spes non confundit. Rom.*, v, 5.

Filia.

11. — In Syriaca legitur : *Filia mea.* Non constat, hunc a divina Sapientia titulum ulli unquam alteri fœminæ datum esse, denominando eam, filiam. Chrysostomus inquit : « Filiam eam vocat, « quia fides eam filiam fecerat; » quæ viva adeo et stabilis fuit, ut ejus meritis miraculosam ascribat salutem.

Fides tua te salvam fecit.

12. — Paulus de Palatio devotam hanc Hemorrhoissam istud fimbriæ vestimentorum Christi attribuisse notat : « Contra Dominus ascribit fidei illius, « quia sicut revera sanitas gratiæ Dei debetur, ita « revera fides et contritio nostra eamdem sanitatem « operatur. »

Et salva facta est mulier ex illa hora.

13. — S. Marcus habet : *Et confestim siccatus est fons sanguinis ejus, et sensit corpore, quia sanata esset a plaga.* S. Lucas scribit : *Et confestim stetit fluxus sanguinis ejus.* In hoc facto Didacus Stella, sacratissimi Christi corporis efficaciam considerans, ait : « Voluit honorare corpus suum divinitati « conjunctum et corporis indumenta; sic etiam « potest vivificare et sanare animas nostras et « corpora, quod si contactu suo potest vivificare « mortuos, quanto magis immortales erimus, qui « Christi carnem et sanguinem non tangimus in « Eucharistia, sed comedimus et bibimus. »

UNIVERSIDAD DE MÁLAGA
DIRECCIÓN DE BIBLIOTECAS

14. — S. Thomas, in *Catena* supra Lucam, citat quemdam auctorem Græcum, de Salvatore ita scribentem : « Passus est sponte sanitatis rapinam ; » mulier sese abscondit, ut furtive prædam capiat salutis, et Christus prædatrici acquiescit, ut doceat nos, quod, ubi de animæ salute, tantoque thesauro assecurando tractatur, opus sit violentia, *Matth.*, IX, 12 : *Regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud*. Quacumque indirecta via, modo ad cœlum ducat, gradiamur, contentatur, omnem etiam in hac via astutiam nostram approbat, unde cum magna audacia David Deo dicebat : *Sana animam meam, quia peccavi tibi; salvum me fac Deus;* non respectus, non reverentia Dei perit, licet modo imperativo ipsum aggrediamur, dum subsidium laturus est saluti animæ nostræ.

15. — Licet hæc mulier corpore immunda esset, nihilominus credibile est, eam tanto magis animam mundam et puram extitisse, dum in divinam affiliationem assumpta fuit ab eo, qui *scrutatur renes et corda;* attamen *mulier*, ut S. Marcus ait, *timens et tremens procidit ante eum, et dixit ei omnem veritatem;* et tamen non nisi fimbriam seu extremitatem vestis attigerat ejus, qui *est candor lucis æternæ et speculum sine macula*. Quanto igitur magis nos timeamus et tremamus oportet prosternendo nos ante eum, quem *tremunt Potestates*, et dicendo omnem veritatem, mediante prævia exacta confessione, dum non ad vestem sed ad sacratissimum Christi corpus, ut ab eo cibemur eique uniamur, accedimus : *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in eo.*

Additiones.

a. — *Confide, filia, fides tua te salvam fecit*. Mulier illa quæ duodecim annis fœdum sanguinis fluxum patiebatur, animosa fide accessit ad Jesum, et attactu fimbriæ vestimentorum ejus, confestim stetit fluxus sanguinis ejus. Et cum Salvator inquireret, quis eum tetigisset et ipsa piam audaciam suæ fidei palam confessa esset, publicans se furtim fimbriam tetigisse et statim pristinæ sanitati restitutam, tunc ait illi Jesus : *Confide, filia*. Quomodo hæc concordant? Nam si mulier illa prius salva facta fuit, quorsum illi mandatur ut confidat? Quis confidet sanitatem consequi, si salutem jam consecutus est. Quis speret habere quod possidet? Possessio, res fruitionis est, non negotium fiduciæ. Fiducia otiatur circa possessa, quæ semper anhelat possidenda. Cur ergo mulieri sanitatem consecutæ mandatur ut confidat? Scilicet ut viva sit. Ad hoc enim ut fiducia nostra sit efficax, viva esse debet, magnamque habet prærogativam, quando in Deum, non vero in mundum collocatur diligentiasque humanas et nostram cooperationem minime excludit.

Deus in mundi exordio terræ præcepit dicens : *Germinet terra herbam virentem*, moxque hæc morem gessit et a tot sæculis hactenus prompte obedivit, ut homini et animalibus ad nostram utilitatem creatis provideat. Verumtamen advertendum est, quod idem Deus a nobis requirat ut eamdem terram excolamus. Unde S. Augustinus ait : « Admonendi sumus, ut quamvis credamus in « Deum, faciamus tamen, quæ facienda sunt ab « hominibus, in præsidium salutis, ne prætermit« tentes ea Deum tentare videamur. » Hebræi maximam in Arca habebant fiduciam, utpote qui sæpius experti fuerant quod eamdem solum in conspectu inimicorum suorum portando, obtinuissent victoriam; et tamen quia ex parte ipsorum aliquando strenue non præliabantur, Arca in potestatem inimici redacta est, et capta fuit, ipsique Hebræi ingentem perpessi sunt stragem. Theodoretus inquit : « Vir justus spem in Deo fixam habet « et per illam laborare et laboriosos virtutis fructus « producere non recusat. » Porro videri poterat quod, postquam Deus Abrahæ ingentem hanc et magnificam promissionem fecit dicendo : *Protector tuus sum*, omnem a se timorem deponere debuisset; et tamen, quando in Ægyptum venit, ob pulchritudinem Saræ sibi valde timuit; dubitabat enim ne forte propter illam sibi necem inferrent et Saram raperent. Ac proinde eidem Saræ conjugi suæ dixit : *Dic, obsecro, quod soror mea sis*. Id quod S. Augustinus prudenter ab eo factum fuisse dicit : « Quia si periculum, quantum cavere poterat, non « caveret, magis tentaret Deum quam speraret in « eumdem. »

b. — Mulier ex tactu fimbriæ vestimenti reportavit sanitatem. Accessit cum fide et humilitate, ideo fimbriam tangit; accessit cum reverentia et compunctione, gravitatem sui morbi agnoscens, ideo a tergo venit, non audens Christi faciem aspicere; ac proinde sanitatem suo vulneri impetravit. At sæpe multi illis virtutibus destituti et in peccatis obdurati ad mensam Domini conveniunt; et ideo ipsa medicina reflectitur eis in vulnus. « Mors est malis, vita « bonis; vide paris sumptionis quam sit dispar « exitus. » Hæc Doctoris Angelici verba maximi continent momenti veritatem, quod scilicet, quantumvis omnes ad mensam Eucharisticam accedentes, panem sumant Angelorum, illi nihilominus, qui indigne ipsi appropiant, nec gratiam, nec virtutem percipiant Sacramenti, quemadmodum et multi alii sacri Doctores observaverunt. Et in primis quidem S. Cyprianus inquit : « Quamvis ab indignis se « sumi, vel contingi sacramenta permittant, non « possunt tamen esse Spiritus participes, quorum « infidelitas et indignitas tantæ rectitudini contra« dicit. » Tales equidem totam sacrosanctam hostiam ore excipiunt, ast eamdem cum animæ cordisque fructu non deglutiunt, quemadmodum illi, qui corde puro cibumque hunc, qui *pinguis panis* dicitur, manducant ; infeliciter extenuantur, marcescunt et sine Spiritu et devotione aridi, inque vitia procliviores existunt in singulos dies. Sed undenam hoc promanare creditis? Respondet S. Gregorius : « Comedunt et saturari non possunt, quia etsi « Sacramentum percipiant, virtute Sacramenti ne« quaquam replentur; a virtute ergo illa Sacra« menti ideo jejunant, quia prius repleti fue« rant. Salutis quippe fructum non percipiunt in « comestione salutaris hostiæ, quia ea, quibus se « repleverant, flagitia portant in mente; non satu« rantur, nisi famelici, quia a vitiis perfecte jeju« nantes, divina Sacramenta percipiunt in plenitu« dine virtutis. » Id quod et S. Gregorius pariter docet dum illa interpretatur in *libris Regum* contenta verba : *Repleti prius pro panibus se locaverunt et famelici saturati sunt*.

c. — Prius accedit vir et postea mulier; prius tamen intentum obtinet mulier quam vir, quia ardentius amant mulieres quam viri. Omnia igitur mala tollit et bona confert indilate ardens et sincerus amor.

VERSUS 23.

Et cum venisset Jesus in domum Principis, et vidisset tibicines et turbam tumultuantem, dicebat.

Et cum venisset Jesus in domum Principis.

1. — S. Antonius Paduanus vocem *Principis* in sensu morali ponderans, ait : « Princeps est « quilibet homo, qui sibi debet principari, cujus « domus est conscientia ejus : in eam tunc venit « Dominus, cum ei gratiam infundit, ut culpam « suam cognoscat et cognoscens erubescat. »

Et cum vidisset tibicines et turbam tumultuantem.

2. — Lyranus notat, quod melodiarum diversitas varietatem quoque in nobis excitent passionum, aliæ enim ad animositatem et audaciam provocant, ut tubæ et tympana, aliæ ad devotionem, ut cantus Ecclesiasticus; aliæ ad lætitiam ut instrumenta musica; aliæ ad mœstitiam et planctum, et his antiquitus in conspicuarum personarum funeralibus utebantur, ut populum ad luctum incitarent, unde Ovidius ait :

Cantabat mœstis tibia funeribus.

3. — Salmeron, quo ad spiritum, tibicines illos jussu Christi dimissos esse dicit : « Expellendi sunt « tibicines, » inquit, « id est, maligni spiritus, « tristitiam carmine demulcentes, cum suggerunt « culpam gravem non esse, aut ætati parcendum, « vel ex improviso contigisse, aut alios similia « agere, aut Dei pietatem ad pietatem propensam, « aut tempus subesse pœnitentiæ. » — « Tibici« nes, » inquit Rabanus in *Catena*, « sunt adula« tores, qui fovent mortuam. »

4. — Turbarum clangores et cantus, vitæ hujus præsentis præfigurant delectationes et voluptates, quæ animæ obsistunt, quo minus a morte peccati ad gratiæ vitam resurgat; ideo audite, quomodo Job animam ex humanarum prosperitatum culmine in barathrum perditionis se præcipitantem repræsentare volens, sermones suos instituat : *Tenent*, ait, *tympanum et cytharam, et gaudent ad sonitum organi, ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt.* » Experientia quoque docet, aviculas cantus sui imitatione inescatas, retia facile ingredi, et aucupi in prædam cedere. S. Valerianus de lascivis cantibus scribens, ait : « Isti sunt laquei, quibus famulantibus inter « cætera vulnera, diabolus hominum mortes ope« ratur; dum oblectant, sæviunt; dum blandiuntur, « occidunt. » S. Augustinus, *Serm.* CCXV *de temp.*, tales cantus virus diabolicum nominans, ait : « Videte, si justum est, ut ex ore Christianorum, « ubi corpus Christi ingreditur, luxuriosum can« ticum, quasi venenum diaboli proferatur? » et S. Hieronymus pariter ait : « Cantoris diabolici « venenata est dulcedo. »

5. — « *Turbam tumultuantem*, » inquit Lyranus, « id est, lacrymantem et ejulantem; et illud vocatur « tumultus, quia causat sonum confusum. »

VERSUS 24.

Recedite, non est mortua puella, sed dormit.

Recedite.

1. — S. Hieronymus causam dat, cur hi tibicines a Christo dimissi fuerunt : « Non enim, » inquit, « erant digni, ut viderent gloriam resurgentis, qui « resuscitantem indignis contumeliis deridebant. »

2. — S. Ambrosius, *in Lucam*, Christum in hoc facto, obstinationem et Judæorum incredulitatem, allegorice denotare voluisse censet; dicit enim Christus : « *Recedite*, ad significandum scilicet, ex « Judæis non credituros, nec in Ecclesiam Dei « recipiendos, nisi paucos. »

3. — Toletus, *in Lucam*, tibicines dimissos fuisse dicit, quia planctu deinceps opus non erat, dum ipse defunctam vitæ restituere disposuerat : « Mihi, » inquit, « non videtur causa ejectionis, referenda in « indignitatem, nec in significationem tantum, sed « ad veritatis ostensionem; nempe quia tumultus « et cantus illorum, mortuorum erat, non viven« tium; cum autem suscitanda esset jam puella, « illos ejecit, quasi inutiles ac superfluos; convene« rant enim eo, luctus causa. »

4. — S. Gregorius ait : « Foras autem turba « ejicitur, ut puella suscitetur, quia nisi prius a « secretioribus cordis expellatur sæcularium multi« tudo curarum, anima quæ intrinsecus jacet, « mortua non resurgit; » anima illa sancta quondam dicebat, *Psal.* LIV, 8 : *Ecce elongavi fugiens, et*

mansi in solitudine; sed quonam id fine eam fecisse putas? nimirum : *Exspectabam eum, qui salvum me fecit.*

Non est enim mortua.

5. — Toletus diffuse filiam hanc, synagogam præfigurasse, probare nititur, in eumque finem multas rationes adducit, quarum prima est, quia puella hæc in imperfecta adhuc ætate constituta erat, talis autem et synagoga fuit, et Mosaicæ legis status, qui vere imperfectus fuisse noscitur; unde Apostolus, *ad Galat.*, IV, 3, dicit : *Cum essemus parvuli*, et I *Cor.*, XIII, 13, ait : *Cum essem parvulus.* Denique, *ad Galat.*, III, 24, lex conferitur pædagogo. Secunda ratio est, quia Patrem habebat, qui ejus curam habebat, deque ejus salute sollicitus erat : sic quoque Judaismus Deum patris loco habebat, cum e contra Gentiles falsa simulacra adorarent. Tertia est, quia filia isthæc in domo patris erat; sic quoque synagoga in domo Dei, id est, in ejus Ecclesia versatur per veram fidem et religionem, *Psal.* LXXV, 1 : *Notus in Judæa Deus, in Israel magnum nomen ejus.* Quarta, quia sicut Redemptor ad filiam hanc sanandam personaliter in hujus Principis domum concessit, ita quoque Messias personaliter de Cœlo descendit, et ex hoc populo incarnatus fuit, ut salutem ei impertiretur. Quinta, quia sicut ad hoc resuscitationis beneficium prastandum rogatus et invocatus fuit; ita quoque Christus ad synagogam hanc et universum mundum incarnari voluit, post prævias Prophetarum et Patriarcharum antiquorum preces et intercessiones. Sexta ratio est, quia sicut miraculum istud patrando, a tibicinibus præsentibus, et turba tumultuante derisus fuit; ita quoque derisus, et illusus fuit a Judæis. Septima est quia quod aliis ejectis, in paucorum præsentia filiam hanc defunctam in vitam revocarit, per hoc ut SS. Ambrosius et Hilarius notarunt, redemptionem suam paucis Judæis profuturam esse, prænotatum fuit. Denique id quod in textu Evangelico dicitur : *Exiit fama hæc in universam terram*, ad litteram adimpletum fuit : « Quia « salus, quam inter Judæos Christus operatus est, « per orbem terrarum est prædicata et communi- « cata. » Estque hic merus Hugonis Cardinalis discursus.

6. — Quærendum hoc loco venit, qua ratione verificari potuerit dictum illud Christi : *Non est mortua*, cum revera expiraverit? Salmeron, *tract.* XVI, ait : « Quia non omnes corporis humani partes « corrumpuntur, ut fit in brutis, nec potior, id est, « anima immortalis, nec perpetuo, sed ad tempus « dissolvitur vinculum animæ cum corpore. »

7. — Glossa interlinearis quoad sensum allegoricum ait : « Non est fornicata post Deos alienos, » Quoad sensum litteralem S. Bonaventura dicit : « Quia poterat eam ita facile a mortuis resuscitare, « sicut suscitatur de somno dormiens a vigilante; » id quod similiter Glossa ordinaria insinuare vult, dum ait : « Vobis mortua est, Deo autem qui sus- « citare potest, dormit, tam in anima quam in « corpore. » Lyranus pariter hac de re ita scribit : « Licet esset mortua secundum viam naturæ, tamen non erat mortua illi, qui suscitare eam poterat. »

Puella.

8. — Dictio hæc mystica est, propter moralitatem, quam inde sacri Expositores eliciunt; nam Paulus de Palatio ait : « Quod dicit *puellam*, indicatur, non tam facile esse senem defunctam resurgere, quam puellam; difficile est animam, quæ « in peccatis consenuit, ad vitæ novitatem reparari. » Similem considerationem S. Antonius de Padua super hoc Evangelium adducit, dum ait : « Nota, quod dicit, *puella*, non veterana; anima « enim, quæ nondum diuturnitate malæ consuetudinis est oppressa, sed quasi puella et novella « in peccato est sopita, de facili in vitam potest « resurgere. » S. Thomas, *in Matth.*, hanc defunctam filiam, cum duobus aliis resuscitatis mortuis, Lazaro nimirum, et viduæ Naimiticæ filio comparans, de hac ita loquitur : « Hæc igitur puella « significat peccatorem, qui est in peccato occulto, « scilicet in mente; » quando enim peccatum commissum non est publicum, nec per malam consuetudinem in anima inveteratum, facillimum est illi adhibere remedium; ideoque de ea dici potest : *Non est mortua, sed dormit.*

Sed dormit.

9. — Rabanus ad peccatores in culpa mortuos alludens, ait : « Dicit autem, quod puella dormit, « quia qui peccant in præsenti, adhuc per pœniten- « tiam resuscitari possunt; » quæ eadem expositio a S. Anselmo pariter adducitur.

10. — S. Paschasius hoc loco ingeniosam quamdam habet considerationem. Dicit enim, quod Redemptor noster miraculum istud quod operatus erat, in conceptu et opinione patris diminuere volens, filiam ejus dormire dixerit, licet vere mortua esset : « Ad Christi gloriam pertinuit « singularem, quod defunctam dixerit dormiantem, ut admirabilium facta virtutum parentibus « monstraturus, minus se donare pronuntiet, quam « donabat. »

11. — Chrysostomus, *Hom.* XI *in Matth.*, somni hujus mysterium declarat, dum ait : « Ostendens « quasi a somno facile sibi esse mortuos suscitare, » ut patet in Lazaro, qui cum morte extinctus esset; de illo tamen Apostolis suis dixit, *Joan.*, XI, 11 : *Lazarus amicus noster dormit.* « His etiam docet « non esse timendam mortem, nequaquam enim « esse mortem, cum ad conditionem somni redacta « sit. »

12. — Filia hæc etiamnum ætatem agebat innocentem, ideoque illam in gratiam mortuam esse, facile credere possumus; mors autem justorum, in pluribus Sacræ Scripturæ locis, dicitur somnus, *Psal.* CXXV, 2 : *Cum dederit dilectis suis somnum; ecce hæreditas Domini.* de S. Stephano, qui cœlum apertum Deique Filium ut gloriosum ejus certamen remuneraret, coronam sibi deferentem, et in occursum ejus venientem conspexit, dicitur : *Obdormivit in Domino;* neque S. Lucas martyrium ejus describens, ullam mortis facit mentionem. S. Bernardus prædicta Psalmistæ verba : *Cum dederit dilectis suis somnum*, examinando, sequentia Jobi, V, 19, verba citat : *In sex tribulationibus liberavit te, et in septima non tanget te malum;* quorum verborum hunc dicit esse sensum : « Veniet quidem « mors, ipsa enim est septima tribulatio, sed som- « nus erit electis Domini; et ecce hereditas ejus. » Constat quoque, quod Ecclesia mater nostra, filiis suis, tunc pridem somnum et quietem annuntiet, dum ex hac in aliam vitam transeunt, tunc enim et non ante iis dicit : « Requiescant in pace; « mors enim est quoddam laborum in hac vita toleratorum refrigerium. S. Joannes Chrysostomus, *Hom.* XXXII *in Matth.*, magnam notat mortem inter, quæ ante Christi adventum sustinebatur, ab ea, quæ, postquam cœli aperti sunt, ab hominibus sustinetur, differentiam : « Mors, » ait, « ante Christi adven- « tum terribilis erat, nunc autem contemptibilis, « ita ut, quam formidabant illi virtute clari, et tanta « erga Deum virtute freti, nunc derideant et ju- « venes et teneræ virgines : » cujus hanc convincentem, Christique verbis conformem rationem reddit : « Nihil enim mors est ultra quam somnus; » unde et David dilectorum, Deoque charorum mortem, nominat somnum, dicens : *Cum dederit dilectis suis somnum;* hereditas etiam filiorum dicitur : *Ecce hereditas Domini filii merces;* item dilectio et amor assimilatur morti, *Cant.*, VIII, 6 : *Fortis est ut mors dilectio;* neque mirum, dilectio enim et amor Dei in aliquam animam non modo non remittit aut aboletur superveniente morte, sed magis solidatur, dum ex tunc anima Deo uniri incipit : *Quando veniam et apparebo ante faciem Dei? Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est.* S. Augustinus, *Medit.*, XVII, dicit : « Cum in cæteris rebus im- « patientia soleat culpari, in expectatione tantæ « promissionis, laudabilis est vehemens impatien- « tia dilationis. » De Samsone in libro Judicum traditur, quod vice quadam leonem adorsus, eum generoso nisu membratim discerpserit, in cujus faucibus postea redux sapissimi reperit mellis favum, unde occasionem sumpsit, hocce proponendi emblema : *De comedente exivit cibus, et de forti egressa est dulcedo. Omnia in figura contingebant illis.* Leo igitur sævus et horribilis mors est : *Salva me ex ore leonis, ne quando rapiat ut leo animam meam.* Natura nostra, cum de morte agitur, timet et horret, non aliter ac viator ad horribilis invasus feræ; at qui illam victoriose triumphat, in faucibus ejus mel reperiet, id est, de ea, velut de optatissimo lætabitur somno ille scilicet, qui verum habebit spiritum, et bene cum Deo stare salaget. *Irruit Spiritus Domini in Samson et dilaceravit leonem.* Quam sollicite post laborem optatur quies et tranquillitas, portus post tempestatum furias! sed notandum, quod S. Ambrosius de morte tradit : « Portus quidem est eorum, qui magno istius vitæ « jactati salo, fide quietis stationem requirunt. » S. Basilius post intentatam sibi a Modesto mortem, eo quod impiis Imperatoris edictis consentire nollet animose respondit : « Mors beneficii loco mihi erit, « citius enim me ad Deum transmittet, cui vivo. » Sed opportunior proposito nostro deservit Reginaldus Polus, Catholicæ religionis in Anglia basis et fundamentum; cum enim occisori suo quinquaginta quinque millia scutorum aureorum promissa esse, audisset, respondit : « Jam salur sum vitæ, qui « mihi eam ademerit, hoc præstabit officii, quod « illi, qui dormitum ire cupienti vestes detrahit. »

Additiones.

a. — *Non est mortua puella sed dormit.* Hic ponderandum est illud quod ingeniose notavit Origenes, *lib.* II *contra Celsum* : « Quod mortuos excitaverit « Christus perpaucos, id expresserunt Evangelistæ : « Archisynagogi, scilicet, filiam, de qua nescio quo- « modo dixerit Jesus : *Non est mortua puella sed* « *dormit;* et unicum viduæ filium et Lazarum illum « quatriduanum; et id dixerim, ut enim Elisæi « Prophetæ diebus, etsi erant multi leprosi, ex his « tamen nemo mundatus est, nisi Naaman Syrus, « sic et mortui erant in tempore Jesu multi, sed « illi sunt a mortuis excitati, quos Deus verbum ad « resurgendum aptiores cognovit. » Sed quinam isti? Profecto non alii quam casti et innupti, sicuti hi tres fuerunt. Hi enim casto et virgineo corpore viventes, aptiores invenienbantur ut mortem fugarent et vita viverent.

b. — Charissima erat filia patri, nam lenella erat, annorum duodecim, unica in domo patris; quam ut expirasse vidit pater, festinus cucurrit ad Dominum, pro resuscitatione filiæ deprecans; quam Dominus, non mortuam, sed dormientem asseruit, quamque paulo post, remota turba, a mortuis suscitat. Contraria plane sunt sibi ista. Num vera mors unicæ filiæ, fascinum est patri? Itane amor filiorum infatuat parentes, ut dormientes credant, et dicant defunctos? Mortua puella mortuum designat peccatorem : *Nam qui in deliciis est*, ait Apostolus, I *Tim.*, V, *vivens mortuus est;* quasi dicat, vivens non vivit; sed vitam corporis obivit, animæ morte,

Idonee S. Bernardus, *Serm.* XLVIII *in Cant.*, ait : « Vita in peccatorum deliciis agens, est mors et « umbra mortis. Quantum enim umbra est corporis « cujus est umbra, tantum pro certo vita illa inferno « appropinquat. » Heu infernalis gehenna, velut umbra peccatoris et peccati est! Quocumque se verterit peccator, infernum velut umbram circumfert. Peccatum enim non solum inferno simile, sed ob malam conscientiam illo deterius est.

VERSUS 25.

Et deridebant eum; et cum ejecta esset turba, intravit, et tenuit manum ejus, et surrexit puella.

Et deridebant eum.

1. — Lyranus hunc cachinnum ex deceptione ortum fuisse credit, cui intricabantur, putantes Christum vere existimare, filiam adhuc vivere et dormire : « *Deridebant,* » ait, « credentes, quod « loqueretur ex ignorantia, quia sciebant eam mor- « tuam, » unde S. Lucas subdit : *Deridebant eum, scientes quod mortua esset;* et S. Marcus ait : *Ingressus, ait illis : Quid turbamini et ploratis? puella non est mortua, sed dormit.* Toletus horum non admiratur subsannationes, quia *animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus*; nullum de Christi sanctitate conceptum formarunt, quasi eam resuscitare posset. « Non intelligentes, » ait, « futuræ jam- « jam resurrectionis mysterium, deriserunt Chris- « tum, quasi negaret omnino mortem puellæ; « homines enim fidei lumine destituti, sua virtute « Christi virtutem ac potentiam mensurabant, nec « eum suscitare illam posse credebant. » Hic autem derisus ad majorem postea cessit miraculi gloriam; videntes enim resuscitasse, quam certo sciverant obiisse, amplius postmodum Salvatorem glorificarunt.

2. — S. Hilarius, *cap.* XI *in Matth.*, inquit : « Irridetur a primis, nunquam enim illi Deum in « homine credidernnt; » qui Auctor per Principis ædes, Synagogam et Hebraismum intelligit, Christo illudentem : « Quin etiam prædicari resurrectionem « riserunt. » Interlinearis ait : « Quid faciunt « Judæi, assensum dare nolentes veritati. » Hugo Cardinalis dicit : « Sic sæculares contemnunt Præ- « dicatores. » Hicque perversorum mos est, bonis scilicet et timoratis illudere, qua de re celebre illud exstat Sapientiæ, V, 3, testimonium : *Hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum et in similitudinem improperii, nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam.* Job, XII, 4, dicit : *Qui deridetur ab amico suo sicut ego, invocabit Deum et exaudiet eum; deridetur enim justi simplicitas,* non obstante, quod teste Deo, in universo mundo non reperiretur alter, qui Jobo similis esset in sanctitate; de qua injuria idem Propheta alibi quoque, *cap.* XXXI, 1, conqueritur, dicens : *Derident me juniores.* Ipsemet S. David, *vir secundum cor Dei,* de se ipso testatur, *Psal.* XXI, 7 : *Opprobrium hominum et abjectio plebis; omnes videntes me deriserunt me, locuti sunt labiis, et moverunt caput.* Idem alio loco, *Psal.* XLIII, 14, in persona eorum, qui in divinorum præceptorum observantia exactiores erant, ita disseril : *Posuisti nos opprobrium vicinis nostris, subsannationem et derisum his, qui sunt in circuitu nostro.* Jeremias, XX, 7, pariter ait : *Factus sum in derisum tota die; omnes subsannant me.* De Tobia quoque, II, 15, asseritur : *Sicut beato Job insultabant reges, ita isti, parentes et cognati ejus irridebant viam ejus.* Si quis ergo est nostrum, qui ob proprium sui Dei aut Christi characterem illuditur, audiat, quod S. Petrus, I *Epist.*, IV, 16, suadet : *Ut Christianus non erubescat,* sed potius juxta consilium Apostoli, *Heb.*, XIII, 13 : *Exeamus ad eum extra castra, improperium portantes,* scilicet Christi, qui per præsentem clementiæ et patientiæ actum suos voluit præmunire Apostolos, de quibus S. Paulus, I *Cor.*, IV, 13, dicit : *Omnium peripsema. Joan.*, XV, 19 : *Si de mundo fuissetis, mundus, quod suum erat, diligeret; quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea vos odit mundus.* Incognitus, hodie Michael de Bononia, super illa Psalmi XLIII, 16, verba : *Tota die verecundia contra me est,* ita discurrit : « Verecundia gravis « erat contra sanctos, vel coram sanctis, id est, « ante oculos sanctorum, quando quos impios « sciebant, sibi insultare videbant; vel dicit : *Contra « me est,* id est, contra hoc quod boni erant, quia « ideo persequebantur, quia fideles. »

3. — S. Bernardus in quodam sermonum suorum, Christiani nominis et professionis debitum declarans, inquit : « A Christo dicti estis Christiani : « nonne ea via, qua Christus ambulavit, et vos « debetis ambulare? » Hi homines de fæce plebis ad intonandum conducti erant : *Tibicines et turbam tumultuantem;* nihilominus tantæ fuere audaciæ, tamque perfrictæ frontis, ut Deum Majestatis irriserint, *quem adorant Dominationes, tremunt Potestates.* Hugo Cardinalis inquit : « Licet Dominus « deridetur, non destitit a proposito. » David ex pietatis et devotionis instinctu ante arcam saltans, a regina conjuge sua, cum verbis improperii illusus fuit; at ille : *Ludam,* inquit, *et vilior fiam plus quam factus sum, et ero humilis in oculis meis.* Chrysostomus, *Hom.* XXXI *in Matth.*, Salvatoris insolentes hos inverecundos minime objurgantis virtutem admiratus ait : « Non moleste ferebat, nec « increpavit irridentes. » Ex quo Christi facto Didacus Stella sequens nobis documentum elicit : « Discamus hinc non ægre ferre, si ab aliquibus « irridemur, nam Christus patienter se habuit cum « istis derisoribus, et nihil eis respondit, sed tacens « transivit, et fecit, quod facturus venerat : hoc « faciamus, si volumus esse Christi discipuli; etenim « qui se dicit in Christo manere, debet sicut « ambulavit ambulare. »

4. — Notandum quoque derisores hosce non viles modo personas, sed et perditæ salutis hominum fuisse figuras, quos Filius Dei a se elongari jubet, dicens : *Recedite; recedentes autem a te, in terra scribentur.* Hosce S. Matthæus turbam tumultuantem vocat, ut sciamus derisores nostros personas esse non sapientes et timoratas, sed dissolutas, divino lumine destitutas, perque viam malam gradientes : quo fine audire placeat illud S. Augustini, *Epist.* CLIV : « Necesse est, ut aliter quam « oportet, humana æstimet, qui divina contem- « nit. » Non juxta derisorum, sed prudentum æstimationem agendum est, si per locum, plenum claudis hominibus, nos proficisci contingeret, utique videntes nos illæso gradi vestigio, ridebunt nos, sed quid inde, an non flocci subsannationes eorum faceremus? Nobis certo constat illos, qui actus humilitatis, contemptus sui ipsius et mortificationis derident, tales esse, qui pleno cursu ad infernale præcipitium accelerant : at vero malum nostrum est, quod illos non solum non fugiamus, sed etiam nos ab iis seduci sinamus, præcipitando et nos eorum exemplo, atque a via recta turpiter deviando.

5. — Audite, cujus genii illi fuerint, qui Davidem deridebant : *Qui retribuunt,* inquit, *Psal.* XXXVII, 21, *mala pro bonis, detrahebant mihi, quoniam sequebar bonitatem;* quod tamen minime admirandum esse dicit Chrysostomus, *Hom.* LXXI *in Gen.* : « Semper enim contra virtutem insanivit « malitia, » et ideo eorum detractiones et contumeliæ flocci faciendæ sunt, ad ejusdem Davidis exemplum, qui a Michol subsannatus et reprehensus, ejus derisionem non modo nihil fecit, sed et sacrilegam generoso responso repulit, ut proinde interpres quidam hoc Davidis factum perpendens, bene dixerit : « Non erubuit David fœmineas opi- « niones. » Sapiens ad id, quod de claudis, gressu recto ambulantes ridentibus, diximus, duobus in locis alludit; primo enim dicit, *Prov.*, XIV, 2 : *Ambulas recto itinere et timens Deum, despicitur ab eo, qui infami graditur via;* alibi vero *Prov.*, XXIX, 27, ait : *Abominantur impii eos, qui in recta via sunt.*

Et cum ejecta esset turba.

6. — Theophylactus in Matthæum ideo multitudinem a Christo ejectam esse dicit, ut ostenderet, se miraculi ostentationem ipsis præsentibus non quærere : « Ejecit autem foras omnes, fortasse « docens nos, carere inanis gloriæ studio et nihil « ad ostentationem facere. » Lyranus eos indignos fuisse dicit, qui tanti essent miraculi spectatores : « Ex quo enim erant increduli, non erant digni « videre miraculum, quia scriptum est supra; « *Nolite sanctum dare canibus;* » idem S. Hieronymus diu ante his verbis docuit : « Non erant digni « videre mysterium resurgentis, qui resuscitantem « indignis contumeliis deridebant. »

7. — S. Bonaventura, *Serm.* II *in hac Dom.*, hæc verba intelligit de turba malæ societatis, quæ sepæ salutem impedit, sive ut S. Thomas ait : « Tibicines « sunt, qui fovent in peccato : *Laudatur peccator in « desideriis animæ suæ, et iniquus benedicitur;* » nam anima, ut in sordibus iniquitatum suarum perseveret, contagium tenacius habere nequit, quam malorum aliorum exemplum, et malorum sodalium persuasiones, de quibus S. Augustinus lamentabatur, dicens : « O nimis inimica amicitia! » et Sapiens, *Prov.*, I, 10 : *Si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis;* nam licet ad hujusmodi familiaritatem te vel inclinet genius proprius, vel natalium vel professionis eorumdem studiorum, aut talentorum naturalium, aliarumque similium qualitatum similitudo, nihilominus si ejusmodi amicos, et quæ ab iis ad prava offeruntur inescationes, salutis animæ tuæ inimicos, honestisque moribus contrarios esse cognoveris exemplo Christi libere ei dic : *Recedite;* secus enim anima ad gratiæ vitam nunquam resurget; unde Christus, *Matth.*, V, 30, ait : *Si dextera manus tua scandalizat te, abscinde eam et projice abs te, expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum,* quasi diceret : Tametsi talis amicus, haud secus ac dextera manus, necessarius tibi esset, resecandus tamen et projiciendus tibi est, si periculum fuerit, ut totum corpus inficiatur.

8. — Beda, *Hom. in Ev.*, ait : « Foras tamen eji- « citur, ut puella suscitetur, quia si non prius a « secretioribus cordis expellitur importuna sæcula- « rium multitudo curarum, anima, quæ intrinsecus « jacet mortua, non resurget; » cui perfecte consonant illa S. Thomæ verba dicentis : « Ad hoc ut « anima suscitetur, oportet quod turba cogitatio- « num expellatur, et tunc intrat Dominus. »

Intravit.

9. — S. Marcus dicit : *Ejectis omnibus, assumit patrem et matrem puellæ, et qui secum erant, et ingreditur, ubi puella erat jacens;* S. Lucas vero ait : *Non permisit intrare secum quemquam, nisi Petrum, et Jacobum, et Joannem, et patrem et matrem puellæ;* cujus rei mysterium Salmeron declarat, dicens : « Ut « instruerent ministros Evangelicos, ne ad fœminas, « præsertim adolescentes intrent, nisi adsint earum « propinqui, ne ulla scandali occasio cuipiam data « esse videatur. » Sed inquies, ex quo ad filiæ cadaver ingrediebantur, ut quid hac diligentia opus erat? erat omnino, licet enim mortua esset, nondum tamen in cineres resoluta erat, ideoque etiamnum effigies ejus supererat; præterquam quod jam jam in vitam revocanda esset, nempe docere nos voluit, quanami iis, quibus cum hoc sexu necessarium est commercium, circumspectione opus sit.

10. — Theophylactus, *in Lucam*, specialem rationem reddit cur Christus præcipue tres hosce discipulos ad prodigium istud admiserit : « Admi« sit, » inquit, « ut discipulorum præcipuos et « taciturnos, nolebat enim hoc miraculum ante « tempus revelare multis. »

11. — Paulus de Palatio ex hisce verbis occasionem sumit, ut Pastores Ecclesiasticos moneat, ut, si Ecclesiarum suarum salutem desiderent, quid facto opus sit, a Christo ediscant : « Si ex animo, » inquit, « vestras Ecclesias sanare concupiscitis, en « habetis salutis sarcicendæ formulam, primum reji« cite turbam, id est, ne ad clerum vestrum homi« nes quosvis vulgares assumitis, manus nemini « cito imponatis, perditionis Ecclesiasticæ radix « fuit, quod de media turba viri acciti et admissi « sunt in Ecclesiam; » pergit sequentibus verbis ultra docere, illos tantum admittendos esse, qui Petro in fide, in laborum tolerantia S. Jacobo, Joanni vero in ardenti erga proximos dilectione similes existunt : « Adscisciteetiam patrem et ma« trem, id est, auctoritate utimini ecclesiastica et « sæculari; tibicines expellite, illos videlicet, qui « honores, delicias et cupiditatem docent et quæ« runt; hi sunt, qui fraternitatem charitatis con« temnunt, amorem charitatis non curant, vitæ « asperitatem refugiunt, injuriarum ultiones requi« runt. »

12. — S. Bonaventura, *Serm. II in hac Dom.*, ad verbum *intravit se* reflectens, in sensu spirituali ita scribit : « Cum enim homo magnitudinem sup« pliciorum et præmiorum æternorum pensando, « de salute animæ suæ efficaciter cogitat, tunc Jesus « qui interpretatur salus, domum mentis per gra« tiam invenientem intrat. »

Et tenuit manum ejus.

13. — S. Hieronymus per hanc filiam, in sensu mystico Synagogam intelligens, ait : « Nisi prius « manus Judæorum, quæ sanguine plenæ sunt, « mandatæ sint a morte, Synagoga eorum mortua « non resurget. »

14. — S. Bonaventura quatuor, quæ in hoc miraculo contigere, considerat, quæ omnia animæ in peccato mortuæ resuscitationi spiritualiter adaptat. « In his, » inquit, « verbis quatuor consideranda « occurrunt : turba ejicitur, Jesus ingreditur, ma« nus puellæ tenetur, surgere jubetur. Significan« tur in his quatuor necessaria ad salutem, scilicet « ut impedimentum salutis evitetur, ut efficaciter « de salute cogitetur, ut voluntas per gratiam ad « salutem adjuvetur, ut a peccato anima ad salutem « justificetur. »

15. — S. Thomas, in Matthæum scribens, huic miraculo illa Psalmistæ verba, *Psal.* cxvii, 16, 17, adaptat : *Dextera Domini fecit virtutem, non moriar, sed vivam et narrabo opera Domini; castigans castigavit me Dominus et morti non tradidit me*; qua vero in re, hæc manuum Christi super nos per peccatum mortuos extensio specialius consistat, in his verbis docet : « Tenet manum peccatoris, quando adjuto« rium ei præbet, » id quod S. Antonius Paduanus significantius exprimit, dicens : « Manum manu « tenet, cum misericordia sua dat velle, nosse et « posse. »

16. — Memorandum est hic quod Christus leproso dicenti : *Si vis, potes me mundare*, petitam gratiam his verbis impertierit : *Volo, mundare*, ubi S. Ambrosius ait : « Illud mirabile, quod eo sanavit « genere, quo fuerat obsecratus, quia voluntatem « timentium se faciet, » ac proinde quia Pater hujus defunctæ filiæ a Christo petierat : *Veni, impone manum tuam super eam et vivet*, idipsum subito adimplevit, quia *tenuit manum ejus et surrexit*, unde Salmeron ait : « Juxta patris fidem id fecit, imo « tenuit, plus est quam imponere manum, quia « semper dat plus quam petimus. »

17. — S. Bonaventura moralitatem valde utilem adducit ad eos, qui ad pœnitentiam reducuntur, in gratia confirmandos : « Sicut enim Jesus intrat « domum per gratiam prævenientem, ita tenet « manum per gratiam subsequentem, manum « utramque Dominus tenet, dum efficaciter bene « operandi virtutem præbet; quomodo enim homo « surgeret, aut quid boni ageret, nisi sic Dominus « manum teneret? » nam S. Augustinus ait : « Sine « Deo operante, ut velimus, sine cooperante, ut « possimus, ad pietatis opera nihil valemus. »

18. — Notandum est, quod quia Salvator, de mortua hac, velut dormiente loquebatur : *Non est mortua puella, sed dormit*; ad dormientem vero excitandum, manus imponi solet, ideo ut eam in pedes erigeret et ambulare faceret, manum ei in adjutorium porrexit : *Confirmasti super me manum tuam. Psal.* xxxvii, 3.

19. — Albertus Magnus, *in Luc.*, ait : *Manum imposuit*, ut significaret, se sublevare per adjutorium divinæ virtutis et influere vitam per contactum suæ vivificæ carnis; Lyranus pariter ait : « Per « tactum enim curabat, ut ostenderet, quod illa « humanitas erat instrumentum divinitatis miracula « facientis. »

20. — Euthymius, in S. Marcum scribens, ait : « Ut manus Christi corpus illud disponeret, sicut « vox quæ sequitur, animam, quæ discesserat, « revocabat. » Addit S. Marcus Christum in resuscitatione hæc quoque verba adhibuisse : *Puella, dico tibi, surge.*

21. — Paulus de Palatio inquit : « Tenet manum « ejus, quia non sunt homines relinquendi, ut « agant, quæ volunt; cohibenda est nostra manus. « Plane cum Dominus immittit nobis languores, « pauperiem et alias vitæ miserias, manum nos« tram tenet. »

22. — *Justus ex fide vivit*, juxta Apostolum, *Rom.*, I, 17; at non sufficit hæc sine operatione, quia *fides sine operibus mortua est*; ideoque Christus, postquam puella, media fide et notitia sui, vivificata esset, *tenuit manum ejus*, docens nos in ea, ut, si in vita perseverare velimus, exercitia bonorum operum frequentare debeamus.

23. — Jehu ex Dei jussu accinctus itineri ad domum Achab extirpandam, Jonadab sibi obvium, quas partes sustineret, interrogat, dicens : *Numquid est cor tuum rectum, sicut cor meum cum corde tuo?* quo affirmative respondente, subjungit Jehu : *Da manum tuam; qui dedit ei manum suam*, qua Jehu apprehensa Jonadab in cursum suum sublevavit; ita et nos si cum Christo in cœlum scandere speramus, si fideles nos profitemur, ecce signum : *Da manum tuam*; idipsum opera tua doceant. S. Gregorius super illa Jobi, XIII, 14, verba : *Animam portabo in manibus meis*, ita scribit : « Animam in « manibus portare est intentionem cordis in ope« ratione ostendere. »

Et surrexit.

24. — Amplius scribit S. Marcus, scilicet : *Et ambulabat*, unde Beda in hujus Dominicæ homilia sequens eruit dogma : « Quemcumque enim pecca« tis mortuum supernæ manus miserationis resus« citaturæ tetigerit, non solum a sordibus et veterno « scelerum exurgere, sed et in bonis continuo debet « perficere operibus. »

25. — Ex SS. porro Marco et Luca notandum est, Christum non modo, ut rediviva ambularet, sed ut ei ad manducandum daretur, effecisse, eamque manu apprehensa, allocutum fuisse, id quod minime in aliorum resuscitatione contigisse legimus : « Sig« nificatur spiritualiter, » inquit Toletus, « eum, « qui per gratiam a peccato liberatus est, continuo « surgere debere, *et confestim surrexit*, ait S. Mar« cus, deposita veteri consuetudine et remota anti« qua occasione peccandi, ac ambulare, bonis ope« ribus incumbendo, ne gratiam in vanum accipiens « eam facile perdat. »

26. — S. Lucas tradit : *Et jussit illi dari manducare*, id quod et in S. Marco legimus, ut nos vitam spiritualem nullo melius quam frequenti panis cœlestis usu foveri discamus, de quo dicitur : *Panem Angelorum manducavit homo*, vel ut alia versio habet : *Panem juvenum*; quia vel maxime ætati juvenili competit, concupiscentiæ fervores reprimere per *vinum germinans virgines*. Euthymius inquit : « Eadem de causa Christum non dedisse illi « manducare sed jussisse parentibus, ut darent : « spiritualiter significatur frequentia Sacramenti « Eucharistiæ amplectenda ab eo, qui justificatus « jam bonis operibus intendit; per illam non solum « gratia augetur, sed robur ad tentationes supe« randas, difficilia opera efficienda adjicitur. » Beda supra Lucam idem documentum suggerit, dicens : « Si quis a spirituali morte resurrexit, cœlesti « necesse est ut mox pane satietur, et divini scilicet « verbi et sacrosancti altaris particeps effectus. »

27. — Sed dices forte, quare anima a corpore separata subito, sine mora Deo obedit, unita vero, sæpius voci ejus rebellat, surda, inque divinis præceptis et consiliis adimplendis obstinate negligens manet? Ad hoc aliud responderi nequit, quam quod lutum hoc, quod identidem nobiscum circumferimus, hujus mali origo sit et fomentum, *Sap.*, IX, 15 : *Corpus enim quod corrumpitur aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem*; corpus inescat animam suisque eam retrahit appetitibus.

28. — Glossa ait : « Moraliter puella significat « peccati delectationem, adhuc corde tectam, non« dum opere perpetratam, cujus facilem correctio« nem Dominus ostendit, dicendo : *Puella, surge*; « nam in aliis duobus, quos suscitavit, aliquam « videtur fecisse moram, vel in dicendo, vel in « exspectando. » Hanc denique filiam resuscitatam Christus reliquis benignius habuit, quia scilicet animam figurabat, potius ex fragilitate quam ex malitia delinquentem; tales enim facilius in resurgendo tentationibusque vincendis adjutricem sentiunt manum potentem Dei; absque his duo requirit Christus, scilicet ut eant, id est, non otio et pigritia torpeant, sed bonis operibus incumbant, et comedant panem Eucharisticum : *Panis cor hominis confirmat*. Idem et Jansenius ponderat, sed ad teneram puellæ ætatem recentem mortem et presentem adhuc intra ædes paternas subsistentiam reflectens; unde ait : « Significatur anima, quæ in principio « vitæ spiritualis, per imbecillitatem prolapsa est « in crimen aliquod occultum, quæ quoniam non« dum perfricuit frontem et necdum assuetudine « colligit habitum, facile sanari et resuscitari potest, « maxime si pro ejus salute et vita Princeps solici« tus sit, hoc est, Pastor Ecclesiæ, anima hujus « spiritualis pater. »

Additiones.

a. — *Et cum ejecta esset turba, intravit.* Non intravit nisi post ejectam turbam, quia Deus in cordis nostri possessione nullum vult admittere consortem. Quodnam obsecro in eo latet mysterium, quod Salvator noster innocentissimam quidem carnem suam sibi dilacerari et vulnerari permiserit, nec tamen tunicam seu vestem inconsutilem dividi pati voluerit? Num forte ideo id factum est, quia tunica hæc opus manuum sanctissimæ Matris suæ fuit? Sed et corpus Christi e virgineo Matris suæ sanguine conditum fuit. Aut vero factum est ideo quia vestis illa unitatem Ecclesiæ suæ præfigurabat prouti in apparitione S. Petro Alexandrino facta ostendit? *Omnia in figura contingebant.* Omnia

hæc bene quidem dicuntur et aptissime; verumtamen Idiota per vestem hanc charitatem, seu amorem divinum intelligit, qui divisionem minime admittit : « Designantur per tuam tunicam inconsutilem, quæ nec scissa fuit, nec divisa, quia « amor, neque dividi debet, nèque scindi, et qui « eam dividunt, vel scindunt, pejores videntur, « quam milites te crucifigentes, qui tuam tunicam « dividere noluerunt. »

b. — Cor sedes est amoris, non igitur illud ingreditur Christus, nisi prius exterminata turba, quia scilicet nequeunt simul stare amor Dei et mundi. S. Joannes Apostolus, I *Epist.*, II, 15, sic ait : *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo.* S. Augustinus hoc S. Joannis, divino amore præ cunctis aliis ferventissime ardentis, monitum ponderans, cavendum esse dicit : « Ne quis dicat in « corde suo : Falsum hoc est; » quasi dicat : Nemo se doctrinæ dilecti hujus discipuli opponat, nam Deus est qui in verbis illis loquitur, Spiritus Sanctus per os et calamum Joannis nos erudit; ac proinde S. Doctor concludit : « Nihil verius. » At vero dices fortasse, quonam modo Apostolus a nobis aversionem mundi exigit, cum tamen mundus a Deo creatus fuerit? *Mundus per ipsum factus est*, inquit, in Evangelii sui exordio; idem Apostolus S. Paulus quoque ad Timotheum ait : *Omnis creatura Dei bona est*; et ad Romanos scribit, quod bona hæc terrena nobis velut scala quædam ad invisibilia agnoscenda et amore prosequenda deserviant. Hugo Cardinalis dubium hoc quoque movet, et solvit dum ait : « Quid est hoc? Nonne mundus potest « diligi? » Adducitque pro responsione distinctionem quamdam bene advertendam. « Diligere, » inquit, « est de diversis eligere. Unde ibi prohibetur « amor creaturarum super Deum, et non sub Deo. » S. Augustinus S. Joannem dicere velle existimat, quod illi qui per affectum suum in bonis terrenis se immerguntur, « inebriantur et pereunt et oblivis- « cuntur Creatorem suum; dum non temperanter, « sed cupide utuntur creaturis, Creator contem- « nitur. »

c. — *Introvit et surrexit puella.* Sicut ad introitum animæ in corpus, vivificatur corpus, ita ad introitum Dei in animam peccatoris vivificatur anima : *Deus est anima animæ nostræ*, quæ proinde moritur, dum Deum amittit, id quod per peccatum contingit, utpote quod lethiferum illius vulnus et venenum est. Audite S. Ambrosium dicentem : « Deponamus venenum pessimum, hoc est ira- « cundiam, odium, invidiam, falsitatem, iniquita- « tem, avaritiam, cupiditatem, superbiam, sacrile- « gium, furtum, luxuriam, falsum testimonium, « discordiam, perjurium : hæc sunt animarum « venena. » Quantum obsecro unusquisque nostrum vulnera abhorret, quæ corpori nostro infliguntur? Ergone vulnera quæ animæ illata, illam sauciant et dilacerant sentiemus et minus cavebimus, cum tamen longe sint irremediabiliora, mortemque afferant non corporalem, sed spiritualem et æternam?

d. — His verbis : *Et surrexit puella*, non solum significat Evangelista ad vitam puellam fuisse revocatam, sed etiam viribus corporis esse dotatam, ita ut statim erecta sit. Quod clarius exprimit S. Marcus, dicens : *Et ambulavit.* In cujus puellæ resuscitatione hoc bene notandum est, quod cœlestis mortuorum suscitator Christus Deus, nequaquam tot cæremoniis usus sit, ut in resurrectione quatriduani Lazari, qui consuetudinarium peccatorem designabat; idque ex ea causa, quia puella erat, quod acutissime annotavit S. Antonius de Padua : « Puella, dixit, non veterana; anima enim quæ « nondum a diuturnitate malæ consuetudinis est « oppressa, sed quasi puella, novella in peccato est « sopita, de facili ad vitam potest resurgere. » Etenim si fuisset inveterata in peccato, majori cum difficultate eam resuscitasset, ob inveteratam peccati consuetudinem, quæ majores ad resurgendum difficultates parit.

Rupertus Abbas acute et fructuose considerat quæ inter Lazari cadaver et alia duo a Christo resuscitata, differentiæ intercedunt. Ait enim : « Peccator quivis jam pro mala consuetudine infa- « mis Lazaro comparatur quatriduano, jamque « fœtenti. Et quidem juvenis quoque, qui efferebatur per portam civitatis; puella etiam quam « adhuc in domo sua jacentem, idem Dominus « suscitavit, mortem significat animæ peccatricis; « sed in singulis figurantur peccatorum modi. « Puella namque mortua, in domo jacens, anima « est, quæ conscientia mali desiderii suffocata, « nondum tamen per operis consummationem est « publicata. Juvenis autem qui per portam civitatis « efferebatur, peccator est, qui desiderio malo « præventus, usque ad exteriores quoque pervenit « iniquitatis effectus. At vero, qui opera peccati « jam in consuetudinem vertit, famamque perdidit, « Lazaro, ut jam dictum est, similis est quatri- « duano, jamque fœtenti. » S. Thomas a Villanova similitudinem affert infirmitatis habitualis, difficulter curabilis : « Sicut qui ægritudinibus corpora- « libus, distemperatis humoribus ægrotat, perfacile « sanatur; qui autem corruptis omnino, et putridis « diuturna febre laborat, longo tempore et forti « medicamine vix curatur; ita in animæ ægritudi- « nibus omnino evenire solet. »

S. Propheta Jeremias difficultatem reducendi hominem, post malam consuetudinem, diuturno tempore in peccato contractam, ad virtuose operandum, apta quadam explicat similitudine inquiens, XIII, 13 : *Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas; et vos poteritis*

facere, cum didiceritis malum. Enimvero quantamcumque aquam habeat Oceanus, hæc tamen ad abstergendam ab Æthiope nigredinem minime sufficit; eodem modo, inquit Deus, per Prophetam suum, quantamcumque adhibeatis diligentiam, laborem et industriam, malum tamen habitum, per vitia et pravos mores vestros contractum, nonnisi cum summa difficultate eradicabitis. Nemini ignotum est illud S. Augustini, ante conversionem suam, in impudicitiæ turpitudinem prolapsi, lamentum : « Suspirabam, » inquit, « ligatus non « ferro alieno, sed mea ferrea voluntate. » S. Gregorius Magnus, super illa Jobi verba : *Si incluserit hominem, nullus est, qui aperiat*, in hæc verba scribit : « Sæpe nonnulli a pravis actibus exire « cupiunt, sed quia eorumdem actuum pondere « premuntur, in malæ consuetudinis carcere in- « clusi, a semetipsis exire non possunt. » Est enim mala consuetudo, velut catena quædam, quæ nostra nos destituit libertate, adigitque quo lubet.

Versus 26.

Et exiit fama hæc in universam terram illam.

1. — Lucas Brugensis ait : « Dimanavit fama « miraculi hujus in universam Galilæam; omnibus « certatim, magnaque contentione tantum miracu- « lum prædicantibus et divulgantibus, quantumvis « ipse occultari jussisset, » juxta S. Marcum; videlicet « sequitur gloria fugientes. » S. Lucas scribit : *Obstupuerunt parentes ejus*; S. Marcus vero dicit : *Obstupuerunt stupore magno.* Toletus causam impositi a Christo silentii, ne scilicet quidnam divulgaretur, popularis applausus fugam fuisse tradit, inquiens : « Donec ipse cum discipulis, turbam multam foris « exspectantem, reique exitum videre cupientem « declinaret, hominum plausum fugiens. »

DOMINICA VIGESIMA QUARTA POST PENTECOSTEN

EVANGELIUM MATTHÆI, CAP. XXIV, VERS. 15

15. Cum videritis abominationem desolationis, quæ dicta est a Daniele Propheta, stantem in loco sancto, qui legit, intelligat.

16. Tunc qui in Judæa sunt, fugiant ad montes.

17. Et qui in tecto, non descendat tollere aliquid de domo sua.

18. Et qui in agro, non revertatur tollere tunicam suam.

19. Væ autem prægnantibus et nutrientibus in illis diebus.

20. Orate autem, ne fiat fuga vestra in hieme vel sabbato.

21. Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi, usque modo, neque fiet.

22. Et nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro, sed propter electos breviabuntur dies illi.

23. Tunc si quis vobis dixerit : Ecce hic Christus aut illic, nolite credere.

24. Surgent enim pseudochristi et pseudoprophetæ, et dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.

25. Ecce prædixi vobis.

26. Si ergo dixerint vobis : Ecce in deserto est, nolite exire. Ecce in penetralibus, nolite credere.

27. Sicut enim fulgur exit ab oriente et paret usque in occidentem, ita erit et adventus Filii hominis.

28. Ubicumque fuerit corpus, illic congregabuntur et aquilæ.

29. Statim autem post tribulationem dierum illorum, sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, et stellæ cadent de cœlo et virtutes cœlorum commovebuntur.

30. Et tunc parebit signum Filii hominis in cœlo, et tunc plangent omnes tribus terræ, et videbunt Filium hominis, venientem in nubibus cœli cum virtute multa et majestate.

31. Et mittet Angelos suos cum tuba et voce magna, et congregabunt electos a quatuor ventis a summis cœlorum usque ad terminos eorum.

UNIVERSIDAD DE LEÓN · BIBLIOTECAS

hæc bene quidem dicuntur et aptissime; verumtamen Idiota per vestem hanc charitatem, seu amorem divinum intelligit, qui divisionem minime admittit : « Designantur per tuam tunicam inconsutilem, quæ nec scissa fuit, nec divisa, quia « amor, neque dividi debet, nèque scindi, et qui « eam dividunt, vel scindunt, pejores videntur, « quam milites te crucifigentes, qui tuam tunicam « dividere noluerunt. »

b. — Cor sedes est amoris, non igitur illud ingreditur Christus, nisi prius exterminata turba, quia scilicet nequeunt simul stare amor Dei et mundi. S. Joannes Apostolus, I *Epist.*, II, 15, sic ait : *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo.* S. Augustinus hoc S. Joannis, divino amore præ cunctis aliis ferventissime ardentis, monitum ponderans, cavendum esse dicit : « Ne quis dicat in « corde suo : Falsum hoc est; » quasi dicat : Nemo se doctrinæ dilecti hujus discipuli opponat, nam Deus est qui in verbis illis loquitur, Spiritus Sanctus per os et calamum Joannis nos erudit; ac proinde S. Doctor concludit : « Nihil verius. » At vero dices fortasse, quonam modo Apostolus a nobis aversionem mundi exigit, cum tamen mundus a Deo creatus fuerit? *Mundus per ipsum factus est*, inquit, in Evangelii sui exordio; idem Apostolus S. Paulus quoque ad Timotheum ait : *Omnis creatura Dei bona est*; et ad Romanos scribit, quod bona hæc terrena nobis velut scala quædam ad invisibilia agnoscenda et amore prosequenda deserviant. Hugo Cardinalis dubium hoc quoque movet, et solvit dum ait : « Quid est hoc? Nonne mundus potest « diligi? » Adducitque pro responsione distinctionem quamdam bene advertendam. « Diligere, » inquit, « est de diversis eligere. Unde ibi prohibetur « amor creaturarum super Deum, et non sub Deo. » S. Augustinus S. Joannem dicere velle existimat, quod illi qui per affectum suum in bonis terrenis se immerguntur, « inebriantur et pereunt et oblivis- « cuntur Creatorem suum; dum non temperanter, « sed cupide utuntur creaturis, Creator contem- « nitur. »

c. — *Introvit et surrexit puella.* Sicut ad introitum animæ in corpus, vivificatur corpus, ita ad introitum Dei in animam peccatoris vivificatur anima : *Deus est anima animæ nostræ*, quæ proinde moritur, dum Deum amittit, id quod per peccatum contingit, utpote quod lethiferum illius vulnus et venenum est. Audite S. Ambrosium dicentem : « Deponamus venenum pessimum, hoc est ira- « cundiam, odium, invidiam, falsitatem, iniquita- « tem, avaritiam, cupiditatem, superbiam, sacrile- « gium, furtum, luxuriam, falsum testimonium, « discordiam, perjurium : hæc sunt animarum « venena. » Quantum obsecro unusquisque nostrum vulnera abhorret, quæ corpori nostro infliguntur? Ergone vulnera quæ animæ illata, illam sauciant et dilacerant sentiemus et minus cavebimus, cum tamen longe sint irremediabiliora, mortemque afferant non corporalem, sed spiritualem et æternam?

d. — His verbis : *Et surrexit puella*, non solum significat Evangelista ad vitam puellam fuisse revocatam, sed etiam viribus corporis esse dotatam, ita ut statim erecta sit. Quod clarius exprimit S. Marcus, dicens : *Et ambulavit.* In cujus puellæ resuscitatione hoc bene notandum est, quod cœlestis mortuorum suscitator Christus Deus, nequaquam tot cæremoniis usus sit, ut in resurrectione quatriduani Lazari, qui consuetudinarium peccatorem designabat; idque ex ea causa, quia puella erat, quod acutissime annotavit S. Antonius de Padua : « Puella, dixit, non veterana; anima enim quæ « nondum a diuturnitate malæ consuetudinis est « oppressa, sed quasi puella, novella in peccato est « sopita, de facili ad vitam potest resurgere. » Etenim si fuisset inveterata in peccato, majori cum difficultate eam resuscitasset, ob inveteratam peccati consuetudinem, quæ majores ad resurgendum difficultates parit.

Rupertus Abbas acute et fructuose considerat quæ inter Lazari cadaver et alia duo a Christo resuscitata, differentiæ intercedunt. Ait enim : « Peccator quivis jam pro mala consuetudine infa- « mis Lazaro comparatur quatriduano, jamque « fœtenti. Et quidem juvenis quoque, qui efferebatur per portam civitatis; puella etiam quam « adhuc in domo sua jacentem, idem Dominus « suscitavit, mortem significat animæ peccatricis; « sed in singulis figurantur peccatorum modi. « Puella namque mortua, in domo jacens, anima « est, quæ conscientia mali desiderii suffocata, « nondum tamen per operis consummationem est « publicata. Juvenis autem qui per portam civitatis « efferebatur, peccator est, qui desiderio malo « præventus, usque ad exteriores quoque pervenit « iniquitatis effectus. At vero, qui opera peccati « jam in consuetudinem vertit, famamque perdidit, « Lazaro, ut jam dictum est, similis est quatri- « duano, jamque fœtenti. » S. Thomas a Villanova similitudinem affert infirmitatis habitualis, difficulter curabilis : « Sicut qui ægritudinibus corpora- « libus, distemperatis humoribus ægrotat, perfacile « sanatur; qui autem corruptis omnino, et putridis « diuturna febre laborat, longo tempore et forti « medicamine vix curatur; ita in animæ ægritudi- « nibus omnino evenire solet. »

S. Propheta Jeremias difficultatem reducendi hominem, post malam consuetudinem, diuturno tempore in peccato contractam, ad virtuose operandum, apta quadam explicat similitudine inquiens, XIII, 13 : *Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas; et vos poteritis*

facere, cum didiceritis malum. Enimvero quantamcumque aquam habeat Oceanus, hæc tamen ad abstergendam ab Æthiope nigredinem minime sufficit; eodem modo, inquit Deus, per Prophetam suum, quantamcumque adhibeatis diligentiam, laborem et industriam, malum tamen habitum, per vitia et pravos mores vestros contractum, nonnisi cum summa difficultate eradicabitis. Nemini ignotum est illud S. Augustini, ante conversionem suam, in impudicitiæ turpitudinem prolapsi, lamentum : « Suspirabam, » inquit, « ligatus non « ferro alieno, sed mea ferrea voluntate. » S. Gregorius Magnus, super illa Jobi verba : *Si incluserit hominem, nullus est, qui aperiat*, in hæc verba scribit : « Sæpe nonnulli a pravis actibus exire « cupiunt, sed quia eorumdem actuum pondere « premuntur, in malæ consuetudinis carcere in- « clusi, a semetipsis exire non possunt. » Est enim mala consuetudo, velut catena quædam, quæ nostra nos destituit libertate, adigitque quo lubet.

Versus 26.

Et exiit fama hæc in universam terram illam.

1. — Lucas Brugensis ait : « Dimanavit fama « miraculi hujus in universam Galilæam; omnibus « certatim, magnaque contentione tantum miracu- « lum prædicantibus et divulgantibus, quantumvis « ipse occultari jussisset, » juxta S. Marcum; videlicet « sequitur gloria fugientes. » S. Lucas scribit : *Obstupuerunt parentes ejus*; S. Marcus vero dicit : *Obstupuerunt stupore magno.* Toletus causam impositi a Christo silentii, ne scilicet quidnam divulgaretur, popularis applausus fugam fuisse tradit, inquiens : « Donec ipse cum discipulis, turbam multam foris « exspectantem, reique exitum videre cupientem « declinaret, hominum plausum fugiens. »

DOMINICA VIGESIMA QUARTA POST PENTECOSTEN

EVANGELIUM MATTHÆI, CAP. XXIV, VERS. 15

15. Cum videritis abominationem desolationis, quæ dicta est a Daniele Propheta, stantem in loco sancto, qui legit, intelligat.

16. Tunc qui in Judæa sunt, fugiant ad montes.

17. Et qui in tecto, non descendat tollere aliquid de domo sua.

18. Et qui in agro, non revertatur tollere tunicam suam.

19. Væ autem prægnantibus et nutrientibus in illis diebus.

20. Orate autem, ne fiat fuga vestra in hieme vel sabbato.

21. Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi, usque modo, neque fiet.

22. Et nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro, sed propter electos breviabuntur dies illi.

23. Tunc si quis vobis dixerit : Ecce hic Christus aut illic, nolite credere.

24. Surgent enim pseudochristi et pseudoprophetæ, et dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.

25. Ecce prædixi vobis.

26. Si ergo dixerint vobis : Ecce in deserto est, nolite exire. Ecce in penetralibus, nolite credere.

27. Sicut enim fulgur exit ab oriente et paret usque in occidentem, ita erit et adventus Filii hominis.

28. Ubicumque fuerit corpus, illic congregabuntur et aquilæ.

29. Statim autem post tribulationem dierum illorum, sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, et stellæ cadent de cœlo et virtutes cœlorum commovebuntur.

30. Et tunc parebit signum Filii hominis in cœlo, et tunc plangent omnes tribus terræ, et videbunt Filium hominis, venientem in nubibus cœli cum virtute multa et majestate.

31. Et mittet Angelos suos cum tuba et voce magna, et congregabunt electos a quatuor ventis a summis cœlorum usque ad terminos eorum.

UNIVERSIDAD DE LEÓN · BIBLIOTECAS

32. Ab arbore autem fici discite parabolam; cum jam ramus ejus tener fuerit et folia nata, scitis, quia prope est æstas.
33. Ita et vos cum videritis hæc omnia, scitote, quia prope est in januis.
34. Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia hæc fiant.
35. Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.

Versus 15.

Cum videritis abominationem desolationis, quæ dicta est a Daniele Propheta, stantem in loco sancto, qui legit intelligat.

Cum videritis abominationem.

1. — Juxta mentem Cajetani, in principio hujus capituli, quod est XXIV in S. Matthæo, Christus Jerosolymitanam prædixit destructionem et desolationem : *Accesserunt ad eum discipuli ejus, dicentes : Dic nobis, quando hæc erunt?* Ad hanc igitur interrogationem sequentibus Christus verbis respondet.

2. — S. Hieronymus, juxta Sacræ Scripturæ loquendi modum, idola olim in abominationem denominata fuisse considerans, censet, per hanc abominationem intelligi posse, a Pilato in templo erectam Cæsaris statuam : « Idcirco, » inquit, « additur *desolationis*, quod in desolato templo « atque destructo positum sit. » Lyranus hoc adimpletum fuisse credidit, quando Ælius Adrianus in loco, ubi Arca Testamenti locari solebat, suum statuit simulacrum. S. Thomas porro ita discurrit : « Per abominationes idola; Pilatus introduxit « aquilam in templo quod erat signum Romano- « rum, quod Judæi abominationem dicebant, unde « cum videritis idolum positum in loco sancto, « potestis cognoscere impletionem Prophetiæ Danie- « lis de destructione Jerosolymæ. » Glossa scribit : « Hoc dicitur de statua Adriani equestri, quæ in « ipso Sanctorum loco, longo tempore stetit. »

3. — Per hanc quoque in loco sacro abominationem, Ecclesiæ irreverentia intelligi potest, eo namque titulo ipsam Spiritus Sanctus in multis prophetiæ Ezechielis locis nuncupat, dicens, *Ezech.*, VIII, 7 : *Procul recedam a sanctuario meo*, hanc autem recessus sui causam subdit : *Vides tu, quid isti faciunt, abominationes magnas; ingredere et vide abominationes pessimas, quas isti faciunt.* Quando igitur omnis accumulata fuerit Ecclesiæ irreverentia, ubi omnis perierit domus Dei honor et respectus, tunc brevi desolabitur mundus, approximante Antichristo. Notandum est, discipulos post Christi a templo exitum, eum convenisse fabricam templi ipsi demonstraturos, *Matth.*, XIV, 1 : *Accesserunt discipuli ejus ut ostenderent ei ædificationem templi*; tunc igitur ait ad illos : *Non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruatur*; instantibus autem iis, ut tempus ediceret finis mundi, respondit : *Cum videritis abominationem stantem in loco sancto*; quasi dicere voluisset : Tunc severissima quæcumque divinæ justitiæ supplicia, qualia prius commemorat, obventura mundo, quando abominatio, id est, loci sacri irreverentia et profanatio regnare cœperit.

4. — Lyranus ait : « Abominatio stans in loco « sancto, est Prælatus malus in Ecclesia, » conformiter ad illum Zachariæ, XI, 17, textum : *O pastor et idolum*; pariter Albertus Magnus scribit : « Morali- « liter abominatio desolationis in templo, malus « Prælatus est in Ecclesia; » Beda etiam in sensu spirituali ita scribit : « Cum viderimus abominatio- « nem desolationis stare ubi non decet, hoc est, « hæreses et flagitia regnare inter eos, qui cœles- « tibus mysteriis videbantur esse consecrati. »

5. — S. Bonaventura, *Serm.* I *in hac Dom.*, abominationes diversas, in quarum pœnam, Deus indignationem suam effundet super nos, considerat, dicens : « Christiani sine fide, populus sine « dilectione, divites sine misericordia, juvenes sine « reverentia, pauperes sine humilitate, mulieres « sine verecundia, matrimonium sine continentia, « clerici sine honestate et sanctitate, religiosi sine « veritate, Prælati sine sollicitudine regiminis et « pietate. »

Desolationis, quæ dicta est, etc.

6. — S. Augustinus a Glossa citatus, destructionem in hisce verbis Jerosolymitanam designari existimat, dum in Lucam ita discurrit : « Lucas « quidem ut ostenderet, tunc factam fuisse abomi- « nationem desolationis, quæ a Daniele Propheta « prædicata est, quando expugnata est Jerusalem, « eodem loco hæc Domini verba commemorat : *Cum « videritis circumdari ab exercitu Jerusalem, tunc « scitote, quia appropinquavit desolatio ejus.* » Christum in titulo abominationis, Romanum intellexisse exercitum opinatur D. Chrysostomus, dicens : « Abo- « minationem desolationis videtur mihi, exercitum « dicere, quo scilicet desolata est civitas sancta. » Juxta S. Thomæ traditionem, Jerosolyma bis a Romanis exercitum passa est, scilicet a Tito et Vespasiano, quando et templum destructum fuit, tunc equidem Hebræorum nonnulli ad Jerusalem incolendam relicti sunt, at dum hic postea, Trajani successori, Adriano rebellarunt, tota civitas eversa fuit, edicto lato, ne vel unus inibi posthac habitaret Judæus. Porro causam, cur Romanorum exercitus abominatio nuncupetur, hanc Jansenius assignat :

« Quod alienigenæ essent et idololatræ, paratique « signa militaria, imaginibus Cæsaris et aquilæ « insignita, inferre civitati Jerusalem, abominabiles « erant ipsis Judæis; erantque illis abominatio « desolationis. »

7. — Auctor Imperfecti verba illa de Antichristi adventu intelligens, ait, *Hom.* XLIX : « In fine mundi « et in Antichristo intelligendum est spiritualiter, « quando et hæreses, et fames, et pestilentiæ, et illa « omnia ante præcesserunt. » Ejusdem et Theophylactus opinionis est, dicens : « Quidam Antichristum « existimant, eo quod vastaturus mundum subver- « surus sit Ecclesias, ac sessurus in templo. » S. Hieronymus hunc Danielis adducit textum : *Et in dimidio hebdomadis auferetur sacrificium et libamina, et in templo abominatio desolationum erit*; sequenti pariter Apostoli auctoritate usus, subjungit : « De « hoc et Apostolus loquitur, quod homo iniquitatis « et adversarius elevandus sit contra omne, quod « dicitur Deus et colitur, ita ut audeat stare in tem- « plo Dei et ostendere, quod ipse sit Deus. » In idem quoque illa Hilarii recidit Glossa, dum ait : « De « Antichristo istis temporibus hoc locutus est; abo- « minatio ex eo dictus quod adversus Deum veniens, « honorem sibi Dei vendicet; desolationis autem « abominatio, quia, bellis et cædibus terram cum « piculo desolaturus sit, atque a Judæis susceptus, « loco sanctificationis insistet, ut ubi sanctorum « precibus Deus invocabatur, illic ab infidelibus « receptus, Dei honore venerabilis sit. »

Qui legit, intelligat.

8. — Cajetanus Christum hæc verba non sine ratione dixisse : « Adjunxit, » inquit, « *qui legit « intelligat*, ad reddendum nos cautos, ne fallamur « in sensu prophetiæ hujus, et consequenter in « ipsius Jesu; » idem etiam advertit, quod S. Lucas Romanorum exercitum, abominationis nomine nuncupet : « Nullus, » ait, « melior interpres « Luca Evangelista est, qui exercitum Romanorum « docuit intelligendum nomine abominationis deso- « lationis; » etenim major abominatio dari nequit, quam dum impietas et sacrilegium, adversus populum et veri Dei cultum prævalere incipit.

9. — S. Thomas, *in Matth.*, Christum hæc dixisse observat, ut, dum hæc prophetia legitur, attentius consideretur : « Quia in illa prophetia Danielis « multa dicuntur de passione Christi, sunt enim « hæc verba observanda; unde ubi dicitur : *Occi- « detur Christus, et erit in templo abominatio desola- « tionis.* »

10. — Potest etiam ex hisce verbis moralitas quædam utilissima elici pro iis qui libros legunt sacros et spirituales; horum enim lectio non obiter, perfunctorie et raptim transcurri debet, sed applicatio adhibenda est mentis, et reflectendum ad ea, quæ leguntur; ut enim aqua impetuosa non fœcundat, sed potius terræ fundum secum rapiens, eradicat suffocatve sementem, ita lectio obiter et sine mentis applicatione facta, animam non pascit, intellectui non prodest, et memoriam potius confundit, id quod vel gentilis Seneca probe intellexit, dicens : « Sic evolvendi sunt auctores, ut, quod « legeris, in tuos usus transformes. »

Additio.

Pro hac Dominica, vide Dominicam primam Adventus, ubi fusius de eadem tractatur materia. Nonnullas tamen hic specialiores notulas dabimus.

a. — *Cum videritis abominationem desolationis*, etc. Magnitudo ac terribilitas abominationis Antichristi, ex multis describitur in præsenti Evangelio : *Qui in tecto est non descendat tollere tunicam suam.* Et iterum : *Væ prægnantibus, et nutrientibus*, etc. Tandem : *Erit tribulatio magna.* Tamen in capite omnium, *abominationem desolationis stantem in loco sancto*, Dominus ponit. Omnium pessima ac horrendissima abominatio ex loco sancto profanato ostenditur. Etsi lex Moysis templi Judaici cultus et sacrificia jam essent abrogata, tempore illius desolationis, tamen templum illud Judaicum, in quo futura erit hæc abominatio, adhuc vocat locum sanctum, abominationemque futuram in eo horribilissimam judicat. Quanti putas, o Christiane, Deum non offendet in templis veris, ubi ille vere habitat, in sacratissimo Eucharistiæ Sacramento, abominationes pessimas exercere?

Deus olim ore Jeremiæ Prophetæ, XI, 15, lamentabatur : *Quid est quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa?* Quasi diceret : Quodnam populus meus motivum habet, ut domum meam profanet? Cur adeo se irreverentem et ingratum exhibet, specialiter in loco ad me honorandum et colendum destinato? Verumtamen populum Judaicum tantisper dissimulando prætereamus, et discursum nostrum ad impios dirigamus Christianos, locorum sacrorum profanatores. *Quid est*, quodnam est contemptus domus meæ motivum? Quamnam Christianismo contemptus hujus causam dedi? Quanam in domo mea damna passus est? Imo quæ bona a me non recepit, tam spiritualia quam corporalia, tam temporalia quam æterna?

His ultimis verbis, *in domo mea*, Deus dicere videtur : Non hic conqueror de impudicitia et inhonestate, quam lascivi committunt in prostibulo, nec de injustitiis quæ in tribunalibus fiunt, nec de invidorum murmurationibus, et detractionibus quæ fiunt in aulis, nec de extorsionibus et rapinis, quæ passim et ubique locum habent, sed de illis iniquitatibus et sceleribus, quæ locorum sacrorum profanatores in domo mea impudenter attentare præsumunt. Quanam enim est illa malignitas, quod Christianus aliquis, ad hoc ut dæmoni capitali locorum sacrorum inimico complaceat, illos

in Ecclesia criminum excessus committat, quos alibi impunitus committere posset? Numquid igitur in plateis, foris et aliis locis publicis loca desunt, in quibus lascivos tuos obtutus lubricis objectis exsatiare, nundinas agitare, discursus obscœnos et illicitos miscere possis, absque eo quod ad illa perpetranda in Ecclesiam quæ domus Dei est, venire necessum sit? Teste Apostolo, dæmones infernales in ipso quoque inferno, ad prolationem nominis Jesu, genua sua flectunt : *Ut in nomine Jesu, omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum.* At vero hi, ut per experientiam videmus, in domo propria Dei, genua sua non solum non flectunt, verum etiam sacratissimo Corpori Christi dorsum suum obvertunt, et ideo erga illum ipsis quoque spiritibus infernalibus irreverentiores existunt.

Versus 16.

Tunc qui in Judæa sunt, fugiant ad montes.

1. — Lyranus juxta sensum litteralem, Christum his verbis dicere voluisse credit, quod Judæi ab eo momento, quo hanc a Daniele prophetatam abominationem visuri sunt, Jerosolymam deinceps non amplius incolendam esse intelligant, quia licet Ælius Adrianus eam denuo post desolationem reædificarit, nulli tamen Judæorum ad eam reingrediendam, licentiam dare voluit.

2. — S. Anselmus Christum hoc monito Christianos monere voluisse dicit, ut, prinsquam illud exterminium inchoetur, saluti suæ per fugam consulant : « Christiani enim appropinquante romano « bello qui erant in Judæa, cœlitus admoniti disces- « serunt; » idipsum et Lyranus ita tradit : « Quia « fideles, qui erant in Jerusalem, admoniti sunt « per Angelum, ut fugerent in regnum Agrippæ, « ultra Jordanem, quia rex Agrippa erat confede- « ratus Romanis, et ideo ibi fideles salvati sunt. »

3. — Eumdem quidem sensum litteralem sequens Glossa, quoad mysticum, subjungit : « Cum hære- « ses et flagitia regnare cœperint inter sanctos, et « pacem eorum distrahere, quanto plures vident « sequi prava, tanto altius virtutes petant. »

4. — Auctor Imperfecti hæc verba ita exponit : « Tunc qui sunt in Christianitate conferant se ad « Scripturas; montes enim sunt scripturæ Aposto- « lorum et Prophetarum, de quibus dictum est : « *Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis.* »

5. — S. Anselmus, præter sensum litteralem, moralem quoque his verbis insinuat : « *Tunc qui in* « *Judæa sunt,* hoc est, in confessione veræ fidei, « *fugiant ad montes,* hoc est, culmen virtutum « ascendant. »

6. — Albertus Magnus, *in Matth.*, ait : « Mystice « in Judæa sunt, quæ confessio interpretatur, illi, « qui confessioni laudis sunt dediti, sicut clerici et « religiosi, quibus tempore persecutionis fugien- « dum ad culmina virtutum; » cujus mox rationem subdit, dicens : « Virtutum perfectione tunc indi- « gent, ut possint resistere in die malo, et in « omnibus perfecti stare. »

7. — Jansenius ait : « *Fugiant ad montes,* hoc « est, ad excelsum Dei auxilium; » Auctor Imperfecti vero hoc nobis dat salutare monitum : « Illi « visibilem hostem fugerunt pedibus, nos autem « invisibilem hostem fugiamus actibus bonis; quam- « vis enim diabolus sit spiritus, et homo corpus, « tamen nunquam illos diabolus potest comprehen- « dere qui fugiunt eum per bona opera; sine « causa autem fugit ante eum pedibus, qui sequi- « tur eum pedibus. »

8. — Per hanc tribulationem, Antichristi intelligendo persecutionem, oritur quæstio, cur præ cæteris hi, qui in Judæa sunt, ad fugam invitentur? cui respondet S. Hilarius, dicens : « Quia proprius iste « Judææ erit error, ut, qui veritatem respuerunt, « suscipiant falsitatem; » ad amplectendos namque Antichristi errores, omnium totius terræ populorum primi, magisque dispositi concurrent Judæi.

Versus 17.

Et qui in tecto, non descendat tollere aliquid de domo sua.

1. — Juxta D. Chrysostomum, *Hom.* LXXVII *in Matth.*, Christus hoc loquendi modo, significare voluit, fore repentinam et irreparabilem calamitatem illam : « Ut inevitabilem et summam calami- « tatem ostendat; » adeo scilicet improvisam fore Romani exercitus invasionem, ut nullum refugii futurum sit spatium; proinde admonet Dominus, ut nullus pro quacumque re in ædes suas concedat, sed omni sine dilatione in fugam se convertant omnes.

2. — Glossa ait : « Hoc est, nullo affectu incli- « nentur ad carnem et hoc, quod Lucas ait, *et qui* « *in regionibus, non intrent in eam,* id est, qui jam « bono proposito cordis, extra illam facti sunt, non « eam rursus carnali cupiditate desiderent. » S. Anselmus ad peccatorum carnalium, jam semel detestatorum occasionis fugam alludens, idem quasi insinuat, dum ait : « *Qui super tectum est,* id est, « qui carnem, quo anima tegitur, superavit, *non* « *descendat* infimos actus pristinæ conversationis, « neque desideria carnis repetat. » S. Hieronymus aliam a prædicta nonnihil differentem moralitatem adducit, inquiens : « Esse in tecto et in domo, quo « non possunt ignita diaboli jacula pervenire, nec « descendere et tollere aliquid de domo conver- « sationis pristinæ, nec quærere quæ retrorsum « sunt. »

3. — S. Cyrillus Alexandrinus ad Sacræ Scripturæ verba, ubi de S. Petro dicitur : *Ascendit in supe-* « *riora;* alludens, inquit : « Petrus, quæ sursum « sunt, quærebat, non quæ super terram, illuc « ascendebat ad illa tecta, ad illa fastigia, de qui- « bus omnibus dicit : *Qui in tecto est, non descendat* « *tollere aliquid de domo sua.* » Quam et Jansenius glossam instituens ait : « *Qui vero in tecto,* hoc est, « conversatione elevatus, et excelsior per vitam « effectus fuerit, ac contemplationis altitudini de- « ditus, non descendat, ut tollat mundi affectus et « curas rerum terrenarum, quas sub se reliquerat. »

4. — Theophylactus ex hisce Christi verbis consilium quoddam eruit pro iis, qui perfectionis avidi, nihil quod sensibus placitum est, indulgere ac corpori condescendere accusant : « Intelligat et ita « sit, quod, *qui in tecto est,* id est, excelsis virtu- « tibus præditus, *non descendat* a summis virtu- « tibus, *ut tollat ea,* quæ sunt corporis; domus enim « animæ, corpus. »

Versus 18.

Et qui in agro, non revertatur tollere tunicam suam.

1. — Glossa, in sensu spirituali, inquit : « *Non* « *revertatur tollere tunicam suam,* hoc est, iterum « involvi curis, quibus exutus est. » S. Hilarius pariter dicit : « Positus in operationem præcepti, « non ad curas pristinas revertatur, neque aliqua « corporis indumenta desideret. »

2. — S. Anselmus dogma quoddam inde elicit pro Ecclesiasticis, ut verborum Christi sensus sit : « Qui operatur in Ecclesia, sicut Paulus plantando, « et Apollo rigando, *non revertatur tollere tunicam* « *suam,* id est, non repetat sæcularia, quibus se « nudaverat. »

3. — Theophylactus hoc dictum de recidivatione in peccatum intelligit, inquiens : « Oportet autem « et ab agro secedere, hoc est, terrenis, et neque « vestem tollere malitiæ. »

Versus 19.

Væ autem prægnantibus et nutrientibus in illis diebus.

1. — S. Thomas quoad litteram notat, mulieres prægnantes et lactantes, ad fugam tardiores et consequenter in majori suæ salutis periculo constitutas esse : « His quidem, » ait, « quia pigriores « sunt, et quia facile fugere non possunt, onere « conceptionis gravatæ, » lactantibus vero, « quia « delinentur vinculo compassionis filiorum, et non « possunt simul salvare eos, quos lactant. » Origenes Christum ad aliud motivum in his verbis respexisse dicit, nempe ut ostendat, tunc nec pietati, nec compassioni amplius superfuturum locum : « Quia non erit tunc tempus miserendi, neque « super prægnantes, neque super lactantes, neque « super infantes earum. » D. Chrysostomus impedimentum considerat, quo detinentur, ne ad fugam veloces esse possint : « Quando infantium affectus « vinculo retinentur, cumque nequeunt simul et se « et lactantes conservare, una depereunt. »

2. — Porro sensus spirituales varii sunt, omnesque utilissimi; S. Thomas ait : « Et quid per præg- « nantes? homines graves peccatis; homines autem « nutrientes, sunt homines imperfecti; unde vult « dicere : Væ hominibus oneratis peccatis et non « confirmatis; » unde S. Augustinus ait : « Præg- « nantes sunt, qui concipiunt male agere; nutrien- « tes, qui jam opere complent. »

3. — S. Bonaventura, per has prægnantes et lactantes, homines intelligit carnales, dicens : « Prægnantes et nutrientes luxuriosos significare « possunt; væ autem damnationis non his solum, « sed omnibus per septem vitia capitalia vitiosis, « tanquam nutrientibus debetur. » Venerabilis Beda quoque per prægnantes hoc idem vitium exponit : « Anima, quæ desideriis carnalibus in illa « ultima persecutione invenitur oppressa, æternum « væ subire cogitur, » quia omnium aliorum peccatorum pœnitentia facile quidem sperari potest, exceptis duntaxat iis, qui peccato carnali immersi vivunt. Unde S. Cyprianus vitium hoc impudicitiæ, « matrem impœnitentiæ » nominat.

4. — S. Anselmus per easdem prægnantes, avaros interpretatur, qui cum sint auri argentique mole graves, ad fugam minus habiles sunt : « Prægnantes vero sunt illi, qui laborant pro « divitiis acquirendis, quorum animæ graves sunt « peccatis; nutrientes vero sunt illi, qui divitias « adepti, fovent eas et augmentant. »

5. — Albertus Magnus ex his verbis moralitatem eruit pro iis, qui bona quidem proposita faciunt, sed in his non din persistunt, quia mox ut tentantur, ab iis recedunt : « Sed et prægnantes sunt, qui « de novo bonum propositum conceperunt, a facie « tua concepimus et quasi parturivimus et peperi- « mus spiritum salutis; nutrientes sunt qui jam « quidem proficiunt, sed adhuc lacte teneriori indi- « gent. I *Cor.*, III, 2 : *Tanquam parvulis in Christo,* « *lac vobis potum dedi, non escam, nondum enim* « *poteratis;* omnes autem tales, eo quod in fide et « charitate non sunt solidati, violentia tentationis « vincuntur. »

6. — Origenes in homilia X super Exodum scribit : « Perfecti sunt viri et fortes, qui statim ut « concipiunt, pariunt, id est, qui conceptum fidei « verbum in opera reducunt. » Isidorus Pelusiota in quadam epistola sua ad eos pariter alludit, qui post concepta bona desideria, eas spiritus vires non habent, ut ea in effectum redigere possint, de quibus intelligi dicit verba hæc : « *Væ prægnantibus et* « *nutrientibus,* ait Dominus, ad illas animas, quæ « divinum amorem velut utero adhuc gerunt, nec

UNIVERSIDAD DE SEVILLA

« verborum libertate aut fiducia uti, Deique confes-
« sionem acremque pro eo contentionem ac dimi-
« cationem parere audent. »

7. — S. Ambrosius contra eos, qui in vincendis omnibus virtutum obstaculis pusillanimes sunt, aut agnitum veritatem; ubi opus est, non defendunt, ita scribit : « Sunt, qui Dei timorem concipiunt, sed « non omnes pariunt; » non sic regius Propheta David, qui de seipso testatur, dicens, *Psal.* cxv, 10 : *Credidi, propter quod locutus sum, ego autem humiliatus sum nimis. Vota mea Domino reddam, in conspectu omnis populi ejus, in atriis domus Domini, in medio tui Jerusalem.*

8. — In libro Proverbiorum, i, 26, de Sapientia dicitur : *Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem suam*, Septuaginta legunt : *In portis Dynastarum astat.* Propheta Evangelicus sibi ipsi væ denuntiat, dicens, *Isa.*, vi, 5 : *Væ mihi, quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum*: quia ut Interlinearis ait : « Oziam et alios libere non reprehendi. »

9. — S. Hilarius, *Can.* xxv *in Matth.*, hæc verba de animabus, peccatis onustis explicat, quæ væ æternæ damnationis effugere non poterunt : « Non « de fœtarum onere Dominum admonuisse creden- « dum est, cum dicit : *Væ prægnantibus*; sed ani- « marum peccati repletarum ostendisse gravita- « tem, quæ neque in tecto positæ, neque in agro « manentes, iræ tempestatem vitare possunt; » S. Ambrosius per hosce prægnantes, eosdem intelligit, de quibus Salvator dixerat : *Edebant, bibebant, nubebant*, « ligantes scilicet se in hanc vitam, et « sollicitudinibus sæcularibus vincientes; hæ sunt « itaque prægnantes, quibus væ dicitur, quæ arvi- « nam suæ carnis extendant, et quibus intimorum « gressus pigrescant animorum, effœtæ virtutum, « fœteque vitiorum. »

10. — S. Hilarius, per lactantes, illarum animarum statum intelligit, quæ in resistendo tentationibus debiles sunt, quia cibum sibi non procurant solidiorem, id est, panem non frequentant cœlestem : « Infirmitatem animarum, quæ ad cognitio- « nem Dei, tanquam lacte educabantur, ostendit, « quæ perfecti cibi virtute indigentes, tenui divinæ « cogitationis, infirmoque gustatu imbuantur, et « ideireo væ ipsis erit, quia et ad effugiendum « Antichristum graves, et ad sustinendum impe- « ritiæ, nec peccata effugerint; » cujus quidem debilitatis hanc notabilem dicit esse rationem : « Quia nec cibum veri panis acceperint, » illius, inquam, panis, de quo scribitur : *Et panis cor hominis confirmat. Psal.* cm, 15.

Additiones.

a. — *Væ prægnantibus et nutrientibus, in illis diebus.* Prædicit Christus præambulos timores supremi judicii, dicens solem obnubilandum, lunæ defectum, stellarum deliquium, elementorum horrisonas concussiones, judicis rigores, conscientiæ impatientiam, damnationis pavores, quibus impii homines territabuntur in illis diebus. Cur vero prægnantes et nutrientes finis tempore, in majori periculo versantur ut super illas gravius væ inclamatur? Cur idem væ non intimatur decrepitis, claudis et ægris? Non sine mysterio. Non enim est sermo de prægnantibus corporalibus, sed spiritualibus, respectu damnationis æternæ; de iis nimirum, qui instante mortis agone, salutaris vitæ propositum prius concipiunt; quæ res plena periculis est. Sæpe enim dum Deo ad pœnitentiam vocanti, tarde respondent, morte præveniuntur et pereunt, præterquam quod alia gravia damna sibi conciliant et a Deo juste et severe puniuntur.

Spiritus Sanctus, calamo Sapientis, *Prov.*, i, iis qui voci Dei, illos ad resipiscentiam vocantis surdas præbent aures, futurum indicat, quod in morte sua a Deo sint deridendi, atque insuper mortem hanc illorum futuram esse subitaneam; ait enim : *Cum vobis id quod timebatis advenerit, cum irruerit repentina calamitas, et interitus quasi tempestas incongruerit, quando venerit super vos tribulatio et angustia, tunc invocabunt me et non exaudiam, mane surgent et non invenient me; eo quod exosam habuerint disciplinam, nec acquieverint consilio meo et detraxerint universæ correptioni meæ.* Superius vero dixerat : *Quia vocavi et renuistis, extendi manum meam, et non fuit qui acquiesceret. Despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis : ego quoque in interitu vestro ridebo et subsannabo.*

Adde nullum hominum sperare posse quod ex propria voluntate, etiam adhibito omni studio et sollicitudine, a peccato resurgere aut pœnitentiam agere valeat, nisi Deus, per meram suam misericordiam ad eum sublevandum suam ei dexteram porrexerit. Et quia tametsi etiam idipsum faciat, nisi efficacia ei præbeantur auxilia, peccator auxilianti Deo sæpe non cooperabitur. Unde in Proverbiis lamentatur inquiens : *Extendi manum meam et non fuit qui aspiceret.* Porro hujus veritatis plenæ sunt sacræ litteræ quod scilicet nemo habere possit vel minimam cogitationem, aut desiderium bonum nisi Deus hoc illi dederit. Id quod S. Paulus apertis verbis asserit inquiens : *Fiduciam habemus per Christum ad Deum, non quod sufficientes simus cogitare aliquid « nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.*

Sciendum quoque est peccatori quod quanto diutius pœnitentiam differt sacramentalem, tanto magis, in ejus conscientia, crescat multitudo et pondus peccatorum. « Peccatum » enim « est quod- « dam pondus aggravans animam, ut ad Deum « non possit surgere, » inquit S. Antoninus, « vel « respicere. Unde in Psalmo xxxvii dicitur : *Sicut « onus grave gravatæ sunt super me*, scilicet iniqui- « tates. » S. Augustinus se intelligere non posse

profitetur, qua ratione possibile sit ut homo ad extremum mortis articulum perductus pœnitentiam agere possit, juxta suggestum nobis a Joele consilium : *Convertimini ad Deum in toto corde vestro, in jejunio, planctu et fletu.* « Ecce enim quia « dicit *in toto corde*, nos docet Propheta, quod in « corde est fons pœnitentiæ; *fletus* quidem ad ocu- « lum, *planctus* autem ad os, sed *jejunium* ad « totum corpus refertur. O homo, ne tardes converti « ad Deum; discute mentem tuam, prospice singula « secreta cordis, considera antequam ad confessio- « nem accedas, quod cor nec cavit mala appetendo, « oculus vanitatem videndo, os falsitatem dicendo, « auris mendacia audiendo, manus verbera et ho- « micidia perpetrando, et si non opere, saltem « voluntate. O fratres, sicut exhibuistis membra « vestra servire immunditiæ et iniquitati ad iniqui- « tatem, ita et nunc exhibite membra vestra ser- « vire Deo in sanctificationem. Primo cor, quod « mala cogitavit et concupivit pœniteat et doleat. « Et oculus fleat. Os sine intermissione oret. Aures « audiant verbum Dei; manus eleemosynas porri- « gant, peregrinos suscipiant, infirmos foveant, « nudos induant. Pedes veniant ad Ecclesiam. Quia « sicut nullum fuit membrum, quod, peccando Deo « non displicuerit, ita nullum sit, quod pœnam « non patiatur condignam. » Verum enimvero qua ratione homo in agone mortis constitutus, hanc facere poterit pœnitentiam, quando febris malignitati immersus, vel a delirio, vel a lethargo, vel ab acerbissimorum dolorum vehementia, vel ab agonis luctu absorptus fuerit?

b. — His omnibus verbis, *væ autem prægnantibus*, etc., vastationis hujus magnitudinem Dominus significat, quibus ostendit summum illud odium, quo peccatum insequitur. Elegerat hos in populum sibi peculiarem, scilicet Israelitas, quorum famulatu neutiquam egebat, sed, ex sola sua bonitate, ac piissima charitate eos dilexit. At vero cum peccatis suis Deum concitaverunt in inaquoso, in terra deserta, et vastæ solitudinis, peccata peccatis cumulantes, ad Deos alienos conversi, ita his sceleribus Dominus ad iracundiam fuit provocatus, ut totum illum vehementem amoris ignem, in ignem odii et indignationis verterit. Quem tremendis verbis et longa oratione Moyses in cantico suo, *Deut.*, xxxii, expressit, cum Dominum sic loquentem inducit : *Ignis accensus est in furore meo et ardebit usque ad inferni novissima.* Ubi quot verba, tot fulmina sunt, quibus Dominus iræ suæ magnitudinem, suumque erga peccatum odium, ex tam multiplici ac horrenda pœnarum atrocitate declaravit.

Multæ equidem sunt rationes, cur Deus peccatum in peccatore detestetur. Albertus Magnus illum adducit ex Habacuc Propheta textum : *Mundi sunt, Domine, oculi tui et respicere ad iniquitatem non poteris.* Et ideo Sapiens Deum *speculum sine macula* appellat. Quanta autem macula peccati sit turpitudo, S. Thomas a Villanova, his quidem paucis, sed nervosis verbis indicat. « Qualis est macula quæ Dei « sanguine diluitur? » Cornelius a Lapide, super caput II Jeremiæ, hæc de re scribit : « Fuit consen- « taneum magis Dei Filium hominem fieri et tam « indigna pati, quam peccatum inultum relinqui. » Porro Deus peccatum tanto prosequitur odio, ut supremum sanctissimæ Triados consistorium decreverit ut pro illo abolendo et destruendo, secunda in divinis Persona luteam hanc mortabilitatis nostræ trabeam indueret, in eaque per triginta trinis annorum Iliadem pro peccato debellando pateretur et tormenta subiret. Unde S. Bonaventura ait : « Deus persecutus est peccatum ab initio, in tan- « tum, quod projecit illud de cœlo et videns quod « remanserat in mundo, ipse in propria persona « descendit in mundum, ut de ipso fugaret pecca- « tum, et tandem in judicio projiciet, et includet « ipsum in infernum. » S. Antoninus quoque de eadem materia has habet considerationes : « Appa- « ret, quantum displiceat Deo peccatum, ex ejus « destructionis elaboratione; omnes enim labores « assumpsit, ut destrueret peccatum; voluit enim « carnem assumere, ut carnem a peccato munda- « ret; prædicare, ut illud contereret; sacramenta « instituere, ut illud destrueret; Apostolos in mun- « dum mittere, ut illud expugnaret; vendi, ut nos « redimeret; ligari, ut nos a peccatis solveret; san- « guinem fundere, ut nos a peccatis lavaret; cru- « cifigi, ut illud crucilligeret; occidi, ut occideret « peccatum. »

Versus 20.

Orate autem, ne fiat fuga vestra in hieme vel sabbato.

1. — Cæsarius Arelatensis per hæc verba Christum dicere voluisse ait : « Videte, ne tunc quæratis « peccata fugere, quando jam non licet ambu- « lare; » quoadusque enim viatores sumus, divinam possumus misericordiam implorare; at quando in hac via amplius non erimus, omnis nobis detruncabitur spes salutis; et ideo : *Ecce nunc dies acceptabiles, ecce nunc dies salutis.* Lyranus autem in sensu litterali dicit : « Id est, tempore incompe- « tenti, ex aeris importunitate; » S. Hieronymus, ad excidium Jerosolymitanum alludens, dicit : « Quia duritia frigoris prohibet ad solitudinem « pergere. »

2. — Hugo Cardinalis per gelidam hanc hiemem, peccatum intelligens ait : « *In hieme*, id est, « in peccato. *Prov.*, xx, 4 : *Propter frigus piger arare « noluit, mendicabit ergo æstate, et non dabitur ei.* » Idem quoque Cardinalis per malas hiemis influentias, varia insinuat vitia, quæ nos infestant : « In

« hieme est ventus, id est, superbia; obscuritas, « hoc est invidia; tit ignis, hoc est ira; frigus, « tristitia; gelu, avaritia; tunc magis solet con- « sumi, gula; tunc est via lutosa, luxuria. »

3. — Præmiserat paulo ante Salvator, in eodem S. Matthæi capite : *Quoniam abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum*; per gelidam igitur hiemem diminutio, imo exstinctio charitatis intelligi potest, quo in casu vere *abundat iniquitas*. S. Anselmus inquit : « In hieme fugit, cujus fide vel « charitate refrigescente, a Deo sunt elongati; » S. Hieronymus in eorumdem verborum glossa, per desolationem istam, finem mundi denotari docet, inquiens : « Hoc præcipit, ut non refrigescat chari- « tas nostra. »

Vel sabbato.

4. — Lyranus ait : « Vel sabbato, tempore in- « competenti ad fugam ex quæcumque alia causa, « quia tunc non erat sabbatum observandum, in « quo non erat licitum Judæis ambulare ultra « mille passus. »

5. — Notandum est hoc loco difficultas, ex hoc verbo emergens; cum enim Redemptor noster prophetiam hanc, post abolitam legem Mosaicam et Evangelium promulgatum adimplendam esse probe sciret, cur observantiæ sabbati mentionem fecit? Præterea quis est, qui nesciat, quod licet lex illa etiam in suo vigore permansisset, illa tamen jure naturali, unumquemque ad vitam salvandam obtiganti præjudicare non potuerit? Respondetur, Christum de solis Judæis loqui intendisse, qui etiam lege abolita adhuc judaizabant, suisque ritibus et legibus antiquis adeo pertinaciter adhærebant, ut potius vitam perdere quam eas transgredi voluissent, prout videre est I *Machab.*, II, 24. Prævidebat item, quod illo tempore observantiæ sabbati ad legis novæ contemptum, exactissimi observatores futuri fuissent. S. Hieronymus perpendit, Christum illos hosce verbis inter duos posuisse scopulos, ad quorum alterutrum allidere debebant, hinc enim obstabat « transgressio legis, si fugere « voluissent; illic mors imminens, si remansis- « sent. » Cajetanus Judæos in virtute legis scriptæ, longum in die sabbati iter facere non potuisse considerans, subdit : « Nec per hoc intelligas, pecca- « tum fuisse, si sabbato longum peregissent iter « fugiendo, quoniam necessitatis articulus excusas- « set ab omni peccato, sed intellige animos eorum « ratione sabbati turbandos, hinc timore, ne forte « violetur sabbatum, inde causa fugæ impel- « lente. »

6. — S. Athanasius ait : « Hiemem peccata « vocat, et sabbatum securitatem, dicit ergo væ « animæ in peccati securitate vel socordia consti- « tutæ; » idem quoque S. Anselmus dicit : « In « sabbato fugit, qui otiosus in divino opere tor- « pescit; » pariter Theophylactus inquit : « Sic « intelligito quod oporteat precari, ne fiat fuga « nostra ex hac vita, hoc est mors *in sabbato*, otio- « sis nobis a bonis operibus; neque *in hieme* in « sterilitate honorum, sed in serenitate animæ, « quæ non turbetur. »

7. — Jansenius auctoritati S. Augustini innixus, verba illa hac glossa illustrat : « *In hieme vel sab- « bato*, ne in lætitia vel tristitia rerum temporalium « quis inveniatur illo die. »

Additio.

a. — *Orate ne fiat fuga vestra*, etc. Quisquis nisi tempore mortis peccata deserere vult, is vere in sabbato, vel hieme, hoc est in tempore valde difficili fugam meditatur : consuetudo siquidem inveterata peccandi pœnitentiam difficilem et pene impossibilem reddit. Verum quidem est S. Augustinum post contractum et inveteratum habitum malum, in ætate XXXIII annorum tandem ad pœnitentiam fuisse reductum : at vero prout ex ejus confessionibus liquet, quando a Deo ad sui emendationem efficaciter vocatus fuit, sine mora vocanti respondit et paruit. Et ideo in sermone quodam de hac materia in hæc verba prædicavit : « Nemo « nec post centum peccata, nec post mille crimina, « de misericordia divina desperet. Sic tamen non « desperet, ut sine ulla mora Deum sibi repropi- « tiari festinet; ne forte si consuetudinem peccandi « fecerit, etiamsi velit de diaboli laqueis liberari, « non possit. » Idem quoque docet S. Bernardus in sermone de sanctis Apostolis Petro et Paulo, quorum primus cum Christum negasset, subito compunctus fuit, quamprimum errorem suum agnovit. Secundus vero, dum etiamnum actualis Ecclesiæ persecutor esset, vix *circumfulsit lux de cælo*, cum ecce sine dilatione in Domini voluntatem se resignavit dicendo : *Domine, quid me vis facere?* Idem tamen Bernardus, postquam ostendisset quantæ difficultatis sit pœnitentia in illis, qui, postquam a Deo lumen et gratiam receperunt, eumdem temere offendunt, paulo post hæc verba subdit : « Nec ta- « men si quis hujusmodi est, desperamus de eo, « tantum ut resurgere velit cito. Quanto enim « diutius permanebit, tanto evadet difficilius. *Be- « atus vero qui tenebit et allidet parvulos Babylonis ad « petram*; etenim si creverint, vix poterunt suble- « vari. »

VERSUS 21.

Erit enim nunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet.

1. — S. Thomas pro intelligentia hujus textus, ad historiam Josephi Hebræi *de bello judaico* nos remittit, utpote qui excidii illius ruinas exactissime describit; idem Angelicus Doctor aliquas calamitatum illarum succincte recensens, ait : « Multi fame « mortui sunt. Erant seditiones in civitate, ita quod « invicem seipsos interficiebant; unde cum Titus, « qui erat mitissimus, vellet eis parcere, ipsi nole- « bant; erant latrones, qui interficiebant multos, et « quædam mulier comedit filium suum; » unde in nulla unquam servitute, sive Ægyptiaca, sive Babylonica, sive Syriaca, sive quavis alia tantas Judæi passi fuere ærumnas, quantas in hac destructione sustinuerunt.

2. — Quod si verba hæc de Antichristi persecutione intelligas, Auctor Imperfecti hoc dubium moveri posse dicit, an scilicet tempore illo major futura sit calamitas, quam tempore diluvii? Ad quod libere respondet affirmative : « In hoc enim « erit pejor tribulatio ista, quia illic corporalis fuit « perditio, hic autem spiritualis; » et ratio est, quia tunc animæ tentatæ valde periclitabuntur, ne a Deo totaliter recedant : « Quis enim illic tormen- « tis astrictus est, quia coluit Deum? Hic autem « tormentis afficiendi sunt, qui non transeunt ad « diabolum, relinquentes Deum; » de hac tribulatione S. Joannes dicit : *Quærent homines mortem, et non invenient eam, et desiderabunt mori, et fugiet mors ab eis*. S. Anselmus hæc de Antichristi tribulatione exponens, non solum sævissima illius tyranni tormenta considerat : « Sed quod gravius est, sig- « norum quoque operatio, eos, qui tormenta inge- « runt, comitabitur. » Unde Paulus, II *Thess.*, II, 9, ait : *Cujus adventus est secundum operationem Satanæ in omni seductione, signis et prodigiis mendacibus*, et S. Anselmus ideo subdit : « Cujus enim fides non « concutietur, cum persecutor veritatis sit etiam « operator virtutis? » Albertus Magnus, *in Luc.*, circa exterminium Jerosolymitanum alia terroris motiva notat dicens : « Quia conflata, ex tribus « magnis, tyrannorum invasione, hæreticorum se- « ductione, falsorum fratrum seductione, » quæ omnia novissimorum temporum desolationi etiam adaptari posse videntur.

VERSUS 22.

Et nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro, sed propter electos breviabuntur dies illi.

Et nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro.

1. — S. Thomas citat S. Augustinum, qui aliquos suo tempore dies illos abbreviandos fuisse dicit, sicuti tempore Josue prolongati fuere, quod tamen improbabile esse judicat, dicente Psalmista : *Ordinatione tua perseverant dies*, ac proinde Doctor Angelicus duas alias adducit expositiones : « Primo, ait, quod dies tribulationis sunt bre- « viati, primo in numero; unde si durasset tem- « pus illud, omnes essent interfecti, quia nullus « remansisset, et quare? Quia Romani dominaban- « tur per totum orbem, et jam Judæi dispersi sunt « per totum mundum; ideo si durasset tempus « illud, interfecti fuissent ubique terrarum; vel « dicuntur dies breviati, quando mala breviantur. »

2. — Lyranus circa propositionem : *Non fieret salva omnis caro*, ait : « *Caro* autem hic accipitur « pro homine, » juxta illud : *Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est*; « sensus ergo est « iste, » inquit hic auctor, « *omnis caro non fieret « salva*, id est, nullus homo fieret salvus, si esset « longum prædictum tempus tribulationis. »

3. — Communior tamen sacrorum Interpretum opinio est, verba hæc in ordine ad persecutionem Antichristi, in ultimis sæculis futuram, intelligi; unde Glossa ordinaria ait : « *Breviabuntur* non « mensura, sed numero, ne mora temporum fides « concutiatur credentium; erunt hæc enim mala, « tribus annis et dimidio tantum. » S. Anselmus ait : « Dicuntur abbreviati, id est, breves, quasi « brevissimi, quia nisi breves et pauci fuissent dies « illi, perirent omnes electi illius temporis, » idque propter magnitudinem miraculorum et oppressionem; eadem quoque fuit Bedæ super hunc textum consideratio, dicentis : « Hæc tribulatio quanto cæ- « teris pondere gravior, tanto est temporis brevi- « tate futura moderatior, tribus namque annis et « dimidio Ecclesiam impugnandam esse creditur, « quantum ex prophetia Danielis et Apocalypsi S. « Joannis cognosci potest. »

Sed propter electos breviabuntur dies illi.

4. — Auctor Imperfecti, *Hom.* XLIX, non modo eos fideles, qui in virtute et sanctitate magis conspicui erant, sed etiam debiliores ab illius temporis angustiis defendendos et liberandos esse dicit : « Etiam mediocres homines et infirmi, non virtute « fidei, aut merito operum suorum, sed velociter « subveniente Christi adventu, non enim propter « peccatores diutius, ut etiam electi periclitentur, « sed propter electos festinaturus est, ut neque « mediocres deficiant, quia promptior est Deus ad « liberandos bonos, quam ad perdendos malos, » adducitque appositam aurificis cujusdam similitudinem, qui aurum in luto videns, lutum simul cum auro elevat, non propter lutum sed aurum : « Nam « et aurifex, » inquit, « si invenerit aurum sordi- « bus mixtum, non propter sordes etiam aurum « contemnit, sed propter modicum aurum, conten- « tus est etiam sordes accipere; » utilissimum ideo est in sanctorum hominum societate degere, illi enim per merita sua, et quam apud Deum habent auctoritatem et reverentiam, a multis nos calamitatibus tuentur et eripiunt; unde Angelus Paulo in tempestate maris periclitanti apparuit, eique ex parte Dei dixit, *Act. Apost.*, XXVII, 34 : *Ecce donavit tibi Deus omnes qui navigant tecum.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Versus 23.

Tunc si quis vobis dixerit : Ecce hic Christus aut illic, nolite credere.

1. — Quæri hic potest, cur Christus monstrum illud Antichristum varie circumscribens, non appellare voluerit; utique idipsum sicut et omnia in sapientia fecit; nam S. Irenæus ait : « Nomen ejus « tacuit, quia dignum non est denominari. » Unde Psaltes de impiis et reprobis ait : *Nec memor ero nominum eorum per labia mea. Psal.* XV, 4.

2. — Cornelius a Lapide super hunc textum, insignem reflexionem facit, quod, quia Judæis notum erat, tempus venturi Messiæ in propinquo esse, juxta id quod dicitur, *Gen.*, XLIX, quia sceptrum Israelis defecerat et ad extraneos, cujusmodi Romani et Herodes erant, devolutum fuerat, ideo Christus multos eorum Vespasiano adulatures esse prævidit, persuadendo ei, ipsum ut Judææ victorem, Messiam esse tanto tempore ab ipsis exspectatum; deinde sciendum est quod desolationis illius tempore, tres Jerosolymis factiones erant, quarum quælibet suum sibi Messiam suo modo fingebant, ideoque Salvator eos opportune monuit, ne cuique, Christum se esse dicenti, facile crederent.

Versus 24.

Surgent enim pseudochristi et pseudoprophetæ, et dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.

1. — Porro miracula hæc non vera, sed apparentia tantum erant, ad seducendum fideles, erantque illis, quæ Sancti operabantur, simillima; unde Auctor Imperfecti ait : « Signa non inutilia neque « vana, quæ ministri diaboli facere solent; sed « magna, id est, utilia et plena, quæ Sancti facere « solebant. »

2. — Hugo Cardinalis verba : *Si fieri potest, etiam electi*, ponderans ex S. Gregorio, *Homil.* IX *super Ezech.*, dicit : « Exprimitur, quod electi in corde « tentabuntur, mutant enim, sed non cadunt; dici- « tur ergo : *Si fieri potest*, id est, trepidabunt, et « tunc dicuntur electi, quia non cadunt. Dubitatio « itaque sermonis a Domino in electis exprimit « trepidationem mentis, quos et electos nominat, « quia cernit, quod in fide et bonis operibus per- « sistunt. »

3. — Cajetanus operum admirandorum, quæ Antichristi sequaces patrabunt, efficaciam et vim considerat siquidem illa, æterna veritate teste, tanta futura erit, ut etiam electi et sancti seducendi essent, nisi Deus illos potenti manu sua sustineret : « Dixit hoc ad significandam magnitudinem « fallaciæ comitantis magna signa et prodigia, quæ « tunc fient non ab uno, sed a multis pseudochris- « tis et pseudoprophetis. »

4. — Albertus Magnus differentiam quamdam notat, quæ est inter induci in errores et tangi ab erroribus : « Aliud est, » ait, *in Luc.*, « errore « tangi, et aliud in errorem induci, tangitur enim, « qui tentatur, et hoc humanum est, quia humanæ « ignorantiæ est errare; sed in errorem inducitur, « qui terrori consentit; dicit autem : *Si fieri potest*, « ut gratiam Dei continentes, sanctos ostendat. »

Versus 25.

Ecce prædixi vobis.

Versus 26.

Si ergo dixerint vobis : Ecce in deserto est, nolite exire. Ecce in penetralibus, nolite credere.

1. — Jansenius Christum his verbis nos monuisse dicit, ut, quando hi falsi Prophetæ Christum in deserto esse, annuntiaturi venerint, non modo non credamus, sed neque ullum eo fine pedem moveamus. Albertus Magnus Antichristum multos in principio habiturum esse existimat eremicolas : « Ut sub specie religionis magis recipiant : *Nolite « exire*, sicut ad Joannem Baptistam existis; » eumdem jubet nos conceptum formare, si in occulto etiam nobis annuntiarint : « Ne credatis, non « enim erit adventus meus occultus; nam *sicut « fulgur exit ab oriente, etc., ita erit adventus Filii « hominis.* » Juxta Sapientis edictum, *Prov.*, I, 25 : *Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem suam*; hæretici autem qui falsam obtrudunt doctrinam, prædicant in secreto.

2. — S. Thomas in Matthæum aliam adducit moralitatem, dicens nos hisce verbis edoceri, ne a bonorum consortio separemur : « Isti infideles et « hæretici, » inquit, « dum sunt fideles in societate « et congregatione, non possunt decipere, sed ni- « tuntur, quod a societate separentur, et tunc « decipiunt, et hoc est, quod vult dicere; dixerint, « *ecce in deserto est, nolite credere*, nolite a bona « societate et congregatione separari. »

Versus 27.

Sicut enim fulgur exit ab oriente et paret usque in occidentem, ita erit et adventus Filii hominis.

1. — Filius Dei, juxta Cajetanum, hac fulguris, tam in Orientali quam Occidentali mundi parte comparentis similitudine insinuare voluit, suum coram mundo adventum omnino publicum et manifestum fore, textum nihilominus corruptum esse idem auctor existimat dicens : « Suspicor ego « minus bene interpretatum hunc textum, et de- « here legi : *Sicut enim fulgor*, ita quod similitudo « affertur de *fulgore solis*, non de fulgure. » Auctor Imperfecti præmissa similitudine fulguris, quantum ad velocitatem ejus, sequentem subdit radiorum et lucis solaris comparationem : « Si enim sol, qui ad « ministerium nostrum creatus est, tantam habet « splendoris virtutem, ut in quacumque parte cœli « fuerit, ubique appareat quasi præsens, quanto « magis Sol spiritualis Christus cum venerit, in toto « videbitur mundo, magis autem mundus in eo « videbitur. *Ignis ante eum præcedet. Psal.* XCVI, 3. » S. Anselmus quoque, huic conformiter discursui, ait : « Ab omnibus totius orbis hominibus videbi- « tur, juxta Apocalypsim, I, 7 : *Et videbit eum « omnis oculus; nec in secreto apparebit, quia Deus « manifeste veniet.* »

2. — Ex hisce Christi verbis, Paulus de Palatio, adventum Judicis ab oriente processurum deducit, inquiens : « Applaudit communis Christianorum « sensus, credentium, quod in oriente humanitas « Christi sedeat, ab eo ergo loco veniet, ubi nunc « est; ut enim ascendit Dominus, super cœlum « cœli ad orientem, ita descendet e cœlo cœlorum « sicut fulgur ab oriente. »

Versus 28.

Ubicumque fuerit corpus, illic congregabuntur et aquilæ.

1. — Albertus Magnus Christum, non se Dei, sed hominis Filium nominare considerans, ait : « *Ita « erit et adventus Filii hominis*, quia in forma homi- « nis judicabit nos, in qua pro nobis judicatus « est; » cum igitur ipse, dicit Lyranus, in judicio universali, in gloriosi hominis similitudine comparebit, consequenter : « Illuc congregabuntur « Sancti, occurrentes obviam Christo, venienti ad « judicium; » per aquilas enim designantur Sancti. Unde et S. Hilarius ait : « Sanctos de volatu spiri- « tuali corporis, aquilas nominavit, quorum con- « gregantibus Angelis, conventum futurum in loco « passionis ostendit, et digne illic charitatis adven- « tus exspectabitur, ubi nobis gloriam æternitatis, « passione corporeæ humilitatis operatus est. »

2. — Cajetanus Christum docere voluisse ait, suum in aere adventum, non phantasticum aut imaginarium, sed realem fore et corporalem : « Convenient sancti homines, » inquit de electis, « velut aquilæ convolant ad cadaver comedendum, « ex qua similitudine duo intelligimus, quæ erunt « vera; alterum est, quod Sancti concurrent ad « Christum, non ambulando super terram, sed ve- « lut volando in aera, quia ut dicitur : *Rapiemur « obviam Christo in aera*; alterum est, quod avidi « velut ad factum cibum congregabuntur ad Chris- « tum. » S. Bonaventura Christum sese corpus, *ubi fuerit corpus*, appellare notat, ast « aquilas omnes « justos, qui ad Christum congregabuntur in judi- « cio et in cœlo. » Chrysostomus ad Angelorum, Martyrum, cæterorumque multitudinem Sanctorum, dicta verba exemplificat. Illa porro aquilarum, id est, electorum, Sanctorum congregatio in die judicii, in corporis et sacratissimæ Christi humanitatis virtute continget; unde Paulus de Palatio ait : « Ideo « enim non dixit : *Ubi ego fuero*, sed *ubi corpus fue- « rit*; igitur sicut humanitas Christi fuit instrumen- « tum meritorum Christi, ita et erit instrumentum « elevationis corporum beatorum; indicatur etiam « nobilitas corporum beatorum; sicut enim aquilæ « sunt reginæ avium, ita et corpora beata erunt « excellentissima corpora. »

3. — S. Ambrosius quamdam ex hisce verbis, Altaris Sacramentum concernentem, eruit moralitatem dicens : « Bonæ aquilæ circa altare, *ubi enim « corpus, ibi et aquilæ*; Corpus Christi est in altari, « aquilæ vos estis; » sicut enim harum avium proprium est, sursum sese erigere in cœlum, terramque despicere, ita pariter sacrosancto huic corpori devoti, nauseam concipiunt bonorum terrestrium : *Quæ sursum sunt quærunt; non quæ super terram.* Quantumvis enim Deus sit, qui de seipso dicit : *Cœlum et terram ego impleo*, nihilominus ex amore nostri, ut nutriat animam nostram, sub minimo velut hostiæ atomo sese abscondit, docens nos omnia despicere bona terrena. Memoranda hic occurrit illa de Abrahamo historia, qui Loth fratris liberationem et a quinque regibus victoriam consecutus, Melchisedech obvium habuit, offerentem panem et vinum, principalissimam Sacramenti Altaris figuram, *Gen.*, XIV, 21 : *Proferens panem et vinum, benedixit ei*; huic igitur Patriarchæ sancto Rex spolia obtenta ab hostibus consignavit, dicens : *Da mihi animas, cætera tolle tibi*; cui Sanctus, pane et vino illo, antiquissima Sacramenti altaris figura, recreatus, quantam a transitoriis aversionem haberet, illico subintulit, respondens : *Levo manum meam ad Dominum Deum excelsum, possessorem cœli et terræ, quod a filo subtegminis usque ad corrigiam calligæ non accipiam*; non sine causa Christus Eucharistiam, quando jam jam hinc abiturus erat, instituit : *Ut transeat ex hoc mundo ad patrem*; et iterum, *Jam non sum in mundo*, dicit in ultima cœna, ad denotandum scilicet, eos, qui pane hoc angelico cibantur, velut aquilas affectu et corde, ab omnibus hujus mundi bonis sublevari debere.

Versus 29.

Statim autem post tribulationem dierum illorum, sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, et stellæ cadent de cœlo, et virtutes cœlorum commovebuntur.

Statim autem post tribulationem dierum illorum.

1. — Lyranus, sacros Expositores secutus, notat,

post Antichristi persecutionem, priusquam manifesta finalis judicii signa compareant, breve interponendum fore temporis spatium, in quo homines, se ab impietatis monstro deceptos, seductosque esse dignoscere possint, juxta alium Apocalypseos, VIII, 1, textum : *Factum est silentium in cœlo, quasi media hora* ; « Istud enim tempus, » inquit Lyranus, « non « durabit, ut dicunt, nisi per quadraginta dies, vel « circiter, et hoc est, quod dicitur hic : *Statim « autem*, etc. Id est, parvo tempore elapso post « Antichristi tribulationem, apparebunt signa ma- « nifesta judicii. »

Sol obscurabitur.

2. — Lyranus lucem soli minime subtractum iri existimat, utpote naturalem ei, quia corpora cœlestia, inquit ille : « Manebunt in sua natura « integra, sed ista obscuritas erit respectu nostri, « per interpositionem alicujus corporis opaci, ut fit « in eclypsi. »

3. — Auctor Imperfecti similitudinem adducit patrisfamilias, in cujus morte omnes domestici lugubribus vestiuntur : « Omnis, » inquit, « familia « plangit et conscissis tunicis suis, nigris se coope- « riunt vestimentis, sic et humano genere, propter « quod fuerunt omnia creata, circa exitum consti- « tuto, totus contristatur mundus, universa cœli « ministeria lugent et candore deposito pro vesti- « bus, luctuosis tenebris vestiuntur. »

4. — Theophylactus gloriosissimam Christi humanitatem adeo rutilantem fore existimat, ut in comparatione ejus sol potandus futurus sit obscuratus : « Non disparens, » inquit, « sed supera- « tus lumine adventus Christi, quemadmodum et « stellæ et luna; quid enim prælerea opus erit « hujusmodi sensibili lumine, cum non erit nox, « sed apparebit Sol justitiæ. » Christus scilicet, qui de ipso dicit : *Ego sum lux mundi*; deque gloriosis cœli civibus scribitur : *Fulgebunt justi sicut sol*; quanto autem eminentior erit veri justitiæ Solis splendor, de cujus claritate omnes participabunt animæ et corpora beatorum?

5. — Possumus quoque, si libet, proxime sequentia ad verba eos reflectere, postquam enim Christus dixisset : *Sol obscurabitur, luna*, etc., subjungit illico : *Tunc parebit signum Filii hominis in cœlo*; crux enim Christi adeo videbitur corusca et fulgida, ut omnium obfuscatura sit luminum cœlestium splendorem; unde Chrysostomus, *Hom.* LXXVII *in Matth.*, ait : « Crux sole fulgentior videbitur, obscu- « ratur enim sol, crux autem apparet, quod fieri non « posset, nisi solares radios splendore superaret. »

6. — S. Anselmus verba illa in sensu spirituali, de Prælatis Ecclesiasticis, in persecutione extrema defecturis, explicat, dicens : « Id est, quidam majo- « res et minores Prælati in Ecclesia, qui alios illu- « minabant et qui videbantur stellæ, id est, dono « divinæ gratiæ fulgere in domo Dei, de cœlo, id « est, de Ecclesia cadent, privati lumine suo. »

Et luna non dabit lumen suum.

7. — Rabanus a S. Thoma in *Catena* citatus, non improbabile esse censet, omnibus cœli planetis ad tempus lucem sufferendam fore; unde ait : « Nihil « prohibet intelligi veraciter, tunc solem et lunam « cum cæteris sideribus ad tempus suo lumine « privari, sicut de sole factum constat, tempore « dominicæ passionis. »

8. — Juxta Lyranum privatio luminis lunæ dupliciter accidere potest, scilicet vel per interpositionem terræ et solis, vi cujus pars illa lunæ, quæ terram respicit, obscuratur, nullam a sole recipiens lucem, vel per interpositionem nubium.

Et stellæ caduat de cœlo.

9. — S. Thomas in Matthæum verba hæc litteraliter adimpleri posse negat, cum multæ sint stellæ tota terra majores; citatque Rabani auctoritatem, ita in S. Marcum scribentis : « Stellæ cœli erunt « decidentes, id est, in lumine minoratæ; » et inquit S. Thomas : « Unde ista quod lumen alicujus « luminaris minoratur, vel in seipso, vel per inter- « positum aliquid, ut si nubes interponatur, ut cum « eclypsatur luna, minuitur lumen ejus; unde « dicit Origenes, quod dupliciter potest intelligi : « primo, quod hoc interpositum erit ignis, qui « ante Christum præcedet et consumet omnia usque « ad medium spatium aeris, quantum scilicet ele- « vatæ sunt aquæ diluvii; quem ignem sequetur « multus fumus; ita quod tenebrabuntur luminaria « cœli; vel potest dici, quod quidam tenebant, ista « corpora esse corruptibilia, et sicut elementa im- « mutabuntur, ita et ista; » utiturque hoc Apocalypseos, VI, 12, textu : *Sol factus est niger tanquam saccus cilicinus, et luna tota est facta sicut sanguis, et stellæ de cœlo ceciderunt super terram.*

10. — Cajetanus ait : « Casum earum intelligo, « esse casum a lucendo; » Albertus Magnus pariter scribit : « Non casu corporali, sed potius quo ad « effectum in his, quæ generantur. » Lyranus nihilominus hunc casum non realem, sed apparentem fore existimans, inquit : « Stellæ cadent de « cœlo, non quantum ad earum substantiam, cum « sint incorruptibiles, sed secundum apparentiam, « quia veræ stellæ abscondentur per nubium den- « sitatem et de nubibus versus terram descendent « exhalationes ignitæ, quæ dicuntur stellæ caden- « tes. »

Et virtutes cœlorum commovebuntur.

11. — Cajetanus per has cœlorum virtutes, a suis operationibus destituras intelligit influentias, dicens : « Vires seu potestates corporum cœlestium; « mutabuntur enim a solitis actionibus. »

12. — S. Thomas ait : « Id est, virtutes quæ Deo « ministrant, » citatque S. Augustinum, dicentem : « Quod omnia corpora administrantur per spiritum « vitæ, unde dicuntur moveri in effectu, quia in « adventu Domini cessabit motus cœli; unde illa « dicuntur moveri, quando illa, quæ ad suum offi- « cium pertinent, in alium statum mutantur. »

13. — Hugo Cardinalis verba illa de Angelicis potestatibus interpretatur, conformiter enidam D. Chrysostomi testimonio, sequentem adducens similitudinem : « Si quando rex terrenus exit in expe- « ditionem, tota civitas fervet, exercitus excitatur, « quanto magis Rege cœlesti exurgente judicare « vivos et mortuos, virtutes Angelicæ commove- « buntur? » Lyranus pariter, per eas virtutes, Angelos intelligit, dicens : « Qui sunt de medio « ordine secundæ hierarchiæ, ad quorum officium « spectat, cooperari aliquo modo ad miracula, « secundum quod dicit beatus Dionysius, et ipsi « tunc frequentius solito movebuntur, ex divina « voluntate, ad faciendum miraculosas transmuta- « tiones in elementis, ad incutiendum hominibus « terrorem Judicis venientis. » Rabanus, ab Alberto Magno citatus, de commotione explicat spirituum Angelicorum, qui se nobis ad incutiendum terrorem sistent : « *Commovebuntur*, id est, » inquit, « *time- « bunt*, hoc est, considerato terrore Judicis, ad mo- « lum timentium se habebunt; aut reverentiæ « motu movebuntur ad gloriam Judicis. » Expressius tamen venerabilis Beda inquit : « Hoc est, Ange- « licæ trement Potestates. »

14. — In sensu mystico idem Sanctus inquit : « Ecclesia est sol, et luna, et stella; cui dictum « est : *Speciosa ut luna, electa ut sol*, quia tunc non « apparebit impiis persecutoribus, ultra modum « sævientibus. »

15. — Anselmus in iis virtutibus, nostros dicit designari Angelos custodes : « Id est, Angeli move- « buntur judicio hominum futuro, quorum custo- « diæ deputati sunt. B. Jobo, XVI, 11, attestante, qui « ait : *Columnæ cœli contremiscunt et pavent adven- « tum ejus.* »

16. — Venerabilis denique Beda in hac commotione, multorum considerat casum, qui hic in terra sancti apparebant, inquiens : « Quoniam multi, « qui gratia fulgere videbantur, per sequentibus « impiis cadent et firmissimi turbabuntur. »

VERSUS 30.

Et tunc parebit signum Filii hominis in cœlo, et tunc plangent omnes tribus terræ et videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa et majestate.

Et tunc parebit signum Filii hominis in cœlo.

1. — Lyranus hujus signi qualitatem explicat, dicens : « Id est, crux, clavi, lancea, quæ sunt pas- « sionis Christi instrumenta, vel cicatrices, quæ « apparebunt in Christi corpore, apparebunt in « cœlo, id est, in aere, qui aliquando vocatur « cœlum in Scriptura; » juxta quod et sancta Ecclesia canit : « Hoc signum crucis erit in cœlo, cum « Dominus ad judicandum venerit; » sublimis in throno, inque tribunali residens ad promulgandas sententias inappellabiles et exercendam supremo et independenti Principi soli propriam jurisdictionem; talis erit suprema illa Majestas Filii hominis, *Joan.*, V, 22 : *Neque enim Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio* ; patibuli et crucifixionis ejus meritorum mercedem, quemadmodum Angelicus Doctor pluribus in locis docet, inquiens : « Potestas « judiciaria Christo homini collata est in præmium « humilitatis, quam in passione exhibuit. » Et in opusculo II, *cap.* CCXLIV, prædicta verba : *Ubicumque fuerit corpus, illic congregabuntur et aquilæ*, explicans dicit : « Per eas significantur Sancti; « signanter autem loco corporis in Hebræo Joathan « dicitur, secundum Hieronymum, quod cadaver « significat, ad commemorandum Christi passio- « nem, per quam Christus et potestatem judicia- « riam promeruit, et homines conformati passioni « ejus, ad societatem gloriæ ipsius assumuntur; » pergit deinde ostendere, Christum de cœlo descensurum, ut eo in loco tribunal locet, ubi ipse judicatus et condemnatus fuit : « Circa locum dominicæ « passionis, » ait, « creditur Christus ad judicium « descensurus, » id quod ex Joele, III, 2, deductum esse videtur, ubi dicit : *Congregabo omnes gentes et deducam eas in vallem Josaphat, et disceptabo cum eis ibi*; quæ vallis monti adjacet Oliveti, ubi Redemptor passionem suam exorsus est. In eodem porro loco S. Thomas prosequitur, dicens : « Tunc « apparebit signum Filii hominis in cœlo, ut impii, « videntes in quem confixerunt, doleant et crucien- « tur; et ii, qui redempti sunt, gaudeant de gloria « Redemptoris. » S. Bonaventura, *Serm.* IV *in hac Dom.*, quoque Christum eo ad judicium descensurum existimat, unde ascendit in cœlum : « Ante « eum instrumenta mortis, quasi vexilla triumphi, « crux, clavi, lancea et cicatrices; non erit tunc « necessitas accusationis, cum viderit crucem et « Christum habentem in corpore suo testimonia « passionis; his signis convincentur impii magnæ « ingratitudinis. »

2. — Auctor Imperfecti, non appariturum in judicio crucem existimans, dicit : « Quidam putant « crucem Christi ostendendam esse, in corpore suo « habentem testimonia passionis, id est, vulnera « lanceæ et clavorum; ut impleatur quod dictum « est : *Et videbunt, in quem pupugerunt.* » Salmeron in hujus difficultatis examine, illa Ecclesiæ verba : « Hoc signum crucis erit in cœlo, » discutiens, ait : « Apparebit in cœlo, ut notetur, cœlum merito

UNIVERSIDAD DE MONTERREY
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

« crucis possideri, » quæ electorum quidem triumphalis currus erit, at reproborum signum, ad fovendum inextinguibilem inferni ignem; docet autem idem auctor, crucem illam diversam fore ab ea, in qua passus est Redemptor : « Et crux, » inquit, « quæ ex elementorum materia constabat, « sole ipso jucundior ac fulgentior bonis appare- « bit; » plurium deinde sacrorum Doctorum citat opiniones, diversa alia passionis insignia, in judicio simul comparitura, commemorantium, columnam scilicet, ad quam Christus ligatus et excarnificatus fuit, flagella, coronam spineam, claves, spongiam, arundinem, qua caput ejus percussum est, lanceam et reliqua omnia suppliciorum ejus instrumenta. Tandem vero cujusdam subjungit opinionem, censentis, electorum frontes signo crucis insigniendas fore; juxta illum Ezechielis, IX, 4, textum : *Signa Thau super frontes virorum gementium; et Apoc.*, VII, 3 : *Nolite nocere terræ et mari, neque arboribus, quoadusque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum.*

3. — De tempore autem, in quo signum illud apparebit, idem Salmeron ita scribit : « Vel veniet « simul tempore cum Judice, vel ut alii sentiunt, « tempore obscurationis luminarium in edito aeris « loco apparebit, quo ab omnibus cerni possit, erit- « que extensum super nos per aliquot dies et noctes, « et post desinet apparere, et rursum, veniente « Christo, ut vexillum præcedet ante eum. »

4. — In tribus Sacræ Scripturæ locis, idem quasi scriptum ita reperimus, de hoc Redemptoris ad judicium adventu, in figura crucifixi, seu cum signis redemptionis nostræ; in Zacharia enim, XII, 10, dicitur : *Aspicient ad me, quem confixerunt, et plangent.* S. Joannes etiam, XIX, 37, postquam passionem ejus, specialiter ictum lanceæ, recensuisset, subjungit : *Alia scriptura dicit : videbunt in quem transfixerunt*; denique in Apocalypsi, I, 7, idem Joannes ait : *Ecce venit cum nubibus, et videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt.* Septuaginta in textu Zachariæ legunt : *Insultaverunt.* Hebræi illum præcedentibus hisce insignis regiis, tanquam Paradisi Monarcham, in tanta majestate videbunt descendentem, ut illos condemnet, qui illum quondam tot indignis modis contempserant et illaserant; et quidem hæc Judicis in hac forma comparitio, ut Albertus Magnus ait, in maximum cadet impiorum tormentum : « Hoc erit eis magna pœna; unde « Glossa ait : Hoc fiet, ut magis crucientur, » et notandum, quod Propheta dicat : « *Plangent se super* « *eum*; non enim dicit : *Plangent se*, sed *super eum*, « id est, propter eum, scilicet quia eum crucifixe- « runt. » S. Thomas, vel quisquis auctor est commentarii in caput I Apocalypseos, ait : « Ad « confusionem eorum, qui Dominum crucifixerunt « manu vel consilio, subdit : *Et qui eum pupugerunt,* « *videbunt eum* ad cumulum pœnæ; » attamen idem Angelicus Doctor dubium quoddam subdit, nimirum, quomodo sacratissima Christi humanitas gloriosa et excessiva pulchritudine conspicua, ab impiis videri possit, cum Isaiæ, XXVI, 10, juxta aliam quamdam versionem dicatur : *Tollatur impius, ne videat gloriam Dei*; et respondet : « Omnes tam « boni quam mali videbunt ipsum in humanitate « glorificata, et ut ille aspectus sit bonis ad conso- « lationem, malis ad confusionem et afflictionem, « quia tam dulci amatori et tam largo remunera- « tori ingrati fuerunt, ut ejus jussa fugerent; » citatque S. Isidorum, *lib.* I *de summo bono*, ita scribentem : « In judicio reprobi humanitatem « Christi, videbunt, ut doleant, divinitatem vero « ejus non videbunt, ne gaudeant; quibus enim « ostenditur, usque ad gaudium demonstratur; » et ideo S. Thomas ultra progreditur dicendo : « Illa pulchritudo non erit eis delectabilis, quia « excellens luminosum obscurat infimum oculum « et gravat, illuminat autem sanum et oblectat, sic « luminositas corporis dominici, obscura et terribi- « lis erit reprobis et delectabilis electis. »

Et tunc plangent.

5. — S. Thomas in hunc S. Matthæi textum scribens, planctus hujus rationem hisce verbis reddit : « Videntes tantam Christi potestatem, « quam despexerunt, et tantam sapientiam, cui « non obedierunt, et tantam claritatem Sancto- « rum; unde dicant illud quod dicitur Sapientiæ « *cap.* V, 3 : *Hi sunt, quos habuimus aliquando in* « *derisum*; » idem quoque Angelicus Doctor, vel quisque auctor est in Apocalypsin, ait : « *Plangent,* « quia offenderunt, et quia se separari ab ejus et « suorum consortio electorum videbunt. » S. Joannes, in Apocalypsi, de hujus Judicis adventu tractans, dicit : *Plangent se super eum omnes tribus terræ*; de quonam autem planctu id intelligendum sit, Cajetanus his verbis declarat : « *Plangent* « non pœnitendo sed tristes redditi, quia certi jam « sunt, exspectantes propriam damnationem; » adeoque planctus hic planctui Esau similis erit. S. Augustinus ait : « *Plangent,* videntes accusatorem « suum, id est, ipsum crucem, et in ipso arguente, « cognoscent peccatum suum, et frustra fatebuntur « impiam cæcitatem. » Albertus Magnus, in Lucam scribens, planctum hunc remorsui malæ conscientiæ tribuit, qua reprobi inconsolabiliter infestabuntur : « Unusquisque se ipsum plangit, accusante con- « scientia. » Chrysostomus autem, *Hom.* LXXVII *in Matth.*, duo alia hujus planctus considerabilia motiva adducit, dicens : « *Plangent,* quia ex morte « ipsius nihil profecerunt, quia crucifixum, quem « adorare oportebat, contempserunt. »

Omnes tribus terræ.

6. — Illi præcipue lacrymabuntur tunc et dole-

bunt, qui terræ et rebus terrenis nimis tenaciter adhæserint, adeo ut cor et oculos suos semel cœlum versus erexerint. Unde S. Anselmus ait : « *Omnes* « *tribus terræ*; id est, terrenorum, non cœlestium, « quos prava conscientia non torquebit. » Albertus Magnus pariter super hæc verba S. Matthæi : *Omnes tribus terræ*, dicit : « Hoc est, qui in cœlo nullum « habent municipatum, quibus non est dictum : « *Vado parare vobis locum*; » illi vero, qui in hac præsenti vita bonis nimium dediti fuere terrenis, plangent se, quia ad cœlum non admittentur, sed ad centrum terræ condemnabuntur, æternaliter ibidem cruciandi. Idem Auctor super illa verba Apocalypsis, *tribus terræ*, dicit : « Id est, omnes qui « magis dilexerunt terram quam cœlum. » S. Thomas pariter dicit : « Id est, omnes nationes « hominum, qui dilexerunt terram. »

7. — Idem S. Doctor super eumdem Apocalypseos textum, verba hæc S. Matthæi citans, advertit aliam litteram legere : « *Collident,* quia confrin- « gentur sicut olla fictilis a lapide quando ei colli- « ditur, » quisquis ergo, dum vixit, oculos suos in terram, non vero in cœlum declinavit, in terra in perpetuum reclusus manebit : *Tanquam vas figuli confringet eos*, inquit Psaltes, *Psal.* II, 9, quia reproborum corpora velut testæ ex olla fracta residuæ in ignem infernalem projicientur. S. Bernardus in quodam sermone dicit, mirum non esse quod homo naturaliter ad hæc bona terrena animo affigatur : « Non enim sine causa dictum est, homi- « nem plasmatum non de terra qualibet, sed de « limo; » limus autem genus quoddam luti est quod faciliter adhærescit; ac proinde cum *omne simile appetat sibi simile*, argentum autem et aurum nihil aliud sit quam terra, quid mirum, si tenaciter adeo homini limo adhærescat? at pessimum est, quod cum hæc metalla ex profundissimis terræ visceribus, inferno quasi contiguis eruantur, nos cœlum amittere faciant, ut proinde Deus per Habacuc, II, 6, comminetur : *Væ ei, qui multiplicat non sua, usquequo, et aggravat contra se densum lutum.*

Et videbunt.

8. — S. Thomas hoc loco quærit? Sed qui vide- « bunt? omnes homines. » Notat tamen inter electos et reprobos hanc differentiam, quod quia Judex, qui ad judicandum venerit, « habet naturam humanam « et divinam, secundum divinam non videbitur nisi « mundis corde, » secundum illud, *Matth.*, V, 8 : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*; sed secundum humanam naturam, videbunt eum etiam mali.

9. — Idem quoque Sanctus hanc movet difficultatem, an scilicet hic judex in vultu glorioso tam ab electis quam a reprobis videndus sit, et respondet affirmative, adducitque textum illum Isaiæ, XXXVI, 10, ubi disputans Dominus cum Propheta dicit : « *Non videbit gloriam Domini*, et respondit « Propheta : *Domine, exaltetur manus tua ut non* « *videant*; cui respondet Dominus : *Videant et* « *confundantur*; unde boni videbunt ad lætitiam, « mali ad cruciatum et tristitiam; quando enim « aliquis timet puniri, quanto magis potestas judi- « cis contra ipsum apparet major magis affligitur; « sic quanto Christus apparebit gloriosior, tanto « magis cruciabuntur mali. »

Venientem in nubibus.

10. — Idem Angelicus Doctor duas considerat nubium conditiones, quas Christo Judici adaptans dicit : « Nubes habent obscuritatem et quando « spissa est, est terribilis propter fulgura et plu- « vias, quæ ex nubibus oriuntur, et hoc convenit « terrori impiorum. *Psal.* XCVI, 2 : *Nubes et caligo* « *in circuitu ejus*; item competit quod in nubibus « veniat, ad designandum divinitatem Christi, quia : « *Majestas Dei apparuit in nube*; *Exod.*, XVI, 10 : « Unde dicitur, III *Reg.*, VIII, 12 : *Dicit Dominus,* « *quod habitaret in nebula*; » deinde etiam nubem sacratissimæ Christi humanitatis expressam esse docet, unde gloriosissimo ejus corpori, in cœlos conscendenti, prout in festo Ascensionis legitur, nubes in occursum ipsius præparata fuit : *Videntibus illis elevatus est, et nubes suscepit eum ab oculis eorum*, ad hæc et Angelici cœtus insonuere, dicentes : *Quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum, ita veniet*, quibus subdit S. Thomas : « Ut ergo « ostendatur, quod sit ille idem, qui in nube subla- « tus est, apparebit in nubibus. » Denique aliud futuræ nubis motivum adducit, scilicet ad ostendendam gloriosi Christi corporis majestatem : « Com- « pelit etiam ad significandum glorificationem, « quando enim transfiguratus est, apparuit nubes « lucida, et tunc fuit una, sed tunc erunt plures, « quia tunc solum tribus apparuit, sed tunc pluri- « bus apparebit. »

11. — At quæret fortasse quispiam, an nubes illæ ex vaporibus et exhalationibus terrestribus condensabuntur, sicut aliæ, quæ naturaliter in aere efformantur, ratio autem dubii esse potest, quia tunc influxus cœlestes cessabunt, respondet itaque idem Sanctus : « Non erunt nisi quædam « claritates, redundantes ex corpore Christi et alio- « rum Sanctorum; » utiturque Origenis testimonio, unde sequentia desumpsit verba : « Origenes dicit, « quod erunt Angeli, non solum intelligibiliter, sed « veraciter ministrantes. » Idem quoque Angelicus, aut quisquis ili in Apocalypsin interpres, inquit : « Cum nubibus, id est, cum Sanctis, qui pluunt « per prædicationem, coruscant per miraculorum « operationem, elevati sunt per mundanorum abdi- « cationem, volant per altam contemplationem. » Comparebit porro Judex, totius cœlestis curiæ stipatus obsequio, ideoque subjungit :

Cum virtute multa et majestate.

12. — Idem S. Thomas primum Filii Dei in mundum adventum ponderans, ait : « In primo « adventu duo fuerunt : habuit enim infirmitatem « et ignominiam; infirmitatem, quia dicit Apostolus, II *Cor.*, XIII, 4 : *Crucifixus est ex infirmitate*; « ignominiam, secundum quod habetur, *Isa.*, LIII, « 14 : *Obstupuerunt super te multi; sic inglorius erit « super viros aspectus ejus, ac forma ejus inter filios « hominum.* » Ad recompensandam igitur primi adventus infamiam, de secundo prædicit : « *Cum « virtute multa et majestate*; consequenter ad hæc « duo dicit; ad infirmitatem ponit virtutem; unde « ista dicitur : *Data est mihi omnis potestas in cœlo « et in terra*, et hæc data est ei per generationem, « in quantum Filius Dei, sed ipse promeruit in « quantum homo, et hoc manifestabitur quando « omnes Angeli et omnia elementa ministrabunt « ei; item contra ignominiam dicit, quod veniet in « majestate, quasi Judex vivorum et mortuorum. »

Additio.

a. — *Tunc apparebit signum Filii hominis.* Super his verbis sic fatur S. Chrysologus : « Cujus autem « rei gratia istud signum apparet? Ut in magno « cumulo Judæorum impudentia opprimatur. Crucem in suam justificationem secum habens, in « judicium veniet. Non vulnera enim solum, sed « etiam acerbum et ignominiosum mortis suæ genus ostendens. *Tunc plangent tribus*; non enim « accusantibus opus erit, cum crucem viderint. « Plangent igitur, quia ex morte ipsius nihil profecerunt, quia crucifixum quem adorare oportebat « contempserunt. » Supplicium enim eorum qui reincidunt in peccata, ob gravissimam ingratitudinem notabiliter augetur. Cardinalis Toletus sic ait : « Post peccatum expectat Deus ad pœnitentiam, ex « magna misericordia. Quando ergo iterum peccat, « idem repetendo, aut simile committendo peccatum, eo gravior est culpa quo qui peccat, Dei misericordia, ad pœnitentiam expectantis et invitantis, magis abutitur; et multo gravius est, si « præcedentis peccati obtinuerat remissionem et « iterum peccat; et adhuc gravius, si admonitus et « correctus a Deo resipuit. » Postquam Salvator suam erga paralyticum illum exhibuisset benignitatem, eumdem monuit dicens : *Noli amplius peccare, ne deterius tibi aliquid contingat*; ubi S. Bonaventura, ad vocem *deterius* se reflectens, inquit : « Merito deterius contingit tali ob majorem « ingratificationem et inexcusabilitatem. » S. Chrysostomus, in *Hom.* I *in Act. Apost.*, rationem « assignat cur recidivus relabitur; ait enim : « Ideo namque postea quam acceperimus, socordes « sumus, quod priusquam acceperimus non vigilaverimus. Ideo complures, postquam acceperunt, « protinus redierunt ad priorem vomitum, redditi « deteriores, gravius supplicium sibi accerserunt, « eo quod a prioribus peccatis liberati, hoc pacto « etiam gravius Judicis iram in se provocarunt, « dum tanto liberati in morbo, nec sic quidem ad « sanitatem mentis converti potuerint. Quin illud « potius illis usuvenit, quod paralytico commina« batur Dominus, dicens : *Ecce sanus factus es, jam « noli peccare, ne quid tibi deterius eveniat.* Idem « quod Judæis prædicabat, ostendens quod illos ob « ingratitudinem immedicabilia manerent mala : « *Si non venissem, et locutus fuissem, peccatum non « haberent.* Itaque posthac dupla et quadrupla « peccata sunt. Qui sic? Quoniam post exhibitam « nobis dignationem, ingrati sumus et improbi. « Quapropter nihil nobis proficit lavacrum, ad hoc « ut mitius puniamur. »

Versus 31.

Et mittet Angelos suos cum tuba et voce magna, et congregabunt electos a quatuor ventis, a summis cœlorum usque ad terminos eorum.

Et mittet Angelos suos.

1. — In parabola de zizaniis, *Matth.*, XIII, 30, eadem a patrefamilias, Christi figurativo, verba proferri audimus; scilicet : *In tempore messis, dicam messoribus*; ubi Lyranus inquit : « Id est, judicii; « *dicam messoribus*, id est, Angelis; » qui zizania a frumento separabunt, dum hoc in cœlum transferent, illa vero in locum infernalem exturbaturi sunt; unde Chrysostomus, *Hom.* XLVII *in Matth.*, ait : « Sicut ministrant nobis in procuranda salute « nostra, ita etiam in remuneratione accipienda, et « in malos ac reprobos, divini judicii sententiam « exequentur. » — « Congruum est, » inquit Albertus *in Lucam*, « ut quos habuerunt duces « viæ, habeant etiam collectores cinerum et pro« ductores ad judicium; » vi namque officii sui, dispersos in unum colligent eorum corporum cineres, quorum ipsi custodes destinati fuere.

2. — *Dicunt montibus et petris*, inquit S. Joannes in Apocalypsi, VI, 16, *cadite super nos, et abscondite nos a facie sedentis super thronum, et ab ira Agni, quoniam veniet dies magnus iræ ipsorum, et quis poterit stare?* Sed dicet aliquis quomodo se in cavernis terræ abscondendos sperare poterunt, quando oculi Dei non solum secretissima antrorum latibula, verum etiam abstrusissima cordium secreta penetrare noscuntur? S. Thomas ait : « Dicunt « *montibus*, id est, Angelis per gloriam excelsis; *et « petris*, scilicet iisdem in Deo jam prorsus solidis; « *cadite super nos*, afflictionem, id est, animam com« patientem nobis, misericorditer inflectite super « nos, *et abscondite*, oratione, *nos a facie*, id est, « præsentia *sedentis super thronum*; » at frustraneus

ille erit recursus; tunc enim Angeli implacabiles nostri erunt accusatores, nostram nobis exprobraturi in respuendis eorum consiliis et auxiliis, saluti nostræ subministratis, negligentiam et duritiam; unde S. Chrysostomus ait : « Omnes Angeli erunt « cum ipso testantes, quot, quantaque ministerio « suo, cum a Domino mitterentur, ad salutem « peracta sunt, et ita horroris undique dies ille « plenus futurus est. »

Cum tuba.

3. — Hujus in extremo judicio sonitum tubæ testimonium nobis perhibet, a Sancto Spiritu directa Ecclesia, dum in defunctorum Missa cantat : « Tuba « mirum spargens sonum, per sepulcra regionum, « coget omnes ante thronum; » in duobus quoque locis Apostolus ait : *In novissima tuba; canet enim tuba et mortui resurgent incorrupti*; et ad Thessalonicenses : *Quoniam ipse Dominus in jussu et in voce Archangeli, et in tuba Dei descendet de cœlo, et mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi.* Juxta Dionysium Carthusianum tuba hæc juxta litteram minime accipienda est : « Nec enim tuba hæc, » inquit, « corporaliter intelligenda est, secundum « Remigium. » Salmeron quoque ait : « Metaphorice quibusdam videtur dictum, non erit ænea, « vel cornea, vel argentea, » juxta illud Apostoli ad Thessalonicenses : *In jussu, et in tuba*; existimat namque per tubam illam, solum intelligendi mandatum divinum : « Pro præcepto Christi, » id quod et Carthusianus, in epistolam ad Corinthios scribens, confirmat, dum ait : « Per tubam intelligitur « imperium Dei, cujus nutu resurrectio fiet. »

4. — Alii sacri Doctores per hoc instrumentum vocem Dei intelligunt; sic S. Amasius ait : « Tubæ « autem nomine, aliquid evidentissimum et præ« clarissimum signum vult Apostolus intelligi, « quam vocem Archangeli et tubam Dei, alio loco « dicit; quæ et vox Filii Dei in Evangelio dicitur. » S. Thomas quoque textum illum S. Joannis, V, 15, citat : *Audient vocem Filii Dei; qui audierint, vivent.* Idem et S. Anselmus confirmans, ait : « Itaque « clangor tubæ vocis indicat magnitudinem, » ad eum modum, quo in Isaia, LXXII, 1, dicitur : *Quasi tuba exalta vocem tuam*; denique Cajetanus, in Epistolam ad Thessalonicenses, eamdem sustinet opinionem.

5. — Salmeron vere sonum aliquem tunc audiendum esse censet, dicens : « Tuba, præter jussum et « vocem Archangeli, videtur externorum aliquod « signum, vehemens et horribile significare; » scripit S. Anselmus, dum ait : « *In tuba*, id est, in « aliquo sono magno et publico divinitus facto, « hæc tuba omnes excitabit; » et Albertus Magnus, *in Matth.*, dicit : « *Cum tuba*, id est, mundi fra« gore. »

6. — S. Anselmus ad illa Christi verba : *Cum facis eleemosynam, noli tuba canere ante te*, se inflectens, per hanc tubam universalem, manifestamque corporum resurrectionem intelligit : « Apertam « omnium resurrectionem, » S. Thomas ait : « Tuba est præsentia Christi, manifesta mundo. »

7. — Idem Angelicus Doctor, varia considerat hujus instrumenti officia, serviebat enim ad invocandam populi congregationem; unde *Num.*, X, 2, dicitur : *Fac tibi duas tubas argenteas ductiles, quibus convocare possis multitudinem*; et ideo de hoc quoque sono constat, per illum omnes ad judicium supremi Judicis convocandos esse : « Tuba mirum « spargens sonum, coget omnes ante thronum; » unde et Cajetanus ait : « Publicum conventum « totius humani generis appellat tubam. »

8. — Serviebat quoque ad festorum solemnitatem, unde *Psal.* LXXX, 4, dicitur : *Buccinate in Neomenia tuba, in insigne die solemnitatis vestræ*; et ideo hæc tuba quoque ad Festum nos invitabit, quod nullum habiturum est finem; Isaiæ, XXXIII, 20 : *Respice, Sion, civitatem solemnitatis tuæ.* « Hæc « tuba, » inquit S. Anselmus, « convocabit ad « solemnitatem æternæ lætitiæ. »

9. — Tubæ item serviunt bellis et prœliis, quod etiam valet, in præsenti tuba, quia hac resonante, *pugnabit pro eo orbis terrarum contra insensatos; armabit creaturam ad ultionem inimicorum.*

10. — Idem quoque S. Anselmus ait : « Hæc « tuba inimicos terrebit. » Hugo Cardinalis ait : « In tuba, quasi ad bellum veniet, » item Dionysius Carthusianus inquit : « Terribiliter imperabit resur« rectionem mortuorum, » et ut dicit Hieronymus, « sic canet, quod totus mundus tinniet. » S. Thomas notat, quod ad tubæ sonum moveantur exercitus, tam is, qui victor futurus erit, quam qui succumbet : « Sic in resurrectione, quidam eundo ad « Paradisum, quidam eundo ad infernum. »

11. — S. Anselmus in S. Matthæum ad prædictum tubarum in bellis usitatum sonum alludens : « Vox illa tubæ comparatur, quia sicut tuba terret « inimicos et animat suos, sic vox illa terrebit « impios et lætificabit justos. »

Voce magna.

12. — Albertus Magnus per vocem hanc magnam, præceptum Dei intelligit : « In voce magna, » inquit, « quæ est jussus Dei, quod vivant et surgant « mortui, et veniant ad judicium, » unde tria ad universalem omnium corporum resurrectionem concurrere considerat : « Fragor mundi in restitutione « materiæ; ministerium Angelorum in composi« tione pulverum et corporum; et jussus sive vox « Dei et Christi in vivificatione et citatione. »

13. — Dionysius Carthusianus per hanc vocem S. Michaelis Archangeli, supremi cœlestis militiæ principis vocem intelligit : « Voce magna Michaelis « Archangeli, qui est Princeps et custos Ecclesiæ,

« dicetque in die illa judicii ex commissione divina : « Surgite mortui, et venite ad judicium. »

14. — Chrysostomus, ab Hugone Cardinali citatus, sonoritatem vocis hujus, quam hæc vox sonora futura sit ex effectibus, quos producet, clare deducit : « Vere, » inquit, « magna vox tubæ terribilis, « cui obediunt omnia elementa, qua petras scindit, « inferos aperit, portas æreas conterit, vincula « mortis disrumpit, et de profundo abyssi animas « liberatas corporibus suis assignat. » Demum vero ad illum Apostoli textum, in quo Corinthiis exponit, cum quanta velocitate idipsum facturus sit, alludens, subjungit : « Hæc omnia citius consummet « in opere, quam sagitta transit in aere, dicente « Apostolo : *In momento, in ictu oculi.* In illa voce « mare discutitur, ut si quid apud se retinet de « humanis ossibus, sine contradictione restituat. »

15. — Lyranus vocem hanc a Judice edendam fore existimat, quando omnes mortuos ad tribunal suum evocabit : « Sicut in datione Legis auditus est « sonus terribilis, ut habetur Exodi, XIX, ita audie- « tur tunc sonitus consimilis virtute Angelorum « factus in elementis; et voce magna, vox illa erit « vox Christi vocantis mortuos ad judicium, ex « cujus virtute suscitabuntur. »

Et congregabunt electos a quatuor ventis, a summis cælorum, etc.

16. — Idem Lyranus per hæc verba non excludi notat, quin etiam coram eodem Judice, eodemque tempore advocandi et congregandi quoque sint reprobi : « Licet omnes adducantur ad judicium, « tamen specialiter electi adducentur ministerio « sanctorum Angelorum, quia erunt concives « eorum. »

17. — Per hos quatuor ventos, quatuor mundi partes intelliguntur. Estque hæc expositio Cajetani, dicentis : « Nominat quatuor mundi partes, a sum- « mis cælorum usque ad terminos eorum, non « solum ab hac superficie orbis terrarum quam « inhabitamus, sed etiam ab extremis, usque ad « extrema cælorum. » Paulus de Palatio ait : « Nihil « est aliud quam colligi ex omni dispersione terræ, « et colligi e cœlis ex omni dispersione aeris, in « quem multa Sanctorum corpora fuerint con- « versa. »

Versus 32.

Ab arbore autem fici discite parabolam; cum jam ramus ejus tener fuerit, et folia nata, scitis quia prope est æstas.

1. — D. Chrysostomus ab Hugone Cardinali adductus interrogat, cur Salvator noster potius in medium adduxerit exemplum ficus, quam alterius cujuspiam plantæ vel arboris? Et respondet : « Quia « pene post omnes arbores vernat, et difficile « frigus post frigus vernantem invenit. »

2. — S. Anselmus in sensu mystico per hanc arborem Synagogam intelligit : « Ficus, » inquit, « populum Israel designat, qui fuit sicut ficus « damnata, et pro sterilitate maledicta et arefacta, « sed cum de arido ligno ramus quidam fidei et « charitatis in eo apparuerit, et folia, id est, verba « prædicationis exorta fuerint, prope est æstas, « quæ expectatur, id est, æterna serenitas; » Infallibilis enim est a Deo facta promissio, Hebræos tandem in fine sæculorum ad veri Dei notitiam et fidem reducendos esse, et hoc judicii universalis appropinquantis certum quoddam judicium futurum erit. « Cum enim tandem sublata perfidia « mentis Israel salvus fiet, prope esse diem judicii, « dubium non est. » S. Hilarius per hujus maledictæ arboris ramum Antichristum intelligendum esse dicit : « Ramus ficus Antichristus esse intelli- « gitur, Zabuli filius, peccati portio, Legis assertor « qui cum tenerescere cœperit, atque frondescere, « tunc proxima est æstas, id est, dies judicii sen- « tietur. » S. Thomas eamdem affert expositionem : « Per ficum, » inquit, « signatur Synagoga, » idque probat per parabolam illam Lucæ, cap. XIII, de eo, qui habebat ficum, quæ cum post elapsum solidum triennium, nullum prorsus fructum attulerat, etc. « *Cum jam ramus ejus tener fuerit,* hoc « potest exponi sic : Ramus tener Antichristus est, « cujus potestas parum durabit, et ficus folia mul- « tum adhærent ei, et tunc potestas ejus manifes- « tabitur; vel potest exponi in bono; per ramum, « virtus et fortitudo Sanctorum, qui quando Eccle- « sia incipiat finiri, virtus Christi et Sanctorum « apparebit, qui sustinebunt eam. *Cant.*, II, 13 : « *Ficus protulit grossos suos.* »

3. — Auctor Imperfecti etiam in sensu spirituali per hanc arborem Ecclesiam intelligit; cujus hanc reddit rationem, *Hom.* XL : « Ideo, » inquit, « ficus « Ecclesiæ similatur, quia sicut ficus sub uno cortice « plurima grana inter viscera dulcedinis inclusa « constringit, sic Ecclesia sub uno corpore multos « Christianos, intra viscera charitatis suæ congre- « gatos, complectitur. » Ejusdem quoque similitudinis aliam subjungit a duratione fructuum petitam, ficus enim fructus diutius durat quam aliarum arborum fructus : « Omnis arbor pene in uno « tempore præbet, nam intra paucos dies et matu- « rescunt et cadunt, ficus autem ex quo cœperit « fructus afferre, usque ad hiemem fructificare « non cessat, nam alii colliguntur maturi et alii « hinc præcedunt; sic Ecclesia ex quo cœperit « Sanctos offerre, usque ad finem sæculi non « cessabit. »

4. — Paulus de Palatio ex his verbis occasionem sumit prædicendi, tunc Ecclesiæ finem imminere, quando Prælati ipsius otio, deliciis et voluptatibus dediti esse cœperint, omnem fugientes laborem et vigilantiam : « Cum Ecclesia nostra Prælatos suos « et Principes teneros habuerit, et delicatos, cum « plena habuerit folia, id est, verba multa et « eruditionem multam, sed sine fructu, prope est « æstas judicii; in primitiva Ecclesia erant Episcopi « ad labores durati minimeque teneri. »

Additio.

a. — *Ab arbore autem fici discite parabolam.* Postquam Christus rencensuit prævias tremendo judicio calamitates, hac similitudine exponit, quam timenda sit impiis mundialis felicitas, cum gratius arridet. Ad quæ verba Evangelistæ, ita opportune scribit S. Gregorius, *Hom. in Evangelio* : « Sicut ex « fructu arboris vicina æstas colligitur, ita ex ruina « mundi prope cognoscitur regnum Dei. Et ex hoc « ostenditur, quia fructus mundi ruina est, ad hoc « enim germinat, ut quæcumque germine aluit, « cladibus consumat. » Nimirum cum Deus tibi indulgenter felicitatem promittit, o peccator, campi tibi vernant, fores autumnant et florida mundi gratia spe cumulatius impleris; scito quod ex fructu et flore arboris agnoscitur vicina æstas, quæ fructus avide torreat. Et ex hoc ostenditur quia « fructus mundi ruina est. » Profecto sublimis mundanorum prosperitas in hac vita, et peccatorum impunitas, ruinarum minæ, et infallibile Dei contra illos indignantis judicium. S. Hieronymus, postquam in Epistola quadam ostendisset, hunc Dei morem esse, quod servos suos fideles in hac vita per persecutiones et adversitates exerceat et pessime tractet, licet in continua innocentia Christiana sanctissime vivant, tandem subjungit : « Et « tu beatos putas, qui felicitate istius sæculi et « deliciis perfruuntur? » Et paulo post confirmans ea, quæ super textum Ezechielis dixerat, subjungit : « Magna ira est, quando peccantibus non irascitur « Deus; unde et in Ezechiele ad Jerusalem : *Jam,* « inquit, *non irascar tibi; zelus meus recessit a te.* » Audiamus S. Isidorum Pelusiotem dicentem : « De- « linquentes, heus tu, et in hac vita castigati, « deplorandi non sunt, sed qui impuniti abeunt; « ut enim non tam molestum est ægrotare, quam « morbo medelam non afferri; ac neque putrescens « ulcus lamentis sit dignum, sed potius remedium, « a medico non adhiberi. Qui enim secatur, uritur- « que, ad curationem properat, dolorum perceptu- « rus medelam. Idem animis usuvenire existiman- « dum est. Quæ enim hic pœnæ, suppliciaque « tolerantur ad salutem traducunt. At impune qui « ferunt, ii fere mali sui sensum amittunt. »

Versus 33.

Ita et vos cum videritis hæc omnia, scitote quia prope est in januis.

1. — Lucas Brugensis dicit : « His verbis Apostolos alloquitur » nimirum generosum illis animum suggerere voluit, dicendo corporum suorum gloriosam resurrectionem in propinquo esse : « Usus « loquendi est, ut in foribus esse dicatur, quod « proximum est; supple ex Luca : *Regnum Dei* seu, « *redemptio vestra;* tam certo et tam brevi conse- « quetur hæc regnum Dei, quam certo et quam « brevi consequitur æstas germinationem arbo- « rum; » prosequitur denique idem auctor probare benignissimi Salvatoris mentem esse, ut tantis propositis tremendis signis, suos a tremore eximat animumque addat : « Potius bono animo sint, » inquit, « eo quod signa certa videant vicinæ salutis, « beatitudinisque suæ. »

Versus 34.

Amen dico vobis : quia non præteribit generatio hæc, donec omnia hæc fiant.

1. — Cajetanus inquit : « Tum electorum, tum « hominum. » Jansenius vero ait : « Obscurum est, « quid per generationem hanc Dominus hic signi- « ficare voluerit; » quo fine varias adducit sacrorum Interpretum expositiones S. Hieronymus vel totum genus humanum, vel certe populum Judaicum designari existimat, maxime quia Christus hujusmodi similitudinibus, de Hebraismo tractans, uti consueverat, *Matth.*, XXIII, 36 : *Amen dico vobis, venient hæc omnia super generationem istam.* D. Chrysostomus per hanc generationem justorum electorumque congregationem signari arbitratur, Christumque illa verba ad animandos Apostolos dixisse, ne deterrerentur; « idque ideo, » ait, « de ea dictum « ne metuerent Apostoli, per prædicta pericula « penitus fideles delendos et prædicationem Evan- « gelii supprimendam, sed certiores essent, religio- « nem Christianam usque ad sæculi consummatio- « nem et novissimum Domini adventum persevera- « turam; » Lucas Brugensis ait : « *Generatio hæc,* id « est, hæc ætas et hoc hominum in me credentium « genus, » quomodo Psalmista *Psal.* XXIII, 6, ait : *Hæc est generatio quærentium Dominum;* ac tandem concludit : « Multæ aliæ sunt interpretationes, sed « has duas ita probo præ cæteris, ut etiam conjun- « gendas arbitrer, ad perfectum loci sensum, » cum enim hæc ætas ultima mundi sit; post legem enim Evangelicam alia non erit; unde S. Joannes ait : *Novissima hora est;* merito futurum dicebat, omnia adimplenda, priusquam hæc lex terminaretur : « Prius fient hæc omnia, quam homines omnes « hujus generationis moriantur aut esse desinant. »

Versus 35.

Cælum et terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.

1. — Verba hæc non ita intelligenda sunt, ut notat Lyranus, quasi cœlum et terra quoad substan-

tiam suam desitura sint : « Sed quia cessabit motus « cœli, et transmutatio in elementis, ista enim ordi- « nata sunt ad complendum numerum electorum, « ideo ipso completo in judicio cessabunt; » cur vero verbum Dei non sit interiturum, idem Auctor hanc reddit rationem : « Per verbum enim Christi « est mundus; et ideo verbum ejus est ipso mundo « stabilius; » S. Thomas ait : « Non dicitur, quod « transeant, quia esse desinant, sed quia transibunt « in alium statum, » quo modo in Apocalypsi, xx, 1, dicitur : *Vidi cœlum novum et terram novam*; Cajetanus pariter ait : « *Transibunt*, non secundum « substantiam, sed secundum statum, nam a statu « motus generationis et hujusmodi, transeunt ad « statum quietis. »

2. — Auctor Imperfecti hanc inde eruit moralitatem : « Cœlum et terra vanitati subjecta sunt, « dicente Apostolo : *Vanitati enim creatura subjecta « est*, naturaliter autem veritas nescit mentiri, nec « potest aliquando perire; » ac proinde firma nobis spes concipienda est, æternæque veritati innitendum, quo non potest deficere : *Ipsi peribunt, tu autem permanes*.

3. — Jansenius in hæc verba ait : « Sensus est : « Verba mea non erunt inania, ut non eveniat, « quod illa prædicunt, quemadmodum hominum « verba, quibus aliquid prædicunt et promittunt « frequenter inveniuntur inania, sive per mendaci- « tatem et mutationem loquentis, sive quod aliud « quid externum impediat prædictorum eventuum « aut promissionis adimpletionem; bene ergo sum- « mam valens verborum suorum significare volun- « tatem, comparat ea cum cœlo et terra, præferens « ea his, eo quod omnium, quæ in mundo sunt, « hæc maxime sint firma et immobilia. »

FINIS TOMI POSTERIORIS

INDEX EVANGELIORUM

TOMI SECUNDI

Festum Resurrectionis. *Maria Magdalena et Maria Jacobi*. Marc., xvi, 1. 1
Dominica in Albis. *Cum sero esset die illo*. Joan., xx, 19. 13
Dominica II post Pascha. *Ego sum pastor bonus*. Joan., x, 11. 38
Dominica III post Pascha. *Modicum et jam non videbitis me*. Joan., xvi, 16. 59
Dominica IV post Pascha. *Vado ad eum qui misit me*. Joan., xvi, 5. 89
Dominica V post Pascha. *Amen, amen dico vobis : si quid petieritis*. Joan., xvi, 23. 104
Dominica infra octavam Ascens. *Cum venerit Paracletus*. Joan., xv, 26. 123
Festum Pentecostes. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit*. Joan., xiv, 23. 140
Dominica I post Pentecosten. *Estote misericordes sicut et Pater vester*. Luc., vi, 36. 154
Dominica II post Pentecosten. *Homo quidam fecit cœnam magnam*. Luc., xiv, 16. 177
Dominica III post Pentecosten. *Erant appropinquantes ei Publicani*. Luc., xv, 1. 203
Dominica IV post Pentecosten. *Cum turbæ irruerent in eum*. Luc., v, 1. 226
Dominica V post Pentecosten. *Dico enim vobis quia nisi abundaverit justitia*. Matth., v, 20. 251
Dominica VI post Pentecosten. *Cum turba multa esset, nec haberent quod manducarent*. Marc., viii, 1. 273
Dominica VII post Pentecosten. *Attendite a falsis Prophetis*. Matth., vii, 15. 294
Dominica VIII post Pentecosten. *Homo quidam erat dives*. Luc., xvi, 1. 316
Dominica IX post Pentecosten. *Ut appropinquavit, videns civitatem*. Luc., xix, 41. 342
Dominica X post Pentecosten. *Dixit ad quosdam qui in se confidebant*. Luc., xviii, 9. 364
Dominica XI post Pentecosten. *Exiens de finibus Tyri*. Marc., vii, 31. 389
Dominica XII post Pentecosten. *Beati oculi qui vident*. Luc., x, 23. 411
Dominica XIII post Pentecosten. *Dum iret in Jerusalem*. Luc., xvii, 11. 440
Dominica XIV post Pentecosten. *Nemo potest duobus dominis servire*. Matth., vi, 24. 463
Dominica XV post Pentecosten. *Iibat in civitatem quæ vocatur Naim*. Luc., vii, 11. 492
Dominica XVI post Pentecosten. *Cum intraret Jesus in domum*. Luc., xiv, 1. 516
Dominica XVII post Pentecosten. *Interrogavit eum unus ex eis*. Matth., xxii, 35. 541
Dominica XVIII post Pentecosten. *Ascendens in naviculam transfretavit*. Matth., ix, 1. 566
Dominica XIX post Pentecosten. *Simile factum est regnum cœlorum homini regi*. Matth., xxii, 2. . . 591
Dominica XX post Pentecosten. *Erat quidam regulus*. Joan., iv, 16. 619
Dominica XXI post Pentecosten. *Assimilatum est regnum cœlorum homini*. Matth., xviii, 23. 644
Dominica XXII post Pentecosten. *Abeuntes Pharisæi*. Matth., xxii, 15. 671
Dominica XXIII post Pentecosten. *Hæc illo loquente ad eos*. Matth., ix, 18. 696
Dominica XXIV post Pentecosten. *Cum videritis abominationem*. Matth., xxiv, 15. 723

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

INDEX RERUM NOTABILIUM

A

Abel. — Abel omnia refert ad Deum, pia mentis intentione; Cain vero totum menti suæ deputat, tanquam principali. *Dom.* XX *post Pent.*, v. 47, lit. *b*.

Abnegatio. — Una est inter octo beatitudines. *Dom.* II *Adv.*, v. 5, n. 7.

Est verum sacrificium. *Dom. Sexag.*, v. 16, n. 7. Vide ADVERSITAS.

Abominatio. — Quæ sit abominatio maxima. *Dom.* XXIV *post Pent.*, v. 15, n. 8.

Diversæ abominationes, quibus Deus peccatores punit. *Ibid.*, n. 5.

Abrahamus. — Abrahami perfectissima obedientia. *Dom.* IV *Adv.*, v. 2, lit. *b*.

Humilitate fit pater fidei. *Dom.* III *Adv.*, v. 23, lit. *a*.

Absalon. — Absalonis historia malitiam, instabilitatem et infelicem exitum mundi repræsentat. *Fest. Pent.*, v. 27, lit. *c*.

Absolutio. — Qualiter absolutio sacramentalis tollat peccata. *Dom.* XVIII *post Pent.*, v. 6, n. 13.

Abstinentia. — Abstinentia præcipua est contra diabolum armatura. *Fer.* IV *Cin.*, v. 16, n. 8.

Unicum infirmitatis nostræ remedium. *Ibid.*, v. 17, n. 3.

Diabolus certamen inire non audet cum iis qui in abstinentia vitam suam agunt. *Dom.* I *Quadr.*, v. 2, lit. *c*.

Abstinentia et jejunium media sunt efficacia ad gloriæ possessionem. *Dom.* II *Quadr.*, v. 3, lit. *d*.

Illi qui acutiori et perspicaciori sunt intellectu præditi, abstinentes esse pariter conspiciuntur. *Ibid.*

Acceptio personarum. — Deus dona et gratias suas sine ulla personarum acceptione distribuit. *Dom. Septuag.*, v. 8, n. 10.

Accessus. — Accedit ad nos Deus, quando per viam humilitatis ab eo recedimus. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 8, n. 6.

Accedit idem quando per contritionem et pietatem ei approximamus. *Dom. Quinq.*, v. 40, n. 7. Vide ADVENTUS.

Accusatio. — Accusatus non est condemnandus sine prævio maturo examine. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 29, n. 4. Vide JUDEX.

Quandoque alios culpamus, et ipsi insontes haberi volumus, licet rei simus. *Dom.* III *Adv.*, v. 22, lit. *a*.

Acedia. — Perniciosi ejus effectus. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 24, n. 2. Item *Dom.* XVIII *post Pent.*, v. 1, n. 12.

Signum est reprobationis. *Dom.* VI *post Epiph.*, v. 31, n. 15.

Appellatur claudicatio. *Dom.* II *Adv.*, v. 5, n. 2.

Assimilatur paralysi. *Dom.* XVIII *post Pent.*, v. 1, n. 13.

Ex acedia eveniunt multa mala. *Dom. Septuag.*, v. 1, lit. *j*.

Acedia est quasdam tristitia aggravans, quæ ita deprimit animam hominis, ut nihil ei agere libeat. *Dom.* XVIII *post Pent.*, v. 1, lit. *g*.

Acediosus. — Acediosus inexorabilem sibi Deum reddit. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 24, lit. *j*.

Actio. — Non sufficit scire vel dicere, sed facere. *Dom.* XII *post Pent.*, v. 28, lit. *a*, *b*.

Activa. — Vita activa commendatur. *Dom.* IV *Adv.*, v. 3, n. 1.

Adamas. — Significat humanam felicitatem. *Dom.* III *Adv.*, v. 20, n. 4.

Symbolum est amoris et affectus parentum. *Fer.* IV *post Dom.* II *Quadr.*, v. 21, n. 13.

Adam. — Ejus prævaricatio quantum animabus præjudicaverit et nocuerit. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 20, n. 4.

Adamus se ingratum exhibuit erga Creatorem suum. *Dom.* XXI *post Pent.*, v. 24, lit. *g*.

Adamus incidit in latrones qui spoliaverunt eum divina gratia, virtutibus et excellentia. *Dom.* XII *post Pent.*, v. 30, lit. *a*.

Adamus peccavit ut Evam suam non contristaret. *Dom. in Albis*, v. 27, lit. *b*.

Morte animæ mortuus est Adam die qua peccavit. *Dom.* I *Quadr.*, v. 1, lit. *e*.

Deus misereatur illius statim post peccatum. *Dom.* IV *Adv.*, v. 1, lit. *a*.

Aditus. — Ne minimus quidem indulgendus est dæmoni. *Dom.* IV *Adv.*, v. 2, lit. *d*.

Admiratio. — Alia est propria, alia impropria. *Dom. infra Octav. Nativ.*, v. 23, n. 4 et 6.

Admiratio unde oriatur. *Ibid.*, n. 3.

Quomodo cadat in B. V. Mariam. *Ibid.*, n. 4 et 2. Et Christum. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 10, n. 1.

Oritur ex visione effectus et ignorantia causæ. *Dom. infra Octav. Nativ.*, v. 33, lit. *a*.

Res divinæ licet sint notæ, nobis tamen admirationem causant. *Ibid.*, lit. *c*.

Admonitio. — Admonitio est actus charitatis simul et prudentiæ. *Dom.* XX *post Pent.*, v. 49, lit. *a*. Vide CORRECTIO, REPREHENSIO.

Adolescens. — Si hunc instruxeris, ad quæ voles, informare valebis. *Dom.* II *Adv.*, v. 7, lit. *d*.

Adolescentia. — Deus maxime zelat conversionem nostram in ætate juvenili. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 42, lit. *g*.

Maximi meriti est adolescentiam Deo offerre. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 42, lit. *f*.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Adoratores. — Adoratores veri adorant in spiritu et veritate. *Dom.* IX *post Pent.*, v. 16, lit. *a*.

Adulatio. — Adulatio pejor est peste. *Fer.* IV *post Dom.* I *Quadr.*, v. 39, n. 1.

Adulationes Hebræorum terminantur in odio. *Fer.* IV *Pass.*, v. 24, n. 8.

Adulatio potentissima machina ad dejiciendas animas. *Dom.* XXII *post Pent.*, v. 16, n. 14.

Adulatio inimica Deo. *Ibid.*, v. 18, n. 2.

Vitiis illaqueatos definet. *Ibid.*

Vim incantandi habet. *Ibid.*, v. 19, n. 2.

Quam sollicite Christus adulationis vitium præcaverit. *Dom.* II *Adv.*, v. 7, n. 1.

Quot familiarissimum est in aulis et palatiis. *Dom.* II *Adv.*, v. 2, n. 2. *Fer.* III *Pass.*, v. 4, n. 12.

Adulatio non in domibus pauperum. *Dom.* III *Adv.*, v. 19, n. 3.

Facit apostatas, persecutio martyres. *Dom.* II *Adv.*, v. 4, lit. *b*.

Cæci dicendi sunt qui tum mundi tum hominum adulatione se duci sinunt in quævis gravissima peccata. *Dom.* II *Adv.*, v. 5, lit. *a*.

Magna opus est virtute ad hoc ut quis per adulationem non seducatur. *Dom.* II *Adv.*, v. 7, lit. *a*.

Regibus et Principibus perpetuum et maximum malum causant. *Dom.* II *Adv.*, v. 9, lit. *a*.

Per adulationem diabolus eos quos perfectiores et sanctiores esse novit, quantum potest seducere satagit. *Dom.* I *Quadr.*, v. 3, lit. *f*.

Hæc est adulatoris sagacitas, ut nunquam ejus cui adulari studet, defectus commemoret. *Ibid.*

Adulatores. — Adulatorum prima simulatio est ut laudant quos perdere volunt. *Dom.* XXII *post Pent.*, v. 16, lit. *b*.

Principibus adulatores maxime debent esse suspecti. *Dom.* XXII *post Pent.*, v. 19, lit. *c*.

Adulatores assimilantur iis qui mollibus vestiuntur. *Dom.* II *Adv.*, v. 8, n. 4.

Adulatorum proprietas. *Dom.* XXII *post Pent.*, v. 16, n. 17.

Adventus. — In primo adventu Christus seminavit; in secundo messurus. *Dom. Sexag.*, v. 5, n. 7.

Unde dignoscatur si Christus advenerit in animas nostras. *Dom.* II *Adv.*, v. 5, n. 14.

Quomodo illi venienti præparanda via. *Ibid.*, v. 10, n. 3 et 6. Item. *Dom.* III *Adv.*, v. 23, n. 13 et seq.

Hujusmodi via, alia est interna, scilicet pœnitentia; alia externa, nempe baptismus. *Ibid.*, n. 12. Vide verba : Accessus, Apparatus, Christus, Deus.

Finis adventus Christi erat peccatores salvos facere. *Dom.* III *Pent.*, v. 1, lit. *a*.

Voluit Dominus in suo primo adventu declarare non Judicem sed Salvatorem. *Dom.* XVIII *post Pent.*, v. 2, lit. *b*.

Adversitas. — Adversitates amandæ, ob multam earum utilitatem :

1° Cœlestium enim donorum et gratiarum nos capaces efficiunt. *Dom.* II *Adv.*, v. 2, n. 16. *Dom.* IV *Adv.*, v. 1, n. 3.

2° Quia juxta mensuram illarum, mensurabitur præmium gloriæ cœlestis. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 7, n. 1.

3° Quia apud Deum nos recurrere faciunt. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 1, n. 6. *Dom.* IV *Adv.*, v. 1, n. 3.

4° Facilitant nos ut cito obediamus vocationi divinæ. *Dom. Septuag.*, v. 3, n. 2.

5° Quia dignos reddunt nos alloquio Angelico. *Dom. Quinq.*, v. 35, n. 10. Et apparitionibus cœlestibus. *Dom.* II *Adv.*, v. 2, n. 6.

6° Quia sunt schola et exercitium virtutum. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 26, n. 4. *Dom.* VI *post Epiph.*, v. 31, n. 8. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 25, n. 18. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 43, n. 10.

7° Quia per eas fiunt animæ nostræ habitacula solius Dei. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 6, n. 6.

8° Quia in iis consistit beatitudo. *Dom.* II *Adv.*, v. 5, n. 7. Gloria et splendor. *Ibid.*, v. 2, n. 4. Illuminatio mentis. *Dom.* II *Adv.*, v. 2, n. 6.

In adversitatibus solatium multiplex :

1° Spes æternæ retributionis. *Dom. Septuag.*, v. 12, n. 15.

2° Necessitas tolerandi illas. *Dom. infra Octav. Nativ.*, v. 25, n. 1 et 3. *Dom. Sexag.*, v. 5, n. 6.

3° Exemplum Christi, a Nativitate sua cum desiderio patientis et gaudio. *Dom. infra Octav. Nativ.*, v. 34, n. 26, 27 et 28. *Dom.* II *Adv.*, v. 2, n. 5.

4° Exemplum B. V. Mariæ, necessario cruciatæ, in Filii morte. *Dom. infra Octav. Nativ.*, v. 35, n. 3. Et in tridiuana ejus amissione. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 43, n. 10, et v. 44, n. 4.

5° Exempla aliorum justorum et innocentium, quos omnes necessarium pati. *Dom.* II *Adv.*, v. 2, n. 3 et 5. Item, *Dom.* I *post Epiph.*, v. 43, n. 10. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 25, n. 10.

Adversitates signantur in silice. *Dom.* III *Adv.*, v. 23, n. 4.

Adversitates et ærumnæ a Deo immissæ sunt signa in nos divini amoris. *Dom.* II *Adv.*, v. 2, lit. *e*.

Adversitates patienter tolerare proprium est magni viri. *Dom.* II *Adv.*, v. 2, lit. *f*.

Libenter adversitas toleratur, quæ spe æternæ retributionis suavis esse videtur. *Dom.* IV *Adv.*, v. 2, lit. *e*.

Libenter quævis adversitas toleratur si gloria cœlestis consideretur. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 6, lit. *b*.

Deo gratias agere debemus in adversitatibus ex quibus salutem nostram promovemus. *Dom.* III *post Pasch.*, v. 16, lit. *g*.

Quos fortunæ adversitas prosequitur, præmitque afflictio, illi ad Deum facile convertuntur. *Dom.* XX *post Pent.*, v. 9, lit. *a*.

Advocatus. — Advocati et judices patrocinentur causis pauperum. *Dom.* XI *post Pent.*, v. 32, n. 24.

Ægyptus. — Cur in eam Christus fugerit a facie Herodis. *Dom. infra Octav. Nativ.*, v. 34, n. 27.

Æquitas. — Non minor est æquitas Dei quam infinita ejus erga peccantes pietas et patientia. *Dom. infra Octav. Nativ.*, v. 34, lit. *f*.

Æstas. — Assimilatur regno Dei. *Dom.* I *Adv.*, v. 30, n. 1 et 2.

Æstimatio. — Difficulter æstimatio propriæ laudis superari potest. *Dom.* III *Adv.*, v. 20, lit. *b*.

Ætas. — Non omnis ætas apta officiis. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 42, n. 2.

Nec prædicationibus. *Dom.* III *Adv.*, v. 20, n. 4.

Sola prima ætas Deo dicata, habet arrham gloriæ. *Dom. Septuag.*, v. 3, n. 1.

Æternitas. — Æternæ vitæ cum denario comparatio. *Dom. Septuag.*, v. 2, lit. *c*, *d*, *e*.

Si cum æternitate conferamus totum decursum vitæ præsentis, comparatione æternitatis non est nisi unum instans imperceptibile. *Dom.* III *post Pasch.*, v. 16, lit. *b*, *c*.

Nihil tantum valet ad spernendum præsentem vanitatem, quam cogitare jugiter æternitatem. *Dom.* XI *post Pent.*, v. 34, lit. *b*.

Ejus meditatio quam sit utilis. *Fer.* II *post Dom.* I *Quadr.*, v. 41, n. 7.

Affabilitas. — Affabilitas cum severitate conjungenda est ita ut una ab altera non separetur. *Dom. in Albis*, v. 20, lit. *a*.

Affectus. — Affectus amoris, vel odii seu invidiæ, communiter fallit. *Dom.* III *Adv.*, v. 19, lit. *d*.

Unimscujusque affectus est tempestas. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 21, n. 9.

Inordinatus mundi affectus separat a cœlo. *Fer.* II *post Dom.* II *Quadr.*, v. 23, n. 7.

Carnis et sanguinis affectus etiam perfectiores præcipitat. *Fer.* IV *post Dom.* II *Quadr.*, v. 20, n. 8.

Affectus inordinatus matrum erga filios. *Fer.* IV *post Dom.* II *Quadr.*, v. 20, n. 5, et v. 21, n. 14.

Quam ille sit immensus. *Fer.* V *post Dom.* I *Quadr.*, v. 22, n. 16.

Affectus inordinati occidunt animam. *Fer.* IV *post Dom.* III *Quadr.*, v. 19, n. 3.

Deus magis ad pium affectum dantis respicit quam ad quantitatem rei exhibitæ. *Dom.* II *Quadr.*, v. 3, lit. *b*.

Afflicti. — Afflictorum preces sunt efficacissimæ. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 4, lit. *d*.

Afflictorum preces efficacissimæ sunt. *Dom.* XXIII *post Pent.*, v. 20, lit. *c*.

Afflictio. — Cum Dominus nos exterius affligit, nos interius relicit. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 4, lit. *a*.

Afflictio hominem ex terrestri cœlestem efficit. *Dom. Quinq.*, v. 31, lit. *f*.

Quanto hæc exuberat, tanto exuberant consolationes. *Dom.* II *Quadr.*, v. 4, lit. *j*.

Quis afflictiones pavebit, quæ etiam in peccatoribus divinos oculos trahunt, et eos ad Deum perducunt. *Dom. Palm.*, v. 2, lit. *f*.

Afflictis Deus communicat consolationes et gaudia. *Dom.* V *post Pasch.*, v. 24, lit. *f*.

Simul crescunt afflictiones et præmii lucrum. *Dom.* XV *post Pent.*, v. 12, lit. *h*.

Preces afflictorum sunt efficacissimæ. *Dom.* XVI *post Pent.*, v. 2, lit. *g*. Vide Adversitas, Persecutiones.

Ager. — Agri nomine, intelligitur Ecclesia. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 24, n. 6.

Anima. *Ibid.*, n. 7, et *Dom.* VI *post Epiph.*, v. 31, n. 17.

Exercitatio virtuosa. *Ibid.*

Mundus. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 24, n. 5.

Ager in quo seminatur est Ecclesia; semen sunt sacra dogmata, sacramenta, virtutes. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 24, lit. *f*.

Agnus. — Agnus Sacramentalis animas ad se accedentes mundat a peccatis et purificat. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 42, lit. *c*.

Præcipuus Agni Eucharistici effectus est remissio et indulgentia peccatorum. *Dom.* XXI *post Pent.*, v. 26, lit. *c*.

Agnus immolatus in festo Paschæ figura erat divinæ Eucharistiæ. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 42, lit. *e*.

Agonia. — In illo extremo momento, difficile admodum valdeque arduum est, ut anima de Deo serio cogitet. *Dom.* XX *post Pent.*, v. 48, lit. *d*.

Agricola. — Messe non fruitur sine labore. *Dom.* III *post Pasch.*, v. 5, n. 18.

Qui sint agricolæ in vinea Domini. *Fer.* VI *post Dom.* II *Quadr.*, v. 33, n. 15.

Agrippina. — Mater Neronis, occidi parata, modo filius regnet. *Fer.* IV *post Dom.* II *Quadr.*, v. 20, n. 4.

Alchimia. — Pretiosissima et securissima quæ sit. *Dom.* VIII *post Pent.*, v. 9, n. 9.

Alimenta. — Jus habemus alimenta expectandi a Deo, qui se a nobis tanquam patrem nostrum invocari voluit. *Dom.* IV *Quadr.*, v. 5, lit. *j*.

Amaritudo. — Deus felicitatibus terrenis amaritudines miscet, ut felicitas alias quæratur. *Dom.* IV *Adv.*, v. 2, lit. *a*.

Ambitio. — Pestis est perniciosa. *Dom.* IV *Adv.*, v. 1, n. 2.

Eam docemur fugere, exemplo S. Joannis Baptistæ. *Dom.* IV *Adv.*, v. 2, n. 2.

In corda hominum tyrannidem exercet. *Fer.* IV *post Dom.* II *Quadr.*, v. 24, n. 2.

Est passio inordinata. *Ibid.*, v. 20, n. 4.

Crux est ambitiosorum. *Ibid.*, v. 22, n. 14.

Est febris delirare faciens. *Ibid.*, v. 21, n. 4.

Fuit multarum hæresum causa. *Fer.* IV *post Dom.* II *Quadr.*, v. 6, n. 3.

Efficit ne homo cœli gloriam æstimet. *Dom.* II *post Pent.*, v. 38, n. 14.

Ambitio omnium malorum est origo, omnique legi divinæ et naturali renuntiat. *Dom. Quinq.*, v. 32, lit. *c*.

Ambitio hominibus ingenita periculosissima est. *Dom.* I *Quadr.*, v. 9, lit. *a*.

Qui in hujus vilii potestate est, eodem plane, cum diabolo, malo laborat. *Dom. Pass.*, v. 48, lit. *c*.

Si quis desiderat habere primatum in Ecclesia, sciat illum non esse primatum sed servitutem. *Dom.* II *post Pasch.*, v. 11, lit. *f*.

Ambitio et superbia notantur in illo qui villam emit. *Dom.* II *post Pent.*, v. 18, lit. *a*, *b*, etc.

Ambitio, odium et invidia, maxime torquent cor. *Dom.* IX *post Pent.*, v. 45, lit. *b*.

Principatus ambitio idololatriam ipsam non respuit. *Dom.* XIX *post Pent.*, v. 2, lit. *c*.

Ambitiosus. — Ambitiosi nihili faciunt amissionem omnium, modo finem suum assequantur. *Fer.* IV *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 22, n. 25.

Ambitiosus significatur per claudum. *Fer.* VI *post Dom.* I *Quadr.*, v. 3, n. 4.

Ambitiosus non potest convenienter exercere suum officium. *Fer.* III *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 18, n. 7.

Ambitiosus dignitatis æstimationem minuit, ut eam tanto facilius assequatur. *Fer.* IV *post Dom.* II *Quadr.*, v. 20, n. 12.

Ambitiosus libens initialiter servit, ut finaliter dominetur. *Ibid.*, n. 9.

Ambitiosus affectat humilitatem. *Ibid.*, n. 10.

Ambitiosi, exaltati, similes sunt currui Ezechielis. *Dom.* XVI *post Pent.*, v. 9, n. 5.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Dominandi avidus omne prorsus amittit prudentiale judicium. *Dom.* III *Adv.*, v. 19, lit. *h*.
Falso credunt ambitiosi se Deum habere propitium, eo quod altiora loca et sæculi dignitates eis concesserit. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 24, lit. *d*.
Amicitia. — Amicitia Dei consistit in eo quod faciat libenter tolerari ærumnas. *Dom. infra Octav. Ascens.*, v. 2, n. 8.
Quanto major sit amicitia Christi quam hominis. *Fer.* VI *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 15, n. 7.
Amicitia sæcularium ut plurimum respicit interesse. *Fer.* IV *post Dom.* II *Quadr.*, v. 20, n. 1.
Amicitia pauperum utilior quam divitum. *Dom.* VIII *post Pent.*, v. 9, n. 1.
Amicitiæ jura requirere videntur ut ab amico omnis calamitas et tristitia propulsetur. *Dom.* III *post Pasch.*, v. 20, lit. *d*.
Amicus. — Amici Dei procul esse debent ab omnibus rixis. *Fer.* II *post Dom. Pass.*, v. 33, n. 13.
Amicus sæculi inimicus est Dei. *Fer.* II *post Dom.* II *Quadr.*, v. 23, n. 6.
Amissio Dei. — Jesus puer non amissus fuit in fuga in Ægyptum, sed in Jerusalem, in festo solemni. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 43, lit. *d*.
Amor. — Amor transfert amantem in objectum amatum. *Dom. Sexag.*, v. 5, n. 1.
Amor intellectum obnubilat. *Dom. Quinq.*, v. 34, n. 2.
Amor divinus dicitur semen Evangelicum. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 24, n. 9.
Amor Dei facit animam oblivisci omnium, quæ prius amabat. *Fer.* VI *post Dom.* III *Quadr.*, v. 28, n. 6.
Amoris Dei præceptum suavissimum est a quo nullus se excusare potest. *Dom.* XVII *post Pent.*, v. 4, n. 3 et 4.
Amor Dei est remedium facillimum ad se a peccati pondere exonerandum. *Ibid.*, n. 4.
Amor erigit hominem ad ultimum finem. *Dom.* XII *post Pent.*, v. 27, n. 7.
Amor Dei est mors peccatorum et via virtutum. *Dom.* XVII *post Pent.*, v. 37, n. 7.
Amor Christi singulariter in fine vitæ ejus manifestus fuit. *Dom.* III *post Pasch.*, v. 20, n. 4.
Amor Christi erga genus humanum excessivus fuit. *Dom.* III *Quadr.*, v. 3, n. 16.
Amor Apostolorum erga Christum. *Fer.* VI *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 16, n. 2.
Amor Dei quam sit suavis et modici laboris. *Dom.* X *post Pent.*, v. 47, n. 4.
Amor Dei est gemma qua cœlum comparatur. *Ibid.*, n. 6.
Amor Dei amantem unum cum Deo efficit. *Ibid.*, n. 8.
Motiva ad acquirendum hunc amorem. *Ibid.*, n. 9, 10 et 19.
Amor noster Deo, non creaturis debetur. *Dom.* V *post Pasch.*, v. 27, n. 4.
Amor proximi similis est dilectioni Dei. *Dom.* XVII *post Pent.*, v. 39, n. 4.
Omnia mala tollit et bona confert indilate ardens et sincerus amor. *Dom.* XXIII *post Pent.*, v. 22, lit. *c*.
Quibus vinculis Deus corda nostra astringat in suum amorem. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 6, lit. *d*.
Talis est amor Dei in nobis, ut omnia, quantum in sua bonitate est, ad bonum nostrum disponat. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 9, lit. *b*.
Amor Dei in nos duplex est, alius antecedens et alius concomitans. *Dom.* V *post Pasch.*, v. 27, lit. *b*.
Redemptor noster ostendit in se quod fortis est ut mors dilectio. *Fest. Pent.*, v. 23, lit. *h*, *i*.
Deus tota nimietate amoris humani diligi expectat. *Dom.* XVII *post Pent.*, v. 37, lit. *d*.
Amor sine timore facile mutatur in contemptum et inimicitias. *Dom. infra Octav. Nativ.*, v. 34, lit. *f*.
Homo pallium suum diligit, caligas suas diligit, Deum suum non diligit. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 24, lit. *a*.
Amor Dei dicitur aurum, quia aurum pretium est omnium thesaurorum. *Dom.* VI *post Epiph.*, v. 31, lit. *i*.
Amor amantem convertit in amatum. *Dom.* VI *post Epiph.*, v. 33, lit. *e*.
Ubi amor est, labor non est, sed sapor. *Ibid.*, lit. *f*.
Amor Dei fidem et res etiam minimas pretiosas efficit, et solus cudo comparando sufficit. *Dom. Quinq.*, v. 2, lit. *a*.
Pauci inveniuntur qui Deum amant. *Dom. Palm.*, v. 1, lit. *a*.
Opera nostra exteriora interioris amoris infallibilia signa sunt. *Fest. Pasch.*, v. 4, lit. *e*.
De amore nostro erga se Christus Dominus magnam æstimationem habet. *Fest. Pasch.*, v. 2, lit. *d*.
Omnes molestias et labores amor facilitat : Ama et fac quod vis. *Fest. Pasch.*, v. 2, lit. *g*.
Ad perfectionem acquirendam amor Dei nos adjuvat, et cum vitiis pugnat. *Dom.* V *post Pasch.*, v. 27, lit. *b*.
Quænam præcipua dantur amoris Dei signa. *Fest. Pent.*, v. 23, lit. *e*.
Amor in igne præfiguratur, quia hic in continuo motu existit estque elementum maxime activum. *Ibid.*
Amor Dei est operativus. *Ibid.*, lit. *f*.
Qui impensius amat, immetata quodammodo potentia ultra vires evalet. *Fest. Pent.*, v. 23, lit. *g*.
Si amas Dominum Jesum, si videris ejus injurias contemptumque, ferre nullatenus æquo animo poteris. *Fest. Pent.*, v. 23, lit. *g*.
Nunquam amor Dei est otiosus. *Fest. Pent.*, v. 23, lit. *h*.
In amore proximi tota consistit ratio beatitudinis nostræ. *Fest. Pent.*, v. 23, lit. *p*.
Pauci sunt amici Dei, pauci sunt enim qui mandata ejus servant. *Fest. Pent.*, v. 24, lit. *a*.
Amor Dei est operativus; Deum super omnia desiderat, cogitat et quærit. *Dom.* I *post Pent.*, v. 48, lit. *d*.
In virtute amoris Dei et proximi, per hujus mundi pelagus ad portum navigamus beatitudinis æternæ. *Dom.* IV *post Pent.*, v. 2, lit. *b*.
Amor divinus est thesaurus indeficiens. *Dom.* IV *post Pent.*, v. 2, lit. *b*.
Amor Dei sine amore proximi existere nequit. *Dom.* V *post Pent.*, v. 23, lit. *a*.
Omnia Dei præcepta ad proximi dilectionem tendunt. *Dom.* VII *post Pent.*, v. 24, lit. *b*.
Solve tributum amoris et Domino noveris esse satisfactum. *Dom.* VIII *post Pent.*, v. 6, lit. *b*.
Ad amorem suum ut nos alliceret Jesus, varias excogitavit inventiones amoris. *Dom.* XVII *post Pent.*, v. 37, lit. *a*.

Qui non vellet adhibere curam, ne offendat Deum venialiter, hoc ipso convinceretur non esse amicum Dei. *Dom.* XVII *post Pent.*, v. 37, lit. *b*.
Nullum opus vitæ æternæ meritorium est absque amore Dei. *Ibid.*, lit. *c*.
Amor proximi præcipitur ab omnibus legibus. *Ibid.*, n. 16.
Amor proximi non debet dividi a divino. *Ibid.*, n. 1.
In hoc amore consistit etiam amor Dei. *Ibid.*, n. 4.
Amor proximi est sacrificium Deo acceptissimum. *Dom.* V *post Pent.*, v. 23, n. 2.
Amor proximi est maximum donum, quod Dei fieri possit. *Dom.* V *post Pent.*, v. 23, n. 6.
Ex dilectione proximi dignoscitur discipulus Christi. *Fer.* II *post Dom.* II *Quadr.*, v. 35, n. 6.
Amor inimici est via ad sanctitatem. *Fer.* VI *Cin.*, v. 48, n. 2.
Amor inimici est actio Christiana. *Ibid.*, v. 46, n. 2.
Gentiles ob gloriam humanam dilexerunt inimicum. *Ibid.*, v. 47, n. 2.
Amor inimici a quo nobis præcipiatur. *Fer.* VI *Cin.*, v. 44, n. 1.
Amanti sufficit necessitatem detexisse. *Fer.* VI *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 3, n. 8.
Defectus veræ charitatis erga proximum convincit nos dæmonis esse sequaces. *Dom.* XI *post Pent.*, v. 32, lit. *b*.
Amando et benefaciendo iis qui oderunt nos, similes nos Deo efficimus. *Dom.* XII *post Pent.*, v. 25, lit. *a*.
Tantum amoris creaturis tribuitur, tantumdem Creatori auferitur. *Dom. Sexag.*, v. 11, lit. *a*.
Amor mundi nos elongat a Deo. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 3, lit. *f*. Vide CHARITAS.
Angelus. — Angeli assistunt nobis in custodiam. *Dom.* II *Adv.*, v. 10, n. 1.
Ambiunt Angeli servire hominibus, eosque ad cœlum perducere. *Fer.* V *post Dom.* II *Quadr.*, v. 22, n. 4.
Angeli erunt accusatores contra reos in judicio. *Dom.* XXIV *post Pent.*, v. 32, n. 2.
Angeli lætantur in conversione peccatoris, et quare. *Dom.* III *post Pent.*, v. 10, n. 2.
Angelus idem est quod nuntius; et ideo S. Joannes Baptista dicitur Angelus Christi. *Dom.* II *Adv.*, v. 10, n. 1.
Angeli dicuntur virtutes cœlorum. *Dom.* I *Adv.*, v. 20, n. 9, 10 et 11.
Angeli qualiter sint movendi in extremo judicio. *Ibid.*
Angeli venient in judicium associati Christo. *Ibid.*, v. 27, n. 9.
Angeli appellantur messores. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 30, n. 6.
Angeli quanto sunt Deo viciniores et gradu superiores, tanto plus Deum cognoscunt. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 8, n. 7.
Angeli pariter nobiscum in judicium sunt venturi. *Dom.* I *Adv.*, v. 26, lit. *f*.
Cur S. Joannes a Christo Angelus fuerit vocatus. *Dom.* II *Adv.*, v. 10, lit. *a*, *b*, *c*, *d*.
Angelus est omnis Prædicator veritatis nobis destinatus. *Ibid.*, lit. *c*.
Perfectissima Angelorum obedientia. *Dom.* IV *Adv.*, v. 2, lit. *b*.
Propter nos inserviunt nobis; miserantur enim sortem nostram, videntes periculum nostrum. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 28, lit. *d*.
Licet nostram reprobationem prævideant, nunquam tamen nos deserere probatur. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 30, lit. *c*.
Procuratores sunt animarum nostrarum eorumque ministerio commissum est mercedes distribuere. *Dom. Septuag.*, v. 8, lit. *a*.
Varia variorum Angelorum sunt officia et munia. *Fest. Pasch.*, v. 3, lit. *b*.
Ut in prosperitate innocenter vivamus nos adjuvant, nosque a multis periculis eripiunt. *Fest. Pasch.*, v. 3, lit. *d*.
Gaudent Angeli de pœnitentia ac conversione peccatoris, propter nos, propter Deum et propter se. *Dom.* III *post Pent.*, v. 7, lit. *a*.
Angeli nos excusant, defendunt, nuditatemque nostram virtutum habitibus contegunt. *Dom.* XIX *post Pent.*, v. 13, lit. *b*.
Angeli custodes de nostro profectu lætantur, et de peccatis nostris et delictis, aliquo modo contristantur. *Dom.* XXI *post Pent.*, v. 31, lit. *a*.
Anima. — Anima quanti apud Christum æstimetur. *Dom.* II *post Pasch.*, v. 15, n. 7.
Anima plus valet quam mundus. *Dom.* I *Quadr.*, v. 10, n. 1.
Anima est regnum Dei. *Dom.* II *post Pent.*, v. 3, n. 4, et *Dom.* V *post Epiph.*, v. 24, n. 1.
Anima non potest simul esse hospitium Dei et mundi. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 8, n. 4.
Anima figuratur in vinea Evangelica. *Dom. Septuag.*, v. 1, n. 9.
Anima est navis. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 23, n. 2.
Animæ justorum sunt uræ lapideæ. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 6, n. 4.
Anima quos debeat ferre fructus. *Dom.* II *Quadr.*, v. 34, n. 1.
Anima quando a Deo deseritur, maximam pœnam patitur. *Fer.* II *post Dom.* II *Quadr.*, v. 2, n. 3.
Anima peccatrix est domus dæmonis. *Fer.* IV *post Dom.* I *Quadr.*, v. 44, n. 4.
Pretiosus animæ thesaurus, cur in vase fragili repositus sit. *Fer.* IV *Cin.*, v. 20, n. 6.
Anima existens in peccatis, quam sit miserabilis. *Dom.* IV *post Pent.*, v. 30, n. 13.
Anima est imago Dei. *Dom.* XXII *post Pent.*, v. 20, n. 6 et 7.
Anima est imago Dei quæ sub corporis velo contecta latet. *Ibid.*, v. 20, lit. *a*, *b*, etc.
Anima est effigies sanctissimæ Trinitatis, et quare vase luteo inclusa sit. *Fer.* IV *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 6, n. 17.
Anima tantum valet quantum Deus. *Dom.* III *post Pent.*, v. 8, n. 15.
Anima appellatur vagina flatus Dei. *Dom.* XXIII *post Pent.*, v. 10, n. 4.
Anima offenditur a quotibet minimo peccato. *Dom.* I *post Pent.*, v. 41, n. 5.
Anima difficilius curatur quam corpus. *Dom.* XVIII *post Pent.*, v. 5, n. 4.
Anima debet habere dominium in corpus. *Ibid.*, v. 6, n. 14.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Anima quando in culpa non est inveterata, faciliter resurgit. *Dom.* XXIII *post Pent.*, v. 24, n. 8.
Anima quid facere debeat ut Christum sequatur. *Dom.* IV *post Pent.*, v. 30, n. 13.
Animæ pretium. *Dom.* III *post Pent.*, v. 5, n. 5.
Anima quanti constiterit Filio Dei. *Ibid.*
Anima a sanctissima Trinitate fuit creata. *Dom.* XXII *post Pent.*, v. 10, n. 4.
Animam inter et sanctissimam Trinitatem similitudo. *Ibid.*
Magna cura et custodia Deus animam prosequitur. *Dom.* II *Adv.*, v. 2, lit. *j*.
Quomodo anima nostra idoneam reddatur Deo habitaculum. *Dom.* II *Adv.*, v. 3, lit. *g*.
Si perdita fuerit, nullum est pretium in creatis quo redimi possit. *Dom.* III *Adv.*, v. 19, lit. *a*.
A Deo deserta ob peccatum, mystice per desertum intelligi potest. *Dom.* III *Adv.*, v. 23, lit. *e*.
Anima orans pro arbitrio suo cœlum aperit. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 15, lit. *a*.
Anima pura, immaculata, munda, Sponsum cœlestem in sui amorem rapit. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 1, lit. *c*.
Animæ speciositas. *Ibid.*
Modica æstimatio qua animam appretiamur, ex modica notitia oritur quam de illa habemus. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 2, lit. *h*.
Quanti æstimanda est anima nostra. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 2, lit. *h*.
Animæ sanitas in quo consistit. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 2, lit. *i*.
Animæ prædestinatæ, Christi cibo, non vero mundi nutriuntur. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 24, lit. *e*.
Anima nostra fluctibus maris operitur, quando terrenorum bonorum amore absorbetur. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 24, lit. *f*.
Anima semel amissa, nullum est pro recuperatione sperandum remedium. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 26, lit. *d*.
Anima nostra est ager in quo seminatur; virtutes sunt semen bonum. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 24, lit. *d*.
Diabolus illas maximi facit, et pretiosissimas esse judicat. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 25, lit. *q*.
Anima justi est Paradisus et locus deliciarum Dei. *Dom.* VI *post Epiph.*, v. 31, lit. *f*.
Quilibet maxime debet operari in cultura animæ suæ. *Dom. Septuag.*, v. 1, lit. *f*.
Regnum Dei quotidiam est anima fidelis, quæ si in amore divisionem admiserit, desolabitur. *Dom.* III *Quadr.*, v. 47, lit. *a*.
Anima nostra dummodo vetinous, semper vivere potest. *Dom.* IV *Quadr.*, v. 1, lit. *e*.
Anima animæ nostræ Deus est, quæ proinde moritur dum Deum amittit per peccatum. *Dom.* IV *Quadr.*, v. 1, lit. *e*.
Quotiquot Deum in templo materiali offendunt, primo templum animæ propriæ profanant. *Dom. Pass.*, v. 59, lit. *a*.
Animæ mors spiritualis accidit quando Deus, qui charitas est, ab eo recedit. *Dom. Palm.*, v. 1, lit. *a*.
Magna res anima quæ Christi sanguine redempta est, gravis animæ casus, qui nonnisi Christi cruce potuit reparari. *Dom. Palm.*, v. 1, lit. *c*.
Magna est gloria, magnum est lucrum eorum qui animas convertere satagunt. *Dom. in Albis*, v. 25, lit. *a*.
Quidquid Deus pro omnibus animabus simul fecit, idem pro qualibet in particulari paratus est præstare. *Dom. in Albis*, v. 26, lit. *a*.
Nihil fideles minus cogitant, quam quanti anima nostra Deo constiterit. *Dom.* IV *post Pasch.*, v. 5, lit. *f*.
Vitam animæ nostræ parvi facimus et magno in pretio vitam corporis habemus. *Dom.* IV *post Pasch.*, v. 6, lit. *e*.
Animam humanam res mundanæ occupare possunt, non repiere. *Dom. infra Octav. Ascens.*, v. 26, lit. *a*.
Plerique homines animas suas perdunt quarum ignorant et ignorare pretium volunt. *Dom. infra Octav. Ascens.*, cap. xv, v. 3, lit. *a*.
Anima justi est locus deliciarum Dei, ejusque Paradisus et templum. *Fest. Pent.*, v. 23, lit. *o*.
Quomodo anima Deo placere poterit per peccatum deformis. *Dom.* I *post Pent.*, v. 15, lit. *b*.
Deus animas nostras, etiam peccatis immersas, magni facit. *Dom.* II *post Pent.*, v. 1, lit. *c*.
Animam humanam Deus inter delicias suas recenset. *Dom.* III *post Pent.*, v. 1, lit. *d*.
Paternam Deus providentiam et curam habet cujustibet animæ in particulari. *Dom.* III *post Pent.*, v. 4, lit. *e*.
Anima quæ perdidit gratiæ drachmam, diligenter et quam cito quærere debet. *Dom.* III *post Pent.*, v. 8, lit. *a*.
Nullus fastidiendus est labor, licet etiam ille pro una tantum anima fuerit impensus. *Dom.* IV *post Pent.*, v. 4, lit. *e*.
Indecens est quod corpus animæ præponatur. *Dom.* VII *post Pent.*, v. 15, lit. *h*.
Exilis nimium æstimatio qua animam appretiamur, ex modica animæ oritur notitia. *Dom.* IX *post Pent.*, v. 42, lit. *b*.
Anima quæcumque universo mundo præferenda est. *Dom.* IX *post Pent.*, v. 42, lit. *c*.
In bonis terrenis anima nostra sæpe perditur, dum æterna negliguntur. *Dom.* XI *post Pent.*, v. 33, lit. *b*.
Maligni spiritus animam egredientem a corpore obsident et undique coangustant. *Dom.* IX *post Pent.*, v. 43, lit. *c*.
Tam improvidi sunt circa bona animæ homines, ut nihil non meditentur nisi corporale. *Dom.* XIV *post Pent.*, v. 25, lit. *c*.
Si charitate anima privatur, deformis est. *Dom.* XV *post Pent.*, v. 11, lit. *b*.
Pulchritudo interna animæ in exterioribus quandoque relucere solet. *Dom.* XV *post Pent.*, v. 11, lit. *c*.
Civitas Naim, quæ est anima nostra, tunc in se defectum habet, quando pulchritudo ejus per peccatum perditur. *Dom.* XV *post Pent.*, v. 11, lit. *c*.
Anima animæ nostræ Deus est, quæ proinde moritur dum Deum amittit et revivisciit dum Deum recipit. *Dom.* XV *post Pent.*, v. 12, lit. *b*.
Anima libidinis igne succensa, videtur infernus esse, in quo videlicet diabolus habitat. *Dom.* XV *post Pent.*, v. 12, lit. *c*.
Plus valet una anima, quam totus mundus, imo quam ipsum cœlum. *Dom.* XVI *post Pent.*, v. 3, lit. *b*.
Pro redemptione animæ nostræ Christus magnum persolvit pretium. *Dom.* XVIII *post Pent.*, v. 1, lit. *b*.
Anima nostra est Paradisus, et locus deliciarum Dei, ejusque templum. *Dom.* XVIII *post Pent.*, v. 1, lit. *b*.
Anima nostra dicitur civitas Domini quia innumeris eam replet donis ac beneficiis. *Dom.* XVIII *post Pent.*, v. 1, lit. *c*.
Animæ competit regimen et dominium in corpus. *Dom.* XX *post Pent.*, v. 18, lit. *b*.
Ex ipsa bonorum affluentia infirmatur animus ut deviet et tepescat in via rectitudinis. *Dom.* XX *post Pent.*, v. 16, lit. *g*.

Anna. — Anna idem significat, quod gratia. *Dom. infra Octav. Nativ.*, v. 36, n. 3.
Anna comparatur Judithæ. *Ibid.*, n. 4.

Annas. — Annas idem est quod affligens. *Dom.* IV *Adv.*, v. 1, n. 2.
Annas signat spiritum qui ducit ad vitia carnis. *Ibid.*

Annus. — Annus Ecclesiasticus incipit ab horrore judicii, et quare. *Dom.* I *post Pent.*, v. 25, n. 1.

Antichristus. — Antichristus nomine desolationis appellatur. *Dom.* XXIV *post Pent.*, v. 15, n. 17.
Antichristus est ramus arboris a Deo maledictæ. *Ibid.*, v. 32, n. 2.
Antichristus signa et miracula magna patrabit. *Ibid.*, v. 24, n. 1.
Antichristi seguaces eadem signa patrabunt. *Ibid.*, n. 3.

Antiochus. — Antiochus typus est dæmonis et prima ejus præda in templo qualis fuerit. *Fer.* IV *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 1, n. 11.

Anxietas. — A Christo in Evangelio prohibita, quæ sit. *Dom.* XV *post Pent.*, v. 25, n. 4 et 6.
Circa bona temporalia est Gentilium propria. *Dom.* XIV *post Pent.*, v. 32, n. 1.

Aperire. — Quid sit aperire Judici Christo. *Dom.* I *Adv.*, v. 28, n. 4.

Apes. — Apes pro melle conficiendo floribus, non herbis utuntur. *Fer.* III *Dom.* II *Quadr.*, v. 3, n. 8.
Apes præfigurant vindicativos. *Dom.* V *post Pent.*, v. 23, n. 4.

Apostoli. — Apostoli dicuntur nubes. *Dom.* IV *Epiph.*, v. 25, n. 9.
Dicuntur homines, verumtamen non in quocumque sensu. *Ibid.*, v. 27, n. 1.
Dicuntur rami. *Ibid.*, v. 31, n. 4 et 10.
Dicuntur fermentum. *Ibid.*, v. 33, n. 7.
Apostoli rudes significant Prælatos inscios. *Domin. Quinq.*, v. 34, n. 3.
Apostolorum temperantia. *Dom.* IV *Quadr.*, v. 9, n. 3.
S. Apostoli prius timidi postea fortes facti sunt. *Dom.* IV *post Pasch.*, v. 13, n. 11.
Converterunt idololatras. *Dom* II *post Pasch.*, v. 16, n. 4.
Tristati sunt ob obitum Magistri. *Dom.* IV *post Pasch.*, v. 6, n. 3.
Quilibet eorum, in suo periculo, necessitati studebat proximi subvenire. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 25, lit. *h*.
Adversitatibus pulsandi erant; hinc Jesus eis promittit consolationem. *Dom. infra Octav. Ascens.*, v. 26, lit. *b*.

Apparatus. — Quid sit apparatus quem dæmon optat in anima peccatoris. *Dom.* III *Quadr.*, v. 25, n. 1.
Apparatus circa Pascha faciendus. *Fer.* II *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 13, n. 3.

Apparitiones. — Non ubique apparet Deus sed ubi desertum est. *Dom. in Albis*, v. 19, lit. *a*.

Appetitus. — Appetitus inordinati occidunt animam. *Fer.* IV *post Dom.* II *Quadr.*, v. 33, n. 25. Vide Affectus.
Appetitus inordinati adversarii nostri et inimici ferocissimi. *Dom.* V *post Pent.*, v. 22, lit. *c*.

Applausus. — Gaudet et cooperatur dæmon ut homines perfectioris vitæ applausum habeant, ut prolabantur in vanam gloriam. *Dom.* XXII *post Pent.*, v. 16, lit. *c*.

Aqua. — Aqua comparatur gratiæ. *Dom. Sexag.*, v. 6, n. 4.
Comparatur sapientiæ. *Ibid.*, v. 11, n. 1.
Quare Christus solo verbo mutaverit aquam in vinum. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 6, n. 8.
An fuerit excellentius, quod Christus in Cana Galilææ aquam mutarit in vinum, quam si inibi vinum creasset? Sententia duplex. *Ibid.*, n. 9.
Cur gratia Spiritus Sancti aqua viva nominetur. *Fer.* IV *post Dom.* I *Quadr.*, v. 10, n. 11.
Aquæ semper fluentes quid significent. *Fer.* II *Pass.*, v. 38, n. 16.
Aquæ concupiscentiæ non sedant, sed accendunt sitim. *Fer.* VI *post Dom.* III *Quadr.*, v. 18, n. 2.
Aquæ gratiarum extinguunt sitim. *Ibid.*, v. 43, n. 4.
Aquæ mundanarum voluptatum accendunt sitim. *Ibid.*, n. 3.
Aquæ Siloe pœnitentiam significant. *Fer.* IV *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 7, n. 5.
Omnia bona mundi et deliciæ velut aqua diffluunt. *Dom.* XVI *post Pent.*, v. 2, lit. *c*.
Solet Deus animas sibi dilectas aqua tribulationis ad longum tempus potare. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 10, lit. *d*.
In ingressu Ecclesiarum, in promptu est vas aliquod aquæ benedictæ hujus ritus origo et finis. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 6, lit. *f*.

Arbor. — Arbor germinans est signum æstatis. *Dom.* I *Adv.*, v. 30, n. 1.
Quales sunt arbores bonæ. *Dom.* VII *post Pent.*, v. 7, n. 8.
Quales sunt malæ. *Ibid.*, v. 18, n. 1 et 2.
Arbores bonæ cognoscuntur ex fructibus. *Ibid.*, v. 16, n. 1 et 2.
Sola arbor bona ordinarie fructus bonos fert. *Dom.* IV *Adv.*, v. 2, n. 7.
Quandoque tamen etiam mala fructus bonos fert. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 29, n. 1.
Christus est arbor bona. *Dom.* VI *post Epiph.*, v. 31, n. 4.
Arbores sanguinem emittent in extremo die judicii. *Dom.* I *Adv.*, v. 26, n. 7.
Consultarunt arbores inter se de faciendo Rege. *Dom. Palm.*, v. 5, n. 3. Vide Planta.
Arbores malæ sunt perditæ salutis homines qui correctiones aspernantur. *Dom.* VII *post Pent.*, v. 19, lit. *b*.

Arca. — Quare Deus solum manna in arca servari voluerit. *Dom.* III *Adv.*, v. 26, n. 11.

Archisynagogus. — Duo nos docet summopere necessaria et salutaria. *Dom.* XXIII *post Pent.*, v. 18, lit. *f*.

Arescere. — Arescent homines in extremo die judicii.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Dom. I *Adv.*, v. 26. Tam materialiter, n. 1, quam spiritualiter, n. 2.

Ariditas. — Ariditas spiritualis in hac vita servit profectui servorum Christi. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 3, n. 3.

Arma. — Arma dæmoniaca quæ sint. *Dom.* III *Quadr.*, v. 22, n. 4.

Arrogantia. — Arrogantia quam sit perniciosa. *Dom.* X *post Pent.*, v. 14, n. 3.

Arundo. — Arundo designat : 1° Carnalem animum. *Dom.* II *Adv.*, v. 7, n. 13.

2° Vanæ gloriæ cupidum. *Ibid.*, n. 18.

3° Hypocritam. *Ibid.*, n. 19.

4° Totum genus humanum. *Ibid.*, n. 20.

Asina. — Per asinam et pullum peccatores significantur, quibus videtur Deus indigere ad hoc quod expendat thesauros misericordiæ suæ. *Dom. Palm.*, v. 3, lit. *a*, *b*, *c*.

Asinus. — Asinus typus est stoliditatis, quia Christus summa Sapientia illi insedit. *Dom. Palm.*, v. 3, n. 20.

Assistentia. — De assistentia et patrocinio Dei in extrema necessitate et tribulatione nostra dubitare non possumus. *Dom.* XXII *post Pent.*, v. 20, lit. *b*.

Assuerus. — Grande fuit convivium Assueri sed multo grandius quod in ultima Cœna Christus instituit. *Dom.* II *post Pent.*, v. 16, lit. *i*.

Atheistæ. — Atheistæ ad omnem impietatem committendam sibi laxant habenas, quia sibi nullum esse Deum stulte persuadent. *Dom.* XXI *post Pent.*, v. 28, lit. *a*.

Audacia. — In via sæculi audacia fortitudinem, in via Domini audacia debilitatem parit. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 25, lit. *e*.

Audire. — Quis dicatur audire verbum Dei. *Dom. Sexag.*, v. 9, n. 2. Audire verbum Dei. Vide FACERE, OPERARI.

Auditus. — Auditus triplex in verbo Dei est necessarius. *Dom. Sexag.*, v. 9, n. 2.

S. Augustinus. — De cruce Christi non erubuit, sed in fronte portavit. *Dom.* XVI *post Pent.*, v. 2, lit. *e*.

S. Augustini conversio attribuenda est, magna ex parte, tribulationibus quibus visitatus fuit. *Dom.* XXII *post Pent.*, v. 19, lit. *b*.

Aulici. — Quid faciendo in aulis consenescant. *Dom.* VIII *post Pent.*, v. 8, n. 16.

Austeritas. — Non juxta austeritatis sed charitatis quantitatem, mensurabitur præmium gloriæ. *Dom. Septuag.*, v. 10, n. 3.

Vitæ pœnitentis austeritas quæ dolorem causat, ineffabiles postmodum causat spiritus dulcedines. *Dom.* III *post Pasch.*, v. 16, lit. *f*.

Austeritates ut Deo placeant, virtute discretionis moderari debent. *Dom.* V *post Pent.*, v. 20, lit. *b*. Vide MORTIFICATIO, PŒNITENTIA.

Auxilium. — Deus auxiliatur homini, quando minime cogitat. *Dom. in Albis*, v. 19, n. 5.

Idipsum variis declaratus Scripturæ exemplis. *Ibid.*

In periculis nostris auxilium Dei est postulandum, Deus enim postulantes adjuvat. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 24, lit. *f*.

Tum maxime Deus suo adest auxilio, quando omni humano destituti sumus præsidio. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 28, lit. *a*.

Deus suo adest auxilio, cum tribulamur et auxilium hominum deest. *Dom.* VI *post Pent.*, v. 3, lit. *a*.

Avaritia. — Avaritia fugienda : 1° Quia in eo vitio consistit miseria summa et cruciatus intolerabilis. *Dom. Sexag.*, v. 15, n. 3.

2° Quia congeries est omnium vitiorum. *Ibid.*, n. 5.

Avaritia est tentatio omnium vehementior. *Dom.* I *Quadr.*, v. 9, n. 2.

Avaritia Ecclesiasticos fecit conspirare in mortem Christi. *Dom.* XIX *post Pent.*, v. 5, n. 4.

Avaritia clericorum ruina est civitatum. *Fer.* III *post Dom.* I *Quadr.*, v. 12, n. 12.

Avaritia corrumpit res sacras et divinas. *Fer.* II *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 5, n. 15.

Avaritia tyrannidem exercet in Ecclesiasticos. *Ibid.*, v. 16, n. 11.

Avaritia cæcitas est et errorem religionis inducit. *Fest. Pent.*, v. 12, lit. *a*.

Avaritia notatur in eo qui boves emit. *Dom.* II *post Pent.*, v. 19, lit. *a*.

Avaritia omnis mali, maximeque odiorum et rixarum inter proximos est origo. *Dom.* IV *post Pent.*, v. 1, lit. *e*.

Surdi sunt avari et usurarii quorum aures obturatæ sunt sordibus pecuniæ. *Dom.* XIV *post Pent.*, v. 24, lit. *a*.

Avaritia legum contemptrix est, tam scilicet humanæ quam divinæ. *Dom.* XIV *post Pent.*, v. 24, lit. *a*.

Duram servitutem sustinet qui avaritiæ servit. *Dom.* XIV *post Pent.*, v. 24, lit. *f*.

Cupiditas divitiarum ita menti uniuscujusque effixa est, ut etiam timoratæ conscientiæ hominibus tenaciter adhærescat. *Dom.* XIV *post Pent.*, v. 25, lit. *j*.

Detestanda est nonnullorum spiritualis avaritia, qui totum residuum satisfactionum suarum sibimetipsis applicant. *Dom.* I *post Pent.*, v. 38, lit. *e*, *f*.

Avari. — In quo differunt avari a divitibus. *Dom.* XIV *post Pent.*, v. 24, n. 17.

Avari plus facultatum quam sanguinis jacturam timent. *Fer.* II *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 18, n. 9.

Ubi Deus est, avari locum habere non possunt. *Fer.* III *post Dom.* I *Quadr.*, v. 12, n. 9.

Semper sunt inopes avari. *Ibid.*

Semper avarus eget, et eo etiam dives, nemo pauperior est. *Dom. Quinq.*, v. 35, lit. *a*.

In corde avari nec umbra nec vestigium pietatis et timoris Dei inventur. *Dom.* IV *Quadr.*, v. 5, lit. *g*.

Nunquam dicit : sufficit. *Dom.* XIV *post Pent.*, v. 24, lit. *j*.

B

Bacchanalia. — Bacchanalia cur italice *Carnevale* dicantur. *Fer.* IV *Cin.*, v. 16, n. 3 et 4.

Bacchanalia appellantur : 1° Vindemia dæmonis. *Dom. Sexag.*, v. 14, n. 4.

2° Idololatria Israelitica. *Ibid.*

3° Impia ad Quadragesimam dispositio. *Dom. Quinq.*, v. 36, n. 2.

4° Privatio spiritualis lucis. *Dom. Sexag.*, v. 11, n. 4, et *Dom. Quinq.*, v. 43, n. 6.

5° Deicidium. *Dom. Quinq.*, v. 33, n. 1.

Bacchanalium tempore, quam impigre et furibunde diabolus attentet everterc omne bonum. *Dom. Sexag.*, v. 14, n. 4.

Hoc tempore, de quorum cordibus, semen verbi divini tollant dæmones. *Ibid.*, v. 13, n. 1.

Bacchanalia in idololatriam præcipitant. *Ibid.*, v. 14, n. 4.

Christum de novo crucifigunt. *Dom. Quinq.*, v. 33, n. 1.

Quantam siti pœnam asciscant Bacchanalia sectantes. *Ibid.*, v. 39, n. 8.

Tota Bacchanalium lætitia luctus est. *Ibid.*, v. 41, n. 12.

Unde dignoscantur sequaces et discipuli Christi in Bacchanalibus. *Dom. Sexag.*, v. 11, n. 4.

Quantus fructus eorum, qui Bacchanalia non sectantur. *Ibid.*, v. 16, n. 6 et 7.

Horum vita verum est sacrificium. *Ibid.*

Servi Dei alieni sunt a Bacchanalibus. *Dom. Sexag.*, v. 5, n. 3, et *Dom. Quinq.*, v. 39, n. 6.

Contemptus Bacchanalium signum est prædestinationis. *Dom. Sexag.*, v. 16, n. 5.

Tempore Bacchanalium S. Catharina Senensis Christo desponsatur ob cultum solitudinis. *Dom. Quinq.*, v. 42, n. 4.

S. Carolus Borromæus, tempore Bacchanalium, omnes Venetos a vanitate bacchanalitia abstrahit cum ingenti fructu, per exercitia spiritualia. *Ibid.*, v. 43, n. 7.

S. Franciscus Assiziensis, quantum boni præstiterit, tempore Bacchanalium per unicam concionem. *Ibid.*, v. 43, n. 6.

Joannes Baptista de Fulginio vertit Bacchanalia in hebdomadam sanctam. *Dom. Sexag.*, v. 14, n. 4.

Qui tempore Bacchanalium intelligit mysteria regni Dei. *Ibid.*, v. 11, n. 4.

Efficacissimum medium ad extirpandas Bacchanalium insolentias. *Dom. Quinq.*, v. 33, n. 1, v. 36, n. 2, et v. 43, n. 6.

Tempore Bacchanalium nihil magis petendum quam visus. *Ibid.*, v. 41, n. 12; et cæcitas. *Ibid.*, v. 43, n. 6.

Certa larvarum species licita, perutilis in Bacchanalibus. *Dom. Quinq.*, v. 39, n. 6.

Baptismus. — Cur baptismus Christi lavacrum pœnitentiæ nominetur. *Dom.* IV *Adv.*, v. 3, n. 9.

Habet effectus distinctos a Baptismate S. Joannis. *Ibid.*

Quare Baptismus Joannis dicatur baptismus pœnitentiæ. *Dom.* IV *Adv.*, v. 3, n. 9.

Baptismus Joannis est tantum dispositio ad remissionem peccatorum. *Ibid.*, n. 8 et 9; et *Dom.* III *Adv.*, v. 26, n. 3.

Assimilatur Jordani. *Dom.* IV *Adv.*, v. 3, n. 2.

Basilicus. — Basilici oculus assimilatur invido. *Dom. Septuag.*, v. 15, n. 5.

Beati. — An et qualis murmuratio cadat in Beatos. *Dom. Septuag.*, v. 11, n. 1 et seq.

Christus illos specialiter nominat beatos qui magna cum aviditate, quotidie magis magisque sancti fieri desiderant. *Dom.* XX *post Pent.*, v. 30, lit. *b*.

Beatitudo. — Quomodo beatitudo sit eadem et diversa in Sanctis. *Dom. Septuag.*, v. 10, n. 2.

Beatitudo essentialis in quo consistat. *Dom.* II *Quadr.*, v. 4, n. 1.

Beatitudinis consideratio multum confert ad tribulationum tolerantiam. *Dom.* IV *Adv.*, v. 1, lit. *b*.

Christus Dominus non incongrue confert beatitudinem cum denario diurno. *Dom. Septuag.*, v. 2, lit. *b*.

Homo videbit Deum cognoscendo, amabit diligendo, laudabit possidendo. *Dom. Septuag.*, v. 6, lit. *e*.

Quamvis meritorum diversitate fulgebunt Sancti, alius magis alius minus, quod tamen attinet ad vitam æternam præmium æquale erit omnibus. *Dom. Septuag.*, v. 2, lit. *g*.

Non est alia ad beatitudinem et gloriam cœlestem via quam illa qua Jesus ipse processit. *Dom.* II *Quadr.*, v. 4, lit. *i*.

In Dei clara visione consistit tota gloria sempiterna beatorum. *Dom.* XII *post Pent.*, v. 23, lit. *c*.

Beatitudines. — Jesus devit ut hujus quoque beatitudinis jaceret fundamentum. *Dom.* IX *post Pent.*, v. 14, lit. *d*.

Benedictio. — In quo consisterit benedictio S. Simeonis Christo benedicentis, sententia multiplex. *Dom. infra Octav. Nativ.*, v. 34, n. 2.

Benedicere idem est quod gratias agere. *Dom.* IV *Quadr.*, v. 11, n. 9.

Benedicendi sunt cibi ante mensam. *Ibid.*

Proprium est majoris minorem benedicere. *Dom. infra Octav. Nativ.*, v. 34, lit. *b*.

Eleemosyna benedictio dicitur quia constare debet, non solum ex benefacto sed et ex benedicto. *Dom.* XV *post Pent.*, v. 13, lit. *b*.

Beneficentia. — Beneficentia Christi in Judæos. *Fer.* V *post Dom.* I *Quadr.*, v. 23, n. 1.

Eadem ab Hebræis contempta. *Fer.* VI *post Dom.* II *Quadr.*, v. 35, n. 1.

Beneficentia erga inimicos, qualiter a Deo præmietur. *Fer.* VI *Cin.*, v. 44, n. 9.

Beneficentia immensa Dei erga nos, omnes beatos reges facit. *Fer.* II *post Dom.* I *Quadr.*, v. 34, n. 8.

Cœlum velut futurum hominum palatium fabricavit, antequam crearet hominem, imo ante mundum creatum. *Ibid.*, n. 9.

Beneficia. — Beneficia Dei non occultanda, sed publicanda sunt. *Fer.* IV *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 9, n. 7.

Beneficia, etiam parva, oblivioni tradenda non sunt. *Dom.* IV *Quadr.*, v. 12, n. 13.

Beneficiorum divinorum recognitio perfectioni et charitati cooperatur. *Dom. infra Octav. Nativ.*, v. 33, lit. *d*.

Dominus Jesus, ut quantis donis amici sui afficiendi essent explicaret, ad nuptias Cana venit. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 2, lit. *b*.

Beneficia Dei funicula sunt quibus nostra corda in suum astringit amorem. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 6, lit. *d*.

Beneficia Dei nos invitant ad gratitudinem. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 24, lit. *e*.

Sicut ovis ramo, sic homines attrahuntur beneficio. *Dom.* IV *Quadr.*, v. 2, lit. *d*.

Nemo cogitare sufficeret ea quæ in nos jam sunt collata, quæ item promissa, quæ et quotidie conferuntur. *Dom.* XVIII *post Pent.*, v. 2, lit. *d*.

Beneficus. — Cum beneficis, non est gratia violenter exprimenda sed proponenda occasio. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 3, lit. *i*.

Benignitas. — Benignitas maxima Christi erga pec-

calores. *Dom.* IV *Adv.*, v. 4, n. 18. Vide CHRISTUS, BONITAS.

Bethania. — Bethania interpretatur domus obedientiæ. *Dom.* III *Adv.*, v. 28, n. 2.

Blasphemia. — Blasphemiæ efficax antidotum. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 25, n. 3.

Deus blasphemis se implacabilem reddit, nullus pro illis mediator aut intercessor existit. *Dom.* III *Quadr.*, v. 14, lit. *c*.

Blasphemiæ et ludibria acerbius Christum transfigebant in cruce, quam clavi et lancea. *Dom.* III *Quadr.*, v. 16, lit. *g*.

Christiani blasphemantes, Judæis longe deteriores sunt. *Ibid.*

Est idioma dæmonis. *Dom.* III *Quadr.*, v. 15, lit. *h*.

Indicium est fidei modicæ vel nullæ. *Dom. Pass.*, v. 48, lit. *b*.

Blasphemi perdite salutis homines sunt. *Dom.* XI *post Pent.*, v. 33, lit. *i*.

Communiter blasphemiæ in ipsos blasphemos recidunt et detractores nulli afferunt majus damnum quam sibi ipsis. *Dom.* XVIII *post Pent.*, v. 4, lit. *b*.

Bona. — Bona animæ et corporis quæ sint, et quomodo dissipentur. *Dom.* VIII *post Pent.*, v. 1, n. 16 et 17.

Quomodo de utrisque reddenda sit ratio. *Ibid.*, v. 2, n. 13.

Bona Ecclesiastica impendenda sunt in usus pios. *Ibid.*, v. 2, n. 17.

Bona temporalia qualiter expendenda. *Ibid.*, v. 1, n. 3, n. 16 et n. 17.

Pauci in horum possessione finem illum assequuntur, propter quem Deus illa concessit. *Ibid.*, v. 1, n. 18.

Nobis e cœlo omnia bona profluunt. *Dom.* XI *post Pent.*, v. 34, lit. *a*.

Sola quæ ex cœlesti desiderio quærunur bona, solent inventa longas parturire lætitias. *Dom.* III *post Pent.*, v. 6, lit. *a*.

Cuncta bona naturæ, fortunæ, præcipue vero gratiæ, soli Deo attribuenda sunt. *Dom.* III *Adv.*, v. 20, lit. *a*.

Reddenda nobis ratio erit de bonis naturæ et speciatim de nobilissimis animæ potentiis. *Dom.* VIII *post Pent.*, v. 2, lit. *c*, *d*.

Cum Dei bona sint adeo magna, gratisque oblata, mille tamen aliquando proferimus excusationes ad illa non acceptanda. *Dom.* II *post Pent.*, v. 18, lit. *b*.

In oratione bona cœlestia postulanda sunt; bona temporalia in se vana sunt. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 5, lit. *f*.

Quantum æterna bona cognoscimus tantum transitoria despicimus et damnamus. *Dom. Septuag.*, v. 2, lit. *f*.

Consideratio et spes bonorum cœlestium vanitatem nobis indicat bonorum terrenorum. *Dom.* XIV *post Pent.*, v. 32, lit. *a*.

Cœlestia bona et dona, respectu terrenorum innumera sunt et infinita. *Dom.* XIX *post Pent.*, v. 4, lit. *b*.

Bona hujus mundi transitoria sunt, ut cor hominis cœlestia quæ stabilia sunt quærat. *Dom.* I *Adv.*, v. 31, lit. *a*.

Bona hujus mundi non sunt nisi umbra. *Dom.* I *Adv.*, v. 31, lit. *b*.

Licet hominibus bona terrena amare, sed ea lege ut illa Deo non anteponamus. *Ibid.*, lit. *c*.

Bona hujus mundi, nulli eisdem bene utenti nocent. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 2, lit. *c*.

Bona hujus mundi non sunt vera. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 3, lit. *g*.

Difficile, imo impossibile, ut præsentibus quis fruatur bonis et futuris. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 10, lit. *b*.

Non prohibet Deus amare bona temporalia sed diligere ad beatitudinem. *Dom. Sexag.*, v. 7, lit. *e*.

Bona hujus mundi non sunt nisi imagines quædam bonorum. *Dom. Quinq.*, v. 36, lit. *a*.

Bona terrena a desiderio et lucro bonorum cœlestium nos retrahunt. *Dom. Palm.*, v. 8, lit. *b*.

Miseri mortales ingenti pretio, imo et infinito quasi emere solent mendacia, et pro laboris mercede, nihil post modum inveniunt. *Dom. Palm.*, v. 8, lit. *c*.

Omnia bona mundi hujus, triplex interitus tollit. *Dom.* III *post Pasch.*, v. 18, lit. *e*.

Qui bona terrena a Deo petit non aliquid sed vere nihilum poscit. *Dom.* V *post Pasch.*, v. 23, lit. *h*.

Plane licet bonis temporalibus uti, sed pertranseunter. *Dom.* IV *post Pent.*, v. 4, lit. *a*.

Bonorum terrenorum divisionem permisit Deus, ut iis abundans, superfluum indigentiæ eroget alienæ. *Dom.* VIII *post Pent.*, v. 4, lit. *f*.

Deus rationes exiget bonorum temporalium nobis commissorum ad facilitandam salutem. *Dom.* VIII *post Pent.*, v. 2, lit. *c*.

Omnia bona mundi hujus adeo nihil sunt ut etiam qui in hoc mundo sublimes sunt idipsum fateri cogantur. *Ibid.*, v. 8, lit. *c*.

Quisquis animo suo ab hisce terrenis alienus est, æternorum bonorum secum pignus portat. *Dom.* X *post Pent.*, v. 13, lit. *e*.

Affectus ad bona caduca et terrena impedimentum est ad comparandum bona cœlestia. *Dom.* XIII *post Pent.*, v. 13, lit. *a*.

Rerum temporalium abjectio quod fit in liberali erogatione eleemosynæ, magnum est omnium bonorum incrementum. *Dom.* XIV *post Pent.*, v. 25, lit. *f*.

Nihil tantum valet ad spernendum præsentem vanitatem, quam cogitare jugiter æternitatem. *Dom.* XI *post Pent.*, v. 34, lit. *b*.

Omnia bona mundi et deliciæ, velut aqua diffluunt. *Dom.* XVI *post Pent.*, v. 2, lit. *e*.

Multi sunt qui majori cum sollicitudine bona temporalia et salutem corporis quam spiritualia et salutem animæ curant. *Dom.* XVI *post Pent.*, v. 3, lit. *a*.

Homines terrenis dediti, cœlestia et spiritualia contemnunt. *Dom.* XIX *post Pent.*, v. 3, lit. *b*.

Temporalia bona a Deo nos seducunt. *Dom.* XXIII *post Pent.*, v. 19, lit. *b*.

Bona temporalia sunt nobis velut scala quædam ad invisibilia agnoscenda et amore prosequenda. *Ibid.*, v. 25, lit. *b*. Vide DIVITIÆ.

Bonitas. — Bonitas Dei singulariter invitat et recipit eos, qui a mundo rejecti sunt et contempti. *Dom. Septuag.*, v. 7, n. 6.

Abusus bonitatis divinæ efficit peccatores obstinatiores. *Ibid.*, v. 15, n. 4.

Divina bonitas patiens quidem est, sed ut ad poenitentiam peccatorum nostrorum et emendationem nos exstimulet. *Dom.* IX *post Pent.*, v. 41, lit. *g*.

Bonitas Dei ad poenitentiam nos debet inducere. *Dom.* XV *post Pent.*, v. 14, lit. *b*.

Solum bonum est objectum voluntatis. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 27, n. 5.

Prius est bonum quam malum. *Ibid.*, v. 25, lit. *k*.

Bonum. — Transitus a bono ad melius bonum consilio et oratione indiget. *Dom.* XV *post Pent.*, v. 15, lit. *a*.

Bonus. — Bonos conservat Deus inter malos et quare. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 29, n. 8.

Quare boni in hac vita affligantur, mali autem prosperentur. *Dom. post* IV *Epiph.*, v. 24, n. 19.

Boni cum malis conversando citius pervertuntur quam convertant. *Dom.* XI *post Pent.*, v. 31, lit. *a*.

Bonus si malo connectitur, aut pares redduntur, aut cito ab invicem separantur. *Dom.* XVI *post Pent.*, v. 2, lit. *e*. Vide SOCIETAS.

C

Cæcitas. — Cæcitas unde oriatur. *Dom. Quinq.*, v. 35, n. 8.

Utilitas cæcitatis corporalis. *Ibid.*, n. 10.

Remedium cæcitatis spiritualis. *Ibid.*, n. 12.

Magna est mundanorum cæcitas quod id magnum et durabile quid æstiment, quod in se nihil est nisi modicum. *Dom.* III *post Pasch.*, v. 18, lit. *e*.

Peccata summa cæcitas et tenebræ sunt. *Dom. Quinq.*, v. 35, lit. *b*.

Cæcus. — Cæci nomine nuncupatur genus humanum. *Dom.* II *Adv.*, v. 5, n. 2.

Cæci spirituales significant ignaros. *Ibid.*

Duo assignantur cæci Jerichontini. *Dom. Quinq.*, v. 35, n. 6.

Cæcus illuminatori suo gratissimus. *Ibid.*, v. 43, n. 1 et 2.

Cæcus natus perfecte obedivit Christo. *Fer.* IV *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 7, n. 10.

Subito illuminatus fuit. *Ibid.*, n. 11.

Natus est cæcus ad majorem Dei gloriam. *Ibid.*, v. 3, n. 3.

Cæcus typus est peccatoris in peccatis obdurati et assueti. *Dom. Quinq.*, v. 35, lit. *c*.

In casu denotatur peccator notitia Dei destitutus. *Ibid.*, lit. *e*.

Dicendi sunt cæci qui adulatione se duci sinunt in gravissima peccata. *Dom.* II *Adv.*, lit. *a*.

Cæcus est et ab omni lumine et cognitione Dei alienus, qui per affectum suum mundo nimium est immersus. *Dom.* III *Quadr.*, v. 14, lit. *j*.

Caiphas. — Caiphas quid significet metaphorice. *Dom.* IV *Adv.*, v. 1, n. 2.

Calamitas. — Calamitates, morbi, infirmitates apparitores sunt Dei et quæstionarii. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 4, lit. *c*.

In publicis calamitatibus, in extremis periculis, dissoluti etiam homines oculos aperiunt, et in se redeunt. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 27, lit. *b*.

Calamitas imminens magis multiplicat timorem ac exaggerat agoniam quam dum ipsa patitur. *Dom.* II *Quadr.*, v 3, lit. *a*.

Calceus. — In calceamentis signatur humanitas Christi. *Dom.* III *Adv.*, v. 27, n. 3. Vide CHRISTUS.

Calix. — Calix passionis quam amarus fuerit. *Fer.* IV *post Dom.* II *Quadr.*, v. 22, n. 23.

Calumnia. — Calumniæ zizania ut plurimum in agram tritico seminatum spargitur. *Dom. infra Octav. Nativ.*, v. 34, lit. *j*.

Calumniæ, sicut venti aquas maris, viros etiam sapientes et perfectissimos conturbant. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 24, lit. *k*.

Justi specialiter a calumniis infestantur. *Ibid.*

Magnum est meritum, magna virtus et renumeratio apud Deum eorum qui calumnias fortiter et patienter sufferunt. *Dom. Pass.*, v. 49, lit. *b*.

Deus calumnias earumque falsitatem detegere solet. *Dom. infra Octav. Ascens.*, v. 26, lit. *h*.

Christus ab opere charitatis, ob calumniam non desisteba, ad nostram exemplum ut calumnias patienter feramus. *Dom.* III *post Pent.*, v. 1, lit. *e*.

Calumnia, in eum in quo innocentia et sanctæ ac immaculatæ vitæ candor viget, communiter effunditur. *Dom.* XVI *post Pent.*, v. 1, lit. *h*.

Cana Galilææ. — Illius interpretatio. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 4, lit. *l*.

Cananea. — Cananea fuit typus Ecclesiæ. *Fer.* V *post Dom.* I *Quadr.*, v. 28, n. 23.

Deprædicatur magna ejus fides. *Ibid.*, v. 28, n. 4.

Cananea docet modum orandi. *Ibid.*, v. 22, n. 1.

Ejus conformitas cum voluntate divina. *Fer.* V *post Dom.* I *Quadr.*, v. 22, n. 22.

Multos exercuit actus heroicos. *Ibid.*, n. 4.

Credidit in Christum. *Fer.* V *post Dom.* I *Quadr.*, v. 22, n. 7.

Libenter suscipit nomen canis. *Ibid.*, v. 27, n. 2.

Quales exercuerit virtutes. *Ibid.*, n. 7.

Charitas ejus par fuit dilectioni S. Pauli. *Ibid.*, v. 26, n. 15.

Quidquid voluit obtinuit. *Ibid.*, v. 28, n. 9.

Animosam se exhibuit. *Ibid.*, v. 15, n. 1.

Charitas ejus erga filiam. *Ibid.*, v. 25, n. 3.

Propter humilitatem, ex abjecta conditione canum, filia facta est. *Dom.* X *post Pent.*, v. 10, lit. *g*.

Canes. — Eorum proprietates. *Fer.* VI *post Dom.* I *Quadr.*, v. 27, n. 4.

Canes allatrant pauperes, timidi ne panis eis deficiat. *Fer.* V *post Dom.* II *Quadr.*, v. 21, n. 9.

Cantus. — Cantus lascivi laqueus sunt dæmonis. *Dom.* XXIII *post Pent.*, v. 23, n. 4.

Sunt venenum quod ex ore Christianorum egredi non debet. *Ibid.*

Capharnaum. — Explicatur quid nominis. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 5, n. 1, et v. 6, n. 5.

Caput. — Quid sit levare caput, multipliciter explicatur. *Dom.* I *Adv.*, v. 28, n. 2 et 3.

Carnales appetitus. — Ad eos coerendos multum valet maceratio carnis. *Dom. infra Octav. Nativ.*, v. 37, lit. *a*.

Carnis vitium. — In certamine contra carnis vitium fugere debemus, *Dom.* II *Adv.*, v. 7, lit. *e*.

Licet fuga necessaria sit in omni peccato, maxime tamen in vitio carnis. *Dom.* IV *Quadr.*, v. 2, lit. *a*. Vide LUXURIA.

calores. *Dom.* IV *Adv.*, v. 4, n. 18. Vide CHRISTUS, BONITAS.

Bethania. — Bethania interpretatur domus obedientiæ. *Dom.* III *Adv.*, v. 28, n. 2.

Blasphemia. — Blasphemiæ efficax antidotum. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 25, n. 3.

Deus blasphemis se implacabilem reddit, nullus pro illis mediator aut intercessor existit. *Dom.* III *Quadr.*, v. 14, lit. *c*.

Blasphemiæ et ludibria acerbius Christum transfigebant in cruce, quam clavi et lancea. *Dom.* III *Quadr.*, v. 16, lit. *g*.

Christiani blasphemantes, Judæis longe deteriores sunt. *Ibid.*

Est idioma dæmonis. *Dom.* III *Quadr.*, v. 15, lit. *h*.

Indicium est fidei modicæ vel nullæ. *Dom. Pass.*, v. 48, lit. *b*.

Blasphemi perdite salutis homines sunt. *Dom.* XI *post Pent.*, v. 33, lit. *i*.

Communiter blasphemiæ in ipsos blasphemos recidunt et detractores nulli afferunt majus damnum quam sibi ipsis. *Dom.* XVIII *post Pent.*, v. 4, lit. *b*.

Bona. — Bona animæ et corporis quæ sint, et quomodo dissipentur. *Dom.* VIII *post Pent.*, v. 1, n. 16 et 17.

Quomodo de utrisque reddenda sit ratio. *Ibid.*, v. 2, n. 13.

Bona Ecclesiastica impendenda sunt in usus pios. *Ibid.*, v. 2, n. 17.

Bona temporalia qualiter expendenda. *Ibid.*, v. 1, n. 3, n. 16 et n. 17.

Pauci in horum possessione finem illum assequuntur, propter quem Deus illa concessit. *Ibid.*, v. 1, n. 18.

Nobis e cœlo omnia bona profluunt. *Dom.* XI *post Pent.*, v. 34, lit. *a*.

Sola quæ ex cœlesti desiderio quærunur bona, solent inventa longas parturire lætitias. *Dom.* III *post Pent.*, v. 6, lit. *a*.

Cuncta bona naturæ, fortunæ, præcipue vero gratiæ, soli Deo attribuenda sunt. *Dom.* III *Adv.*, v. 20, lit. *a*.

Reddenda nobis ratio erit de bonis naturæ et speciatim de nobilissimis animæ potentiis. *Dom.* VIII *post Pent.*, v. 2, lit. *c*, *d*.

Cum Dei bona sint adeo magna, gratisque oblata, mille tamen aliquando proferimus excusationes ad illa non acceptanda. *Dom.* II *post Pent.*, v. 18, lit. *b*.

In oratione bona cœlestia postulanda sunt; bona temporalia in se vana sunt. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 5, lit. *f*.

Quantum æterna bona cognoscimus tantum transitoria despicimus et damnamus. *Dom. Septuag.*, v. 2, lit. *f*.

Consideratio et spes bonorum cœlestium vanitatem nobis indicat bonorum terrenorum. *Dom.* XIV *post Pent.*, v. 32, lit. *a*.

Cœlestia bona et dona, respectu terrenorum innumera sunt et infinita. *Dom.* XIX *post Pent.*, v. 4, lit. *b*.

Bona hujus mundi transitoria sunt, ut cor hominis cœlestia quæ stabilia sunt quærat. *Dom.* I *Adv.*, v. 31, lit. *a*.

Bona hujus mundi non sunt nisi umbra. *Dom.* I *Adv.*, v. 31, lit. *b*.

Licet hominibus bona terrena amare, sed ea lege ut illa Deo non anteponamus. *Ibid.*, lit. *c*.

Bona hujus mundi, nulli eisdem bene utenti nocent. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 2, lit. *c*.

Bona hujus mundi non sunt vera. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 3, lit. *g*.

Difficile, imo impossibile, ut præsentibus quis fruatur bonis et futuris. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 10, lit. *b*.

Non prohibet Deus amare bona temporalia sed diligere ad beatitudinem. *Dom. Sexag.*, v. 7, lit. *e*.

Bona hujus mundi non sunt nisi imagines quædam bonorum. *Dom. Quinq.*, v. 36, lit. *a*.

Bona terrena a desiderio et lucro bonorum cœlestium nos retrahunt. *Dom. Palm.*, v. 8, lit. *b*.

Miseri mortales ingenti pretio, imo et infinito quasi emere solent mendacia, et pro laboris mercede, nihil post modum inveniunt. *Dom. Palm.*, v. 8, lit. *c*.

Omnia bona mundi hujus, triplex interitus tollit. *Dom.* III *post Pasch.*, v. 18, lit. *e*.

Qui bona terrena a Deo petit non aliquid sed vere nihilum poscit. *Dom.* V *post Pasch.*, v. 23, lit. *h*.

Plane licet bonis temporalibus uti, sed pertranseunter. *Dom.* IV *post Pent.*, v. 4, lit. *a*.

Bonorum terrenorum divisionem permisit Deus, ut iis abundans, superfluum indigentiæ eroget alienæ. *Dom.* VIII *post Pent.*, v. 4, lit. *f*.

Deus rationes exiget bonorum temporalium nobis commissorum ad facilitandam salutem. *Dom.* VIII *post Pent.*, v. 2, lit. *c*.

Omnia bona mundi hujus adeo nihil sunt ut etiam qui in hoc mundo sublimes sunt idipsum fateri cogantur. *Ibid.*, v. 8, lit. *c*.

Quisquis animo suo ab hisce terrenis alienus est, æternorum bonorum secum pignus portat. *Dom.* X *post Pent.*, v. 13, lit. *e*.

Affectus ad bona caduca et terrena impedimentum est ad comparandum bona cœlestia. *Dom.* XIII *post Pent.*, v. 13, lit. *a*.

Rerum temporalium abjectio quod fit in liberali erogatione eleemosynæ, magnum est omnium bonorum incrementum. *Dom.* XIV *post Pent.*, v. 25, lit. *f*.

Nihil tantum valet ad spernendum præsentem vanitatem, quam cogitare jugiter æternitatem. *Dom.* XI *post Pent.*, v. 34, lit. *b*.

Omnia bona mundi et deliciæ, velut aqua diffluunt. *Dom.* XVI *post Pent.*, v. 2, lit. *e*.

Multi sunt qui majori cum sollicitudine bona temporalia et salutem corporis quam spiritualia et salutem animæ curant. *Dom.* XVI *post Pent.*, v. 3, lit. *a*.

Homines terrenis dediti, cœlestia et spiritualia contemnunt. *Dom.* XIX *post Pent.*, v. 3, lit. *b*.

Temporalia bona a Deo nos seducunt. *Dom.* XXIII *post Pent.*, v. 19, lit. *b*.

Bona temporalia sunt nobis velut scala quædam ad invisibilia agnoscenda et amore prosequenda. *Ibid.*, v. 25, lit. *b*. Vide DIVITIÆ.

Bonitas. — Bonitas Dei singulariter invitat et recipit eos, qui a mundo rejecti sunt et contempti. *Dom. Septuag.*, v. 7, n. 6.

Abusus bonitatis divinæ efficit peccatores obstinatiores. *Ibid.*, v. 15, n. 4.

Divina bonitas patiens quidem est, sed ut ad poenitentiam peccatorum nostrorum et emendationem nos exstimulet. *Dom.* IX *post Pent.*, v. 41, lit. *g*.

Bonitas Dei ad poenitentiam nos debet inducere. *Dom.* XV *post Pent.*, v. 14, lit. *b*.

Solum bonum est objectum voluntatis. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 27, n. 5.

Prius est bonum quam malum. *Ibid.*, v. 25, lit. *k*.

Bonum. — Transitus a bono ad melius bonum consilio et oratione indiget. *Dom.* XV *post Pent.*, v. 15, lit. *a*.

Bonus. — Bonos conservat Deus inter malos et quare. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 29, n. 8.

Quare boni in hac vita affligantur, mali autem prosperentur. *Dom. post* IV *Epiph.*, v. 24, n. 19.

Boni cum malis conversando citius pervertuntur quam convertant. *Dom.* XI *post Pent.*, v. 31, lit. *a*.

Bonus si malo connectitur, aut pares redduntur, aut cito ab invicem separantur. *Dom.* XVI *post Pent.*, v. 2, lit. *e*. Vide SOCIETAS.

C

Cæcitas. — Cæcitas unde oriatur. *Dom. Quinq.*, v. 35, n. 8.

Utilitas cæcitatis corporalis. *Ibid.*, n. 10.

Remedium cæcitatis spiritualis. *Ibid.*, n. 12.

Magna est mundanorum cæcitas quod id magnum et durabile quid æstiment, quod in se nihil est nisi modicum. *Dom.* III *post Pasch.*, v. 18, lit. *e*.

Peccata summa cæcitas et tenebræ sunt. *Dom. Quinq.*, v. 35, lit. *b*.

Cæcus. — Cæci nomine nuncupatur genus humanum. *Dom.* II *Adv.*, v. 5, n. 2.

Cæci spirituales significant ignaros. *Ibid.*

Duo assignantur cæci Jerichontini. *Dom. Quinq.*, v. 35, n. 6.

Cæcus illuminatori suo gratissimus. *Ibid.*, v. 43, n. 1 et 2.

Cæcus natus perfecte obedivit Christo. *Fer.* IV *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 7, n. 10.

Subito illuminatus fuit. *Ibid.*, n. 11.

Natus est cæcus ad majorem Dei gloriam. *Ibid.*, v. 3, n. 3.

Cæcus typus est peccatoris in peccatis obdurati et assueti. *Dom. Quinq.*, v. 35, lit. *c*.

In casu denotatur peccator notitia Dei destitutus. *Ibid.*, lit. *e*.

Dicendi sunt cæci qui adulatione se duci sinunt in gravissima peccata. *Dom.* II *Adv.*, lit. *a*.

Cæcus est et ab omni lumine et cognitione Dei alienus, qui per affectum suum mundo nimium est immersus. *Dom.* III *Quadr.*, v. 14, lit. *j*.

Caiphas. — Caiphas quid significet metaphorice. *Dom.* IV *Adv.*, v. 1, n. 2.

Calamitas. — Calamitates, morbi, infirmitates apparitores sunt Dei et quæstionarii. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 4, lit. *c*.

In publicis calamitatibus, in extremis periculis, dissoluti etiam homines oculos aperiunt, et in se redeunt. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 27, lit. *b*.

Calamitas imminens magis multiplicat timorem ac exaggerat agoniam quam dum ipsa patitur. *Dom.* II *Quadr.*, v 3, lit. *a*.

Calceus. — In calceamentis signatur humanitas Christi. *Dom.* III *Adv.*, v. 27, n. 3. Vide CHRISTUS.

Calix. — Calix passionis quam amarus fuerit. *Fer.* IV *post Dom.* II *Quadr.*, v. 22, n. 23.

Calumnia. — Calumniæ zizania ut plurimum in agram tritico seminatum spargitur. *Dom. infra Octav. Nativ.*, v. 34, lit. *j*.

Calumniæ, sicut venti aquas maris, viros etiam sapientes et perfectissimos conturbant. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 24, lit. *k*.

Justi specialiter a calumniis infestantur. *Ibid.*

Magnum est meritum, magna virtus et renumeratio apud Deum eorum qui calumnias fortiter et patienter sufferunt. *Dom. Pass.*, v. 49, lit. *b*.

Deus calumnias earumque falsitatem detegere solet. *Dom. infra Octav. Ascens.*, v. 26, lit. *h*.

Christus ab opere charitatis, ob calumniam non desisteba, ad nostram exemplum ut calumnias patienter feramus. *Dom.* III *post Pent.*, v. 1, lit. *e*.

Calumnia, in eum in quo innocentia et sanctæ ac immaculatæ vitæ candor viget, communiter effunditur. *Dom.* XVI *post Pent.*, v. 1, lit. *h*.

Cana Galilææ. — Illius interpretatio. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 4, lit. *l*.

Cananea. — Cananea fuit typus Ecclesiæ. *Fer.* V *post Dom.* I *Quadr.*, v. 28, n. 23.

Deprædicatur magna ejus fides. *Ibid.*, v. 28, n. 4.

Cananea docet modum orandi. *Ibid.*, v. 22, n. 1.

Ejus conformitas cum voluntate divina. *Fer.* V *post Dom.* I *Quadr.*, v. 22, n. 22.

Multos exercuit actus heroicos. *Ibid.*, n. 4.

Credidit in Christum. *Fer.* V *post Dom.* I *Quadr.*, v. 22, n. 7.

Libenter suscipit nomen canis. *Ibid.*, v. 27, n. 2.

Quales exercuerit virtutes. *Ibid.*, n. 7.

Charitas ejus par fuit dilectioni S. Pauli. *Ibid.*, v. 26, n. 15.

Quidquid voluit obtinuit. *Ibid.*, v. 28, n. 9.

Animosam se exhibuit. *Ibid.*, v. 15, n. 1.

Charitas ejus erga filiam. *Ibid.*, v. 25, n. 3.

Propter humilitatem, ex abjecta conditione canum, filia facta est. *Dom.* X *post Pent.*, v. 10, lit. *g*.

Canes. — Eorum proprietates. *Fer.* VI *post Dom.* I *Quadr.*, v. 27, n. 4.

Canes allatrant pauperes, timidi ne panis eis deficiat. *Fer.* V *post Dom.* II *Quadr.*, v. 21, n. 9.

Cantus. — Cantus lascivi laqueus sunt dæmonis. *Dom.* XXIII *post Pent.*, v. 23, n. 4.

Sunt venenum quod ex ore Christianorum egredi non debet. *Ibid.*

Capharnaum. — Explicatur quid nominis. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 5, n. 1, et v. 6, n. 5.

Caput. — Quid sit levare caput, multipliciter explicatur. *Dom.* I *Adv.*, v. 28, n. 2 et 3.

Carnales appetitus. — Ad eos coerendos multum valet maceratio carnis. *Dom. infra Octav. Nativ.*, v. 37, lit. *a*.

Carnis vitium. — In certamine contra carnis vitium fugere debemus, *Dom.* II *Adv.*, v. 7, lit. *e*.

Licet fuga necessaria sit in omni peccato, maxime tamen in vitio carnis. *Dom.* IV *Quadr.*, v. 2, lit. *a*. Vide LUXURIA.

Caro. — Caro assimilatur peccatori. *Dom.* IV *Adv.*, v. 6, n. 6.
Carnis deliciæ sunt perniciosissimæ. *Dom. Sexag.*, v. 15, n. 10.
Carnis deliciæ sunt spinæ. *Ibid.*, n. 10 et 11. Vide DELICIÆ.
Castitas. — Ad castitatem conservandam solitudo plurimum conducit. *Dom.* XXIII *post Pent.*, v. 18, lit. *b*.
Perpancos mortuos Christus excitavit et non alios quam castos et innuptos. *Ibid.*, v. 24, lit. *a*.
Charitas. — Charitas est necessaria omnibus, earum animarum habentibus. *Fer.* IV *post Dom.* I *Quadr.*, v. 11, n. 5.
Charitas quæ fit proximo, ipsi Deo præstatur. *Fer.* II *post Dom.* I *Quadr.*, v. 35, n. 5.
Charitas vera operatur non rogata. *Fer.* V *post Dom.* I *Quadr.*, v. 23, n. 13.
Charitas bene ordinata primo benefacit suis. *Dom.* III *Quadr.*, v. 25, n. 17.
Charitas S. Petri in omnes, ut pastoris universalis. *Dom.* II *Quadr.*, v. 4, n. 9.
Charitas fundamentum est fabricæ spiritualis. *Dom.* XVII *post Pent.*, v. 38, n. 1.
Per eam opera minima efficiuntur maxima. *Ibid.*, n. 2.
Regina virtutum, imperat omnibus. *Ibid.*, n. 4.
Sine ea quæ sunt maxima, fiunt minima. *Ibid.*, n. 2.
Charitas prima est in omni lege. *Ibid.*, n. 3.
Comparatur sali. *Ibid.*
Sine ea nullum est opus Deo gratum. *Ibid.*
Assimilatur auro. *Ibid.*, n. 5 et 6.
Verbum *Charitas* unde derivetur. *Ibid.*, n. 6.
Juxta mensuram ejus obveniet mensura beatitudinis. *Ibid.*
Unica ejus scintilla posset infernum mutare in Paradisum. *Ibid.*, n. 7.
Excellentior est omnibus sacrificiis et holocaustis. *Dom.* XVII *post Pent.*, v. 36, n. 2.
Sola charitas est quæ nos possessores efficit regni cœlestis. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 31, n. 15.
Sine charitate nullum opus bonum est meritorium. *Ibid.*, v. 33, n. 8.
Una charitas est mensura præmii cœlestis, inter omnia opera bona, etiam maxime afflictiva. *Dom. Septuag.*, v. 10, n. 3.
Charitas infirmo exhibita, cœlitus honoratur per miraculum. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 3, n. 2.
Vera charitas novit ob bonum proximi aliquando simulare. *Dom.* II *Adv.*, v. 3, lit. *e*.
Charitas vera amicorum defectum occultare et non aperire desiderat. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 3, lit. *c*.
Charitas vera necessario misericordiam in proximum exercet. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 3, lit. *k*.
Charitas est pulchritudo animæ. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 24, lit. *d*.
Sine charitate et amore Dei, nullum opus bonum sapidum esse potest. *Dom.* VI *post Epiph.*, v. 31, lit. *i*.
Omnes fermenti effectus præstat charitas. *Dom.* VI *post Epiph.*, v. 33, lit. *e*.
Charitas, seu amor Dei, vita est animæ. *Dom. Palm.*, v. 1, lit. *a*.
Gemina est virtus charitatis, scilicet ad Deum et ad proximum. *Dom. in Albis*, v. 21, lit. *e*.
Summæ charitatis et dexteritatis argumentum est, si quis caveat ne ruborem et confusionem pariat in illo qui reprehenditur. *Dom. in Albis*, v. 27, lit. *a*.
Charitati quæ omnium virtutum major est, non aliud præmium designatur nisi amor. *Fest. Pent.*, v. 23, lit. *f*.
Charitatem exhibendo pauperibus, Dei erga nos amorem et benevolentiam comparamus. *Dom.* I *post Pent.*, v. 37, lit. *i*.
Vera charitas non retinetur mente tantum, sed etiam ad manus et pedes transit. *Dom.* III *post Pent.*, v. 4, lit. *d*.
Sine charitate nullum opus bonum quidquam valet. *Dom.* IV *post Pent.*, v. 5, lit. *b*.
Margarita est pretiosa omnia quæ tetigerit convertens in aurum. *Ibid.*, v. 5, lit. *b*.
Præceptum charitatis ab omnibus impleri potest. *Dom.* V *post Pent.*, v. 22, lit. *a*.
Deus totos nos vult charitate proximi ornatos. *Dom.* V *post Pent.*, v. 22, lit. *a*.
Charitas in proximos et dilectio, verus est character quo Christiani ab aliis discernuntur. *Dom.* VII *post Pent.*, v. 16, lit. *n*.
Sine charitate nullum opus Deo placere potest. *Dom.* X *post Pent.*, v. 10, lit. *d*.
Præceptum charitatis primum et maximum nominatur. *Dom.* XII *post Pent.*, v. 27, lit. *a*.
Totum Evangelium ordinatur ad impletionem et inculcationem præcepti charitatis. *Dom.* XIII *post Pent.*, v. 11, lit. *a*.
Vera nequit dari charitas, nisi eam prius informaverit humilitas. *Dom.* XV *post Pent.*, v. 15, lit. *b*.
Ama : charitas cooperit multitudinem peccatorum. *Dom.* XXI *post Pent.*, v. 23, lit. *b*.
Anima charitate ardens non cogitat malum de proximo, quia charitas operit multitudinem peccatorum. *Dom.* XVIII *post Pent.*, v. 4, lit. *a*.
Charitas mors est criminum et vita virtutum. *Dom.* XXI *post Pent.*, v. 26, lit. *a*.
Charitas designatur per tunicam Christi inconsutilem quæ nec scissa nec divisa fuit. *Dom.* XXIII *post Pent.*, v. 25, lit. *a*. Vide AMOR.
S. Carolus Borromeus. — S. Carolus tempore Bacchanalium, per exercitia spiritualia, Venetos omnes abstrahit a vanitate Bacchanaliitia. *Dom. Quinq.*, v. 43, n. 7.
Ejus sententia ad bonum exemplum. *Dom. Sexag.*, v. 14, n. 3.
Quid fecerit ad fugandam a se vanam gloriam. *Fer.* VI *Cin.*, v. 2, n. 2.
Genuflexus montem S. Mariæ Majoris nocte ascendit. *Dom.* I *post Pent.*, v. 37, n. 10.
Qua sedulitate officium pastorale exercuerit. *Dom.* III *post Pent.*, v. 4, n. 17.
Sæpe protestatus est, malle se presbyterum privatum agere. *Dom.* XVI *post Pent.*, v. 10, n. 3.
Tempore pestis familiam suam panis egestatem pati fecit. *Dom.* VI *post Pent.*, v. 6, n. 22.
Castitas. — Laudes castitatis. *Dom. infra Octav. Nativ.*, v. 36, n. 8.
Castitas tuta servatur in deserto. *Dom.* IV *Adv.*, v. 2, n. 9.
Purissimæ Deum intuetur. *Dom. infra Octav. Nativ.*, v. 36, n. 7.

Non possunt aliis esse lucernæ ardentes, ni casti, qui lumbos præcinctos habent. *Dom. infra Octav. Nativ.*, v. 37, lit. *a*.
Scientia et cognitio cœlestium mysteriorum a pudicitia et castitate dimanant. *Dom. infra Octav. Nativ.*, v. 38, lit. *a*.
Castitas est virtus origine cœlestis. *Dom.* XIX *post Pent.*, v. 11, lit. *b*.
S. Catharina. — S. Catharina Senensis Christo despensatur, ob cultum solitudinis in Bacchanalibus. *Dom. Quinq.*, v. 42, n. 5.
In feria V ante Dom. Quinquagesimæ accepit annulum promubum a Christo. *Dom.* III *post Pasch.*, v. 20, n. 12.
Cedrus. — Cedrus index est constantiæ. *Dom.* II *Adv.*, v. 7, n. 23.
Centurio. — Diversæ illius virtutes. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 5, n. 2, etc.
Quomodo fuerit fidelissimus. *Ibid.*, v. 10, n. 5 et 9.
Præferitur leproso Judæo. *Ibid.*, v. 5, n. 10.
Præferitur Zachæo. *Ibid.*, n. 7.
Præferitur S. Petro. *Ibid.*, n. 8.
Ejus servus quare a Christo absente sanetur. *Ibid.*, v. 5, n. 10 et 11.
Quatuor Centurionum meminit Spiritus Sanctus in Testamento novo. *Ibid.*, n. 7.
Centurio christianæ humilitatis magister. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 9, lit. *a*.
Punctualiter obediendo, bonum quoque ad milites suos exemplum transmisit. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 23, lit. *e*.
Christiani. — Unde nominentur tales. *Dom.* XXII *post Pent.*, v. 25, n. 3.
Christiani, ut tales pati, honorificum est. *Ibid.*, n. 2.
Solo amore Deo debitum solvunt. *Dom.* XVIII *post Pent.*, v. 37, n. 6.
Sæpe pejores sunt quam ipsi Hebræi. *Fer.* IV *post Dom.* III *Quadr.*, v. 8, n. 6.
Peccando transferunt a se Ecclesiam et Sacramenta in Gentiles. *Fer.* VI *post Dom.* II *Quadr.*, v. 13, n. 8, 9 et 10.
Merito timeant ne a Deo deserantur. *Ibid.*, n. 9.
Qualis et quotuplex in iis requiratur fructus. *Ibid.*, n. 11.
Christiani signantur in operariis Evangelicis in vinea Domini. *Dom. Septuag.*, v. 1, n. 5; v. 2, n. 1; v. 8, n. 11; v. 12, n. 8.
Christiani mali sunt secus viam. *Dom. Sexag.*, v. 5, n. 14.
Christiani mali gravius damnabuntur quam ipsi athei. *Ibid.*, v. 11, n. 5.
Paucissimi Christianorum salvantur. *Dom. Septuag.*, v. 16, n. 6, et *Dom. Sexag.*, v. 8, n. 1.
Opera Christianorum et Judæorum discrepant, et in quo. *Dom. Septuag.*, v. 2, n. 1.
Christianus infidelis severissima justitiæ vindicativæ Dei sibi supplicia conciliat. *Dom. infra Octav. Nativ.*, v. 34, lit. *e*.
Christiani in primitiva Ecclesia risus erant et ludibrium Hebraismi et Gentilismi. *Dom. infra Octav. Nativ.*, v. 36, lit. *a*.
Christianus in virtutibus progredi semper et proficere debet. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 52, lit. *a*.
Christiani character proprius est improperiorum esse metam, illaque cum mansuetudine et benignitate supportare. *Fest. Pasch.*, v. 2, lit. *b*.
Variorum laborum et calamitatum patiens tolerantia Christiani hominis character est. *Dom.* II *post Pasch.*, v. 14, lit. *c*.
Christianus infidelis non quasi homo simpliciter, sed ut Dei filius peccans, severius punietur. *Dom.* IV *post Pasch.*, v. 8, lit. *b*.
Nunquam dicere debet : sufficit mihi ; justus sum. *Dom.* V *post Pasch.*, v. 24, lit. *c*.
Mali et ficti Christiani sunt qui confitentur se nosse Deum, factis autem negant. *Fest. Pent.*, v. 23, lit. *c*.
Non prodest Christianum dici, ubi res non inventur. *Dom.* V *post Pent.*, v. 20, lit. *d*.
Deo familiarissimi, præsertim Christiani, invitantur ad sufferendas tribulationes. *Dom.* VI *post Pent.*, v. 6, lit. *a*.
Abominabiles sunt mali Christiani qui fidem suam per vitia et peccata sua effective negant. *Dom.* VII *post Pent.*, v. 21, lit. *a*.
Semper in virtutibus progredi et proficere debet. *Dom.* XIII *post Pent.*, v. 17, lit. *c*.
Regula Christiani secundum quam suam instituat dirigatque viam, quotidiana esse deberet mortis recogitatio. *Dom.* XV *post Pent.*, v. 12, lit. *a*.
Christus. — Apparuit Christus quando mundi status maxime erat miserabilis. *Dom.* IV *Adv.*, v. 1, n. 2.
Ejus humanitas signatur per calceamenta. *Dom.* III *Adv.*, v. 27, n. 3 et 4.
Ejus divinitas signatur per pedem, et unio divinitatis et humanitatis per corrigiam. *Ibid.*
Quomodo Verbum dicatur exire. *Dom. Septuag.*, v. 1, n. 3, et *Dom. Sexag.*, v. 5, n. 4. Vide ADVENTUS, DEUS.
Cur in Judæa natus sit. *Dom. infra Octav. Nativ.*, v. 34, n. 28.
Christus forma obedientiæ. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 51, n. 1 et seq. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 6, n. 6.
Docet nos honorare parentes et superiores. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 8, n. 2.
Quomodo spiritualiter et moraliter surgat et stet. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 26, n. 6.
Quare omniscius Christus sæpe alios interrogarit. *Dom. Quinq.*, v. 41, n. 1 ad 7, et *Dom.* II *Adv.*, v. 3, n. 5.
Quare Christus interrogatus a discipulis S. Joannis non dixerit se esse Messiam. *Dom.* II *Adv.*, v. 4, n. 7.
Quid fecerit in puerilia. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 51, n. 5.
Degens in Nazareth, admirando solatio erat omnibus. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 52, n. 4.
Non semper volebat Christus in suis exhortationibus intelligi a circumstantibus, et quare. *Dom. Sexag.*, v. 11, n. 3.
Quare Christus fuerit usus parabolis inter discurrendum. *Dom.* VI *post Epiph.*, v. 34, n. 3, 4, 5 et 6.
Mansuetudo Christi. *Fer.* III *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 20, n. 9, et v. 21, n. 1.
Christus in desertum ivit a Spiritu Sancto. *Dom.* I *Quadr.*, v. 1, n. 1.
Et ut exemplum humilitatis daret. *Ibid.*, n. 6.
Delatigatio Christi quid notet. *Fer.* VI *post Dom.* III *Quadr.*, v. 6, n. 4.
Christus jejunavit ad nostram instructionem. *Dom.* I *Quadr.*, v. 2, n. 4.

Facies Christi spirans majestatem. *Fer.* III *post Dom.* I *Quadr.*, v. 12, n. 13.
Christus quomodo quærendus sit ut inveniatur. *Fer.* II *post Dom.* I *Quadr.*, v. 35, n. 6, et *Fer.* II *post Dom.* II *Quadr.*, v. 21, n. 11.
Christus invenitur ubi non est, inquit S. Philippus Nereius. *Ibid.*
Christus tentatus nobis dedit exemplum et auxilia vincendi. *Dom.* I *Quadr.*, v. 1, n. 16.
Post jejunium esuriit salutem nostram. *Ibid.*, v. 2, n. 11.
Corpus Christi gloriosum quantæ gloriæ. *Dom.* II *Quadr.*, v. 4, n. 2.
Christus cur noluerit lapides mutare in panes. *Dom.* I *Quadr.*, v. 3, n. 13.
Christus flevisse legitur, non risisse. *Fer.* VI *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 33, n. 5.
Cur in morte Lazari fleverit. *Ibid.*, v. 36, n. 2.
Quando prædicare cœperit. *Fer.* III *post Dom.* II *Quadr.*, v. 7, n. 2.
Præmiando et sententiando Judex dicitur. *Fer.* II *post Dom.* I *Quadr.*, v. 34, n. 1.
In specie humana judicaturus apparebit, ut tanto sit severior et implacabilior. *Fer.* II *post Dom.* I *Quadr.*, v. 31, n. 9.
Cur tanta pompa Jerosolymam ingressus sit. *Dom. Palm.*, v. 1, n. 1 et 2.
Parum hisce applausibus humoratus fuit. *Ibid.*, n. 6.
Cur pullo vehi voluerit. *Ibid.*, v. 2, n. 10.
Qualiter se in honorum culmine humilem exhibuerit. *Ibid.*, n. 12.
Triumphum suum in peccatorum remissione repositum habet. *Ibid.*, v. 15.
Mansuetudo, signum adventus Christi. *Dom. Palm.*, v. 3, n. 12 et 15.
Qua ratione asino opus habuerit, qui Dominus omnium erat. *Ibid.*, v. 3, n. 8.
Licet Jerosolymam pauper ingrederetur, ut Rex tamen ingredi voluit. *Ibid.*, v. 3, n. 2.
Illum amare teneamur, quia totus est noster. *Ibid.*, v. 7.
Id quod pro omnibus passus est, pro una tantum anima passus fuisset, si fuisset opus. *Ibid.*, n. 11.
Quomodo intelligendum quod asinæ et pullo insederit. *Ibid.*, n. 15.
Judicia divinitatis ab ipso edita. *Ibid.*, n. 18.
Cibus Christi qualis fuerit. *Fer.* II *post Dom.* II *Quadr.*, v. 20, n. 8.
Cibus Christi conversio est peccatoris. *Fer.* VI *post Dom.* III *Quadr.*, v. 32, n. 1, et v. 34, n. 1.
Quanti Christus fecerit ovem naturæ humanæ. *Dom.* II *post Pasch.*, v. 11, n. 12.
Quantam ejus indesinenter providentiam habeat. *Ibid.*, n. 13.
Quanta cum facultate et amore ei succurrat. *Ibid.*, n. 15.
Solus dicitur Pastor bonus. *Ibid.*, n. 14 et 15.
Ovem percutiendo consolatur et fortificat. *Ibid.*, v. 16.
Intime penetrat oviam suarum necessitates. *Ibid.*, v. 17.
Oves mittendo in lupos, bonitatem suam demonstrat. *Ibid.*, v. 10.
Passio Christi fuit gloria ejus. *Dom. Quinq.*, v. 31, n. 4.
Quid Christum in cruce dilaniarit. *Ibid.*, v. 33, n. 1.
Quare expansis in cruce brachiis obierit. *Dom.* III *post Pent.*, v. 2, n. 8.
Meditatio crucifixi nos ab omni vitio præservat. *Dom. Quinq.*, v. 31, n. 4.
Christus in extremo judicio apparebit omnibus in specie humana. *Dom.* I *Adv.*, v. 27, n. 1. Et quare. *Ibid.*, n. 3 et 4.
Christus diversis ex causis ad Patrem redire statuit. *Dom.* IV *post Pasch.*, v. 5, n. 2.
Quam utiliter a nobis ad Patrem redire transierit. *Ibid.*, v. 7, n. 6 et 7.
Supremus Judex mortuorum et vivorum. *Ibid.*, v. 8, n. 19.
Gloria Christi est causa finalis nostræ justificationis. *Dom.* XVIII *post Pent.*, v. 8, n. 7.
Quomodo intelligendum sit quod mundum relinquerit cœlum ascendens. *Dom.* V *post Pasch.*, v. 28, n. 4 et 5.
Ob varia mysteria Christus in corpore glorioso reservavit cicatrices. *Dom. in Albis*, v. 20, n. 2.
Christus est arbor bona et maxima. *Dom.* VI *post Epiph.*, v. 31, n. 4.
Christus est fermentum et triticum. *Ibid.*, v. 33, n. 5.
Granum sinapis. *Ibid.*, v. 31, n. 4.
Medicus optimus et liberalissimus. *Dom. Septuag.*, v. 8, n. 9.
Paterfamilias. *Ibid.*, v. 1, n. 4.
Sator. *Dom. Sexag.*, v. 5, n. 4.
Semen seminatum. *Ibid.*
Sol. *Dom.* I *Adv.*, v. 25, n. 7, 11 et 14.
Thesaurus unicus animarum nostrarum. *Dom. Septuag.*, v. 14, n. 1.
Majestas Christi ex multis elucebit venientis ad judicium. *Dom.* I *Adv.*, v. 27, lit. *a*.
Qui vult perfecte sequi Dominum, nullam terrenarum rerum curam admittat. *Dom.* IV *Adv.*, v. 2, lit. *a*.
Christus Dominus prius adimplet quæ nobis erat præcepturus. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 43, lit. *b*.
Oraturus montes præ aliis locis eligebat. *Ibid.*, v. 45, lit. *a*.
Dominus cum in cœlis adhuc apud Patrem maneret paucos habuit sequaces. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 1, lit. *c*.
Christus pro nobis crucifixus, nobis ad gloriam viam monstravit. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 23, lit. *g*.
Christus dæmonis malitiam nostris damnis inhiantis, in nostram convertit salutem. *Ibid.*, v. 24, lit. *b*.
Passus est injurias, ne tu injuriam tuam doleres. *Ibid.*, v. 24, lit. *g*.
Licet dormire videatur, sollicitam tamen suorum curam gerit. *Ibid.*, v. 25, lit. *d*. Vide Jesum Christum.
Cibus. — Cibus Domini nostri conversio est animarum. *Dom.* XVIII *post Pent.*, v. 1, lit. *e*.
Cibus spiritualis cum non sumitur displicet, quia amarus est Deus malis; sed sumentibus placet. *Dom.* II *post Pent.*, v. 17, lit. *o*.
Vult Deus ut cibus corpori necessarius sobrius sit, non superfluus. *Dom.* I *Quadr.*, v. 3, lit. *g*.
Cibus corporis et cibus animæ necessarii sunt homini: Deus utrumque dedit. *Dom.* II *post Pent.*, v. 16, lit. *g*.
Quia in corporali cibo vitam perdidimus, Deus nobis corporalem cibum præparavit, in quo vitam invenimus. *Dom.* XX *post Pent.*, v. 16, lit. *e*.

Ingluvies humana sæpissime cibo abutitur, excedendo in quantitate et qualitate ipsius. *Dom.* XX *post Pent.*, v. 16, lit. *d*.
Circumcisio. — In die sabbati non erat prohibita. *Fer.* III *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 22, n. 1.
Circumcisio non sanabat totum hominem. *Ibid.*, v. 23, n. 2.
Prima circumcisio est in corde, secunda in ore, tertia in aure, quarta in opere fit. *Dom.* V *post Pent.*, v. 20, lit. *g*.
Cisternæ. — Cisternæ foratæ quæ non valent continere aquas, quæ sint. *Fer.* VI *post Dom.* III *Quadr.*, v. 15, n. 6.
Civitates. — In civitatibus viri probati justitia valde difficile reperiuntur. *Dom.* XIX *post Pent.*, v. 9, lit. *b*.
Civitas Christi est anima nostra, quia eam elegit in habitationem. *Dom.* XVIII *post Pent.*, v. 1, lit. *b*.
Clamor. — Clamor Dei continuus est, sed nos non auscultamus. *Dom. Septuag.*, v. 5, n. 1.
Claudi. — Claudi denotant ambitiosos. *Fer.* VI *post Dom.* I *Quadr.*, v. 3, n. 4.
Ad convivium Eucharisticum admissi, quinam sint. *Dom.* II *post Pent.*, v. 22, n. 22, 23, 24.
Prius sanati sunt, quam ad cœnam admitterentur. *Ibid.*, n. 28.
Claudicatio. — Claudicatio designat aceidiam et inconstantiam. *Dom.* II *Adv.*, v. 5, n. 2.
Clavis. — Clavis cordis nostri est voluntas propria. *Dom.* IV *Adv.*, v. 4, n. 22, et *Dom.* III *post Epiph.*, v. 3, n. 7.
Clericatus. — Clericatus quid significet. *Fer.* III *post Dom.* II *Quadr.*, v. 7, n. 1.
Clerici avari perstringuntur. *Fer.* IV *post Dom.* II *Quadr.*, v. 22, n. 10 et 11.
Cœlum. — Cœlum empyreum primum opus fuit Dei manibus formatum, et cur. *Dom.* XIV *post Pent.*, v. 33, n. 3.
Spes regni cœlestis quamlibet martyrum pœnam dulcem reddit. *Dom. Septuag.*, v. 12, n. 15.
Cœlum appellatur gloria Paradisi, et cur. *Dom.* I *post Pent.*, v. 6, n. 5.
Cœlum significat incarnationem Verbi. *Ibid.*, v. 6, n. 7.
Significat doctrinam Evangelicam. *Ibid.*, n. 6.
Et sanctissimum Sacramentum. *Ibid.*, n. 8.
A multis parum pro cœlo datur, quia Deus contentus est accipere quod habemus. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 6, lit. *h*.
Optime cœlum sub horrei symbolo adumbratur. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 30, lit. *d*.
Mundus et labor omnis facile ab eo contemnitur cujus oculi in cœlestem patriam jugiter diriguntur. *Dom. Quinq.*, v. 31, lit. *b*.
Aditus ad cœlum facilis, cum Christus illud nobis magna cum aviditate offerat. *Dom.* II *post Pent.*, v. 17, lit. *b*.
In cœlum oculum tuum dirige, et omnia quæ hic in terris sunt facile contemnes. *Dom.* III *post Pasch.*, v. 16, lit. *d*.
Non in cœlum ascenditur per verba, sed per opera. *Dom.* VII *post Pent.*, v. 21, lit. *d*.
Mensæ cœlesti ingens hominum multitudo, ex omni hominum genere congregata accumbet. *Dom.* XIX *post Pent.*, v. 11, lit. *a*.
Cœna. — Cœna sine lumine non celebratur, nec cœna Eucharistica sine lumine fidei. *Dom.* II *post Pent.*, v. 16, lit. *d*.
Parabola cœnæ magnæ, cœlestis regni gloriam et divinæ bonitatis largitatem describit. *Dom.* II *post Pent.*, v. 16, lit. *f*.
Cogitationes. — Cogitationes malæ, unde originem trahant. *Fer.* IV *post Dom.* III *Quadr.*, v. 19, n. 1.
Sollicite custodiendæ sunt cogitationes æternæ, terrenæque refrenandæ. *Dom.* V *post Pent.*, v. 21, lit. *a*.
Cognatio. — Cognationi carnis opus præferendum est prædicationis. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 4, lit. *b*.
Cognitio. — Cognitio suipsius vera maxime difficilis est ambitioso. *Dom.* III *Adv.*, v. 19, lit. *b*.
Cognitio sui necessaria ad conservandam humilitatem. *Dom.* III *Adv.*, v. 23, lit. *b*.
S. Joannes Baptista nos docet inquirere quid simus ex parte Dei et quid simus ex parte nostri. *Ibid.*, v. 19, lit. *g*.
Quanto melior est cognitio veritatis, tanto pejor est error. *Dom. infra Octav. Nativ.*, v. 34, lit. *c*.
Amor mundi maxime trahit a Dei cognitione. *Dom.* III *Quadr.*, v. 14, lit. *j*.
Non aliter potest cognosci Deus nisi nos cogniti fuerimus ab illo. *Dom.* II *post Pasch.*, v. 14, lit. *a*.
Prorsus est aliud nosse Deum, et aliud timere; nec cognitio sapientiam, sed timor facit. *Fest. Pent.*, v. 23, lit. *m*.
Quanto quis majorem de Deo cognitionem habet, tanto ei majorem præstat reverentiam et venerationem. *Dom.* IV *post Pent.*, v. 1, lit. *c*.
Collis. — Per colles et montes recte maligni spiritus offendicula ponentes intelligi possunt. *Dom.* IV *Adv.*, v. 4, lit. *a*.
Nomine collis et montis intelliguntur inanis gloriæ studiosos *Ibid.*, lit. *c*.
Colloquia. — Colloquia cum mulieribus quam sint periculosa. *Fer.* VI *post Dom.* III *Quadr.*, v. 27, n. 4.
Colloquia prava corrumpunt mores bonos. *Dom.* XI *post Pent.*, v. 33, n. 4, et *Dom.* XXII *post Pent.*, v. 16, lit. *a*. Vide Societas.
Columba. — Inter omnia anim alia dedita est charitati. *Dom.* XVII *post Pent.*, v. 39, n. 6.
Columbæ Simoniacos significant. *Fer.* II *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 14, n. 12.
Comestio. — Ordinatur comedere ad servandum robur corporis, et non ideo comedendum est ut vacemus potationibus. *Dom.* XIV *post Pent.*, v. 25, lit. *e*.
Communio. — Quare fiat jejuno stomacho. *Dom.* VI *post Pent.*, v. 2, n. 26.
Qui hoc pane se reficit, res sæculi appetere desinit. *Ibid.*, n. 28.
In via perfectionis novas vires confert. *Ibid.*, v. 3, n. 5.
Non nostro dat gratiam sed et fortitudinem ad superandum tentationes. *Dom.* XXIII *post Pent.*, v. 25, n. 24.
Communioni præmittenda est conscientiæ purificatio. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 4, lit. *g*.
Valde indecens est quod linguam profanemus, maxime cum toties accipiamus sacrosancta corporis et sanguinis Christi mysteria. *Dom.* III *Quadr.*, v. 14, lit. *k*.
Magna puritate et decentia ornanda est anima, ut Do-

minum valeat recipere, ut in ea habitet. *Dom. Palm.*, v. 8, lit. *d*.
Fructus receptionis corporis Christi in Communione nostræ correspondet dispositioni. *Fest. Pasch.*, v. 3, lit. *a*, et *Dom.* IV *post Pasch.*, v. 7, lit. *a*.
Compassio. — Compassio erga proximos nos reddit in die judicii securos. *Fer.* II *post Dom.* I *Quadr.*, v. 35, n. 6.
Compassio in pauperes grata est Deo et ejus pretiosi et multi sunt fructus, etiam in hac vita mortali. *Dom.* XVIII *post Pent.*, v. 2, lit. *e*.
Compunctio interna plerumque suum habet impulsum ab arumnis. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 27, lit. *b*.
Compunctio mentis illuminatio est animæ. *Dom.* III *post Pasch.*, v. 20, lit. *a*.
Compunctionem inducit silentium. *Dom.* XXII *post Pent.*, v. 13, lit. *e*.
Concordia. — Nihil est quod diabolus tantum timeat quantum concordiam et charitatem. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 26, lit. *j*.
Diabolus omnem nocendi animum deponit, quando nos unanimes esse vidit et concordes. *Dom.* II *post Pasch.*, v. 12, lit. *e*.
Unionis et concordiæ meritis, infallibilis Dei præsentia et assistentia obtinetur. *Dom.* V *post Pasch.*, v. 23, lit. *a*.
Non resistit Deus oranti in concordia multitudini, sed quasi devictus adest. *Dom.* XIII *post Pent.*, v. 12, lit. *a*.
Concilium. — Concilium Hebræorum consultantium intra se, de morte Christo inferenda. *Fer.* VI *post Dom.* II *Quadr.*, v. 38, n. 3 et 4, et *Fer.* VI *Pass.*, v. 47, n. 1.
In eos ipsos qui huic concilio intererant, maxima Deus contulerat beneficia. *Fer.* VI *post Pass.*, v. 47, n. 1.
Quale Judæi motivum habuerint, instituendi concilium contra Christum. *Ibid.*, n. 9, 10 et 16, et v. 48, n. 2 et 3.
Consiliarii in eo cœtu fuere ambitio et avaritia. *Ibid.*, v. 48, n. 9 et 10.
Concio. — Vide Prædicatio.
Concupiscentia. — Ardores concupiscentiæ extinguuntur in meditatione ignis sempiterni. *Dom. Septuag.*, v. 1, lit. *f*.
Dum nos propriæ concupiscentiæ subjicimur, dæmoni ut adversum nos prævalere possit arma offensiva subministramus. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 24, lit. *c*.
Concupiscentiæ ardorem panis Eucharisticus debilitat. *Dom.* XXI *post Pent.*, v. 26, lit. *c*.
Confessarii. — Non debent esse indiscreti, sed benigni. *Fer.* III *post Dom.* II *Quadr.*, v. 4, n. 4.
Consulere debent quantum possunt verecundiæ et confusioni pœnitentis. *Fer.* VI *post Dom.* III *Quadr.*, v. 17, n. 4.
Quid ante absolutionem facere debeant. *Dom.* XV *post Pent.*, v. 1, n. 13.
Sunt velut civitates refugii veteris Testamenti. *Dom.* VIII *post Pent.*, v. 8, n. 11.
Confessio. — Confessio tribus debet constare partibus. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 4, n. 13.
Confiteri quid sit. *Dom. infra Octav. Nativ.*, v. 28.
Confessio peccatorum est plus reconciliativa Dei, quam jejunia et cilicia. *Fer.* IV *Cin.*, v. 17, n. 7.
Quam sit Deo grata, quando intrepida et constans. *Fer.* VI *post Dom.* I *Quadr.*, v. 13, n. 3.
Quam sit necessaria et quomodo fieri debeat, ut sit bona. *Fer.* IV *post Dom.* I *Quadr.*, v. 14, n. 9.
Confessio peccatorum est securissimum salutis remedium. *Dom.* XIX *post Pent.*, v. 12, n. 14.
Tribunal confessionis totaliter diversum est a tribunali terreno. *Dom.* XIII *post Pent.*, v. 14, n. 5.
Quot debeat habere conditiones. *Ibid.*, v. 14, n. 13.
Est pura hostia placans Deum. *Dom.* XVIII *post Pent.*, v. 8, n. 6.
Confessio Regi gloriæ ornamentum affert. *Ibid.*, n. 7.
Quot fructus et utilitates ex ea resultent. *Ibid.*, n. 8 et 10.
Cur potestas absolvendi hominibus data sit. *Ibid.*, n. 11.
Cur hæc potestas non sit collata Angelis. *Ibid.*, n. 12.
Extinguit remorsum conscientiæ, et vermem intus rodentem conscientiam. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 24, lit. *a*.
Per confessionem liberamur a malo culpæ, miseriæ, gehennæ. *Dom.* IV *Adv.*, v. 3, lit. *b*.
Confessio Angelos lætificat, impium justificat, amissa bona revocat, vitam æternam donat, pœnam æternam vitat. *Dom.* IV *Adv.*, v. 3, lit. *b*.
Licet sit absque absolutione facta, non tamen magna utilitate destituitur. *Dom.* IV *Adv.*, v. 3, lit. *c*.
Decor egreditur quando homo non confitetur. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 45, lit. *b*.
Anima per confessionem mundatur, purificatur, magnamque acquirit pulchritudinem. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 45, lit. *b*.
Non modo malas operationes abolet, sed et merita recuperat. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 1, lit. *a*.
Confessione sacramentali fit transmigratio de statu culpæ ad gratiam Ecclesiæ. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 1, lit. *a*.
Confessionis duodecim assignantur fructus. *Ibid.*
De utilitate confessionis. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 2, lit. *j*.
In confessione peccator verecundus esse debet. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 2, lit. *k*.
In confessione non occultanda peccata præ verecundia, sed detestanda et plangenda. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 2, lit. *k*.
Raritas confessionis peccatum inveterat. *Dom. Septuag.*, v. 1, lit. *g*.
Molitur diabolus quantum potest ut nos mutos efficiat, et a confessione abstrahat. *Dom.* III *Quadr.*, v. 14, lit. *e*.
Raritas confessionis peccatum inveterat in anima. *Fest. Pasch.*, v. 2, lit. *a*.
Delicti confessio veniam impetrat, gratiam promeretur, humilitatem nutrit, cœlum aperit, iram Dei coercet pacem reddit et offensam majestatem cito propitiat. *Dom. in Albis*, v. 23, lit. *a*.
In confessione dicenda sunt audacter peccata, sed simul cum pudore et contritione. *Dom.* X *post Pent.*, v. 13, lit. *f*.
Omnis pœnitens debet confiteri, patenter, ferventer, festinanter. *Dom.* X *post Pent.*, v. 13, lit. *g*.

In lege nova peccatores debent adire Sacerdotes, ut per declarationem spiritualis lepræ peccati, cooperentur ad satisfactionem. *Dom.* XIII *post Pent.*, v. 14, lit. *b*.
Detestabiles sunt quotquot a confessione abhorrent, in eoque frequenter applicando sibi remedio, vivunt negligentes. *Dom.* XIII *post Pent.*, v. 14, lit. *c*.
Aliter salvi fieri non possumus, nisi confitemur. *Dom.* XIII *post Pent.*, v. 14, lit. *d*.
Præ cæteris dilectæ animæ atque immaculatæ confessionem maxime frequentare assolent. *Dom.* XV *post Pent.*, v. 11, lit. *c*.
Inter alias bonæ confessionis circumstantias requiritur ut sit pura. *Dom.* XXI *post Pent.*, v. 26, lit. *b*.
Pauci propositum servant, quod ad remissionem peccatorum confitentibus necessarium est. *Dom.* XXI *post Pent.*, v. 26, lit. *b*.
Delicti confessio veniam impetrat, gratiam promeretur, humilitatem nutrit, cœlum aperit. *Dom.* XIX *post Pent.*, v. 13, lit. *a*.
In cœna Evangelica, non tam ob defectum vestis nuptialis condemnatur homo quam ob negatam oris confessionem. *Ibid.*
Confidentia. — Post omnes possibiles conatus abhiblos in solo Deo sperare et confidere oportet. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 2, lit. *g*.
Confidentia in Deum ut Patrem nostrum habenda est. *Dom.* XIV *post Pent.*, v. 32, n. 8. Vide Fiducia.
Confusio. — Usque adeo confusio et verecundia pœna est, ut hæc præcipua sit hominis pœna, quatenus est homo. *Dom.* III *Quadr.*, v. 19, lit. *a*.
Conscientia. — Conscientia servi fidelis est thalamus Dei et palatium Christi. *Dom.* I *Adv.*, v. 28, lit. *b*, *c*.
Habentibus conscientiam bonam, nihil timendum erit in die judicii. *Dom.* I *Adv.*, v. 28, lit. *d*.
Conscientiæ integritas consolatur electos. *Dom. infra Octav. Nativ.*, v. 35, lit. *b*.
Neglecta et contempta, præsagium est pessimum. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 2, lit. *j*.
Pura et immaculata exigitur in communicante. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 4, lit. *g*.
Per mare conscientia prava accipitur quam et memoria præteritorum scelerum et delectatio præsentium, hucque illucque impellendo exagitat. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 21, lit. *n*.
Remorsus conscientiæ bonum et optimum semen est. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 14, n. 9.
Conscientia bona affert lætitiam. *Fer.* IV *Cin.*, v. 17, n. 4.
Conscientia mala infernus quidam est. *Fer.* II *post Dom.* I *Quadr.*, v. 41, n. 8.
In se est pœna sua, quem torquet conscientia sua. *Dom.* III *Quadr.*, v. 14, lit. *m*.
Conscientiam puram et mundam retinet qui gratias a Deo receptas, in corde suo jugiter commemorat. *Fest. Pent.*, v. 23, lit. *b*.
Bona conscientia turbam advocat; mala etiam in solitudine anxia atque sollicita est. *Dom.* X *post Pent.*, v. 11, lit. *d*.
Benedictionum Dei copiosius participes fiunt, illi qui se ad easdem per bonam conscientiam disponunt. *Dom.* XIV *post Pent.*, v. 25, lit. *b*.
Nullum gaudium habere potest conscientia illa in cujus anima diabolus habitat. *Dom.* XV *post Pent.*, v. 11, lit. *a*.
Ad acquirendam puram conscientiam nullum est efficacius medium quam si quis continuo de judicio cogitet. *Dom.* XXI *post Pent.*, v. 23, lit. *f*.
Conscientia mala judex est contra se incorruptus. *Dom. Pass.*, v. 46, lit. *c*.
Maximus est malæ conscientiæ cruciatus ut merito tortor et carnifex dici possit. *Dom.* XXI *post Pent.*, v. 34, lit. *a*.
Consideratio. — Ad seriam divinorum mysteriorum considerationem, oritur lætitia et confortatio animæ. *Dom. infra Octav. Nativ.*, v. 33, lit. *b*.
Consilium. — Consilia malorum facile in sequelam trahunt. *Fer.* VI *post Dom. Pass.*, v. 53, n. 2.
Consilia mundi qualia sint. *Fer.* II *post Dom. Pass.*, v. 4, n. 11.
Consilia non sunt spernenda, etiam ab hominibus vilibus suggesta. *Ibid.*, v. 6, n. 4.
Consolationes. — Consolationes spirituales servis Dei ad eorum probationem quandoque auferuntur. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 43, n. 10.
In consolatione spirituali primo cor lætitia afficitur, deinde gaudium in universum corpus diffunditur. *Dom. infra Octav. Nativ.*, v. 33, lit. *b*.
Consolationes spirituales relationem habent ad passiones quas quis subit amore Dei. *Dom. infra Octav. Nativ.*, v. 35, lit. *c*.
Suavitas et dulcedo consolationum spiritualium. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 6, lit. *c*.
Sic Deus afflictis consolationes et gaudia spiritualia in abundantia communicat, ut præ gaudio itineris, labores non sentiant. *Dom. Quinq.*, v. 31, lit. *g*.
Juxta tribulationum pro Deo toleratarum mensuram, consolationum spiritualium crescit abundantia. *Fest. Pasch.*, v. 3, lit. *d*.
Optima certe consolatio quæ ex verbis, operibus et corde procedit. *Dom. in Albis*, v. 20, lit. *b*.
Temporales dulcedines omnibus sunt communes, bonis et malis; spirituales reservantur solis bonis. *Dom.* III *post Pasch.*, v. 18, lit. *b*.
Deliciarum spiritualium manna in animas depluit timoratas, innocentes et perfectas. *Dom.* III *post Pasch.*, v. 18, lit. *b*.
Consolationes hujus vitæ et prosperitates ad cœlestis Spiritus consolationes percipiendas impedimentum præstant. *Dom.* IV *post Pasch.*, v. 7, lit. *c*.
Omnis pœna delectat attente considerata gloria cœlesti quæ eam sequitur. *Dom.* V *post Pasch.*, v. 24, lit. *f*.
Spirituales lætitiæ commensurantur temporalibus afflictionibus. *Dom.* XV *post Pent.*, v. 13, lit. *b*.
Consuetudo. — Consuetudo prava tollitur per bonorum operum exercitium. *Fer.* VI *post Dom.* I *Quadr.*, v. 8, n. 4.
Consuetudines adolescentis cum eo in pulvere dormient. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 42, lit. *f*.
Consuetudines sive bonæ sive pravæ in pueritia facillime contrahuntur. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 42, lit. *f*.
Consuetudo mala ad resurgendum difficultates parit. *Fest. Pasch.*, v. 4, lit. *a*.
Pœnitentiam reddit difficilem, in extremo, consuetudo inveterata. *Dom.* VIII *post Pent.*, v. 3, lit. *e*, et v. 4, lit. *a*.

Anima quæ nondum a diuternitate malæ consuetudinis est oppressa, de facili ad vitam potest resurgere. *Dom.* XXIII *post Pent.*, v. 25, lit. *d*.
Mala consuetudo, velut quædam catena, nostra nos destituit libertate, adigitque quo lubet. *Ibid.*
Consuetudo inveterata peccandi pœnitentiam difficilem et pene impossibilem reddit. *Dom.* XXIV *post Pent.*, v. 20, lit. *a*.

Contemplativi. — Significantur per aves. *Dom.* I *post Pent.*, v. 26, n. 6 et 7.

Contemptus. — Contemptus divinæ bonitatis magno cum rigore a Deo punietur. *Dom. infra Octav. Nativ.*, v. 34, lit. *g*.
Neque minimum contemnere debemus. *Dom. in Albis*, v. 26, lit. *a*.
Qui contemnitur a mundo spem concipere potest pervenendi ad cœlestem gloriam. *Dom.* III *post Pasch.*, v. 12, lit. *i*.
Vilis homo dum peccat, supremam Dei majestatem contemnit. *Dom.* XIV *post Pent.*, v. 24, lit. *h*.

Continentes. — Continentes plus de divino lumine participant. *Dom. infra Octav. Nativ.*, v. 38, lit. *a*.

Continentia. — Continentia ingens Dei donum est, quod ab industria nostra minime dependet. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 4, lit. *b*.
Quum sit donum specialissimum Dei, cavendum ne in eo vane nobis placeamus. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 4, lit. *b*.
Continentia comparatur bysso qui de terra viridis oritur, sed longo labore et exercitio ad candidum colorem perducitur. *Dom.* XIV *post Pent.*, v. 28, lit. *a*.
Ad continentiam conservandam, plurimum solitudo juvat. *Dom.* XIX *post Pent.*, v. 9, lit. *h*.

Contradictiones. — Cum homo se ad Deum convertit, statim mundi contradictiones patitur ac sustinet. *Dom. Quinq.*, v. 39, lit. *b*.

Contritio. — Contritio peccatoris qualis esse debeat. *Fer.* VI *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 33, n. 9.
Contritio sola animam a peccatis mundat. *Dom.* XIII *post. Pent.*, v. 4, n. 17.
Contritio cordis ut sit valida, non ex timore servili, sed ex amore Dei procedat oportet. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 48, lit. *e*.
Licet Deus mundaverit te a peccatis, per contritionem, tibi tamen restat adeundum tribunal pœnitentiæ. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 4, lit. *d*.
Contritio ferventissimus est charitatis actus in cujus comparatione aliæ satisfactiones quasi nihil reputantur. *Fest. Pasch.*, v. 7, lit. *a*.
Tria sunt doloris genera, nulli non pœnitenti animæ necessaria. *Dom.* III *post Pent.*, v. 2, lit. *b*.
Prius flendum est, postea confitendum. *Dom.* X *post Pent.*, v. 13, lit. *f*.
Contritio perfecta sufficit ad æternam salutem assecurandam, modo incidat propositum confessionis. *Dom.* XIII *post Pent.*, v. 14, lit. *d*.
Sordes corporis aqua, cordis autem contritio diluit et confessio. *Dom.* XV *post Pent.*, v. 14, lit. *c*.
Actus contritionis ut validus sit non ex timore servili, sed ex amore Dei procedat oportet. *Dom.* XXI *post Pent.*, v. 23, lit. *b*.
Tantus potest esse contritionis dolor, ut etiam pœnam Purgatorii tollat. *Dom.* XXI *post Pent.*, v. 27, lit. *b*.
Unus actus veræ contritionis plus valet apud Deum quam omnes mundi thesauri. *Dom.* XXI *post Pent.*, v. 27, lit. *b*. Vide Confessio.

Contumaces. — In faciem reprehendendi sunt præsentes. *Dom.* I *Quadr.*, v. 24, n. 4.

Conversatio. — Conversatio mulierum periculosa est. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 44, n. 2.
Boni cum malis conversando citius pervertuntur quam mali convertantur. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 2, lit. *a*.
Etiam virtuosos, magisque in divino servilio stabiles, conversatio malorum pervertit. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 24, lit. *c*.
Sæpe optima indoles, quia a malis sociis conculcatur sterilescit. *Dom. Sexag.*, v. 5, lit. *j*. Vide Colloquia.

Conversio. — Conversio peccatorum quam grata sit Deo. *Dom.* III *post Pent.*, v. 7, n. 2.
Subito fieri debet post agnitum peccatum. *Dom.* XXII *post Pent.*, v. 18, n. 13.
Redemptor noster animarum conversionem magni facit. *Dom.* III *Adv.*, v. 23, lit. *d*.
Magna est gloria, magnum est lucrum eorum qui animas convertere satagunt. *Dom. in Albis*, v. 25, lit. *a*.
Conversio peccatoris ad pœnitentiam gratissima Deo est. *Dom.* III *post Pent.*, v. 4, lit. *b*.
Cum tempus non sit in nostra potestate, temerarium est de eo disponere et suam conversionem procrastinare. *Dom.* VIII *post Pent.*, v. 2, lit. *b*, et v. 3, lit. *a*.
Deus conversioni tuæ indulgentiam promisit, sed dilationi tuæ diem crastinum non promisit. *Dom.* X *post Pent.*, v. 13, lit. *c*.
Transitus a malo ad bonum subito et sine mora fieri debet. *Dom.* XV *post Pent.*, v. 16, lit. *a*.
Magna cum sollicitudine nostram debemus instituere conversionem. *Dom.* XVI *post Pent.*, v. 1, lit. *c*.
Conversio peccatorum cibus est Christo Domino gratissimus. *Dom.* XVIII *post Pent.*, v. 1, lit. *c*.
Qui vult converti, ad vitam anteactam respicere debet per exactissimum conscientiæ examen. *Dom.* XXIII *post Pent.*, v. 20, lit. *g*.

Convicium. — Durius est omni plaga ut concutiat animum ingenuum. *Dom. Pass.*, v. 48, lit. *d*.
Salutare erit nobis, si conviciis non respondeamus. *Dom.* III *Quadr.*, v. 15, lit. *d*.

Convivia. — Convivia Magnatum quam differant a Christi convivio. *Dom.* XIX *post Pent.*, v. 9, n. 10.
Convivia sunt lapis Lydius ad probandas convivarum virtutes ac defectus. *Dom.* XVI *post Pent.*, v. 2, n. 6.
Quo fine instituantur. *Ibid.*, v. 7, n. 2.
In iis ultimum locum quis ex superbia eligere potest. *Ibid.*, v. 8, n. 1.
Omnibus occasionibus, præsertim convivis sese immiscet dæmon. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 2, lit. *g*.
Aderat Christus conviviis in domos Pharisæorum, propter animarum utilitatem. *Dom.* XVI *post Pent.*, v. 1, lit. *a*.

Cor. — Cor sedes est voluntatis. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 3, n. 7.
Cor est mare. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 24, n. 9.
Cor duram quid. *Dom. Sexag.*, v. 6, n. 6.
Cur verbum Dei tollatur de corde et non de auribus. *Ibid.*, v. 13, n. 2.
Cur assimilatur viæ. *Dom. Sexag.*, v. 5, n. 10.
Assimilatur plateæ. *Ibid.*

Cor incapax est Dei, nisi ab affectibus mundanis evacuetur. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 8, n. 3.
Cor tam est a rebus cœlestibus vacuum, quantum terrenis repletum. *Dom. Sexag.*, v. 7, n. 5.
Cor durum comparatur petræ. *Ibid.*, v. 6, n. 4.
Cor incapax est amoris terreni, quando divino imbutum est. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 7, n. 2.
In corde malorum dæmon requiescit. *Dom.* III *Quadr.*, v. 24, n. 8.
Cor hominis non capit simul Deum et dæmonem. *Dom.* I *post Pent.*, v. 24, n. 5.
Deus cor hominis totum desiderat. *Ibid.*, n. 7.
Cor totum consignandum est Deo in tributum servitutis. *Dom.* XVII *post Pent.*, v. 27, n. 9.
Per cor intelliguntur cogitationes vel potentiæ animæ. *Dom.* XII *post Pent.*, v. 27, n. 9.
Cor solum ad Dei servitium sufficit. *Dom.* XVII *post Pent.*, v. 38, n. 5.
Cor hominis præcipue vitiis affectum est velut materies ad ignem suscipiendum parata. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 24, lit. *c*.
Deus totum cor exigit qui omnem hominem fecit. *Dom.* III *Quadr.*, v. 17, lit. *a*.
Cor unde fons vitæ et mortis procedit est primitus expiandum. *Dom.* V *post Pent.*, v. 21, lit. *a*.
Quando fit in corde pars diabolo, discedit Deus, et totum diabolus possidet. *Dom.* VIII *post Pent.*, v. 6, lit. *c*.
Sine rectitudine cordis, opera nostra quantumvis bona, inutilia sunt et mortua. *Dom.* X *post Pent.*, v. 10, lit. *c*.
Deus totum cor nostrum habere desiderat. *Ibid.* v. 14, lit. *a*.
Deus non admittit aliorum dominorum societatem in possessione cordis humani. *Dom.* XIV *post Pent.*, v. 24, lit. *b*.
Cor ab inordinatis purificatur affectibus, virtutibusque exornatur, mediante recordatione mortis. *Dom.* XV *post Pent.*, v. 12, lit. *a*.
Quisquis Deo cor suum dat, omnia tribuit. *Dom.* XVII *post Pent.*, v. 37, lit. *a*.
Cor malignum et charitate expers, actus quoque virtuosos sinistre interpretatur. *Dom.* XVIII *post Pent.*, v. 4, lit. *a*.
Parum prosunt externa verba, si cor longe est a Deo. *Dom.* XXIII *post Pent.*, v. 21, lit. *a*.
Deus in possessione cordis nostri nullum vult admittere consortem. *Dom.* XXIII *post Pent.*, v. 25, lit. *a*.

Cooperatio. — Cooperatio necessaria est ad consequendam Dei gratiam. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 6, n. 11.
Deus, ut salutem nostram operetur, nostra cooperatione opus habet. *Dom. Palm.*, v. 3, lit. *d*.
Assistentia Dei, qua in tentationibus proteginur, nostram exigit cooperationem. *Dom.* XI *post Pent.*, v. 32, lit. *d*.
Fiducia in Deum quantumvis viva sit et firma prudentem cooperationem nostram non excindit. *Dom.* XXIII *post Pent.*, v. 22, lit. *a*.

Corona. — Ubi multæ coronæ, multa certamina; si multæ persecutiones, multæ probationes. *Dom.* III *post Pasch.*, v. 20, lit. *c*.

Correctio. — Correctio differt a reprehensione quæ fit per prædicatores. *Dom.* III *Quadr.*, v. 15, n. 22.
Correctio dignior est eleemosyna. *Ibid.*, n. 15.
Correctio fraterna primo corrigenti, deinde proximo fieri debet. *Dom.* I *post Pent.*, v. 12, n. 7.
Quando cum affectu recipitur, signum est salutis. *Fer.* VI *post Dom.* III *Quadr.*, v. 19, n. 4.
Non debet exerceri circa afflictum. *Fer.* VI *post Dom.* III *Quadr.*, v. 15, n. 29, 30 et seq., et *Fer.* IV *post Dom. Pass.*, v. 25, n. 4.
Cur fieri debeat. *Fer.* III *post Dom.* III *Quadr.*, v. 16, n. 1.
Correctio intermitti non debet, etiamsi amico displiceat. *Ibid.*, v. 15, n. 26.
Quando et quomodo fieri debeat. *Ibid.*
Quem debeat servare ordinem. *Fer.* III *post Dom.* III *Quadr.*, v. 17, n. 4.
In cujus præsentia fieri debeat. *Ibid.*, v. 16, n. 7 et seq.
Correctio nihil proficit in animabus vitiosis. *Fer.* III *post Dom. Pass.*, v. 7, n. 6.
Ob quod peccatum fieri debeat. *Fer.* III *post Dom.* III *Quadr.*, v. 15, n. 1 et 2.
Peccatum debet esse publicum ob quid fit. *Ibid.*
Procedere debet ex radice charitatis. *Ibid.*, n. 7.
Debet fieri cito, sine dilatione. *Ibid.*, n. 14.
Ejus præceptum obligat omnes. *Ibid.*, n. 14.
Quales conditiones habere debeat. *Ibid.*, n. 20.
Debet fieri private, ne confundatur delinquens. *Fer.* VI *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 32, n. 9.
Correctio fraterna superiores maxime obligat. *Dom.* II *Adv.*, v. 2, lit. *c*.
Melius est a detractoribus corrigi quam ab adulatoribus decipi. *Dom.* II *Adv.*, v. 4, lit. *b*.
Quæ non fit cum ea quæ decet moderatione ad iracundiam provocat. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 48, lit. *e*.
Cum discretione et dexteritate instituenda est. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 23, lit. *f*.
Correctio nimis sæva, impium hominem in desperationem sæpe numero adigit. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 23, lit. *f*.
Correctio veri amici ex motivo charitatis procedere debet. *Dom. Septuag.*, v. 13, lit. *a*.
Irreprehensibilis esse debet in se, qui alios corrigendi munus vult exercere. *Dom. Pass.*, v. 46, lit. *a*.
Perditæ salutis homines sunt qui correctionem aspernantur et rident. *Ibid.*, v. 46, lit. *b*.
Sub præcepto tam divino quam naturali, obligat omnes, maxime superiores. *Ibid.*, v. 49, lit. *d*.
Correctio non transeat in crudelitatem ne perdas quod emendare desideras. *Dom. in Albis*, v. 20, lit. *a*.
Qui alicujus crimen carpit, maxime expedit ut ejus inquinamento non sit deturpatus ac lædatus. *Dom. in Albis*, v. 25, lit. *b*.
Cum discretione et dexteritate instituenda est, distinguendo inter personas. *Dom. in Albis*, v. 27, lit. *a*.
Correctio neglecta fovet omne vitium, prudenter adhibita, multum fructum afferl. *Dom.* II *post Pasch.*, v. 12, lit. *a*.
Impios corrigere perfectæ et probatæ virtutis opus est. *Dom.* IV *post Pasch.*, v. 8, lit. *h*.
Prius nosmetipsos examinare oportet, videreque an forte iisdem vitiis contaminati, quæ aliis improperare, contendimus. *Dom.* I *post Pent.*, v. 41, lit. *b*.
Correctio quæ est medicina spiritualis debet esse secreta. *Dom* XII *post Pent.*, v. 34, lit. *a*.

Corripiamus verbis, et si opus est, et verberibus, sed delictum dimittamus. *Dom.* XVIII *post Pent.*, v. 4, lit. *c*

Vis fratrem corrigere? lacrymare, ora Deum, apprehensum admone, consule, exhortare. *Dom.* XX *post Pent.*, v. 48, lit. *a*.

Nisi eis quos corrigit Dominus hæreditatem dare disponeret, erudire eos per molestias non curaret. *Dom.* XX *post Pent*, v. 46, lit. *g*.

Corpus. — Corpus humanum ex corruptibili adeo materia cur conditum sit. *Fer.* IV *Cin.*, v. 20, n. 7.

De corpore quod inimicum est animæ semper solliciti sumus. *Dom.* XIV *post Pent.*, v. 25, lit. *a*.

Indecens est quod corpus præponatur animæ, quodque de corpore magis solliciti simus quam de anima. *Dom.* XX *post Pent.*, v. 47, lit. *b*.

Bonæ sunt corporis infirmitates utpote ex quibus magnum capimus lucrum. *Dom.* XXIII *post Pent.*, v. 18, lit. *d*.

Corpus Christi vivificam vim habet, et spiritum vitæ. *Dom.* XXIII *post Pent.*, v. 18, lit. *f*.

Correptio. — Qui edit correptionem, eo ipso ostendit se decrevisse peccatis adhærescere. *Dom.* XXII *post Pent.*, v. 15, lit. *a*. Vide Connexio.

Corruptio. — Corruptio optimi pessima. *Dom.* XXII *post Pent.*, v. 15, lit. *c*.

Crapula. — Crapula inordinata provocat libidinem. *Fer.* V *post Dom.* II *Quadr.*, v. 19, n. 14.

Causat morbos et mortem. *Fer.* IV *Cin.*, v. 16, n. 9.

Damna gravia ex crapula gubernantium et rectorum in reipublicam resultant. *Dom.* IV *Quadr.*, v. 9, lit. *b*.

Nunquam rigidioribus Dei supplicis adeo vicini sumus, quam quando furorem ejus per crapulam irritamus. *Dom.* XVI *post Pent.*, v. 5, lit. *c*.

Creatio. — Opus creationis nostræ magnum erga nos amorem Dei ostendit. *Dom.* XVII *post Pent.*, v. 37, lit. *a*.

Creaturæ. — Creaturæ prædicant nobis Deum. *Dom. Quinq.*, v. 36, n. 1.

Creaturæ licet insensatæ sint, in obsequium tamen Creatoris se animatas esse probant. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 26, n. 7.

Creaturarum decursus signatur in turba transeunte circum Evangelicum. *Dom. Quinq.*, v. 36, n. 1.

Creaturæ armaluntur in die judicii contra peccatores. *Dom.* I *Adv.*, v. 25, lit. *o*, *z*.

Per creaturas in Dei notitiam devenitur. *Dom.* II *Adv.*, v. 19, lit. *b*.

Creaturæ omnes exemplo suo nos obedientiam docent. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 27, lit. *d*.

Fuge creaturas si vis habere Creatorem : omnis creatura vilescat, ut Creator in corde dulcescat. *Dom. Palm.*, v. 8, lit. *b*.

Omnia in natura ad bonum et commodum nostrum ordinata sunt et ut Deum amemus. *Dom.* VIII *post Pent.*, v. 1, lit. *a*.

Omnes creaturæ invitant nos ad gratias Deo agendum. *Dom.* XI *post Pent.*, v. 32, lit. *e*.

Crux. — Crux est Christi exaltatio. *Dom. Quinq.*, v. 31, n. 6, et *Fer.* V *post Dom.* II *Quadr.*, v. 28, n. 1, et *Dom. Pass.*, v. 56, n. 3.

Crux est ejus gloria. *Dom. Quinq*, v. 31, n. 6.

Crux lucem et claritatem et affert. *Dom. Pass.*, v. 56, n. 3.

Crux est efficacissima contra tentationes et peccata *Dom. Quinq.*, v. 31, n. 4.

Est navis secura ad assequendum littus regni cœlestis. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 23, n. 2.

Quid Christum in cruce dilaniarit. *Dom. Quinq.*, v. 33, n. 1.

Crux apparebit in die judicii. *Dom.* XXIV *post Pent.*, v. 30, n. 1 et 2.

Erit currus triumphalis electis. *Ibid.*

A D. Chrysostomo crux vocatur *Philosophia imperatorum*. *Dom.* II *Adv.*, v. 2, lit. *m*.

Qui chorum Ecclesiæ volunt intrare, vadunt sub cruce, quia ab Ecclesia militante ad triumphantem, nemo nisi per crucem potest intrare. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 23, lit. *a*.

Christus pro nobis crucifixus est, et ex hoc mari mundi sic transfretavit in gloriam suam, viam nobis monstrans. *Ibid.*, lit. *g*.

Nullus omnino Sanctorum fuit, qui non aut externam, aut internam aliquam crucem portare debuerit. *Dom.* II *post Pasch.*, v. 14, lit. *c*.

Cultus. — Cultus Dei, in templis, exhibendus est in silentio. *Dom.* IX *post Pent.*, v. 45, lit. *c*.

Cupiditas. — Cupiditas bonorum temporalium quousque hominem seducat. *Fer.* VI *post Dom.* II *Quadr.*, v. 28, n. 11.

Reprehensionem meretur et supplicium. *Fer.* III *post Dom.* I *Quadr.*, v. 12, n. 7.

Cupidus. — Tam vilem æstimat cupidus animam suam, quod quandoque pro uno denario dabit eam. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 24, lit. *f*.

Curiositas. — A curiositate scrutante mysteria violatur fides Dei. *Dom. in Albis*, v. 25, lit. *c*.

Custodia. — Nulla custodia tutior et securior præparari potest quam ærumnæ, labores, lacrymæ. *Dom.* II *Adv.*, v. 2, lit. *g*.

D

Dæmones. — Multi eorum in aere degunt. *Dom. Sexag.*, v. 5, n. 17.

Significantur per ventos. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 25, n. 4, et v. 27, n. 3.

Blandiuntur initio et postea ferveiunt. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 25, n. 22.

Tentant pigros. *Ibid.*, n. 23.

Non nocent nisi volentibus. *Ibid.*, v. 27, n. 5, et v. 28, n. 3.

Quomodo fortificentur contra nos. *Dom. Sexag.*, v. 5, n. 20.

Dæmones dicuntur homines. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 28, n. 3, 4 et 5.

Et volucres cœli. *Ibid.*

Degunt in aere. *Ibid.*

Occulte tegunt insidias, ne detectæ dispereant. *Ibid.*, v. 25, n. 21.

Decipiunt proponendo vitium sub larva virtutis. *Ibid.*, v. 25, n. 4, et v. 23, n. 18.

Multos elevant ut perdant. *Ibid.*, v. 25, n. 18.

Quot modis tentent impedire fructum sermonis divini. *Dom. Sexag.*, v. 5, n. 19.

Quomodo semen verbi divini suffocent. *Ibid.*, v. 15, n. 4, et v. 13, n. 2.

Dæmones quiescunt dum fideles infestant. *Fer.* IV *post Dom.* I *Quadr.*, v. 13, n. 2 et 6.

Gaudia a dæmone proposita lapides sunt. *Dom.* I *Quadr.*, v. 3, n. 9.

Facile in animam ingrediuntur dæmones, et difficulter recedunt. *Dom.* III *Quadr.*, v. 14, n. 2.

Non vincuntur sine virtute divina. *Dom.* III *Quadr.*, v. 21, n. 23.

Aliquando utuntur Scripturis ut decipiant. *Dom.* I *Quadr.*, v. 6, n. 9.

Eorum proprium est circuire. *Dom.* III *Quadr.*, v. 24, n. 1.

Sunt mendaces et pauperes *Dom.* I *Quadr.*, v. 9, n. 1.

In sublime ducunt ut inde præcipitent. *Ibid.*, v. 5, n. 6 et 7, et v. 8, n. 2.

In Christi tentatione dæmon suam insciliam ostendit. *Ibid.*, v. 3, n. 20.

Cur Adamum per Evam tentarit. *Ibid.*, n. 3.

Christo ruinam struere conatus est. *Ibid.*, v. 9, n. 4.

Cur quiescere nequeat. *Fer.* IV *post Dom.* I *Quadr.*, v. 13, n. 6.

Cur dæmones appellentur latrones. *Dom.* XXII *post Pent.*, v. 30, n. 8 et 9.

Astutia dæmonis reminiscentiam diei judicii impio abscondit. *Dom.* I *Adv.*, v. 25, lit. *l*.

Conatus et insidiæ dæmonum, oratione mediante, superantur. *Dom.* IV *post Epiph.*, lit. *g*.

Dæmoni aliquid contra nos andere permittitur, ut a fidelibus Christi, gloria majori vincatur. *Ibid.*, v. 24, lit. *u*.

Licet inquieti et importuni sint spiritus, ut musca tamen facile abigi possunt. *Dom.* III *Quadr.*, v. 15, lit. *f*.

Dæmones animæ humanæ inimici sunt infensissimi. *Dom.* IX *post Pent.*, v. 43, lit. *c*.

Dæmones nostrum explorant genium, inclinationes et affectus disquirunt, et secundum hos nos tentant, et in lapsum propellunt. *Dom.* XII *post Pent.*, v. 25, lit. *b*.

Mille modis, investigabilique arte ac infaligabili circumventione simplicium animas decipere moliuntur. *Dom.* XXII *post Pent.*, v. 16, lit. *e*. Vide Diabolus.

Damnati. — Rationes æternitatis et rigoris pœnarum damnatorum. *Dom. infra Octav. Nativ.*, v. 33, lit. *c*.

Conferuntur zizaniis alligatis in fasciculos ad comburendum. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 30, lit. *g*.

Damnatorum pœna multum augebitur ob considerationem gloriæ beatorum, de tanto amisso bono maxime dolentes. *Dom. Septuag.*, v. 2, lit. *a*.

Damnati videbunt gloriam ad majus eorum tormentum. *Fer.* V *post Dom.* II *Quadr.*, v. 23, n. 3.

Damnati horribile erit tormentum dum se visione Dei semper privatum videbit. *Dom.* IV *post Pasch.*, v. 6, lit. *f*.

Pœnæ damnatorum multum augebuntur ob beatorum gloriam quam perdiderunt. *Dom.* XV *post Pent.*, v. 11, lit. *e*.

Damnatio. — Ex ipsa excellentia dignitatis, majoris Christiano fiet causa supplicii. *Dom.* IV *post Pasch.*, v. 8, lit. *b*.

Qui superbiunt in operibus bonis, damnationem sibi acquirunt, de pretio salutis, æternam. *Dom.* X *post Pent.*, v. 11, lit. *e*.

Damni pœna. — Intolerabilis res est gehenna, sed multo intolerabilior ac gravior pœna est a visione Dei expelli et excludi. *Dom.* VII *post Pent.*, v. 19, lit. *a*.

David. — Davidis merita apud Deum. *Dom. Quinq.*, v. 38, n. 2.

Delectatio. — Homo diu non potest esse sine delectatione. *Dom. infra Octav. Nativ.*, v. 36, lit. *a*. Vide Voluptas.

Derisio. — Sæpe optima devotio aut vitæ probitas, quia irridetur, sterilescit. *Dom. Sexag.*, v. 5, lit. *k*.

Experientia constat illos qui ad Christum pertinent et cum illo sentiunt, a mundanis semper deriderí. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 3, lit. *b*.

Deliciæ. — Propter abundantiam deliciarum deficiunt in bonis et proficiunt in malis multi. *Dom. Septuag.*, v. 3, lit. *e*.

Qui mundi deliciis ac diaboli lenociniis indulget, Deum contemnit. *Dom.* XIV *post Pent.*, v. 24, lit. *b*.

Desertum. — In deserto fit exordium legis scriptæ Mosaicæ et Evangelicæ. *Dom.* IV *Adv.*, v. 2, n. 11.

Deserti fructus. *Dom.* III *Adv.*, v. 19, n. 4.

Designat Gentilitatem. *Ibid.*, v. 23, n. 10.

Designat et Judaismum. *Ibid.*

Deserti dignitas. *Dom.* IV *Adv.*, v. 2, n. 11 et 13.

Desertum hominem facit victorem dæmonum et socium Angelorum. *Fer.* IV *post Dom.* I *Quadr.*, v. 13, n. 5.

Servit utiliter ad vincendum dæmonem. *Dom.* I *Quadr.*, v. 1, n. 9.

Producit lapides pro fabrica civitatis cœlestis. *Dom.* VI *post Pent.*, v. 4, n. 6.

Per desertum mystice potest intelligi anima ob peccatum a Deo deserta. *Dom.* III *Adv.*, v. 23, lit. *e*.

Ubi desertum, ibi verbum Dei. *Dom.* IV *Adv.*, v. 2, lit. *e*.

Desideria. — Plerumque, quæ nobis hianter optamus, inimica potius vota sunt. *Dom.* XX *post Pent.*, v. 48, lit. *e*.

Desperatio. — Nihil est pejus illa. *Dom. Pass.*, v. 59, n. 7.

Et spes et desperatio timenda est in peccatis. *Dom.* IV *Adv.*, v. 4, lit. *b*.

Nomine collis intelligi possunt desperati. *Ibid.*, v. 5, lit. *c*.

Detractio. — Terminum non habet, nec unquam satiatur. *Dom.* III *Quadr.*, v. 15, n. 7.

Neminem a recta via diverlere debet. *Fer.* VI *post Dom.* I *Quadr.*, v. 14, n. 2.

Ad condemnandum cæteros omne vitæ nostræ tempus absumimus. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 3, lit. *c*.

Vitium detractionis nullo constringitur repagulo. *Ibid.*

Timendum est valde servis Dei detrahere, quorum detractoribus occurrere solet Deus. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 4, lit. *c*.

Etiam timoralis et piis familiaris invenitur detractio. *Dom.* IV *post Pasch.*, v. 6, lit. *d*.

Detractores. — Detractores abominabiles sunt. *Fer.* IV *post Dom.* III *Quadr.*, v. 2, n. 5.

Præstat a detractoribus corrigi, quam ab adulatoribus decipi. *Dom.* XXII *post Pent.*, v. 16, lit. *b*.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Corripiamus verbis, et si opus est, et verberibus, sed delictum dimittamus. *Dom.* XVIII *post Pent.*, v. 4, lit. *c*

Vis fratrem corrigere? lacrymare, ora Deum, apprehensum admone, consule, exhortare. *Dom.* XX *post Pent.*, v. 48, lit. *a*.

Nisi eis quos corrigit Dominus hæreditatem dare disponeret, erudire eos per molestias non curaret. *Dom.* XX *post Pent*, v. 46, lit. *g*.

Corpus. — Corpus humanum ex corruptibili adeo materia cur conditum sit. *Fer.* IV *Cin.*, v. 20, n. 7.

De corpore quod inimicum est animæ semper solliciti sumus. *Dom.* XIV *post Pent.*, v. 25, lit. *a*.

Indecens est quod corpus præponatur animæ, quodque de corpore magis solliciti simus quam de anima. *Dom.* XX *post Pent.*, v. 47, lit. *b*.

Bonæ sunt corporis infirmitates utpote ex quibus magnum capimus lucrum. *Dom.* XXIII *post Pent.*, v. 18, lit. *d*.

Corpus Christi vivificam vim habet, et spiritum vitæ. *Dom.* XXIII *post Pent.*, v. 18, lit. *f*.

Correptio. — Qui edit correptionem, eo ipso ostendit se decrevisse peccatis adhærescere. *Dom.* XXII *post Pent.*, v. 15, lit. *a*. Vide Connexio.

Corruptio. — Corruptio optimi pessima. *Dom.* XXII *post Pent.*, v. 15, lit. *c*.

Crapula. — Crapula inordinata provocat libidinem. *Fer.* V *post Dom.* II *Quadr.*, v. 19, n. 14.

Causat morbos et mortem. *Fer.* IV *Cin.*, v. 16, n. 9.

Damna gravia ex crapula gubernantium et rectorum in reipublicam resultant. *Dom.* IV *Quadr.*, v. 9, lit. *b*.

Nunquam rigidioribus Dei supplicis adeo vicini sumus, quam quando furorem ejus per crapulam irritamus. *Dom.* XVI *post Pent.*, v. 5, lit. *c*.

Creatio. — Opus creationis nostræ magnum erga nos amorem Dei ostendit. *Dom.* XVII *post Pent.*, v. 37, lit. *a*.

Creaturæ. — Creaturæ prædicant nobis Deum. *Dom. Quinq.*, v. 36, n. 1.

Creaturæ licet insensatæ sint, in obsequium tamen Creatoris se animatas esse probant. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 26, n. 7.

Creaturarum decursus signatur in turba transeunte circum Evangelicum. *Dom. Quinq.*, v. 36, n. 1.

Creaturæ armaluntur in die judicii contra peccatores. *Dom.* I *Adv.*, v. 25, lit. *o*, *z*.

Per creaturas in Dei notitiam devenitur. *Dom.* II *Adv.*, v. 19, lit. *b*.

Creaturæ omnes exemplo suo nos obedientiam docent. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 27, lit. *d*.

Fuge creaturas si vis habere Creatorem : omnis creatura vilescat, ut Creator in corde dulcescat. *Dom. Palm.*, v. 8, lit. *b*.

Omnia in natura ad bonum et commodum nostrum ordinata sunt et ut Deum amemus. *Dom.* VIII *post Pent.*, v. 1, lit. *a*.

Omnes creaturæ invitant nos ad gratias Deo agendum. *Dom.* XI *post Pent.*, v. 32, lit. *e*.

Crux. — Crux est Christi exaltatio. *Dom. Quinq.*, v. 31, n. 6, et *Fer.* V *post Dom.* II *Quadr.*, v. 28, n. 1, et *Dom. Pass.*, v. 56, n. 3.

Crux est ejus gloria. *Dom. Quinq*, v. 31, n. 6.

Crux lucem et claritatem et affert. *Dom. Pass.*, v. 56, n. 3.

Crux est efficacissima contra tentationes et peccata *Dom. Quinq.*, v. 31, n. 4.

Est navis secura ad assequendum littus regni cœlestis. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 23, n. 2.

Quid Christum in cruce dilaniarit. *Dom. Quinq.*, v. 33, n. 1.

Crux apparebit in die judicii. *Dom.* XXIV *post Pent.*, v. 30, n. 1 et 2.

Erit currus triumphalis electis. *Ibid.*

A D. Chrysostomo crux vocatur *Philosophia imperatorum*. *Dom.* II *Adv.*, v. 2, lit. *m*.

Qui chorum Ecclesiæ volunt intrare, vadunt sub cruce, quia ab Ecclesia militante ad triumphantem, nemo nisi per crucem potest intrare. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 23, lit. *a*.

Christus pro nobis crucifixus est, et ex hoc mari mundi sic transfretavit in gloriam suam, viam nobis monstrans. *Ibid.*, lit. *g*.

Nullus omnino Sanctorum fuit, qui non aut externam, aut internam aliquam crucem portare debuerit. *Dom.* II *post Pasch.*, v. 14, lit. *c*.

Cultus. — Cultus Dei, in templis, exhibendus est in silentio. *Dom.* IX *post Pent.*, v. 45, lit. *c*.

Cupiditas. — Cupiditas bonorum temporalium quousque hominem seducat. *Fer.* VI *post Dom.* II *Quadr.*, v. 28, n. 11.

Reprehensionem meretur et supplicium. *Fer.* III *post Dom.* I *Quadr.*, v. 12, n. 7.

Cupidus. — Tam vilem æstimat cupidus animam suam, quod quandoque pro uno denario dabit eam. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 24, lit. *f*.

Curiositas. — A curiositate scrutante mysteria violatur fides Dei. *Dom. in Albis*, v. 25, lit. *c*.

Custodia. — Nulla custodia tutior et securior præparari potest quam ærumnæ, labores, lacrymæ. *Dom.* II *Adv.*, v. 2, lit. *g*.

D

Dæmones. — Multi eorum in aere degunt. *Dom. Sexag.*, v. 5, n. 17.

Significantur per ventos. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 25, n. 4, et v. 27, n. 3.

Blandiuntur initio et postea ferveiunt. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 25, n. 22.

Tentant pigros. *Ibid.*, n. 23.

Non nocent nisi volentibus. *Ibid.*, v. 27, n. 5, et v. 28, n. 3.

Quomodo fortificentur contra nos. *Dom. Sexag.*, v. 5, n. 20.

Dæmones dicuntur homines. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 28, n. 3, 4 et 5.

Et volucres cœli. *Ibid.*

Degunt in aere. *Ibid.*

Occulte tegunt insidias, ne detectæ dispereant. *Ibid.*, v. 25, n. 21.

Decipiunt proponendo vitium sub larva virtutis. *Ibid.*, v. 25, n. 4, et v. 23, n. 18.

Multos elevant ut perdant. *Ibid.*, v. 25, n. 18.

Quot modis tentent impedire fructum sermonis divini. *Dom. Sexag.*, v. 5, n. 19.

Quomodo semen verbi divini suffocent. *Ibid.*, v. 15, n. 4, et v. 13, n. 2.

Dæmones quiescunt dum fideles infestant. *Fer.* IV *post Dom.* I *Quadr.*, v. 13, n. 2 et 6.

Gaudia a dæmone proposita lapides sunt. *Dom.* I *Quadr.*, v. 3, n. 9.

Facile in animam ingrediuntur dæmones, et difficulter recedunt. *Dom.* III *Quadr.*, v. 14, n. 2.

Non vincuntur sine virtute divina. *Dom.* III *Quadr.*, v. 21, n. 23.

Aliquando utuntur Scripturis ut decipiant. *Dom.* I *Quadr.*, v. 6, n. 9.

Eorum proprium est circuire. *Dom.* III *Quadr.*, v. 24, n. 1.

Sunt mendaces et pauperes *Dom.* I *Quadr.*, v. 9, n. 1.

In sublime ducunt ut inde præcipitent. *Ibid.*, v. 5, n. 6 et 7, et v. 8, n. 2.

In Christi tentatione dæmon suam insciliam ostendit. *Ibid.*, v. 3, n. 20.

Cur Adamum per Evam tentarit. *Ibid.*, n. 3.

Christo ruinam struere conatus est. *Ibid.*, v. 9, n. 4.

Cur quiescere nequeat. *Fer.* IV *post Dom.* I *Quadr.*, v. 13, n. 6.

Cur dæmones appellentur latrones. *Dom.* XXII *post Pent.*, v. 30, n. 8 et 9.

Astutia dæmonis reminiscentiam diei judicii impio abscondit. *Dom.* I *Adv.*, v. 25, lit. *l*.

Conatus et insidiæ dæmonum, oratione mediante, superantur. *Dom.* IV *post Epiph.*, lit. *g*.

Dæmoni aliquid contra nos andere permittitur, ut a fidelibus Christi, gloria majori vincatur. *Ibid.*, v. 24, lit. *u*.

Licet inquieti et importuni sint spiritus, ut musca tamen facile abigi possunt. *Dom.* III *Quadr.*, v. 15, lit. *f*.

Dæmones animæ humanæ inimici sunt infensissimi. *Dom.* IX *post Pent.*, v. 43, lit. *c*.

Dæmones nostrum explorant genium, inclinationes et affectus disquirunt, et secundum hos nos tentant, et in lapsum propellunt. *Dom.* XII *post Pent.*, v. 25, lit. *b*.

Mille modis, investigabilique arte ac infaligabili circumventione simplicium animas decipere moliuntur. *Dom.* XXII *post Pent.*, v. 16, lit. *e*. Vide Diabolus.

Damnati. — Rationes æternitatis et rigoris pœnarum damnatorum. *Dom. infra Octav. Nativ.*, v. 33, lit. *c*.

Conferuntur zizaniis alligatis in fasciculos ad comburendum. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 30, lit. *g*.

Damnatorum pœna multum augebitur ob considerationem gloriæ beatorum, de tanto amisso bono maxime dolentes. *Dom. Septuag.*, v. 2, lit. *a*.

Damnati videbunt gloriam ad majus eorum tormentum. *Fer.* V *post Dom.* II *Quadr.*, v. 23, n. 3.

Damnati horribile erit tormentum dum se visione Dei semper privatum videbit. *Dom.* IV *post Pasch.*, v. 6, lit. *f*.

Pœnæ damnatorum multum augebuntur ob beatorum gloriam quam perdiderunt. *Dom.* XV *post Pent.*, v. 11, lit. *e*.

Damnatio. — Ex ipsa excellentia dignitatis, majoris Christiano fiet causa supplicii. *Dom.* IV *post Pasch.*, v. 8, lit. *b*.

Qui superbiunt in operibus bonis, damnationem sibi acquirunt, de pretio salutis, æternam. *Dom.* X *post Pent.*, v. 11, lit. *e*.

Damni pœna. — Intolerabilis res est gehenna, sed multo intolerabilior ac gravior pœna est a visione Dei expelli et excludi. *Dom.* VII *post Pent.*, v. 19, lit. *a*.

David. — Davidis merita apud Deum. *Dom. Quinq.*, v. 38, n. 2.

Delectatio. — Homo diu non potest esse sine delectatione. *Dom. infra Octav. Nativ.*, v. 36, lit. *a*. Vide Voluptas.

Derisio. — Sæpe optima devotio aut vitæ probitas, quia irridetur, sterilescit. *Dom. Sexag.*, v. 5, lit. *k*.

Experientia constat illos qui ad Christum pertinent et cum illo sentiunt, a mundanis semper deriderí. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 3, lit. *b*.

Deliciæ. — Propter abundantiam deliciarum deficiunt in bonis et proficiunt in malis multi. *Dom. Septuag.*, v. 3, lit. *e*.

Qui mundi deliciis ac diaboli lenociniis indulget, Deum contemnit. *Dom.* XIV *post Pent.*, v. 24, lit. *b*.

Desertum. — In deserto fit exordium legis scriptæ Mosaicæ et Evangelicæ. *Dom.* IV *Adv.*, v. 2, n. 11.

Deserti fructus. *Dom.* III *Adv.*, v. 19, n. 4.

Designat Gentilitatem. *Ibid.*, v. 23, n. 10.

Designat et Judaismum. *Ibid.*

Deserti dignitas. *Dom.* IV *Adv.*, v. 2, n. 11 et 13.

Desertum hominem facit victorem dæmonum et socium Angelorum. *Fer.* IV *post Dom.* I *Quadr.*, v. 13, n. 5.

Servit utiliter ad vincendum dæmonem. *Dom.* I *Quadr.*, v. 1, n. 9.

Producit lapides pro fabrica civitatis cœlestis. *Dom.* VI *post Pent.*, v. 4, n. 6.

Per desertum mystice potest intelligi anima ob peccatum a Deo deserta. *Dom.* III *Adv.*, v. 23, lit. *e*.

Ubi desertum, ibi verbum Dei. *Dom.* IV *Adv.*, v. 2, lit. *e*.

Desideria. — Plerumque, quæ nobis hianter optamus, inimica potius vota sunt. *Dom.* XX *post Pent.*, v. 48, lit. *e*.

Desperatio. — Nihil est pejus illa. *Dom. Pass.*, v. 59, n. 7.

Et spes et desperatio timenda est in peccatis. *Dom.* IV *Adv.*, v. 4, lit. *b*.

Nomine collis intelligi possunt desperati. *Ibid.*, v. 5, lit. *c*.

Detractio. — Terminum non habet, nec unquam satiatur. *Dom.* III *Quadr.*, v. 15, n. 7.

Neminem a recta via diverlere debet. *Fer.* VI *post Dom.* I *Quadr.*, v. 14, n. 2.

Ad condemnandum cæteros omne vitæ nostræ tempus absumimus. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 3, lit. *c*.

Vitium detractionis nullo constringitur repagulo. *Ibid.*

Timendum est valde servis Dei detrahere, quorum detractoribus occurrere solet Deus. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 4, lit. *c*.

Etiam timoralis et piis familiaris invenitur detractio. *Dom.* IV *post Pasch.*, v. 6, lit. *d*.

Detractores. — Detractores abominabiles sunt. *Fer.* IV *post Dom.* III *Quadr.*, v. 2, n. 5.

Præstat a detractoribus corrigi, quam ab adulatoribus decipi. *Dom.* XXII *post Pent.*, v. 16, lit. *b*.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Detractores nulli amplius inferunt damnum quam sibi ipsis. *Dom.* III *post Pent.*, v. 2, lit. *a*.
Qui detrahit seipsum primitus, divina gratia, virtutibus et donis, insuper et bona fama expoliat. *Dom.* XVIII *post Pent.*, v. 4, lit. *b*.
Propriam linguam detractor coinquinat, propriam mentem invidiosus exulceral, seipsum iracundus conturbat. *Dom.* XXII *post Pent.*, v. 15, lit. *d*.
Deus. — Deus ex malo elicit bonum. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 27, n. 4.
Deus ad misericordiam promtior, etc. *Dom. infra Octav. Nativ.*, v. 34, n. 13, et *Dom.* III *post Epiph.*, v. 3, n. 13.
Quomodo peccator perditus reinveniatur a Deo. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 46, n. 7.
Subvenit Deus rei jam desperatæ humanitus. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 25, n. 10, 11 et 12.
Deus amissus non inventur nisi in templo inter Doctores quæratur. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 46, n. 11.
Deus quomodo exeat. *Dom. Septuag.*, v. 1, n. 3, et *Dom. Sexag.*, v. 5, n. 1.
Illi soli licet quod vult. *Dom. Septuag.*, v. 15, n. 2.
Promte nobis succurrit, dum invocatur. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 25, n. 13.
Maxime in casibus desperatis. *Ibid.*, v. 24, n. 12.
Benefaciendo superat nostra desideria. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 7, n. 1.
Nos recipit etiam a mundo repudiatos. *Dom. Septuag.*, v. 7, n. 6.
Magnum nobis præstat beneficium dum laborandi pro ipso occasionem nobis præbet. *Ibid.*, v. 11, n. 7.
Culpa nostra amissus, quantam animæ dolorem afferat. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 48, n. 14.
Postulata negando nonnunquam subvenit nobis. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 2, n. 5.
In prosperitate potius quam adversitate perditur. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 43, n. 11.
Tunc nobis inspirationes suas immittit, quando ad profectum magis summa disposuit. *Dom. Septuag.*, v. 3, n. 2.
Bona renumerat juxta qualitatem intentionis. *Ibid.*, v. 12, n. 7.
Modus quærendi et inveniendi Deum. *Fer.* II *post Dom. Pass.*, v. 34, n. 9.
Iratus Deus misericordiæ recordatur. *Fer.* II *post Dom.* I *Quadr.*, v. 46, n. 4.
Benignior est in castigando Deus, quam homines. *Fer.* VI *post Dom.* II *Quadr.*, v. 43, n. 5.
Gratiis suis semper nos prævenit. *Fer.* VI *post Dom.* I *Quadr.*, v. 7, n. 1.
Plus nostram quam nos ipsi salutem desiderat. *Dom.* I *Quadr.*, v. 10, n. 10.
Absentia Dei ab anima omnis mali causa est. *Fer.* VI *post Dom.* II *Quadr.*, v. 38, n. 9.
Quam sit liberalis Deus in remittendis nobis injuriis. *Dom.* XXI *post Pent.*, v. 28, n. 7.
Dicitur homo, dum reis miseretur. *Dom.* II *post Pent.*, v. 16, n. 1.
Infert nobis violentiam ut benefaciat nobis. *Dom.* VII *post Pent.*, v. 16, n. 18 et 21.
Cur odio sit peccatoribus. *Dom.* XIV *post Pent.*, v. 24, n. 11.
Cur ab iisdem contemnatur. *Ibid.*, n. 15 et 16.
Cura creatura amandus. *Dom.* XII *post Pent.*, v. 27, n. 6.
Deum cognoscere homo quamvis peccator sit, naturaliter appetit. *Dom.* III *Adv.*, v. 19, lit. *a*.
Cuncta bona naturæ, fortunæ, præcipue vero gratiæ, soli Deo attribuenda sunt. *Ibid.*, v. 20, lit. *a*.
De suo optimus, de nostro justus. *Dom. infra Octav. Nativ.*, v. 34, lit. *f*.
Deus in templis suis per Sacerdotes repræsentatur. *Dom. infra Octav. Nativ.*, v. 35, lit. *a*.
Deseri a Deo summa calamitas quæ cæteras omnes pœnas vincit. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 42, lit. *c*.
Quomodo requirendus est Deus. *Ibid.*, v. 45, lit. *a*.
Cum sit pius pater, non dat filiis petentibus, nisi bona. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 2, lit. *e*.
Totum amorem et totum cor nostrum desiderat. *Ibid.*, v. 4, lit. *e*.
Deus tribuit bonæ voluntati quod deest facultati. *Dom. Septuag.*, v. 2, lit. *b*.
Paternum habet adversus bonos viros et probos animum; maternos adversus impios et peccatores. *Ibid.*, v. 15, lit. *a*.
Hoc est proprium Dei veri benignitatem suam negare nulli. *Dom. Sexag.*, v. 5, lit. *f*.
Deus non id quod fit, sed potius quo animo ac affectu fiat contemplatur. *Dom.* II *Quadr.*, v. 3, lit. *b*.
Nunquam deserit hominem, nisi prius ab homine deseratur. *Dom.* IV *Quadr.*, v. 1, lit. *e*.
Oculi Dei nihil aliud effundunt quam pietatem et misericordiam. *Ibid.*, v. 5, lit. *b*.
Deum nullus cognoscere potest, nisi prius ipse a Deo cognoscatur cognitione sua benefica. *Dom.* II *post Pasch.*, v. 14, lit. *a*.
Animas sibi dilectas nimia cum teneritudine consolatur. *Dom.* V *post Pasch.*, v. 23, lit. *f*.
Liberalis est non solum erga fideles suos, verum etiam erga eos qui dæmones adorant. *Dom. infra Octav. Ascens.*, v. 26, lit. *d*.
Deus nos prius amat quam ipsum amemus. *Fest. Pent.*, v. 23, lit. *a*.
In omni loco, tribus modis Deus reperitur: per essentiam, præsentiam et potentiam. *Ibid.*, lit. *k*.
In dilectoribus suis stationem firmat, mansionem facit, hostibus inaccessam et horribilem. *Ibid.*, lit. *l*.
Deus ita libenter manet in iis qui diligunt illum, ut non discedat ab eis nisi contra voluntatem suam. *Ibid.*, lit. *o*.
Cum magna patientia et longanimitate peccatores expectat ad pœnitentiam. *Dom.* II *post Pent.*, v. 1, lit. *a*.
Quando misericordiam suam vult exprimere, dicitur, *homo quidam. Ibid.*, v. 16, lit. *o*.
Nec ad ea quæ commodum nostrum spectant, illam nobis Deus vult vim inferre, quia regit nos suaviter. *Ibid.*, v. 17, lit. *o*.
Deus novit eique proprium est, ex malis elicere bona. *Ibid.*, lit. *c*.
Tanti facit unius duntaxat animæ salutem, ut dum illam perdit, innumeras perdidisse se arbitretur. *Dom.* III *post Pent.*, v. 1, lit. *c*.
Deus diligentiam magnam adhibere solet ut peccatores convertantur. *Ibid.*, v. 8, lit. *c*.
Deus misericors est simul et justus. *Dom.* IX *post Pent.*, v. 41, lit. *j*.

Deus ubique est; in suo tamen templo specialiter debet requiri. *Ibid.*, v. 46, lit. *a*.
Illud Deus auscultat, idque ei maxime placet, quod interna cordis vox loquitur. *Dom.* X *post Pent.*, v. 11, lit. *c*.
Cum patientia nos præstolatur et exspectat, ut suam nobis misericordiam exhibeat. *Dom.* XI *post Pent.*, v. 32, lit. *a*.
Magnam gerit curam illius quod creavit. *Ibid.*, lit. *f*.
Dominus Deus ita tibi benefecit, ut nihil a te repetat; nec te, nec aliqua creatura indiget. *Ibid.*, v. 34, lit. *a*.
Licet offensus graviter et enormiter, peccatorem mille modis ad se revocat. *Dom.* XIII *post Pent.*, v. 12, lit. *f*.
Deus sibi servientem movet ad superiora, divitiæ vero ad inferiora inclinant. *Dom.* XIV *post Pent.*, v. 24, lit. *l*.
Deus nobis et Rex, et Dominus, et Pater est: quid nobis negabit? *Ibid.*, v. 31, lit. *a*.
Deus ex malis novit elicere bona. *Dom.* XVI *post Pent.*, v. 23, lit. *c*.
Deus non vocis sed cordis auditor est, nec admonendus est clamoribus qui cogitationes hominum videt. *Dom.* XVIII *post Pent.*, v. 1, lit. *f*.
Hic est Dei mos, affligere ut consoletur et beneficia conferat. *Dom.* XX *post Pent.*, v. 47, lit. *c*.
Dicitur in scriptura, Pater misericordiarum, non vero judiciorum et ultionis. *Dom.* XIX *post Pent.*, v. 2, lit. *d*.
Tunc Deus peccatori vel maxime irascitur, cum illius peccata dissimulare videtur. *Dom.* XX *post Pent.*, v. 18, lit. *c*.
Quidquid nobis expediat melius nobis agnoscit. *Ibid.*, v. 19, lit. *b*.
Deus natura bonus et pius, magnus et excelsus in misericordia, facile flectitur. *Dom.* XXI *post Pent.*, v. 26, lit. *a*.
Deo ea quæ Dei sunt reddere nos oportet. *Dom.* XXII *post Pent.*, v. 21, lit. *a*.
Ad audiendas preces nostras semper paratus est. *Dom.* XXIII *post Pent.*, v. 19, lit. *a*.
Tunc Deus suo adest auxilio, quando tribulamur et auxilio ab hominibus destituti sumus. *Ibid.*, v. 20, lit. *b*.
Devotio. — Deus a nobis, in divino servitio, devotionem et fervorem requirit. *Dom.* IV *Quadr.*, v. 2, lit. *b*.
Diabolus. — Cum multiformis sit, se homini applicans, mille modos tentandi habet. *Dom.* IV *Adv.*, v. 4, lit. *a*.
Diabolus genium, inclinationes et affectus nostros explorat ut efficacius tentet nos. *Ibid.*
Studet supplantare bonis operibus intentos. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 24, lit. *a*.
Magis gloriatur de dejectione unius qui multa fecerat bona, quam multorum mediocriter viventium. *Ibid.*
Diabolus etiam nobis utilis est, si eo prout oportet utamur. *Ibid.*, v. 25, lit. *c*.
Non aperte nobiscum congreditur, sed per occultas insidias. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 25, lit. *v*.
Inimicus homo, seu diabolus, non accurrit ad advenam et hordeum ad ea perdenda, sed ad triticum. *Ibid.*, lit. *s*.
Non sufficit diabolo superapponere malum bono, sed satagit ut optimis quibusque misceat illud. *Ibid.*
Seminando malum semen, peccatum scilicet, seminavit infirmitates, miserias, calamitates publicas et privatas. *Ibid.*, v. 27, lit. *c*.
Neque sævior est tyrannis, neque major furia, ea quam diabolus contra hominem exercet, maxime in agone mortis. *Ibid.*, v. 28, lit. *c*.
Tribus modis vel maxime generalibus bello nos diabolus oppugnat: negligentia, superbia et sua ipsa invidia. *Dom. Septuag.*, v. 1, lit. *k*.
Diabolo minimus ad animam nostram aditus sufficit, ut in ea, omnem malitiam suam procreare jussit. *Dom. Sexag.*, v. 5, lit. *i*.
Tunc nos maxime impugnat, quando Deo arctissime conjungi incipimus. *Ibid.*, v. 7, lit. *b*.
Diabolo ministrat homo multas occasiones tentandi, ut veniat. *Ibid.*, v. 13, lit. *a*.
Non auferi verbum ab intellectu vel a sensu, sed a corde. *Ibid.*, lit. *c*.
Semper primordia boni pulsat, tentat rudimenta virtutum. *Dom.* I *Quadr.*, v. 1, lit. *a*.
Habet cupiditatem nocendi, facultatem autem non habet nisi quæ datur. *Ibid.*, lit. *h*.
Diabolo proprium est homini bellum inferre et homines ad peccatum sollicitare. *Ibid.*, v. 3, lit. *a*.
Nulla virtutum potest æque ac humilitas, dæmonum debellare superbiam. *Ibid.*, v. 4, lit. *b*.
Cum tentat hominem, diabolus gravitatem peccati abscondit et notitiam Dei eripit. *Ibid.*, v. 6, lit. *a*.
Astutus diabolus, specie misericordiæ divinæ, hominem in peccata inducit et pœnitentiam procrastinare facit. *Ibid.*, lit. *b*.
Malitia diaboli nullis eventibus frangitur, et victus in prima et secunda tentatione, adhuc ad tertiam procedit. *Ibid.*, v. 8, lit. *b*.
Superbissimus, astutissimus et valde temerarius est. *Ibid.*, v. 9, lit. *a*.
Latrare potest, sollicitare potest, mordere omnino non potest nisi volentem. *Dom.* III *Quadr.*, v. 14, lit. *u*.
Non operatur in omnibus eumdem effectum. *Ibid.*, lit. *d*.
Habet aliquos sibi obligatos quorum ad alios decipiendos ingeniis utitur et linguis. *Ibid.*
Unicum dæmonis erga peccatorem studium est ut ejus animam obcæcet. *Ibid.*, lit. *i*.
Inimicus infernalis hinc omnes suos dirigit conatus, ut charitatem de cordibus nostris eripiat. *Ibid.*, v. 15, lit. *b*.
Nonnunquam Sanctos ipsos impedire potest ne propositum assequantur. *Ibid.*, lit. *f*.
Fortis est contra nos per arma inordinatorum appetituum; sed Christus Dominus alligavit eum. *Ibid.*, v. 26, lit. *a*.
Quandoque tentare intermittit ut quasi securos nos repente rediens facilius irrumpat. *Ibid.*, v. 21, lit. *a*.
Immundus spiritus vocatur ob particularem potestatem quam habet in homines immundos et carnales. *Ibid.*, lit. *c*.
Quærens requiem habitat in homine otioso et vacante tanquam in centro suo. *Ibid.*, v. 26, lit. *a*.
Homo filius fit diaboli, non ex prædestinatione aut reprobatione, sed ex propria sua obstinatione. *Dom. Pass.*, v. 47, lit. *g*.

Diaboli adversus hominem implacabile est odium. *Dom. Palm.*, v. 6, lit. *a*.
Cum maximum malum parat homini guttur invadit, ut vocem adimat, ne confiteatur peccata sua. *Dom.* II *post Pasch.*, v. 12, lit. *c, d*.
Varii sunt laquei quos dæmon nobis capiendis tetendit, doli idem et fraudes quibus nos circumvenit et deludit. *Dom.* III *post Pasch.*, v. 18, lit. *a*.
Nulli hominum proderit excusatio hæc, quasi a diabolo ad peccatum coactus fuerit. *Dom.* IV *post Pasch.*, v. 8, lit. *j*.
In Angelum lucis se transformans, multas per hypocrysin falsitatem seducit animas. *Dom. infra Octav. Ascens.*, v. 20, lit. *g*.
Postquam homines malis inquinavit, ipsam quoque gratiam cogit exhorrescere. *Dom.* II *post Pent.*, v. 18, lit. *a*.
Nunquam illi a dæmonio separantur, quorum individua cum diabolo amicitia est. *Dom.* VII *post Pent.*, v. 15, lit. *f*.
Ut primos nostros parentes deciperet, diabolus se consiliarium exhibebat, simulabat amicum. *Ibid.*
Non statim ad omnia præcepta transgredienda persuadet, sed sinit aliqua virtutum opera exercere ac solvere. *Dom.* VIII *post Pent.*, v. 6, lit. *c*.
Diabolus in nostram perniciem indefesse vigilat. *Dom.* IX *post Pent.*, v. 42, lit. *d*.
Per insidias nos aggreditur et tentat hostis antiquus cum quo prælium gerimus. *Dom.* XII *post Pent.*, v. 23, lit. *a*.
Diabolus facit quantum scit et valet ut tenuem aliquem in cor nostrum aditum habere possit. *Dom.* XIV *post Pent.*, v. 24, lit. *b*.
Inimicus infernalis vitam hominis brevem esse scienS, omnibus viribus illum dispergere satagit. *Ibid.*, lit. *c*.
Obtrivionem mortis diabolus nobis procurare satagit. *Dom.* XV *post Pent.*, v. 12, lit. *a*.
Innumeros tendit laqueos quibus nos circumveniat. *Dom.* XVI *post Pent.*, v. 1, lit. *d*.
Viros perfectos, ad spiritualia assuetos certamina, callide semper observat. *Ibid.*, v. 2, lit. *f*.
Ex bono diabolus malum elicit. *Dom.* XVII *post Pent.*, v. 11, lit. *a*.
Diabolus sanctissimos viros falsissimis calumniis impetit. *Dom.* XVIII *post Pent.*, v. 3, lit. *a*.
Per peccatum diabolus peccatorem totaliter facit suum. *Dom.* XIX *post Pent.*, v. 13, lit. *g*.
Lingua utitur sæpissime diabolus, alios capiens in blasphemiis, etc. *Dom.* XXII *post Pent.*, v. 15, lit. *i*.
Qui in diaboli iniquitatibus ambulant, diaboli adjutorium necessarium habent. *Ibid.*, v. 16, lit. *a*.
Cum a bonorum cordibus repelli se conspicit, per eos qui plus ceteris diliguntur blandius loquitur ut perdat. *Ibid.*
Dum aliquem aggreditur, se illius genio accommodat. *Ibid.*, lit. *e*. Vide Dæmones, Satanas.
Dies Dominica. — Vide Festivi dies, Sabbatum.
Diffidentia. — Dum homo nimium sollicitus est de temporalibus, vere Deo deest, et diffidentiæ peccatum incurrit. *Dom.* XIV *post Pent.*, v. 31, lit. *a*.
Dignitates. — Dignitates Ecclesiasticæ non sunt conferendæ consanguineis. *Fer.* IV *post Dom.* II *Quadr.*, v. 21, n. 6.
Quam sint onerosæ et laboriosæ. *Ibid.*, v. 22, n. 11, 12, 13.
Quid sint dignitates sine merito. *Dom.* XVI *post Pent.*, v. 9, n. 5.
Qui illas ambit indignum se iis esse docet. *Ibid.*, n. 6.
Non sunt ambiendæ sed fugiendæ. *Ibid.*, v. 7, n. 7.
Ex seipsis utrum malæ sint. *Ibid.*, n. 9.
Sublimia loca præcipitia vicina comminantur. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 24, lit. *b*.
Qui inviti ad sublimes dignitates promoventur communiter lapsui non subjiciuntur. *Ibid.*
Magna dignitas multam negligentiam, multam vecordiam, multosque defectus parit. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 25, lit. *o*.
Nobis curandum est ut in dignitatibus et in honoribus fugiendis et declinandis stabiles et constantes simus. *Dom.* IV *Quadr.*, v. 15, lit. *a*.
Tunc vel maxime deficere et evanescere dignitates videmus, quando easdem vel maxime stabiles futuras esse arbitrabamur. *Dom. Palm.*, v. 9, lit. *a*.
Qui se exaltat, non autem omnis qui invitus exaltatur, humiliabitur. *Dom.* V *post Pasch.*, v. 24, lit. *c*.
Multi antequam obtineant dignitatem, se præbent in vestimentis ovium, at post obtentam malitia interna prodit. *Dom.* VII *post Pent.*, v. 16, lit. *a*.
Illi qui dignitates fugiunt et accipere detrectant, illis accipiendis digniores et aptiores fiunt. *Dom.* X *post Pent.*, v. 14, lit. *b*.
Quid est dignitas indigno, nisi ornamentum in luto? *Dom.* XII *post Pent.*, v. 30, lit. *d*.
Humanæ dignitatis culmen lubricum est et periculosum quia homo, pulvis et cinis, in alto positus vento elationis dissipatur. *Dom.* XIX *post Pent.*, v. 9, lit. *a*.
Dilectio. — Tunc vere Deum diligis, si pro amore illius bona quæ potes agis. *Fest. Pasch.*, v. 1, lit. *e*.
Quem Deus diligit, multis calamitatibus probat. *Dom.* III *post Pasch.*, v. 20, lit. *e*.
Verum et infallibile veræ dilectionis Dei signum est, in vera fide legis ejus et mandatorum observantia. *Fest. Pent.*, v. 23, lit. *c*.
Magna profecto Dei in dilectione facilitas : statim ac quis diligit eum, diligitur ab eo. *Ibid.*, v. 23, lit. *j*.
Dilectio vera in se reddit hominem invincibilem. *Dom.* X *post Pent.*, v. 10, lit. *d*.
Ut quis seipsum diligat, primo odio habeat omne peccatum. *Dom.* XVII *post Pent.*, v. 39, lit. *a*.
Qui diligit proximum, se Christi discipulum probat. *Fer.* II *post Dom.* I *Quadr.*, v. 35, n. 6.
Cum quod relinqueret discipulis suis Christus melius non haberet, relinquit mutuam dilectionem. *Dom. in Albis*, v. 19, lit. *i*.
Dilectio ad invicem signum est discipulorum Domini. *Dom.* II *post Pasch.*, v. 14, lit. *d*.
Tres sunt modi quibus nos proximos nostros diligere possumus sicut nos ipsos. *Dom.* XXI *post Pent.*, v. 32, lit. *a*.
Dilectione inimicorum Filii Dei adoptivi efficiemur. *Dom.* IV *Quadr.*, v. 1, lit. *c*.
Dilectio inimicorum nobis parit remissionem peccatorum. *Dom.* I *post Pent.*, v. 37, lit. *b*. Vide Charitas.
Divitiæ. — Divitiæ spinæ sunt pungentes. *Dom. Sexag.*, v. 15, n. 6, 7, 8, 9, 10.
Analogia inter spinas et opes. *Ibid.*, n. 1 ad 10.

Ex se non sunt malæ, sed ex malo usu. *Ibid.*, n. 8.
Quomodo nobis damnosæ sint. *Ibid.*, n. 6.
Non juvant divitiæ moribundum. *Fer.* V *post Dom.* II *Quadr.*, v. 22, n. 18.
Sunt causæ omnium excessuum. *Ibid.*, v. 22, n. 13 et 14.
Etiam juste possessæ, offendiculo sunt. *Fer.* V *post Dom.* II *Quadr.*, v. 23, n. 4.
Subjectæ sunt multis periculis. *Fer.* IV *Cin.*, v. 19, n. 2.
Nimis amatæ, cor servire faciunt. *Dom.* XIV *post Pent.*, v. 24, n. 17, 18.
Generant contemptum Dei. *Ibid.*, v. 25, n. 2.
Cur inæqualiter possideantur. *Dom.* VIII *post Pent.*, v. 9, n. 6.
Qualiter nobis damnosæ sint. *Ibid.*, n. 3.
Impedimento sunt reprobis, justis autem subsidio. *Dom.* VIII *post Pent.*, v. 9, n. 7.
Pariunt nobis multos amicos. *Ibid.*, n. 1.
Divitiæ terrenæ inconstantes sunt et fugaces. *Dom. Septuag.*, v. 2, lit. *e*.
Per avidam divitiarum concupiscentiam fides, cultus et notitia Dei multum labefactatur. *Dom. Sexag.*, v. 7, lit. *a*.
Si divites esse capitis, veras divitias amate. *Dom.* II *Quadr.*, v. 1, lit. *i*.
Laquei diaboli sunt divitiæ mundi hujus, et pauci sunt qui volunt ab isto laqueo liberari. *Fest. Pent.*, v. 30, lit. *a*.
Ex affectu divitiarum homines maxime inhabiles ad cœlestia redduntur. *Dom.* II *post Pent.*, v. 18, lit. *e*.
Magna stultitia per illas res a Deo discedere quorum ope magis licet ad Deum appropinquare. *Ibid.*, lit. *d*.
Sola divitiarum cupiditate non vero earum possessione vitiosi efficimur. *Dom.* IV *post Pent.*, v. 11, lit. *a*.
Divitiis aliisque bonis temporalibus uti nobis licet, quantum status nostri conditio illas requirit. *Dom.* VIII *post Pent.*, v. 1, lit. *d*.
De divitiis temporalibus nobis amicos facimus, cum pauperibus in temporalibus subveniamus. *Ibid.*, v. 9, lit. *b*.
Dei providentia fit ut lucrum per mendacia comparatum, disperdatur. *Dom.* IX *post Pent.*, v. 45, lit. *f*.
Divitiæ ita dictæ sunt, eo quod dividant mentem. *Dom.* XIV *post Pent.*, v. 23, lit. *k*.
Talis est natura divitiarum, quibus quo quis divitior, tanto est pauperior. *Ibid.*, v. 24, lit. *j*.
Illis ipsis qui eas non desideraverunt periculosæ et noxiæ existunt. *Dom.* XXIII *post Pent.*, v. 19, lit. *b*. Vide Bona terrena.
Disciplina. — Ad ignorantiam et stultitiam a juvenili corde profligandam, optimum remedium est disciplina. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 18, lit. *b*.
Discipuli. — Discipuli Jesu Christi in hoc cognoscuntur si dilectionem habuerint ad invicem. *Dom.* XI *post Pent.*, v. 32, lit. *b*.
Discipulorum et sequacium Christi proprium est scopus esse irrisionum hominum. *Dom.* II *Adv.*, v. 2, lit. *k*.
Discordia. — Dominus in ipsis insensatis creaturis discordiam reprehendit et sacrepat. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 26, lit. *b*.
Filii reputantur diaboli qui dissensiones et discordias nutriunt. *Dom. Pass.*, v. 47, lit. *f*.
Discordia regna destruit quæ pax erigit. *Dom.* II *post Pasch.*, v. 12, lit. *f*.
Deus magnopere discordias exosas habet et qui illas fovent acriter castigat. *Dom.* V *post Pent.*, v. 23, lit. *c*, et *Dom.* XIII *post Pent.*, v. 47, lit. *b*.
Dissensio. — Dissensiones et discordiæ fabricaverunt infernum. *Dom.* XIII *post Pent.*, v. 47, lit. *b*. Vide Discordia.
Divisio. — Nec Pastor, nec ovis, sed lupus, sed Deo contrarius, sed diabolus divisiones miscet. *Dom.* II *post Pasch.*, v. 12, lit. *e*.
Nihil magis Deo contrarium quam divisio. *Dom.* III *post Pent.*, v. 4, lit. *a*. Vide Discordia.
Divites. — Divites quo fine locupletati cœlitus. *Dom. Sexag.*, v. 15, n. 2.
Cur multi sint in terris. *Ibid.*
Divites possunt bonis superfluis comparare cœlum. *Fer.* V *post Dom.* II *Quadr.*, v. 21, n. 1.
Relinquunt pauperes nudos ut tegant parietes. *Ibid.*, v. 19, n. 10.
Puniuntur pœna culpæ proportionata. *Fer.* V *post Dom.* II *Quadr.*, v. 24, n. 1.
Quænam sunt eorum prætensiones. *Fer.* VI *post Dom.* I *Quadr.*, v. 4, n. 5.
Divites anxii sunt pro bonis temporalibus. *Dom.* XIV *post Pent.*, v. 23, n. 20.
Unde opes suas accipiant. *Dom.* VIII *post Pent.*, v. 9, n. 6.
Qualiter bona sua impendere debeant. *Ibid.*, v. 1, n. 3, et n. 16, 17.
De divitiis rationem reddere debent. *Dom.* VIII *post Pent.*, v. 2, n. 10 et 11.
Pauci iis utuntur ad finem divinitus præfixum. *Ibid.*, n. 18.
Divites et pecuniosi proclives sunt in vitia. *Dom.* IV *Quadr.*, v. 5, lit. *g*.
Dives est non qui multa possidet sed qui multa largitur. *Ibid.*, v. 13, lit. *a*.
Divites et avari in magno periculo versantur verbum Dei non audiendi. *Dom. Pass.*, v. 27, lit. *c*.
Ipse Deus est solus dives, qui omnia habet, et omnibus abundat. *Dom.* VIII *post Pent.*, v. 1, lit. *a*.
Divites sunt villici quibus commisit Deus divitias pauperibus distribuendas. *Ibid.*, lit. *d*.
Doeti, Doctores. — Rigidius in divino judicio puniuntur quam rudes. *Dom. Sexag.*, v. 11, n. 5.
Doctores perversi fugiendi sunt. *Fer.* IV *post Dom.* III *Quadr.*, v. 13, n. 1.
Doctor dicto factoque Magister verus, quod verbo astruit, demonstrat exemplo. *Dom.* IV *Adv.*, v. 2, lit. *g*.
Doctrina. — Doctrina Evangelica cur super omnes philosophorum scientias æstimetur. *Dom.* VI *post Epiph.*, v. 36, n. 8.
Doctrina Evangelica dicitur cœna. *Dom.* II *post Pent.*, v. 20, lit. *b*.
Doctrina Christi toti mundo communicata est. *Fer.* II *post Dom.* II *Quadr.*, v. 26, n. 8.
Cur Christus eam vocet suam et non suam. *Fer.* III *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 16, n. 1, 2, 3.
In dictis scientia est; in factis virtus. *Dom.* IV *Adv.*, v. 2, lit. *g*.
Necessariam connexionem inter se habent doctrina

vitæque bonitas. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 24, lit. *aa*.
Non sufficit doctrina sine bonorum moralium rectitudine. *Dom. Sexag.*, v. 6, lit. *b*.
Non inter vivos numerandus est qui spirituali doctrina caret. *Dom.* I *Quadr.*, v. 4, lit. *d*.
Vere docet qui facit quod docet, male docet qui male agens bene loquitur. *Dom.* IV *post Pent.*, v. 3, lit. *b*.
Dolor. — Cuivis dolori remedium est patientia. *Dom.* V *post Pent.*, v. 23, lit. *b*.
Domus. — Domus divina qualis sit. *Dom.* VI *post Pent.*, v. 16, n. 2.
Domus Lauretana. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 16, n. 6.
Domus S. Petri, cur sæpe per Christi præsentiam honorata. *Fer.* V *post Dom.* III *Quadr.*, v. 38, n. 5, 6, 7, 8 et 9.
Ædes pauperum cur Christus sæpe visitaverit. *Ibid.*, n. 4.
Domus Dei omni reverentia digna est. *Dom.* X *post Pent.*, v. 10, lit. *f*. Vide TEMPLUM, ECCLESIA.
Dominus. — Non permittit dæmonem prævalere et superiorem esse nostris viribus. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 24, lit. *t*.
Dominus universorum, venturus in gloriam, indigentiam habet asini, id est, peccatoris cujus miseretur. *Dom. Palm.*, v. 3, lit. *a*, *b*, *c*.
Deus vult semper esse solus et absolutus Dominus, nec ullam aliorum dominorum admittit societatem. *Dom.* XIV *post Pent.*, v. 24, lit. *b*.
Dominus quotidie ponit rationem cum servis suis. *Dom.* XXI *post Pent.*, v. 23, lit. *d*.
Dona. — Altissima Dei dona fructus sunt humilitatis. *Dom.* XI *post Pent.*, v. 33, lit. *e*.
Dona Dei sunt absque pœnitentia. *Dom.* XXI *post Pent.*, v. 33, lit. *g*.
In donis, plus quam datum, internus affectus ac animus æstimandus est. *Dom.* XV *post Pent.*, v. 13, lit. *a*.
Dulcedines. — Spirituales dulcedines sub metaphora fluvii aut torrentis merito exhibentur. *Dom. infra Octav. Nativ.*, v. 33, lit. *b*. Vide CONSOLATIONES.
Duellum. — Probrum simul et damnum infert. *Fer.* VI *Cin.*, v. 11, n. 7.

E

Ebrietas. — Omne bonum spirituale dissipant ebriosi. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 10, lit. *a*.
Ecclesia. — Ecclesia est domus Dei et quot modis fiat domus institoria. *Fer.* II *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 16, n. 8.
Quanta cum reverentia in ea degendum. *Ibid.*, n. 10.
Quo fine frequentanda. *Fer.* III *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 14, n. 12.
Reverentiam quantam exigat. *Fer.* III *post Dom. Pass.*, v. 23, n. 7.
Christus reperitur in ea. *Fer.* VI *post Dom.* I *Quadr.*, v. 14, n. 1.
Quam exigat a fidelibus in ea degentibus devotionem. *Fer.* II *post Dom.* I *Quadr.*, v. 13, n. 1.
Multæ sunt causæ, ob quas Ecclesiæ nomine *domus orationis* appellantur. *Dom. infra Octav. Nativ.*, v. 31, lit. *a*.
Veri Christiani esse dignoscemur si honorem et reverentiam Ecclesiis debitam zelaverimus. *Dom.* I *post Pent.*, v. 12, lit. *a*.
Non est intrandum ad Ecclesiam ad tabulandum, ad aspiciendum, sed ad orandum. *Dom.* X *post Pent.*, v. 10, lit. *e*. Vide TEMPLA.
Ecclesia. — Tunc magnificata quando persecutionem passa est. *Dom.* VI *post Epiph.*, v. 31, n. 8.
Cur dicatur desertum. *Dom.* IV *Adv.*, v. 2, n. 10.
Et Capharnaum. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 5, n. 1.
Item granum sinapis. *Dom.* VI *post Epiph.*, v. 31, n. 2.
Item mulier. *Ibid.*, v. 33, n. 10.
Ejus prima fundamenta debilissima. *Dom.* VI *post Epiph.*, v. 31, n. 5, et v. 32, n. 7, et *Dom. Sexag.*, v. 11, n. 2.
In ea fit verbum Domini. *Dom.* IV *Adv.*, v. 2, n. 10.
Merito excommunicat et punit. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 29, n. 3.
Cur una appelletur Ecclesia. *Dom.* II *post Pasch.*, v. 16, n. 7.
Instar matris de filiorum suorum salute gaudet. *Dom.* III *post Pasch.*, v. 21, n. 9.
Quomodo fiat spelunca latronum. *Dom.* II *post Pent.*, v. 16, n. 1.
Majorem a pravis fidelium moribus, quam a tyrannis patitur persecutionem. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 24, n. 6.
Dicitur luna. *Dom.* I *Adv.*, v. 25, n. 11 et 17.
Navis quæ fluctuat et non mergitur. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 26, n. 13.
Item sol. *Dom.* I *Adv.*, v. 25, n. 11.
Habet bonos et malos. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 24, n. 2, et v. 26, n. 3, et v. 29, n. 9.
Ecclesiam Christi tyranni sua impia crudelitate, hæretici suis falsis dogmatibus vane impetunt. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 24, lit. *j*.
Adversus Ecclesiam portæ inferni non prævalebunt. *Ibid.*
Ecclesiæ naviculam tempestates oppugnant quia conflictatio in adversis probatio est veritatis. *Ibid.*
Inter fluctus persecutionum Ecclesia semper perseveravit. *Ibid.*, v. 2, lit. *a*.
Fides Ecclesiæ Romanæ nunquam obscurata est. *Ibid.*, v. 23, lit. *b*.
Ecclesiastici. — Ecclesiastici statum suum sine pompa sustinere debent. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 14, n. 3.
Ecclesiastici præcipue bene meriti omni sunt honore prosequendi. *Dom.* III *Adv.*, v. 19, lit. *e*.
Ecclesiastici ad quos expectat ea quæ Dei sunt exequi, nihil horum facere humani alicujus respectu debent. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 4, lit. *h*.
Magna est Ecclesiasticorum obligatio, ut proximis sæcularibus bonum præbeant exemplum. *Dom.* IV *post Pent.*, v. 3, lit. *b*.
Ecclesiastici solum Deum præ oculis habere, neque divinum aliquod servitium ex motivo lucri temporalis persolvere debent. *Ibid.*, v. 4, lit. *f*.
Sunt villici seu œconomi et dispensatores redituum Ecclesiasticorum. *Dom.* VIII *post Pent.*, v. 1, lit. *h*.
Educatio. — Educatio bona fundamentum est bonæ vitæ. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 31, n. 6.
Præstat ut parentes solliciti sint circa bonam filiorum

educationem. *Dom.* XV *post Pent.*, v. 15, lit. *d*. Vide PARENTES.
Elatio. — Elationi, non ipsi exaltationi seu potestati, minatur humiliatio. *Dom.* XVI *post Pent.*, v. 11, lit. *a*.
Electi. — Electi pauci sunt si comparentur ad vocatos. *Dom. Sexag.*, v. 16, n. 5.
Qui dicantur electi ad gloriam. *Dom. Septuag.*, v. 16, n. 5.
Electi sunt oves. *Dom. Sexag.*, v. 13, n. 2.
Prius remunerantur quam castigentur reprobi. *Fer.* II *post Dom.* I *Quadr.*, v. 34, n. 3.
Qua cognitione a Christo agnoscantur. *Dom.* II *post Pasch.*, v. 15, n. 2 et 3.
Nullus de electis peribit vel desolabitur in die judicii. *Dom.* I *Adv.*, v. 28, lit. *a*.
Ipsi electi consolatione egent in hac vita. *Dom. infra Octav. Nativ.*, v. 33, lit. *b*.
Eleemosyna. — Eleemosyna est census penes Deum ad nostrum interesse collocatus. *Dom. Quinq.*, v. 38, n. 3.
Est semen. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 24, n. 1.
Quomodo fieri debeat. *Fer.* VI *Cin.*, v. 1, n. 5.
Large a Deo remunerabitur. *Ibid.*, v. 4, n. 3.
De quibus bonis facienda. *Dom.* V *post Pent.*, v. 23, n. 9.
Non de bonis injuste possessis. *Dom.* VIII *post Pent.*, v. 9, n. 8.
Reddit fructum copiosum. *Ibid.*, n. 9.
Est alchimia quædam securissima et lucrosissima. *Ibid.*
Comitatur defunctos. *Ibid.*, v. 8, n. 5.
Quomodo fieri debeat. *Dom.* X *post Pent.*, v. 11, n. 24.
Deum debitorem efficit. *Dom.* I *post Pent.*, v. 38, n. 3.
Tribuit nobis regnum cœlorum. *Dom.* IV *post Pasch.*, v. 11, n. 5.
In judicio extremo, frustulum panis datum pauperibus Dominus exhibebit. *Dom.* I *Adv.*, v. 31, lit. *e*.
Quanti sit pretii eleemosyna Jesus Christus ostendit proprio exemplo. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 46, lit. *a*.
Eleemosyna substantiam multiplicat, familiasque felicitat. *Ibid.*
Christus docuit nos ex nostris rebus, quamvis exiguæ videantur, pauperibus subvenire, et aliquid eis imperiri. *Dom.* IV *Quadr.*, v. 11, lit. *b*.
Non solum animæ confert medicinam, verum etiam temporale lucrum procurat. *Ibid.*, v. 13, lit. *a*.
Eleemosyna, ex charitate et amore Dei facta, infallibilem ducatum nobis præstat in patriam cœlestem. *Dom. Palm.*, v. 1, lit. *d*.
Eroganda est eleemosyna sine termino ac discrimine in omnes egentes. *Feat. Pasch.*, v. 1, lit. *g*.
Distributor eleemosynæ tunc maximum lucrum habebit, quando sibi minimum reservaverit. *Dom.* I *post Pent.*, v. 38, lit. *b*, *c*.
Qui assecurare capit divitias natura labiles, manibus pauperum consignet. *Dom.* IV *post Pent.*, v. 1, lit. *e*.
Subveniendo pauperibus, a Deo impetramus quidquid petimus. *Dom.* VIII *post Pent.*, v. 8, lit. *b*.
Quamvis offensus Deus, cogitur liberare eleemosynis quem disposuerat punire peccatis. *Ibid.*, v. 1, lit. *e*.
Non est opus liberalitatis et supererogationis, sed opus justitiæ et debitum. *Ibid.*, lit. *f*.
Quilibet quantumvis pauper eleemosynam dare potest. *Dom.* XV *post Pent.*, v. 13, lit. *a*.
Voluntarie verbisque bonis instituenda est. *Ibid.*, v. 13, lit. *b*.
Eleemosynæ nihil juvant ad vitæ beatæ consecutionem nisi amore Dei et charitate vivificentur. *Dom.* XIV *post Pent.*, v. 24, lit. *c*.
In judicio finali toto cœlo, terraque spectante eleemosynarii super omnes a Christo laudabuntur. *Dom.* XVIII *post Pent.*, v. 2, lit. *e*.
S. Elisabeth. — S. Elisabeth regina Hungariæ quam libenter ægros summe nauseabundos visitarit. *Dom.* XVI *post Pent.*, v. 4, n. 8.
Eminentia. — Non a loco quem occupat sed a magnitudine virtutis eminentia hominis metienda est. *Dom.* II *Adv.*, v. 2, lit. *a*.
Enoch. — Separatus ab humano consortio, et raptus, ne malitia cœlanorum ejus mutarel intellectum. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 24, lit. *c*.
Episcopatus. — Cujus ponderis sit, et quomodo nominetur a sanctis. *Dom.* XVI *post Pent.*, v. 9, n. 6.
Episcopi. — Qui sint similes pastoribus mercenariis. *Dom.* II *post Pasch.*, v. 12, n. 12 et 13.
Quod sit proprium illorum officium. *Ibid.*, n. 18. Vide PRÆLATI.
Epistola. — Non est Scriptura sacra nisi quædam epistola omnipotentis Dei ad suam creaturam. *Dom.* XXI *post Pent.*, v. 23, lit. *d*.
Epulo dives. — Cur ad Abraham et non ad Lazarum recurrerit. *Fer.* V *post Dom.* II *Quadr.*, v. 21, n. 3.
Culpatur de stultitia. *Ibid.*, v. 30, n. 3.
Cur proprio nomine non appelletur. *Ibid.*, v. 19, n. 2.
Crudelior canibus. *Ibid.*, v. 21, n. 8.
Juste ei gutta aquæ negata fuit. *Ibid.*, v. 24, n. 15.
In infernum deturbatus est, eo quod Deo ingratus fuerit statumque suum prosperum propriis meritis attribuerit. *Dom.* XX *post Pent.*, v. 17, lit. *b*.
Erubescentia. — Deo placet erubescentia quæ peccati frenum, non quæ virtutis est obstaculum. *Dom.* XVI *post Pent.*, v. 2, lit. *c*.
Dum erubescimus confiteri peccata quæ commisimus, Deum minus quam homines reveremur. *Dom.* XXI *post Pent.*, v. 26, lit. *b*.
Qui erubescentiam vanam excutit constans in servitio Dei, magnam gloriæ possidet arrham. *Dom.* XXIII *post Pent.*, v. 18, lit. *a*. Vide PUDOR, VERECUNDIA.
Esau. — Esau vera fuit peccatoris effigies. *Dom.* XVII *post Pent.*, v. 35, lit. *b*.
Esca. — Per escam moraliter sacra Eucharistia interpretatur. *Dom.* XIV *post Pent.*, v. 25, lit. *i*.
Eucharistia. — Eucharistia nominatur cœna. *Dom.* II *post Pent.*, v. 16, n. 8.
Excludit peccatores superbos. *Dom.* XV *post Pent.*, v. 15, n. 6, et *Dom.* II *post Pent.*, v. 21, n. 11.
Admittit pauperes humiles. *Dom.* II *post Pent.*, v. 21, n. 15.
Ad eam invitantur omnes. *Ibid.*, v. 23, n. 3 et 4.
Quomodo a nobis recipi debeat. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 8, n. 4.
Ad mensam Eucharistiæ non est festinandum sed alta præparatione accedendum. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 4, lit. *i*.
Summam exigit puritatem in his qui ad eam accedunt. *Ibid.*, v. 6, lit. *a*.
Cogitandum omni accedenti ad Eucharistiæ sacramen-

tum, qualis sit, quid accipiat, et ad quid. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 24, lit. *i*.

Mitigandi fomitem concupiscentiæ, et ardores juveniles ad carnalia excitantes refrigerandi virtute pollet. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 42, lit. *c*.

Sacramentum sacramentorum est Eucharistia, omnis gratiæ contentiva. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 2, lit. *b*.

Aquæ in vinum conversio sacram Eucharistiam adumbrat. *Ibid.*, v. 6, lit. *f*.

Christus Dominus digne et reverenter in Eucharistia sumptus est nobis in ore, velut sinapis. *Dom.* VI *post Epiph.*, v. 31, lit. *a*.

Corpus Christi vivificum in corpus nostrum ingrediens, totum in se transfert. *Ibid.*, v. 33, lit. *c*.

Sacra Eucharistia terrenorum nauseam et affectus bonorum imprimit cœlestium. *Dom.* I *Quadr.*, v. 4, lit. *a*.

Nubes lucida obumbrans Christum in transfiguratione, species sacramentales occultantes Christum in Eucharistia repræsentabat. *Dom.* II *Quadr.*, v. 5, lit. *a*.

Si timemus Eucharistiam sordidis manibus tangere, plus debemus timere Eucharistiam intus in anima polluta suscipere. *Ibid.*, v. 4, lit. *c*.

Sumenda est quotidie quasi ultima communio foret. *Fest. Pasch.*, v. 6, lit. *f*.

Ex institutione Eucharistiæ apparet quam sollicite Christus requirit ut passionem ejus meditemur. *Dom.* IV *post Pasch.*, v. 3, lit. *f*.

Maxime præ reliquis Eucharistiæ fructus participes fiant, qui desiderio magis sunt famelici. *Dom.* IV *post Pasch.*, v. 7, lit. *a*.

Eucharistiam Salvator noster instituit veluti omnium omnipotentiæ et benignitatis suæ divitiarum epilogum. *Dom.* II *post Pent.*, v. 16, lit. *b*.

Eucharistiæ sacramentum in se tantum est, ut coram ipso Deo magnum et excelsum appareat. *Ibid.*, lit. *c*.

Inter alia mysteria, mysterium est fidei. *Ibid.*, lit. *c*, *d*.

Cœna Eucharistica quatuor ex capitibus dicitur magna. *Ibid.*, lit. *h*, *k*.

Suas gratias Eucharistia importit timoratis, eumque habitu virtutum et bonorum operum accedentibus. *Ibid.*, lit. *n*.

Ad cœlestem mensam in qua nobis vita datur, cum nausea accedimus. *Ibid.*, v. 18, lit. *a*.

Magna decet continentia et puritas sacerdotes qui tractandum habent panem Eucharisticum. *Ibid.*, v. 20, lit. *b*.

Præstantissimum munus quod Deo offerre possumus est sanctissimum Eucharistiæ sacramentum. *Dom.* V *post Pent.*, v. 23, lit. *e*.

Eucharistiam Salvator noster in Ecclesia reliquit tanquam symbolum unitatis et charitatis. *Ibid.*

Fines ob quos instituta est Eucharistia omnino sublimissimi sunt. *Dom.* VIII *post Pent.*, v. 5, lit. *a*.

Tot sunt gratiarum dona quæ in Eucharistia communicantur, ut illius parva abstinentia diabolo maxime placeat. *Ibid.*, v. 6, lit. *a*.

Christus Dominus videndus est, in Eucharistia, oculo fidei. *Dom.* XII *post Pent.*, v. 23, lit. *b*.

Christum in Eucharistia tanquam famelicos suscipere nos desiderare oportet. *Ibid.*, v. 24, lit. *a*.

In mensa Eucharistica, omnia cœlestia ac divina bona communicantur. *Dom.* XIX *post Pent.*, v. 2, lit. *e*.

Tota vita et salus hominis ex Eucharistia dimanant. *Dom.* XX *post Pent.*, v. 46, lit. *c*.

Qui hoc sacro edulio reficitur, omnibus gratiarum divitiis abundat. *Dom.* XXI *post Pent.*, v. 26, lit. *c*.

Corpus Christi, in Eucharistia, vitam confert animabus. *Dom.* XXIII *post Pent.*, v. 18, lit. *g*.

Ad mensam Domini conveniendum est cum fide et humilitate, cum reverentia et compunctione. *Ibid.*, v. 22, lit. *b*.

Evangelium. — Unde suam habuerit originem. *Fer.* III *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 15, n. 1.

Totum Evangelium ordinatur ad impletionem et inculcationem præcepti amoris Dei et proximi. *Dom.* XIII *post Pent.*, v. 11, lit. *a*.

Evangelizatio. — Evangelizatio mundi a pauperibus et paucis piscatoribus magnum est divinæ Sapientiæ prodigium. *Dom.* II *Adv.*, v. 5, lit. *c*.

Exaltatio. — Omnis qui se exaltat, non vero omnis qui exaltatur, humiliabitur. *Dom.* XVI *post Pent.*, v. 11, lit. *a*.

Excommunicati. — Ecclesia mandat excommunicatos vitare. *Dom.* III *post Pent.*, v. 2, lit. *d*.

Exemplum. — Bonum exemplum etiam malis prodest, ex dicto S. Caroli. *Dom. Sexag.*, v. 14, n. 3.

Exemplum majorum necessarium est minoribus, ut excitentur ad bonum. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 42, n. 10.

Exemplum malum majorum ad inferiores transmittitur. *Fer.* III *post Dom.* II *Quadr.*, v. 22, n. 19.

Exemplum multum valet, si efficaciter persuadere velimus. *Dom.* III *Adv.*, v. 23, lit. *g*.

Non verba sed exempla proselytos efficiunt. *Dom. Sexag.*, v. 5, lit. *d*.

Nihil magis servum ad labores trahit quam si laborantem dominum remuneraturus aspiciat. *Dom.* II *Quadr.*, v. 1, lit. *e*.

Bonum exemplum de se aptum est augere numerum fidelium. *Dom. Pass.*, v. 46, lit. *g*.

Bonum exemplum maximæ est efficaciæ, ut impios ad Deum convertat, et numerum fidelium in Ecclesia adaugeat. *Dom.* IV *post Pasch.*, v. 8, lit. *c*.

Ad amorem Dei et proximi plerumque corda audientium plus exempla quam verba excitant. *Dom.* IV *post Pent.*, v. 1, lit. *b*.

Multum proficitur exemplo, quoniam nec difficile quod jam factum æstimatur et utile quod jam probatum. *Dom.* V *post Pent.*, v. 20, lit. *a*.

Bonum exemplum impios ad Deum convertit et reformat. *Dom.* XVI *post Pent.*, v. 1, lit. *a*.

Unum exemplum luxuriæ, avaritiæ, ambitionis, multum mali facit. *Dom.* XI *post Pent.*, v. 20, lit. *d*.

Experientia. — Potest experias tentationes alios docere et cautos reddere; experientia enim est magistra. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 27, lit. *b*.

Exequiæ. — Exequiæ sumptuosæ non prosunt peccatoribus. *Fer.* III *post Dom.* II *Quadr.*, v. 22, n. 19.

Exercitia. — Exercitia spiritualia anteponenda affectionibus carnalibus. *Fer.* IV *post Dom.* I *Quadr.*, v. 46, n. 1.

Exercitus Dei. — Quinam sit Dei exercitus in hoc mundo. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 9, lit. *c*.

F

Fabiola. — Romana prima exstructrix hospitalium. *Dom.* XVI *post Pent.*, v. 4, n. 8.

Fama. — Quando alicujus fama ac honor periclitatur, audenter debemus pro illo verba facere. *Dom.* II *Adv.*, v. 7, lit. *b*.

Fames. — Fames, sterilitas et annonæ caritas, peccatorum effectus sunt. *Dom.* XIV *post Pent.*, v. 31, lit. *a*.

Familiaritas. — Familiaritas parit contemptum. *Fer.* II *post Dom.* III *Quadr.*, v. 24, n. 3.

Familiaritas cum mulieribus periculosissima etiam viris perfectis. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 44, lit. *a*.

Fatuus. — Fatuus et stultus est qui non solum omittit æternam lucrari vitam, verum etiam insuper multa mala committit. *Dom.* XVI *post Pent.*, v. 3, lit. *a*.

Febres. — Appropriantur vitiis. *Fer.* V *post Dom.* III *Quadr.*, v. 38, n. 9.

Felicitas. — Felicitas terrena timenda quando arridet. *Dom.* I *Adv.*, v. 30, lit. *b*.

Felicitas mundana innocentiæ contraria est. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 25, n. 18.

Felicitas temporalis periculosior multo tribulationibus. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 1, lit. *d*.

Felicitas corporalis surdos nos efficit, ne vocem Dei audire valeamus. *Dom.* XIV *post Pent.*, v. 24, lit. *a*.

Quanto quis magis homo a bono et felicitate terrena nudus extitit, tanto magis cœlestibus abundat. *Dom.* XIX *post Pent.*, v. 9, lit. *a*.

S. Felix. — Capucinus reprehendit matronam Romanam ob affectum in catellum. *Dom.* XVII *post Pent.*, v. 37, n. 6.

Ficus. — Quare Christus ex arbore fici ducit similitudinem. *Dom.* I *Adv.*, v. 30, lit. *a*.

Fermentum. — Variæ ejus allusiones. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 33, n. 5, 6, 7.

Fermentum quod est charitas omnem amaritudinem mutat in dulcedinem. *Dom.* VI *post Epiph.*, v. 33, lit. *f*.

Christus verum est humani generis fermentum. *Ibid.*, lit. *b*.

Ferrum. — Symbolum discordiæ. *Dom.* V *post Pent.*, v. 23, n. 4.

Fervor. — Tribulatio nos extimulat ferventioresque efficit in servitio Dei. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 47, lit. *a*.

Deus oculo benigno nihil ita respicit ac nostram solicitudinem, nostrumque in divino servitio fervorem. *Dom.* VI *post Epiph.*, v. 31, lit. *d*.

Festivi dies. — Festivi dies Christianorum qualiter sanctificandi. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 46, n. 6.

Prohibent abstinere a malis non a bonis operibus. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 43, n. 1 et 12.

Prohibent opera servilia, non pietatis. *Fer.* IV *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 13, n. 1.

In iis nihil attendendum, nisi ad servitium Dei. *Fer.* III *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 14, n. 7.

Prohibent abstinere a malis operibus non a bonis; ubi simul etiam docetur fuse, quo fine frequentanda sint. *Fer.* III *post Dom. Pass.*, v. 8 per totum.

Idem. *Dom.* XVI *post Pent.*, v. 4, n. 4.

Non sanctificantur melius quam per opera charitatis. *Ibid.*, v. 3, n. 3.

Multus est fructus sanctificationis. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 42, lit. *d*.

Festivitates non ex parte sed undique sunt colendæ et in nullo profanandæ. *Ibid.*, v. 43, lit. *a*.

Inimici Dei perditionis nostræ instrumenta, festa pro viribus abolere satagunt. *Ibid.*

Diebus festis, dimissis terrenis, tantum divinis rebus incumbamus. *Dom.* IV *Quadr.*, v. 4, lit. *b*.

Solus ille qui alienus est ab omni vitio, aptus inventur ad Domini festa peragenda. *Ibid.*, lit. *c*.

Gravissimum peccatum, profanando dies festos, committitur. *Fest. Pasch.*, v. 1, lit. *f*.

In diebus festis ab omnibus vacandum operibus præterquam ab operibus charitatis et actibus religionis. *Dom.* XVI *Pent.*, v. 3, lit. *c*.

Fideles. — Sunt granum sinapis, qui pœnitentiis et laboribus attriti, in magnam arborem gloriæ cœlestis excrescunt. *Dom.* VI *post Epiph.*, v. 31, lit. *g*.

Omnes fideles in unum coalescunt per amorem et charitatis unionem. *Ibid.*, lit. *h*.

Qui in primis vixere sæculis, felices se existimabant, quotiescumque capiti suo, patiendo, se conformare poterant. *Dom.* XXIII *post Pent.*, v. 19, lit. *e*.

Fides. — Fides inutilis est sine operibus. *Dom. Septuag.*, v. 8, n. 7.

Postulantem a Deo gratias, de iis obtinendis securum reddit. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 3, n. 12.

Mysteriorum revelatorum fides, non tamen ut decet consideratorum et practicorum infructuosa est. *Dom.* VI *post Epiph.*, v. 31, n. 17.

Quanta fuerit fides Centurionis. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 6, n. 43.

Fides appellatur opus Dei. *Fer.* IV *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 4, n. 1.

Fides vera non est ea quæ dependet a miraculis. *Fer.* II *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 24, n. 2.

Fides idiotæ non differt a fide docti. *Fer.* VI *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 27, n. 4.

Conditiones quibus fides amplectenda est. *Dom.* III *post Pasch.*, v. 16, n. 7.

Debet esse juncta obedientiæ. *Dom.* XIII *post Pent.*, v. 19, n. 1.

Sola non mundat animam, sed juncta operibus. *Ibid.*, v. 15, n. 5.

Sola non sufficit cœlo conparando, sed sociata operibus. *Dom.* XIX *Pent.*, v. 11, n. 16, et v. 14, n. 3.

Fides potest esse sola, sed sola non prodest. *Dom.* II *Adv.*, v. 4, lit. *a*.

Fides nostra est omnium bonorum nostrorum principium et fundamentum. *Dom. infra Octav. Nativ.*, v. 34, lit. *d*.

Per æmulorum contradictiones et confutationes, solidius fuit confirmata et stabilita. *Ibid.*, lit. *k*, et *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 23, lit. *a*.

Nobilissima virtus, omnisque gratiæ fundamentum. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 2, lit. *g*.

Fel tribulationum nobis communicat lumen fidei. *Ibid.*, v. 8, lit. *a*.

Fides Domini dormit in nobis cum negligentius agimus, et inde tempestas. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 24, lit. *g*.

Fides scutum est illud quod omnes a nobis hostiles ictus avertit. *Ibid.*, lit. *aa*.

Vis fidei periculis atrocioribus major esse debet et omnem desperationem eliminare. *Ibid.*, v. 26, lit. *a*.

Fides nostra magis oppugnata floret, et Ecclesiæ germinant et fœcundæ sunt si Martyrum irrigentur sanguine. *Dom.* VI *post Epiph.*, v. 31, lit. *n*.

Veritas fidei solius Dei opus est. *Dom. Sexag.*, v. 4, lit. *b*.

Fides sine charitate neutiquam prodest. *Dom. Quinq.*, v. 42, lit. *a*.

Turbarum fidem ostendit, quod Dominum etiam patientes, expectabant usque ad vesperam. *Dom.* IV *Quadr.*, v. 1, lit. *a*.

Fides sine operibus est illa fides cui Dominus maledixit. *Dom. Pass.*, v. 27, lit. *b*.

Qui modicam fidem vel nullam habent, facili negotio labuntur in blasphemiam. *Ibid.*, v. 48, lit. *b*.

Abominabiles sunt qui fidem quidem exterius profitentur, factis autem negant. *Ibid.*, v. 55, lit. *a*.

Evidens veræ fidei argumentum est, quod illa in tam brevi temporis spatio, fuerit ad omnes homines extensa. *Dom. Palm.*, v. 1, lit. *f*.

Fides sola in Christum ad consequendam salutem non sufficit. *Ibid.*, v. 8, lit. *e*.

Ipsa fidelium comparatio, infidelium est vituperatio. *Dom.* IV *post Pasch.*, v. 8, lit. *a*.

Fides bonis operibus destituta, similis est figuræ alicui in tela delineatæ. *Dom.* V *post Pasch.*, v. 25, lit. *a*.

Trina circa fidem ponderanda sunt : quinam, quid, quibus prædicaverint. *Dom. infra Octav. Ascens.*, v. 20, lit. *e*.

Hoc clare probat fidem esse veram, quod ejus propagatio omnem humanam excedit facultatem. *Ibid.*

Fidei nostræ veritas ex testimonio divino, etc., clare deducitur. *Dom.* IV *post Pent.*, v. 4, lit. *c*.

Ad veræ fidei Christi agnitionem per fidem devenitur. *Dom.* V *post Pent.*, v. 20, lit. *e*.

Credentes in Christo multi in Ecclesia videntur in pace, pauci martyres in persecutionis procella. *Dom.* VII *post Pent.*, v. 16, lit. *b*.

Primum ex Dei beneficiis est vocatio ad fidem. *Dom.* IX *post Pent.*, v. 42, lit. *d*.

Magnum beneficium est vocatio ad fidem. *Dom.* XII *post Pent.*, v. 23, lit. *a*.

Abominabiles sunt coram Deo qui fidem profitentur extrinsecus et factis negant. *Ibid.*, v. 28, lit. *b*.

Quamvis fides sit actus mentis, tamen in opere videtur ac manifestatur. *Dom.* XVIII *post Pent.*, v. 2, lit. *a*.

Fides quæ charitate vivificatur cuivis thesauro prævalet et mirabiles operatur effectus. *Ibid.*, lit. *b*.

Vera fides est quæ in hoc, quod verbis dicit, operibus non contradicit. *Ibid.*, lit. *a*.

Plurimum valet fides, cum effectorem ac consummatorem habet Deum. *Dom.* XX *post Pent.*, v. 35, lit. *a*.

Fides prima et initialis est inter omnes virtutes, et quasi capitalis honorificentia Dei. *Ibid.*, v. 48, lit. *e*.

Fiducia. — Homo omnem merito fiduciam in Deo collocare debet, in quo solum et extra quem nullam satisfactionem invenit et quietem. *Dom.* V *post Pasch.*, v. 23, lit. *i*.

Licet fortiter et constanter in Deum confidamus, media tamen, et industria humana nequaquam excludi debent. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 25, lit. *a*.

Ad hoc ut fiducia nostra sit efficax, viva esse debet. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 25, lit. *a*, et *Dom.* XXIII *post Pent.*, v. 22, lit. *a*.

Filia. — Filia nostra unica, anima est, quæ moritur, cum lethale peccatum admittit. *Dom.* XXIII *post Pent.*, v. 18, lit. *f*.

Filiatio Dei. — Per veniam et dilectionem inimicis exhibitam filiatio Dei comparatur. *Dom.* IX *post Pent.*, v. 41, lit. *f*.

Filii. — Filii parentum jussa exsequi, non examinare debent. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 43, n. 3.

Tenentur obedire parentibus. *Ibid.*, v. 51, n. 1.

Non tamen in iis quæ divino opponuntur servitio. *Ibid.*, v. 53, n. 9.

A parentibus non recedant, nisi labi velint. *Ibid.*, v. 42, n. 5.

Filii tenentur diligere et honorare parentes, exemplo Christi. *Dom.* I *post Pent.*, v. 51, lit. *b*.

Filii multum obligantur ad reverentiam parentibus exhibendam. *Dom.* XX *post Pent.*, v. 46, lit. *e*.

Filii diaboli concilabula cogere solent quibus flagitia sua perficere valeant. *Dom.* XXII *post Pent.*, v. 15, lit. *d*.

Filius Dei. — Filius Dei est imago Patris. *Dom.* XX *post Pent.*, v. 20, lit. *a*.

Flagella. — Peccata nostra, effrenes appetitus nostri indomitæque nostræ passiones flagella sunt quibus Deus tandem nos castigat. *Dom.* IX *post Pent.*, v. 45, lit. *a*.

Flagella quibus Deus peccatores castigat, hæc sæpe in manibus iniquorum invenit. *Dom.* XIX *post Pent.*, v. 13, lit. *f*.

Fœminæ. — Castitati fœmineus sexus maxime deditus esse debet. *Dom.* XXIII *post Pent.*, v. 18, lit. *b*.

Fœminæ obsequium Christi suscipiunt, Apostoli Christi suscipiunt passiones. *Fest. Pasch.*, v. 1, lit. *a*.

Fortitudo. — Fortitudo est amor facile tolerans omnia, propter id quod amatur. *Fest. Pasch.*, lit. *e*.

Fragilitas. — Dominus Jesus vocat ad se illos qui ex fragilitate cadunt, non vero illos qui ex malitia eum contemnunt. *Dom.* XXII *post Pent.*, v. 15, lit. *f*.

S. Franciscus Xaverius. — In mediis laboribus tanta spiritualium illecebrarum copia obrutus fuit ut vix ferre potuerit. *Dom. infra Octav. Ascens.*, v. 26, lit. *a*.

S. Franciscus. — Se reputabat maximum mundi peccatorem. *Dom.* IV *post Pasch.*, v. 8, n. 3.

Fratres. — Christiani olim sese mutuo fratres vocabant. *Dom.* II *post Pasch.*, v. 14, lit. *d*.

Fructus. — Fructus quos Deus a nobis requirat. *Fer.* VI *post Dom.* II *Quadr.*, v. 43, n. 11.

Fructus bonus in quo consistat. *Dom.* VII *post Pent.*, v. 17, n. 6 et 7.

Multi in serenitate temporis multos fructus promittunt, sæviente tamen tempestate persecutionis paucissimos dant. *Ibid.*, v. 16, lit. *b*.

Fuga. — Fuga occasionum peccati multum confert ad assecurandam salutem. *Dom.* IV *Adv.*, v. 2, lit. *d*.

G

Gaudium. — Nullum in mundo purum gaudium, nec perpetuum. *Dom. infra Octav. Nativ.*, v. 35, lit. *b*.

Nihil est in hac vita, unde merito perfecte gaudere possimus. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 3, lit. *d*.

Fidelium labores gaudium parient in Christi Dei morte fundatum. *Dom.* III *post Pasch.*, v. 21, lit. *a*.

Multa gaudium hujus vitæ tollunt; gaudium vitæ futuræ in æternum manet. *Ibid.*, v. 22, lit. *c*.

Gehenna. — Si minis gehennæ non essemus territi, omnes forte in gehennam præcipitaremur. *Dom.* V *post Pent.*, v. 20, lit. *a*.

Gehennam continue timens, nunquam in gehennæ ignem incidet. *Dom.* VII *post Pent.*, v. 19, lit. *a*.

Infernalis gehenna velut umbra peccatoris et peccati est. *Dom.* XXIII *post Pent.*, v. 21, lit. *b*.

Generatio. — Mirabilior est secunda hominum generatio quam prima conditio. *Dom.* XIX *post Pent.*, v. 2, lit. *b*.

Genesareth. — Stagnum Genesareth divitias labiles significat. *Dom.* IV *post Pent.*, v. 1, lit. *e*.

Gentiles. — Gentiles cum non haberent cognitionem de futuro sæculo, nihil sperabant. *Dom.* XIV *post Pent.*, v. 32, lit. *a*.

Geraseni. — Geraseni pluris porcos quam ipsum Dei Filium et propriam salutem æstimabant. *Dom.* II *post Pent.*, v. 18, lit. *b*.

Gloria. — Gloria divina plus elucet in conversione peccatoris in justum, quam cujuscumque alterius substantiæ in alias species. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 10, n. 8.

Gloria paradisiaca, licet eadem sit pro omnibus, inæqualiter tamen participatur. *Dom. Septuag.*, v. 10, n. 2.

Gloria Paradisi quam sit efficax et magna. *Fer.* V *post Dom.* II *Quadr.*, v. 2, n. 44.

Hæc gloria nequit haberi sine merito. *Fer.* IV *post Dom.* II *Quadr.*, v. 23, n. 3.

Quantam dulcedinem gloria Paradisi habeat. *Dom.* XVII *post Pent.*, v. 38, n. 7.

Gloria mundana momentanea est. *Dom.* I *Quadr.*, v. 8, n. 7.

Gloria mundana similis est fumo. *Dom.* XVI *post Pent.*, v. 9, n. 1.

Vana gloria aggreditur etiam perfectos. *Dom.* III *Adv.*, v. 19, lit. *i*.

Ubi magnitudo gloriæ, ibi magnitudo periculi. *Ibid.*

Qui gloriam mundi hujus quærit cœlesti gloria indignum se reddit. *Dom.* I *Adv.*, v. 23, lit. *r*.

Vana gloria vitanda est utpote quæ meritum omne bonorum operum evacuat. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 4, lit. *a*.

Gloria cœlestis nec verbis exprimi nec intellectu humano capi potest. *Ibid.*, v. 1, lit. *a*.

Deus poterat gloriam dare gratis, sed vult meritam esse et lucratam. *Dom. Septuag.*, v. 8, lit. *b*.

Summa gloria hominis est, quod per merita tribulationis patienter toleratæ, Deum glorificare possit. *Dom. Quinq.*, v. 34, lit. *a*.

Non in profundo hujus sæculi, sed in regno supernæ beatitudinis quærenda est. *Dom.* II *Quadr.*, v. 1, lit. *d*.

Vanæ gloriæ passio sævissima et ab omnibus, etiam perfectis timenda. *Dom. Pass.*, v. 50, lit. *b*.

Nec verbis exprimi, nec humano ingenio comprehendi potest. *Dom. in Albis*, v. 10, lit. *c*.

Qui ab hominibus gloriam quærit, odit eam quæ a Deo est. *Dom.* II *post Pasch.*, v. 13, lit. *a*.

Gloria cœli multo facilius quam terræ gloria acquiritur. *Dom.* II *post Pent.*, v. 17, lit. *b*.

Magnificentia, regna et diademata mundi hujus cito transeunt, cœlestis gloria autem stabilis est. *Dom.* III *post Pasch.*, v. 16, lit. *e*.

Semen gloriæ gratia est quæ appellatur gratia inchoata. *Dom.* XIV *post Pent.*, v. 33, lit. *a*.

Granum sinapis. — Multas habet virtutes quæ lectioni Sacræ Scripturæ optime conveniunt. *Dom.* VI *post Epiph.*, v. 31, lit. *b*.

Gratia Dei. — Gratia Dei motivum est nostræ prædestinationis. *Dom. Septuag.*, v. 6, n. 2.

Gratia efficax communicatur independenter a nostris meritis, ad arbitrium Dei. *Ibid.*, v. 13, n. 2.

Gratia indeficiens est licet toti mundo communicetur. *Fer.* VI *post Dom.* I *Quadr.*, v. 3, n. 6.

Confertur sine prævio merito. *Fer.* VI *post Dom.* III *Quadr.*, v. 15, n. 3.

Gratiæ efficaces et auxilia a divino dependent beneplacito, quæ proinde recipere convenit, quando nobis offeruntur. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 42, lit. *b*.

Lex data est ut gratia quæreretur; gratia data est ut lex impleretur. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 1, lit. *e*.

Gratia cœlestis, cum ferventi et accurata nostra cooperatione augmentatur, ut fructum plus afferat. *Dom.* VI *post Epiph.*, v. 31, lit. *e*.

Gratiam Dei et cor ipsius nobis comparare possumus, si voluntatem nostram in ejus voluntatem consignaverimus. *Dom. Palm.*, v. 2, lit. *a*.

Subtractio gratiarum beneficium est Dei erga ingratos qui gratiis abutuntur. *Dom.* IV *post Pasch.*, v. 3, lit. *a*.

Quando Deus nobis cogitationes imprimit mortis, tunc divinæ suæ gratiæ, vitam nobis impertitur. *Dom.* IV *post Pasch.*, v. 5, lit. *d*.

Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam. *Dom.* VIII *post Pent.*, v. 2, lit. *a*.

Sine speciali Dei auxilio, peccator ad Deum redire nequit. *Dom.* XIII *post Pent.*, v. 12, lit. *e*, *f*.

Is qui gratiam Dei in anima sua possidet, regnum Dei quoque in se habet. *Dom.* XIV *post Pent.*, v. 33, lit. *a*.

A Deo relevari et auxilium accipere non meretur qui divinum sæpius repudiavit subsidium. *Dom.* XVI *post Pent.*, v. 25, lit. *a*.

Ubi gratia deest et peccatum adest, nullum opus esse potest, quod ad salutem æternam valeat. *Dom.* XIX *post Pent.*, v. 13, lit. *e*.

Ex peccato nascitur jactura amicitiæ et gratiæ Dei. *Dom.* XXI *post Pent.*, v. 24, lit. *a*.

Gratia justificans. — Unus gradus gratiæ justificantis, pro infinita peccatorum summa diluenda sufficit. *Ibid.*, v. 26, lit. *a*.

Gratiarum actio. — Deus gratiarum tributum pro beneficiis suis in lege naturæ, scripta et Evangelica, semper postulavit. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 4, lit. *f*.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

Deus gratiarum tributum, pro beneficiis suis semper postulavit. *Dom. Quinq.*, v. 43, lit. *b*.
Deus ante verba requirit gratiarum actionem quæ fit per vitam et bona opera. *Fest. Pent.*, v. 23, lit. *b*.
Disce in referendo gratiam, non esse tardus. *Dom.* XIII *post Pent.*, v. 15, lit. *a*.
Gratitudo. — Gratitudo exhibita pro beneficiis acceptis, pignus est futurorum. *Fer.* VI *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 21, n. 9.
De gratitudinis merito. *Dom.* XIII *post Pent.*, v. 18, n. 8.
Pro beneficiis receptis præstita, retributionem correspondentem habet. *Dom.* III *Adv.*, v. 20, lit. *f*.
Gratitudo majora in nos Dei provocat beneficia. *Dom.* IV *Adv.*, v. 3, lit. *d*.
Grata recogitatio beneficiorum Dei legis divinæ observantiæ cooperatur. *Dom. infra Octav. Natiu.*, v. 33, lit. *d*.
Omnino accepta est apud Deum. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 3, lit. *b*.
Optima pro bonis receptis solutio est gratitudo animo prompto præstita. *Ibid.*, v. 9, lit. *a*.
Gratitudo in mediis tribulationibus Deo est acceptissima. *Ibid.*
Omnis creatura Deo gratitudinem exhibere obligata est; multo magis homo. *Dom.* II *Quadr.*, v. 3, lit. *c*.
Fecundissima virtus est gratitudo quæ ingentem ubertatem ac fertilitatem parit. *Dom.* IV *Quadr.*, v. 11, lit. *a*.
Gratiarum actio acceptissimum Deo est sacrificium. *Fest. Pasch.*, v. 2, lit. *a*.
Deus gratitudinem semper et omni tempore ab hominibus postulavit. *Dom. infra Octav. Ascens.*, v. 26, lit. *f*.
Beneficiorum divinorum recognitio, legis divinæ observantiæ cooperatur. *Fest. Pent.*, v. 23, lit. *b*.
Voluntas Dei hæc est, in omnibus, ut omnes agatis gratias. *Dom.* XI *post Pent.*, v. 34, lit. *a*.
Receptorum beneficiorum gratitudo, benefactores ad nova imperticula movet. *Dom.* XIII *post Pent.*, v. 15, lit. *a*, et *Dom.* XX *post Pent.*, v. 16, lit. *b*.
Gula. — Gula disponit hominem ut facilius cedat tentationibus. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 2, lit. *a*.
Dei et gratiarum ejus est inimica. *Ibid.*, v. 3, lit. *a*.
Gula interitum Adæ, et post ipsum, etiam universæ illius posteritati exitium apportavit. *Dom.* I *Quadr.*, v. 1, lit. *d*.
Gulosi obliviscuntur Dei ut manducent. *Fer.* V *post Dom.* II *Quadr.*, v. 19, n. 17.
Ex iis unus blasphemando mortuus est. *Ibid.*
Serpens astutus ad prosternendum hominem inter omnia alia vitia gulam elegit. *Dom.* XIV *post Pent.*, v. 25, lit *g*.
Tanta est aviditas et insatiabilitas gulæ, ut ei nunquam satisfiat. *Ibid.*, lit. *h*.
Infinita Dei Majestas ex vitio gulæ vehementer contumeliatur. *Dom.* XVI *post Pent.*, v. 5, lit. *c*.
Vitam abbreviat, eamque multis obnoxiam infirmitatibus efficit. *Dom.* XX *post Pent.*, v. 16, lit. *d*.
Guilelmus. — Dux Aquitaniæ, primo impius, postea sanctificatur. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 29, n. 7.

H

Habitus. — Habitus vitiosi usque ad sepulchrum deferuntur. *Fer.* V *post Dom.* II *Quadr.*, v. 21, n. 6.
Hæresiarchæ. — Plurimi eorum ex Monachis apostatæ et ex apostatis hæresiarchæ facti sunt. *Dom.* XXII *post Pent.*, v. 15, lit. *c*.
Hæresis. — Hæresis, apostasia, et infidelitas dicuntur filiæ blasphemiæ. *Dom. Pass.*, v. 49, lit. *b*.
Hæreses ut plurimum a personis quæ sanctitatem et zelum religionis præ se ferebant introductæ fuerant. *Dom. infra Octav. Ascens.*, v. 26, lit. *f*.
Hæretici. — Ut fidem sibi faciant, veritatem prædicant, ut postea falsitatem subinferant. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 26, n. 1.
Hebræi. — Plus bona temporalia quam æterna perdere timuerunt. *Fer.* VI *post Dom. Pass.*, v. 48, n. 14 et 15.
In calumniandis Christi miraculis maligni fuere. *Fer.* IV *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 19, n. 1 et 2, et v. 24, n. 5, 6, 7.
Item invidiosi. *Ibid.*, v. 2.
Ex illis Dei facti sunt canes. *Fer.* V *post Dom.* I *Quadr.*, v. 25, n. 5.
Tantis illuminati signis non agnovere Christum. *Ibid.*, v. 22, n. 20.
Cæci in rebus divinis, Argi in proprio interesse. *Fer.* II *post Dom.* II *Quadr.*, v. 27, n. 1.
A Christo reprehensi. *Ibid.*, v. 26, n. 2.
Christum repudiando, indigni facti sunt vita æterna. *Fer.* IV *post Dom.* II *Quadr.*, v. 43, n. 8.
Hebræi implacabiles fuerunt contra S. Paulum. *Dom. infra Octav. Ascens.*, v. 20, n. 10.
Per mundum universum dispersi sunt. *Fer.* II *post Dom. Pass.*, v. 35, n. 5.
In fine mundi ad Christum convertentur. *Dom.* XIV *post Pent.*, v. 31, n. 2. Vide POPULUS HEBRÆUS, JUDÆI.
Homicidium. — Quotuplex sit. *Dom.* V *post Pent.*, v. 21, n. 3.
Homo. — Homo surdus est ad voces Dei. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 26, n. 11 et 6.
Est organum divinæ gloriæ. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 21, n. 1.
Creatus est ut Deum possideat. *Dom. Septuag.*, v. 14, n. 1.
Non deseritur a Deo nisi deserens Deum. *Fer.* III *post Dom.* I *Quadr.*, v. 17, n. 1.
Quot motivis teneatur servire Deo. *Dom.* XIV *post Pent.*, v. 24, n. 1.
Procul a Deo consistens, crudelis est. *Dom.* II *post Pent.*, v. 28, n. 3.
Ingratus est dum cor suum Deo negat. *Dom.* XVII *post Pent.*, v. 37, n. 8.
Cor capit sursum portet. *Dom.* XIV *post Pent.*, v. 33, n. 4.
Cur nudus creatus sit. *Ibid.*, n. 7.
Homo naturaliter appetit cognoscere Deum. *Dom.* II *Adv.*, v. 19, lit. *a*.
Hominis appetitum mundus et omnia bona non saziant nisi Deus. *Ibid.*
Factus est ad imaginem Dei in naturalibus, ad similitudinem in gratuitis. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 24, lit. *d*.

Nullus major adversarius homini quam homo. *Ibid.*, v. 25, lit. *h*.
Ita homo creatus est ut charitatem haberet, ut bonus esset et justus. *Ibid.*, v. 27, lit. *a*.
Homini, cum sit terra et cinis, non convenit esse in alto. *Dom.* VI *post Epiph.*, v. 32, lit. *c*.
Homo natus est ad laborem. *Dom. Septuag.*, v. 6, lit. *a*.
Solus homo ad pacem redire non potest. *Dom. Palm.*, v. 4, lit. *b*.
Homo ubi primum in lucem editur, molestiarum adit hæreditatem. *Dom.* III *post Pasch.*, v. 21, lit. *b*.
Navis est quivis homo, furentibus fluctibus undequaque cinctus. *Dom.* IV *post Pent.*, v. 2, lit. *c*.
Nihil hominem vilem et vituperio et contemptu dignum reddit præter peccatum. *Dom.* X *post Pent.*, v. 13, lit. *b*.
Homo, per peccatum, bestiis assimilatur et comparatur. *Dom.* XII *post Pent.*, v. 34, lit. *e*.
Homo per peccatum fit bestiis similis, imo pejor illis evadit. *Dom.* XIV *post Pent.*, v. 26, lit. *a*.
Homines mundi fluctuant continuo diversis affectibus et passionibus. *Dom.* XV *post Pent.*, v. 11, lit. *d*.
Homo Dei opus est, et quatenus opus Dei, pie tractandus et benigne fovendus. *Dom.* XVIII *post Pent.*, v. 2, lit. *f*.
Homo æstimandus est, non propter terrenam dignitatem, sed ob imaginem Creatoris sui quam portat. *Dom.* XX *post Pent.*, v. 49, lit. *e*.
Homo potest per se ipsum cadere, sed nemo per seipsum potest a peccato resurgere. *Dom.* XXI *post Pent.*, v. 25, lit. *b*.
Homo non est proprie imago, sed ad imaginem Dei. *Dom.* XXII *post Pent.*, v. 20, lit. *a*.
Imago est Dei ab ipsa Sapientia Dei depicta. *Ibid.*, lit. *b*.
Perdere potest in se homo similitudinem, non vero imaginem Dei. *Ibid.*, lit. *c*.
Honores. — Non de repente fies in honorum adeptione, sed per requisita merita debes crescere. *Dom.* VI *post Epiph.*, v. 32, lit. *d*.
Indigni ad honores evecti, majorem sibi potius ignominiam quam laudem adsciscunt. *Dom.* I *Quadr.*, v. 5, lit. *d*.
Si honores veros cupitis, humiliamini. *Dom.* II *Quadr.*, v. 1, lit. *l*.
Omnis sæculi honor diaboli est negotium. *Dom. Pass.*, v. 48, lit. *c*.
Multi emunt honorem prælationis et dominationis, non videntes ingentia opera et pericula quibus se exponunt. *Dom.* II *post Pent.*, v. 15, lit. *e*.
Inter ea bona temporalia quæ homo maximi facit, est honor et existimatio. *Dom.* V *post Pent.*, v. 22, lit. *g*.
Omnia molestiarum ac periculorum genera in honoribus occurrunt. *Dom.* IX *post Pent.*, v. 41, lit. *b*.
Hostes. — Tres hostes habemus : carnem, mundum, diabolum. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 24, lit. *o*.
Humiliatio. — Per adulationem roboratur peccator in culpa; per ignominiam sibi illatam a malo retrahitur. *Dom. Palm.*, v. 2, lit. *f*.
Non humiliationi sed vere humilitati promittitur exaltatio. *Dom.* XVI *post Pent.*, v. 11, lit. *a*.
Humilitas. — Humilitas ad occultandas gratias quandoque necessaria est. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 4, n. 2.
Humilitas Centurionis consideratur. *Ibid.*, v. 5, n. 2, 3.
Christi humilitas nostram confundit superbiam. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 31, n. 8.
Humilitas a Christo nobis tradita est, ut et inferioribus cedamus. *Fer.* II *post Dom. Pass.*, v. 50, n. 12.
Christus humilitati favet. *Fer.* V *post Dom.* I *Quadr.*, v. 27, n. 5.
Prima lectio Christi de humilitate traditur. *Fer.* III *post Dom.* II *Quadr.*, v. 6, n. 5.
Semper sublimis est humilitas et magna. *Dom. Pass.*, v. 50, n. 12.
Ejus fructus. *Dom.* IV *Quadr.*, v. 10, n. 2.
Humilitas triplex est. *Dom.* X *post Pent.*, v. 14, n. 6.
Sine ea omnes virtutes damnosæ sunt. *Ibid.*, v. 11, n. 18.
Est radix omnium virtutum. *Dom.* VII *post Pent.*, v. 17, n. 2.
Latronem ante Apostolos in Paradisum traduxit. *Dom.* X *post Pent.*, v. 11, n. 3.
Sine ea nihil Deo placet. *Ibid.*, v. 9, n. 5.
Semper et ubique amplectenda. *Dom.* XVI *post Pent.*, v. 7, n. 5.
Est vera via ad magnos honores. *Ibid.*, v. 11, n. 4.
Debet esse interna et voluntaria ut sit vera virtus. *Ibid.*
Quam sit efficax apud Deum. *Dom.* X *post Pent.*, v. 14, n. 3.
Quæ convenit Prælatis et Prædicatoribus Ecclesiasticis. *Dom.* IV *post Pent.*, v. 8, n. 4.
Est summa doctrina Jesu Christi Domini nostri. *Dom.* III *Adv.*, v. 19, lit. *d*.
Nihil facilius volenti quam humiliare seipsum. *Ibid.*
In nullo fastigio dignitatis, cognitio propriæ vilitatis perdenda est. *Ibid.*, v. 23, lit. *k*.
Quanto quis se humiliat, tanto magis exaltatur. *Ibid.*, v. 27, lit. *a*.
Est janua cælestis regni quæ accedentes introducit. *Dom.* IV *Adv.*, v. 5, lit. *a*.
Humilitas assaltus, insidias et tentationes vincit et declinat. *Ibid.*, lit. *b*.
Quanta humilitate inclinatur cor, ad ima, tanto proficit in excelso. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 3, lit. *a*.
Qui se exaltat humiliabitur. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 24, lit. *b*.
Per granum sinapis humilitas recte intelligitur. *Dom.* VI *post Epiph.*, v. 32, lit. *c*.
Non omnis humiliatio exaltanda est sed illa quæ de humilitate oritur. *Ibid.*, lit. *f*.
In transfiguratione notatur humilitas Christi. *Dom.* II *Quadr.*, v. 1, lit. *k*.
Si vis satiari de panibus Christi, discumbe prius super tegum humilitatis. *Dom.* IV *Quadr.*, v. 10, lit. *a*.
Gratia Dei centrum suum in animabus humilibus habet. *Dom. Palm.*, v. 2, lit. *b*.
Qui vult vere esse humilis, memor sit vilitatis suæ originis. *Fest. Pasch.*, v. 6, lit *g*.
Summa est doctrinæ a Christo nobis traditæ. *Dom. in Albis*, v. 19, lit. *b*.
Humilitas supplicantis, præ audacia superat elatos ausus superbientis. *Dom.* V *post Pasch.*, v. 23, lit. *b*.
Humilitas Deum in animas hominum attrahit. *Dom.* X *post Pent.*, v. 13, lit. *k*.
Maxime ad magna perpetranda donaque et gratias Dei

recipiendas inservit. *Dom.* XI *post Pent.*, v. 33, lit. *c*.
Primus gradus seu pœnitentiæ seu cæterorum bonorum est humilitas. *Dom.* XV *post Pent.*, v. 15, lit. *b*.
Qui se humiliat, non vero omnis qui humiliatur, exaltabitur. *Dom.* XVI *post Pent.*, v. 14, lit. *a*.
Quod superbiæ ac elationi denegatur, humilitas ac submissio obtinet. *Dom.* XX *post Pent.*, v. 14, lit. *c*.
Humilitas gratias et dona Dei promeretur. *Dom.* XXIII *post Pent.*, v. 20, lit. *h*.

Hydropici. — Hydropici significant peccatores. *Dom.* XVI *post Pent.*, v. 2, n. 4.
Eorum proprietates peccatis mortalibus applicantur. *Ibid.*, n. 3.

Hydropisis. — Quale malum hydropisis, et unde derivetur. *Dom.* XVI *post Pent.*, v. 2, n. 4.
Remedium ad curandum hydropisin peccati. *Ibid.*, v. 4, n. 6.
Hydropisis proprietatibus septem peccata capitalia adaptantur. *Dom.* XVI *post Pent.*, v. 2, lit. *d*.

Hyems. — Hyems significat peccatum. *Dom.* XIX *post Pent.*, v. 20, n. 2.

Hypocrisis. — Deus castigat hypocritas qui pravas passiones suas quibus moventur, zeli pallio tegunt. *Dom.* III *Adv.*, v. 19, lit. *e*.
In quo differat hypocrisis ab aliis vitiis. *Dom. Pass.*, v. 50, lit. *a*.
Vitium hypocrisis quam difficillimum est a veritate discernere. *Dom.* VII *post Pent.*, v. 15, lit. *d*.
Sæpe hypocrisis cum magna ignominia detegitur. *Ibid.*, v. 16, lit. *e*.
Hypocrisis abominabilis est et ab omnibus detestanda. *Dom.* X *post Pent.*, v. 10, lit. *b*.
Omnium bonorum operum merita devorat. *Ibid.*, v. 12, lit. *a*.
Sæpe cum magna ignominia detegitur. *Dom.* XXII *post Pent.*, v. 19, lit. *a*.

Hypocrita. — Hypocrita est magis impius quam hæreticus. *Fer.* IV *Cin.*, v. 16, n. 16.
Assimilatur dæmonibus. *Ibid.*, n. 15.
In quo suam perfectionem reponat. *Fer.* IV *post Dom.* III *Quadr.*, v. 20, n. 2.
Quam pravæ sit intentionis. *Ibid.*, v. 7, n. 1.
Cur prima in mensis loca desideret. *Fer.* III *post Dom.* II *Quadr.*, v. 14, n. 10.
Signatur in ovibus. *Fer.* II *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 14, n. 10.
Severa a Deo punitur. *Dom.* XXIV *post Pent.*, v. 13, n. 2.
Eorum opera mala sunt, licet bona appareant. *Dom.* VII *post Pent.*, v. 18, n. 5.
Veri hypocritæ sunt qui Deum et quidquid ad divinum cultum confertur, suæ gloriæ servire faciunt. *Dom.* III *Adv.*, v. 19, lit. *e*.
Habent hypocritæ specialem damnationem inter cæteros homines. *Ibid.*
Dæmoni simillimus est hypocrita, et illi indissolubiliter confœderatus. *Dom. infra Octav. Ascens.*, v. 26, lit. *g*.
Hypocritæ per totam noctem laborantes nihil capiunt, imo etiam sæpe omnia amittunt. *Dom.* IV *post Pent.*, v. 5, lit. *d*.
Opera hypocritarum quæ videntur modo viva, invenientur coram Deo et sanctis morte plena. *Dom.* VII *post Pent.*, v. 15, lit. *c*.
Vix aliquis hypocrita ita potest esse compositus quod non appareat aliquid malitiæ. *Ibid.*, v. 16, lit. *d*.
Hi sunt qui minima præferunt maximis, magna scelera perpetrant, et modica peccata devitant. *Ibid.*, lit. *e*.
Solam sectantur apparentiam externam, non solliciti de substantia. *Ibid.*, v. 16, lit. *f*.
Nimis humilia de seipsis dicunt, et eadem ab aliis de se dici audire nolunt. *Ibid.*, lit. *h*.
Nonnulli inveniuntur sapientes in oculis suis, non veraciter patientes, sed privato amore deformati. *Ibid.*, lit. *i*.
Magna cum repugnantia admoneri et corrigi se molestissime ferunt. *Ibid.*, lit. *j*.
Maximorum suorum peccatorum obliti, semper inveniunt in altero quod calumnientur et reprehendant. *Ibid.*, lit. *k*.
Nec est bonus, nec vult esse bonus sed solum bonus videri, quod non assequitur ex omni parte. *Ibid.*, lit. *l*.
Deus detegit et aeriter castigat illos, qui sub zeli pallio pravas suas passiones tegunt. *Dom.* VIII *post Pent.*, v. 8, lit. *a*.
Assimilantur sepulchris forinsecus dealbatis. *Dom.* X *post Pent.*, v. 10, lit. *c*.
Qui lumen Dei habentes peccant, merito hypocritæ dicuntur. *Dom.* XXII *post Pent.*, v. 15, lit. *c*.

Humiles. — Humiles capacissimi sunt sapientiæ. *Fer.* III *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 34, n. 4.
Illis Deus appropinquat. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 8, n. 6.
Charitas et virtus exaltant humiles. *Dom.* II *Adv.*, v. 2, lit. *a*.
Humiles ad recipiendas gratias capaciores sunt, Deumque veluti ad se trahunt. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 3, lit. *a*.
Qui vere humilis est, contemni se et gaudet et amat. *Dom.* VII *post Pent.*, v. 16, lit. *g*.
Humiles ad recipiendas gratias Dei et dona, capaciores sunt et magis dispositi. *Dom.* X *post Pent.*, v. 10, lit. *g*.
Humilis veri est etiam aspectu humiliari. *Ibid.*, v. 11, lit. *a*.

I

Idololatria. — In bonis terrenis suam beatitudinem ponunt. *Dom.* XX *post Pent.*, v. 13, n. 1.
Talis naturæ est ambitio, quod præter alia mala, etiam idololatriæ causa fuerit. *Dom.* XIX *post Pent.*, v. 2, lit. *c*.

Ignis. — Deus in novissimo die, igne potius quam aliquo quovis instrumento, usurus est. *Dom.* I *Adv.*, v. 27, lit. *d*, v. *f*.
Ignis superborum symbolum et signum est. *Dom.* XX *post Pent.*, v. 19, lit. *d*.

S. Ignatius de Loyola. — Quid dixerit, cœlum intuens. *Dom.* XI *post Pent.*, v. 34, n. 5.

Ignorantia. — Qui ex ignorantia peccant, quodammodo excusabiles sunt. *Dom. Pass.*, v. 53, lit. *a*.
Ignorantibus Christum levius est peccasse. *Dom.* III *post Pasch.*, v. 18, lit. *c*.
Ignorantia vitæ nostræ et peccatorum nostrorum causa omnium est malorum. *Dom.* IX *post Pent.*, v. 42, lit. *a*, *b*.

Aliquo modo excusabiles sunt qui per ignorantiam peccant, non vero qui gravitatem peccati agnoscunt et nihilominus peccant. *Dom.* XIX *post Pent.*, v. 13, lit. *c*.

Imago Dei. — Amovendus est levis etiam pulvis, ut imago Dei in anima nostra resplendeat. *Dom.* III *post Pent.*, v. 8, lit. *d*.
Homo est ad imaginem Dei, non proprie imago. *Dom.* XXII *post Pent.*, v. 20, lit. *a*.
Filius Dei est imago Patris. *Ibid.*
Imago differt a similitudine. *Ibid.*, lit. *e*.

Imitatio Christi. — Debemus quærere a Domino et *quo eundo*, ut perveniamus, et *quo eundo* ut imitemur. *Dom.* IV *post Pasch.*, v. 5, lit. *f*.

Immortalitas. — Radix immortalitatis custodia est legum divinarum. *Dom.* XII *post Pent.*, v. 28, lit. *a*.

Impatientia. — Diabolus Christum tentans sic argumentabatur: Impatiens si fiat, Filius Dei non est. *Dom.* I *Quadr.*, v. 1, lit. *e*.
Detestanda toto animo impatientia est. *Dom.* V *post Pent.*, v. 22, lit. *e*.
Nihil Deus magis odit quam impatientiam. *Dom.* XXV *post Pent.*, v. 34, lit. *g*.

Impœnitentes. — Deus impœnitentes præter expectationem morte repentina sæpe exscindit. *Dom.* VII *post Pent.*, v. 19, lit. *d*, *e*.

Impii. — Impii dum insidias commovent adversus innocentes, in ipsos impios eæ retorquentur. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 24, lit. *p*.
Deus non præcipitanter impios tollit de vita, sed eos tolerat quandiu notabile electis suis damnum non inferunt. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 20, lit. *d*.
Nunquam magis lamentandus est impius quam ubi misericordia Dei et indulgentia magis in peccatis firmatur. *Dom.* IX *post Pent.*, v. 41, lit. *g*.
Iniquorum et impiorum ingenium, opera sanctissimorum virorum calumniando, in blasphemias et contumelias convertit. *Dom.* XVIII *post Pent.*, v. 3, lit. *a*.
Plerumque impii in suis perversis consiliis deducuntur, malumque quod aliis machinantur, in ipsos recidit. *Dom.* XXII *post Pent.*, v. 15, lit. *d*.

Importunitas. — Importunitas proficua valde in orationibus. *Dom. Quinq.*, v. 39, n. 5 et 6.
In orationibus nostris adeo perseverantes esse debemus ut molesti et importuni Deo esse videamus. *Dom.* V *post Pasch.*, v. 24, lit. *b*.

Impunitas. — Impunitas peccatorum in hac vita infallibile Dei irati et indignantis indicium est. *Dom. Septuag.*, v. 15, lit. *a*.

Incarnatio. — In incarnatione Verbi, Deus majorem in nos ostendit amorem, quam in creatione. *Dom.* XIX *post Pent.*, v. 2, lit. *b*.

Incensum. — Incensum quod est orationis symbolum odorem suum non dat nisi injectum accensis carbonibus. *Dom.* XVI *post Pent.*, v. 2, lit. *g*.

Incommoda. — Patientia tolerabilia reddit præsentis vitæ incommoda. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 24, lit. *m*.

Incredulitas. — Incredulitati seu perfidiæ tribuitur ruina, fidei vero exaltatio. *Dom. infra Octav. Nativ.*, v. 34, lit. *e*.
Plus nobis Thomæ incredulitas ad fidem, quam fides credentium discipulorum profuit. *Dom. in Albis*, v. 25, lit. *d*.
Incredulitas et malitia Christianorum est inexcusabilis. *Dom. infra Octav. Ascens.*, v. 26, lit. *c*.

Indignatio. — Indignatio quæ alias nos reos efficeret, si transeat in zelum, gratiam et gloriam apud Deum nobis conciliat. *Dom.* V *post Pasch.*, v. 23, lit. *r*.

Indulgentiæ. — Indulgentiæ abolent pœnas peccatis nostris debitas. *Fer.* VI *post Dom.* III *Quadr.*, v. 38, n. 3.
Deus Ecclesiæ suæ thesaurum indulgentiarum aperuit. *Dom.* XVI *post Pent.*, v. 1, lit. *c*.
Indulgentiæ videntur lucrari posse in favorem animarum purgantium vel ab aliquo in peccato mortali existente. *Dom.* XVIII *post Pent.*, v. 2, lit. *c*.

Infelicitas. — Infelicitas maxima est felicitas. *Fer.* V *post Dom.* II *Quadr.*, v. 25, n. 7.

Infernus. — Inferni ignis instrumentum iræ divinæ agens conformiter ad voluntatem divinam. *Fer.* II *post Dom.* I *Quadr.*, v. 41, n. 5.
De pœnis inferni prædicatio multum valet ad conversionem peccatorum. *Dom.* IV *Adv.*, v. 3, lit. *e*.
Qua de causa in inferno æternaliter punientur injusti. *Dom. infra Octav. Nativ.*, v. 33, lit. *c*.
Vivi descendunt in infernum, qui hic viventes mentem inclinant ad ipsum meditandum. *Dom. Septuag.*, v. 1, lit. *g*.
Pœnarum inferni atrocitatem, per seriam meditationem attente et ex proposito considerare, a culpa coercet. *Dom.* III *post Pasch.*, v. 18, lit. *d*.
Viæ quibus peccatores descendunt in infernum difficiles sunt et amaræ. *Dom.* III *post Pent.*, v. 5, lit. *a*.
Anima per peccatum mortale ab inferno nonnisi flatu aut anhelitu unico distat. *Dom.* XVI *post Pent.*, v. 5, lit. *a*.
Sola peccata sunt pabulum et nutrimentum inferni. *Dom.* XXI *post Pent.*, v. 25, lit. *a*.

Infinitum. — Finiti ad infinitum nulla est proportio. *Dom.* III *post Pasch.*, v. 16, lit. *b*.

Infideles. — Quomodo allrahendi sunt ad fidem. *Dom.* XX *post Pent.*, v. 48, n. 1.

Infidelitas. — Infidelitas dicitur antonomastice peccatum. *Dom.* IV *post Pasch.*, v. 8, n. 12.
Infidelitas est execrabile delictum. *Dom. in Albis.*, v. 25, lit. *c*.

Infirmi. — Ante omnia debent mundare animam. *Dom.* XIX *post Pent.*, v. 21, n. 11.
Summo cum affectu infirmos et afflictos Christus prosequitur. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 3, lit. *c*.
Qui visitat et consolatur infirmos, duplicatum potest expectare præmium. *Ibid.*, lit. *d*.

Infirmitates. — Infirmitates corporales vindicant injurias Dei illatas. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 9, n. 3.
Ordinantur a Deo ad sanitatem infirmæ animæ. *Ibid.*, v. 3, n. 3 et 4.
Oriuntur ut plurimum a peccatis. *Fer.* V *post Dom.* I *Quadr.*, v. 14, n. 4, et *Dom.* VIII *post Pent.*, v. 2, n. 8 et 9.
Quam sint utiles. *Fer.* V *post Dom.* III *Quadr.*, v. 40, n. 10 et 11.
Effectus sunt iræ divinæ. *Fer.* VI *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 3, n. 14, et v. 5, n. 4.
Necessariæ sunt ad purgandam animam. *Dom.* XX *post Pent.*, v. 46, n. 6.

recipiendas inservit. *Dom.* XI *post Pent.*, v. 33, lit. *c*.
Primus gradus seu pœnitentiæ seu cæterorum bonorum est humilitas. *Dom.* XV *post Pent.*, v. 15, lit. *b*.
Qui se humiliat, non vero omnis qui humiliatur, exaltabitur. *Dom.* XVI *post Pent.*, v. 14, lit. *a*.
Quod superbiæ ac elationi denegatur, humilitas ac submissio obtinet. *Dom.* XX *post Pent.*, v. 14, lit. *c*.
Humilitas gratias et dona Dei promeretur. *Dom.* XXIII *post Pent.*, v. 20, lit. *h*.

Hydropici. — Hydropici significant peccatores. *Dom.* XVI *post Pent.*, v. 2, n. 4.
Eorum proprietates peccatis mortalibus applicantur. *Ibid.*, n. 3.

Hydropisis. — Quale malum hydropisis, et unde derivetur. *Dom.* XVI *post Pent.*, v. 2, n. 4.
Remedium ad curandum hydropisin peccati. *Ibid.*, v. 4, n. 6.
Hydropisis proprietatibus septem peccata capitalia adaptantur. *Dom.* XVI *post Pent.*, v. 2, lit. *d*.

Hyems. — Hyems significat peccatum. *Dom.* XIX *post Pent.*, v. 20, n. 2.

Hypocrisis. — Deus castigat hypocritas qui pravas passiones suas quibus moventur, zeli pallio tegunt. *Dom.* III *Adv.*, v. 19, lit. *e*.
In quo differat hypocrisis ab aliis vitiis. *Dom. Pass.*, v. 50, lit. *a*.
Vitium hypocrisis quam difficillimum est a veritate discernere. *Dom.* VII *post Pent.*, v. 15, lit. *d*.
Sæpe hypocrisis cum magna ignominia detegitur. *Ibid.*, v. 16, lit. *e*.
Hypocrisis abominabilis est et ab omnibus detestanda. *Dom.* X *post Pent.*, v. 10, lit. *b*.
Omnium bonorum operum merita devorat. *Ibid.*, v. 12, lit. *a*.
Sæpe cum magna ignominia detegitur. *Dom.* XXII *post Pent.*, v. 19, lit. *a*.

Hypocrita. — Hypocrita est magis impius quam hæreticus. *Fer.* IV *Cin.*, v. 16, n. 16.
Assimilatur dæmonibus. *Ibid.*, n. 15.
In quo suam perfectionem reponat. *Fer.* IV *post Dom.* III *Quadr.*, v. 20, n. 2.
Quam pravæ sit intentionis. *Ibid.*, v. 7, n. 1.
Cur prima in mensis loca desideret. *Fer.* III *post Dom.* II *Quadr.*, v. 14, n. 10.
Signatur in ovibus. *Fer.* II *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 14, n. 10.
Severa a Deo punitur. *Dom.* XXIV *post Pent.*, v. 13, n. 2.
Eorum opera mala sunt, licet bona appareant. *Dom.* VII *post Pent.*, v. 18, n. 5.
Veri hypocritæ sunt qui Deum et quidquid ad divinum cultum confertur, suæ gloriæ servire faciunt. *Dom.* III *Adv.*, v. 19, lit. *e*.
Habent hypocritæ specialem damnationem inter cæteros homines. *Ibid.*
Dæmoni simillimus est hypocrita, et illi indissolubiliter confœderatus. *Dom. infra Octav. Ascens.*, v. 26, lit. *g*.
Hypocritæ per totam noctem laborantes nihil capiunt, imo etiam sæpe omnia amittunt. *Dom.* IV *post Pent.*, v. 5, lit. *d*.
Opera hypocritarum quæ videntur modo viva, invenientur coram Deo et sanctis morte plena. *Dom.* VII *post Pent.*, v. 15, lit. *c*.
Vix aliquis hypocrita ita potest esse compositus quod non appareat aliquid malitiæ. *Ibid.*, v. 16, lit. *d*.
Hi sunt qui minima præferunt maximis, magna scelera perpetrant, et modica peccata devitant. *Ibid.*, lit. *e*.
Solam sectantur apparentiam externam, non solliciti de substantia. *Ibid.*, v. 16, lit. *f*.
Nimis humilia de seipsis dicunt, et eadem ab aliis de se dici audire nolunt. *Ibid.*, lit. *h*.
Nonnulli inveniuntur sapientes in oculis suis, non veraciter patientes, sed privato amore deformati. *Ibid.*, lit. *i*.
Magna cum repugnantia admoneri et corrigi se molestissime ferunt. *Ibid.*, lit. *j*.
Maximorum suorum peccatorum obliti, semper inveniunt in altero quod calumnientur et reprehendant. *Ibid.*, lit. *k*.
Nec est bonus, nec vult esse bonus sed solum bonus videri, quod non assequitur ex omni parte. *Ibid.*, lit. *l*.
Deus detegit et aeriter castigat illos, qui sub zeli pallio pravas suas passiones tegunt. *Dom.* VIII *post Pent.*, v. 8, lit. *a*.
Assimilantur sepulchris forinsecus dealbatis. *Dom.* X *post Pent.*, v. 10, lit. *c*.
Qui lumen Dei habentes peccant, merito hypocritæ dicuntur. *Dom.* XXII *post Pent.*, v. 15, lit. *c*.

Humiles. — Humiles capacissimi sunt sapientiæ. *Fer.* III *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 34, n. 4.
Illis Deus appropinquat. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 8, n. 6.
Charitas et virtus exaltant humiles. *Dom.* II *Adv.*, v. 2, lit. *a*.
Humiles ad recipiendas gratias capaciores sunt, Deumque veluti ad se trahunt. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 3, lit. *a*.
Qui vere humilis est, contemni se et gaudet et amat. *Dom.* VII *post Pent.*, v. 16, lit. *g*.
Humiles ad recipiendas gratias Dei et dona, capaciores sunt et magis dispositi. *Dom.* X *post Pent.*, v. 10, lit. *g*.
Humilis veri est etiam aspectu humiliari. *Ibid.*, v. 11, lit. *a*.

I

Idololatria. — In bonis terrenis suam beatitudinem ponunt. *Dom.* XX *post Pent.*, v. 13, n. 1.
Talis naturæ est ambitio, quod præter alia mala, etiam idololatriæ causa fuerit. *Dom.* XIX *post Pent.*, v. 2, lit. *c*.

Ignis. — Deus in novissimo die, igne potius quam aliquo quovis instrumento, usurus est. *Dom.* I *Adv.*, v. 27, lit. *d*, v. *f*.
Ignis superborum symbolum et signum est. *Dom.* XX *post Pent.*, v. 19, lit. *d*.

S. Ignatius de Loyola. — Quid dixerit, cœlum intuens. *Dom.* XI *post Pent.*, v. 34, n. 5.

Ignorantia. — Qui ex ignorantia peccant, quodammodo excusabiles sunt. *Dom. Pass.*, v. 53, lit. *a*.
Ignorantibus Christum levius est peccasse. *Dom.* III *post Pasch.*, v. 18, lit. *c*.
Ignorantia vitæ nostræ et peccatorum nostrorum causa omnium est malorum. *Dom.* IX *post Pent.*, v. 42, lit. *a*, *b*.

Aliquo modo excusabiles sunt qui per ignorantiam peccant, non vero qui gravitatem peccati agnoscunt et nihilominus peccant. *Dom.* XIX *post Pent.*, v. 13, lit. *c*.

Imago Dei. — Amovendus est levis etiam pulvis, ut imago Dei in anima nostra resplendeat. *Dom.* III *post Pent.*, v. 8, lit. *d*.
Homo est ad imaginem Dei, non proprie imago. *Dom.* XXII *post Pent.*, v. 20, lit. *a*.
Filius Dei est imago Patris. *Ibid.*
Imago differt a similitudine. *Ibid.*, lit. *e*.

Imitatio Christi. — Debemus quærere a Domino et *quo eundo*, ut perveniamus, et *quo eundo* ut imitemur. *Dom.* IV *post Pasch.*, v. 5, lit. *f*.

Immortalitas. — Radix immortalitatis custodia est legum divinarum. *Dom.* XII *post Pent.*, v. 28, lit. *a*.

Impatientia. — Diabolus Christum tentans sic argumentabatur: Impatiens si fiat, Filius Dei non est. *Dom.* I *Quadr.*, v. 1, lit. *e*.
Detestanda toto animo impatientia est. *Dom.* V *post Pent.*, v. 22, lit. *e*.
Nihil Deus magis odit quam impatientiam. *Dom.* XXV *post Pent.*, v. 34, lit. *g*.

Impœnitentes. — Deus impœnitentes præter expectationem morte repentina sæpe exscindit. *Dom.* VII *post Pent.*, v. 19, lit. *d*, *e*.

Impii. — Impii dum insidias commovent adversus innocentes, in ipsos impios eæ retorquentur. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 24, lit. *p*.
Deus non præcipitanter impios tollit de vita, sed eos tolerat quandiu notabile electis suis damnum non inferunt. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 20, lit. *d*.
Nunquam magis lamentandus est impius quam ubi misericordia Dei et indulgentia magis in peccatis firmatur. *Dom.* IX *post Pent.*, v. 41, lit. *g*.
Iniquorum et impiorum ingenium, opera sanctissimorum virorum calumniando, in blasphemias et contumelias convertit. *Dom.* XVIII *post Pent.*, v. 3, lit. *a*.
Plerumque impii in suis perversis consiliis deducuntur, malumque quod aliis machinantur, in ipsos recidit. *Dom.* XXII *post Pent.*, v. 15, lit. *d*.

Importunitas. — Importunitas proficua valde in orationibus. *Dom. Quinq.*, v. 39, n. 5 et 6.
In orationibus nostris adeo perseverantes esse debemus ut molesti et importuni Deo esse videamus. *Dom.* V *post Pasch.*, v. 24, lit. *b*.

Impunitas. — Impunitas peccatorum in hac vita infallibile Dei irati et indignantis indicium est. *Dom. Septuag.*, v. 15, lit. *a*.

Incarnatio. — In incarnatione Verbi, Deus majorem in nos ostendit amorem, quam in creatione. *Dom.* XIX *post Pent.*, v. 2, lit. *b*.

Incensum. — Incensum quod est orationis symbolum odorem suum non dat nisi injectum accensis carbonibus. *Dom.* XVI *post Pent.*, v. 2, lit. *g*.

Incommoda. — Patientia tolerabilia reddit præsentis vitæ incommoda. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 24, lit. *m*.

Incredulitas. — Incredulitati seu perfidiæ tribuitur ruina, fidei vero exaltatio. *Dom. infra Octav. Nativ.*, v. 34, lit. *e*.
Plus nobis Thomæ incredulitas ad fidem, quam fides credentium discipulorum profuit. *Dom. in Albis*, v. 25, lit. *d*.
Incredulitas et malitia Christianorum est inexcusabilis. *Dom. infra Octav. Ascens.*, v. 26, lit. *c*.

Indignatio. — Indignatio quæ alias nos reos efficeret, si transeat in zelum, gratiam et gloriam apud Deum nobis conciliat. *Dom.* V *post Pasch.*, v. 23, lit. *r*.

Indulgentiæ. — Indulgentiæ abolent pœnas peccatis nostris debitas. *Fer.* VI *post Dom.* III *Quadr.*, v. 38, n. 3.
Deus Ecclesiæ suæ thesaurum indulgentiarum aperuit. *Dom.* XVI *post Pent.*, v. 1, lit. *c*.
Indulgentiæ videntur lucrari posse in favorem animarum purgantium vel ab aliquo in peccato mortali existente. *Dom.* XVIII *post Pent.*, v. 2, lit. *c*.

Infelicitas. — Infelicitas maxima est felicitas. *Fer.* V *post Dom.* II *Quadr.*, v. 25, n. 7.

Infernus. — Inferni ignis instrumentum iræ divinæ agens conformiter ad voluntatem divinam. *Fer.* II *post Dom.* I *Quadr.*, v. 41, n. 5.
De pœnis inferni prædicatio multum valet ad conversionem peccatorum. *Dom.* IV *Adv.*, v. 3, lit. *e*.
Qua de causa in inferno æternaliter punientur injusti. *Dom. infra Octav. Nativ.*, v. 33, lit. *c*.
Vivi descendunt in infernum, qui hic viventes mentem inclinant ad ipsum meditandum. *Dom. Septuag.*, v. 1, lit. *g*.
Pœnarum inferni atrocitatem, per seriam meditationem attente et ex proposito considerare, a culpa coercet. *Dom.* III *post Pasch.*, v. 18, lit. *d*.
Viæ quibus peccatores descendunt in infernum difficiles sunt et amaræ. *Dom.* III *post Pent.*, v. 5, lit. *a*.
Anima per peccatum mortale ab inferno nonnisi flatu aut anhelitu unico distat. *Dom.* XVI *post Pent.*, v. 5, lit. *a*.
Sola peccata sunt pabulum et nutrimentum inferni. *Dom.* XXI *post Pent.*, v. 25, lit. *a*.

Infinitum. — Finiti ad infinitum nulla est proportio. *Dom.* III *post Pasch.*, v. 16, lit. *b*.

Infideles. — Quomodo allrahendi sunt ad fidem. *Dom.* XX *post Pent.*, v. 48, n. 1.

Infidelitas. — Infidelitas dicitur antonomastice peccatum. *Dom.* IV *post Pasch.*, v. 8, n. 12.
Infidelitas est execrabile delictum. *Dom. in Albis.*, v. 25, lit. *c*.

Infirmi. — Ante omnia debent mundare animam. *Dom.* XIX *post Pent.*, v. 21, n. 11.
Summo cum affectu infirmos et afflictos Christus prosequitur. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 3, lit. *c*.
Qui visitat et consolatur infirmos, duplicatum potest expectare præmium. *Ibid.*, lit. *d*.

Infirmitates. — Infirmitates corporales vindicant injurias Dei illatas. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 9, n. 3.
Ordinantur a Deo ad sanitatem infirmæ animæ. *Ibid.*, v. 3, n. 3 et 4.
Oriuntur ut plurimum a peccatis. *Fer.* V *post Dom.* I *Quadr.*, v. 14, n. 4, et *Dom.* VIII *post Pent.*, v. 2, n. 8 et 9.
Quam sint utiles. *Fer.* V *post Dom.* III *Quadr.*, v. 40, n. 10 et 11.
Effectus sunt iræ divinæ. *Fer.* VI *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 3, n. 14, et v. 5, n. 4.
Necessariæ sunt ad purgandam animam. *Dom.* XX *post Pent.*, v. 46, n. 6.

Sunt ad instar ignis Purgatorii. *Ibid.*
Multæ origo utilitatis. *Ibid.*
Sunt flagella Dei ad nostrum bonum. *Dom.* XVIII *post Pent.*, v. 2, n. 11.
Sæpe corporis infirmitas est animæ sanitas. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 2, lit. *l.*
Infirmitates corporales divini amoris signa et indicia sunt. *Dom.* XII *post Pent.*, v. 35, lit. *a.*
Infirmitates corporales, ut plurimum peccatorum nostrorum sunt fructus. *Dom.* XVIII *post Pent.*, v. 2, lit. *i.*
Infirmitates corporales divini amoris signa sunt et indicia, quæ animæ saluti plurimum cooperantur. *Dom.* XX *post Pent.*, v. 46, lit. *h.*
Bonæ sunt infirmitates corporis et adversitates, utpote ex quibus magnum capimus lucrum. *Dom.* XXIII *post Pent.*, v. 18, lit. *d, e.*
Ingrati. — Ingrati non debent se excusare de beneficiis præteritis. *Fer.* VI *post Dom.* II *Quadr.*, v. 43, n. 7.
Apud Deum sunt ignoti. *Dom.* XIII *post Pent.*, v. 17, n. 3.
Adeo ingratos detestatur Deus, ut eosdem procul a se arceat. *Ibid.*, lit. *a.*
Detestabilis est ingratorum abusus scilicet benefactoribus malum pro bono reddere. *Dom.* XVI *post Pent.*, v. 1, lit. *g.*
Semper accepta beneficia minuunt et vituperant. *Dom.* XX *post Pent.*, v. 37, lit. *b.*
Pharisæi a Deo urbis suæ excidio puniti sunt, in exemplum ingratorum. *Dom.* XXII *post Pent.*, v. 13, lit. *b.*
Ingratitudo. — Ingratitudo vitium est detestabile. *Fer.* IV *post Dom.* I *Quadr.*, v. 39, n. 2.
Exprobratur Scribis et Pharisæis. *Fer.* IV *post Dom. Pass.*, v. 32, n. 4.
Exsiccat fontem divinæ misericordiæ. *Fer.* II *post Dom.* III *Quadr.*, v. 23, n. 11.
Est primaria perditionis Judææ occasio. *Fer.* VI *post Dom. Pass.*, v. 47, n. 19.
Hominem reum efficit majoris supplicii. *Fer.* VI *post Dom.* I *Quadr.*, v. 14, n. 7.
Ingratitudo Pharisæica collata cum beneficentia Christi. *Fer.* III *post Dom.* II *Quadr.*, v. 15, n. 6.
Certo quodam modo reobligat ad debita semel dimissa. *Dom.* XXI *post Pent.*, v. 34, n. 8.
Irritat Deum. *Dom.* XIII *post Pent.*, v. 16, n. 10.
Causa cur non puniatur a legibus. *Ibid.*, v. 17, n. 3.
Deus Judæismo suam improperavit ingratitudinem : quanto magis eamdem Christianismo objicere poterit. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 27, lit. *a, c, d.*
Majori dolore animum sauciat injuria de obligato beneficio, quam quodlibet crimen crudelioris inimici. *Dom. Pass.*, v. 46, lit. *o.*
Ingratitudo gratiarum arefacit fontem. *Dom. infra Octav. Ascens.*, cap. XV, v. 3, lit. *b.*
Quo majora sunt beneficia, eo severiora sunt supplicia ingratorum. *Fest. Pent.*, v. 23, lit. *a.*
Ingratitudo deperdit aggregatas cum sudore multo spirituales divitias. *Dom.* XIII *post Pent.*, v. 15, lit. *b.*
Ingratitudo reproborum est tessera. *Dom.* XV *post Pent.*, v. 16, lit. *a*, et *Dom.* XX *post Pent.*, v. 47, lit. *b.*
Omnis ingratus suum non recompensans beneficium, spe destituitur novorum recipiendorum. *Dom.* XX *post Pent.*, v. 46, lit. *b.*
Decem millium talentorum debitores nos sumus, qui quotidie multis beneficiis afficimur, et nil boni rependimus. *Dom.* XXI *post Pent.*, v. 24, lit. *g.*
Inimici. — Inimici occulti sunt maxime cavendi. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 25, n. 4.
Pro inimicis orandum est. *Fer.* VI *Cin.*, v. 44, n. 10.
Non odio habendi. *Ibid.*, v. 43, n. 1.
Amandi non propter se, sed ex amore Dei. *Ibid.*, v. 44, n. 1 et 6.
Quomodo superandi. *Fer.* IV *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 1, n. 4.
Compassione et adjutorio nostro sufficiendi sunt ad exemplum Christi. *Dom.* IX *post Pent.*, v. 41, n. 9.
Inimici Dei, perditionis nostræ instrumenti, festa pro viribus abolere satagunt. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 43, lit. *a.*
Docet nos Dominus ut quoties ab iniquis hominibus impetimur, in eos iram et vindictam non retorqueamus. *Dom.* I *Quadr.*, v. 4, lit. *c.*
Inimici nostri, si quid magni facimus, in sua invidia magis firmentur. *Dom.* II *Quadr.*, v. 1, lit. *f.*
Dechinandi sunt inimici ut ira et impetus eorum deferveseat. *Dom.* IV *Quadr.*, v. 1, lit. *d.*
Qui benefecit inimicis suis, similis fit Dei. *Dom.* XIII *post Pent.*, v. 11, lit. *c.*
Utiliores sunt plerumque inimici objurgantes, quam amicos objurgare metuentes. *Dom.* XVIII *post Pent.*, v. 4, lit. *c.*
Inimicitia. — Ex inimicitiis mala nascuntur innumerabilia. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 25, lit. *g.*
Injuriæ. — Injuriæ supportandæ sunt. *Fer.* III *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 21, n. 1 et 2, et *Dom. Pass.*, v. 19, n. 8.
Injuriæ tacendo declinantur. *Dom. Pass.*, v. 39, n. 8.
Deo illatæ sunt vindicandæ, nobis autem factæ, tolerandæ. *Ibid.*, v. 49, n. 2 et 6.
Gloriosius est eas ferre quam vindicare. *Ibid.*, n. 7.
Per furentes ventos interpretari possunt opprobria et injuriæ. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 24, lit. *g.*
Major est victoria injurias patienter ferre quam easdem ulcisci. *Dom. Pass.*, v. 46, lit. *p.*
Auctor et instigator injuriarum dæmon est. *Ibid.*, v. 48, lit. *n.*
Proprias dissimulare injurias virtutis opus est, eas vero quæ Deo inferuntur, impletas est. *Ibid.*, v. 49, lit. *c.*
Admirabile nobis datur a Domino nostro injuriarum tolerantiæ exemplum. *Ibid.*, v. 50, lit. *d.*
Sequacium Christi et virtutis proprium est scopos esse injuriarum et irrisionum hominum improborum. *Fest. Pasch.*, v. 2, lit. *b.*
Christus Dominus docet nos tolerantiam injuriarum. *Dom.* IV *post Pasch.*, v. 8, lit. *e.*
Non iis qui injuriam accipiunt, sed iis qui inferunt periculum omne impendet. *Dom. infra Octav. Ascens.*, v. 26, lit. *h.*
Injuriarum dimissio optima est et facilis via ad obtinendam remissionem peccatorum. *Dom.* I *post Pent.*, v. 37, lit. *c.*

Homo in mortali existens, indulgendo aliis, nonnum ad se trahit misericordiam Dei. *Ibid.*, v. 37, lit. *g.*
Merito desiderare deberemus ab aliis injuriis et contumeliis affici. *Ibid.*, v. 37, lit. *h.*
Qui pro beneficiis datis injurias rependit et solvit, merito deseritur ac repellitur. *Dom.* IV *post Pent.*, v. 3, lit. *a.*
Deus affectum specialem habet erga illos, qui male se tractantibus bonum pro malo reddunt. *Dom.* XIII *post Pent.*, v. 11, lit. *c.*
Majus malum est inferre quam perpeti injuriam. *Dom.* XVIII *post Pent.*, v. 3, lit. *b.*
Injuriatores. — Multis titulis utiles nobis sunt. *Dom.* II *Adv.*, v. 7. lit. *c.*
Semper gravibus damnis injuriatores sunt expositi. *Dom.* XVIII *post Pent.*, v. 3, lit. *b.*
Magni animi est eos qui aliquando nos injuria affecerunt benigne alloqui. *Dom.* XXIII *post Pent.*, v. 19, lit. *d.*
Intemperantia. — Intemperantia auferi Deum et prosternit domos. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 3, lit. *a.*
Incuriam et negligentiam parit. *Ibid.*
Innocentia. — Solet sæpe ipsa austere et dure tractari, ne ruat, sed incontaminabilis perseveret in vita. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 4, lit. *a.*
Optimum semen seminavit in anima nostra Dominus, innocentiam. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 26, lit. *a.*
Inspiratio. — Inspiratio semen est divinum. *Dom. Sexag.*, v. 12, n. 3.
Intentio. — Omnia quæ habemus bona, per bonam intentionem ad gloriam Dei referenda sunt. *Dom.* III *Adv.*, v. 20, lit. *c.*
Intentio opera nostra specificat et meritoria reddit. *Ibid.*
Quandiu in hac vita morimur, fines et intentiones occultas operantium penetrare non possumus. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 29, lit. *b.*
Deus ad spiritum et intentionem finemque quo opus fit ponderandum usque pertingit. *Dom.* II *Quadr.*, v. 3, lit. *b.*
Deus tanti facit opera, quantus est amor et intentio bona, quæ ad ea impelit. *Fest. Pent.*, v. 23, lit. *d.*
Semper intentio perversa præcessit pravum opus, etiamsi justum videatur. *Dom.* V *post Pent.*, v. 20, lit. *c.*
Intercessio. — Intercessio Sanctorum necessaria omnibus. *Fer.* V *post Dom.* I *Quadr.*, v. 23, n. 5.
Quam sit efficax. *Ibid.*, n. 10.
Intercessor. — Tot apud Deum nobis acquirimus intercessores, quot sunt qui nostris suffragiis electi sunt in cœlum. *Dom.* I *post Pent.*, v. 38, lit. *d.*
Invidi. — Alterius damnum æstimant suum lucrum esse. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 25, n. 13.
Assimilantur oculis basilisci. *Dom. Septuag.*, v. 15, n. 5.
Venenum internum occultare nequeunt. *Fer.* III *post Dom.* I *Quadr.*, v. 16, n. 3.
Contempti a Deo. *Fer.* II *post Dom.* III *Quadr.*, v. 23, n. 2.
Plus aliena gloria quam proprio damno torquentur. *Fer.* VI *post Dom. Pass.*, v. 47, n. 17, et *Dom.* XVIII *post Pent.*, v. 35, n. 3.
De aliena pœna quærunt sibi medicamentum et de salute requirunt tormentum. *Dom.* III *Adv.*, v. 19, lit. *e.*
Etiam cum dispendio proprio, benefactori suo malum machinari non curat. *Dom.* III *Quadr.*, v. 15, lit. *a.*
Seipsos stultissime perdunt ut aliis nocent. *Dom. Pass.*, v. 28, lit. *e.*
Non solum propriis malis fiunt invidi deteriores, sed bonis piorum quibus invident. *Dom.* XVIII *post Pent.*, v. 2, lit. *g.*
Quicumque es invidus et malignus, nullius magis quam tuæ salutis inimicus es. *Dom.* XXII *post Pent.*, v. 16, lit. *d.*
Invidia. — Invidia Judæorum in Christum. *Fer.* VI *post Dom.* II *Quadr.*, v. 38, n. 4.
Pharisæica Christo mortem acceleravit. *Fer.* VI *post Dom.* I *Quadr.*, v. 12, n. 1.
Obfuscat judicium. *Fer.* III *post Dom.* I *Quadr.*, v. 16, n. 2.
Quot malorum causa. *Fer.* II *post Dom.* III *Quadr.*, v. 24, n. 10.
Est tormentum majus inferno. *Fer.* VI *post Dom.* II *Quadr.*, v. 24, n. 10.
Excæcat oculos ne videant veram lucem. *Fer.* III *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 15, n. 10.
Est passio inordinata. *Fer.* II *post Dom.* III *Quadr.*, v. 24, n. 5.
Est stimulus mortaliter nos lædens. *Fer.* IV *post Dom. Pass.*, v. 24, n. 12.
Est venenum quod difficile vincitur. *Dom.* XVIII *post Pent.*, v. 44, n. 5.
Omni vitio pejor et omni peste deterior. *Dom.* II *Adv.*, v. 19, lit. *c.*
Invidia ut plurimum calumniæ mater est. *Dom. infra Octav. Nativ.*, v. 34, lit. *j.*
Diabolus superseminavit in agro Domini zizania malitiæ, odii, invidiæ et livoris. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 25, lit. *e.*
Diaboticum quid habet invidia. *Dom. Septuag.*, v. 9, lit. *a.*
Vitium invidiæ ut plurimum inter personas domesticas et familiares vigere solet. *Dom. Quinq.*, v. 32, lit. *b.*
Tanta est invidiæ et odii vehementia, ut ex quo charitatis officium posset hoc in infamiam trahere contendat. *Dom.* III *Quadr.*, v. 15, lit. *b.*
Illi qui moribus improbi sunt, invidiæ vitio contra justos magis exagitantur. *Ibid.*, lit. *c.*
Proprium est hominum vitium et pusillanimium. *Ibid.*
Invidis plaga intolerabilis nascitur ex iis quæ proximo eveniunt bona. *Dom. infra Octav. Ascens.*, v. 2, lit. *a.*
Frequenter fit ut Deus eorum qui aliorum invidia exagitantur, felicitates adaugeat. *Dom.* III *post Pent.*, v. 2, lit. *e.*
Invidi bonam opinionem et existimationem virtutis et operum insignium æmulorum sacrum tolerare nequeunt. *Dom.* XVI *post Pent.*, v. 1, lit. *f.*
Invidia mel intoxicat et aliena virtute torquetur. *Ibid.*
Invidiæ spiritus hominum damnum suum computat lucrum. *Ibid.*, v. 2, lit. *b.*
Omnia benefacta pervertit in malum. *Dom.* XVIII *post Pent.*, v. 4, lit. *a.*
Linguam invidia pro instrumento assumere solet, cujus partus detractio est. *Dom.* XXII *post Pent.*, v. 45, lit. *j.*
Invidiæ peccatum nullam admittit excusationem, nec compassionem meretur. *Ibid.*, v. 16, lit. *d.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Ira. — Ira hominem ratione privat. *Dom.* V *post Pent.*, v. 30, n. 1.
Radix est homicidii. *Ibid.*, v. 22, n. 3.
Ira moderata non est peccatum. *Ibid.*, n. 5.
Est perniciosa animæ et corpori. *Ibid.*, n. 7.
Ira est janua omnium vitiorum. *Ibid.*
Habet tres gradus. *Ibid.*, n. 18 et 25.
Magna vis et efficacia est iræ quæ intellectum excæcat, absorbet discursum et iratum stulto similem reddit. *Dom.* II *Adv.*, v. 3, lit. *d*.
Primus effectus iræ, luminis, rationis et discursus est furbatio. *Dom.* IV *post Pasch.*, v. 5, lit. *b*.
Iracundus quisque se veraciter perimit, dum læsionem proximi, vel mortem sitit. *Dom.* V *post Pent.*, v. 22, lit. *b*.
Non quælibet ira est vitiosa. *Ibid.*, lit. *c*.
Ira hominem penitus in ferum convertit. *Ibid.*, lit. *d*.
Ira Dei ob peccata nostra offensi lacrymarum virtute placatur. *Dom.* IX *post Pent.*, v. 41, lit. *b*.
Gravior est ira quæ provocatur quam ea quæ meretur. *Dom.* XIX *post Pent.*, v. 13, lit. *d*.
Ciliior est homini Deus iratus, quam homo propitius. *Dom.* XXII *post Pent.*, v. 19, lit. *b*.
Iracundia. — Homo iracundus similis est diabolo, cum vitium ira sit diabolicum. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 26, lit. *g*.
Iracundus. — Nesciunt iracundi homines moderationem servare. *Dom.* II *post Pent.*, v. 21, lit. *b*.
Homo iracundus nescit quo vadit. *Dom.* IV *post Pasch.*, v. 5, lit. *h*.
Iracundus tardo reconciliatur cum proximo. *Dom.* V *post Pent.*, v. 23, n. 23.

J

Jacob. — Jacob Patriarcha typus vigilis Pastoris. *Dom.* II *post Pasch.*, v. 11, n. 8.
Veri pastoris Ecclesiastici typus fuit. *Ibid.*, lit. *b*.
S. Jacobus. — Præ omnibus divini honoris zelantissimus fuit. *Dom.* II *Quadr.*, v. 1, n. 3.
Jactantia. — Virtutum opera facientes vitium jactantiæ gloriamque humanam vitare oportet. *Dom.* XI *post Pent.*, v. 36, lit. *a*.
Janua. — Janua cœli arcta est, nec recipit nisi parvos; humidi repelluntur. *Dom.* II *post Pent.*, v. 17, lit. *b*.
Janua cœli est humilitas quæ accedentes introducit. *Dom.* IV *Adv.*, v. 5, lit. *a*.
Jejunium. — Jejunium corporis pestem sanat. *Dom. infra Octav. Nativ.*, v. 37, n. 6.
Nos Deo similes reddit. *Ibid.*, n. 5.
Jejunium servandum non ut hominibus, sed ut Deo placeamus. *Fer.* IV *Cin.*, v. 18, n. 2 et 3.
Multum remuneratur. *Ibid.*, n. 7.
Jejunium quadragenarium mysticum est. *Dom.* I *Quadr.*, v. 2, n. 8.
Per hoc recipitur gratia et dæmon superatur. *Ibid.*, n. 2.
Servandum cum lætitia. *Fer.* IV *Cin.*, v. 17, n. 4.
Effectus jejunii quadragesimalis. *Ibid.*, v. 16, n. 1, 2, 3, etc.
Diabolus qui manducantem contempserat Christum, ubi jejunantem vidit, suspicatur Deum. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 3, lit. *a*.
In deserto Christus jejunat quia solius Dei judicio jejunia sunt agenda. *Dom.* I *Quadr.*, v. 1, lit. *c*.
Jejunium quadragesimale Christi fuit ad exemplum totius populi Christiani. *Ibid.*, v. 2, lit. *a*.
Antequam Christus ad pugnam diaboli descendat, se jejunio armavit, non pro se, sed ut nos suo instrueret exemplo. *Ibid.*, lit. *b*.
Quidpiam angelicum et divinum in se continet, nosque Deo similes reddit. *Ibid.*
Magna est virtus jejunii, quæ pestes animæ curat, antiqui hostis frandem exuperat. *Ibid.*, lit. *c*.
Ob jejuniorum consortia Moysen et Eliam, Dominus transfiguratus secum ostendit in gloria. *Dom.* II *Quadr.*, v. 3, lit. *d*.
Deus per jejunium et abstinentiam copiose nos satiat, saltem quoad animam. *Fest. Pent.*, v. 26, lit. *d*.
Est jejunium castitatis murus, pudicitiæ propugnaculum. *Dom.* X *post Pent.*, v. 12, lit. *b*.
Jejunium non ob vanam gloriam sed libenti animo fieri debet. *Ibid.*, lit. *c*.
Ecclesia et omnes jejuni ad sacram communionem accedant statuit, ut Eucharistiam tanquam famelici discamus accipere. *Dom.* XII *post Pent.*, v. 24, lit. *a*.
Jericho. — Jericho mystice mundum et vanitates ejus significat. *Dom. Quinq.*, v. 35, n. 4.
Jerusalem. — Jerusalem, ob quam Christus flevit, animam nostram significat. *Dom.* IX *post Pent.*, v. 41, n. 15 et 16.
A quo fabricata et qualiter fornicata. *Ibid.*, v. 43, n. 4.
Homo qui vult peregrinare ad cœlestem Jerusalem, terrena bona calcare debet. *Dom. Palm.*, v. 8, lit. *b*.
Non ad cœlestem Jerusalem itur, nisi per viam mortis et crucis. *Dom. Sexag.*, v. 31, lit. *c*.
Jesus Christus. — Christi a pueritia zelus erga animas nostras. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 52, lit. *g*.
Dominus noster Jesus Christus per granum sinapis non immerito significatur. *Dom.* VI *post Epiph.*, v. 31, lit. *m*.
Granum sinapis fuit cum moreretur, arbor cum resurgeret. *Ibid.*, v. 32, lit. *e*.
Christus sibi reservat labores arandi, ac patiendo seminandi. *Dom. Sexag.*, v. 5, lit. *c*.
Cum lætitia et gaudio ascendit in Jerusalem ibi crucem ascensurus. *Dom. Quinq.*, v. 31, lit. *d*.
Ingentem suam curam et sollicitudinem ostendit pro salute uniuscujusque animæ in particulari. *Ibid.*, v. 40, lit. *a*.
Dominus se tentari a tentatore permisit ut cujus nummur auxilio, ejus eruditamur exemplo. *Dom.* I *Quadr.*, v. 1, lit. *d*.
Docet nos confligere et evincere mundum, ejusque delicias contemnere. *Dom.* I *Quadr.*, v. 8, lit. *a*.
Quanto magis sese humiliavit, tanto magis eum ab æterno Patre exaltatum admiramur. *Dom.* II *Quadr.*, v. 1, lit. *l*.
Omnis Christi actio nostra est instructio, sive ad nostram instructionem ordinata. *Dom.* II *Quadr.*, v. 2, lit. *a*.
Salvator noster ideo in mundum venit, ut dæmonem subjugaret. *Dom.* III *Quadr.*, v. 14, lit. *a*.
Sollicitus est de ope abundantius largienda sequacibus suis. *Dom.* IV *Quadr.*, v. 5, lit. *e, f*.
Post triginta annorum spatium in operibus exemplisque sanctis, os suum aperuit, ut pœnitentiam annuntiaret. *Dom. Pass.*, v. 46, lit. *g*.
Multa cum mansuetudine sustinuit, ut tanto proposito exemplo, ejus imitemur patientiam. *Ibid.*, v. 49, lit. *a*.
Amorem majorem nobis in redemptione quam in creatione exhibuit. *Dom. Palm.*, v. 1, lit. *b*.
Nihil spirat vox ejus nisi pacem quam inter suos, mediante charitate et concordia, vult conservari. *Dom. in Albis*, v. 19, lit. *h*.
Christus Dominus Pastori bono se comparat, non Samaritano. *Dom.* II *post Pasch.*, v. 11, lit. *a*.
Qui relinquit Christum, vitam relinquit et quærens vivere fugit in mortem. *Dom.* IV *post Pasch.*, v. 5, lit. *a*.
Non tam suæ quam nostræ studet utilitati et commodo. *Ibid.*, v. 7, lit. *b*.
Potens apud Patrem suum advocatus noster esse voluit. *Dom.* V *post Pasch.*, v. 23, lit. *g, i*.
Non minorem nostri curam gerit in cœlis, quam olim gesserat in terris. *Ibid.*, lit. *l*.
Demonstravit Christus Dominus divinitatem suam prædicatione, miraculis et testimoniis. *Dom. infra Octav. Ascens.*, v. 26, lit. *c*.
Nostram induit mortalitatem ut tenerius posset nostris compati miseriis. *Dom.* I *post Pent.*, v. 36, lit. *b*.
Quando suas erga homines miserabiles, impertiturus erat gratias, alatis quasi pedibus occurrere solebat. *Ibid.*, lit. *g*.
Ubi primum manus docendi obire cœpit, vix unquam ab eo conquievit. *Dom.* II *post Pent.*, v. 16, lit. *f*.
Non vult homines, quos fratres suos appellat, misera egestate premi. *Ibid.*, lit. *g*.
Omnem justitiam non prius verbis quam factis implevit. *Dom.* IX *post Pent.*, v. 41, lit. *d*.
Ipse nos flere vult, ut pœnas evadere possimus. *Ibid.*, lit. *e*.
Dat animam suam pro anima unica, et non pro mundo toto. *Ibid.*, v. 42, lit. *c*.
Non parcebat suo labori ac itineri ut nostro commodo consuleret et saluti. *Dom.* XI *post Pent.*, v. 31, lit. *a*.
In edendis miraculis non suæ ostentationi, sed nostræ consulebat necessitati. *Ibid.*, v. 33, lit. *c*.
Nullum prætermittit horroris locum, dummodo in illo sit aliquis cui beneficiat. *Dom.* XII *post Pent.*, v. 33, lit. *a*.
Jesus Christus bonus Samaritanus, homini jacenti ac mortifere vulnerato, præstitit medicinam. *Ibid.*, lit. *c*.
Pro omnibus de cœlo descendit, ut per seipsum æterno Patri omnes homines reconciliaret. *Dom.* XIII *post Pent.*, v. 11, lit. *d*.
Non docuit delicata petere, non exquisita, sed panem, sine quo vita hominis duci non potest. *Dom.* XIV *post Pent.*, v. 25, lit. *d*.
Medicus et mortuorum suscitator Dominus sola potestate sua eos suscitat. *Dom.* XV *post Pent.*, v. 14, lit. *b*.
Movebatur ad compassionem; non enim habebat cor lapideum, ut multi Christiani. *Dom.* XV *post Pent.*, v. 12, lit. *b*.
Mundum suum pauper ingreditur, quia cœlestes thesauros suos in nostram redemptionem consummandam adhibuit. *Dom.* XIX *post Pent.*, v. 2, lit. *b*.

Omnis Christi actio nostra est instructio. *Ibid.*, v. 11, lit. *a*.
Dominus noster in vita sua per triginta tres annos, omnis status, ætatis et conditionis homines sua conversatione sanctificavit. *Ibid.*
Sanator est omnium infirmitatum sive corporis sive animæ humanæ. *Dom.* XX *post Pent.*, v. 50, lit. *a*.
Se Deum esse verum demonstrabat cum intima cordis cognosceret. *Dom.* XXII *post Pent.*, v. 19, lit. *a*.
Tractabilem se nobis præbet in Eucharistia. *Dom.* XXIII *post Pent.*, v. 19, lit. *a*.
Animas afflictas amplexatur, et cum iisdem conversatur. *Ibid.*, lit. *e*.
Afflictionem et crucem amplexatus est a primo instanti incarnationis suæ. *Ibid.*
Ab initio sæculorum Christus in omnibus suis patitur. *Ibid.*, v. 20, lit. *b*. Vide CHRISTUS, REDEMPTOR, SALVATOR, MESSIAS, VERBUM.
S. Joannes Apostolus. — S. Joannes doctor est mutuæ charitatis. *Dom.* VII *post Pent.*, v. 21, lit. *b*.
SS. Joannes et Paulus præ aliis in scientia fuerunt illustriores quia virgines permanserunt. *Dom. infra Octav. Nativ.*, v. 38, lit. *a*.
Joannes Baptista. — Discipulos constantes habuit. *Dom.* II *Adv.*, v. 2, n. 14.
Cur se adeo subito in eremum subduxerit. *Dom.* IV *Adv.*, v. 2, n. 9.
Cur tot annis ibi fuerit incognitus. *Ibid.*, v. 3, n. 4.
Obedit voci Christi. *Ibid.*
Etiam captus prædicat Christum. *Dom.* II *Adv.*, v. 2, n. 18.
Mundo Christi adventum prædicavit. *Ibid.*, v. 3, n. 1.
Cur Christum per discipulos interrogavit, an verus Propheta. *Ibid.*, v. 3, n. 5.
Natus ex pareutela nobili. *Dom.* III *Adv.*, v. 19, n. 3.
Cur vox appelletur. *Ibid.*, v. 23, n. 3, et *Dom.* IV *Adv.*, v. 4, n. 2.
Ejus humilitas. *Dom.* III *Adv.*, v. 20, n. 4.
Indignum se censuit ad solvendam corrigiam calceamenti Christi. *Ibid.*, v. 27, n. 3.
Quantæ sanctitatis et virtutis fuerit. *Dom.* II *Adv.*, v. 10, n. 4.
Ejus humilitas meruit præcursoratum Christi. *Ibid.*, v. 7.
Cur intra 30 vitæ Christi annos, cum Christo non sit conversatus. *Ibid.*, n. 12.
Exaltatus a Christo quia sese humiliavit. *Ibid.*, v. 2, lit. *b*.
Fortitudo et sanctitas Joannis Baptistæ. *Ibid.*, lit. *c*.
S. Joannis Baptista audacia et charitas. *Ibid.*, lit. *d*.
Intuitu futuræ mortis Christi, carcer et inde mors secutura expetibilis fuit Joanni. *Ibid.*, lit. *m*.
Summa Joannis humilitas quæ opera bona in abscondito custodit et conservat. *Ibid.*, v. 3, lit. *c*.
Joannis Baptistæ magna diligentia ut legates ad se Judæos de veritate edoceat. *Ibid.*, lit. *d*.
Joannis Baptistæ summa prudentia et eximia in discipulos charitas. *Ibid.*, lit. *e*.
Quare voluerit Dominus magnis Joannem extollere encomiis. *Ibid.*, v. 7, lit. *c*.
S. Joannis Baptistæ ostendit Dominus gloriam dum illum nobilitat Angeli vocabulo. *Ibid.*, v. 10, lit. *d*.

Nos docet inquirere quid simus ex parte nostri et quid simus ex parte Dei. *Dom.* III *Adv.*, v. 19, lit. *g*.
S. Joannes a se divinos honores depulit. *Ibid.*, v. 20, lit. *a*.
Humiliavit se, nobis ostendere volens humilitatem esse summam doctrinæ a Christo nobis traditæ. *Ibid.*, lit. *d*.
Recognoscens beneficia a Deo accepta stat in veritate firmus. *Ibid.*, lit. *f*.
Qua ratione Joannes Baptista est, et non est Elias et Propheta. *Ibid.*, v. 21, lit. *a*.
Respondit quod non erat, ut maneret quod erat. *Ibid.*
Qua de causa Judæi putaverunt Joannem Eliam esse. *Ibid.*, lit. *b*.
Quamvis ad tantam dignitatem evectus, tamen propriæ vilitatis non est oblitus. *Ibid.*, v. 23, lit. *e*.
S. Joannis obedientia. *Dom.* IV *Adv.*, v. 2, lit. *b*.
Dicitur filius Zachariæ qui interpretatur *memoria Domini*. *Ibid.*, lit. *c*.
Fugit in desertum ut innocentiam suam conservaret. *Ibid.*, lit. *d*.
Cur latuerit Joannes usque ad trigesimum annum occultus. *Ibid.*, lit. *l*.
Factus exemplar Prædicatorum, non altissimas quæstiones, sed pœnitentiam et emendationem vitæ annuntiavit. *Ibid.*, v. 3, lit. *a*.
In desertum secessit ad fugiendum conversationis mundanæ pericula. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 24, lit. *e*.
In desertum se recepit ut melius vitaret maculas vel levissimas. *Dom.* XVII *post Pent.*, v. 37, lit. *b*.
Joannes Baptista de Fuliginio. — Quam zelosus contra Bacchanalia. *Dom. Sexag.*, v. 11, n. 5.
Jonas. — Figura Christi. *Fer.* II *post Dom.* I *Quadr.*, v. 39, n. 6.
Item in resurrectione. *Ibid.*
Inferior Christo. *Ibid.*, v. 41, n. 6.
Ninivitis prædicat sine miraculorum patratione. *Fer.* IV *post Dom.* I *Quadr.*, v. 41, n. 6.
Joseph. — Joseph in Ægypto præfigurabat Salvatorem nostrum qui frumentum appellatur electorum. *Dom.* XX *post Pent.*, v. 46, lit. *c*.
Joseph filius Jacob, dilectus a Deo, multis calamitatibus probatus est. *Dom.* III *post Pasch.*, v. 20, lit. *e*.
Judæi. — Judæi quærunt Messiam, qui sit juxta illorum genium, qualem nunquam invenient. *Fer.* II *post Dom. Pass.*, v. 31, n. 7.
Judæi Christum deridentes in cruce, quinam sint. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 24, lit. *k*.
Judæorum in Christum stultissima et implacabilis invidia. *Dom. Pass.*, v. 48, lit. *e*.
Omnino inexcusabilis est incredulitas Judæorum. *Dom. infra Octav. Ascens.*, v. 26, lit. *c*. Vide Iesum.
Judas. — Judas ex Apostolo factus est diabolus mediante avaritia. *Dom.* II *post Pent.*, v. 19, lit. *a*.
Judices. — Judices indifferentes esse debent quoad personas. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 7, n. 2.
Non debent proferre sententiam nisi prius discusserint merita et demerita accusati. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 29, n. 4.
Judicando sedent ut demotetur eorum in judicando maturitas. *Fer.* II *post Dom.* I *Quadr.*, v. 31, n. 11.
Igni similes esse debent. *Fer.* III *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 21, n. 4.
Judicia humana sunt fallacia. *Fer.* VI *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 21, n. 5.
Non debent respicere personas sed opera. *Fer.* III *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 21, n. 1.
Incognita judicare non debent. *Dom.* VIII *post Pent.*, v. 2, n. 3.
Non est ab iis præcipitanda sententia. *Ibid.*
Propter passiones judicum judicia plerumque injusta fiunt. *Dom.* IV *Adv.*, v. 1, lit. *c*.
Xenia et dona excæcant oculos judicum. *Dom.* I *Quadr.*, v. 10, lit. *a*.
Deus semper solet unire serveritatem cum clementia, quod et nobis, maximeque judicibus faciendum est. *Dom.* III *post Pasch.*, v. 16, lit. *k*.
Judicium extremum. — Signa, quæ illud præcedent in sole. *Dom.* I *Adv.*, v. 25, n. 14.
Ante illud obscurabuntur lumina majora et minora. *Dom.* I *Adv.*, v. 25, n. 7.
Vulnera Christi erunt signa judicii universalis. *Ibid.*, n. 12.
Omnes creaturæ perturbabuntur præ confusione. *Ibid.*, n. 28
Judex comparebit totus furibundus. *Ibid.*, v. 26, n. 4.
Quindecim tremenda portenta præcedent judicium. *Ibid.*, v. 7.
Cœlites ipsimet quasi timebunt. *Ibid.*, v. 27, n. 6.
Nullus in eo judicio excusationi locus supererit. *Fer.* VI *post Dom.* II *Quadr.*, v. 41, n. 1.
In eo magnates infimorum pedibus substernentur. *Fer.* II *post Dom.* I *Quadr.*, v. 32, n. 2.
Christi majestas in eo die. *Ibid.*, v. 31, n. 10.
Terribile erit, quia Christus in illo vulneribus et cicatricibus sauciatus apparebit. *Ibid.*, v. 31, n. 7.
Plenum erit confusione quoad reprobos. *Ibid.*, v. 32, n. 2.
Universale a particulari judicio dependet. *Ibid.*, v. 31, n. 3.
Tunc vicinum erit quando Ecclesiæ in nulla delinceps reverentia erunt. *Dom.* XXIV *post Pent.*, v. 15, n. 3.
Quanto tunc nobis subsidio futuri sint pauperes quibus alias benefecimus. *Dom.* VI *post Pent.*, v. 2, n. 13.
In eodem loco fiet ubi passus est Christus. *Dom.* XXIV *post Pent.*, v. 30, n. 2.
Rigorosum erit. *Dom.* VIII *post Pent.*, v. 2, n. 13.
Magna confusione reprobis erit. *Ibid.*, v. 3, n. 14, 15 et 16.
Judicium finale erit ad hoc ut Deus convincat peccatores se nunquam defuisse illis, quomodo salventur. *Dom.* I *Adv.*, v. 25, lit. *m*.
Cur tot signa judicium finale prævenient. *Ibid.*, lit. *n*.
Judicii finalis consideratio ad virtuose vivendum utilis. *Ibid.*, lit. *a*, *b*, *c*.
In judicio finali boni ac mali magno metu concutientur. Quare. *Ibid.*, v. 26, lit. *a*, *b*, *c*.
Quare Ecclesia appropinquante Dominici natalis tempore, judicium extremum fidelibus proponit. *Ibid.*, lit. *d*.
Habentibus conscientiam bonam nihil timendum erit in die judicii. *Ibid.*, v. 28, lit. *a*, *b*, *c*, *d*.
Magnus pavor ille futurus est quem impii ex tonitribus vocis Christi judicis sunt concepturi. *Dom.* II *Quadr.*, v. 6, lit. *a*.
In die judicii diligentissimum exactissimumque homini instituetur examen. *Dom.* VIII *post Pent.*, v. 2, lit. *a*, *b*, *c*, *d*, *e*, *f*.
Rigorosius nobis fidelibus formabitur examen quam illis qui in infidelitatis tenebris continuo vixerunt. *Ibid.*, lit. *b*.
In judicio rationem reddere tenebimur, non modo de nobis, sed etiam de proximis nostris. *Ibid.*, lit. *f*.
Judicium extremum. — In judicio extremo non habebit homo unde jam sibi succurreret. *Dom.* VIII *post Pent.*, v. 3, lit. *c*.
In die judicii operibus misericordiæ regnum cœlorum attribuetur. *Dom.* XII *post Pent.*, v. 35, lit. *b*.
Qui venturum Judicem cogitat indesinenter, quotidie rationum suarum in melius causas ponit. *Ibid.*, v. 25, lit. *d*.
Continua Judicis et finalis judicii consideratio, ad ducendam vitam immaculatam plurimum confert. *Dom.* XVI *post Pent.*, v. 2, lit. *a*.
Deus voluit diem mortis et judicii ignotum esse ut ad vigilandum singulas inducerat generationes. *Dom.* XXI *post Pent.*, v. 23, lit. *e*.
Non probatur perfecta charitas, nisi cum cœperit ille dies desiderari. *Ibid.*, lit. *f*.
Judicium particulare. — Præcursor Domini venientis ad judicium particulare mors est. *Dom.* III *Adv.*, v. 23, lit. *f*.
Quanto majora beneficia hominibus sunt constituta, tanto majora peccantibus judicia sunt præparata. *Dom. Septuag.*, v. 6, lit. *c*.
Sine misericordia reservatur ei qui non fecit misericordiam. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 6, lit. *a*.
In judicio reus plus de conscientiæ quam de gehennæ erubescit incendio. *Dom.* VIII *post Pent.*, v. 3, lit. *d*.
Dominus maxime in morte animam examinat, ut imaginem suam quærat. *Dom.* XXIII *post Pent.*, v. 20, lit. *e*.
Judicium temerarium. — Judicium temerarium fugiendum est. *Dom.* I *post Pent.*, v. 37, n. 11.
Nascitur a malevolentia et odio. *Ibid.*, n. 18.
Item a propria malitia nascitur. *Ibid.*, n. 19.
Quale sit et qua ratione in judicando regulari debeamus. *Ibid.*, n. 1, 2 et 3.
Qualiter fugiendum sit. *Ibid.*, v. 2, n. 10 et 11.
Est pestis quædam occulta. *Ibid.*, v. 37, n. 16.
Judicio longe terribiliori judicabitur. *Dom.* VI *post Pent.*, v. 2, n. 5.
Judicare mala de aliis, zizania quædam est, quam dæmon seminat et nutrit. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 27, lit. *d*.
In hac tenebrarum caligine quæ obumbrat mentes nostras nihil est facilius quod judicando decipiamur. *Ibid.*, v. 29, lit. *a*, *b*.
Nihil timendum in die judicii, ei qui temere nunquam judicavit. *Dom.* I *post Pent.*, v. 37, lit. *a*.
Deus tanquam severus judex nos castigabit, si sine compassione erga offendentes nos, coram illo compareamus. *Ibid.*, lit. *i*.
Illi qui sunt in gravibus peccatis non debent judicare eos qui sunt in iisdem peccatis, vel minoribus. *Ibid.*, v. 32, lit. *a*.
Ut diligentius examinentur tua, legem primus ipse posuisti, severius de iis, quæ proximus peccaverit, judicando. *Ibid.*, v. 12, lit. *b*.
Cœlestis Magister non generaliter prohibet ne quis omnino condemnet et judicet delinquentes. *Ibid.*
Qui proprios defectus non considerant, judicando alios, seipsos condemnant. *Ibid.*, lit. *c*.
Prævenies judicium Dei si teipsum prior judicas in conspectu Dei. *Dom.* IX *post Pent.*, v. 42, lit. *a*.
Ad judicandum temere de proximis faciles sumus quia charitate vacamus. *Dom.* V *post Pent.*, v. 20, lit. *c*.
Judicium temerarium est occulta pestis sed gravissima quæ Deum fugat et fraternam lacerat charitatem. *Dom.* XVIII *post Pent.*, v. 4, lit. *a*.
Jugum Domini. — Salvator sequaces suos ad legem Evangelicam invitaturus, dulciter eos mescare conatur, jugi sui proponendo suavitatem. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 4, lit. *e*.
Homo sponte sua a cœlesti jugo fugit ut ad jugum currat. *Dom.* II *post Pent.*, v. 19, lit. *c*.
Julianus Apostata. — Sub pelle ovina rapacitatem obtegerat lupi. *Dom.* VII *post Pent.*, v. 15, lit. *f*.
Juramentum. — Turpe est et omnino stultum sese ut fide indignum accusare et ad juramenti securitatem confugere. *Dom.* XVII *post Pent.*, v. 25, lit. *c*.
Justificatio peccatorum. — Quantæ potentiæ sit. *Dom.* III *post Pent.*, v. 7, n. 5.
Sine operibus homo justificari non potest. *Dom. Palm.*, v. 8, lit. *e*.
Magnum beneficium et signum Dei nos impense amantis est justificatio. *Dom.* IX *post Pent.*, v. 42, lit. *d*.
Justitia. — Qualiter justitia exerceri debeat. *Fer.* III *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 24, n. 3.
Quot modis pervertatur. *Ibid.*, n. 4.
Deus nec in misericordia amittit judicium, nec in judicio misericordiam. *Dom.* IV *Adv.*, v. 4, lit. *b*.
Justitia aut misericordia multum destituitur, si una sine altera teneatur. *Dom.* III *post Pasch.*, v. 16, lit. *h*.
Justitiam facere qui recusant, per sex causas arguentur. *Dom.* IV *post Pasch.*, v. 10, n. 7.
Postquam misericordia præcessit, tunc ei succedit justitia. *Post. Pent.*, v. 23, lit. *j*.
Justitia mundi gloriam non requirit. A Deo genita cœlum spectat. *Dom.* III *post Pent.*, v. 4, lit. *d*.
Justitia Pharisæorum erat insufficiens quia docebant et non faciebant. *Dom.* V *post Pent.*, v. 20, lit. *b*.
Justitia Pharisæorum erat in præsumptione actionis suæ, et in temerario de alterius actione judicio. *Ibid.*, lit. *e*.
Justitia Evangelica in hoc justitiam Pharisæorum superabat, quod sit admixta misericordia et potentia. *Ibid.*, lit. *e*.
Justitia quam esurire oportet et sitire, est perfectio omnisque virtutis professio. *Dom.* XIII *post Pent.*, v. 17, lit. *c*.
Justitia in tentatione floret, in prosperitate marcida est. *Dom.* XVII *post Pent.*, v. 35, lit. *a*.
Justus. — Tunc in majori est æstimatione quando vel maxime contemnitur. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 6, n. 6.
Nec justi ipsi stare se præsumant, sed caute omnia pericula peccatorum fugiant. *Dom. infra Octav. Nativ.*, v. 34, lit. *c*.
A calumniis specialiter infestantur. *Ibid.*, lit. *j*.
Justi specialiter a calumniis infestantur. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 24, lit. *h*.

Justi pondere rationis constantes, immobiles in Dei servitio esse debent, si consolationes desiderant. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 6, lit. *c*.
Antequam in horreum sanctorum inferatur justus, necesse est ut palea tentationis in area mundi purificetur. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 30, lit. *b*.
Viris justis, nulla temporalis jactura accidere potest quæ eis non sit expedients et commoda. *Dom.* IV *post Pasch.*, v. 7, lit. *d*.
Justus qui ad vitam vult ingredi, nunquam se debet considerare, quamdiu est in hac vita, velut in termino. *Dom.* V *post Pent.*, v. 20, lit. *i*.
Justi non debent superfluam curam assumere de rebus transitoriis. *Dom.* XIV *post Pent.*, v. 25, lit. *d*.
Justi premuntur in Ecclesia ut pressi clament, clamantes exaudiantur, exauditi glorificent Deum. *Dom.* XXIII *post Pent.*, v. 20, lit. *c*.
Juventus. — Juventus ubi de imperando agitur, non cedit senectuti. *Fer.* IV *post Dom.* II *Quadr.*, v. 21, n. 13.
In divinum servitium adhibita, nos de premio æterno facit esse securos. *Dom. Septuag.*, v. 4, n. 1.
Juvenes, cum Abel, primitias juventutis suæ offerant Deo. *Dom.* XV *post Pent.*, v. 14, lit. *a*.

L

Labor. — Graviter laboribus fatigatos, vel oneribus depressos benignissimus Salvator ad se vocat. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 1, lit. *e*.
Homo ad laborem natus est, in eoque sese exercere continuo debet. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 24, lit. *b*.
Fidelium labores gaudium pariunt in Christi Dei æterni et veri morte fundatum. *Dom.* III *post Pasch.*, v. 21, lit. *a*.
Laborantes pro terrenis principibus colligunt tutum, pro Christo autem thesaurum cœlestis gloriæ. *Dom.* VI *post Pent.*, v. 8, lit. *a*.
Quidquid impense diligimus, magnique facimus, pro ejus assecutione strenue quoque laboramus. *Dom.* XXIII *post Pent.*, v. 20, lit. *d*.
Laborare. — Laborare pro Deo, Dei beneficium est, et maximum lucrum nostrum. *Dom. Septuag.*, v. 11, n. 7.
Lacrymæ. — Lacrymæ efficaces sunt ad reinveniendum Christum peccato perditum. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 48, n. 13.
Lacrymæ pœnitentiales sunt semen spiritualis lætitiæ. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 9, n. 3.
Lacrymæ sunt orationes efficacissimæ. *Fer.* VI *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 32, n. 7, et v. 33, n. 1.
Inæstimabilis quidam thesaurus sunt. *Dom.* XV *post Pent.*, v. 13, n. 12.
Quare effundi debeant. *Dom.* IX *post Pent.*, v. 41, n. 17.
Cœlestia nobis gaudia impetrant. *Dom.* XI *post Pent.*, v. 34, n. 13.
Ignem infernalem extingunt, terrorem dæmonibus incutiunt, iram Dei placant. *Fest. Pasch.*, v. 1, lit. *b*.
Veræ lacrymæ acuunt oculos, ut divina videamus. *Dom.* III *post Pasch.*, v. 20, lit. *a*.
Jesus qui est risus et gaudium totius mundi, tripliciter lacrymatur. *Dom.* IX *post Pent.*, v. 41, lit. *d*.
Lacrymæ Christi indicia fuere pietatis et misericordiæ. *Ibid.*, lit. *e*.
Cum valde sint pretiosæ solum ad diluenda peccata nostra sunt impendendæ. *Ibid.*, lit. *h*.
Lacrymæ tenet et cogit Deum. *Ibid.*
Lacrymæ Christi docent nos Deum misericordem simul esse et justum. *Ibid.*, lit. *j*.
Male lacrymæ impenduntur quæ non ad peccatum deplorandum. *Dom.* XV *post Pent.*, v. 13, lit. *d*.
Lætitia. — Vinum quod defuit in Cana est lætitiæ mundanæ symbolum. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 3, lit. *e*.
Lætitia vera ubi inveniatur. *Dom.* III *post Pasch.*, v. 22, n. 4.
Non reperitur in rebus mutabilibus hujus mundi. *Ibid.*, n. 9.
Lapsus. — Permisit Deus David cadere in peccatum et scandalum publicum, quia ex casu isto magnum intendebat elicere bonum. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 26, lit. *e*.
Laqueus. — Multi laquei, quacumque progredimur. *Dom.* IV *Adv.*, v. 4, lit. *a*.
Laqueos innumerabiles nobis tetendit diabolus ut ad peccatum nos exstimulet. *Dom.* III *post Pasch.*, v. 18, lit. *a*.
In omnes mundi laqueos facile despicit cujus oculus bona divina contemplatur. *Dom.* IV *post Pasch.*, v. 5, lit. *c*.
Linguæ laqueus periculosissimus est, ut vix illum evadere possimus. *Dom.* XXII *post Pent.*, v. 15, lit. *i*.
Latro bonus. — Ejus encomia. *Dom. Septuag.*, v. 11, n. 4.
Laudes. — Licet inveniamus aliquos qui laudes non quærunt, paucos reperies qui oblatas rejiciant. *Dom.* III *Adv.*, v. 20, lit. *b*.
Laudes ex ore, quibus factis et operibus mox contradicitur parvi sunt æstimandæ. *Dom.* IV *Quadr.*, v. 14, lit. *a*.
Lazarus. — Præ canibus contemptui habitus. *Fer.* V *post Dom.* II *Quadr.*, v. 21, n. 7.
Passiones suas magni æstimabat. *Ibid.*, v. 25, n. 10.
Probatus per inopiam et infirmitatem pomosam non doluit. *Ibid.*, v. 20, n. 10 et 11.
Etymologia nominis ejus. *Ibid.*, v. 20, n. 7.
Fuit magni apud Deum meriti. *Ibid.*, n. 6.
Lazarus Bethaniæ. — Figura est peccatoris. *Fer.* VI *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 1, n. 3, et v. 33, n. 6.
Quare sit appellatus amicus Christi. *Ibid.*, v. 11, n. 2.
Mors ejus fuit figura mortis Christi. *Ibid.*, v. 15, n. 6.
Post quatriduum fuit ressuscitatus, et quid per hoc significetur. *Ibid.*, v. 17, n. 3 et 4.
Ejus sepultura typus est peccatoris inveterati in malo. *Ibid.*, v. 39, n. 13.
Quatuor dies significant quatuor status peccatorum. *Ibid.*, n. 7.
Lectio. — Lectio Sacræ Scripturæ clavis est cœli. *Dom.* XII *post Pent.*, v. 26, n. 1.
Non mediocriter selet illustrare et colligere mentem. *Dom.* VI *post Epiph.*, v. 31, lit. *a*.
Lectio spiritualium librorum, nisi illam ad profectum nostrum ordinemus, perniciosa nobis potius quam utilis est. *Dom. Pass.*, v. 47, lit. *e*.
Lectio sacra est cibus et nutrimentum animæ. *Dom.* XII *post Pent.*, v. 26, lit. *a*.

Legati. — Ad Joannem missi quas qualitates habuerint. *Dom.* III *Adv.*, v. 19, n. 5.
Cur missi fuerint. *Ibid.*, n. 8.
Lenitas. — Lenitas et patientia, ea est radix totius philosophiæ. *Dom. in Albis*, v. 21, lit. *b*.
Lepra. — Lepra symbolum est peccati. *Dom.* XIII *post Pent.*, v. 12, n. 1, et a n. 15 ad 25.
Quid mali causet. *Ibid.*, n. 17 ad 25.
Vestis leprosi cur in ignem projecta fuerit. *Ibid.*, n. 25.
Lepra reddit hominem civiliter mortuum. *Ibid.*, n. 28.
Quotuplex sit et quot colores habeat. *Ibid.*, n. 12.
Efficit hominem intolerabilem. *Ibid.*, n. 16.
Hujus morbi defectus horribiles, maxime in peccatum quadrant. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 2, lit. *b*.
Lepra gravissimus morbus et universalis cancer, gravissimum denotat peccatorem. *Ibid.*, lit. *c*.
Christus sanaturus lepram, leprosum tangere non veretur. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 3, lit. *f*.
Lepra est mala societas, cujus efficacia maxima est ad pervertendum nos. *Dom.* XIII *post Pent.*, v. 12, lit. *c*.
Cum morbus sit lepra incurabilis et contagiosus, et facile serpat, in sensu morali scandalum repræsentat. *Ibid.*, lit. *d*.
Leprosi. — Leprosi peccatorem adumbrant, qui ex malitia sua Deum deserit, ad quem sine speciali gratia redire nequit. *Dom.* XIII *post Pent.*, v. 12, lit. *e*.
Cur se Sacerdotibus præsentare debuerint. *Ibid.*, v. 14, n. 7, 8, 9, 10, 11.
Decem leprosi Evangelici signant decem peccatorum genera. *Ibid.*, v. 12, n. 8.
Summe cavendi sunt qui inficiunt animas. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 2, lit. *a*.
Lex Evangelica. — Mosaicæ comparata suavis est. *Dom. Septuag.*, v. 12, n. 10, 11, 12 et 13.
Totius Scripturæ amabilior est. *Dom.* II *Quadr.*, v. 4, n. 6.
Ejus differentia a lege veteri. *Fer.* IV *post Dom.* III *Quadr.*, v. 19, n. 4, et *Dom.* V *post Pent.*, v. 20, n. 16, 17 et 18.
Lex Evangelica, lex amoris in timore fundati. *Dom.* I *Adv.*, v. 25, lit. *a*.
Onus est allevians et a jugo liberans. *Dom. infra Octav. Nativ.*, v. 33, lit. *a*.
Plenitudo legis est dilectio. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 5, lit. *b*.
Aquam veteris Legis Christus veniens in suavissimum vinum mutavit Evangelicum. *Ibid.*, v. 9, lit. *d*.
Lex data est ut gratia quæreretur; gratia data est ut lex impleretur. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 1, lit. *e*.
Sine legis observatione nemini in patriam cœlestem patebit ingressus. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 23, lit. *b*.
Hoc magis culpabiles sumus, si legem bonam colimus et mali cultores sumus. *Ibid.*, v. 27, lit. *b*.
Lex et præcepta Dei solo amore suavia redduntur. *Dom. Septuag.*, v. 7, lit. *d*.
Christus voluit ut discipuli sui sint legis observatores exactissimi. *Dom.* V *post Pent.*, v. 20, lit. *a*.
Lex Evangelica basi charitatis innititur. *Ibid.*, v. 20, lit. *c*.
Lex Evangelica lex est dilectionis concordiæ et pacis. *Dom.* XIII *post Pent.*, v. 11, lit. *a*.
Observari debet lex propter gravitatem majorem vel minorem rei præceptæ, sed multo magis propter auctoritatem præcipientis. *Dom.* XVII *post Pent.*, v. 36, lit. *a*.
Lex Mosaica. — Lex Mosaica continebat 613 præcepta. *Dom. Septuag.*, v. 12, n. 10.
In castigandis delictis severa fuit. *Dom.* V *post Pent.*, v. 20, n. 15.
Continebat triplicis generis præcepta, moralia, judicialia, cæremonialia. *Dom.* XVII *post Pent.*, v. 36, n. 2.
Qualiter denominata fuerit. *Dom.* XII *post Pent.*, v. 23, n. 4.
Jugum erat insupportabile. *Dom.* XVIII *post Pent.*, v. 8, n. 6.
Liberalitas. — Liberalitas Dei in hominem. *Dom. Septuag.*, v. 14, n. 10.
Quanta sit. *Ibid.*, v. 8 et 9.
Liberales nos esse convenit erga Deum in præstandis operibus supererogationis. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 12, lit. *b*.
Magna Dei liberalitas in eos qui desiderio ardent ejus amoris. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 11, lit. *d*.
Nullus quantumvis in minimo Deo serviens a maximis beneficiis ejus erit immunis. *Dom. Septuag.*, v. 3, lit. *f*.
Liberalitas in pauperes non minuit sed auget bona et divitias. *Dom.* IV *Quadr.*, v. 13, lit. *a*.
Liberalis Deus ubi videt quemque in sui sequela perseverare, parat opem et abundanter refert. *Dom.* VI *post Pent.*, v. 2, lit. *b*.
Libertas. — Bonus, etiamsi servial, liber est; malus autem, etiamsi regnet, servus est. *Dom. Palm.*, v. 2, lit. *e*.
Deus vehementer nostram salutem desiderat et promovet, sed libertatem nostram non tollit. *Dom.* II *post Pent.*, v. 16, lit. *f*.
Non minuit Deus nostram libertatem, vocatione sua, vel nos intrare compellens. *Ibid.*, v. 23, lit. *a*.
Libertate intemperanter abuti punitio Dei est. *Dom.* XX *post Pent.*, v. 46, lit. *g*.
Libido. — Vinculum est; nos ut mancipia in manibus dæmonis continet. *Fer.* V *post Dom.* II *Quadr.*, v. 38, n. 18.
Est ignis, quem Sacramentum Eucharistiæ extinguit. *Dom.* II *post Pent.*, v. 20, n. 8. Vide LUXURIA.
Libri. — Qualiter cum fructu legendi. *Dom.* XXIV *post Pent.*, v. 15, n. 10.
Ex libris spiritualibus lectis hauritur spiritus, devotio, fervor in via Dei et quævis alia virtus. *Dom.* XII *post Pent.*, v. 26, lit. *a*.
Lilia. — Lilia maximis encomiis sublimantur a Christo quia virginitatem præfigurant. *Dom.* XIV *post Pent.*, v. 28, lit. *a*.
Lingua. — Membrum parvum iniquitate scatet. *Fer.* V *post Dom.* II *Quadr.*, v. 24, n. 10.
Lingua epulonis, cur præ aliis membris cruciata fuerit. *Ibid.*, n. 18, 19, 20.
Lingua quam sit lubrica. *Dom.* XXII *post Pent.*, v. 15, n. 14.
Creata est a Deo ut ipsum laudet. *Dom.* XV *post Pent.*, v. 15, n. 14.
Est flagellum ignominiosum et injuriosum. *Dom.* V *post Pent.*, v. 22, n. 27.

Cur binis muniatur repagulis. *Dom.* XI *post Pent.*, v. 35, n. 13.
Lingua est principale dæmonis instrumentum. *Ibid.*, v. 34, n. 14.
Est instrumentum quo Deus et magis laudatur et magis offenditur. *Ibid.*, v. 33, n. 27.
Custodita, salutis est remedium. *Ibid.*, v. 35, n. 13.
Bona, evidens est signum bonitatis animæ. *Dom.* XV *post Pent.*, v. 15, n. 14.
Mala, est instrumentum quo dæmon ruinam nostram molitur. *Dom.* V *post Pent.*, v. 2, n. 12 et 13.
Non est profananda quam Deus nobis dedit ad eum glorificandum, et suscipiendam sacrosanctam communionem. *Dom.* III *Quadr.*, v. 14, lit. *k*.
Multorum malorum radix et aliorum est vitiorum adjutrix. *Ibid.*, lit. *i*.
Iniquorum lingua nulli parcit. *Ibid.*, v. 15, lit. *e*.
Non recte sed impie lingua datur Deo, et anima diabolo. *Fest. Pent.*, v. 23, lit. *c*.
Digito justitiæ comprimenda est. *Dom.* XI *post Pent.*, v. 33, lit. *i*.
Ingens est malum homini lingua, et multum obest illius saluti. *Ibid.*, v. 34, lit. *c*.
Linguam Deus non auscultat, nisi cordi consentiat. *Dom.* XVIII *post Pent.*, v. 1, lit. *d*.
Lingua ad prævaricandum lubrica est et facilis. *Dom.* XXII *post Pent.*, v. 18, lit. *g*.
Lites. — Lites, etiam inter homines bonos, quandoque oriuntur. *Fer.* III *post Dom. Pass.*, v. 12, n. 4.
Qualiter mentem hominis pervertant. *Fer.* III *post* IV *Quadr.*, v. 17, n. 8.
Litteratura. — Litterarii honores maximam vim habent ad promovendos humanos animos ad jactantiam. *Dom.* I *Quadr.*, v. 3, lit. *c*.
Litteræ. — Scripturæ Sacræ veluti litteræ sunt quædam a Deo ipso exaratæ et nobis missæ. *Dom.* XXI *post Pent.*, v. 23, lit. *d*.
Littus. — Littus maris, seu statio, significat immortalitatis gloriæ permanentiam. *Dom.* IV *post Pent.*, v. 4, lit. *d*.
Locutio. — Nemo bene loquitur nisi qui prius aliquoties bene tacere novit. *Dom.* II *Adv.*, v. 3, lit. *f*.
Antequam homo incipiat loqui examinare se debet qua de causa ad loquendum moveatur. *Ibid.*
Nullus scit fructuose loqui, qui ignorat prudenter tacere. *Dom.* XI *post Pent.*, v. 35, lit. *a*.
Tacendo quilibet bene loqui discit. *Dom.* XXII *post Pent.*, v. 15, lit. *c*.
Longanimitas. — Est patientia Dei, qua nos ad pœnitentiam expectat. *Fer.* VI *post Dom.* II *Quadr.*, v. 33, n. 31.
Multa cum longanimitate Deus expectat peccatores ad pœnitentiam. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 29, lit. *c*.
Lucrum. — Qui sine spe lucri ad labores advolant, multum promerentur apud Deum. *Dom. Septuag.*, v. 8, lit. *c*.
Luctus. — Lugeamus dum Ethnici gaudent, ut cum lugere cœperint, gaudeamus. *Dom.* III *post Pasch.*, v. 20, lit. *c*.
Lumen. — Fides religionis Christianæ est lumen animæ, ostium vitæ, fundamentum salutis æternæ. *Dom. infra Octav. Nativ.*, v. 34, lit. *d*.
Luna. — Cur in die judicii sanguinolenta futura. *Dom.* I *Adv.*, v. 25, n. 16.
Significat Ecclesiam. *Ibid.*, n. 17.
Et beatam Virginem. *Ibid.*, n. 18.
Lupi. — Lupi oves per gulam invadunt. *Dom.* III *Quadr.*, v. 14, n. 8.
Adhuc dum catuli sunt sanguine gaudent. *Dom.* XXII *post Pent.*, v. 16, n. 3.
Quando ipsi primo vident pastores, vocem his eripiunt. *Dom.* VII *post Pent.*, v. 15, n. 15.
Gregi occulte insidiantur. *Dom.* II *post Pasch.*, v. 12, n. 6.
Eum dissipant, pastore commoditati suæ vacante. *Ibid.*, n. 18.
Lupus infernalis divisiones inter oves Christi movet. *Ibid.*, v. 12, lit. *e*.
Lupus ovis guttur primum apprehendit, nec ei gemere permittit. *Ibid.*, lit. *c*, *d*.
Lutum. — Oculis impositum superbiæ medetur. *Fer.* IV *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 5, n. 18.
Sufficit ad acquirendum perfectam notitiam Dei. *Ibid.*, n. 16.
Cur a Christo oculis cæci nati impositum. *Ibid.*, n. 15 et 16.
Quam ob rationem Deus corpus hominis ex luto ædificaverit. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 9, lit. *a*.
Luxuria. — A vera nos fide seducit. *Dom.* II *post Pasch.*, v. 20, n. 6.
Vitium carnis excæcat intellectum, similesque nos bestiis reddit. *Dom.* IV *post Pasch.*, v. 5, lit. *b*.
Vitium carnis consumit omnia bona gratiæ et naturæ. *Dom.* II *post Pent.*, v. 20, lit. *a*.
Correctio peccati carnalis de cordis perfectione descendit. *Dom.* V *post Pent.*, v. 21, lit. *a*.
Vitium carnis sectatores suos ad æternam perditionem perducit. *Dom.* XV *post Pent.*, v. 12, lit. *c*.
Tam sapiens quam stultus aliquando in luxuriam ruunt. *Dom.* XVI *post Pent.*, v. 5, lit. *b*.

M

Maceratio. — Maceratio seu castigatio carnis multum valet ad appetitus carnales coercendos. *Dom. infra Octav. Nativ.*, v. 37, lit. *a*.
In maceratione carnis etiam strictissimi religiosi a peccatoribus superantur. *Dom.* II *post Pent.*, v. 19, lit. *d*.
Diabolus insinuat et suggerit ferventioribus rigores, austeritates et pœnitentias indiscretas. *Dom.* XXII *post Pent.*, v. 16, lit. *e*. Vide MORTIFICATIO.
Macula. — Macula animæ fodatrix in quo consistat. *Fer.* IV *post Dom.* III *Quadr.*, v. 11, n. 2.
Labes peccati quam turpis sit et quid ad eam delendam desideretur. *Ibid.*, v. 20, n. 1 et 2.
Manuum et oris macula quæ sit. *Ibid.*, v. 11, n. 8.
Magdalena. — Magdalena Christum in sepulchro quærens, nos docet eum inveniendi modum. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 18, n. 12.
Christo occurrit. *Fer.* VI *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 29, n. 1.
Christi pedibus advoluta, peccatum suum confitetur. *Ibid.*, v. 32, n. 1 et 2.
Didicit ab eo humilitatem. *Ibid.*, n. 4.
Corpus Christi, omni studio, post mortem inquirebat, ut ab omni injuria ulterius inferenda tueretur illud. *Fest. Pent.*, v. 23, lit. *g*.
Unico in momento ad sanctitatis pertigit fastigium, quia dilexit multum. *Dom.* XIII *post Pent.*, v. 14, lit. *b*.
Magi. — Ut sacramentum fidei suæ manifestent, quod cordibus credunt, muneribus protestantur. *Dom.* XVIII *post Pent.*, v. 2, lit. *a*.
Magister. — Magister malus similis est lupis rapacibus. *Dom.* VII *post Pent.*, v. 15, n. 14.
Quis dici possit magister. *Fer.* III *post Dom.* II *Quadr.*, v. 8, n. 3.
Magnitudo. — Tunc vera magnitudo splendet, quando de ejus exuberantia, multi participant. *Dom.* II *post Pent.*, v. 16, lit. *e*.
Mahometani. — Cur veram fidem non amplectantur. *Fer.* III *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 17, n. 5.
Malchus. — Malchus primus omnium Christum comprehendere præsumpsit et ei alapam dare. *Dom.* VII *post Pent.*, v. 15, lit. *c*.
Malignus. — Malignus et depravatus se erigit et opponit contra justum. *Dom.* IV *post Pasch.*, v. 8, lit. *i*.
Malitia. — Malitiam dæmonis in nostrum bonum ordinat Deus. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 28, lit. *b*.
Magis damnabilis est malitia, quam titulus bonitatis excusat. *Fest. Pent.*, v. 23, lit. *c*.
Malitia peccatorum qua justo nocere conantur, in eorum perniciem revertitur. *Dom.* IX *post Pent.*, v. 45, lit. *b*.
Valde falsa est malitia, quæ in alieno capite experimentum non sumit, ut sibi noxia valeat devitare. *Dom.* XVII *post Pent.*, v. 35, lit. *b*.
Malum. — Malum bono deservit. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 29, n. 9.
A nobis ipsis non a Deo provenit. *Fer.* II *post Dom.* III *Quadr.*, v. 23, n. 18.
De malo proximi non est lætandum. *Fer.* VII *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 15, n. 1.
Melius judicavit Deus de malis benefacere quam mala nulla esse permittere. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 28, lit. *b*.
Nullus nobis remanebit terror, in omnibus malis, si consideremus quam breviter transeant, et mirabiliter remunerentur. *Dom.* IV *post Pasch.*, v. 6, lit. *b*.
Bonitas divina ex malis quæ impii et mundani contra justos machinantur, præclara bona elicit. *Dom. infra Octav. Ascens.*, cap. XV, v. 2, lit. *a*.
Dei proprium est ex malis elicere bona, odiumque dæmonis in nostram convertere salutem. *Dom.* II *post Pent.*, v. 17, lit. *c*.
Transitus a malo ad bonum, subito et sine mora fieri debet. *Dom.* XV *post Pent.*, v. 15, lit. *a*.
Deus nullo modo sineret mali aliquid esse in operibus suis, nisi benefaceret etiam de malo. *Dom.* XVI *post Pent.*, v. 2, lit. *f*.
Quod ex bono eliciatur malum diaboli opus est; Christus autem ex malo bonum elicit. *Dom.* XVII *post Pent.*, v. 41, lit. *a*.
Mammona. — Nomen est dæmonis qui tentat ad divitias acquirendas. *Dom.* VIII *post Pent.*, v. 9, n. 2.
Mandata. — Quæ Deus nobis observanda proposuit ad nostram utilitatem diriguntur. *Dom. infra Octav. Nativ.*, v. 33, lit. *a*.
Mandata Dei non sunt gravia sed potius summe facilia. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 5, lit. *b*.
Ex observatione mandatorum dignoscitur quod quis Deum vere amet. *Fest. Pent.*, v. 23, lit. *e*.
Manna. — Cur symbolum sit Sacramenti. *Dom.* V *post Pent.*, v. 23, n. 11.
Mannæ, quæ Eucharistiam figurabat, sapor variabat, juxta beneplacitum et dispositiones manducantium. *Fest. Pasch.*, v. 3, lit. *a*.
Non Ægyptus sed animæ pœnitentis desertum, consolationum manna spiritualium merui repleri. *Dom.* III *post Pasch.*, v. 18, lit. *b*.
Mansuetudo. — Mansuetudo est pretiosissima gemma coronæ regiæ. *Dom.* XXI *post Pent.*, v. 30, n. 2.
Hominem Deo assimilat. *Fer.* VI *Cin.*, v. 45, n. 2.
Et tribus divinis Personis. *Ibid.*, n. 3.
Extingait iram, multiplicat amicos. *Fer.* II *post Dom. Pass.*, v. 37, n. 6.
Accessus ad Jesum maxime in Sacramento Eucharistiæ omnem naturæ ferocitatem expellit. *Dom. Palm.*, v. 2, lit. *i*.
Mare. — Mare procellosum designat vitam humanam. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 26, n. 13.
Mare mortalem ac caducam hanc vitam designat. *Dom.* IV *post Pent.*, v. 1, lit. *c*.
Maria Virgo. — Maria succurrit non rogata, quanto magis invocata. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 2, n. 4.
Beatior est concipiendo fidem Christi, quam ejus humanitatem. *Dom.* III *Quadr.*, v. 28, n. 3.
Admirabatur super his quæ dicebantur de Filio suo. *Dom. infra Octav. Nativ.*, v. 33, lit. *a*.
Purissimæ Virginis Mariæ gladius cor pertransivit. *Ibid.*, v. 35, lit. *a*, *b*, *c*, *d*.
Sollicita et zelosa in quærendo Filio, nobis sit in exemplar. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 45, lit. *c*.
Maria Filio suo vacabat, non ut puero, neque ut viro, sed ut Deo. *Ibid.*, v. 51, lit. *c*.
Magnum humilitatis præbet exemplum non aspernata interesse nuptiis carnalibus. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 1, lit. *b*.
Quibus affectibus et qua methodo defectui vini remedium impetravit. *Ibid.*, v. 3, lit. *j*.
Quid sit Mariæ Virgini et Filio ejus. *Ibid.*, v. 4, lit. *a*, *b*, *c*, etc.
Nos docuit præceptorum divinorum indiscriminatim observantiam. *Ibid.*, v. 5, lit. *b*.
Beata est quia mater est Dei; beatior quia Verbum Dei custodivit. *Dom.* III *Quadr.*, v. 28, lit. *a*.
Oportet ut simus fratres Christi ex parte Matris ut tandem simus fratres ex parte Patris. *Dom. infra Octav. Ascens.*, v. 26, lit. *b*.
Virgo Maria mysticum Dei templum silentii post se reliquit exemplum. *Dom.* IX *post Pent.*, v. 45, lit. *c*.
Sponsa fuit Spiritus Sancti. *Ibid.*
Ut virginitatis immaculatæ servaret thesaurum, solitudinem impense coluit. *Dom.* XIX *post Pent.*, v. 9, lit. *b*.
Visitata ab Angelo turbata est in sermone ejus. *Dom.* XXIII *post Pent.*, v. 18, lit. *b*.
Martha et Magdalena. — Quantam habuerint confidentiam in Christum. *Fer.* VI *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 3, n. 1, et v. 4, n. 2.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

A Christo amatæ sunt. *Ibid.*, v. 5, n. 1 et 2. Vide MAGDALENA.

S. Martinus. — Adhuc cathecumenus dat pauperi partem palii sui. *Dom.* XV *post Pent.*, v. 13, lit. *a*.

Martyres. — Cur tam voluntarie se tormentis exposuerint. *Dom. infra Octav. Ascens.*, v. 1, n. 3.

Permanent immobiles vitæ perennis gratia. *Dom. Quinq.*, v. 31, lit. *b*.

Non sua virtute sed Deo auxiliante tribulationum impugnantium superarunt certamina. *Dom.* IV *Quadr.*, v. 3, lit. *a*.

Martyrum in tormentis consolationes evidens veræ fidei nobis perhibent testimonium. *Dom.* III *post Pasch.*, v. 20, lit. *f*.

Matres. — Matres ex multis capitibus bene merentur de filiis. *Dom. infra Octav. Ascens.*, v. 2, n. 7 et 14.

Majori quam patres amore feruntur in filios. *Dom.* XV *post Pent.*, v. 12, n. 17.

Quam sollicitæ esse debeant in filiorum educatione. *Fer.* V *post Dom.* I *Quadr.*, v. 22, n. 23.

Matrimonium. — Quo fine contrahendum ut sit Deo gratum. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 2, n. 4.

Qua cum cautela sit sanctificandum. *Ibid.*, v. 1, n. 4.

In eo incundo magis æstimanda virtus quam divitiæ. *Fer.* V *post Dom.* III *Quadr.*, v. 39, n. 7.

Licet sacramentum sit, multi tamen ex eo abutuntur. *Dom.* II *post Pent.*, v. 20, n. 4.

Matrimonii voluptates, quamvis licitæ, obstant tamen ne sumatur Eucharistia, illa animi puritate quæ Angelos decet. *Ibid.*, lit. *b*.

Christus ostendit quod sibi nequaquam displicet status conjugalis. *Dom.* XIX *post Pent.*, v. 14, lit. *a*.

Medicus. — In carandis pauperibus lucrum quærentes reprehenduntur. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 7, n. 2.

De ipsis ipsorumque qualitatibus. *Fer.* II *post Dom.* III *Quadr.*, v. 23, n. 4, et *Fer.* VI *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 45, n. 1, et *Dom.* VIII *post Pent.*, v. 3, n. 8.

Medicus cœlestis omnes sanat infirmitates. *Ibid.*, v. 23, n. 2.

Medicus spiritualis tibi eligendus est qui qualitatibus necessariis præditus sit. *Dom.* XI *post Pent.*, v. 33, lit. *b*.

Medicinæ. — Qualiter usurpandæ. *Dom.* XX *post Pent.*, v. 47, n. 8.

Meditatio. — Meditatio Passionis, remedium vitiorum. *Dom. Quinq.*, v. 31, n. 4.

Subducit nos a vanitate. *Ibid.*, v. 43, n. 6.

Mel. — Mel faucibus sapidum, stomacho tamen nocivum, voluptates ad vivum repræsentat. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 10, lit. *c*.

Membra. — Membra quæ serviere peccato, gratiæ quoque servire debent. *Fer.* V *post Dom.* III *Quadr.*, v. 39, n. 10.

Mendacium. — Mendacium dicitur habere breves pedes. *Fer.* III *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 35, n. 2.

Magnam secum infert infamiam. *Dom. Pass.*, v. 52, n. 2.

Primo a dæmone inventum. *Ibid.*

Dæmon fuit primus inventor et pater mendacii. *Dom. Pass.*, v. 46, lit. *j*.

Mendacium pater est innumerabilium peccatorum. *Ibid.*

Multis, magnis et exquisitis indiget testibus, veritas paucis ut credatur. *Ibid.*, lit. *l*.

Nunquam mentiri licet. *Ibid.*, lit. *n*.

Mundano homini nil magis familiare quam mentiri. *Dom.* II *post Pent.*, v. 19, lit. *e*.

Mendacium comites et sodales habet maledictum, homicidium, furtum et adulterium. *Dom.* VII *post Pent.*, v. 15, lit. *a*.

Dei providentia fit, ut lucrum per mendacia comparatum, disperdatur. *Dom.* IX *post Pent.*, v. 45, lit. *f*.

Qui delectatur in mendaciis, hic in verbis suis omnem perdet auctoritatem. *Dom.* XVII *post Pent.*, v. 35, lit. *c*.

Mendacia non diu fallunt. *Dom.* XXII *post Pent.*, v. 19, lit. *a*.

Mendax. — Mendaces in consiliis suis spe sua cadunt, perdunt omnem fidem. *Dom.* XVII *post Pent.*, v. 35, lit. *c*.

Mendaces faciunt ut nec vera dicentibus credatur. *Ibid.*

Mendicus. — Omnes homines cæci mendicantes sunt. *Dom. Quinq.*, v. 35, lit. *d*.

Mensa. — Mensa Dei tam est abundans, quantum mensa mundi frugalis est. *Dom.* IV *Quadr.*, v. 11, n. 21.

Ejus reliquiæ dandæ pauperibus. *Ibid.*, v. 12, n. 11.

Ad mensam nemo consenescit. *Dom.* XX *post Pent.*, v. 46, lit. *d*.

Mercenarius. — Fugit non quidem corpore, sed animo, dum vitiis medicinam non adhibet. *Dom.* II *post Pasch.*, v. 12, lit. *a*.

Mercenarius est homo vanæ gloriæ deditus qui, applausu mundano, vendit bona opera. *Ibid.*, v. 13, lit. *a*.

Merces. — Merces solvenda operariis. *Dom. Septuag.*, v. 8, n. 1.

Quisquis in cœlestis Patrisfamilias vinea non laboraverit, mercedem sperare non poterit. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 24, lit. *a*.

Nulli merces datur nisi his qui operati sunt. *Dom.* I *Quadr.*, v. 1, lit. *a*.

Merita. — Non nostra merita sed sua bona Deus coronat in nobis. *Dom.* III *Adv.*, v. 20, lit. *f*.

Deus poterat gloriam dare gratis sed vult meritam esse et lucratam. *Dom. Septuag.*, v. 8, lit. *b*.

Merita nostra melius collocare et assecurare non possumus, quam si illa defunctorum animabus applicemus. *Dom.* I *post Pent.*, v. 38, lit. *d*.

Nullus actus virtuosus acceptus est Deo nisi amoris sui charactere consignatus fuerit. *Dom.* IV *post Pent.*, v. 5, lit. *b*.

Non est alienis meritis majorum confidendum, sed propriis si adsunt. *Dom.* V *post Pent.*, v. 20, lit. *d*.

Peccatum spoliat hominem omnibus meritis bonorum operum. *Dom.* XXI *post Pent.*, v. 24, lit. *a*.

Meritorum reviviscentiam, non vero peccatorum admittunt theologi. *Ibid.*, v. 34, lit. *c*.

Messias. — Messias missus est, non modo ut Hebræos, sed ut omnes populos illumineret. *Fer.* IV *post Dom. Pass.*, v. 52, n. 1.

Ab Hebræis per errorem expectatur. *Fer.* II *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 21, n. 8. Vide JESUM CHRISTUM.

Messis. — Tempus messis dies est judicii. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 30, lit. *f*.

Minæ. — Minæ præservativæ peccatorum. *Fer.* VI *post Dom.* I *Quadr.*, v. 14, n. 9.

Miracula. — Miracula divina non quærenda sine necessitate. *Dom.* I *Quadr.*, v. 7, n. 1.

Cur fieri debeant. *Ibid.*, v. 3, n. 8.

Cur a Christo patrata. *Fer.* III *post Dom.* III *Quadr.*, v. 20, n. 5.

Fuere quasi infinita. *Ibid.*

Non verbis sed miraculis et operibus fidem in se plantare voluit Christus Dominus. *Dom.* II *Adv.*, v. 4, lit. *a*.

Ad miracula ordinario recurrendum non est, ubi humana adesse potest industria. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 46, lit. *a*.

Evangelistæ specialissime describunt miracula quæ ad sublevandas aliorum miserias patrata sunt. *Dom.* I *post Pent.*, v. 36, lit. *f*, *g*.

Dominus miraculum non faciebat nisi ex necessitate qualam. *Dom.* VI *post Pent.*, v. 5, lit. *a*.

Miseratio. — Miseratio Domini magna, justitiam non excludit. *Dom. infra Octav. Nativ.*, v. 34, lit. *f*.

Inter omnia quæ Deo appropriantur, est aliis misereri. *Dom.* I *post Pent.*, v. 36, lit. *e*.

Sæpius ab hominibus contemnitur miseratio divina. *Dom.* XXII *post Pent.*, v. 15, lit. *h*. Vide MISERICORDIA.

Miseria. — Qui miseriam sui status considerat, protinus ad Christum curandus accurrere debet. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 2, lit. *i*.

Misericordia. — Misericordia Dei abutuntur qui in malitia sua persistunt. *Dom. Septuag.*, v. 15, n. 3.

Misericordia humana quotuplicifer exerceri possit. *Dom.* I *post Pent.*, v. 36, n. 5.

Vult Deus a nobis exerceri. *Ibid.*, n. 11.

Deo nos assimilat. *Ibid.*, n. 12.

Perfecta est quæ a nemo rogata, sponte ad succurrendum se exhibet efficacem. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 3, lit. *h*.

Alienas miserias facit suas et pro viribus auxilium præstat. *Ibid.*

Misericordia Dei a divino ejus beneplacito, non vero ab hominis dependet voluntate. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 3, lit. *e*.

Opera misericordiæ per reciprocam misericordiam compensabuntur. *Ibid.*, v. 6, lit. *a*.

Apparet divina misericordia in diuturna expectationis patientia. *Ibid.*, v. 1, lit. *d*.

Ostiaria est Paradisi. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 24, lit. *a*.

Misericordiæ opera et hæc cuivis facillima Paradisi fores aperiunt. *Dom.* XI *post Epiph.*, v. 33, lit. *a*.

Variis Deus utitur modis ut nos ad se trahat. *Dom.* IV *Adv.*, v. 1, lit. *a*.

Summa Dei misericordia in Nabuchodonosor conversione. *Ibid.*

Cavendum nobis est, ne misericordiæ Dei ita innitamur, ut obliviscamur justitiæ. *Ibid.*, v. 4, lit. *b*.

Misericordia Dei quæ semper est ad cesipiendum peccatorem parata, cooperantem in peccatoribus requirit pœnitentiam. *Dom. Quinq.*, v. 35, lit. *e*.

Misericordia Dei a divino ejus pendet beneplacito, non autem ab hominis voluntate. *Ibid.*, lit. *f*.

Hæc est misericordiæ dominicæ vis, quod nocentissimos quosque et gravissimos peccatores in bonum convertat. *Dom.* I *Quadr.*, v. 5, lit. *a*.

Nulla major est iniquitas quam ut divina misericordia nobis sit argumentum in lapsum et ruinam. *Ibid.*, v. 6, lit. *a*.

In misericordia Dens sive quoad se erga nos, sive quoad nos erga alios valde sibi complacet. *Dom. Palm.*, v. 1, lit. *d*.

In misericordia Dei ejus gloria, divinitas, omnipotentia, maxime relucent. *Ibid.*, v. 3, lit. *a*.

Misericordia in egenos Deo maxime probatur ex virtute ipsius pulchritudine, sed etiam ex celeritate. *Ibid.*, lit. *e*, *f*.

Septem misericordias Domini in nobis invenire possumus. *Dom.* II *post Pasch.*, v. 11, lit. *a*.

Erga subditos inesse rectoribus debet, et juste consulens misericordia et pie sequens disciplina. *Dom.* III *post Pasch.*, v. 16, lit. *h*.

Deus nullum proferi judicium, nisi primo suum habuerit locum misericordiæ. *Fest. Pent.*, v. 23, lit. *j*.

Divina Sapientia nos remittit ad Patrem æternum ad discendam misericordiam. *Dom.* I *post Pent.*, v. 36, lit. *a*.

Deus ubi curam misericordiæ invenit, ibi imaginem suæ pietatis agnoscit. *Ibid.*, lit. *c*.

In operibus misericordiæ, præ cunctis aliis, divinitas et magnificentia Domini elucet. *Ibid.*, lit. *d*.

Nulla omnino re perinde ut misericordia, Deus conciliatur. *Ibid.*, lit. *e*.

Christus prius quam ex hoc mundo recederet, nullam majorem habuit curam quam ut Apostolorum animis, misericordiæ opera inculcaret. *Ibid.*, lit. *g*.

Misericordia Dei est gloria ejus. *Dom.* II *post Pent.*, v. 16, lit. *a*.

Magnum est beneficium quod peccatori præstat Deus, dum æterniam condemnationem suspendit et pœnitentiam expectat. *Dom.* VIII *post Pent.*, v. 2, lit. *g*.

Misericordia et judicium sunt pedes Christi: utrumque, cum Magdalene, osculandum est. *Dom.* IX *post Pent.*, v. 44, lit. *j*.

Misericordia et justitia inseparabiliter unitæ sunt et sociatæ. *Dom.* X *post Pent.*, v. 9, lit. *a*.

Quando de exercendis misericordiæ operibus agitur, etiam inimici nobis sunt proximi. *Dom.* XII *post Pent.*, v. 33, lit. *b*.

Vera misericordia in opere declaratur, non solum ostendit affectum, nec verba profert. *Ibid.*, v. 34, lit. *b*.

In omni vocatione fieri potest charitatis exercitium, quo mediante lucremur cœlestem gloriam. *Ibid.*, lit. *c*.

Natura ipsa ad misericordiam et compassionem nos instigat. *Ibid.*, v. 37, lit. *a*.

Nullus alteri misericors potest esse, qui prave vivendo in se misericors non est. *Dom.* XIV *post Pent.*, v. 24, lit. *e*.

Misericordia Dei variis utitur modis ut peccatores quantumvis pessimos convertat. *Dom.* XVI *post Pent.*, v. 1, lit. *c*.

Misericordia Dei superior est justitiæ ejus, et maxime proclivis ut in beneficium nostrum pietatem suam exhibeat. *Dom.* XIX *post Pent.*, v. 2, lit. *d*.

Misericordia Dei purificat animam a vitiis, locupletat charismatum divitiis, accumulat cœlestium gaudiorum deliciis. *Dom.* XXI *post Pent.*, v. 27, lit. *a*.

Nostras divina misericordia iniquitates submergit in mare. *Ibid.*, lit. *b*.

Missa. — Sacrificium Missæ institutum est ad referendas pro continuis acceptis beneficiis gratias. *Dom.* VIII *post Pent.*, v. 5, lit. *a*.

In Missa audienda summa requiritur mentis applicatio, devotio interior et exterior, silentium et mentis recollectio. *Dom.* X *post Pent.*, v. 10, lit. *a*.
Sacrum Missæ officium fidei nostræ est columna et fundamentum quoddam. *Dom.* XII *post Pent.*, v. 23, lit. *e*.
In sacrificio Missæ considerari possunt persona quæ offert, cui offertur, res oblata, finisque oblationis. *Dom.* XIX *post Pent.*, v. 2, lit. *e*. Vide Sacramentum.
Modestia. — Modestia nos obligat, ut proprios, non alienos attendamus defectus. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 8, n. 5.
Gratiæ cum modestia a Deo postulandæ sunt. *Fer.* VI *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 22, n. 4.
Dominus Jesus audiens et interrogans Doctores nobis modestiam docet. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 46, lit. *b*.
Vir modestus et inanis gloriæ inimicus omnibus est amicus, omniumque animas ad se conciliat. *Dom.* XVI *post Pent.*, v. 10, lit. *b*.
Mœror. — Transacto mœrore, quæ veniunt majoris lætitiæ sunt. *Dom.* III *post Pasch.*, v. 16, lit. *f*.
Mœstitia. — Nihil est in hac vita, unde merito perfecte gaudere possimus, sed potius mœstitia satiemur. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 3, lit. *d*, *e*.
Monachi. — Eorum perfectissima obedientia tempore S. Hieronymi. *Dom.* IV *Adv.*, v. 2, lit. *b*.
Monumentum. — Ejus etymologia. *Fer.* V *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 38, n. 4.
Mores. — Omnino nihil prodest nomen sanctum habere sine moribus. *Dom.* VII *post Pent.*, v. 21, lit. *c*.
Nostrorum qualitas morum ex qualitate dignoscetur sociorum quibuscum conversari gaudeamus. *Dom.* XVI *post Pent.*, v. 2, lit. *e*.
Mors. — Mors justorum somnus est. *Fer.* VI *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 11, n. 5.
Mors pauperum anteponitur morti divitum. *Fer.* V *post Dom.* II *Quadr.*, v. 22, n. 2.
Mors est debitum naturæ solvendum ab omnibus. *Fer.* II *post Dom.* II *Quadr.*, v. 23, n. 2.
Mors peccatorum pessima in quo consistat. *Ibid.*, v. 21, n. 14, 15, 16, 17, 18.
Divitis epulonis mors triplex, et qualiter. *Fer.* V *post Dom.* II *Quadr.*, v. 22, n. 11.
Mors animæ peccatum. *Fer.* VI *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 45, n. 2.
Mors animæ diversa est a morte corporis. *Ibid.*, v. 26, n. 1.
Mors Christi expediens est ob multas causas. *Fer.* VI *post Dom. Pass.*, v. 50, n. 1.
Utilis est gregi Christi. *Ibid.*, n. 2.
Quot modis Christo intentata. *Fer.* II *post Dom.* III *Quadr.*, v. 30, n. 9.
Mors Christi fuit voluntaria. *Ibid.*, n. 4.
Mors porta est ad vitam æternam. *Dom.* XX *post Pent.*, v. 47, n. 18.
Mors terribilis ante adventum Christi. *Ibid.*
Mors est portus salutis. *Dom.* XXIII *post Pent.*, v. 24, n. 5.
Ejus memoria restaurat animam. *Dom.* XVI *post Pent.*, v. 10, n. 5.
Est frenum contra peccata. *Dom.* XV *post Pent.*, v. 15, n. 23.
Ob eam lætandum est. *Ibid.*, v. 13, n. 13.
Dum vicina est, difficulter opera bona facere possumus. *Dom.* XVII *post Pent.*, v. 35, n. 7.
Appropinquante morte, justi ipsi timent. *Dom.* I *Adv.*, v. 26, lit. *e*.
Mors præcursor est Domini ad judicium particulare venientis. *Dom.* III *Adv.*, v. 23, lit. *f*.
Necessitas præparationis indilatæ ad mortem. *Ibid.*
Quare hora nona Christus spiritum emisit. *Dom.* IV *Adv.*, v. 1, lit. *a*.
Quomodo moritur caro amissa anima, sic moritur anima amisso Deo. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 43, lit. *c*.
Reprimit et compescit omnes superbos. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 9, lit. *a*.
Mors ad æternam beatamque vitam patefacit introitum omnibus electis Christi. *Dom.* II *Quadr.*, v. 2, lit. *b*.
Mors etiam piorum pœna peccati est, sed ideo bona ipsis dicitur quia illa bene utuntur. *Fest. Pasch.*, v. 5, lit. *a*.
Non multum refert, quando finiant vitam temporalem qui transeunt in æternam. *Dom.* III *post Pasch.*, v. 16, lit. *b*.
Memoria mortis contra omne peccatum universale quoddam remedium est. *Dom.* IV *post Pasch.*, v. 5, lit. *c*.
Si cum morte nos familiariter conversati fuerimus, nequaquam ab illa offendi timebimus. *Ibid.*, lit. *e*.
Isto malo nullum pejus quam mortem incurrere, maxime si sequatur æterna. *Ibid.*, v. 6, lit. *a*.
In ultimo vitæ articulo animæ Purgatorii efficaciter intercedunt pro nobis si eas adjuti sumus. *Dom.* I *post Pent.*, v. 28, lit. *g*.
Vera mors quæ ita nominari meretur est animæ a Deo, qui vera vita est, separatio. *Dom.* IX *post Pent.*, v. 43, lit. *a*.
Mors die et hora qua minime expectatur supervenit. *Ibid.*, lit. *b*.
Mors ante omnium oculos versari debet, propter varia quæ inde nascuntur bona. *Dom.* XV *post Pent.*, v. 12, lit. *a*.
Omnis ætas trepida esse debet et de morte, et de genere mortis, et de hora mortis sollicita. *Ibid.*, lit. *f*.
Peccatum mortem accelerat. *Dom.* XXI *post Pent.*, v. 24, lit. *a*.
Rigorosum examen a Deo factum, mortem supra modum reddit horrendam et terribilem. *Dom.* XXII *post Pent.*, v. 20, lit. *e*.
Grandium fastum atque superbiam consideratio mortis deficit. *Dom.* XXIII *post Pent.*, v. 18, lit. *c*.
In articulo mortis pœnitentia raro vera est. *Ibid.*, lit. *f*.
Vita in peccatorum deliciis agens, est mors et umbra mortis. *Ibid.*, v. 24, lit. *b*.
Mortificatio. — Mortificatio efficax medium ad virtutem et perfectionem comparandam; nec non ad dignoscendam soliditatem veræ sanctitatis. *Dom.* III *Adv.*, v. 21, lit. *b*.
Exteriori, scilicet corporali austeritati spiritualis mortificatio adjungenda est. *Dom.* V *post Pent.*, v. 20, lit. *g*.
Per mortificationem corpora nostra fiunt gratissimum Deo munus. *Ibid.*, v. 23, lit. *d*.
Mortificatio oculum spiritualem purgat et purum ac serenum efficit. *Dom.* X *post Pent.*, v. 13, lit. *i*.

Mortificatio est optima ad acquirendam gloriam dispositio. *Ibid.*, lit. *j*.
Mortui. — Cur in sublimi portentur ad sepulturam. *Dom.* XV *post Pent.*, v. 12, n. 11.
Moyses. — Moysis mansuetudo familiaritatem Dei meruit. *Dom.* XIII *post Pent.*, v. 11, lit. *c*.
Mulieres. — Mulierum fugienda conversatio. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 44, n. 2.
Mulieres non sint vagabundæ. *Fer.* VI *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 4, n. 7.
Animosiores sunt viris. *Dom.* III *Quadr.*, v. 27, n. 10.
Non sint loquaces. *Fer.* VI *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 28, n. 6.
Mulieres fornicariæ opprobrium merentur. *Fer.* VI *post Dom.* III *Quadr.*, v. 7, n. 3.
Mulieres impudicæ loca sacra non frequentent. *Ibid.*, v. 29, n. 4.
Mulier data in adjutorium, sæpe multorum malorum causa est. *Dom.* I *post Pent.*, v. 20, n. 4 et 5.
Laqueus est venatorum. *Ibid.*, n. 4.
Se expoliendo, vultum deformat quod est imago Dei. *Dom.* XXII *post Pent.*, v. 20, n. 12.
Mulier gravida signat eum qui peccatis onustus est. *Dom.* XXIV *post Pent.*, v. 19, n. 2.
Vitandum quantum possibile est consortium mulierum propter periculum. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 44, lit. *a*.
Periculosum est cum muliere agere. *Fest. Pasch.*, v. 5, lit. *d*.
Mortifera confabulatio atque conversatio cum mulieribus. *Dom. in Albis*, v. 27, lit. *b*.
Mulier quæ prima cucurrit ad sepulchrum Christi. *Fest. Pasch.*, v. 1, lit. *b*.
Ardentius amant mulieres quam viri. *Dom.* XXIII *post Pent.*, v. 22, lit. *c*.
Mundani. — Sic affectu temporalitatis implentur ut inde magis obturentur, ne videant quando illis majora dantur æternitatis lumina. *Dom. Sexag.*, v. 11, lit. *a*.
Mundani laborant et sudant, ut sint ad infernum. *Dom.* XXIII *post Pent.*, v. 20, lit. *d*.
Mundatio. — Utrumque mundari oportet, corpus et animam, sed mundatio hæc debet incipere ab interiori. *Fest. Pent.*, v. 23, lit. *d*.
Munditia. — Munditia animæ in quo consistat. *Fer.* IV *post Dom.* III *Quadr.*, v. 11, n. 7.
Mundus. — Mundus hunc bonis exuit ut alium ditet. *Dom. Sexag.*, v. 15, n. 4.
Nequit subministrare lætitiam. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 3, n. 4.
Plenus est laqueis et retibus. *Fer.* III *post Dom. Pass.*, v. 12, n. 2.
Ejus dominium servitus est miserabilis. *Dom.* I *Quadr.*, v. 10, n. 11.
Meretur mundus reprehendi multis ex causis. *Dom.* III *post Pasch.*, v. 10, n. 4, 5, 6 et 7.
Signat sensuales. *Dom.* III *post Pasch.*, v. 20, n. 5.
Tribus modis accipitur mundus. *Dom. infra Octav. Nativ.*, v. 34, lit. *g*.
Quo sensu mundum diligere vel odio habere oporteat. *Ibid.*
Mundi malignitas. *Ibid.*
Sic se habent mundus et voluptas, ut rosæ sint initio, sed postea spinæ. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 10, lit. *c*.
Mundus ipse non est malus, sed mala in mundo fiunt ab hominibus. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 2, lit. *c*.
Mare non incongrue mundum hunc nobis repræsentat. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 24, lit. *e*.
Esca mundi similis est illi quæ piscibus, ut capiantur in aquas projici solet. *Ibid.*, lit. *e*.
Mundum inter et mare varii paralleli. *Ibid.*, v. 24, lit. *l*.
Deus nos repellit ab uberibus mundi per appositionem amaritudinis. *Dom.* III *post Pasch.*, v. 20, lit. *b*.
Ubi mundus cogitur timere judicium, universa mundana decora funditus perdunturque, cadit superbia et fastus. *Dom.* IV *post Pasch.*, v. 8, lit. *f*.
Amicitia mundi inimicitia est in Deum. *Ibid.*, lit. *g*.
Relinquendus profecto mundus, si quis in æterna beatitudine ad Patrem ire cogitet. *Dom.* V *post Pasch.*, v. 28, lit. *a*.
Signis exterioribus pacem præbet, sed non veram pacem dat. *Fest. Pent.*, v. 27, lit. *c*.
Fidem mundus pollicetur; nulli tamen eam, ne quidem amatoribus suis servat. *Ibid.*
Vix temporalem dat pacem, et hanc ipsam æternis recompensandam tumultibus. *Ibid.*, lit. *e*.
In mare quod est mundus, plerique hominum, magno suo periculo, vix digito a gehenna distantes, piscantur. *Dom.* IV *post Pent.*, v. 5, lit. *a*.
Nullum in mundo est bonum quod non aliqua sit amaritudine respersum. *Dom.* IX *post Pent.*, v. 41, lit. *i*.
Non potest totus mundus æqua lance expensus uni comparari animæ. *Ibid.*, v. 42, lit. *c*.
Omnis mundi consolatio est ficta, apparens, instabilis, mœrore perfusa et remorsu. *Dom.* XV *post Pent.*, v. 14, lit. *a*.
Quemadmodum tyrannus, mundus homines tractat. *Ibid.*, lit. *d*.
Nequeunt simul stare amor Dei et mundi. *Dom.* XXIII *post Pent.*, v. 23, lit. *b*.
Fructus mundi ruina est. Ex ruina mundi prope cognoscitur regnum Dei. *Dom.* XXIV *post Pent.*, v. 32, lit. *a*.
Murmuratores. — Ne quidem Filio Dei pepercere. *Dom. Pass.*, v. 12, n. 2.
Non solum murmurator seipsum destruit, sed etiam cunctos audientes inficit et perimit. *Dom.* III *post Pent.*, v. 2, lit. *a*.
Mutus. — Mutus denotat peccatorem, qui de Deo nunquam loquitur. *Dom.* IX *post Pent.*, v. 32, n. 10, 11, 12 et 13.
Peccator fit mutus ex mala consuetudine. *Ibid.*, n. 16.
Mutus est peccator qui non confitetur ob dæmonem guttur apprehendentem. *Dom.* II *post Pasch.*, v. 12, lit. *e*, *d*.
Mysteria fidei. — Integre et indubitanter credenda sunt et non nisi sobrie perscrutanda et discutienda. *Dom.* II *Adv.*, v. 2, lit. *l*.
Non sufficit audire, sed oportet in corde conferre mysteria audita. *Dom. infra Octav. Nativ.*, v. 33, lit. *d*.

N

Nabuchodonosor. — Admirabilis bonitas atque clementia Dei, in hocce monstro convertendo. *Dom.* IV *Adv.*, v. 1, lit. *a*.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

In Missa audienda summa requiritur mentis applicatio, devotio interior et exterior, silentium et mentis recollectio. *Dom.* X *post Pent.*, v. 10, lit. *a*.
Sacrum Missæ officium fidei nostræ est columna et fundamentum quoddam. *Dom.* XII *post Pent.*, v. 23, lit. *e*.
In sacrificio Missæ considerari possunt persona quæ offert, cui offertur, res oblata, finisque oblationis. *Dom.* XIX *post Pent.*, v. 2, lit. *e*. Vide Sacramentum.
Modestia. — Modestia nos obligat, ut proprios, non alienos attendamus defectus. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 8, n. 5.
Gratiæ cum modestia a Deo postulandæ sunt. *Fer.* VI *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 22, n. 4.
Dominus Jesus audiens et interrogans Doctores nobis modestiam docet. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 46, lit. *b*.
Vir modestus et inanis gloriæ inimicus omnibus est amicus, omniumque animas ad se conciliat. *Dom.* XVI *post Pent.*, v. 10, lit. *b*.
Mœror. — Transacto mœrore, quæ veniunt majoris lætitiæ sunt. *Dom.* III *post Pasch.*, v. 16, lit. *f*.
Mœstitia. — Nihil est in hac vita, unde merito perfecte gaudere possimus, sed potius mœstitia satiemur. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 3, lit. *d*, *e*.
Monachi. — Eorum perfectissima obedientia tempore S. Hieronymi. *Dom.* IV *Adv.*, v. 2, lit. *b*.
Monumentum. — Ejus etymologia. *Fer.* V *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 38, n. 4.
Mores. — Omnino nihil prodest nomen sanctum habere sine moribus. *Dom.* VII *post Pent.*, v. 21, lit. *c*.
Nostrorum qualitas morum ex qualitate dignoscetur sociorum quibuscum conversari gaudeamus. *Dom.* XVI *post Pent.*, v. 2, lit. *e*.
Mors. — Mors justorum somnus est. *Fer.* VI *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 11, n. 5.
Mors pauperum anteponitur morti divitum. *Fer.* V *post Dom.* II *Quadr.*, v. 22, n. 2.
Mors est debitum naturæ solvendum ab omnibus. *Fer.* II *post Dom.* II *Quadr.*, v. 23, n. 2.
Mors peccatorum pessima in quo consistat. *Ibid.*, v. 21, n. 14, 15, 16, 17, 18.
Divitis epulonis mors triplex, et qualiter. *Fer.* V *post Dom.* II *Quadr.*, v. 22, n. 11.
Mors animæ peccatum. *Fer.* VI *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 45, n. 2.
Mors animæ diversa est a morte corporis. *Ibid.*, v. 26, n. 1.
Mors Christi expediens est ob multas causas. *Fer.* VI *post Dom. Pass.*, v. 50, n. 1.
Utilis est gregi Christi. *Ibid.*, n. 2.
Quot modis Christo intentata. *Fer.* II *post Dom.* III *Quadr.*, v. 30, n. 9.
Mors Christi fuit voluntaria. *Ibid.*, n. 4.
Mors porta est ad vitam æternam. *Dom.* XX *post Pent.*, v. 47, n. 18.
Mors terribilis ante adventum Christi. *Ibid.*
Mors est portus salutis. *Dom.* XXIII *post Pent.*, v. 24, n. 5.
Ejus memoria restaurat animam. *Dom.* XVI *post Pent.*, v. 10, n. 5.
Est frenum contra peccata. *Dom.* XV *post Pent.*, v. 15, n. 23.
Ob eam lætandum est. *Ibid.*, v. 13, n. 13.
Dum vicina est, difficulter opera bona facere possumus. *Dom.* XVII *post Pent.*, v. 35, n. 7.
Appropinquante morte, justi ipsi timent. *Dom.* I *Adv.*, v. 26, lit. *e*.
Mors præcursor est Domini ad judicium particulare venientis. *Dom.* III *Adv.*, v. 23, lit. *f*.
Necessitas præparationis indilatæ ad mortem. *Ibid.*
Quare hora nona Christus spiritum emisit. *Dom.* IV *Adv.*, v. 1, lit. *a*.
Quomodo moritur caro amissa anima, sic moritur anima amisso Deo. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 43, lit. *c*.
Reprimit et compescit omnes superbos. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 9, lit. *a*.
Mors ad æternam beatamque vitam patefacit introitum omnibus electis Christi. *Dom.* II *Quadr.*, v. 2, lit. *b*.
Mors etiam piorum pœna peccati est, sed ideo bona ipsis dicitur quia illa bene utuntur. *Fest. Pasch.*, v. 5, lit. *a*.
Non multum refert, quando finiant vitam temporalem qui transeunt in æternam. *Dom.* III *post Pasch.*, v. 16, lit. *b*.
Memoria mortis contra omne peccatum universale quoddam remedium est. *Dom.* IV *post Pasch.*, v. 5, lit. *c*.
Si cum morte nos familiariter conversati fuerimus, nequaquam ab illa offendi timebimus. *Ibid.*, lit. *e*.
Isto malo nullum pejus quam mortem incurrere, maxime si sequatur æterna. *Ibid.*, v. 6, lit. *a*.
In ultimo vitæ articulo animæ Purgatorii efficaciter intercedunt pro nobis si eas adjuti sumus. *Dom.* I *post Pent.*, v. 28, lit. *g*.
Vera mors quæ ita nominari meretur est animæ a Deo, qui vera vita est, separatio. *Dom.* IX *post Pent.*, v. 43, lit. *a*.
Mors die et hora qua minime expectatur supervenit. *Ibid.*, lit. *b*.
Mors ante omnium oculos versari debet, propter varia quæ inde nascuntur bona. *Dom.* XV *post Pent.*, v. 12, lit. *a*.
Omnis ætas trepida esse debet et de morte, et de genere mortis, et de hora mortis sollicita. *Ibid.*, lit. *f*.
Peccatum mortem accelerat. *Dom.* XXI *post Pent.*, v. 24, lit. *a*.
Rigorosum examen a Deo factum, mortem supra modum reddit horrendam et terribilem. *Dom.* XXII *post Pent.*, v. 20, lit. *e*.
Grandium fastum atque superbiam consideratio mortis deficit. *Dom.* XXIII *post Pent.*, v. 18, lit. *c*.
In articulo mortis pœnitentia raro vera est. *Ibid.*, lit. *f*.
Vita in peccatorum deliciis agens, est mors et umbra mortis. *Ibid.*, v. 24, lit. *b*.
Mortificatio. — Mortificatio efficax medium ad virtutem et perfectionem comparandam; nec non ad dignoscendam soliditatem veræ sanctitatis. *Dom.* III *Adv.*, v. 21, lit. *b*.
Exteriori, scilicet corporali austeritati spiritualis mortificatio adjungenda est. *Dom.* V *post Pent.*, v. 20, lit. *g*.
Per mortificationem corpora nostra fiunt gratissimum Deo munus. *Ibid.*, v. 23, lit. *d*.
Mortificatio oculum spiritualem purgat et purum ac serenum efficit. *Dom.* X *post Pent.*, v. 13, lit. *i*.

Mortificatio est optima ad acquirendam gloriam dispositio. *Ibid.*, lit. *j*.
Mortui. — Cur in sublimi portentur ad sepulturam. *Dom.* XV *post Pent.*, v. 12, n. 11.
Moyses. — Moysis mansuetudo familiaritatem Dei meruit. *Dom.* XIII *post Pent.*, v. 11, lit. *c*.
Mulieres. — Mulierum fugienda conversatio. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 44, n. 2.
Mulieres non sint vagabundæ. *Fer.* VI *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 4, n. 7.
Animosiores sunt viris. *Dom.* III *Quadr.*, v. 27, n. 10.
Non sint loquaces. *Fer.* VI *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 28, n. 6.
Mulieres fornicariæ opprobrium merentur. *Fer.* VI *post Dom.* III *Quadr.*, v. 7, n. 3.
Mulieres impudicæ loca sacra non frequentent. *Ibid.*, v. 29, n. 4.
Mulier data in adjutorium, sæpe multorum malorum causa est. *Dom.* I *post Pent.*, v. 20, n. 4 et 5.
Laqueus est venatorum. *Ibid.*, n. 4.
Se expoliendo, vultum deformat quod est imago Dei. *Dom.* XXII *post Pent.*, v. 20, n. 12.
Mulier gravida signat eum qui peccatis onustus est. *Dom.* XXIV *post Pent.*, v. 19, n. 2.
Vitandum quantum possibile est consortium mulierum propter periculum. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 44, lit. *a*.
Periculosum est cum muliere agere. *Fest. Pasch.*, v. 5, lit. *d*.
Mortifera confabulatio atque conversatio cum mulieribus. *Dom. in Albis*, v. 27, lit. *b*.
Mulier quæ prima cucurrit ad sepulchrum Christi. *Fest. Pasch.*, v. 1, lit. *b*.
Ardentius amant mulieres quam viri. *Dom.* XXIII *post Pent.*, v. 22, lit. *c*.
Mundani. — Sic affectu temporalitatis implentur ut inde magis obturentur, ne videant quando illis majora dantur æternitatis lumina. *Dom. Sexag.*, v. 11, lit. *a*.
Mundani laborant et sudant, ut sint ad infernum. *Dom.* XXIII *post Pent.*, v. 20, lit. *d*.
Mundatio. — Utrumque mundari oportet, corpus et animam, sed mundatio hæc debet incipere ab interiori. *Fest. Pent.*, v. 23, lit. *d*.
Munditia. — Munditia animæ in quo consistat. *Fer.* IV *post Dom.* III *Quadr.*, v. 11, n. 7.
Mundus. — Mundus hunc bonis exuit ut alium ditet. *Dom. Sexag.*, v. 15, n. 4.
Nequit subministrare lætitiam. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 3, n. 4.
Plenus est laqueis et retibus. *Fer.* III *post Dom. Pass.*, v. 12, n. 2.
Ejus dominium servitus est miserabilis. *Dom.* I *Quadr.*, v. 10, n. 11.
Meretur mundus reprehendi multis ex causis. *Dom.* III *post Pasch.*, v. 10, n. 4, 5, 6 et 7.
Signat sensuales. *Dom.* III *post Pasch.*, v. 20, n. 5.
Tribus modis accipitur mundus. *Dom. infra Octav. Nativ.*, v. 34, lit. *g*.
Quo sensu mundum diligere vel odio habere oporteat. *Ibid.*
Mundi malignitas. *Ibid.*
Sic se habent mundus et voluptas, ut rosæ sint initio, sed postea spinæ. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 10, lit. *c*.
Mundus ipse non est malus, sed mala in mundo fiunt ab hominibus. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 2, lit. *c*.
Mare non incongrue mundum hunc nobis repræsentat. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 24, lit. *e*.
Esca mundi similis est illi quæ piscibus, ut capiantur in aquas projici solet. *Ibid.*, lit. *e*.
Mundum inter et mare varii paralleli. *Ibid.*, v. 24, lit. *l*.
Deus nos repellit ab uberibus mundi per appositionem amaritudinis. *Dom.* III *post Pasch.*, v. 20, lit. *b*.
Ubi mundus cogitur timere judicium, universa mundana decora funditus perdunturque, cadit superbia et fastus. *Dom.* IV *post Pasch.*, v. 8, lit. *f*.
Amicitia mundi inimicitia est in Deum. *Ibid.*, lit. *g*.
Relinquendus profecto mundus, si quis in æterna beatitudine ad Patrem ire cogitet. *Dom.* V *post Pasch.*, v. 28, lit. *a*.
Signis exterioribus pacem præbet, sed non veram pacem dat. *Fest. Pent.*, v. 27, lit. *c*.
Fidem mundus pollicetur; nulli tamen eam, ne quidem amatoribus suis servat. *Ibid.*
Vix temporalem dat pacem, et hanc ipsam æternis recompensandam tumultibus. *Ibid.*, lit. *e*.
In mare quod est mundus, plerique hominum, magno suo periculo, vix digito a gehenna distantes, piscantur. *Dom.* IV *post Pent.*, v. 5, lit. *a*.
Nullum in mundo est bonum quod non aliqua sit amaritudine respersum. *Dom.* IX *post Pent.*, v. 41, lit. *i*.
Non potest totus mundus æqua lance expensus uni comparari animæ. *Ibid.*, v. 42, lit. *c*.
Omnis mundi consolatio est ficta, apparens, instabilis, mœrore perfusa et remorsu. *Dom.* XV *post Pent.*, v. 14, lit. *a*.
Quemadmodum tyrannus, mundus homines tractat. *Ibid.*, lit. *d*.
Nequeunt simul stare amor Dei et mundi. *Dom.* XXIII *post Pent.*, v. 23, lit. *b*.
Fructus mundi ruina est. Ex ruina mundi prope cognoscitur regnum Dei. *Dom.* XXIV *post Pent.*, v. 32, lit. *a*.
Murmuratores. — Ne quidem Filio Dei pepercere. *Dom. Pass.*, v. 12, n. 2.
Non solum murmurator seipsum destruit, sed etiam cunctos audientes inficit et perimit. *Dom.* III *post Pent.*, v. 2, lit. *a*.
Mutus. — Mutus denotat peccatorem, qui de Deo nunquam loquitur. *Dom.* IX *post Pent.*, v. 32, n. 10, 11, 12 et 13.
Peccator fit mutus ex mala consuetudine. *Ibid.*, n. 16.
Mutus est peccator qui non confitetur ob dæmonem guttur apprehendentem. *Dom.* II *post Pasch.*, v. 12, lit. *e*, *d*.
Mysteria fidei. — Integre et indubitanter credenda sunt et non nisi sobrie perscrutanda et discutienda. *Dom.* II *Adv.*, v. 2, lit. *l*.
Non sufficit audire, sed oportet in corde conferre mysteria audita. *Dom. infra Octav. Nativ.*, v. 33, lit. *d*.

N

Nabuchodonosor. — Admirabilis bonitas atque clementia Dei, in hocce monstro convertendo. *Dom.* IV *Adv.*, v. 1, lit. *a*.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Nisi oculos levasset ad cœlum sensum pristinum non recepisset. *Dom.* XIV *post Pent.*, v. 32, lit. *a*.

Naim. — Civitas Naim, id est, pulchra, seu formosa præfigurat animam nostram ad imaginem et similitudinem Dei factam. *Dom.* XV *post Pent.*, v. 11, lit. *b*.

Nativitas. — Nativitas Christi septem testimoniis authentificata fuit. *Dom. infra Octav. Nativ.*, v. 36, n. 1.

Nativitas hominis principium est ei infirmitatis. *Dom.* XX *post Pent.*, v. 47, n. 18.

Natura. — Natura corrupta magis ad malum quam ad bonum exemplum inclinatur. *Dom.* III *post Pent.*, v. 2, lit. *d*.

Natura humana ad vitium prona est, et magna cum facilitate ab eodem attrahitur et imbuitur. *Dom.* XI *post Pent.*, v. 31, lit. *a*.

Nos instigat ad misericordiam et compassionem. *Dom.* XII *post Pent.*, v. 37, lit. *a*.

Navicula. — In quam Jesus ascendit est Ecclesia seu fides. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 23, lit. *b*.

Navicula intelligitur arbor beatæ Passionis. *Ibid.*

Navicula sanctæ conversationis, si Christus ascendat, eum pauci sequuntur. *Ibid.*, lit. *c*.

Quæ fluctibus jactatur animam repræsentat humanam. *Ibid.*, v. 24, lit. *m*.

Navis. — Ejus variæ interpretationes morales. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 23, n. 2.

Quas navis significet Ecclesiam Gentilium. *Dom.* IV *post Pent.*, v. 3, n. 4, 5 et 6.

Nihil mundus exhibere potest præter naves, id est, homines, furentibus fluctibus undequaque cinctos. *Ibid.*, v. 2, lit. *c*.

Nazareth. — Interpretatur flos. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 51, n. 4.

Singulo beneficio affectata. *Fer.* II *post Dom.* III *Quadr.*, v. 29, n. 11.

Nazareni. — Primi omnium Christo manus intulerunt. *Fer.* II *post Dom.* III *Quadr.*, v. 29, n. 7.

Pejores dæmonibus. *Ibid.*

Necessitas. — Vel una sola repræsentatio necessitatis nostræ efficacissima est ad Deum in vota trahendum. *Dom.* XXIII *post Pent.*, v. 20, lit. *c*.

Negligentia. — Negligentia in divino servitio est signum pessimum. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 24, n. 22.

Terra neglecta et inculta nil nisi vepres, urticas, ramosque inutiles producere solet. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 25, lit. *a*.

Summa Christianorum negligentia in acquirendis bonis æternis damnatur. *Dom. Septuag.*, v. 3, lit. *c*, et *Dom.* XXIII *post Pent.*, v. 20, lit. *d*.

Negotia secularia. — Noxiva profectui spirituali. *Dom. Septuag.*, v. 6, n. 6.

Negotiatio. — Ubi humana negotiatio est, ibi necesse est mendacium intervenire. *Dom.* IX *post Pent.*, v. 43, lit. *f*.

Nestorius. — Ejus falsa opinio circa Filium Dei. *Dom.* XVIII *post Pent.*, v. 6, n. 2.

Ninivitæ. — Licet barbari, ad Jonæ concionem converluntur. *Fer.* IV *post Dom.* I *Quadr.*, v. 41, n. 3.

Cur fecerint pœnitentiam. *Ibid.*, v. 42, n. 1.

Nix. — Sicut nix fœcundat agros, sic lecta Scriptura sacra fœcundat animos ad magnos edendos proventus. *Dom.* II *Quadr.*, v. 2, lit. *d*.

Nobilitas. — Frustra gloriatur de humana nobilitate, qui per peccatum ex patre diabolo est. *Dom.* II *post Pent.*, v. 19, lit. *b*.

Notitia Dei. — Qui Dei notitiam habet, illum offendere nequit, et ideo peccator peccare volens, Deum a se repellit. *Dom.* XVII *post Pent.*, v. 42, lit. *a*.

Nox. — Nox legem Mosaicam denotat. *Dom.* IV *post Pent.*, v. 5, n. 2.

Item statum peccati. *Ibid.*

Nubes. — Earum conditiones. *Dom.* XXIV *post Pent.*, v. 30, n. 10 et 11.

Servient Christo pro Christo triumphante. *Ibid.*, n. 10.

Numisma. — Christus est plenum divinitatis numisma, maxime in Eucharistia. *Dom.* III *post Pent.*, v. 8, lit. *a*.

Numisma Dei homo est in quo est ejus imago figurata. *Dom.* XXII *post Pent.*, v. 20, lit. *d*.

Nuptiæ. — Nuptiæ quomodo sanctificandæ. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 1, n. 3.

A Christo preparatæ, quales sint. *Dom.* XIX *post Pent.*, v. 2, n. 6 et 7.

Quam ob causam venit Dominus ad nuptias in Cana. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 2, lit. *a*.

Cœlestis Sponsus suas nuptias, cum anima sponsa celebrat per communionem. *Ibid.*, v. 1, lit. *d*.

In nuptiis spiritualibus, Christus ipse sponsus est qui cor nostrum totum desiderat. *Ibid.*, v. 2, lit. *e*.

Pater Filio nuptias fecit, quando hunc in utero Virginis humanæ naturæ conjunxit. *Dom.* XIX *post Pent.*, v. 2, lit. *b*.

O

Obedientia. — Obedientia filiorum in parentes. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 51, n. 1, et v. 42, n. 3.

Obedientia votum est principale religiosorum. *Ibid.*, v. 51, n. 9.

Obedientia creaturarum in beneficium hominis. *Fer.* VI *Cin.*, v. 14, n. 1.

Qualis esse debeat ut placeat Deo. *Fer.* VI *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 44, n. 3.

Nascitur ex humilitate. *Dom.* XX *post Pent.*, v. 51, n. 2.

Qualem a nobis exigat Christus. *Dom.* IV *post Pent.*, v. 11, n. 5.

Efficit opera nostra valde fructuosa. *Ibid.*, n. 5.

Obedientia perfectissima potius operibus quam verbo declaratur. *Dom.* IV *Adv.*, v. 2, lit. *b*.

Quam filii parentibus debent, non habet locum in casibus, quando servitium Dei et salus animæ præferri debent. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 43, lit. *b*.

Mirabile obedientiæ exemplum a Christo parentibus terrenis exhibitum. *Ibid.*, v. 51, lit. *a*, *b*.

Hic est fructus obedientiæ virtutis, ut orationem nostram omnino reddat efficacem. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 5, lit. *a*.

Omnes creaturæ suo nos exemplo obedientiam et gratitudinem docent. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 27, lit. *a*, *b*, *d*.

Obedientia tanta virtus est, ut vel minimum opus ex ea factum maximi pretii sit apud Deum. *Dom. Palm.*, v. 2, lit. *a*.

Obedientia nobilitatem quandam sibi annexam habet. *Dom.* IV *post Pent.*, v. 5, lit. *b*.

Si obedientiæ mandato laboraveris, ingenti retributione dignus eris. *Ibid.*, v. 5, lit. *f*.

Cœlestis regni iter obedientia est voluntatis Dei, non pretiuncula quam necessitas, non devotio expressit. *Dom.* VII *post Pent.*, v. 21, lit. *d*.

Homo sicut per inobedientiam incurreret culpam, ita per obedientiam admittendus est ad gratiam. *Dom.* XIX *post Pent.*, v. 3, lit. *b*.

Oblectationes. — In hac mortali vita, multum degustatæ, quantocius in fastidium vertuntur. *Dom.* II *Quadr.*, v. 4, lit. *a*.

Obligatio. — Obligatio Christiani in Deum solo amore solvitur. *Dom.* XVII *post Pent.*, v. 37, n. 6.

Oblivio. — Ubi oblivio beatitudinis incideret, et manus hæret, et lingua balbutit. *Dom. Septuag.*, v. 3, lit. *a*.

Fieri non potest, ut quispiam a via recta deflectat, nisi animus ipsius prius Dei oblivione laborarit. *Dom.* XIX *post Pent.*, v. 5, lit. *a*.

Obsequium Dei. — Minima etiam et parva in obsequium Dei data, amplissima remuneratione compensantur. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 6, lit. *b*.

Obsidio. — Obsidio Jerosolymitana quam terribilis fuerit. *Dom.* IX *post Pent.*, v. 43, n. 1.

Obstinatio. — Tanta est Dei misericordia, ut variis utatur modis quibus obstinatos etiam peccatores ad se convertat. *Dom.* III *Quadr.*, v. 21, lit. *c*.

Homo fit filius diaboli non ex prædestinatione aut reprobatione sed ex propria sua obstinatione. *Dom. Pass.*, v. 47, lit. *g*.

Occasio. — Occasio conditionem declarat virtutis nostræ. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 26, n. 4.

Occasionibus peccandi astutus serpens utitur ut ad peccatum nos pertrahat. *Dom.* IV *Adv.*, v. 2, lit. *d*.

Justi ipsi occasiones peccati fugiant nisi misere corruere velint. *Dom. infra Octav. Nativ.*, v. 34, lit. *c*.

Nullam occasionem exercendæ virtutis omitte. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 42, lit. *b*.

Frequentia occasionum malaque exempla causant lapsus multorum. *Ibid.*, v. 43, lit. *e*.

Omnibus occasionibus sese immiscet dæmon præsertim conviviis. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 2, lit. *g*.

Sic peccata commissa oportet castigare ut postmodum, quamlibet remotissimam occasionem suspectam habeamus, et effugiamus. *Dom.* I *Quadr.*, v. 3, lit. *d*.

Qui viam salutis aggreditur, non solum delicta sed etiam eorum occasiones fugiat et derelinquat. *Dom.* IV *Quadr.*, v. 2, lit. *a*.

Tantum abest ut pericula peccandi detestemur, ut eadem potius omni studio et sollicitudine quæramus. *Dom.* VII *post Pent.*, v. 15, lit. *g*.

Oculus. — Oculus membrum est cæteris dignius. *Fer.* IV *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 3, n. 9.

Oculus minimo offenditur. *Dom.* I *post Pent.*, v. 41, n. 5.

Oculi Christi significant ejus dona. *Dom.* II *Quadr.*, v. 5, n. 2.

Influunt salutem. *Ibid.*, n. 6.

Luciditores sole. *Fer.* II *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 21, n. 7.

Oculorum Christi virtus. *Dom.* XV *post Pent.*, v. 13, n. 1.

Jesus non erigebat oculos huc atque illuc sed pudice sedebat attentus cum discipulis suis. *Dom.* IV *Quadr.*, v. 5, lit. *b*.

Purgatur lacrymis oculus caligans et acuitur visus, ut intendere possit in serenissimi luminis claritatem. *Dom.* III *post Pasch.*, v. 20, lit. *a*.

Odium. — Odium venenum est corpori animæque perniciosum. *Fer.* VI *Cin.*, v. 44, n. 6.

Nascitur ex dissimilitudine. *Fer.* III *post Dom. Pass.* Est causa multorum malorum. *Ibid.*, n. 2.

Initium fuit persecutionis Christi. *Ibid.*, n. 1 et 2.

Persecutorum nostrorum odium qualiter vincendum. *Fer.* II *post Dom. Pass.*, v. 37, n. 20.

Odium Hebræorum in Christum unde natum fuit. *Fer.* III *post Dom. Pass.*, v. 7, n. 6, et *Fer.* III *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 30, n. 2.

Quam sit odium Deo abominabile. *Dom.* V *post Pent.*, v. 23, n. 4.

Est ira quædam inveterata. *Ibid.*, n. 1.

Nutrit impudentiam. *Dom.* XVII *post Pent.*, v. 35, n. 5.

Deus vult cor nostrum ab omni odio liberum, et os verbis suavissimis refertum. *Dom.* V *post Pent.*, v. 22, lit. *a*.

Qui mortale odium contra inimicum conservat non potest dicere Deo : Dimitte, sicut dimittimus. *Dom.* XXI *post Pent.*, v. 23, lit. *a*.

Œconomus. — Œconomus quid significet. *Dom.* VIII *post Pent.*, v. 1, n. 7.

Œconomus Evangelicus quo sensu laudetur a Christo. *Ibid.*, v. 8, n. 7.

Offendicula. — Deus Filio suo Joannem Præcursorem misit ut omnia, in animabus hominum, ad quas iter suum instituerat, tolleret offendicula. *Dom.* IV *Adv.*, v. 4, lit. *a*.

Oleum. — Oleum symbolum est charitatis. *Dom.* I *Adv.*, v. 26, n. 18.

Significat remissionem peccatorum. *Dom.* XII *post Pent.*, v. 34, n. 16.

Charitatis symbolum est. *Dom.* VIII *post Pent.*, v. 6, lit. *a*.

Omnipotentia. — Deus manifestat omnipotentiam suam et gloriam maxime parcendo et miserando. *Dom.* II *post Pent.*, v. 16, lit. *a*.

Deus in eo suam præcipue omnipotentiam manifestat, quod titiones inferni, in Seraphinos transmutet Paradisi. *Dom.* III *post Pent.*, v. 1, lit. *f*.

Onera. — Onera quæ Deus prohibuit portari in sabbato peccata sunt. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 1, lit. *b*.

Onus Christi leve est, leve tamen amanti. *Fest. Pent.*, v. 23, lit. *f*.

Opera. — Opera bona signum sunt prædestinationis. *Dom. Septuag.*, v. 16, n. 5.

Opera fidei sociandæ sunt. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 21, n. 22, et *Dom. Septuag.*, v. 8, n. 7.

Opera supererogatoria quanti sint meriti. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 42, n. 9.

Fervor in operibus bonis mensura est meriti, non duratio. *Dom. Septuag.*, v. 12, n. 7.

Opera Christi testantur quis fuerit. *Fer.* IV *post Dom. Pass.*, v. 25, n. 7.

Opera bona et mala secernunt filios Dei a diabolo. *Dom.* V *post Pent.*, v. 16, n. 3.

Non nobis sufficit quod christianum nomen accepimus, si opera nostra christiana non fecerimus. *Dom.* II *Adv.*, v. 3, lit. *b*.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Necesse est interim abscondere opera bona et merita. *Dom.* III *Adv.*, v. 21, lit. *a*.
Præcedente opere, etiamsi non sequatur doctrina, sufficiunt opera ipsa ad docendum. *Ibid.*, v. 23, lit. *f*.
Tametsi bona opera, in statu peccati mortalis facta mortua sint, non tamen ob id, a virtuosis operibus desistendum est. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 10, lit. *a*.
Qui nunc triticum bonorum operum congregare laborat, habet paratum a Deo granarium. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 30, lit. *e*.
Reprehensione digni sunt qui extra vineæ Domini degunt otiosi et vacui ab omni opere bono. *Dom. Septuag.*, v. 3, lit. *a*.
Disce e schola Christi verbis opera adjungere, prius facere, postea docere. *Dom. Sexag.*, v. 5, lit. *d*.
Opera cæterquin bona, si mala cum intentione fiant, in cassum cedunt. *Dom.* V *post Pent.*, v. 20, lit. *c*.
Si aliquis vellet adhibere opera bona, debet supponere fidem. *Dom.* XX *post Pent.*, v. 18, lit. *e*.
Opera misericordiæ quomodo facienda. *Dom.* VIII *post Pent.*, v. 6, n. 3.
Nemo de nullis sibi bonis vitæ meritis blandiatur, si illi defuerint opera charitatis. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 23, lit. *b*.
Nescitur beneficentiæ opera, largas lucrorum segetes non parturire. *Dom. Sexag.*, v. 5, lit. *e*.
Cunctis operibus nostris etiam indifferentibus, amor Dei, si comes erit, meritum dat infinitum. *Dom.* XVII *post Pent.*, v. 37, lit. *c*.
Misericordiæ opera suam a dilectione erga Deum et proximum originem habent. *Dom.* XVIII *post Pent.*, v. 1, lit. *d*.
Filius Dei affectu et amore opera misericordiæ super omnia alia prosequitur. *Ibid.*
Peccatum infructuosa efficit et inutilia opera ex se meritoria. *Dom.* XXI *post Pent.*, v. 25, lit. *a*.
Operarii. — Operariorum stipendia non sunt differenda. *Dom. Septuag.*, v. 8, n. 1.
Paterfamilias conduxit operarios et misit in vineam ut laborarent. *Ibid.*, v. 1, lit. *e*.
Omnes operarii esse debent in vinea Domini. *Ibid.*, lit. *j*.
Et si magna est multitudo Sacerdotum, Doctorum, Prædicatorum, tamen pauci sunt operarii. *Dom. Pass.*, v. 16, lit. *c*.
Tametsi magnus sit numerus Prædicatorum et Ecclesiasticorum, pauci tamen sunt operarii in messe Christi. *Dom.* VII *post Pent.*, v. 15, lit. *b*.
Optimus. — Corruptio optimi pessima. *Dom.* XXII *post Pent.*, v. 15, lit. *c*.
Orare. — Quod absolute petere debemus hoc est: ut gaudium nostrum sit plenum. *Dom.* V *post Pasch.*, v. 24, lit. *i*.
Oratio. — Oratio sanat pestem animæ. *Dom. infra Octav. Nativ.*, v. 37, n. 6.
Oratio nos Deo approximare facit. *Ibid.*, n. 7.
Quam cum modestia Deo offerenda. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 3, n. 7.
Quam sit utilis. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 23, n. 13.
Cur aliquando non exauditur. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 3, n. 5.
Est oblatio dignissima, quæ Deo fieri potest. *Ibid.*, n. 3.
Debet esse importuna. *Dom. Quinq.*, v. 50, n. 1.
Plurium congregatorum quam potens. *Fer.* III *post Dom.* III *Quadr.*, v. 20, n. 4. Item. *Dom.* V *post Pasch.*, v. 23, n. 5.
Maxime quando fit publice. *Ibid.*, n. 6.
Debet esse perseverans. *Ibid.*, v. 19, n. 7, et *Fer.* V *post Dom.* I *Quadr.*, v. 23, n. 7.
Quomodo facienda. *Ibid.*, v. 23, n. 7 et 8. Item. *Dom.* X *post Pent.*, v. 11, n. 7.
Non proficit nisi fiat ex corde. *Fer.* III *post Dom.* I *Quadr.*, v. 13, n. 1.
Mutat interius hominem. *Dom.* II *Quadr.*, v. 1, n. 18.
Debet anteponi omnibus negotiis. *Fer.* III *post Dom.* I *Quadr.*, v. 12, n. 1.
Qualiter nobis gratias a Deo impetret. *Fer.* V *post Dom.* III *Quadr.*, v. 38, n. 28 et 29.
Oratio quæ sit efficax. *Fer.* VI *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 41, n. 5. Item. *Dom.* X *post Pent.*, v. 13, n. 25. Item. *Dom.* XXI *post Pent.*, v. 26, n. 1. Item. *Dom.* V *post Pasch.*, v. 23, n. 11.
Oratio est remedium malorum nostrorum. *Dom.* XI *post Pent.*, v. 32, n. 21.
Non debet esse interessuta. *Dom.* XX *post Pent.*, v. 53, n. 7.
Facta ab homine in statu gratiæ efficacior est. *Dom.* V *post Pasch.*, v. 23, n. 4.
Etiam a peccatoribus facta exauditur. *Ibid.*, n. 3.
Conditiones ejus. *Ibid.*, n. 9.
Meritis Christi jungenda, ut efficax sit. *Ibid.*, n. 11.
Nunquam fit frustra. *Ibid.*
Quænam postulare debeat. *Ibid.*, v. 25, n. 6.
Conjuncta esse debet bonæ conscientiæ. *Ibid.*
Cur aliquando non exauditur. *Ibid.*, v. 25, n. 6.
Non tam Rhetorum diserta est lingua apud Deum ut crux et carcer patienter toleratus. *Dom.* II *Adv.*, v. 3, lit. *h*.
Oratio aperit cœlum et sacrosanctum Spiritum nobis conciliat. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 45, lit. *a*.
Deus elegit loca sancta ut in eis fidelium orationes exaudiat. *Dom. infra Octav. Nativ.*, v. 34, lit. *a*.
Æquum est ut hi qui necessitate premuntur ipsi recurrant ad preces. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 4, lit. *d*.
In oratione postulanda sunt bona cœlestia, et ad æternam salutem spectantia. *Ibid.*, lit. *f*.
Tametsi Deus orationes nostras exaudire differat, hoc non aversionis est signum. *Ibid.*, lit. *g*.
Variæ rationes ob quas nonnunquam celeriter non exauditur. *Ibid.*
Magna est virtus orationis, quæ quasi persona ad Deum intrat et mandatum pergit. *Ibid.*, v. 3, lit. *i*.
Non soli nostræ orationi fidendum sed et aliorum obsecrationibus commendandum est quod impetrare nitimur. *Ibid.*, v. 4, lit. *j*.
Plurimæ sunt prærogativæ orationis quæ fit in communi. *Ibid.*
Orationem nostram virtus obedientiæ omnino reddit efficacem. *Ibid.*, v. 5, lit. *a*.
Qua ratione oratio nostra appropinquabit in conspectu Domini. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 2, lit. *d*.
Deus orationes nostras sæpe non secundum votum, sed juxta profectum nostrum exaudit. *Ibid.*, lit. *e*.
Oratio nostra qualis esse debet. *Ibid.*
Opera bona verba orationis præcedere debent. *Ibid.*, lit. *f*.

Oratione nobis opus est ne inducemur in tentationes quibus plena est vita nostra. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 24, lit. *o*.
Est arma defensiva et offensiva contra inimicos. *Ibid.*, v. 25, lit. *f*.
Postulet homo a Deo ut videat turpitudinem peccati, mundi fallacias et Paradisi stabilitatem. *Dom. Quinq.*, v. 14, lit. *a*.
Requirit quamdam mentis quietem et elevationem in Deum. *Dom.* I *Quadr.*, v. 1, lit. *g*.
Oratio transfigurat hominem et in novam creaturam commutat. *Dom.* II *Quadr.*, v. 1, lit. *n*.
Grata est Deo in oratione insistentia et constantia. *Dom. in Albis*, v. 19, lit. *e*.
Magna orationis est efficacia quæ majores vires habet quam præsumit humana temeritas. *Dom.* V *post Pasch.*, v. 23, lit. *b*.
Est oratio reorum et causam dicentium patrona, noxiorum et vinctorum relaxatio. *Ibid.*, lit. *e*.
Oratio sustentat mundum, eumque suffulcit ne per ruinas everatur. *Ibid.*, lit. *j*.
Sic semper debemus a Deo petere, petitionibus instare, ac si nihil esset petitum a nobis. *Ibid.*, v. 24, lit. *b*.
Deo, vel acceptissima oratio, non tamen ideo effectum suum continuo consequitur. *Ibid.*
Apud Deum cum nostra oratio profertur, immediate ei correspondet impetratio. *Ibid.*
Postulata quæ nobis noxia futura novit, Deus non concedit. *Ibid.*, lit. *h*.
Non ex divinæ promissionis defectu nos exaudimur, sed propter majus bonum nostrum, vel ob nostros defectus et culpas. *Ibid.*
Reverentia et humilitas, maxime in oratione necessariæ sunt. *Ibid.*, v. 23, lit. *m*.
Fidelis est oratio, quando plus cor quam lingua loquitur. *Dom.* III *post Pent.*, v. 2, lit. *d*.
Oratio ex ambitione orta, a Deo non exauditur. *Dom.* V *post Pent.*, v. 24, lit. *c*.
Deus orationes nostras in templis suis facilius exaudit. *Dom.* IX *post Pent.*, v. 46, lit. *a*.
Oratio Pharisæi non est exaudita, quia charitate deficiebat. *Dom.* X *post Pent.*, v. 10, lit. *d*.
Primum omnium oratio, ut gratias et dona Dei impetret, postulat humilitatem. *Ibid.*, lit. *g*.
Concors multorum oratio germana est debellatrix divinarum misericordiarum. *Dom.* XIII *post Pent.*, v. 12, lit. *a*.
Tam potens est oratio ipsa cum humilitate ut et cœlum ad se inclinare possit. *Dom.* X *post Pent.*, v. 13, lit. *h*.
Ut oratio nostra ad Deum accedat, prius omnia desideria carnalia pessumdanda sunt. *Ibid.*, lit. *i*.
Ad orationem in afflictione recurrendum est quia afflictorum preces sunt efficacissimæ. *Dom.* XVI *post Pent.*, v. 2, lit. *g*.
In oratione plus cor quam lingua requiritur. *Dom.* XVIII *post Pent.*, v. 1, lit. *a*.
Deus novit quando, novit quatenus tuæ petitioni satisfacere debet. *Dom.* XX *post Pent.*, v. 49, lit. *b*.
Deum alloquimur cum oramus; illum audimus cum divina oracula legimus. *Dom.* XXI *post Pent.*, v. 23, lit. *d*.
Orationis nonnullæ dantur definitiones. *Dom.* XXIII *post Pent.*, v. 21, lit. *a*.
Oratio figuratur per incensum et aromata. *Ibid.*, v. 20, lit. *e*.
Otiosi. — Otiosi sunt peccatores. Otiosus est qui opus Dei non operatur. *Dom. Septuag.*, v. 3, lit. *e*.
Asperius reprehendentur illi qui jam conducti, et in vinea Domini multis beneficiis cumulati, otiosi inveniuntur. *Ibid.*, v. 4, lit. *c*.
Homo desides et otiosus diabolorum est requies. *Dom.* III *Quadr.*, v. 26, lit. *a*.
Otiosus causat Deo nauseam, perdit tempus suum, bona spiritualia, temporalia et æterna. *Dom.* XIV *post Pent.*, v. 26, lit. *b*.
Otium. — Otium causa est omnis mali. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 25, n. 3 et 4.
Indignum est operariis Ecclesiæ Dei. *Dom. Septuag.*, v. 6, n. 2, 3, 4.
Otiosi qui sint in domo Dei. *Ibid.*, v. 3, n. 8.
Via est ad tentationes. *Fer.* IV *post Dom.* I *Quadr.*, v. 44, n. 5.
Facit ut dæmon in animam pœnitentis redeat. *Dom.* III *Quadr.*, v. 25, n. 5.
Periculosa res est et opus plenum aleæ otium. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 25, lit. *n*.
Non ad otiandum sed ad laborandum misit nos Deus in vineam suam. *Dom. Septuag.*, v. 1, lit. *e*, *f*.
Homo ad imaginem Dei in se conservandam nunquam debet esse in otio. *Ibid.*, lit. *k*.
Otium confert dæmonibus opem ac si illos potentiores et nocentiores redderet. *Dom.* III *Quadr.*, v. 26, lit. *a*.
Detestabile est otium et fructus carentia. *Dom.* VII *post Pent.*, v. 19, lit. *c*.
Oves. — Instinctu suo timidæ. *Dom.* II *post Pasch.*, v. 14, n. 15.
Obediunt ad quamvis nutum. *Ibid.*
Fertiliores sunt omni alio animali. *Ibid.*
A grege deviæ, peccatorem denotant. *Dom.* III *post Pent.*, v. 4, n. 4.

P

Palatia. — Palatia magnatum sunt vitanda. *Dom.* XXIII *post Pent.*, v. 19, n. 5.
Palma. — Palma signum victoriæ. *Dom. Palm.*, v. 8, n. 8.
Earum rami denotant opera misericordiæ. *Ibid.*, n. 10.
Panis Eucharisticus. — Nos pro tota vita confortat. *Dom.* VI *Pent.*, v. 8, n. 3.
Non consumitur nec per usum deficit. *Ibid.*
Conditiones cibandi nos illo pane. *Ibid.*, v. 5, n. 8.
Desiderat Christus ut omnes inde manducent. *Ibid.*, n. 18.
Vim habet nos corroborandi, ne cadamus, et ut in bono perseveremus. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 42, lit. *c*.
Panis Eucharisticus concupiscentiæ ardorem debilitat, dum charitatis igne animos fidelium vehementer inflammat. *Dom.* XXI *post Pent.*, v. 26, lit. *c*.
Panis spiritualis. — Duplex paratur animæ nostræ, scilicet sacramentalis, et verbi Dei. *Dom.* II *post Pent.*, v. 16, lit. *g*.
Panis Angelorum. — Sermo Dei summa cum facilitate nobis ministratur. *Dom.* VI *post Pent.*, v. 2, lit. *a*.
Panis materialis. — Quam sit necessarius ad sustentationem humanam. *Dom.* I *Quadr.*, v. 3, n. 8.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Necesse est interim abscondere opera bona et merita. *Dom.* III *Adv.*, v. 21, lit. *a*.
Præcedente opere, etiamsi non sequatur doctrina, sufficiunt opera ipsa ad docendum. *Ibid.*, v. 23, lit. *f*.
Tametsi bona opera, in statu peccati mortalis facta mortua sint, non tamen ob id, a virtuosis operibus desistendum est. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 10, lit. *a*.
Qui nunc triticum bonorum operum congregare laborat, habet paratum a Deo granarium. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 30, lit. *e*.
Reprehensione digni sunt qui extra vineæ Domini degunt otiosi et vacui ab omni opere bono. *Dom. Septuag.*, v. 3, lit. *a*.
Disce e schola Christi verbis opera adjungere, prius facere, postea docere. *Dom. Sexag.*, v. 5, lit. *d*.
Opera cæterquin bona, si mala cum intentione fiant, in cassum cedunt. *Dom.* V *post Pent.*, v. 20, lit. *c*.
Si aliquis vellet adhibere opera bona, debet supponere fidem. *Dom.* XX *post Pent.*, v. 18, lit. *e*.
Opera misericordiæ quomodo facienda. *Dom.* VIII *post Pent.*, v. 6, n. 3.
Nemo de nullis sibi bonis vitæ meritis blandiatur, si illi defuerint opera charitatis. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 23, lit. *b*.
Nescitur beneficentiæ opera, largas lucrorum segetes non parturire. *Dom. Sexag.*, v. 5, lit. *e*.
Cunctis operibus nostris etiam indifferentibus, amor Dei, si comes erit, meritum dat infinitum. *Dom.* XVII *post Pent.*, v. 37, lit. *c*.
Misericordiæ opera suam a dilectione erga Deum et proximum originem habent. *Dom.* XVIII *post Pent.*, v. 1, lit. *d*.
Filius Dei affectu et amore opera misericordiæ super omnia alia prosequitur. *Ibid.*
Peccatum infructuosa efficit et inutilia opera ex se meritoria. *Dom.* XXI *post Pent.*, v. 25, lit. *a*.
Operarii. — Operariorum stipendia non sunt differenda. *Dom. Septuag.*, v. 8, n. 1.
Paterfamilias conduxit operarios et misit in vineam ut laborarent. *Ibid.*, v. 1, lit. *e*.
Omnes operarii esse debent in vinea Domini. *Ibid.*, lit. *j*.
Et si magna est multitudo Sacerdotum, Doctorum, Prædicatorum, tamen pauci sunt operarii. *Dom. Pass.*, v. 16, lit. *c*.
Tametsi magnus sit numerus Prædicatorum et Ecclesiasticorum, pauci tamen sunt operarii in messe Christi. *Dom.* VII *post Pent.*, v. 15, lit. *b*.
Optimus. — Corruptio optimi pessima. *Dom.* XXII *post Pent.*, v. 15, lit. *c*.
Orare. — Quod absolute petere debemus hoc est: ut gaudium nostrum sit plenum. *Dom.* V *post Pasch.*, v. 24, lit. *i*.
Oratio. — Oratio sanat pestem animæ. *Dom. infra Octav. Nativ.*, v. 37, n. 6.
Oratio nos Deo approximare facit. *Ibid.*, n. 7.
Quam cum modestia Deo offerenda. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 3, n. 7.
Quam sit utilis. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 23, n. 13.
Cur aliquando non exauditur. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 3, n. 5.
Est oblatio dignissima, quæ Deo fieri potest. *Ibid.*, n. 3.
Debet esse importuna. *Dom. Quinq.*, v. 50, n. 1.
Plurium congregatorum quam potens. *Fer.* III *post Dom.* III *Quadr.*, v. 20, n. 4. Item. *Dom.* V *post Pasch.*, v. 23, n. 5.
Maxime quando fit publice. *Ibid.*, n. 6.
Debet esse perseverans. *Ibid.*, v. 19, n. 7, et *Fer.* V *post Dom.* I *Quadr.*, v. 23, n. 7.
Quomodo facienda. *Ibid.*, v. 23, n. 7 et 8. Item. *Dom.* X *post Pent.*, v. 11, n. 7.
Non proficit nisi fiat ex corde. *Fer.* III *post Dom.* I *Quadr.*, v. 13, n. 1.
Mutat interius hominem. *Dom.* II *Quadr.*, v. 1, n. 18.
Debet anteponi omnibus negotiis. *Fer.* III *post Dom.* I *Quadr.*, v. 12, n. 1.
Qualiter nobis gratias a Deo impetret. *Fer.* V *post Dom.* III *Quadr.*, v. 38, n. 28 et 29.
Oratio quæ sit efficax. *Fer.* VI *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 41, n. 5. Item. *Dom.* X *post Pent.*, v. 13, n. 25. Item. *Dom.* XXI *post Pent.*, v. 26, n. 1. Item. *Dom.* V *post Pasch.*, v. 23, n. 11.
Oratio est remedium malorum nostrorum. *Dom.* XI *post Pent.*, v. 32, n. 21.
Non debet esse interessuta. *Dom.* XX *post Pent.*, v. 53, n. 7.
Facta ab homine in statu gratiæ efficacior est. *Dom.* V *post Pasch.*, v. 23, n. 4.
Etiam a peccatoribus facta exauditur. *Ibid.*, n. 3.
Conditiones ejus. *Ibid.*, n. 9.
Meritis Christi jungenda, ut efficax sit. *Ibid.*, n. 11.
Nunquam fit frustra. *Ibid.*
Quænam postulare debeat. *Ibid.*, v. 25, n. 6.
Conjuncta esse debet bonæ conscientiæ. *Ibid.*
Cur aliquando non exauditur. *Ibid.*, v. 25, n. 6.
Non tam Rhetorum diserta est lingua apud Deum ut crux et carcer patienter toleratus. *Dom.* II *Adv.*, v. 3, lit. *h*.
Oratio aperit cœlum et sacrosanctum Spiritum nobis conciliat. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 45, lit. *a*.
Deus elegit loca sancta ut in eis fidelium orationes exaudiat. *Dom. infra Octav. Nativ.*, v. 34, lit. *a*.
Æquum est ut hi qui necessitate premuntur ipsi recurrant ad preces. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 4, lit. *d*.
In oratione postulanda sunt bona cœlestia, et ad æternam salutem spectantia. *Ibid.*, lit. *f*.
Tametsi Deus orationes nostras exaudire differat, hoc non aversionis est signum. *Ibid.*, lit. *g*.
Variæ rationes ob quas nonnunquam celeriter non exauditur. *Ibid.*
Magna est virtus orationis, quæ quasi persona ad Deum intrat et mandatum pergit. *Ibid.*, v. 3, lit. *i*.
Non soli nostræ orationi fidendum sed et aliorum obsecrationibus commendandum est quod impetrare nitimur. *Ibid.*, v. 4, lit. *j*.
Plurimæ sunt prærogativæ orationis quæ fit in communi. *Ibid.*
Orationem nostram virtus obedientiæ omnino reddit efficacem. *Ibid.*, v. 5, lit. *a*.
Qua ratione oratio nostra appropinquabit in conspectu Domini. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 2, lit. *d*.
Deus orationes nostras sæpe non secundum votum, sed juxta profectum nostrum exaudit. *Ibid.*, lit. *e*.
Oratio nostra qualis esse debet. *Ibid.*
Opera bona verba orationis præcedere debent. *Ibid.*, lit. *f*.

Oratione nobis opus est ne inducemur in tentationes quibus plena est vita nostra. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 24, lit. *o*.
Est arma defensiva et offensiva contra inimicos. *Ibid.*, v. 25, lit. *f*.
Postulet homo a Deo ut videat turpitudinem peccati, mundi fallacias et Paradisi stabilitatem. *Dom. Quinq.*, v. 14, lit. *a*.
Requirit quamdam mentis quietem et elevationem in Deum. *Dom.* I *Quadr.*, v. 1, lit. *g*.
Oratio transfigurat hominem et in novam creaturam commutat. *Dom.* II *Quadr.*, v. 1, lit. *n*.
Grata est Deo in oratione insistentia et constantia. *Dom. in Albis*, v. 19, lit. *e*.
Magna orationis est efficacia quæ majores vires habet quam præsumit humana temeritas. *Dom.* V *post Pasch.*, v. 23, lit. *b*.
Est oratio reorum et causam dicentium patrona, noxiorum et vinctorum relaxatio. *Ibid.*, lit. *e*.
Oratio sustentat mundum, eumque suffulcit ne per ruinas everatur. *Ibid.*, lit. *j*.
Sic semper debemus a Deo petere, petitionibus instare, ac si nihil esset petitum a nobis. *Ibid.*, v. 24, lit. *b*.
Deo, vel acceptissima oratio, non tamen ideo effectum suum continuo consequitur. *Ibid.*
Apud Deum cum nostra oratio profertur, immediate ei correspondet impetratio. *Ibid.*
Postulata quæ nobis noxia futura novit, Deus non concedit. *Ibid.*, lit. *h*.
Non ex divinæ promissionis defectu nos exaudimur, sed propter majus bonum nostrum, vel ob nostros defectus et culpas. *Ibid.*
Reverentia et humilitas, maxime in oratione necessariæ sunt. *Ibid.*, v. 23, lit. *m*.
Fidelis est oratio, quando plus cor quam lingua loquitur. *Dom.* III *post Pent.*, v. 2, lit. *d*.
Oratio ex ambitione orta, a Deo non exauditur. *Dom.* V *post Pent.*, v. 24, lit. *c*.
Deus orationes nostras in templis suis facilius exaudit. *Dom.* IX *post Pent.*, v. 46, lit. *a*.
Oratio Pharisæi non est exaudita, quia charitate deficiebat. *Dom.* X *post Pent.*, v. 10, lit. *d*.
Primum omnium oratio, ut gratias et dona Dei impetret, postulat humilitatem. *Ibid.*, lit. *g*.
Concors multorum oratio germana est debellatrix divinarum misericordiarum. *Dom.* XIII *post Pent.*, v. 12, lit. *a*.
Tam potens est oratio ipsa cum humilitate ut et cœlum ad se inclinare possit. *Dom.* X *post Pent.*, v. 13, lit. *h*.
Ut oratio nostra ad Deum accedat, prius omnia desideria carnalia pessumdanda sunt. *Ibid.*, lit. *i*.
Ad orationem in afflictione recurrendum est quia afflictorum preces sunt efficacissimæ. *Dom.* XVI *post Pent.*, v. 2, lit. *g*.
In oratione plus cor quam lingua requiritur. *Dom.* XVIII *post Pent.*, v. 1, lit. *a*.
Deus novit quando, novit quatenus tuæ petitioni satisfacere debet. *Dom.* XX *post Pent.*, v. 49, lit. *b*.
Deum alloquimur cum oramus; illum audimus cum divina oracula legimus. *Dom.* XXI *post Pent.*, v. 23, lit. *d*.
Orationis nonnullæ dantur definitiones. *Dom.* XXIII *post Pent.*, v. 21, lit. *a*.
Oratio figuratur per incensum et aromata. *Ibid.*, v. 20, lit. *e*.
Otiosi. — Otiosi sunt peccatores. Otiosus est qui opus Dei non operatur. *Dom. Septuag.*, v. 3, lit. *e*.
Asperius reprehendentur illi qui jam conducti, et in vinea Domini multis beneficiis cumulati, otiosi inveniuntur. *Ibid.*, v. 4, lit. *c*.
Homo desides et otiosus diabolorum est requies. *Dom.* III *Quadr.*, v. 26, lit. *a*.
Otiosus causat Deo nauseam, perdit tempus suum, bona spiritualia, temporalia et æterna. *Dom.* XIV *post Pent.*, v. 26, lit. *b*.
Otium. — Otium causa est omnis mali. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 25, n. 3 et 4.
Indignum est operariis Ecclesiæ Dei. *Dom. Septuag.*, v. 6, n. 2, 3, 4.
Otiosi qui sint in domo Dei. *Ibid.*, v. 3, n. 8.
Via est ad tentationes. *Fer.* IV *post Dom.* I *Quadr.*, v. 44, n. 5.
Facit ut dæmon in animam pœnitentis redeat. *Dom.* III *Quadr.*, v. 25, n. 5.
Periculosa res est et opus plenum aleæ otium. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 25, lit. *n*.
Non ad otiandum sed ad laborandum misit nos Deus in vineam suam. *Dom. Septuag.*, v. 1, lit. *e*, *f*.
Homo ad imaginem Dei in se conservandam nunquam debet esse in otio. *Ibid.*, lit. *k*.
Otium confert dæmonibus opem ac si illos potentiores et nocentiores redderet. *Dom.* III *Quadr.*, v. 26, lit. *a*.
Detestabile est otium et fructus carentia. *Dom.* VII *post Pent.*, v. 19, lit. *c*.
Oves. — Instinctu suo timidæ. *Dom.* II *post Pasch.*, v. 14, n. 15.
Obediunt ad quamvis nutum. *Ibid.*
Fertiliores sunt omni alio animali. *Ibid.*
A grege deviæ, peccatorem denotant. *Dom.* III *post Pent.*, v. 4, n. 4.

P

Palatia. — Palatia magnatum sunt vitanda. *Dom.* XXIII *post Pent.*, v. 19, n. 5.
Palma. — Palma signum victoriæ. *Dom. Palm.*, v. 8, n. 8.
Earum rami denotant opera misericordiæ. *Ibid.*, n. 10.
Panis Eucharisticus. — Nos pro tota vita confortat. *Dom.* VI *Pent.*, v. 8, n. 3.
Non consumitur nec per usum deficit. *Ibid.*
Conditiones cibandi nos illo pane. *Ibid.*, v. 5, n. 8.
Desiderat Christus ut omnes inde manducent. *Ibid.*, n. 18.
Vim habet nos corroborandi, ne cadamus, et ut in bono perseveremus. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 42, lit. *c*.
Panis Eucharisticus concupiscentiæ ardorem debilitat, dum charitatis igne animos fidelium vehementer inflammat. *Dom.* XXI *post Pent.*, v. 26, lit. *c*.
Panis spiritualis. — Duplex paratur animæ nostræ, scilicet sacramentalis, et verbi Dei. *Dom.* II *post Pent.*, v. 16, lit. *g*.
Panis Angelorum. — Sermo Dei summa cum facilitate nobis ministratur. *Dom.* VI *post Pent.*, v. 2, lit. *a*.
Panis materialis. — Quam sit necessarius ad sustentationem humanam. *Dom.* I *Quadr.*, v. 3, n. 8.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Quare panis hordeaceus fuerit a Christo multiplicatus. *Dom.* IV *Quadr.*, v. 9, n. 13.
Cur multiplicatus non creatus. *Ibid.*, v. 11, n. 2.
Qualiter Christus illum in suis et Apostolorum manibus multiplicarit. *Ibid.*, n. 18.
A Christo in deserto mutatus quid significet. *Dom.* VI *post Pent.*, v. 5, n. 8.
Sumebat panis ab hominibus ut inde quodammodo obligaretur ad cœlestem panem hominibus dandum. *Dom.* XVI *post Pent.*, v. 1, lit. *b*.
Panis materialis non solus est panis necessarius homini. *Dom.* I *Quadr.*, v. 4, lit. *f*.
Parabola. — Christus Dominus, communis Magister, per parabolarum propositionem communi se methodo accommodat. *Dom.* XXI *post Pent.*, v. 23, lit. *d*.
Paradisus. — Paradisus dicitur granarium. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 34, n. 2.
Factus est pro nobis. *Dom.* V *post Pasch.*, v. 25, n. 3.
Est desertum. *Dom.* III *post Pent.*, v. 4, n. 11.
Cœlestis Paradisus pro nobis conditus fuit. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 6, lit. *g*.
Ante diem quo Jesus crucifixus fuit, Paradisus cœlestis apertus fuisse nusquam legitur. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 23, lit. *a*.
Tuta habitatio Paradisus est. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 30, lit. *d*.
Paradisi ostiaria misericordia est. *Ibid.*, v. 24, lit. *a*.
Quisquis ad Paradisum vult ingredi, prius per ærumnarum ensem transire debet. *Fest. Pasch.*, v. 6, lit. *d*.
Non ad gloriam Paradisi pervenitur nisi eandem sequendo viam quam Jesus secutus est primus. *Dom.* IV *post Pasch.*, v. 5, lit. *a*.
Paralysis. — Signat peccatum mortale. *Dom.* XVIII *post Pent.*, v. 1, n. 14.
Quot causet mala. *Ibid.*, v. 6, n. 5.
Per paralysim proprie significatur acedia quæ inter vitia capitalia connumeratur. *Ibid.*, v. 9, lit. *g*.
Paralyticus. — A Christo in anima et corpore sanatus. *Fer.* III *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 23, n. 2.
Non postulavit sanitatem. *Fer.* VI *post Dom.* I *Quadr.*, v. 7, n. 4.
Pauper erat. *Ibid.*, v. 5, n. 1.
Figura est peccatoris. *Ibid.*, v. 7, n. 22.
Ejus fides. *Ibid.*
Se ostendit obedientem. *Ibid.*, v. 11, n. 1.
Cur sanatur in sabbato. *Ibid.*, v. 9, n. 4.
Paralyticus peccatoris figura est. *Dom.* XVIII *post Pent.*, v. 1, lit. *h*.
Paralyticus Evangelicus animam in Purgatorio detentam representabat. *Ibid.*, v. 2, lit. *c*.
Paralyticus significat quemlibet peccatorem, specialiter tamen inveteratum in peccatis. *Ibid.*, v. 6, lit. *b*.
Parentes. — Parentes punili ob malam filiorum educationem. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 42, n. 5.
Reciprocam a filiis merentur gratiam. *Ibid.*, v. 51, n. 6.
Obligantur ad dandum bonum exemplum. *Ibid.*, v. 42, n. 9. Item. *Dom.* XX *post Pent.*, v. 53, n. 9.
Deus non inventur inter parentes. *Ibid.*, v. 44, n. 7.
Comitentur filios ne devient. *Ibid.*, v. 51, n. 6 et 7.
A sacris rebus divertunt. *Ibid.*, v. 43, n. 11.
Patres spirituales nobis idonei sunt et necessarii. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 4, n. 6.
De inordinato parentum affectu. *Fer.* III *post Dom. Pass.*, v. 3, n. 7.
In quo consistat honorare parentes. *Fer.* III *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 5, n. 4.
Parentes incurii causa sunt perditionis filiorum. *Dom.* XV *post Pent.*, v. 15, n. 22.
Parentes Jesu ter singulis annis ad templum ascendebant. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 12, lit. *a*.
Nimius parentum rigor, nimiaque eorumdem benignitas filiis damna gravia conciliant. *Ibid.*, v. 53, lit. *b*.
Provocant filios suos ad iracundiam cum se eis duros, inexorabiles et injustos præstant. *Ibid.*, v. 48, lit. *c*.
Magna supplicia manent parentes vel superiores qui correctionem adhibere negligunt. *Dom. in Albis*, v. 19, lit. *g*.
Sicut nimius parentum rigor, sic et nimia in liberos benignitas culpabilis est. *Dom.* XV *post Pent.*, v. 12, lit. *i*.
Pascha. — Paschale festum cum omni puritate, sinceritate, virtute et candore peragendum est. *Fest. Pasch.*, v. 5, lit. *e*.
Lætitia Paschalis tum optime celebratur, quando pauperi petenti eleemosynam subvenitur. *Dom. in Albis*, v. 20, lit. *d*.
Passio Christi. — Passio Christi quamdiu duraverit. *Dom. infra Octav. Nativ.*, v. 34, n. 25.
Est gloria Christi. *Dom. Quinq.*, v. 31, n. 2.
Est navis conducens ad portum salutis. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 23, n. 2 et 7.
Christus Dominus ab omnibus requirit ut passionem ejus attente meditentur. *Dom.* IV *Adv.*, v. 2, lit. *e*.
Meditatio passionis Christi magnam parit animæ consolationem. *Dom. infra Octav. Nativ.*, v. 33, lit. *e*.
Passio Christi Paradisum nobis aperit. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 23, lit. *a*.
Christi pro nobis passi devota consideratio nos a peccatis præservat. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 27, lit. *v*.
Cogitatio passionis Christi facit nos non delicere. *Dom.* VI *post Epiph.*, v. 31, lit. *e*.
Non absque mysterio multoties Christus discipulis suis prædixit mortem et passionem suam. *Dom. Quinq.*, v. 31, lit. *d*.
Ut passio Christi in nobis fructuosa reddatur, necessum est ut eamdem per opera illi correspondentia imitemur. *Ibid.*, lit. *e*.
Optime ex passione Filii Dei in notitiam devenitur gravitatis peccati. *Dom.* II *Quadr.*, v. 1, lit. *h*.
In passione sua Christus maximum dolorem sensit ex horrendis contra eum blasphemiis prolatis. *Dom.* III *Quadr.*, v. 15, lit. *g*.
Passionis Christi devota meditatio adeo potens est, ut ea adjuvante, serpentis infernalis insidias evadere facile possimus. *Ibid.*, v. 21, lit. *b*.
Nihil Domino Salvatori nostro erat dulcius et jucundius quam suæ mortis repræsentatio. *Dom.* IV *Quadr.*, v. 1, lit. *b*.
Christus Dominus non trahitur ad mortem sed venit motus amoris igne. *Dom. Palm.*, v. 1, lit. *b*.
In extremo judicio exacta ratio sumenda est ab iis qui mortem et passionem Christi contempserunt. *Ibid.*, lit. *e*.
Filius Dei in variis occasionibus testatam facere voluit

lætitiam quacum se ad redemptionis nostræ opus consummandum accingebat. *Ibid.*, lit. *g*.
Passio Domini efficax est remedium adversus diabolicas tentationes. *Fest. Pasch.*, v. 2, lit. *c*.
Hoc Christus a nobis sollicite requirit, ut passionem ejus attente meditemur. *Dom. in Albis*, v. 19, lit. *d*.
Christus sollicite a nobis requirit ut meditemur passionem ejus. *Dom.* IV *post Pasch.*, v. 5, lit. *f*.
Multis aliis modis poterat Deus naturam humanam reparare, sed non satis manifestassent immensitatem amoris sui erga nos. *Dom.* XVII *post Pent.*, v. 37, lit. *a*.
Per Christi patientis et morientis considerationem, lumen acquiritur. *Dom.* XIX *post Pent.*, v. 4, lit. *a*.
Passiones. — Homo, in passione, adeo cæcus est ut seipsum conficiat cum damno proprio. *Dom.* III *Adv.*, v. 19, lit. *c*.
Propter passiones judicum judicia passim injusta fiunt. *Dom.* IV *Adv.*, v. 1, lit. *c*.
Passionibus nostris bellum voluntarium indicendum est. *Dom. Septuag.*, v. 1, lit. *h*.
Pastores. — Pastorum officium. *Fer.* V *post Dom.* III *Quadr.*, v. 13, n. 6.
Pastores a Deo ad principatum assumpti fuere. *Fer.* IV *post Dom.* II *Quadr.*, v. 21, n. 3.
Quomodo se in officio suo gerere debeant. *Dom.* XXIII *post Pent.*, v. 18, n. 15, et v. 19, n. 3.
Pastor discretus similis est matri. *Dom.* III *post Pent.*, v. 4, n. 7.
Est nomen expressivum humilitatis et amoris. *Dom.* II *post Pasch.*, v. 11, n. 2.
Hac similitudine Christus olim expressus fuit. *Ibid.*, n. 5.
Cui titulus boni Pastoris solum conveniat. *Ibid.*, n. 6.
Quas debeat habere qualitates. *Ibid.*, n. 9.
Quomodo animam pro ovibus ponere debeat. *Ibid.*, n. 6 et 22.
Differentia inter eum et mercenarium. *Ibid.*, v. 12, n. 2, et v. 11, n. 2.
In quo consistat bonitas boni pastoris. *Ibid.*, v. 14, n. 2.
In cognitione Pastoris æterni, salus nostra consistit. *Ibid.*
Oves illos sequuntur et amant, etiam pelle lupina vestitos. *Dom.* VII *post Pent.*, v. 15, n. 2.
Pastores Ecclesiastici quam diligentes esse debeant. *Dom.* III *post Pent.*, v. 4, n. 17.
Pastor oves suas vitæ suæ exemplaritate præcedit, quia ante eas vadit. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 23, lit. *c*.
Bonus Pastor vitam suam non solum pro omnibus posuit, verum etiam pro unaquaque ovicula in particulari. *Dom. in Albis*, v. 26, lit. *a*.
Nullo parcit labori, ut ovibus consulat. *Dom.* II *post Pasch.*, v. 11, lit. *c*.
Non sufficit quod animam suam ponat, adversitates subeat, sed quod illam et illas libenter, ut hilaris dator offerat. *Ibid.*, v. 11, lit. *k*.
Deus est pastor, cujus oves sunt animæ hominum ab illo creatæ. *Ibid.*, v. 12, lit. *b*.
Si aliquis ex pastoribus, aliquis Prælatus improbus fuerit, Christum tamen repræsentat. *Ibid.*, v. 16, lit. *a*.
Boni pastores dormientibus subditis ipsi pervigilant. *Dom.* XII *post Pent.*, v. 31, lit. *a*. Vide PRÆLATI, SUPERIORES.
Pater. — Pater noster quis vere sit. *Fer.* III *post Dom.* II *Quadr.*, v. 9, n. 2.
Deus Pater, in parabola, dicitur homo propter dilectionem quam habet ad hominem. *Dom.* XIX *post Pent.*, v. 2, lit. *c*.
Patresfamilias. — Patrestamilias Deo gratissimi sunt curando servos infirmos. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 6, n. 1, et v. 10, n. 10.
Deus, paterfamilias optimus, vigilat super familiam suam. *Dom. Septuag.*, v. 1, lit. *c*, *d*.
Christus est paterfamilias egressus ut quærat operarios in vineam suam. *Ibid.*, v. 3, lit. *b*.
Patientia. — Patientia Christi in monte Calvariæ. *Fer.* II *post Dom.* III *Quadr.*, v. 28, n. 4.
Patientia in servis Dei magnum perfectionis signum. *Dom.* II *post Pasch.*, v. 14, n. 14.
Utilitas summa et meritum per unicam in adversitate patientiam acquiritur. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 4, lit. *d*.
Patientia Dei in expectando peccatorem ad resipiscentiam, misericordiam ejus infinitam ostendit. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 1, lit. *d*.
Patientiæ virtus non tantum utilis conveniens et delectabilis est, sed omnino nobis necessaria. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 24, lit. *m*.
In sinistris eventibus mentem placidat, interiorem hominem componit, et suggerit lætitiam. *Ibid.*, lit. *n*.
Optimum et præstans est antidotum victoriosa patientia. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 25, lit. *k*.
Non sufficit cor honestum et utile, nisi adsit patientia in sustinendo adversa. *Dom. Sexag.*, v. 16, lit. *a*.
Patientiæ aliquid divinum inest. *Dom.* I *Quadr.*, v. 1, lit. *e*.
Dum Jesus Christus discipulos suos ad patientiam invitavit, ad omnia genera virtutum eos exercenda misit. *Dom. in Albis*, v. 21, lit. *a*, *b*.
Patientia in tribulationibus moneta est qua emi potest regnum cœlorum. *Fest. Pasch.*, v. 3, lit. *b*.
Pati pro Christo forsitan majus donum est quam mortuos suscitare. *Dom.* II *post Pasch.*, v. 11, lit. *i*.
Patientia ab amore Dei procedit, cui proprium est peccata extinguere. *Dom.* V *post Pent.*, v. 23, lit. *b*.
Patientia est quidam character hominis christiani per quem ab aliis hominibus distinguitur. *Ibid.*, v. 20, lit. *c*.
Patientia patienter perseverantem deducit usque ad consummatæ victoriæ bravium. *Dom.* XVIII *post Pent.*, v. 6, lit. *n*.
Patientia hominem in immensum ditat. *Dom.* XXI *post Pent.*, v. 26, lit. *d*.
Nunquam nos animas timere possumus, quando patientiæ fundamentum subsistit. *Ibid.*, v. 34, lit. *g*.
Patientia Dei ad pœnitentiam invitat malos, sicut flagellum Dei ad patientiam erudit bonos. *Dom.* XXII *post Pent.*, v. 19, lit. *b*.
S. Paulus. — Veræ humilitatis exemplar. *Dom.* III *Adv.*, v. 27, lit. *a*.
Dum profectum remunerationis considerat, vile æstimat quod pene deficiens laborat. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 6, lit. *b*.
Affectibus et corde suo, ab omnibus hujus vitæ bonis alienus erat. *Fest. Pent.*, v. 28, lit. *a*.

Quamprimum ingressus fuit scholam Christi didicit patientiam. *Dom.* VI *post Pent.*, v. 6, lit. *a*.
Dilectionem proximi prædicat. *Dom.* VII *post Pent.*, v. 21, lit. *b*.

Pauperes. — Pauperes personam Christi repræsentant. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 7, n. 2.
Cum auxilio et compassione sublevandi. *Fer.* IV *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 1, n. 1.
Cur Deus voluit eos in mundo esse. *Dom.* IV *Quadr.*, v. 11, n. 15.
Christo et eulo consequendo aptiores sunt. *Fer.* III *post Dom. Pass.*, v. 12, n. 4.
Ad devotionem proniores quam divites. *Dom.* IV *Quadr.*, v. 2, n. 4.
Præ divitibus magis inclinati ad misericordiam. *Dom. Palm.*, v. 3, n. 3.
In persona pauperum eleemosynam ipse Jesus accipit. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 16, lit. *a*.
Nullus prope pauper est qui non possit aliquo modo eleemosynam erogare. *Dom.* IV *Quadr.*, v. 11, lit. *b*.
Obsequium a fidelibus impendi debet, membris Christi vivis, egenis, paupertate pressis. *Fest. Pasch.*, v. 6, lit. *a*.
Naves quæ per mare hujus vitæ ad Paradisi littora trajiciunt sunt pauperes quibus ut committamus divitias nostras convenit. *Dom.* III *post Pasch.*, v. 18, lit. *e*.
Pauperibus, orphanis et his qui omni humano præsidio destituti sunt. Deus suo adest auxilio quando tribulantur. *Dom.* IV *post Pasch.*, v. 7, lit. *f*.
Deus debitor fit illius qui miseretur pauperum. *Dom.* I *post Pent.*, v. 38, lit. *a*.
Deus in paupere inope se nobis exhibet : ad eum placandum sola sufficit eleemosyna. *Dom.* VIII *post Pent.*, v. 1, lit. *e*.
Amicitia pauperum regum amicos constituit, amor paupertatis reges. *Ibid.*, v. 9, lit. *a*
Pauperum tanta est dignitas ut non solum sibi, sed etiam aliis possint parare æterna tabernacula. *Ibid.*, lit. *c*.
Pauperes omnino æternam promovent divitum salutem. *Dom.* XIV *post Pent.*, v. 24, lit. *d*.

Paupertas. — Purgatorium hujus vitæ. *Fer.* V *post Dom.* II *Quadr.*, v. 22, n. 8.
Non impedit sapientiam. *Fer.* IV *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 30, n. 4.
Desiderabilior divitiis. *Fer.* V *post Dom.* II *Quadr.*, v. 22, n. 12.
Dominus noluit habere quod perderet, et ideo pauper huc venit, ne haberet diabolus quod auferret. *Fest. Pent.*, v. 30, lit. *a*.
Non semper laudabilis paupertas, sed quæ juxta consilium Evangelicum libera voluntate suscepta periclitur. *Dom.* VIII *post Pent.*, v. 9, lit. *a*.
Christus non despexit paupertatem et simplicitatem. *Dom.* XIX *post Pent.*, v. 11, lit. *a*.

Pax. — Consueta inter Judæos salutationis forma. *Dom. in Albis*, v. 19, n. 14.
Fructus est mortis et resurrectionis Christi. *Ibid.*, v. 19, n. 30.
Pax et charitas Deus appellatur, ita nos admonens, ut has virtutes tanquam Deum consequi studeamus. *Dom. Palm.*, v. 8, lit. *a*.
Sub nomine pacis omne bonum et salutarem prosperitatem Judæi precabantur. *Dom. in Albis*, v. 19, lit. *h*.
Voluntas Dei est ut divina pax inter contradictiones acquiratur et conservetur. *Ibid.*, v. 21, lit. *c, d*.
Pax est signum distinctivum ovium Christi. *Dom.* II *post Pasch.*, v. 14, lit. *d*.
Ipse qui est pax atque charitas in bonis et pacificis voluntatibus habitationem suam collocavit. *Dom.* V *post Pasch.*, v. 23, lit. *a*.
Discedens Dominus ex hoc mundo, suis pacem tanquam propriam hæreditatem relinquit. *Fest. Pent.*, v. 27, lit. *a*.
Pax includit summam animi serenitatem et tranquillitatem, in bona conscientia fundata. *Ibid.*, lit. *b*.
Bonorum omnium compendium est pax. *Ibid.*, lit. *f*.
Pacem Christus voluit acquiri et conservari vincendo passiones nostras. *Ibid.*
Quisquis pacem possidet, neque in hac, neque in altera vita, quidquam pretiosius desiderare poterit. *Ibid.*
Deus pacem curat et magni illam æstimat. *Dom.* XIII *post Pent.*, v. 12, lit. *a*.

Peccatores. — Qualiter fiant deteriores. *Dom. Septuag.*, v. 15, n. 15.
Habituati difficulter resurgunt. *Dom.* XV *post Pent.*, v. 14, n. 20.
Conversi ferventiores sunt innocentibus. *Dom.* III *post Pent.*, v. 7, n. 4.
Quot conditiones habere debeant, ut pœnitere censeantur. *Dom.* X *post Pent.*, v. 13, n. 6.
Quotupliciter vocentur ad pœnitentiam. *Dom.* VIII *post Pent.*, v. 2, n. 15.
A quatuor elementis ad mortem portantur. *Dom.* XV *post Pent.*, v. 14, n. 15.
Quot sint eorum gradus. *Dom.* XXIII *post Pent.*, v. 18, n. 13.
Ad pœnitentiam reducti, cœli possessores fiunt. *Dom.* III *post Pent.*, v. 1, n. 9.
Nutritores sunt diaboli. *Dom.* XXII *post Pent.*, v. 18, n. 2.
Semper patiuntur remorsus conscientiæ. *Dom.* XXI *post Pent.*, v. 24, n. 6.
Quomodo resurgere debeant. *Fer.* VI *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 14, n. 17.
Immersi peccatis visitantur a Deo. *Fer.* VI *post Dom.* III *Quadr.*, v. 6, n. 25.
Cooperari debent suæ justificationi. *Fer.* VI *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 39, n. 4.
Qualiter malitiæ apicem attingant. *Fer.* II *post Dom.* II *Quadr.*, v. 25, n. 2.
Illorum pulchritudo post pœnitentiam. *Fer.* VI *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 44, n. 10.
Omni tempore recipi ad pœnitentiam debent. *Fer.* III *post Dom.* III *Quadr.*, v. 22, n. 1.
Deum ex anima sua petiunt. *Fer.* II *post Dom.* III *Quadr.*, v. 29, n. 5.
Signantur in hædis. *Fer.* II *post Dom.* I *Quadr.*, v. 33, n. 6.
Contra peccatores creaturæ armabuntur in die judicii. *Dom.* I *Adv.*, v. 25, lit. *o*.
Crimen suum dum occultare vult peccator magis manifestat. *Dom.* II *Adv.*, v. 2, lit. *i*.
Quos modo Deus sustinet peccantes, judicaturus est contemnentes. *Dom. infra Octav. Nativ.*, v. 34, lit. *g*.

Peccatorum turba sarcina criminum et pondere gravata, in altum scandere non valet. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 1, lit. *a* et *d*.
Turba peccatorum in infimis existens Domini Salvatoris adventum præstolatur. *Ibid.*, lit. *b*.
Peccatores omnes, mali et iniqui diabolus inter fideles seminat, ut zizania. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 25, lit. *i*.
Peccator peccare volens Deum prius a mente per ignorantiam quasi repellit. *Ibid.*, lit. *l*.
Peccator incorrigibilis et toti reipublicæ damnabilis publice reprehendendus est. *Dom. Septuag.*, v. 6, lit. *e*.
Peccatores qui surdi et in peccatis indurati sunt, Dei misericordia redduntur indigni, non vero ex fragilitate peccantes. *Ibid.*, v. 7, lit. *a*.
Tota diaboli potestas in peccato solo consistit. *Dom.* III *Quadr.*, v. 14, lit. *b*.
Antiquum est habituatum peccatorem in salutis statum reducere. *Ibid.*, lit. *f*.
Peccator habituatus, a quo monetur et corrigitur, nequaquam amat, nec æstimat, nec ei credit, sed ridet, contemnit et odit. *Dom. Pass.*, v. 18, lit. *f*.
Ministerio Sacerdotum a peccatis absolvendus est, ut ad Christum veniat. *Dom. Palm.*, v. 2, lit. *h*.
Qualibet peccator remedium potest obtinere pro qualibet peccato. *Dom. in Albis*, v. 23, lit. *b*.
Peccatores, quantum ex parte ipsorum est, si possent, causam crucifixionis ejus renovare non desinerent. *Ibid.*, v. 27, lit. *c*.
Peccator, maxime carnalis, nescit quo vadat, carnis enim vitium excæcat intellectum. *Dom.* IV *post Pasch.*, v. 5, lit. *b*.
Voluptatibus deditus peccator, propter modicas transitorias vanitates, æternam mensam despicit aut negligit. *Dom.* II *post Pent.*, v. 19, lit. *b*.
Passim ferarum nomine a Scriptura indigitatur. *Ibid.*
Dominus cum magna patientia et longanimitate expectat peccatores. *Dom.* III *post Pent.*, v. 1, lit. *a*.
Nullum cibum lautiorem Christo appones quam publicanos si convertantur. *Ibid.*, v. 2, lit. *c*.
Viæ peccatorum quibus descendunt in infernum difficiles et amare sunt. *Ibid.*, v. 6, lit. *a*.
Multi retia sua in mari hujus mundi tendunt et nihil capiunt, quia peccatores sunt. *Dom.* IV *post Pent.*, v. 5, lit. *c*.
Peccator habituatus se et suam conscientiam contemnit, leges, homines, pœnas et verecundiam floccipendit. *Dom.* VIII *post Pent.*, v. 4, lit. *a*.
Quæ prædicantur Judæis imponitentibus, prædicantur et peccatoribus in peccato morientibus. *Dom.* IX *post Pent.*, v. 43, lit. *a*.
Deus peccatorem castigat, ut in sua castigatione emendetur, et a vitiis resipiscat. *Dom.* XI *post Pent.*, v. 32, lit. *a*.
Dum per peccatum in dæmonum potestate transit, divina gratia, virtutibus gratuitis et donis exuitur. *Dom.* XII *post Pent.*, v. 30, lit. *b*.
Criminum divulgatione sæpe impudentiores redduntur homines. *Ibid.*, v. 34, lit. *a*.
Sæpe sæpius in sacris Scripturis peccator irrationabilium animalium nomine indigitatur. *Dom.* XIV *post Pent.*, v. 26, lit. *a*.
Residet peccator, cum incipit pœnitentiam agere, cum deflet, quidquid deliquit. *Dom.* XV *post Pent.*, v. 15, lit. *a*.
Peccatores surdi et indurati misericordia Dei efficiuntur indigni. *Dom.* XVI *post Pent.*, v. 1, lit. *e*.
Qui peccatorem reducit ad pœnitentiam, hunc sua industria ab æterna eximit morte. *Ibid.*, v. 3, lit. *b*.
Mali non amant seipsos, quia non solum non amant animam suam, sed eam oderunt. *Dom.* XVII *post Pent.*, v. 39, lit. *a*.
Peccator peccare volens notitiam Dei a se repellit. *Ibid.*, v. 42, lit. *a*.
In rebus creatis peccator ultimum suum finem ponit, Deum autem spernit. *Ibid.*, v. 43, lit. *a*.
Omnis peccans merito appellatur ignorans, et omnis divinæ legis transgressio est ignorantia. *Ibid.*
Exemplo servi cui remittuntur decem millia talentorum, omnes peccatores intelligere possunt quantam spem habere licet. *Dom.* XXI *post Pent.*, v. 24, lit. *d*.
Peccator ab infantia in peccatis habituatus difficile corrigitur. *Dom.* XVIII *post Pent.*, v. 6, lit. *b*.
Peccatores peccatorum suorum deprecaturi divinæ se committere debent Dei misericordiæ. *Dom.* XXI *post Pent.*, v. 26, lit. *a*.
Non potest peccator resurgere ex peccato, nisi Deus eum adjuvet. *Ibid.*, v. 24, lit. *a*.
Peccator mortaliter peccans semetipsum offendit et damnificat. *Ibid.*, v. 31, lit. *d*.
Tempore ipso quo a Deo vocatur, ut pœnitentiam agat et confiteatur, peccator voci ejus pareat. *Dom.* XXIII *post Pent.*, v. 20, lit. *e*.
Deposita verecundia sarcinam deponat peccatorum. *Ibid.*, lit. *f*.
Quocumque se vertit peccator, infernum velut umbram circumfert. *Ibid.*, v. 24, lit. *b*.

Peccata. — Peccatum est spina cor pungens. *Dom. Septuag.*, v. 15, n. 4.
Figuratum in lepra. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 1, n. 8.
Iterum crucifigit Christum. *Dom. Quinq.*, v. 33, n. 1.
Peccata leviora maxime vitanda. *Fer.* V *post Dom.* III *Quadr.*, v. 38, n. 24.
Quomodo peccatum fugiendum. *Fer.* V *post Dom.* I *Quadr.*, v. 22, n. 8.
Quos in nobis operentur defectus. *Dom.* III *Quadr.*, v. 14, n. 13.
Tollunt memoriam futuri judicii. *Dom.* IV *post Pasch.*, v. 11, n. 6.
Ob multas rationes reprehensibilia sunt. *Ibid.*, n. 7.
Pejora quibusvis infirmitatibus. *Dom.* XVIII *post Pent.*, v. 2, n. 11.
Occidunt animam, et vitam abbreviant. *Dom.* XII *post Pent.*, v. 30, n. 15.
Quomodo singula mortalia sint infinita. *Dom.* I *post Pent.*, v. 38, n. 15.
Etiam occasiones eorum vitandæ. *Fer.* II *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 15, n. 17. Item. *Fer.* VI *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 43, n. 12.
Sunt causa cur non illuminemur a Deo. *Fer.* IV *post Dom. Pass.*, v. 27, n. 5, et *Fer.* VI *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 44, n. 6.
Peccata sunt animarum plagæ. *Dom.* XII *post Pent.*, v. 30, n. 15.
Patrata contra Dei cultum, graviter punita. *Dom.* IX *post Pent.*, v. 45, n. 3.

Quare peccata interna non habeant statutam pœnam in lege divina. *Dom. V post Pent.*, v. 20, n. 13.
Meliora sunt cum humilitate quam innocentia cum superbia. *Dom. X post Pent.*, v. 11, n. 2.
Peccata sacerdotalia causant ruinam populi. *Dom. IX post Pent.*, v. 45, n. 2.
Tres causant infirmitates. *Dom. XI post Pent.*, v. 32, n. 19.
Peccata omnia ex oblivione mortis et judicii finalis derivantur. *Dom. I Adv.*, v. 25, lit. *i, k, l.*
Unde mensuretur gravitas peccati. *Dom. infra Octav. Nativ.*, v. 33, lit. *c.*
Hujus est naturæ ut licet in abscondito commissum fuerit, nihilominus paulatim detegatur. *Dom. III post Epiph.*, v. 2, lit. *c.*
A peccati commissi servitute nullus homo suis viribus se potest liberare. *Ibid.*, v. 9, lit. *b.*
Tametsi bona opera in statu peccati mortalis facta mortua sint, non tamen ob id a virtuosis operibus desistendum est. *Ibid.*, v. 10, lit. *a.*
Deus observat in pœnis similitudinem et quantitatem. *Dom. IV post Epiph.*, v. 24, lit. *p.*
Peccata nostra naviculam nostram in periculum inducunt naufragii. *Ibid.*, lit. *q.*
In peccatum quadrant maxime lepræ horribiles defectus. *Dom. III post Epiph.*, v. 2, lit. *b.*
Per peccata nostra, dæmoni occasio datur ut mortificet nos. *Dom. V post Epiph.*, v. 24, lit. c.
Unius delicto, cunctorum merita quatiuntur, gravissimum enim onus est peccatum. *Dom. IV post Epiph.*, lit. *r.*
Periculosum est usque ad vitæ horam ultimam persistere in peccatis. *Dom. Septuag.*, v. 4, lit. *b.*
Non qui peccaverit, sed qui in peccatis perseveraverit, odibilis et abominabilis Deo erit. *Ibid.*
Omnis qui grave delinquit, maxime pristina delicta iterando, iterum quasi tradit, illudit et crucifigit Christum. *Dom. Quinq.*, v. 31, lit. *e.*
Summa sunt cæcitas et tenebræ. *Ibid.*, v. 35, lit. *b.*
Peccatum inveteratum difficillime curatur. *Dom. III Quadr.*, v. 14, lit. *g.*
Peccatum est quasi quidam dæmon, per quod et peccatorem dæmon suum efficit. *Ibid.*, lit. *h.*
Si curare parva peccata negligimus, insensibiliter seducti, majora perpetramus. *Dom. IV Quadr.*, v. 11, lit. *c.*
Ex eo quod sanctitas et bonitas ipsius Dei per peccatum læditur, malitia notabiliter ipsius peccati augetur. *Dom. Pass.*, v. 46, lit. *d.*
Peccatum plus timendum est quam mors ipsa. *Ibid.*, lit. *i.*
Quo peccatum magis coram Deo exaggeramus, eo citius ab eodem absolvimur. *Ibid.*, lit. *m.*
Per peccatum homo a summa dignitate ad summam ruditatem et vilitatem delapsus est. *Dom. Palm.*, v. 2, lit. *c.*
Qui peccati servus est, habet sævum et barbarum dominum; non enim parcere novit hæc vitii tyrannis. *Ibid.*, lit. *e.*
Peccatum quod per pœnitentiam non deletur, suo pondere trahit ad aliud. *Ibid.*, lit. *g.*
Sicut cadaver mortuum fœtet, ita et peccatum. *Fest. Pasch.*, v. 6, lit. *e.*
Tanto amplius peccati rubigo consumitur, quanto peccatoris cor magno charitatis igne concrematur. *Ibid.*, v. 7, lit. *a.*
Contra peccata irascendum est, non contra peccantes. *Dom. in Albis*, v. 27, lit. *a.*
Postquam factum est et omnino absolutum, tunc dolores excitat animæ quæ ipsum peperit. *Dom. III post Pasch.*, v. 21, lit. *e.*
Inter omnia, gravissima sunt peccata, quæ ex malitia, non vero fragilitate humana procedunt. *Dom. IV post Pasch.*, v. 8, lit. *a.*
Peccato deleto quoad culpam, remanet tamen pœna solvenda. *Fest. Pent.*, v. 23, lit. *a.*
Peccatorum remissionem facillime impertitur Deus ei qui proximo debita remittit. *Dom. I post Pent.*, v. 37, lit. *a, b, c, d.*
Quantus est offensus, tanta est ejus offensio. *Ibid.*, lit. *d.*
Dominus præcipit nos per modum imperativum, peccatorum nostrorum petere veniam. *Ibid.*, lit. *h.*
Per trabem peccatum grave intelligitur, quo obnoxii existentes, leves aliorum reprehendimus defectus. *Ibid.*, v. 41, lit. *a.*
Peccata nostra nobis gravia non videntur, quia privato nos amore diligentes, clausis nobis oculis, in nostra deceptione blandimur. *Ibid.*, v. 42, lit. *d.*
Anima per peccatum mortale gratiam et amicitiam Dei amittit; velut mancipium dæmoni subjicitur. *Dom. III post Pent.*, v. 4, lit. *a.*
Christus peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum, pondus ipsi Filio Dei grave nimium. *Ibid.*, lit. *b.*
Peccata gravissimi ponderis sunt. *Ibid.*, lit. *d.*
Non est præsentis temporis omnino peccatis carere. *Ibid.*, v. 8, lit. *b.*
Peccatum qualecumque sit, in suis principiis suffocandum est. *Dom. V post Pent.*, v. 22, lit. *d.*
Plus religionis titulo Deum lædimus, qui positi in religione peccamus. *Dom. VII post Pent.*, v. 21, lit. *c.*
Valde decipimur si peccatum abscondi posse credimus. *Dom. VIII post Pent.*, v. 4, lit. *b.*
Quantumvis in mente nostra sint occulta, per aliquod tamen signum externum in vultu transparere solent. *Ibid.*, lit. *c.*
Usitatum humani generis vitium est et latendo peccatum committere, et commissum negando abscondere, et convictum defendere. *Ibid.*, v. 3, lit. *b.*
Peccatum veræ mortis nomen meretur quia animam vera vita privat. *Dom. IX post Pent.*, v. 43, lit. *a.*
Execranda est malitia, Deum scire præsentem et in ejus præsentia peccare. *Ibid.*, v. 44, lit. *a.*
Deus de peccatis nostris sumit materiam unde nos puniat. *Ibid.*, v. 45, lit. *a, b.*
Quædam peccata crucem suam secum bajulant. *Ibid.*, lit. *b.*
Postquam homo ad peccatum semel redierit, facilius peccat. *Ibid.*, lit. *e.*
Peccatum mortale tum a Deo, tum a propria mala conscientia manifestatur. *Dom. X post Pent.*, v. 11, lit. *d.*
Peccati gravitas et malitia dicitur esse infinita, quod adversus Deum pugnet. *Dom. XI post Pent.*, v. 34, lit. *d.*

Peccatum Adami a mala societate originem traxit. *Dom. XIII post Pent.*, v. 12, lit. *c.*
Quodcumque peccatum ex mortis derivatur oblivione. *Dom. XV post Pent.*, v. 12, lit. *a.*
Solum peccatum justam habet deplorandi causam. *Ibid.*, v. 13, lit. *b.*
Deus præcipue odit peccata quæ non casu et forte fortuna fiunt, sed ex malitia et malo proposito peccantium. *Dom. XVI post Pent.*, v. 1, lit. *e.*
Peccatum stultitiam inducit, et hominem omni judicio et ratione privatum demonstrat. *Dom. XVII post Pent.*, v. 35, lit. *b.*
Populus Hebræus non satis plene discernebat inter peccata leviora, vel graviora. *Ibid.*, v. 36, lit. *a.*
Impossibile est cum peccatis salvari; impossibile est ea dilui nisi per Jesum Christum. *Ibid.*
Qui ingenui sunt animi metuunt Deum offendere etiam in minimis. *Ibid.*
Qui peccat mortaliter odit animam suam. *Ibid.*, v. 39, lit. *a.*
Nemo malus qui sibi prius non noceat. *Ibid.*
Peccatum ignorantia vocatur ob defectum notitiæ ipsius Dei. *Ibid.*, v. 43, lit. *a.*
Est aversio a summo bono et conversio ad creaturam. *Ibid.*
Non sapit, nec mentem habet qui peccat; est enim ebrius et ejus caligant oculi. *Ibid.*, v. 42, lit. *a.*
Pondus peccati est adeo grave, quod nos veluti paralyticos in lectum projiciat inferni. *Dom. XVIII post Pent.*, v. 1, lit. *h.*
Peccatum velut insatiabilis fera, corporalem nostram invadit sanitatem. *Ibid.*, v. 2, lit. *i.*
Ignorantiæ et tenebrarum nomine titulatur; cum Deus peccatori sui peccati gravitatis notitiam exhibet, ipse illud mox detestatur. *Dom. XIX post Pent.*, v. 5, lit. *a.*
Impossibile videtur quod is qui Deum agnoscit, eumdem simul offendere queat. *Ibid.*, v. 5, lit. *a.*
Gaudere sibique placere in peccato hoc est quod divinæ justitiæ fulmina a Dei manibus extorquet. *Ibid.*, v. 7, lit. *a.*
Peccatum quod pœnitentia non diluit, mox suo pondere ad aliud trahit. *Ibid.*, v. 11, lit. *a.*
Peccata sic obtenebrant mentes humanas ut illas omnino reddant inefficaces ad opera salutis æternæ. *Ibid.*, v. 13, lit. *e.*
Quot in homine sunt peccata, tot in ipso mortis laquei atque sui carnifices. *Ibid.*, lit. *f.*
Grave malum peccatum quod Deus ipse æternis suppliciis castigat. *Ibid.*, lit. *g.*
Peccatum, vile et infame, hominem vilem reddit. *Dom. XX post Pent.*, v. 46, lit. *f.*
Deus peccata nostra nobis non remittet nisi et nos fratribus injurias non remittamus. *Dom. XXI post Pent.*, v. 23, lit. *a.*
Debitum decem millium talentorum contrahitur quoties mortaliter peccatur. *Ibid.*, lit. *c.*
Auget peccati gravitatem, et personæ offensæ dignitas, et offendentis vilitas, et ipsius offensionis causa. *Ibid.*
Damna multa infert peccatum non solum animæ sed et corpori. *Ibid.*, v. 24, lit. *a.*
Peccatum alterius peccati est pœna. *Ibid.*, lit. *a, b.*
Peccatum unum est dispositio ad aliud. *Ibid.*, lit. *b.*
Peccati gravitas contra Dei majestatem quodammodo est infinita. *Ibid.*, lit. *c, d.*
Deus nobis remittet peccata si nos offensas proximo nostro remiserimus. *Ibid.*, lit. *e.*
Unicus veræ charitatis et amoris gradus ad infinitam peccatorum summam diluendam sufficit. *Ibid.*, v. 26, lit. *a.*
Tanta est peccati gravitas ut, licet transitum sit, Deus tamen æternis pœnis castiget illud. *Ibid.*, v. 34, lit. *b.*
De peccato quod ex industria committitur, se impius coram Deo excusare nequit. *Dom. XXII post Pent.*, v. 15, lit. *f.*
Post peccatum admissum, statim quærendum est remedium. *Dom. XXIII post Pent.*, v. 18, lit. *f.*
Lethiferum vulnus est et venenum animæ. *Ibid.*, v. 25, lit. *c.*
Quanto diutius peccator pœnitentiam differt sacramentalem, tanto magis, in ejus conscientia, crescit multitudo et pondus peccatorum. *Dom. XXIV post Pent.*, v. 19, lit. *a.*
Multæ sunt rationes cur Deus peccatum in peccatore detestetur. *Ibid.*, lit. *b.*
Peccata etsi levia sint, fugienda tamen. *Dom. III post Epiph.*, v. 3, lit. *f.*
Spiritus Sanctus nos monet ut peccata levia procul a nobis arceamus. *Dom. V post Epiph.*, v. 25, lit. *c.*
Levia peccata superseminat diabolus ut ea gravissimam malitiam superinducant. *Ibid.*, lit. *d.*
Adeo grave est ut Deus illud in altera vita, pœna damni et sensus castiget. *Dom. Septuag.*, v. 13, lit. *c.*
Minuta peccata si negligantur occidunt. *Ibid.*
Sollicite dæmon curat ut in peccata levia pertrahat, ut hac ratione ad graviora committenda pedetentim inducat. *Dom. I Quadr.*, v. 3, lit. *e.*
Per levia peccata dæmon nos multum illaqueat. *Ibid.*, v. 4, lit. *g.*
Multa sunt remedia quibus peccata venialia commissa abolentur. *Dom. III post Pent.*, v. 8, lit. *b.*
Peccata venialia animam a prompta consecutione gloriæ impediunt. *Dom. V post Pent.*, v. 20, lit. *f.*
Venialia et leviora peccata nobis vitanda sunt, quo a gravioribus tutiores simus. *Ibid.*, v. 22, lit. *f.*
Peccata venialia in Sacramento Eucharistiæ remittuntur. *Dom. XXI post Pent.*, v. 26, lit. *c.*
Pectus. — Tundere pectus arguere est quod latet in pectore peccatum. *Dom. X post Pent.*, v. 13, lit. *g.*
Pecunia. — Pecunia in arca reclusa, infructifer manet, sed pauperibus data ex amore Dei, fructum affert centuplum. *Dom. I post Pent.*, v. 38, lit. *b.*
Non prohibet Deus habere pecuniam sed illam habere ut dominum cui serviatur. *Dom. XIV post Pent.*, v. 24, lit. *m.*
Pedes. — Pedes Christi peccatorum refugium. *Fer. VI post Dom. IV Quadr.*, v. 32, n. 5.
Peregrinatio. — Christus in peregrini specie apparuit ut nos qui membra ejus sumus, in hac vita peregrinos et advenas nos esse sentiamus. *Dom. Quinq.*, v. 37, lit. *a.*
Peregrini. — Non modo invitandi, sed et cogendi sunt. *Dom. II post Pent.*, v. 23, n. 16.
Perfecti. — Viros timoratos et perfectos sæpe gula seduxit. *Dom. II post Epiph.*, v. 2, lit. *a.*
Perfectissimi viri hostibus inaccessi et terribiles, quan-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

doque suo casu dissolvuntur, maxime quando peccandi occasionibus se temere nimis exponunt. *Dom.* I *Quadr.*, v. 5, lit. *b*.

Nemo tam perfectus et sanctus est qui non habeat aliquando tentationes. *Dom.* XVII *post Pent.*, v. 41, lit. *a*.

Perfectio. — Qui in via spiritus ad majorem semper perfectionem non ascendit, in periculo est deficiendi. *Dom. Septuag.*, v. 3, lit. *d*.

Solus potest ascendere montem perfectionis qui omnes mundi res, firmus adhærens Christo, transcendit. *Dom.* II *Quadr.*, v. 1, lit. *g*.

Perfectio in fugiendis pro viribus nostris venialibus culpis et defectibus consistit. *Dom.* IV *Quadr.*, v. 2, lit. *b*.

Mors ad perfectionis acquisitionem, virtutum christianarum exercitium, denique servitium plurimum conducit. *Dom.* XV *post Pent.*, v. 12, lit. *a*.

Periculum. — Magnitudo periculi, ubi magnitudo gloriæ. *Dom.* III *Adv.*, v. 19, lit. *i*.

Dæmon legit periculum specie honesti amoris vel amicitiæ. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 1, lit. *e*.

Periculum felix quo docemur ubi salutis sit anchora. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 25, lit. *e*.

Persecutio. — Martyres efficit, adulatio autem facit apostatas. *Dom.* II *Adv.*, v. 4, lit. *b*.

Persecutiones et adversitates quasi character inseparabilis sunt viri Christiani. *Dom.* II *post Pasch.*, v. 14, lit. *c*.

Deus omnibus amoris servitiique divini intuitu, labores, tribulationes aut persecutiones sufferentibus opportunum impertitur solatium. *Dom. infra Octav. Nativ.*, v. 36, lit. *a*.

Persecutiones saluti utiliores multo sunt quam pax temporalis et tranquillitas. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 43, lit. *d*.

Perseverantia. — Perseverantia finalis bonorum operum est totum punctum salutis nostræ. *Dom. Septuag.*, v. 8, n. 2.

Qualificat omnia opera. *Ibid.*, v. 11, n. 10.

Necessaria est in orando. *Dom. Quinq.*, v. 39, n. 5.

Absque speciali Dei assistentia boni constantes non perseverant inter perversos. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 2, lit. *f*.

Qui perseverantiam negligit, similus est et sibi ipsi multorum damnorum causa est. *Ibid.*, v. 4, lit. *c*.

Perseverantiæ duo motiva efficacia. *Ibid.*

Perseverantiam Dominus noster nos docuit, dum omnia opera sua ad perfectionem perduxit. *Dom. Palm.*, v. 8, lit. *f*.

Perseverantia quæ cœli porta est, merita nostra adauget et præmiat. *Dom.* V *post Pasch.*, v. 23, lit. *c*.

Non propterea a prece cessandum est quia Deus non acceptat. *Ibid.*, v. 24, lit. *b*.

Non omnes saturati sunt panibus in deserto, sed illi soli qui usque ad finem sustinuerunt Dominum. *Dom.* VI *post Pent.*, v. 1, lit. *a*.

Perseverantia hominum in persequendis bonis terrenis, nostram damnat negligentiam in servitio Dei. *Ibid.*, v. 2, lit. *b*.

Non quæruntur in Christianis initia sed finis. Paulus male cœpit et bene finivit. *Dom.* VII *post Pent.*, v. 16, lit. *b*.

Perseverans in vita spirituali et pœnitente tolerantia habenda est, cum respectu ad cœlestem tolerantiam. *Dom.* XIII *post Pent.*, v. 12, lit. *b*.

Qui perseverantiam negligit Deo injuriam facit, stultum se esse probat sibique causa multorum damnorum est. *Ibid.*, v. 17, lit. *c*.

Perseverantia, quæ cœli porta est, merita nostra adauget et præmiat, finemque respicit. *Ibid.*

Perversi. — Perversi difficile corriguntur quia stulti sunt. *Dom.* XVII *post Pent.*, v. 35, lit. *b*.

Pestileus. — Sapiens pestilentem appellat eum qui non amat corripi et a suis erroribus emendari. *Dom. Pass.*, v. 46, lit. *b*; et *Dom.* XXII *post Pent.*, v. 15, lit. *a*.

Petra. — Petra sepulchri Lazarini quid denotet. *Fer.* VI *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 39, n. 4.

S. Petrus. — S. Petrus negavit Christum quia a longe sequebatur eum. *Dom.* XXII *post Pent.*, v. 15, n. 2.

Christum negavit, quia nimis præsumpsit de se. *Dom.* X *post Pent.*, v. 9, n. 7.

In conspectu Christi, humilem et vilem se judicavit. *Dom.* IV *post Pent.*, v. 8, n. 6.

Vicinus Christo animosus fuit. *Fer.* V *post Dom. Pass.*, v. 2, n. 1.

Ob humilitatem suam declaratur caput Ecclesiæ. *Dom.* III *Adv.*, v. 27, lit. *a*.

Tranquillitas est ubi Petrus solus navigat, tempestas ubi Judas adjungitur. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 24, lit. *c*.

In atrio summi Sacerdotis turpiter cecidit, sed egressus foras, flevit amare et resurrexit. *Ibid.*

S. Petro clavem naviculæ suæ, id est, Ecclesiæ, commisit. *Ibid.*, lit. *j*.

Post Ascensionem Domini, unus est pastor Petrus, unus etiam pastor Petri successor Romanus Pontifex. *Dom.* II *post Pasch.*, v. 16, lit. *b*.

Dominus imperat Simoni navim in altum ducere, ut subdi et obedire sciat qui ad Ecclesiæ eligebatur præfecturam. *Dom.* IV *post Pent.*, v. 4, lit. *b*.

Judicat Petrus, et Petri judicia confirmat Omnipotens. *Dom.* XIII *post Pent.*, v. 14, lit. *a*.

Petrus Dominum suum tunc abnegavit, quando extra Domini sui conspectum positus fuit. *Dom.* XXI *post Pent.*, v. 28, lit. *a*.

Pharao. — Pharao typus dæmonis populi Dei etiamnum lactantem in aquis Nili submergi præcipit. *Dom.* I *Quadr.*, v. 4, lit. *b*.

Pharisæi. — Maligni in interrogando. *Dom.* XVII *post Pent.*, v. 35, n. 2.

Erant veluti inter nos religiosi. *Dom.* X *post Pent.*, v. 10, n. 5.

Pharisæus hypocrita erat, ac propterea coram Deo abominabilis. *Ibid.*, lit. *b*.

Pharisæus non est exauditus quia charitate deficiebat. *Ibid.*, lit. *d*.

In pœnam præsumptionis et arrogantiæ suæ fuit reprobatus. *Dom.* XVI *post Pent.*, v. 10, lit. *b*.

Christum persequebantur injuriis, tentabant dolis, interrogatione pulsabant, appetebant contumeliis et tota cupidi simulatione vallabant. *Dom.* XXII *post Pent.*, v. 15, lit. *d*.

Dæmonis vicem agunt, et utuntur dæmonis solertia. *Ibid.*, v. 16, lit. *e*.

Pigritia. — Somnolentia Christi in navicula pigritiam Christianorum denotat. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 24, lit. *g*.

Pigritia et desidia saluti opponitur corporali. *Dom. Sexag.*, v. 5, lit. *g*.

Si pigri et lenti in servitio Dei sumus eum non amare convincimus. *Dom.* IV *Quadr.*, v. 2, lit. *c*.

Piscatores. — Significant Prælatos Ecclesiæ. *Dom.* IV *post Pent.*, v. 2, n. 2.

Pisces. — Quot eorum genera. *Dom.* XI *post Pent.*, v. 19, n. 10.

Parvi quid denotent. *Dom.* VI *post Pent.*, v. 7, n. 3.

Multiplicant præ omnibus aliis animalibus. *Ibid.*, n. 6.

Significant animas per prædicationem conversas. *Dom.* IV *post Pent.*, v. 10, n. 4.

Piscina. — Locus erat pro lavandis victimis. *Fer.* VI *post Dom.* I *Quadr.*, v. 2, n. 1.

Denotat populum Judaicum. *Ibid.*, n. 2.

Figura est pœnitentiæ et passionis. *Ibid.*, n. 4, 5 et 7, et v. 4, n. 4. Vide Pontricus.

Planctus. — Procedit a lætitia et tristitia. *Fer.* VI *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 35, n. 3.

Thesaurus quidam est. *Dom.* XV *post Pent.*, v. 13, n. 12.

Maxime si adhibeatur ab eo qui peccatum agnoscit. *Dom.* IX *post Pent.*, v. 42, n. 4.

Pœnæ. — Pœnæ damnatorum augentur ex societate aliorum. *Fer.* V *post Dom.* II *Quadr.*, v. 28, n. 1.

Major supplicio ignis est pœna damni. *Fer.* II *post Dom.* I *Quadr.*, v. 41, n. 3.

Damnatorum pœnæ quæ sunt majores. *Dom.* VII *post Pent.*, v. 10, n. 1.

Licet sint infinitæ, culpa tamen inferiores sunt. *Dom.* I *post Pent.*, v. 38, n. 15.

Pœna damni major est pœna sensus. *Dom.* XXI *post Pent.*, v. 31, n. 4.

Pœnæ infernales quam graves sint. *Dom.* IX *post Pent.*, v. 41, n. 1.

Ipsa peccati malitia sui pœna est. *Dom.* III *post Pasch.*, v. 21, lit. *c*.

Pœnitentia. — Verus pœnitentis habitus describitur in Publicano. *Dom.* X *post Pent.*, v. 13, lit. *b*.

Pœnitentia Ninivitica valde accepta fuit. *Ibid.*, v. 41, n. 4.

S. Joannes et Jesus ipse pœnitentiam thema prædicationum suarum assumpserunt. *Dom.* IV *Adv.*, v. 3, lit. *a*.

Quam sit pretiosa. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 48, n. 13.

Pœnitentia vera quas habeat conditiones. *Fer.* VI *post Dom.* I *Quadr.*, v. 8, n. 5.

Qualiter deleat peccatum. *Fer.* VI *post Dom.* III *Quadr.*, v. 26, n. 1.

Quomodo mutet hominem. *Fer.* IV *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 9, n. 4.

Dilata est infructuosa. *Fer.* II *post Dom.* II *Quadr.*, v. 21, n. 3.

Destruit peccatum. *Fer.* IV *post Dom.* I *Quadr.*, v. 42, n. 3.

Pœnitentiam non differre debemus, si salutem nostram assecurare volumus. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 52, lit. *g*.

Amisso per peccatum Deo, cum dolore et lacrymis pœnitentiæ requirendus est. *Ibid.*, v. 45, lit. *b*.

Aquæ pœnitentiæ et austeritatis ineffabiles causant spiritus dulcedines. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 9, lit. *c*.

Per pœnitentis vitæ rigorem experiuntur spiritus dulcedines. *Dom.* VI *post Epiph.*, v. 31, lit. *j*.

Qui putant in fine vitæ pœnitentiam agere, persæpe decipiuntur. *Dom. Septuag.*, v. 6, lit. *i*.

Pœnitentia vera ipsam peccati umbram effugit. *Dom.* I *Quadr.*, v. 3, lit. *d*.

Flendo inaniter se mundant, qui vivendo nequiter inquinant. *Dom.* III *Quadr.*, v. 24, lit. *b*.

Septem sunt veræ pœnitentiæ conditiones. *Dom.* IV *Quadr.*, v. 9, lit. *a*.

Multi abominantur et fugiunt pœnitentiam, crucem quidem videntes, sed non etiam unctionem. *Dom.* III *post Pasch.*, v. 16, lit. *f*.

Quilibet peccator potest, in sacramento pœnitentiæ remedium obtinere pro quolibet peccato. *Dom. in Albis*, v. 23, lit. *c*.

Pœnitentiæ lacrymæ peccatorem faciunt oculatissimum erga Jesum. *Dom.* III *post Pasch.*, v. 20, lit. *a*.

Pœnitentiæ fructus duodecim. *Dom. in Albis*, v. 23, lit. *a*.

In ipsa resurrectionis die, qua Christus a mortuis resurrexit, sacramentum resurrectionis hominum Christus instituit. *Dom. in Albis*, v. 23, lit. *a*.

Qui per pœnitentiam Deum placare contendit, recurrat ad misericordiam erga proximum. *Dom.* I *post Pent.*, v. 37, lit. *e*.

Pœnitentia vera, non annorum numero censetur, sed amaritudine animæ. *Dom.* III *post Pent.*, v. 2, lit. *b*.

Tunc scitur si quis bene pœnitet, scilicet si sitit in audiendo verbum Dei. *Dom.* VI *post Pent.*, v. 2, lit. *e*.

Stultus est peccator qui illud tempus pro pœnitentia destinat quod maxime inopportunum est. *Dom.* VIII *post Pent.*, v. 3, lit. *a*.

Pœnitentia aperit regnum cœlorum, non tamen qualiscumque, sed vera, fructuosa, digna. *Ibid.*

Mundani mala pœnæ, justi vero culpæ noxia deplorant. *Dom.* IX *post Pent.*, v. 41, lit. *h*.

Reprehensibiles valde sunt, qui in exemplis in fine resipiscentium confisi, pœnitentiam differunt. *Dom.* X *post Pent.*, v. 13, lit. *c*.

Pœnitentia non verbis agenda sed et actu. *Dom.* XI *post Pent.*, v. 33, lit. *g*.

Deo ad pœnitentiam vocanti, sine mora parendum est. *Ibid.*

In pœnitentiæ sacramento Sacerdos locum sustinet Dei. *Dom.* XIV *post Pent.*, v. 14, lit. *a*.

Qui in exemplis in fine resipiscentium confisi, pœnitentiam differunt, pœnam in die ultionis sibi thesaurisant. *Ibid.*, v. 24, lit. *b*.

In perditionis suæ periculo sunt qui pœnitentiam procrastinant, quia mors die et hora qua minus putatur, venit. *Dom.* XV *post Pent.*, v. 12, lit. *g*.

Satis alienus est a fide qui ad agendam pœnitentiam tempus senectutis expectat. *Ibid.*, v. 14, lit. *a*.

Non in nostro posita est arbitrio, sed ex mera Dei bonitate imploranda. *Ibid.*, lit. *b*.

Primus gradus pœnitentiæ est humilitas. *Ibid.*, v. 15, lit. *b*.

Filius viduæ Naim resedit per contritionem, cœpit loqui per confessionem, redditus est matri Ecclesiæ per satisfactionem. *Ibid.*, lit. *c*.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Non solum dimittit Deus pœnitenti culpas, imo roganti relaxat pœnas. *Dom.* XVI *post Pent.*, v. 1, lit. *e*.
Pœnitentia est quædam arca depositi in qua repositum est redemptionis nostræ pretium. *Dom.* XIX *post Pent.*, v. 13, lit. *a*.
Magna est in extremo vitæ momento pœnitentiæ difficultas. *Dom.* XX *post Pent.*, v. 18, lit. *d*.
Pœnitentia non ex fide procedens, nec charitate munita, sterilis et sine misericordia manet. *Dom.* XXI *post Pent.*, v. 23, lit. *b*.
Exteriores pœnitentiæ demonstrationes ad nihil valent, nisi vera pœnitentia in corde simul sit. *Ibid.*, v. 31, lit. *e*.
Unica tibi anima est, et pœnitentia sera raro vera est, maxime in articulo mortis. *Dom.* XXIII *post Pent.*, v. 18, lit. *c*.
Qui Deo ad pœnitentiam vocanti tarde respondent, sæpe morte prævenimuntur et pereunt. *Dom.* XXIV *post Pent.*, v. 19, lit. *a*.
Pontifex Romanus. — Unus est pastor Ecclesiæ Romanus Pontifex sub quo militant inferiores multi pastores. *Dom.* II *post Pasch.*, v. 16, lit. *b*.
Populus Hebræus. — A Christo derelictus. *Fer.* III *post Dom.* I *Quadr.*, v. 17, n. 1.
Mancipium omnium popularum. *Ibid.*, n. 2.
Ex populo Dei factus est diabolicus. *Fer.* IV *post Dom.* I *Quadr.*, v. 41, n. 3.
Portæ. — Portæ animarum quæ sint. *Dom. in Albis*, v. 19, n. 8 et 9.
Portæ inferni. — Non prævalebunt adversus Ecclesiam. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 24, lit. *j*.
Porticus piscinæ. — Quid significent. *Fer.* VI *post Dom.* I *Quadr.*, v. 2, n. 7.
Olim juxta templa fabricabantur. *Ibid.*, n. 1.
Possessio. — Quæ in æternum manent, ea sola sunt, sic possideri possunt. *Dom.* XII *post Pent.*, v. 25, lit. *e*.
Postulatio. — Vel simplex afflicti postulatio multum valet apud Deum. *Dom.* XXIII *post Pent.*, v. 20, lit. *c*.
Potestas. — Semper grandis potestas majori timori subjecta est. *Dom.* IX *post Pent.*, v. 41, lit. *b*.
Prædestinati. — Sunt pauci; at multi prædicti. *Dom. Septuag.*, v. 16, n. 5.
Libenter audiunt verbum Dei. *Dom. Pass.*, v. 47, n. 2 et 31.
In hac vita afflicti, in cœlis plus gaudebunt. *Fer.* IV *post Dom. Pass.*, v. 28, n. 4.
Si labantur, Christus eorum emendationem procurat. *Ibid.*, n. 5.
Gressus eorum a Deo respiciuntur. *Ibid.*, n. 6.
Prædestinatio. — Quod sit maximum ejus signum. *Dom. Pass.*, v. 47, n. 6.
Designatur in bono opere. *Dom. Septuag.*, v. 16, n. 5.
Unde proveniat. *Ibid.*, v. 6, n. 2.
Secura redditur per bonam voluntatem. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 4, n. 2 et 3.
Non est absolute in nostra potestate. *Fer.* IV *post Dom. Pass.*, v. 26, n. 1 et 2.
Promissa est a Christo. *Ibid.*, n. 2 et 3.
Includit omnia ad salutem necessaria. *Ibid.*, n. 5.
Requirit nostram cooperationem. *Ibid.*, n. 10.
Quæ causa illius. *Ibid.*, n. 14.
Præcepta. — Præcepta legis Mosaicæ quot fuerint. *Fer.* III *post Dom.* II *Quadr.*, v. 4, n. 2.
Præcepta divina semper ante oculos habenda. *Ibid.*, v. 5, n. 7.
Omnes leges et præcepta ad charitatem dirigantur. *Dom.* XII *post Pent.*, v. 27, lit. *a*.
Præceptum. — Nullo modo salubrius homo reparatur, quam per præceptum. *Dom.* XIX *post Pent.*, v. 3, lit. *b*.
Prædicanda. — Ista duo prædicanda sunt, declinare a malo et facere bonum. *Dom.* IV *Adv.*, v. 3, lit. *a*.
Prædicatio. — Audienda fructuose, et quare. *Dom. Pass.*, v. 51, n. 4.
Pari passu incedit cum Sacramento. *Ibid.*, n. 6.
Libenter audita signum est prædestinationis. *Dom.* XX *post Pent.*, v. 5, n. 14.
Quæ sit fructuosior. *Dom.* XII *post Pent.*, v. 26, n. 3.
Nobilissimum et sublimissimum in Ecclesia Dei est ministerium. *Dom.* III *Adv.*, v. 23, lit. *a*.
Sine concordantibus operibus, vana est causaque scandalum. *Dom.* IV *Adv.*, v. 1, lit. *d*.
Prædicationem Evangelicam longe efficaciorem reddit divina assistentia quam studium et eloquentia. *Ibid.*, v. 2, lit. *j*.
Prædicationis opus præferendum est cognationi carnis. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 4, lit. *b*.
Prædicatio Evangelica e tenui cum Christo cœpit, ac per paucos et humiles Apostolos in totum mundum dilatata est. *Dom.* VI *post Epiph.*, v. 31, lit. *i*.
Cujus vita despicitur, restat ut et prædicatio contemnatur. *Dom. Pass.*, v. 46, lit. *h*.
Prædicatio fidei, quibus et a quibus facta fuerit considerandum est. *Dom. infra Octav. Ascens.*, v. 26, lit. *c*.
Potius facere quam dicere debemus, si efficaciter persuadere velimus. *Dom.* IV *post Pent.*, v. 1, lit. *b*.
Quando Deus assistit illi qui præticat, tunc longe efficacior et copiosior prædicationis fructus exundat. *Ibid.*, v. 6, lit. *a*.
Ad bonam observantiam divinarum legum ante omnia necessarium est prædicare Dei timorem. *Dom.* IX *post Pent.*, v. 45, lit. *d*.
Prædicator. — Per bona opera fructificat. *Dom. Sexag.*, v. 5, n. 4.
Debet intendere profectui auditorum. *Ibid.*, v. 12, n. 3.
Quando sit infructuosus. *Ibid.*, v. 5, n. 8.
Est efficax in persuadendo. *Fer.* II *post Dom.* III *Quadr.*, v. 24, n. 4.
Trina ex parte penes auditorium fidem perdit. *Dom. Pass.*, v. 46, n. 4.
Qualis debeat esse ejus finis. *Fer.* III *post Dom.* III *Quadr.*, v. 49, n. 21.
Ministerium habet excellens. *Fer.* V *post Dom.* III *Quadr.*, v. 45, n. 5.
Debet quandoque uni soli prædicare. *Fer.* VI *post Dom.* III *Quadr.*, v. 26, n. 6.
Cur dæmones non fugat. *Fer.* IV *post Dom.* III *Quadr.*, v. 40, n. 21.
Debet vivere solitarie. *Fer.* V *post Dom.* III *Quadr.*, v. 42, n. 2.
Non debet vindicare proprias injurias. *Fer.* II *post Dom.* III *Quadr.*, v. 30, n. 7.

Caveat alta prædicare coram simplicibus. *Fer.* II *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 2, n. 2.
Ante prædicationem orare debet. *Fer.* VI *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 43, n. 9.
Plus exemplo quam verbo prædicare debet. *Fer.* II *post Dom.* II *Quadr.*, v. 2, n. 2.
Quod habeat officium. *Dom.* XIX *post Pent.*, v. 6, n. 6.
Non debet leviter omittere concionem. *Dom.* II *post Pent.*, v. 21, n. 3.
Modus quo panem verbi Dei dispensare debet. *Dom.* VI *post Pent.*, v. 6, n. 2.
Prædicator veritatis sit contemptor terrenitatis. *Dom.* II *Adv.*, v. 5, lit. *b*.
Prædicator qui non vitat vitium capiditatis, non est prædicator veritatis sed adulator. *Ibid.*
Imitari debet, quando opus est, libertatem et audaciam Joannis Baptistæ. *Ibid.*, v. 2, lit. *d*.
Officium Prædicatoris est mittere animas ad Christum. *Ibid.*, lit. *j*.
Magna auctoritas Prædicatorum, in quorum receptione Deus recipitur. *Dom.* III *Adv.*, v. 23, lit. *a*.
Vox Prædicatoris mirifice proficit quando in manibus una adsunt opera. *Ibid.*, lit. *b*.
Prædicator efficaciter persuadere volens, verbis opera adjungat necesse est. *Dom.* IV *Adv.*, v. 1, lit. *d*.
Finis Prædicatoris unicus esse debet arguere peccata. *Ibid.*, v. 3, lit. *a*.
De pœnis inferni sæpe ad populum verba faciat. *Ibid.*, lit. *e*.
Oportet ut ea quæ docet, quomodo fiant ostendat. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 23, lit. *d*.
Sicut sator effundit semen super terram, sic et Prædicator doctrinam in auditores. *Dom. Sexag.*, v. 5, lit. *a*.
Prædicator qui plausus ambit, contemnit persuasionem. *Dom.* I *Quadr.*, v. 5, lit. *e*.
Prædicatoris vita oportet ut cum verbis concordet. *Dom. Pass.*, v. 46, lit. *e*.
Lota ratia replicat Doctor qui intermisso prædicationis officio, quod alios docuit, ipse implere satagit. *Dom.* IV *post Pent.*, v. 2, lit. *d*.
Prædicator docens populum, non omnino debet a mundo separari, ita ut non conspiciatur. *Ibid.*, v. 3, lit. *b*.
Hic merito deberet esse finis Prædicatorum, pisces Deo capere. *Ibid.*, v. 4, lit. *e*.
Prædicatores non debent scientiæ suæ profunditatem jactare, sed suis sese auditoribus congruenter accommodare. *Ibid.*, v. 10, lit. *a*.
Non sufficit Prædicatores honorare, si illa quæ dicunt exequi noluerit. *Dom.* VI *post Pent.*, v. 2, lit. *e*.
Prædicatores multi in hoc errant quod suam ostentant scientiam, animarum profectum minime respicientes. *Dom.* IX *post Pent.*, v. 45, lit. *d*.
Prædicator patiens et perseverans esse debet. *Ibid.*, lit. *e*.
Cavere debet, ne sit adulator. *Ibid.*
Ille qui propter necessaria hujus vitæ prædicat Evangelium, non Deo sed mammonæ servit. *Dom.* XIV *post Pent.*, v. 21, lit. *i*.
Prædicator Evangelii debet unicuique, juxta particularem cujusque indigentiam convenientia subministrare documenta. *Dom.* XX *post Pent.*, v. 50, lit. *a*.
Cœlestem doctrinam portare videntur in ore, sed dum illi spiritu immundo medullitus alunturur, verbum Dei corrumpunt. *Dom. Sexag.*, v. 5, lit. *i*.
Prælati. — Prælati subditis suis prædicare debent. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 9, n. 1. Item. *Dom. Palm.*, v. 2, n. 17.
Non sustineant cum fastu dignitatem suam. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 44, n. 3.
Negligentes qui sunt. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 23, n. 1.
Hi quam damnosi sint ovili suo. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 24, n. 21.
Perstringuntur qui deliciis dediti sunt. *Ibid.*
Qualiter subditos punire debeant. *Fer.* II *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 15, n. 15.
Quibus debeant conferre honores. *Fer.* IV *post Dom.* II *Quadr.*, v. 23, n. 6.
Debent curare pauperes. *Fer.* V *post Dom.* II *Quadr.*, v. 20, n. 4.
Doctrinæ et vitæ exemplo instruant. *Fer.* III *post Dom.* II *Quadr.*, v. 3, n. 7.
Ignorantes sunt causa præcipitii. *Fer.* IV *post Dom.* III *Quadr.*, v. 16, n. 2.
Prælati Ecclesiastici curent, ut plus amentur, quam timeantur. *Dom.* IV *post Pent.*, v. 3, n. 11.
Quam in subditos habeant obligationem. *Dom.* XII *post Pent.*, v. 23, n. 4.
Quandoque animalia animalibus præferunt. *Dom.* XVI *post Pent.*, v. 6, n. 2.
Honorandi sunt et occultandi eorum defectus. *Ibid.*
Bonum exemplum magnæ est utilitatis et necessitatis in eis qui aliis præsunt. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 23, lit. *c*.
Ad tria debet Prælatus præparare cor suum : ad scientiam, vitam et doctrinam. *Dom.* VI *post Epiph.*, v. 32, lit. *d*.
Minimum de animarum salute cogitant, sed sola habetur reddituum, divitiarum, dignitatis et honoris ratio. *Ibid.*, v. 33, lit. *d*.
Non tam ad dominium quam ad laborem et ad curam subditorum vocati sunt. *Dom. Septuag.*, v. 1, lit. *b*.
Caput communitatis, velut exemplar subditis præluceret debet in virtutibus. *Dom. Pass.*, v. 46, lit. *f*.
Verus superior alios præire debet potius opere ac integritate vitæ, quam verbo ac sermonis elegantia. *Dom.* II *post Pasch.*, v. 11, lit. *e*, *f*.
Bonus et prudens præsul, oves respicit, ad easque fertur non voluntatis affectu, sed intellectu dictamine. *Ibid.*, v. 15, lit. *b*.
Prælatis etiam malis, si tanquam Deo obediremus, obtemperandum est. *Ibid.*, v. 16, lit. *a*.
Principis et Prælati validiora sunt exempla quam verba. *Dom.* IV *post Pent.*, v. 1, lit. *b*.
Nullus melior præfectus quam subditus, qui bene obedire didicit. *Ibid.*, v. 4, lit. *b*.
Ad Prælatos præsertim attinet cavere a falsis prophetis. *Dom.* VII *post Pent.*, v. 15, lit. *b*.
Damna et ruinæ ex crapula rectorum reipublicæ resultant. *Dom.* XIV *post Pent.*, v. 25, lit. *e*.
Superiorum et Prælatorum personam exprimebat servus qui debebat decem millia talentorum. *Dom.* XXI *post Pent.*, v. 24, lit. *f*.
Prælaturæ. — Prælaturæ Ecclesiasticæ non ad dominium sed ad subditorum obsequium ordinatæ sunt. *Dom.* IV *Quadr.*, v. 5, lit. *e*.

Præmium. — Simul crescunt afflictiones et præmii lucrum. *Dom. XV post Pent.*, v. 12, lit. *h*.

Præscientia. — Præscientia Dei non determinat, sed monstrat quod est determinatum. *Fer.* II *post Dom.* II *Quadr.*, v. 24, n. 4.

Præsentia Dei. — Quam sit utilis. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 7, n. 4.

Est frenum nos coercens a peccatis nostris. *Dom.* XXI *post Pent.*, v. 28, n. 2, et *Dom.* XVIII, v. 4, n. 1, et *Dom.* XX, v. 42, n. 1.

Præsentia corporalis Christi in Eucharistia. *Dom.* III *post Pasch.*, v. 16, n. 7.

Gravissimum supplicium est carere præsentia Dei. *Dom. Pass.*, v. 59, lit. *a*.

Ex neglecta consideratione præsentiæ Dei, omnia mala derivantur. *Dom.* XXI *post Pent.*, v. 28, lit. *a*.

Præsumptio. — Præsumptio et æstimatio propria hominem contemptum facit. *Dom.* X *post Pent.*, v. 14, n. 2, et v. 12, n. 2.

Et spes et desperatio timenda est in peccatis. *Dom.* IV *Adv.*, v. 4, lit. *b*.

Justi ipsi caute omnia periculia peccatorum fugiant, ne corruant. *Dom. infra Octav. Nativ.*, v. 34, lit. *c*.

Multi dum de Dei misericordia præsumentes, in peccatis perseverant impenitentes, mori permittuntur. *Ibid.*, lit. *f*.

Labrica est illa spes quæ inter fomenta peccati salvari se sperat. *Dom.* IV *Quadr.*, v. 2, lit. *a*.

Quod alicui gratiose conceditur, ab aliis non debet trahi in exemplum. *Dom.* X *post Pent.*, v. 13, lit. *c*.

Prævaricatio. — Quicumque prævaricatur mandatum Dei, spoliatur atque nudatur. *Dom.* XII *post Pent.*, v. 30, lit. *b*.

Primitiæ. — Primitiæ juventutis offerendæ sunt homini. *Dom.* XV *post Pent.*, v. 14, lit. *a*.

Princeps. — Causas ad religionem spectantes, sine licentia punire non debet. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 28, n. 12.

Quomodo subditos sibi devotos facere possit. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 9, n. 4.

In quo differunt principes mundani ab Ecclesiasticis. *Fer.* IV *post Dom.* II *Quadr.*, v. 16, n. 4.

Ipsorum sententiæ semper applausum habent. *Fer.* VI *post Dom. Pass.*, v. 53, n. 2.

Ab ipsorum negligentia oritur omne malum. *Fer.* II *post Dom. Pass.*, v. 32, n. 2.

Cur sæpe malos habeant ministros. *Ibid.*, n. 4.

Ubique magnum post se comitatum trahunt tam in hac vita quam in altera. *Fer.* IV *post Dom.* III *Quadr.*, v. 14, n. 8.

Princeps defectus subditorum quandoque dissimulare debet. *Dom.* VI *post Pent.*, v. 4, n. 2.

Principes et Prælati, esto quod sublimentur in altum, statim curæ succrescunt, sollicitudines cumulantur. *Dom.* II *post Pent.*, v. 18, lit. *e*.

Christus regibus, magnatibus, aliisque in hoc sæculo honoratis viris, spem dedit salutis. *Dom.* XIX *post Pent.*, v. 11, lit. *a*.

De peccatis populi coguntur rationem reddere. *Dom.* XXI *post Pent.*, v. 24, lit. *f*.

Quis sit verus princeps. *Dom.* XXII *post Pent.*, v. 18, lit. *a*.

Principes Sacerdotum. — Adversus Christum crudeliores fuerunt. *Fer.* III *post Dom. Pass.*, v. 12, n. 4.

Probitas. — Probis probitas ipsa fit præmium. *Dom. Pass.*, v. 16, lit. *c*.

Profanatio. — Omnium pessima ac horrendissima abominatio est locorum Sanctorum profanatio. *Dom.* XXIV *post Pent.*, v. 15, lit. *a*.

Profanatores. — Profanatores templorum tripticis sunt generis. *Fer.* III *post Dom.* I *Quadr.*, v. 12, n. 17.

Puniuntur flagello canum. *Fer.* II *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 15, n. 12.

Sacrorum locorum profanatores divina misericordia indignos se efficiunt. *Dom. Pass.*, v. 59, lit. *a*.

Promissio. — Promissionem fallere fidemque Deo datam derisui habere, sæpe homini vitæ impendio luendum est. *Dom. infra Octav. Nativ.*, v. 34, lit. *e*.

Propositum. — Propositorum nostrorum valor et perfectio ex operatione dignoscitur. *Dom.* XXI *post Pent.*, v. 26, lit. *b*.

Prosperitas. — Minus apta est saluti quam adversitas. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 6, n. 5.

Indicium est damnationis æternæ. *Fer.* II *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 20, n. 7.

Oblivionem Dei inducit. *Dom.* XIII *post Pent.*, v. 8, n. 2.

Felicitatum et prosperitatum humanarum rosæ innumeris circumdatæ sunt spinis. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 3, lit. *e*.

Quotquot naviculam prosperitatis conscendunt et dignitatis temporalis, insidiis et periculis, maxime sunt obnoxii. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 24, lit. *d*.

Inter magnam prosperitatem servare virtutem valde difficile est. *Dom. Septuag.*, v. 10, lit. *b*.

Prosperitates temporales plerumque sunt scopuli ad quos allidentes animæ in profundum usque inferni naufragantur. *Dom.* III *post Pasch.*, v. 20, lit. *g*.

Majori cum facilitate adversitatum tempestas sine naufragio sustineri potest, quam tranquillitas prosperitatum. *Dom.* II *post Pent.*, v. 11, lit. *e*.

Prosperitas terrena nil citius parit quam despectum et fastidia. *Dom.* III *post Pent.*, v. 6, lit. *a*.

Vita impia cum prosperitate temporali signum est reprobationis. *Dom.* IV *post Pent.*, v. 1, lit. *a*.

Malum signum est si nobis prospera obtingat fortuna. *Dom.* XII *post Pent.*, v. 23, lit. *a*.

Propheta. — Quinam hoc nomine apud Hebræos appellabantur. *Fer.* IV *post Dom.* III *Quadr.*, v. 17, n. 2.

Falsi prophetæ dissimulato habitu veniebant, ita ut ad eos magna sagacitas requireretur deprehendendos. *Dom.* VII *post Pent.*, v. 15, lit. *c*.

Prophetæ falsi maxime cavendi, quia mendacia eorum animarum causant perditionem. *Ibid.*, lit. *a*.

Providentia. — Providentia Dei utitur nonnunquam mediis contrariis. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 5, n. 2.

Per corporis infirmitates animæ vulnera sanat. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 3, n. 4.

Providentia Dei erga illos qui eum sequuntur. *Dom.* IV *Quadr.*, v. 5, n. 12.

Providentia Dei erga religiosos. *Dom.* VI *post Pent.*, v. 2, n. 21.

Etiam non invocata. *Ibid.*, n. 24.

Cur nonnunquam differatur. *Ibid.*, v. 3, n. 1.

Providentia Prælatorum erga suos subditos. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 20, n. 5.

Providentia Dei humana media non excludit. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 25, lit. *a*.

Talem uniuscujusque in singulari Deus habet providentiam qualem universim habet in omnibus. *Dom.* IV *Quadr.*, v. 5, lit. *i*.

Dei providentia ultra omnem spem nostram in nos benefica est. *Ibid.*, v. 12, lit. *b*.

Dei Providentia singulis in particulari, quomodo universim omnibus providet. *Dom.* XII *post Pent.*, v. 34, lit. *b*.

Providentiam paternam in omnibus etiam minutissimis Deus erga nos habet. *Dom.* XIV *post Pent.*, v. 25, lit. *b*.

Provisor. — Deus provisor est universalis qui dat omnibus affluenter. *Dom* IV *Quadr.*, v. 5, lit. *a*.

Provocatio. — Provocamus iram Dei quando scimus bonum facere, nec volumus. *Dom.* XIX *post Pent.*, v. 13, lit. *d*.

Proximus. — Quis sit et quomodo diligendus. *Dom.* I *post Pent.*, v. 33, n. 12, et v. 27, n. 9.

Diligi potest sine peccato. *Dom.* XII *post Pent.*, v. 27, n. 9.

Quis sit. *Ibid.*, v. 36, n. 1, 2, 3.

Parentela non constituit proximum. *Ibid.*, v. 37, n. 1, 2, 3.

Motivum diligendi proximum. *Dom.* XVII *post Pent.*, v. 39, n. 9.

Diligendus est a nobis proximus ad eum modum ob quem nos amavit Deus. *Dom.* II *Adv.*, v. 3, lit. *e*.

Cum Christus venerit ad nos redimendos, nemo excusare se poterit quo minus erga proximos beneficum se exhibeat. *Dom.* I *post Pent.*, v. 36, lit. *h*.

Miseris proximi condolendum est. *Dom.* IX *post Pent.*, v. 41, lit. *k*.

Cognatio non facit proximum sed misericordia. *Dom.* XII *post Pent.*, v. 33, lit. *b*.

Qui diligit proximum vere, zelat salutem ejus. *Dom.* XVII *post Pent.*, v. 39, lit. *b*.

Proximi nostri sunt omnes homines secundum naturalem Dei imaginem, et secundum capacitatem gloriæ. *Ibid.*

Dilectionis proximi defectus reprobationis indicium est. *Dom.* XXI *post Pent.*, v. 35, lit. *a*.

Tres modi distinguuntur quibus nos proximos nostros diligere possumus sicut nos ipsos. *Ibid.*, v. 32, lit. *a*.

Prudentia. — Ita caute in operibus nos gerere debemus ut aliorum judicia malitiosa vitemus. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 4, lit. *j*.

Adhibenda est prudentia simul cum charitate in correctionibus. *Dom.* XX *post Pent.*, v. 49, lit. *a*.

Publicani. — Communiter mala conscientiæ homines reputabantur. *Dom.* X *post Pent.*, n. 5 et 6.

Indignum se reputans qui cœlum aspiceret, cœlum ad se inclinare fecit. *Ibid.*, v. 43, n. 13.

Negotiationem terrenam in cœlestem communivit. *Ibid.*, n. 22.

Publicanus, reputatus peccator, humilitate sua Deum appropinquavit. *Ibid.*, v. 10, lit. *b*.

Virtute suæ humilitatis e templo descendit justificatus. *Dom.* XVI *post Pent.*, v. 10, lit. *b*.

Pudicitia. — Tenera res in feminis fama pudicitiæ; quasi flos pulcherrimus, cito ad levem marcescit aurum. *Dom.* XIX *post Pent.*, v. 9, lit. *b*.

Pudor. — Qui pudorem suffert constans in servitio divino, gratiam, amicitiam Dei, nec non criminum indulgentiam recipit. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 3, lit. *b*.

Alius pudor laudabilis, alius condemnabilis. *Dom.* XXIII *post Pent.*, v. 18, lit. *a*. Vide Erubescentia, Verecundia.

Puerilia. — Puerilia et adolescentia ad vitium proclives freno opus habent. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 12, lit. *f*.

Punitio Dei. — Cur Deus nos puniat, quinque rationes afferuntur. *Fer.* IV *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 3, n. 6.

Aliena est a Deo, cui pietas et misericordia propria est. *Fer.* II *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 15, n. 2.

Purgatorium. — Juxta proportionem suffragiorum quæ animabus Purgatorii subministraverimus, Deus dispositurus est ut paria quoque nobis suffragia impendantur. *Dom.* I *post Pent.*, v. 38, lit. *d*.

Gratias pretiosissimas et multas recipimus, mediante animarum Purgatorii gratitudine. *Ibid.*, lit. *g*.

Animæ in Purgatorio detentæ sunt vicinæ nostræ quibus subvenire tenemur. *Dom.* III *post Pent.*, v. 9, lit. *a*.

Peccata venialia efficiunt ut anima notabili temporis spatio in Purgatorio detineatur. *Dom.* V *post Pent.*, v. 20, lit. *f*.

Orationes a personis Deo gratis factæ, et opera bona, utiliores sunt et gratiores quam ab aliis in peccato existentibus. *Dom.* XVIII *post Pent.*, v. 2, lit. *c*.

Preces ipsorum peccatorum animabus in Purgatorio detentis non sunt inutiles. *Ibid.*

Indulgentiæ in favorem animarum purgantium etiam ab ipsis personis in mortali peccato existentibus videntur posse lucrari. *Ibid.*

Anima in Purgatorio detenta, non potest a purgatorio igne se proripere. *Ibid.*

Tantus potest esse contritionis dolor, ut etiam poenam Purgatorii tollat. *Dom.* XXI *post Pent.*, v. 27, lit. *b*.

A Purgatorio interdictus est exitus, quousque reatus pœnæ atrocissimis pœnis expurgetur. *Ibid.*, v. 34, lit. *f*.

Puritas. — Quantum a Deo in virginibus honoretur. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 31, n. 9.

Salvator noster summam semper habuit curam puritatis. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 6, lit. *a*.

Q

Quies. — Deus electos suos mediis adversitatibus traducit ad quietem et gaudia. *Dom.* III *post Pasch.*, v. 20, lit. *b*.

R

Raab. — Meretrix antea, postea religionis eximiæ fuit. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 29, n. 7.

Ratio. — Animæ altare est pars in nobis rationis compos, in qua passiones mortificatæ sanctificantur. *Dom.* V *post Pent.*, v. 23, lit. *d*.

Certum est et de fide reddendum esse nobis omnium

Præmium. — Simul crescunt afflictiones et præmii lucrum. *Dom. XV post Pent.*, v. 12, lit. *h*.

Præscientia. — Præscientia Dei non determinat, sed monstrat quod est determinatum. *Fer.* II *post Dom.* II *Quadr.*, v. 24, n. 4.

Præsentia Dei. — Quam sit utilis. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 7, n. 4.

Est frenum nos coercens a peccatis nostris. *Dom.* XXI *post Pent.*, v. 28, n. 2, et *Dom.* XVIII, v. 4, n. 1, et *Dom.* XX, v. 42, n. 1.

Præsentia corporalis Christi in Eucharistia. *Dom.* III *post Pasch.*, v. 16, n. 7.

Gravissimum supplicium est carere præsentia Dei. *Dom. Pass.*, v. 59, lit. *a*.

Ex neglecta consideratione præsentiæ Dei, omnia mala derivantur. *Dom.* XXI *post Pent.*, v. 28, lit. *a*.

Præsumptio. — Præsumptio et æstimatio propria hominem contemptum facit. *Dom.* X *post Pent.*, v. 14, n. 2, et v. 12, n. 2.

Et spes et desperatio timenda est in peccatis. *Dom.* IV *Adv.*, v. 4, lit. *b*.

Justi ipsi caute omnia periculia peccatorum fugiant, ne corruant. *Dom. infra Octav. Nativ.*, v. 34, lit. *c*.

Multi dum de Dei misericordia præsumentes, in peccatis perseverant impenitentes, mori permittuntur. *Ibid.*, lit. *f*.

Labrica est illa spes quæ inter fomenta peccati salvari se sperat. *Dom.* IV *Quadr.*, v. 2, lit. *a*.

Quod alicui gratiose conceditur, ab aliis non debet trahi in exemplum. *Dom.* X *post Pent.*, v. 13, lit. *c*.

Prævaricatio. — Quicumque prævaricatur mandatum Dei, spoliatur atque nudatur. *Dom.* XII *post Pent.*, v. 30, lit. *b*.

Primitiæ. — Primitiæ juventutis offerendæ sunt homini. *Dom.* XV *post Pent.*, v. 14, lit. *a*.

Princeps. — Causas ad religionem spectantes, sine licentia punire non debet. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 28, n. 12.

Quomodo subditos sibi devotos facere possit. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 9, n. 4.

In quo differunt principes mundani ab Ecclesiasticis. *Fer.* IV *post Dom.* II *Quadr.*, v. 16, n. 4.

Ipsorum sententiæ semper applausum habent. *Fer.* VI *post Dom. Pass.*, v. 53, n. 2.

Ab ipsorum negligentia oritur omne malum. *Fer.* II *post Dom. Pass.*, v. 32, n. 2.

Cur sæpe malos habeant ministros. *Ibid.*, n. 4.

Ubique magnum post se comitatum trahunt tam in hac vita quam in altera. *Fer.* IV *post Dom.* III *Quadr.*, v. 14, n. 8.

Princeps defectus subditorum quandoque dissimulare debet. *Dom.* VI *post Pent.*, v. 4, n. 2.

Principes et Prælati, esto quod sublimentur in altum, statim curæ succrescunt, sollicitudines cumulantur. *Dom.* II *post Pent.*, v. 18, lit. *e*.

Christus regibus, magnatibus, aliisque in hoc sæculo honoratis viris, spem dedit salutis. *Dom.* XIX *post Pent.*, v. 11, lit. *a*.

De peccatis populi coguntur rationem reddere. *Dom.* XXI *post Pent.*, v. 24, lit. *f*.

Quis sit verus princeps. *Dom.* XXII *post Pent.*, v. 18, lit. *a*.

Principes Sacerdotum. — Adversus Christum crudeliores fuerunt. *Fer.* III *post Dom. Pass.*, v. 12, n. 4.

Probitas. — Probis probitas ipsa fit præmium. *Dom. Pass.*, v. 16, lit. *c*.

Profanatio. — Omnium pessima ac horrendissima abominatio est locorum Sanctorum profanatio. *Dom.* XXIV *post Pent.*, v. 15, lit. *a*.

Profanatores. — Profanatores templorum tripticis sunt generis. *Fer.* III *post Dom.* I *Quadr.*, v. 12, n. 17.

Puniuntur flagello canum. *Fer.* II *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 15, n. 12.

Sacrorum locorum profanatores divina misericordia indignos se efficiunt. *Dom. Pass.*, v. 59, lit. *a*.

Promissio. — Promissionem fallere fidemque Deo datam derisui habere, sæpe homini vitæ impendio luendum est. *Dom. infra Octav. Nativ.*, v. 34, lit. *e*.

Propositum. — Propositorum nostrorum valor et perfectio ex operatione dignoscitur. *Dom.* XXI *post Pent.*, v. 26, lit. *b*.

Prosperitas. — Minus apta est saluti quam adversitas. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 6, n. 5.

Indicium est damnationis æternæ. *Fer.* II *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 20, n. 7.

Oblivionem Dei inducit. *Dom.* XIII *post Pent.*, v. 8, n. 2.

Felicitatum et prosperitatum humanarum rosæ innumeris circumdatæ sunt spinis. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 3, lit. *e*.

Quotquot naviculam prosperitatis conscendunt et dignitatis temporalis, insidiis et periculis, maxime sunt obnoxii. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 24, lit. *d*.

Inter magnam prosperitatem servare virtutem valde difficile est. *Dom. Septuag.*, v. 10, lit. *b*.

Prosperitates temporales plerumque sunt scopuli ad quos allidentes animæ in profundum usque inferni naufragantur. *Dom.* III *post Pasch.*, v. 20, lit. *g*.

Majori cum facilitate adversitatum tempestas sine naufragio sustineri potest, quam tranquillitas prosperitatum. *Dom.* II *post Pent.*, v. 11, lit. *e*.

Prosperitas terrena nil citius parit quam despectum et fastidia. *Dom.* III *post Pent.*, v. 6, lit. *a*.

Vita impia cum prosperitate temporali signum est reprobationis. *Dom.* IV *post Pent.*, v. 1, lit. *a*.

Malum signum est si nobis prospera obtingat fortuna. *Dom.* XII *post Pent.*, v. 23, lit. *a*.

Propheta. — Quinam hoc nomine apud Hebræos appellabantur. *Fer.* IV *post Dom.* III *Quadr.*, v. 17, n. 2.

Falsi prophetæ dissimulato habitu veniebant, ita ut ad eos magna sagacitas requireretur deprehendendos. *Dom.* VII *post Pent.*, v. 15, lit. *c*.

Prophetæ falsi maxime cavendi, quia mendacia eorum animarum causant perditionem. *Ibid.*, lit. *a*.

Providentia. — Providentia Dei utitur nonnunquam mediis contrariis. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 5, n. 2.

Per corporis infirmitates animæ vulnera sanat. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 3, n. 4.

Providentia Dei erga illos qui eum sequuntur. *Dom.* IV *Quadr.*, v. 5, n. 12.

Providentia Dei erga religiosos. *Dom.* VI *post Pent.*, v. 2, n. 21.

Etiam non invocata. *Ibid.*, n. 24.

Cur nonnunquam differatur. *Ibid.*, v. 3, n. 1.

Providentia Prælatorum erga suos subditos. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 20, n. 5.

Providentia Dei humana media non excludit. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 25, lit. *a*.

Talem uniuscujusque in singulari Deus habet providentiam qualem universim habet in omnibus. *Dom.* IV *Quadr.*, v. 5, lit. *i*.

Dei providentia ultra omnem spem nostram in nos benefica est. *Ibid.*, v. 12, lit. *b*.

Dei Providentia singulis in particulari, quomodo universim omnibus providet. *Dom.* XII *post Pent.*, v. 34, lit. *b*.

Providentiam paternam in omnibus etiam minutissimis Deus erga nos habet. *Dom.* XIV *post Pent.*, v. 25, lit. *b*.

Provisor. — Deus provisor est universalis qui dat omnibus affluenter. *Dom* IV *Quadr.*, v. 5, lit. *a*.

Provocatio. — Provocamus iram Dei quando scimus bonum facere, nec volumus. *Dom.* XIX *post Pent.*, v. 13, lit. *d*.

Proximus. — Quis sit et quomodo diligendus. *Dom.* I *post Pent.*, v. 33, n. 12, et v. 27, n. 9.

Diligi potest sine peccato. *Dom.* XII *post Pent.*, v. 27, n. 9.

Quis sit. *Ibid.*, v. 36, n. 1, 2, 3.

Parentela non constituit proximum. *Ibid.*, v. 37, n. 1, 2, 3.

Motivum diligendi proximum. *Dom.* XVII *post Pent.*, v. 39, n. 9.

Diligendus est a nobis proximus ad eum modum ob quem nos amavit Deus. *Dom.* II *Adv.*, v. 3, lit. *e*.

Cum Christus venerit ad nos redimendos, nemo excusare se poterit quo minus erga proximos beneficum se exhibeat. *Dom.* I *post Pent.*, v. 36, lit. *h*.

Miseris proximi condolendum est. *Dom.* IX *post Pent.*, v. 41, lit. *k*.

Cognatio non facit proximum sed misericordia. *Dom.* XII *post Pent.*, v. 33, lit. *b*.

Qui diligit proximum vere, zelat salutem ejus. *Dom.* XVII *post Pent.*, v. 39, lit. *b*.

Proximi nostri sunt omnes homines secundum naturalem Dei imaginem, et secundum capacitatem gloriæ. *Ibid.*

Dilectionis proximi defectus reprobationis indicium est. *Dom.* XXI *post Pent.*, v. 35, lit. *a*.

Tres modi distinguuntur quibus nos proximos nostros diligere possumus sicut nos ipsos. *Ibid.*, v. 32, lit. *a*.

Prudentia. — Ita caute in operibus nos gerere debemus ut aliorum judicia malitiosa vitemus. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 4, lit. *j*.

Adhibenda est prudentia simul cum charitate in correctionibus. *Dom.* XX *post Pent.*, v. 49, lit. *a*.

Publicani. — Communiter mala conscientiæ homines reputabantur. *Dom.* X *post Pent.*, n. 5 et 6.

Indignum se reputans qui cœlum aspiceret, cœlum ad se inclinare fecit. *Ibid.*, v. 43, n. 13.

Negotiationem terrenam in cœlestem communivit. *Ibid.*, n. 22.

Publicanus, reputatus peccator, humilitate sua Deum appropinquavit. *Ibid.*, v. 10, lit. *b*.

Virtute suæ humilitatis e templo descendit justificatus. *Dom.* XVI *post Pent.*, v. 10, lit. *b*.

Pudicitia. — Tenera res in feminis fama pudicitiæ; quasi flos pulcherrimus, cito ad levem marcescit aurum. *Dom.* XIX *post Pent.*, v. 9, lit. *b*.

Pudor. — Qui pudorem suffert constans in servitio divino, gratiam, amicitiam Dei, nec non criminum indulgentiam recipit. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 3, lit. *b*.

Alius pudor laudabilis, alius condemnabilis. *Dom.* XXIII *post Pent.*, v. 18, lit. *a*. Vide Erubescentia, Verecundia.

Puerilia. — Puerilia et adolescentia ad vitium proclives freno opus habent. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 12, lit. *f*.

Punitio Dei. — Cur Deus nos puniat, quinque rationes afferuntur. *Fer.* IV *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 3, n. 6.

Aliena est a Deo, cui pietas et misericordia propria est. *Fer.* II *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 15, n. 2.

Purgatorium. — Juxta proportionem suffragiorum quæ animabus Purgatorii subministraverimus, Deus dispositurus est ut paria quoque nobis suffragia impendantur. *Dom.* I *post Pent.*, v. 38, lit. *d*.

Gratias pretiosissimas et multas recipimus, mediante animarum Purgatorii gratitudine. *Ibid.*, lit. *g*.

Animæ in Purgatorio detentæ sunt vicinæ nostræ quibus subvenire tenemur. *Dom.* III *post Pent.*, v. 9, lit. *a*.

Peccata venialia efficiunt ut anima notabili temporis spatio in Purgatorio detineatur. *Dom.* V *post Pent.*, v. 20, lit. *f*.

Orationes a personis Deo gratis factæ, et opera bona, utiliores sunt et gratiores quam ab aliis in peccato existentibus. *Dom.* XVIII *post Pent.*, v. 2, lit. *c*.

Preces ipsorum peccatorum animabus in Purgatorio detentis non sunt inutiles. *Ibid.*

Indulgentiæ in favorem animarum purgantium etiam ab ipsis personis in mortali peccato existentibus videntur posse lucrari. *Ibid.*

Anima in Purgatorio detenta, non potest a purgatorio igne se proripere. *Ibid.*

Tantus potest esse contritionis dolor, ut etiam poenam Purgatorii tollat. *Dom.* XXI *post Pent.*, v. 27, lit. *b*.

A Purgatorio interdictus est exitus, quousque reatus pœnæ atrocissimis pœnis expurgetur. *Ibid.*, v. 34, lit. *f*.

Puritas. — Quantum a Deo in virginibus honoretur. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 31, n. 9.

Salvator noster summam semper habuit curam puritatis. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 6, lit. *a*.

Q

Quies. — Deus electos suos mediis adversitatibus traducit ad quietem et gaudia. *Dom.* III *post Pasch.*, v. 20, lit. *b*.

R

Raab. — Meretrix antea, postea religionis eximiæ fuit. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 29, n. 7.

Ratio. — Animæ altare est pars in nobis rationis compos, in qua passiones mortificatæ sanctificantur. *Dom.* V *post Pent.*, v. 23, lit. *d*.

Certum est et de fide reddendum esse nobis omnium

dictorum et factorum rationem. *Dom.* XXI *post Pent.*, v. 23, lit. *e*.
Reddenda est ratio de corpore nostro et de membris ejus. *Dom.* XXII *post Pent.*, v. 20, lit. *e*.
Recessus. — Recessus Dei ab anima atrocissimum est supplicium quod homini evenire possit. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 43, lit. *c*.
Summa censenda est miseria, animæque calamitas quod ab ea recedat Deus. *Dom.* IV *post Pasch.*, v. 6, lit. *a*.
Recidivi. — Pœna gravissima pununtur. *Fer.* VI *post Dom.* II *Quadr.*, v. 14, n. 9.
Pejores sunt aliis peccatoribus. *Dom.* III *Quadr.*, v. 26, n. 4.
In quemvis excessum facile ruunt. *Fer.* IV *post Dom.* I *Quadr.*, v. 45, n. 2.
Execrabilis est illorum stultitia qui ad peccata semel remissa redeunt. *Dom.* II *Adv.*, v. 2, lit. *b*.
Multis non sufficit Christum crucifigere peccando, sed etiam derident crucifixum, peccata iterando. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 24, lit. *k*.
Recidivis et relapsis pro septenario Dei spiritu, sunt septem nequissimæ dæmonia. *Dom.* III *Quadr.*, v. 26, lit. *c*, *d*.
Recreatio. — Ut recreatio et remissio virtuosa sit, multæ intercedere debent circumstantiæ. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 2, lit. *d*.
Rectitudo. — Deus primo omnium loco rectitudinem cordis in operibus nostris requirit. *Dom.* X *post Pent.*, v. 10, lit. *c*.
Reconciliatio. — Magna virtus est in curanda reconciliatione mutua. *Dom.* XIII *post Pent.*, v. 14, lit. *b*.
Redditus. — Redditus ecclesiastici panis sunt pauperum. *Fer.* V *post Dom.* I *Quadr.*, v. 26, n. 3.
Redemptio. — Dominus redempturus animas nostras, id non titulo justitiæ sed misericordiæ fecit. *Dom. Palm.*, v. 1, lit. *c*.
Omnes sanguine Agni suonis redempti, si vero hæc redemptio inutilis fit impius propter peccata. *Dom. in Albis*, v. 29, lit. *c*.
Ita debet se quisque reputare a Christo redemptum, ac si esset Christus sibi soli mortuus. *Dom.* III *post Pent.*, v. 1, lit. c.
Opus redemptionis nostræ maximum erga nos amorem Dei ostendit. *Dom.* XVII *post Pent.*, v. 37, lit. *a*.
Redemptor. — Jure merito singuli Redemptori nostro tantumdem obligantur pro anima propria, quantum obligantur in universali omnes. *Dom. Sexag.*, v. 5, lit. *b*.
Redemptor noster cœlum aperuit, sed vulneribus saucius. *Dom.* IV *post Pasch.*, v. 3, lit. *a*.
Regnum cœlorum. — Ab omnibus desiderandum, licet id quoad regna mundi impune non liceat. *Fer.* II *post Dom.* I *Quadr.*, v. 34, n. 10.
Qualiter obtineri possit. *Fer.* IV *post Dom.* II *Quadr.*, v. 22, n. 2.
Ante omnia alia procurandum est. *Dom.* XIV *post Pent.*, v. 33, n. 7 et 8.
In nostra positum est voluntate. *Dom. infra Octav. Nativ.*, v. 33, lit. *a*.
Confertum grano sinapi est Ecclesia militans, aut divina fides, aut notitia Evangelii, aut charitas. *Dom.* VI *post Epiph.*, v. 31, lit. *a*.
Quicumque illud vult acquirere, necesse est ut mysteria fidei nostræ attente meditetur. *Ibid.*, lit. *c*.
Per regnum cœlorum anima justi significari potest quæ vere est Paradisus et locus deliciarum Dei. *Ibid.*, lit. *f*.
Regnum cœlorum rebus valde parvulis comparatur, ut nullus a conatu istius regni adipiscendi se excuset. *Ibid.*, v. 32, lit. *a*.
Vim patitur et violenti rapiunt illud. *Dom. Septuag.*, v. 1, lit. *h*.
Ut omnes pervenire possint in regnum cœlorum, multas Salvator noster aperuit vias. *Dom.* II *post Pent.*, v. 16, lit. *m*.
Deus pro illo acceptat quod habemus, etiam solam bonam voluntatem si plura dare nequeamus. *Dom.* VIII *post Pent.*, v. 9, lit. *d*.
Jus ad regnum cœlorum consistit in vera et perfecta charitate. *Dom.* VII *post Pent.*, v. 21, lit. *b*.
In cordibus humilium regnum cœlorum invenitur. *Dom.* X *post Pent.*, v. 13, lit. *k*.
Christus nullum prorsus hominum genus e cœlorum regno excludit. *Dom.* XIX *post Pent.*, v. 11, lit. *n*.
Regnum Dei. — Est prædicatio Evangelii. *Dom.* VI *post Epiph.*, v. 31, n. 1.
Est Christus. *Fer.* III *post Dom.* II *Quadr.*, v. 28, n. 2.
Item beatitudo cœlestis. *Ibid.*, n. 3.
Regnum Dei intra nos quærendum est. *Dom.* XIV *post Pent.*, v. 33, lit. *a*.
Regulus. — Homo in eo quod amisit per peccatum, rex esse desiit; in eo autem quod præ cæteris animalibus sibi relictum est, quasi regulus militavit. *Dom.* XX *post Pent.*, v. 46, lit. *f*.
Relapsus. — Per relapsum dæmon corroboratur et majorem vigorem nanciscitur. *Dom.* III *Quadr.*, v. 26, lit. *b*.
Gravissimam pœnam Deus justissime infligit iis qui in pristina peccata relabuntur. *Dom.* XIX *post Pent.*, v. 7, lit. *a*.
Suppliciuin reincidentium in peccata semel dimissa angelur propter ingratitudinem. *Dom.* XXI *post Pent.*, v. 34, lit. *c*.
Suppliciuin eorum qui reincidunt in peccata, ob gravissimam ingratitudinem, notabiliter augetur. *Dom.* XXIV *post Pent.*, v. 30, lit. *a*. Vide PECCATOR.
Religiosi. — Affectu debent deserere parentes. *Fer.* V *post Dom.* III *Quadr.*, v. 38, n. 15.
Non debent erubescere paupertatem. *Fer.* VI *post Dom.* III *Quadr.*, v. 33, n. 1.
Nec affici erga patriam. *Fer.* II *post Dom.* III *Quadr.*, v. 24, n. 7.
Præ aliis obligantur ad orationem. *Fer.* VI *post Dom.* II *Quadr.*, v. 41, n. 9.
In ipsis reperitur vera sapientia et doctrina sacra. *Fer.* III *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 27, n. 4.
Mali religiosi similes sunt illis, qui docent alios et sibi damnationem conciliant. *Fer.* II *post Dom.* III *Quadr.*, v. 23, n. 7.
Quomodo agantur in religione. *Dom.* VI *post Pent.*, v. 4, n. 3.
Ad mundum per affectum non redeant. *Dom.* XXIV *post Pent.*, v. 18, n. 1, 2 et 3.
Caveant consortia mulierum. *Dom.* XXIII *post Pent.*, v. 5, n. 9.

Religiosorum si pœnitentia minuitur miseratione crudeli, paulatim corona gemmis privatur. *Dom. infra Octav. Nativ.*, v. 36, lit. *a*.
Reliquiæ sanctæ. — Sanctæ mulieres ad sepulchrum Christi, circa cultum et devotionem sanctarum Reliquiarum nos erudiunt. *Fest. Pasch.*, v. 1, lit. *d*.
Reliquiæ Sanctorum Ecclesiam ac ejus filios muniunt ac roborant contra omnem adversitatem. *Dom.* II *post Pasch.*, v. 11, lit. *g*.
Per sanctas reliquias corporis et animæ languores sanantur, virtutes conquiruntur et augentur. *Dom.* XI *post Pent.*, v. 33, lit. *f*.
Reliquiarum sanctarum Deus cultum approbat et venerationem. *Dom.* XXIII *post Pent.*, v. 20, lit. *a*.
Remissio peccatorum. — Manifestis et apertis verbis Christus Dominus suis discipulis dat hanc maximam potestatem remittendi peccata. *Dom. in Albis*, v. 23, lit. *b*.
In judicio, de remissionibus peccatorum quas nobis Dominus fecit, reddenda erit ratio. *Dom.* VIII *post Pent.*, v. 2, lit. *b*. Vide PŒNITENTIA.
Remorsus. — Remorsus prodit et manifestat peccatum conscientiam intrans velut canis latronem. *Dom.* VIII *post Pent.*, v. 1, lit. *b*.
Conscientiæ remorsus, vulturis instar cor indesinenter abrodit. *Dom.* XXI *post Pent.*, v. 35, lit. *a*.
Reprehensio. — Sanctitas et integritas vitæ ei qui reprehendit auctoritatem majoremque correcto reverentiam imprimit. *Dom. Pass.*, v. 16, lit. *a*.
Publica reprehensione homo aliquando fit impudentior et obstinatior. *Dom.* XI *post Pent.*, v. 33, lit. *a*.
Qui crimina non reprehendit sed dissimulat, aliquando fovet. *Dom.* XVIII *post Pent.*, v. 1, lit. *c*.
Deberet reprehensio ordinarie ex amore procedere, et tunc valde utilis est. *Dom.* XX *post Pent.*, v. 38, lit. *a*. Vide CORRECTIO.
Reprobatio. — Signum æternæ reprobationis est, sine fructu transigere tempus. *Dom.* VII *post Pent.*, v. 19, lit. *c*.
Reprobi. — Reprobi malleyl gehennæ pœnam tolerare quam coram Deo adverso stare. *Dom.* I *Adv.*, v. 27, lit. *b*.
Auxilia Dei respuendo, ob suam obstinationem merito damnantur, et de libro vitæ delentur. *Dom.* II *post Pent.*, v. 16, lit. *f*.
Requies sabbati. — Requies sabbati audiendo verbum Dei et faciendo, et bene vivendo et aliis misericordiam præstando habetur. *Dom.* XVI *post Pent.*, v. 3, lit. *c*.
Respectus humanus. — Maria Magdalena nec per ruborem et respectus humanos ab heroicæ humilitatis actibus distorqueri permisit. *Dom.* XVI *post Pent.*, v. 2, lit. *c*.
Responsio. — Responsio mollis frangit iram, sermo durus suscitat furorem. *Dom.* XXIII *post Pent.*, v. 19, lit. *d*.
Optima responsio et præcipue afflicto, non verbis, sed operibus componitur. *Ibid.*, lit. *c*.
Resurrectio. — Nulla infirmitas mortem expavescet, ubi inde resurrectionis splendor sperabitur. *Fest. Pasch.*, v. 6, lit. *c*.
Dominus Sadducæis resurrectionem demonstrat. *Dom.* XVII *post Pent.*, v. 35, lit. *a*.
Mortuos paucos Christus excitavit, iosque non alios quam castos et innuptos. *Dom.* XXIII *post Pent.*, v. 24, lit. *a*.
Rete. — Rete quo pisces capiuntur significat prædicationem Evangelii. *Dom.* IV *post Pent.*, v. 2, n. 2, 3, 4 et 5.
Retia lota plicat Doctor, qui intermisso prædicationis officio, quod alios docuit, ipse implere satagit. *Ibid.*, v. 2, lit. *d*.
Reus. — Reus æternæ damnationis perturbationibus et continuis agitatur motibus. Peccatum mentem flagellat. *Dom. Pass.*, v. 46, lit. *c*.
Reverentia. — Reverentia summa locis sacris et ecclesiis debetur. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 12, lit. *a*.
Rex. — Magnus Prædicator rex est : plus proficit verbo et exemplo quam omnes mundi Prædicatores. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 23, lit. *e*.
Risus. — Appellatur error. *Dom.* III *post Pasch.*, v. 20, n. 11.
Ruina. — Ruina perfidiæ seu incredulitati tribuitur, fidei vero exaltatio. *Dom. infra Octav. Nativ.*, v. 31, lit. *c*.

S

Sabbatum. — Cum Deus sabbatum benedixit, non prohibuit bonum facere in eo. *Dom.* XVI *post Pent.*, v. 3, lit. *a*.
Sacerdos. — Sacerdos malus ex dignitate sua nullum sibi honorem sed pœnam sibi acquirit. *Fer.* III *post Dom.* II *Quadr.*, v. 2, n. 7.
Sacerdos malus graviter puniri meretur ex tribus capitibus. *Ibid.*, v. 3, n. 11.
Scandalosus similis est latronibus. *Fer.* III *post Dom.* I *Quadr.*, v. 43, n. 2.
Malus est origo omnis mali. *Ibid.*, v. 12, n. 6.
Quantæ Sacerdos sit auctoritatis. *Fer.* VI *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 14, n. 12.
Ad quid a Deo sint destinati. *Fer.* V *post Dom.* III *Quadr.*, v. 39, n. 20.
In eo non persona, sed dignitas respicienda est. *Fer.* III *post Dom.* II *Quadr.*, v. 3, n. 12.
Malus similis est aquæ baptismali. *Ibid.*, v. 3, n. 9.
Reprehendantur avari. *Fer.* IV *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 5, n. 6.
Quantæ Sacerdos sit dignitatis. *Dom. in Albis*, v. 23, n. 4, 5 et 6.
Nulla alia Sacerdotis doctrina debet esse quam vita. *Dom.* IV *Adv.*, v. 2, lit. *g*.
Necesse est Sacerdotem sic esse purum ac si in cœlis ipsis collocatus, inter cœlestes virtutes staret. *Ibid.*, lit. *h*.
Per Sacerdotes Deus in templis suis repræsentatur. *Dom. infra Octav. Nativ.*, v. 34, lit. *a*.
Magna dignitas et potestas Sacerdotum, præsertim novæ legis. *Ibid.*, lit. *c*.
Multa sunt et varia Sacerdotibus assignata epitheta quæ illos ad multas obligant virtutes. *Ibid.*
Prædicare et Dei miracula populis narrare Sacerdotum est. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 4, lit. *b*.
Honor qui Sacerdotibus, vel malis, habetur ad Deum refertur. *Ibid.*, lit. *c*.
Sacerdos, pro salute animarum suæ curæ commissa-

rum, vitam suam exponere tenetur. *Dom.* II *post Pasch.*, v. 11, lit. *b*.

Vestes quibus Sacerdotes induuntur sanctitatem qua præditi esse debent repræsentant. *Ibid.*, lit. *d*.

Sacerdotes, et clerici, et religiosi sunt Christi, seu uncti Domini quos Dominus tangi prohibet. *Ibid.*, v. 16, lit. *b*.

Sæculares tenentur colere et revereri Sacerdotes. *Dom.* IV *post Pent.*, v. 3, lit. *c*.

Dominus Sacerdotibus officium demandavit, ut jugiter se in oratione exercentes, orant et intercedant pro populo. *Dom.* V *post Pasch.*, v. 23, lit. *k*.

Sacerdotibus et statui Ecclesiastico debitus honor exhibendus est. *Dom.* XII *post Pent.*, v. 30, lit. *d*.

Væ Sacerdotibus qui in procuranda peccatis vulneratarum animarum salute negligentes sunt. *Ibid.*, v. 31, lit. *a*, *b*.

Honorandi sunt Sacerdotes, etiam indigni. *Dom.* XIII *post Pent.*, v. 14, lit. *e*.

Redemptor noster a Sacerdotis officio non quærit aurum sed animas. *Dom.* XIV *post Pent.*, v. 24, lit. *i*.

Honor qui Sacerdotibus habetur, ad Deum refertur. *Dom.* XXIII *post Pent.*, v. 19, lit. *b*.

Sacerdotium. — Magna sacerdotalis dignitas magnam exigit puritatem. *Dom.* II *Quadr.*, v. 1, lit. *c*.

Ad hoc officium eliguntur qui sine crimine sunt. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 4, lit. *b*.

Ut digne administretur, omnes virtutes et perfectiones requirit. *Ibid.*

Sacerdotium ab nullo sordidum redditur, quantumvis indignus sit is qui illud suscipit. *Dom.* XXIII *post Pent.*, v. 19, lit. *c*.

Sacramenta. — Cur instituta. *Dom.* XI *post Pent.*, v. 33, n. 1.

Nullo detrimento is qui suscipit sacramenta afficitur, etiamsi is qui tribuit indignus esse videatur. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 4, lit. *c*.

Effectus sacramentorum solet esse secundum dispositionem et præparationem suscipientium. *Dom.* IV *post Pasch.*, v. 7, lit. *a*.

Sacramentum Altaris. — Et varia ejus epitheta, *Dom.* V *post Pent.*, v. 23, n. 11.

Digne receptum immortales efficit. *Dom.* XXIII *post Pent.*, v. 22, n. 13.

Cur appelletur panis juvenum. *Ibid.*, v. 23, n. 26.

Cur cœna. *Dom.* II *post Pent.*, v. 16, n. 8. Vide Sacrificium Missæ et Eucharistiam.

Sacramentum pœnitentiæ — Cur in die Paschatis institutum. *Dom. in Albis*, v. 23, n. 2. Vide Pœnitentia.

Sacrificium. — Quod sit acceptius Deo. *Fer.* III *post Dom. Pass.*, v. 8, n. 5 et 6.

Sacrificium dignissimum est gratiarum actio. *Dom.* XIII *post Pent.*, v. 17, n. 2, 3, 4, 5, 6.

Sacrificium Missæ. — Quos ob fines fuerit institutum. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 12, lit. *c*.

Sacrificii Eucharistici sublimitas. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 6, lit. *e*.

Sacrificium laudis et gratitudinis tributum acceptissimum est apud Deum. *Dom.* IV *post Pasch.*, v. 5, lit. *g*.

Sadducæi. — Hæretici negabant animæ immortalitatem. *Dom.* XVII *post Pent.*, v. 35, n. 1.

Sal. — Secundum suas proprietates pastoribus adaptatur. *Dom.* III *post Pent.*, v. 4, n. 17.

Saliva. — Saliva seu sputum divinam denotat Sapientiam. *Dom.* IX *post Pent.*, v. 33, n. 23, et *Fer.* IV *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 6, n. 8.

Salomon. — Salomonem perdiderunt divitiæ quas non quæsierat. *Dom.* XXIII *post Pent.*, v. 19, lit. *b*.

Salus. — Omnibus præbet Deus gratias necessarias ut salventur. *Dom.* I *Adv.*, v. 25, lit. *m*.

Dum de salute animæ tractatur, nequaquam nobis erubescendum. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 3, lit. *b*.

De salute omnium Deus maxime sollicitus est. *Ibid.*, lit. *g*.

Salutem animæ nostræ non dubio committamus eventui. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 26, lit. *d*.

Hominibus multum incumbit ut diligentes sint ad obediendum voci divinæ et salutem procurandum. *Dom. Septuag.*, v. 1, lit. *g*.

Summa Christianorum negligentia in acquirenda salute damnatur. *Ibid.*, v. 2, lit. *c*.

Quid faciendo salutem æternam securam quis sibi facere possit. *Dom.* III *Adv.*, v. 23, lit. *f*.

Salus nostra sæpe ab unico *nunc* dependet. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 12, lit. *b*.

Perpauci sunt qui salutem animæ curant. *Dom.* IV *Quadr.*, v. 2, lit. *d*.

Magnus ei exhibetur honor qui cooperatur alterius saluti, hocque nemo non potest. *Dom.* II *post Pasch.*, v. 11, lit. *k*.

Pro animæ salute nihil est non contemnendum. *Dom.* IV *post Pent.*, v. 3, lit. *d*.

Amantissimus Salvator noster in salutem nostram continuo invigilat. *Dom.* IX *post Pent.*, v. 42, lit. *d*.

Salus animæ in loquendo consistit per confessionem. *Dom.* X *post Pent.*, v. 32, lit. *c*.

In omni statu operari possumus nostram salutem, dummodo exercemus opera virtutum statui nostro conformia. *Dom.* XIII *post Pent.*, v. 11, lit. *d*.

Ignoramus id quod æternæ saluti nostræ utile est magisque expedit. *Dom.* XVII *post Pent.*, v. 33, lit. *a*.

Ut Deus salutem nostram operetur, nostra simul cooperatione opus habet. *Dom. Palm.*, v. 3, lit. *d*.

Homines cujusliber status et professionis facile salutem æternam obtinere possunt. *Dom.* XIX *post Pent.*, v. 11, lit. *a*.

Eorum est desperanda salus, quibus est odiosa correctio. *Dom.* XXII *post Pent.*, v. 15, lit. *a*.

Salus animæ in uno consistit momento, a quo æternitas dependet. *Dom.* II *post Pent.*, v. 21, n. 3.

Non obtigit sine concursu propriæ voluntatis. *Fer.* VI *post Dom.* I *Quadr.*, v. 7, n. 5 et 7.

Salvator. — Salvator nascitur, sed illis duntaxat qui volunt salutem. *Dom. infra Octav. Nativ.*, v. 34, lit. *g*.

Salvator noster, passionem suam non recusaturus esset, vel ob unam animam. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 3, lit. *g*.

Samaritana. — Quid significet. *Fer.* VI *post Dom.* III *Quadr.*, v. 7, n. 3.

Quomodo capax recipere aquam gratiæ. *Ibid.*, v. 16, n. 4.

Exemplum delit conversandi cum religiosis. *Ibid.*, v. 20, n. 5.

Licet peccatrix fuerit, in Apostolum electa est gentium. *Ibid.*, v. 29, n. 4.

Samaritanus. — Ejus salutaris dogmata. *Dom.* XII *post Pent.*, v. 33, n. 4.

Significat Prædicatores et Confessarios. *Ibid.*, n. 9.

Bonus Samaritanus, Christus Dominus, hominum custos, homini jacenti præstitit medicinam. *Ibid.*, v. 33, lit. *c*.

Sancti. — Ecclesia, cur inter alia Sanctorum encomia, etiam illustres et nobiles illorum natales, si ejusmodi habuerint, commemoret. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 23, lit. *e*.

Sancti quanto magis divinitatis interna conspiciunt, tanto magis se nihil esse cognoscunt. *Dom.* IV *post Pent.*, v. 8, lit. *a*.

Sancti columnæ sunt quæ sustinent orbem. *Dom.* V *post Pasch.*, v. 23, lit. *j*.

Sancti res ut in se sunt contemplantur, sub labore sciliicet quietem, sub cruce gloriam. *Dom.* IX *post Pent.*, v. 42, lit. *e*.

Non solum Sanctorum virtutes asserit Ecclesia, sed etiam casus ad instructionem nostram. *Dom.* XVI *post Pent.*, v. 2, lit. *f*.

Sunt mœnia urbium. *Fer.* VI *post Dom. Pass.*, v. 48, n. 8.

Sanctitas. — Sanctitas simulata duplex est iniquitas. *Fer.* IV *post Dom.* I *Quadr.*, v. 45, n. 5.

Qualis in Sacerdotibus sit requisita. *Dom.* IV *Adv.*, v. 2, lit. *h*.

Sanguis Christi. — Sanguis Christi effusus semen est redemptionis nostræ. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 27, lit. *e*.

Peccator inutilem reddit et conculcat sanguinem Christi. *Dom.* XXI *post Pent.*, v. 24, lit. *a*.

Sanguis Christi cum infiniti sit valoris, profecto omnia talenta valet. *Ibid.*, v. 26, lit. *c*.

Sanitas. — Miraculose obtenta in quid adhiberi debeat. *Fer.* V *post Dom.* III *Quadr.*, v. 29, n. 17.

In quo consistit animæ sanitas. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 2, lit. *l*.

Ut facile restituatur infirmus sanitati, auferendum prius peccatum, radix et causa morborum. *Dom.* XVIII *post Pent.*, v. 2, lit, *i*.

Sapiens. — Vir sapiens, priusquam loquatur, verba sua ponderat. *Dom.* II *Adv.*, v. 3, lit. *f*.

Sapientes. — Sapientes esse virgines decet, ne lampades eorum extinguantur. *Dom. infra Octav. Nativ.*, v. 38, lit. *a*.

Sapientia. — Sapientia Dei viribus electorum accommodat munera commissa. *Fest. Pasch.*, v. 4, lit. *a*.

Satanas. — Ipse Satanas transfigurat se in Angelum lucis. *Dom.* XXII *post Pent.*, v. 16, lit. *e*.

Satisfactio. — Peccator, erubescens peccata sua et confitens Sacerdoti, aliquo modo satisfacit. *Dom.* XIII *post Pent.*, v. 13, lit. *b*.

Dei justitiæ satisfacere licet dilectionem exercendo et bonum pro malo reddendo. *Dom.* XXI *post Pent.*, v. 25, lit. *e*.

Paulus. — Ex persecutore factus gentium Doctor. *Fer.* II *post Dom. Pass.*, v. 33, n. 4, et *Fer.* VI *post Dom.* I *Quadr.*, v. 7, n. 6.

Scandalosi. — Unus sæpissime malus homo perditionem causat multorum. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 2, lit. *a*.

Similes spinæ sunt qui causa sunt ruinæ multorum. *Dom. Sexag.*, v. 7, lit. *c*.

Scandalosus non solus ruit, sed etiam alios cadere facit. *Ibid.*

Scandalosi malo exemplo suo malitiæ venenum transfundunt ad alios. *Dom. infra Octav. Ascens*, cap. XV, v. 1, lit. *a*, *b*.

Omnes scandalosi, sed severius Prælati et principes, castigantur. *Dom.* XXI *post Pent.*, v. 24, lit. *f*.

Scandalum. — Sancti in omnibus actionibus cavent ne proximis vel minimam scandali umbram præcaveant. *Dom.* XXII *post Pent.*, v. 17, lit. *a*.

Denotatur per petram per quam impingitur. *Fer.* VI *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 39, n. 9.

Pharisaicum quale sit. *Fer.* IV *post Dom.* III *Quadr.*, v. 14, n. 2.

Unde derivetur. *Dom. infra Octav. Ascens.*, v. 1, n. 2.

Scandala sunt paleæ ignem infernalem nutrientes. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 25, lit. *i*.

Scripturæ sacra scatet pœnis et suppliciis scandalum dantibus comminatis. *Dom. Septuag.*, v. 6, lit. *d*.

Malæ rei exemplum est, ædificans ad delictum. *Dom. infra Octav. Ascens.*, cap. XV, v. 1, lit. *a*, *b*.

Mala scandalosorum exempla laquei et retia sunt dæmonis, quibus animas deprædatur. *Dom.* III *post Pent.*, v. 2, lit. *d*.

Væ illi qui perdit ovicilam Christi per scandalum. *Ibid.*, v. 4, lit. *e*.

Qui malum præbet exemplum, non raro innumerabilibus peccatis viam aperit. *Dom.* VII *post Pent.*, v. 15, lit. *c*.

Dominus noster suo exemplo nos informat, ne aliis scandali occasionem præstemus. *Dom.* XI *post Pent.*, v. 31, lit. *b*.

Scandalum lepræ assimilatur. *Dom.* XIII *post Pent.*, v. 12, lit. *d*.

Melius esset mille mortes subisse quam animam unam scandalisasse. *Dom.* XV *post Pent.*, v. 12, lit. *e*.

Scientia. — Scientia illa vera est quæ fuerit mixta virtuti. *Dom.* IV *Adv.*, v. 2, lit. *g*.

Scientia sine timore Dei inflat; timor autem Domini absque scientia humana salvat. *Dom.* IX *post Pent.*, v. 43, lit. *d*.

Scribæ. — Quare irascantur Christo. *Fer.* III *post Dom.* I *Quadr.*, v. 15, n. 1.

Scriptura sacra. — Scriptura sacra est regnum Dei. *Dom.* VI *post Epiph.*, v. 34, n. 1.

Arma ministrat contra infernum. *Dom.* I *Quadr.*, v. 10, n. 6.

Sacra Scriptura efficax est remedium ad tentationes propulsandas. *Ibid.*, v. 4, lit. *e*.

Si quis lectioni divinæ Scripturæ incumbat, ipsam spiritu retinebit, ac divinæ legi adhærebit. *Dom.* II *Quadr.*, v. 2, lit. *d*.

Sacram Scripturam quatuor præcipue ob fines a divina Providentia nobis concessa fuit. *Dom.* III *post Pent.*, v. 1, lit. *f*.

Multi laxant rigorem Scripturæ, non in capturam animarum sed in deceptionem. *Dom.* IV *post Pent.*, v. 4, lit. *f*.

In sacra Scriptura, etiamsi in brevi lectione, variarum sententiarum vim et immensas divitias invenire licet. *Dom.* XII *post Pent.*, v. 26, lit. *a*.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Scripturis sacris nos uti convenit tanquam veris instrumentis nostræ salutis. *Dom.* XXI *post Pent.*, v. 23, lit. *d.*

Christum alloquimur cum oramus; illum audimus cum divina legimus oracula. *Ibid.*

Semen. — Semen quod Deus in cor humanum jacit. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 24, n. 1.

Per bonum semen opera misericordiæ intelligere possumus. *Ibid.*, lit. *a.*

Bonum semen seminavit Dominus in agro suo, anima scilicet humana. *Ibid.*, v. 27, lit. *a, b, c.*

Semen est verbum Dei; porro ad seminandum labore opus est, sudoribus et industria agricolæ. *Dom.* IV *post Pent.*, v. 6, lit. *a.*

Senectus. — Æternam maledictionem expectat, qui annos suæ ætatis deteriores tantum, decrevit offerre Deo. *Dom.* XV *post Pent.*, v. 14, lit. *a.*

Sensuales. — Quot mala patiantur. *Dom.* XXIII *post Pent.*, v. 20, n. 6.

Sensualitas. — Quomodo intituletur. *Fer.* VI *post Dom.* III *Quadr.*, v. 40, n. 1.

Sensus. — Sensus exteriores significantur per quinque juga boum. *Dom.* II *post Pent.*, v. 19, n. 3.

Custodia sensuum et cordis conducit ad beatitudinem. *Dom.* XIII *post Pent.*, v. 11, n. 6.

Sensus hominis sex hydriis nuptiarum Cana comparantur. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 6, lit. *b.*

Ut non disperdamus bona spiritualia, maxime necessum est ut sensus nostros custodiamus et sollicite refrenemus. *Dom. in Albis*, v. 19, lit. *f.*

Deus rationem exquiret de usu sensuum exteriorum. *Dom.* XX *post Pent.*, v. 20, lit. *e.*

Sepes. — Per sepem Evangelicæ vineæ varia significantur. *Fer.* VI *post Dom.* II *Quadr.*, v. 33, n. 7, 8, 9, 10, 12, 13.

Sepulchrum. — Excitat dolorem peccatorum. *Fer.* VI *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 31, n. 1 et 2.

Si sepulchrum inspiciatis, non adulabitur, non mentietur. *Dom.* IV *post Pasch.*, v. 5, lit. *c.*

Meditatio sepulchri quod carnem nostram in vermes et cinerem redigit contra delectationem carnalem optimum est remedium. *Dom.* XV *post Pent.*, v. 12, lit. *d.*

Sermo Dei. — Illi sanctissima Trinitas sui pollicetur conversationem qui sermonem Christi servaverit. *Fest. Pent.*, v. 23, lit. *p.*

Panis Angelorum sermo divinus est quo aluntur et irrigantur animæ. *Dom.* VI *post Pent.*, v. 2, lit. *a.*

Sermones Domini sanant, illuminant et armant. *Dom.* XX *post Pent.*, v. 30, lit. *a.* Vide Verbum Dei.

Serpens. — Ejus etymologia diabolo applicatur. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 25, n. 3.

Servi. — Pro qualitate dominorum sunt boni vel mali. *Dom.* XX *post Pent.*, v. 53, n. 10.

Servi Dei — Deo a juventute servire æternæ mercedis securos nos efficit. *Dom. Septuag.*, v. 4, n. 1.

Plus aliis tentantur. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 25, n. 11.

Infirmi servi non sunt expellendi. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 6, n. 1.

Vix duro pane servi Dei famem satiant. *Dom.* I *Quadr.*, v. 3, n. 9.

Habent contrarios parentes. *Fer.* III *post Dom. Pass.*, v. 5, n. 1.

Veri servi Dei sese omnino indignos reputant, atque ex hoc motivo se maxime dignos reddunt. *Dom.* X *post Pent.*, v. 13, lit. *d.*

Servi Dei stabiles verasque suas in Deo fundarunt lætitias. *Dom.* V *post Pent.*, v. 11, lit. *a.*

Servitium Dei. — In Dei servitio ardorem et sollicitudinem exhibere debemus. *Fest. Pasch.*, v. 1, lit. *c.*

Dei servitium ingentem affert lætitiam, auxilium et consolationem ad portandum jugum Evangelicum. *Dom.* II *post Pent.*, v. 21, lit. *c.*

Nihil humanum debet nos retardare a servitute Dei. *Dom.* XV *post Pent.*, v. 15, lit. *a.*

Servitus. — Sic durissimam servitutem inducit homini peccatum, ut major servitus et indignior esse non possit. *Dom. Palm.*, v. 2, lit. *d, e.*

Duram servitutem et tyrannidem homo serviens mundo et peccatis sustinebit. *Dom.* XIV *post Pent.*, v. 24, lit. *g.*

Sequela Christi. — Hoc habet perfecta Christi sequela quod nullam terrenarum rerum curam admittat. *Dom.* IV *Adv.*, v. 2, lit. *a.*

Severitas. — Deus semper solet unire severitatem cum clementia, quod exemplo Dei, nobis faciendum est. *Dom.* III *post Pasch.*, v. 16, lit. *h.*

Severitas cum affabilitate conjungenda est, ita ut una ab altera nunquam separetur. *Dom. in Albis*, v. 20, lit. *a.*

Signa. — Signa multa prævenient diem judicii ut peccatores resipiscant. *Dom.* I *Adv.*, v. 25, lit. *a.*

Multipliciter positus est nobis Christus in signum. *Dom. infra Octav. Nativ.*, v. 34, lit. *i.*

Silentium. — Ejus mysteria. *Fer.* VI *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 28, n. 5.

Tacendo quilibet bene loqui discit. *Dom.* IV *post Pasch.*, v. 13, lit. *a.*

Ex longo et diuturno silentio in bonam loquelam venit homo. *Dom.* XI *post Pent.*, v. 35, lit. *a.*

Praxis difficilis est ut quis silentio, virtutis indicio, linguam frenet. *Dom.* XXII *post Pent.*, v. 15, lit. *e.*

In silentio homo discit. *Ibid.*

Similitudo. — Similitudo differt ab imagine. *Dom.* XXII *post Pent.*, v. 20, lit. *c.*

Simplices. — Simplices et devoti Christum melius cognoscunt. *Fer.* III *post Dom.* I *Quadr.*, v. 11, n. 1.

Sinape. — Ejus conditiones. *Dom.* VI *post Epiph.*, v. 31, n. 2.

Sitis. — Quanto ardentior sitis nostra fuerit, tanto copiosior ex aquis gratiæ bibere poterimus. *Dom.* IV *post Pasch.*, v. 7, lit. *a.*

Sobrietas. — Sobrietas Christi quanta, etc. *Fer.* VI *post Dom.* III *Quadr.*, v. 7, n. 8.

Sobrietas et abstinentia quasi quædam dispositio est ad Spiritum Sanctum recipiendum. *Fest. Pent.*, v. 26, lit. *c, d.*

Societas. — Societas bonorum magnum lucrum est. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 25, n. 9.

Societas mala multos periclitare facit. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 25, n. 7. Item. *Fer.* VI *post Dom.* I *Quadr.*, v. 14, n. 1. Item. *Dom.* IV *post Pent.*, v. 7, n. 6.

Societas mala ad præcipitium ducit. *Dom.* XV *post Pent.*, v. 14, n. 11.

Societas propter mutuam indigentiam est inter nos unice necessaria. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 2, lit. *a.*

Mala societas, similis lepræ, multam habet efficaciam ad pervertendum nos. *Dom.* XIII *post Pent.*, v. 12, lit. *c.*

Multum proficit societas bonorum sejuncta a malorum conventu. *Dom.* XV *post Pent.*, v. 16, lit. *b.*

Socii. — Socii mali leprosi sunt qui inficiunt animas. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 2, lit. *a.*

Sodales. — Malis sodalibus ad pervertendos bonos diabolus utitur tanquam instrumentis. *Dom.* XXII *post Pent.*, v. 40, lit. *a.*

Sodoma. — Deus cives sodomicos cæcitate percussit, quia luxuria excæcat intellectum. *Dom.* IV *post Pent.*, v. 5, lit. *b.*

Sol. — Sol et luna, id est, Ecclesia, obscurabuntur in fine mundi. *Dom.* I *Adv.*, v. 25, lit. *q.*

Solitudo. — Apta est ad Deum conservare in corde. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 43, n. 11.

Et ad procurandam salutem. *Ibid.*, v. 52, n. 4.

Solitudo quam necessaria ad consequendam gloriam. *Dom.* II *Quadr.*, v. 1, n. 12.

Est locus in quo multæ acquiruntur virtutes et merita. *Fer.* VI *post Dom. Pass.*, v. 54, n. 5.

Necessaria est contemplationi. *Fer.* V *post Dom.* I *Quadr.*, v. 22, n. 10.

Causat puritatem cordis. *Dom.* I *post Pent.*, v. 33, n. 7.

In solitudine, vel deserto, Deus conversari solet cum animabus. *Dom.* IV *Adv.*, v. 2, lit. *k.*

Solitudinem ama ut tentantem dæmonem evincas. *Dom.* I *Quadr.*, v. 1, lit. *f.*

In magna æstimatione solitudinem Deus habet. *Ibid.*, v. 11, lit. *b.*

Christus ascensurus ad cœlum eligit montem Oliveti, ut sciremus solitudinem esse viam ad Paradisum. *Dom.* II *Quadr.*, v. 2, lit. *a.*

Solitudinem Christus Deus amat, illique plurimum placent, qui illum in illa imitantur. *Dom. in Albis*, v. 19, lit. *a.*

Sic Deus solitudinem amat, ut spirituales consolationes, ut plurimum concedat in ea. *Dom.* VI *post Pent.*, v. 4, lit. *a.*

Virtutum gymnasium et formatrix solitudo est. *Dom.* XI *post Pent.*, v. 33, lit. *d, e.*

Solitaria vita cœlestis doctrinæ schola est et divinarum artium disciplina. *Dom.* X *post Pent.*, v. 13, lit. *a.*

Ad castitatem conservandam solitudo plurimum conducit. *Dom.* XXIII *post Pent.*, v. 18, lit. *b.*

Sollicitudo. — Misericordiæ divinæ erga peccatores. *Dom.* IV *Adv.*, v. 1, lit. *a.*

Immodicam et anxiam sollicitudinem condemnat et aspernatur Christus Deus. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 3, lit. *j.*

De corpore, quod inimicum est animæ, semper solliciti sumus. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 2, lit. *h.*

Dominus non damnat ipsa temporalia, non ipsam escam et potum, sed nimiam circa eadem sollicitudinem. *Dom.* XIV *post Pent.*, v. 25, lit. *c, d.*

Sollicitudo divitiarum qualiter definiatur. *Ibid.*, v. 25, n. 3.

Cur sit vetita. *Ibid.*, n. 7.

Quæ sit licita et illicita. *Ibid.*, n. 7 et 8.

Somnus. — Cur appelletur mors. *Fer.* VI *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 11, n. 5.

Aliquando in ægris indicium solet esse sanitatis. *Ibid.*, v. 12, n. 1.

Somnus Christi est patientia ejus et longanimitas qua tot offensas in hac vita præsenti dissimulat. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 24, lit. *x.*

Spes. — Spes præmii æterni animat ad labores. *Dom. Septuag.*, v. 12, n. 15.

Spes in æternitatem animum erigit, et idcirco nulla mala exterius quæ tolerat sentit. *Dom.* III *post Pasch.*, v. 16, lit. *d.*

Semper in spe et timore ambulare debemus. *Dom.* X *post Pent.*, v. 9, lit. *a.*

Spes bonorum cœlestium vanitatem nobis indicat terrenorum. *Dom.* XII *post Pent.*, v. 25, lit. *c.*

Nihil ita animam recreat sicut de futuris bona concepta spes. *Dom.* XX *post Pent.*, v. 47, lit. *b.*

Spinæ. — Spinæ denotant peccata transfixiva animæ. *Dom. Sexag.*, v. 15, n. 4.

Spiritus Sanctus. — Cur missus post Ascensionem. *Dom.* IV *post Pasch.*, v. 7, n. 7.

Quomodo ejus consolationibus frui possimus. *Ibid.*, n. 25.

Qualiter Apostolis datus. *Dom. in Albis.*, v. 22, n. 6 et 7, et v. 23, n. 1.

Mundum arguet, ob Christi condemnationem. *Dom.* IV *post Pasch.*, v. 11, n. 2.

Docuit quod Christus ante tradidit. *Ibid.*, v. 13, n. 6.

Discipulos et Prophetas doctores effecit. *Ibid.*, n. 9.

Eos, per infusam charitatem, fortes et constantes reddidit. *Ibid.*, v. 14, n. 5.

Tribus modis ejus persona describitur. *Dom. infra Octav. Ascens.*, v. 26, n. 1.

Quibus modis nos consoletur. *Ibid.*, n. 3.

Ipsi tot obstinatorum conversio post mortem Christi adscribitur. *Ibid.*, n. 32.

Ad ipsum recipiendum concordia et unio disponunt. *Dom. in Albis*, v. 19, n. 1.

Dicitur Paracletus, quod idem valet ac advocatus et orator, exhortator et incitator, consolator. *Dom. infra Octav. Ascens.*, v. 26, lit. *a.*

Cum sit consolator, in homine quem diligit mansionem facit, summa cum replens consolatione. *Fest. Pent.*, v. 23, lit. *n.*

Consolatur tristes non tristitia sæculi, et perfectionem sanctitatis operatur et docet. *Ibid.*, v. 26, lit. *a, b.*

Dotavit Mariam, sponsam suam, septem suis donis. *Dom.* IX *post Pent.*, v. 45, lit. *c.*

Tria requiruntur ad hoc quod peccatum sit contra Spiritum Sanctum. *Dom.* XXII *post Pent.*, v. 16, lit. *d.*

Sponsa. — Sponsa cœlestis Regis sancta esse intus, non solum apparere debet. *Fest. Pent.*, v. 23, lit. *d.*

Sponsus. — Sponsus Ecclesiæ quis sit. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 1, n. 1.

Sporta. — Quid significet repleta fragmentis. *Dom.* VI *post Pent.*, v. 8, n. 1 et 2.

Sputum. — Sputum Christi admirabile. *Fer.* IV *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 6, n. 4.

Sputum in faciem quid designet. *Ibid.*, n. 5.

Status. — In omni statu operari possumus nostram salutem. *Dom.* XIII *post Pent.*, v. 11, lit. *d.*

Stellæ. — Stellæ cœli quæ cadent de cœlo sunt justi facti negligentes. *Dom.* I *Adv.*, v. 25, lit. *x.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

S. Stephanus. — Cur viderit Christum stantem. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 26, n. 6.
Cur gaudens susceperit lapides. *Dom.* IV *post Pasch.*, v. 13, n. 11.
Studium litterarum. — Christus studia litterarum et scientias debita cum moderatione acquisitas approbavit. *Dom.* XIX *post Pent.*, v. 11, lit. *a*.
Stultitia. — Stultus est peccator qui se potest a lepra peccati propriis verbis curare et non vult. *Dom.* IV *Adv.*, v. 3, lit. *b*.
Primus gradus stultitiæ est bonum non facere; secundus, malum facere; tertius, in malo se assuescere. *Dom.* XIV *post Pent.*, v. 26, lit. *b*.
Stulti. — Stulti vocantur in Scripturis, omnes qui in mortali sunt culpa, quia in illis insipientia regnat. *Dom.* XVII *post Pent.*, v. 35, lit. *b*.
Suavitates cælestes. — Metuendum esset ne suavitates seu consolationes spirituales nobis nocerent, nisi simul granum sinapis venerit. *Dom.* VI *post Epiph.*, v. 31, lit. *d*. Vide Consolationes.
Subditi. — Admonere debent Prælatos. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 47, n. 3.
Suffragia mortuorum. — Suffragia mortuorum si fiant in communi prosunt magis ei qui magis meruit, quod si in speciali magis prosunt ei pro quo fiunt. *Dom.* XVIII *post Pent.*, v. 2, lit. *c*.
Valent et damnatis in inferno per modum diminutionis. *Ibid.*
Superbi. — Dicuntur cæci, et quomodo illuminandi sint. *Fer.* IV *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 6, n. 4.
Seipsos pro objecto habent. *Dom.* VI *post Pent.*, v. 11, n. 1.
Ob dignitatem terrenam nihil curant gloriam cælestem. *Dom.* XIX *post Pent.*, v. 5, n. 7.
Nomine montis et collis intelliguntur superbi. *Dom.* IV *Adv.*, v. 3, lit. *d*.
Superbos omnes mors comprimit et compescit. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 9, lit. *a*.
Non quidquam adeo vile est aut indignum quod superbus non committat, ut ad desideratæ dignitatis fastigium perveniat. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 32, lit. *b*.
Deus superbis resistit, eosque detestatur et aversatur. *Dom.* I *Quadr.*, v. 10, lit. *b*.
Habitu et gestu et ore superbus agnoscitur. *Dom.* X *post Pent.*, v. 11, lit. *a*, *b*.
Vir superbus, omnibus se anteponens, omnibus inimicus, omnibus exosus est et omnium animos a se averlit. *Dom.* XVI *post Pent.*, v. 10, lit. *b*.
Deus superbis resistit, eosque avertatur et odit. *Dom.* XX *post Pent.*, v. 19, lit. *d*.
Superbia. — Tyrannidem exercet in corde humano. *Dom.* X *post Pent.*, v. 9, n. 5.
Unde nascatur in nobis. *Ibid.*, v. 11, n. 26.
Radix superbiæ ignorantia sui. *Dom.* III *Adv.*, v. 23, lit. *h*.
Superbia sterilem efficit spiritum ac devotionem nostram, necnon divinas in nobis exsiccat gratias. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 25, lit. *m*.
Species dementiæ nuncupatur. *Dom.* I *Quadr.*, v. 3, lit. *b*.
Vitium diabolicum est, ortum a dæmone trahens. *Ibid.*, v. 8, lit. *b*.
Nihil magis est contrarium divino amori ac charitati, quam superbia et elationis tumor. *Dom. Palm.*, v. 1, lit. *b*.
Superbus Deo est odibilis et diabolo similis. *Dom.* V *post Pasch.*, v. 23, lit. *b*.
Superbia est signum reprobationis e regno cœlorum. *Dom.* II *post Pent.*, v. 21, lit. *a*.
Cunctorum aliorum vitiorum et peccatorum origo est, et eorum annexam habet congeriem. *Dom.* X *post Pent.*, v. 11, lit. *b*.
Multi damnantur quia in operibus bonis superbiunt et vane gloriantur. *Ibid.*, lit. *c*.
Superbia tumor est, non magnitudo, quæ perfectos precipitare nititur in præcipitium. *Dom.* XII *post Pent.*, v. 30, lit. *c*.
Fugienda et detestanda est. *Dom.* XVI *post Pent.*, v. 10, lit. *a*.
Quod superbiæ et elationi denegatur, humilitas ac submissio obtinet. *Dom.* XX *post Pent.*, v. 19, lit. *c*.
Superiores. — Superiores venerandi sunt. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 54, n. 7.
Aliquando eligantur minus perfecti et quare. *Ibid.*, n. 7.
Sint prudentes in tolerandis subditorum defectibus. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 29, n. 5.
Tenentur dare bonum exemplum. *Fer.* VI *post Dom.* II *Quadr.*, v. 41, n. 8.
Quomodo debeant præcipere. *Fer.* IV *post Dom.* II *Quadr.*, v. 22, n. 3.
Non punlant cum ira. *Dom.* III *Quadr.*, v. 17, n. 4 et 5.
Negligentes in correptione subditorum, sunt canes muti. *Dom.* XI *post Pent.*, v. 32, n. 13.
Quem reprehendendi modum servare debeant. *Dom.* VIII *post Pent.*, v. 2, n. 7.
Consultant etiam quandoque superiores. *Dom.* VI *post Pent.*, v. 1, n. 8.
Quando ipsi majores defectus habent, non corripiant inferiores de minoribus. *Dom.* I *post Pent.*, v. 2, n. 4.
Qualiter honorandi sunt. *Fer.* VI *post Dom.* III *Quadr.*, v. 27, n. 6.
Per homines dormientes intelligendi sunt superiores tum civiles tum ecclesiastici, negligentes et scandalosi. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 25, lit. *f*.
Defectus et peccata subditorum attribuuntur superioribus. *Dom. Septuag.*, v. 1, lit. *i*.
Christus exemplo suo superiores edocet sic armari in culpam ut erga peccatorem conservent benevolentiam. *Dom. in Albis*, v. 27, lit. *a*.
Superiores Ecclesiastici pastores sunt, non ad dominium sed ad obsequium vocati. *Dom.* II *post Pasch.*, v. 11, lit. *f*. Vide Prælati.
Surdus. — Surdus significat peccatorem. *Dom.* XI *post Pent.*, v. 32, n. 3.
Fit peccator surdus per malam consuetudinem. *Ibid.*, n. 15.
Suzanna. — Cum summa castæ Suzannæ gloria delecta fuit ejus innocentia eminensque virtus. *Dom.* XXIII *post Pent.*, v. 20, lit. *b*.
Synagoga. — In synagoga cogebantur continuo laborare homines et cum exiguo fructu. *Dom.* IV *post Pent.*, v. 4, lit. *d*.

T

Talentum. — Talentum auri hebraicum continebat

duodecim millia aureorum. *Dom.* XXI *post Pent.*, v. 24, lit. *c*.
Tempestas. — In qua fluctuat Ecclesiæ navicula quæ sit et a quibus fuerit excitata. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 24, n. 6.
Templum. — Templum Salomonis quale fuerit. *Fer.* IV *post Dom. Pass.*, v. 22, n. 2, et *Fer.* II *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 20, n. 20, et *Ibid.*, v. 14, n. 2.
Templa sunt honoranda propter diversa beneficia nobis in eis data. *Dom. infra Octav. Nativ.*, v. 34, lit. *a*.
In templis summa negotia tractantur. *Ibid.*
Prima Jesu, utpote Pontificis et Messiæ, cura erat templi. *Dom.* IX *post Pent.*, v. 45, lit. *e*.
Templa Dei ad orationem et servitium sunt consecrata. *Ibid.*, v. 46, lit. *a*.
Non parum referi qua ratione quis ingrediatur in templum. *Dom.* X *post Pent.*, v. 10, lit. *a*.
Templum proprie dicitur domus ubi Deus habitat. *Ibid.*, lit. *f*.
Profanatio locorum sacrorum pessima est ac horrendissima profanatio. *Dom.* XXIV *post Pent.*, v. 15, lit. *a*. Vide Ecclesia, Domus Dei.
Tempus. — Quam breve sit. *Fer.* II *post Dom. Pass.*, v. 33, n. 12.
Quam pretiosum. *Dom.* VIII *post Pent.*, v. 2, n. 16.
Quomodo a damnatis deflectur. *Ibid.*
Tempus tribulationum quam sit breve. *Dom.* III *post Pasch.*, v. 17, n. 3.
Salus nostra sæpe ab unico quodam temporis momento dependet. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 42, lit. *b*.
Magna reprehensione digni sunt qui inutiliter consumunt tempus. *Dom. Septuag.*, v. 6, lit. *g*.
Qui serio incumbunt labori, nec de residuo tempore, vel minimum quid deperdatur, redimunt tempus. *Ibid.*, lit. *h*.
Longum nobis videtur quoniam adhuc agitur : cum finitum fuerit, sentiemus quam modicum fuerit. *Dom.* III *post Pasch.*, v. 16, lit. *a*.
Modico tempore potest homo incrari veniam, gratiam et gloriam; male vero expensum obligat ad tormentum æternum. *Ibid.*, lit. *k*.
In potestate nostra minime situm est. *Dom.* V *post Pasch.*, v. 24, lit. *d*.
Pretiosum tempus, propter cujus perditionem ipse Salvator ubertimas lacrymas profudit. *Dom.* IX *post Pent.*, v. 41, lit. *i*.
Tenebræ. — Cur tantis tenebris mundus obcæcabitur, veniente supremo Judice. *Dom.* I *Adv.*, v. 25, lit. *t*.
Tentatio. — Mortis Christi meditatione vincitur. *Dom. Quinq.*, v. 31, n. 4.
Tentationes diabolicæ qualiter in servo Dei augentur. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 26, n. 5.
Plus servos Dei quam alios tentatio infestat. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 25, n. 11.
Vocandus est Jesus contra tentatorem; nostra culpa est si perimus. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 2, lit. *g*.
Experientia sanctorum constat in tentationibus, gratias Deo agere, quasi de jam reportata victoria, multum valere. *Ibid.*, v. 14, lit. *b*.
Tentationes quas vicimus in nostrum cedunt emolumentum. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 23, lit. *u*.
Præsentia Domini sic dæmonibus terribilis est quod et ipsi dæmones et eorum tentationes de facili vincantur. *Ibid.*, v. 24, lit. *s*.
Electos suos nonnunquam a tentatione impeti Dominus sinit. *Ibid.*, lit. *t*.
Tentationes diaboli, divina gratia auxiliante, ad nostram majorem gloriam cooperantur. *Ibid.*, lit. *u*.
Tentationes et tribulationes Deus nobis immittit et permittit ut nostram probet, exerceat, experiatur et perficiat virtutem. *Ibid.*, v. 26, lit. *a*.
Sancti non pauci ex odio, ex insidiis, ex assultibus, ex dolis, ex fraudibus spiritualium infernalium perfectiores evaserunt. *Ibid.*, lit. *c*.
Deus communicat nobis auxilia quibus resistere tentationi valeamus. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 30, lit. *a*.
Mundus, caro, dæmon, diversa contra nos movent prælia, præsertim tempore bacchanalium. *Dom. Quinq.*, v. 31, lit. *a*.
Christus noluit tentari nisi post susceptum baptismum, ad nostram instructionem. *Dom.* I *Quadr.*, v. 1, lit. *a*.
Diabolus expavet viros, qui viriliter primis ejus conatibus resistunt. *Ibid.*, v. 11, lit. *a*.
Licet persæpe dæmonis tentationes vicerimus, nunquam tamen de perfecta victoria securi esse debemus. *Dom.* III *Quadr.*, v. 24, lit. *a*.
Tot laqueos, tot insidias vincere aut declinare nemo poterit, nisi Dei fuerit protectione munitus. *Dom.* XI *post Pent.*, v. 32, lit. *d*.
Nemo a tentatione est securus. *Dom.* XVI *post Pent.*, v. 4, lit. *d*.
Sapientia Dei tentationes plerumque ad majorem suam ordinat gloriam et in nostrum convertit beneficium. *Dom.* XVI *post Pent.*, v. 2, lit. *f*.
Deus ponderat vires nostras, nec permittit ut assultus dæmonis eas superent. *Dom.* XVII *post Pent.*, v. 35, lit. *a*.
Varia emolumenta et commoda ex ipsis etiam tentationibus resultant. *Ibid.*
Nescimus sæpe quid possumus : tentatio aperit quid sumus. *Ibid.*, v. 14, lit. *a*.
Nemo nisi fultus esset Angelorum auxilio, effugere laqueos et tentationes dæmonum vincere posset. *Dom.* XIX *post Pent.*, v. 13, lit. *b*.
Multis modis ex permissione divina tentat nos diabolus. *Dom.* XXI *post Pent.*, v. 4, lit. *d*.
Tentator. — Subtiliter fallens, preces nostras a Deo avocat, ut aliud habeamus in corde et aliud in voce. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 2, lit. *d*.
Tentatus. — Tentatum nullus abhorreat, quoniam ex tentatione perficitur virtus. *Dom.* XVII *post Pent.*, v. 35, lit. *a*.
Tepidi. — Tepidis et otiosis Deus maledictionem et mortem æternam comminatur. *Dom. Septuag.*, v. 1, lit. *j*.
Dæmon in tepidis et otiosis centrum suum invenit. *Ibid.*, lit. *k*.
Tepiditas spiritus. — Signum periculorum animæ. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 24, n. 22.
Multi tepidi sunt in Dei servitio quia merces laboris eorum non in præsenti vita sed in futura dabitur. *Dom.* XXIII *post Pent.*, v. 29, lit. *d*.
Terra. — Elementum infimum, in centro continet infernum. *Dom.* XIV *post Pent.*, v. 33, n. 5.

Testamentum novum. — Aptius est ad justificandum fideles. *Dom. Septuag.*, v. 12, n. 14.
Thesaurus. — Thesauri significatio. *Fer.* IV *Cin.*, v. 20, n. 4 et 5.
Thesauri terreni a cœlestibus differunt. *Ibid.*, n. 3.
Cui licuit eos congregare. *Ibid.*, v. 19, n. 4.
Inveniuntur, ubi corda nostra sunt. *Ibid.*, v. 21, n. 1.
In sepulchris thesauri sunt. *Ibid.*, v. 20, n. 6.
Animarum qui sint. *Ibid.*
Excelsus, quia thesauros alienigenis prodidit, perdidit. *Dom.* III *Adv.*, v. 21, lit. *a*.
Thesaurus cœli est manus pauperis, quod suscipit, ne peresat in terra reponit in cœlum. *Dom.* III *post Pasch.*, v. 18, lit. *e*.
Salvator noster nos exhortatur ut de thesauro in cœlis expectando solliciti simus. *Dom.* IV *post Pent.*, v. 1, lit. *b*.
S. Thomas Apostolus. — Quomodo clavium potestatem acceperit, siquidem cum daretur aliis, ipse præsens non fuit. *Dom. in Albis*, v. 21, n. 13.
Nobis infidelitas ejus est proficua. *Ibid.*, v. 25, n. 2.
In infidelitate per dies octo perstitit. *Ibid.*, v. 26, n. 1.
Palpando vulnera Christi optimus factus est theologus. *Ibid.*, v. 28, n. 1.
Digito suo universum mundum docuit. *Ibid.*, v. 29, n. 3.
Innumeros populos convertit. *Ibid.*
S. Thomas Aquinas. — Ejus ad sororem scripta instructio. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 3, n. 8.
Thomas Morus. — Ejus de mundanorum stultitia consideratio. *Dom.* II *post Pent.*, v. 19, n. 3.
Regni Anglicani magnus cancellarius, unica fidei catholicæ columna adversus impium regem Henricum. *Dom.* XXIII *post Pent.*, v. 20, lit. *d*.
Timor Dei. — Principium est sapientiæ, et lætitiæ, et coronæ gloriæ. *Dom.* II *Quadr.*, v. 6, n. 5 et 6.
Dispositio est ad recipiendam gratiam Spiritus Sancti. *Dom. in Albis*, v. 19, n. 13.
Fundamentum salutis. *Dom.* X *post Pent.*, v. 9, n. 8.
Quam sit utilis. *Dom.* I *Adv.*, v. 25, n. 2.
Appropinquante judicio extremo, omnes homines arescent præ timore. *Ibid.*, v. 26, lit. *e*.
Timor sine amore servitus. *Dom. infra Octav. Nativ.*, v. 31, lit. *f*.
Dum cor nostrum timore mortis et gehennæ concutitur, mens igne charitatis inflammatur. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 6, lit. *i*.
Timor docet nos fiduciam quæ in Deum potius quam in nostram industriam haberi oportet. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 25, lit. *b*.
Timenti Deum, nec desunt bona spiritualia, pariter et temporalia. *Dom.* IV *Quadr.*, v. 5, lit. *e*.
Timore Dei fulciti in ipsis etiam tribulationibus quietem et gaudium experturi sumus. *Fest. Pasch.*, v. 6, lit. *b*.
Spiritus Sanctus requiescit apud eos qui in timore Dei vivunt. *Fest. Pent.*, v. 23, lit. *m*.
Qui majori præditus est spiritu, plus timoris habere, nec securus vivere debet. *Dom.* IV *post Pent.*, v. 8, lit. *a*.
Filialis timor cum amore Dei sese quam optime compatitur. *Ibid.*, v. 8, lit. *b*.
Timor Dei nostræ cooperatur conversioni, ut peccata commissa expellat et a futuris præservet. *Ibid.*, lit. *c*.
Salutaris est Dei timor, qui origo et initium salutis æternæ est. *Ibid.*, v. 10, lit. *b*.
Qui nec exemplis moventur, nec allicuntur favoribus, sæpe timore supplicii trahuntur. *Dom.* V *post Pent.*, v. 20, lit. *a*.
Audax est homo et temerarius; idcirco necesse est ut timore ejus refrenetur audacia. *Dom.* IX *post Pent.*, v. 45, lit. *d*.
Timor est omnis boni principium. *Ibid.*
Qui metuit, reprimitur, non emendatur. *Dom.* XX *post Pent.*, v. 46, lit. *f*.
Tinea. — Quid significet. *Fer.* IV *Cin.*, v. 19, n. 9.
Titus et Vespasianus. — Quale Jerosolymis intulerint excidium. *Fer.* VI *post Dom. Pass.*, v. 48, n. 17.
Tobias junior. — Quia bonus inter malos, ideo merito gloriosior. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 42, n. 8.
Tobias senior. — Est stercore hirundinum cæcus factus. *Fer.* IV *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 6, n. 17.
Torcular. — Quæ significet. *Fer.* IV *Cin.*, v. 19, n. 9.
Tortor. — Tortorum nomine dæmones intelligantur qui velut carnifices sunt et ministri divinæ justitiæ. *Dom.* XXI *post Pent.*, v. 34, lit. *b*.
Traditiones. — Judaicæ contrariæ præceptis divinis. *Fer.* IV *post Dom.* III *Quadr.*, v. 5, n. 1.
Transfiguratio. — Cur facta in monte. *Dom.* II *Quadr.*, v. 1, n. 11.
Ibi tradita sunt argumenta fidei. *Ibid.*, n. 15.
Cur in ea Moyses et Elias apparuerint. *Ibid.*, v. 3, n. 4.
Cur mihi mors Christi prædicta. *Ibid.*, v. 3, n. 2.
Cur ei tres tantum interfuerint Apostoli. *Ibid.*, v. 1, n. 2 et 3.
Transfigurari voluit Dominus ut ex visa gloria discipuli ejus sciant, majora bona esse recipienda quam mala perferenda. *Dom.* I *Quadr.*, v. 1, lit. *j*.
Quas non induit figuras Dominus, ut nos in corpus claritatis suæ transfiguret. *Dom.* II *Quadr.*, v. 1, lit. *m*.
Finis transfigurationis Domini fuit ut manifestaret se ac declararet Filium Dei. *Ibid.*, v. 2, lit. *a*.
Transgressiones. — Transgressiones leviores et veniales servi Dei cavere debent, quia hæc sæpe offendiculum sunt unde gravior sequitur lapsus. *Dom. in Albis*, v. 25, lit. *a*. Vide PECCATUM.
Tribulatio. — Purificat virtutes. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 26, n. 4.
Exstimulat ut ad Deum recurramus. *Ibid.*, v. 15, n. 7.
Est lapis Lydius virtutis. *Ibid.*, v. 26, n. 4.
Cur a Deo tribulationes immittantur. *Fer.* V *post Dom.* III *Quadr.*, v. 39, n. 18.
Veros efficiunt amicos Dei. *Ibid.*, v. 38, n. 20.
Flagella quibus Deus nos castigat, qualia sint et ex qua materia contexta. *Fer.* II *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 4, n. 4, 5 et 6.
Sunt dupliciis generis. *Ibid.*, n. 1.
Tribulatio aliquid divini habet in se. *Dom.* II *Adv.*, v. 3, lit. *i*.
Patienter tolerata, solvit pœnas debitas pro peccatis, et ab eis nos expurgat. *Ibid.*, lit. *a*.
Ad tribulationum tolerantiam multum confert consideratio gloriæ æternæ. *Dom.* IV *Adv.*, v. 1, lit. *b*.

Per valles intelligi poterunt tribulationes; per montes, consolationum amœnitates. *Ibid.*, v. 5, lit. *d*.
Solet Deus charioribus sibi amicis, graviores quandoque immittere tribulationes. *Dom. infra Octav. Nativ.*, v. 35, lit. *c*.
Tribulationes hujus miseræ vitæ sunt signum amoris et emendationis. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 47, lit. *a*.
Tribulatio fœcunda mater est bonarum virtutum. *Ibid.*
Tribulatio tempus perditum redimit. *Ibid.*
Aquæ tribulationum nobis cedere possunt in præstantissimum vinum quoddam spirituale. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 9, lit. *a*.
Solet Deus animas sibi dilectas, aqua tribulationis sæpe ad longum tempus potare. *Ibid.*, v. 10, lit. *e*.
Deus, mediante tribulatione, nos avertit ab amore mundi. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 24, lit. *bb*.
Tribulatio lumen subministrat, et in Dei cognitionem nos venire facit. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 8, lit. *a*.
Tribulationes nos humiles conservant, et oculos aperiunt, ut nosmetipsos agnoscamus. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 27, lit. *b*.
Aquæ sunt amaræ tribulationes sed misso ligno crucis efficiuntur dulces. *Dom.* VI *post Epiph.*, v. 31, lit. *c*.
Per tribulationes et tormenta virtus spei magis accenditur. *Ibid.*, lit. *k*.
Deus nobiscum est in tribulationibus. *Dom. Septuag.*, v. 11, lit. *a*.
Tribulatio pignus et arrha electionis est ad gloriam. *Dom. Quinq.*, v. 32, lit. *a*.
Minimus gradus tribulationis, propter amorem Dei toleratæ, pluris æstimatur quam quævis fervens devotio. *Ibid.*, v. 31, lit. *f*.
Nulli a tribulationibus exempti sunt, sive nobiles, sive principes, sive divites. *Dom. Sexag.*, v. 45, lit. *a*.
Gladius flammeus atque versatilis est tribulatio affligens corpus et animam. *Fest. Pasch.*, v. 6, lit. *d*.
Tres enumerantur causæ ob quas tribulationes tam invite toleramus. *Dom.* II *post Pasch.*, v. 11, lit. *h*.
Tribulatio tutela est salutis, peccata expellit, virtutes corroborat ac firmat, sanctitatem concilat et mentes beat. *Ibid.*, lit. *i*.
Hoc ad ultroneæ perferendas tribulationes animat, si consideremus eas brevi duraturas, respectu præmii æterni. *Dom.* III *post Pasch.*, v. 22, lit. *a*.
Vitam gratiæ ac plura alia bona communicat, in gratia confortat, in virtute stabiles efficit. *Dom.* IV *post Pasch.*, lit. *d*.
Desideranda merito est tribulatio cum apud Deum præsto letur lucrum. *Dom.* VI *post Pent.*, v. 3, lit. *a*.
Apud Christianos olim tribulatio in summa erat veneratione et æstimatione. *Dom.* XX *post Pent.*, v. 46, lit. *h*.
Nostræ cooperatur conversioni et pœnitentiæ. *Dom.* XXII *post Pent.*, v. 19, lit. *b*.
Animæ fideli tribulatio optanda est cum magnam apud Deum præstoletur lucrum. *Dom.* XXIII *post Pent.*, v. 20, lit. *b*.
Tribulatio suggerit Jacobo supplicandi methodum optime compositam. *Ibid.*, lit. *e*. Vide ADVERSITAS.
Tribulatio Antichristi. — Quam truculenta. *Dom.* XXIV *post Pent.*, v. 21, n. 2.
Quamdiu duratura. *Ibid.*, v. 22, n. 3.
Triumphus Palmarum. — Diversus ab ipso monte Calvariæ. *Dom. Palm.*, v. 9, n. 2.
Cur ille passioni conjungatur. *Ibid.*, n. 9.
Tuba. — Tuba per quam designatur Prædicator non resonat nisi vacua. *Dom.* XIV *post Pent.*, v. 24, lit. *i*.
Tuba judicii finalis. — Qualis sit. *Dom.* XXIV *post Pent.*, v. 31, n. 4.
Terrebit reprobos, lætificabit electos. *Ibid.*, n. 1.
Tunicam. — Salvator noster tunicam suam seu vestem inconsutilem dividi pati non voluit. *Dom.* XXIII *post Pent.*, v. 25, lit. *a*.
Turpitudo. — Turpitudo peccati omni turpitudine visibili major est. *Dom.* XX *post Pent.*, v. 46, lit. *f*.
Turris viaeæ. — Quid significet. *Fer.* VI *post Dom.* II *Quadr.*, v. 33, n. 21, 22, 23, 24.

U

Unitas. — Nihil Deus magis ostentat quam unitatem. *Dom.* III *post Pent.*, v. 4, lit. *a*.
Usura. — Eleemosyna quædam est sancta et lucrosa usura quæ substantiam multiplicat, familiasque felicitat. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 45, lit. *a*.
Usura quæ ab eleemosyna nascitur, a Deo magna cum sollicitudine suadetur et commendatur. *Dom.* I *post Pent.*, v. 38, lit. *a*.
Deo fœneratur qui dat pauperi. *Dom.* XIV *post Pent.*, v. 25, lit. *f*.

V

Valerianus. — Punitus a Deo. *Dom.* XVI *post Pent.*, v. 43, n. 4.
Valles. — Designant humiles. *Dom.* IV *Adv.*, v. 5, n. 3.
Per valles difficultates in via virtutis occurrentes intelligi possunt. *Ibid.*, lit. *a*.
Vana gloria. — Exemplo Christi fugienda. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 4, n. 2.
Obfuscat intellectum. *Fer.* III *post Dom. Pass.*, v. 5, n. 4.
Est quasi innata nobis. *Fer.* III *post Dom.* II *Quadr.*, v. 5, n. 1.
Est pessimum inter cleri vitia. *Ibid.*
Fugienda occultando opera bona. *Fer.* VI *post Dom.* I *Quadr.*, v. 13, n. 4.
Est serpens cum vulnerans hominem. *Fer.* VI *Cin.*, v. 4, n. 1.
Est latro secretus. *Ibid.*
Signatur per sinistram. *Fer.* VI *Cin.*, v. 3, n. 3.
Odiosas reddit preces nostras. *Dom.* X *post Pent.*, v. 11, n. 28.
Diminuit merita. *Ibid.*
Sic ipse Dei Filius vanam gloriam abominatur, ut sine urgenti necessitate miracula nolit patrari. *Dom.* VI *post Pent.*, v. 5, lit. *a*.
Inanis gloria sic juxta virtutes nascitur, ut non recedat prinsquam vim illarum excluerit. *Dom.* X *post Pent.*, v. 11, lit. *e*. Vide GLORIAM.
Vassali. — Quomodo reddantur obedientes et fideles. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 9, n. 1.
Venena. — Vitia venena sunt animarum. *Dom.* XXIII *post Pent.*, v. 25, lit. *c*.
Venia. — Venia peccatorum hominis in ejus est po-

testate : quantum quærit misericordiæ, tantum faciat. *Dom.* I *post Pent.*, v. 37, lit. *d*, *e*, *f*.

Venti. — Significant dæmones. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 27, n. 3.

Verba. — Parum prosunt externa verba si cor longe est a Deo. *Dom.* XXIII *post Pent.*, v. 21, lit. *a*.

Verba injuriosa. — Transfigunt animam. *Dom.* V *post Pent.*, v. 22, n. 27.

Sunt principium rixarum et inimicitiarum. *Ibid.*, n. 43.

Verbum Dei. — Omnipotens est. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 8, n. 9.

Assimilatur pani propter varias analogias. *Dom. Sexag.*, v. 12, n. 4.

Contemnitur ab auditoribus, operante dæmone. *Ibid.*, v. 5, n. 15, etc.

Emollit corda obstinatorum. *Fer.* II *post Dom. Pass.*, v. 33, n. 3.

Debet esse panis noster quotidianus. *Dom.* I *Quadr.*, v. 4, n. 4.

Est potens. *Fer.* II *post Dom. Pass.*, v. 33, n. 1.

Non est negligendum. *Dom.* III *post Pasch.*, v. 18, n. 2.

Quos animæ fructus afferat. *Dom.* IV *post Pent.*, v. 1, n. 19.

Verbum Dei est sol animæ sine quo non vivitur. *Dom.* I *Adv.*, v. 25, lit. *p*.

Omnia in se bona, omnes virtutes, cunctas gratias in se virtualiter continet. *Dom.* IV *Adv.*, v. 2, lit. *i*.

Salvator noster nihil fert indignius quam dum divinum verbum suum parvi fieri conspicit. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 19, lit. *a*.

Verbum Dei non solum in corde custodiendum sed et executioni mandandum est. *Ibid.*, v. 31, lit. *c*.

Auditores verbi Dei conservare debent et conferre in corde suo quæ audiunt. *Ibid.*, lit. *d*.

Culpantur qui prædicationem verbi Dei parvi pendunt. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 4, lit. *b*.

Aliquando fructum non producit; non vero vitio verbi, sed culpa auditorum. *Dom. Sexag.*, v. 8, lit. *a*.

Sermones divinos debemus custodire, intelligendo, diligendo, obediendo. *Ibid.*, v. 9, lit. *a*.

Dicitur lumen, panis, manna, semen, propter varias similitudines. *Ibid.*, v. 12, lit. *a*.

Non in malevolis Scribis et Pharisæis, sed in una simplici et devota muliere fructum edidit. *Dom.* III *Quadr.*, v. 27, lit. *a*.

Evidens signum est aliquem electum esse ad gloriam, si verbum Dei libenter auscultet et opere compleat. *Ibid.*, v. 28, lit. *a*.

Qui ex Deo est, verbum Dei audit. *Dom. Pass.*, v. 47, lit. *a*.

Sunt nonnulli qui libenter verbum Dei suscipiunt, sed post lacrymarum tempus ad iniquitatem redeunt. *Ibid.*, lit. *b*.

Avari et divites difficilime audiunt. *Ibid.*, lit. *c*.

Audire verbum Dei et illud non facere, plane idem est ac non audire et contemnere. *Ibid.*, lit. *e*.

Panis quotidianus animæ nostræ. *Dom.* II *post Pent.*, v. 16, lit. *g*.

Felicitas corporalis impedit ne vocem Dei audiamus. *Dom.* IV *post Pent.*, v. 1, lit. *a*.

Nutrimentum corporis boni hominis est verbum Dei, sapientia palmentum. *Dom.* VI *post Pent.*, v. 2, lit. *a*.

Verbum Dei etiam corpus alendi virtutem habet. *Ibid.*, lit. *c*, *d*.

Saluberrima medicina est ad salvandas animas. *Dom.* XX *post Pent.*, v. 50, lit. *a*.

Verbum Patris. — Quomodo se carni humanæ desponsarit. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 2, n. 2.

Vivit Verbum per Patrem, et eodem modo nos per carnem ejus vivimus. *Dom.* VI *post Epiph.*, v. 33, lit. *c*.

Verecundia. — Conciliat Dei gratiam. *Dom.* X *post Pent.*, v. 14, n. 5.

Mentiri nescit. *Dom.* XXIV *post Pent.*, v. 35, n. 2.

Verecundiam diabolus ante peccatum tollit, post peccatum reddit. *Dom.* III *Quadr.*, v. 14, lit. *e*.

Laudabilis et utilis est verecundia in confessione facta cum humilitate et veritate. *Dom.* X *post Pent.*, v. 13, lit. *f*.

Veritas. — Quomodo in mundo tractetur. *Dom.* II *Adv.*, v. 8, n. 3.

Dicenda, licet displiceat. *Dom.* IV *post Pasch.*, v. 7, n. 12.

Veritas per se est patens, manifesta et credibilis, nec multorum eget testimonio. *Dom. Pass.*, v. 46, lit. *l*.

Nihil efficacius ad inimicos concutiendos quam ipsa veritas. *Ibid.*, lit. *k*.

Clara veritatis vox omnem mendacii vocem obmutescere facit. *Dom.* XVII *post Pent.*, v. 35, lit. *c*.

Totius doctrinæ ornamentum, imo ac fundamentum veritas est. *Dom.* XXII *post Pent.*, v. 16, lit. *c*.

Vermis. — Vermis qui non moritur matæ conscientiæ est remorsus qui damnatos crucialit. *Dom.* VIII *post Pent.*, v. 3, lit. *d*.

Vestigia. — Vestigia Christi, per quæ gradi debemus, sunt sufferentia et patientia. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 24, lit. *g*.

Vestis. — Vestis superba, quantum sit peccatum. *Dom.* II *Adv.*, v. 8, n. 6.

Cur vestes in die Palmarum in terram projectæ. *Dom. Palm.*, v. 8, n. 3.

Quid significent. *Ibid.*, n. 4, 5 et 6.

Vestis nuptialis mysteriosa. *Dom.* XIX *post Pent.*, v. 11, n. 12, 13, 14, 15, 16, 17.

Vestitus nuptialis est gratia Spiritus Sancti et candor habitus cœlestis. *Ibid.*, lit. *b*.

Vestis sacerdotalis significatio mystica. *Dom.* IV *Adv.*, v. 2, lit. *h*.

Via. — Via quæ sit per quam Christus in mundum venit. *Dom.* IV *Adv.*, v. 4, n. 17 et 18.

Quæ nos ad Christum perducat. *Ibid.*, n. 23.

Per quam gradiendum ad cœlum. *Fer.* IV *post Dom.* II *Quadr.*, v. 22, n. 2.

Via Domini per quam venit ad peccatores misericordia est et justitia. *Dom.* IV *Adv.*, v. 5, lit. *b*.

Hodie non desunt qui regiam viam sanctæ crucis, Christo duce, sequi non detrectant. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 23, lit. *e*.

Non est alia ad montem gloriæ via, quam illa qua Jesus ipse processit. *Dom.* II *Quadr.*, v. 4, lit. *i*.

Laboriosa, angusta, spinis, tribulis et sentibus repleta, intuitu mercedis facilis et læta sanctis innumeris videtur. *Dom.* III *post Pasch.*, v. 16, lit. *d*.

Tormentorum libenti animo toleratorum merita viam ad cœlum complanant et facilem efficiunt. *Ibid.*, lit. *l*.

Deus multas aperuit vias faciles, per quas cujuslibet status et professionis homines transire ad salutem æternam possint. *Dom.* XIX *post Pent.*, v. 11, lit. *a*.

Victor. — Solummodo obtinet palmam. *Fer.* III *post Dom.* II *Quadr.*, v. 7, n. 2.

Viduæ. — Quibus maxime vacare debeant. *Dom. infra Octav. Nativ.*, v. 37, n. 8.

Vidua juvenis subjecta est majoribus tentationibus. *Ibid.*, v. 36, n. 9.

Quæ censeantur bonæ. *Dom.* XV *post Pent.*, v. 15, n. 22.

Debent adjuvari ab aliis. *Ibid.*, n. 16.

Vigilantia. — Mater est virtutis. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 25, n. 2.

Nullum est præterendum momentum in quo vigiles non simus, quia inimicus etiam in quavis noctis hora invadere nos potest. *Dom.* III *post Pasch.*, v. 16, lit. *k*.

Vigilantia nobis est necessaria, penitus enim ignoramus quibus nos armis diabolus aggressurus est. *Dom.* XVI *post Pent.*, v. 1, lit. *d*.

Villicus. — Omnis homo villicus est Dei cui reddet bonorum commissorum strictam rationem. *Dom.* VIII *post Pent.*, v. 1, lit. *b*.

In villico denotantur homines divites, quibus Deus divitias in pauperum usus dispensandas tradidit. *Ibid.*, lit. *d*.

Vindicativi. — Sibi ipsis damnosi sunt. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 24, n. 9.

Per preces quotidianas Deum irritant. *Dom.* XI *post Pent.*, v. 33, n. 12.

Plus damni sibi quam inimicis inferunt. *Ibid.*, v. 34, n. 9.

Exosi sunt Deo. *Ibid.*, n. 1 et 2.

Vindicta. — Magni meriti est vindicta qua vincitur inimicus, quando ei bonum pro malo reddere studemus. *Dom.* IV *Quadr.*, v. 1, lit. *d*.

Si volnerit quis ulcisci quempiam, vel prior injuriam facere, multa et acerba inde mala patitur. *Dom.* III *post Pasch.*, v. 21, lit. *c*.

Cessat vindicta divina si conversio præcedat humana. *Dom.* IX *post Pent.*, v. 12, lit. *a*.

Vinea Evangelica. — Animam designat. *Dom. Septuag.*, v. 1, n. 8 et 9.

Anima Christiana vinea est Patrisfamilias, scilicet Dei. *Ibid.*, lit. *d*.

Nullus in vinea Patrisfamilias, id est, Ecclesia, ab operatione eximitur. *Ibid.*, lit. *f*.

Est symbolum animæ justæ quam Deus summa cura et custodia semper prosecutus est. *Ibid.*, v. 7, lit. *b*.

Vinum. — Passionem Christi designat. *Dom.* XII *post Pent.*, v. 34, n. 5.

Vinum deliciarum mundanarum ab omni cognitione Dei est alienum. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 3, lit. *f*.

Abusus vini magna causat mala. *Ibid.*, v. 10, lit. *a*.

Vino sapientia obscuratur. *Dom.* XIV *post Pent.*, v. 25, lit. *e*.

Virgines. — Illæ animæ veræ virgines sunt quæ cœlesti Sponso vinculo sunt connubiali astrictæ. *Dom.* XIV *post Pent.*, v. 28, lit. *b*.

Struendum est sacris virginibus pudoris murum, qui nec proprios emittat oculos, nec admittat alienos. *Dom.* XIX *post Pent.*, v. 9, lit. *b*.

Virginitas. — A Christo diligitur. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 31, n. 9.

Virginitati et continentiæ conservandæ maxime conveniunt humilitas et sensuum custodia. *Fest. Pasch.*, v. 2, lit. *f*.

In liliis virginitatis candor denotatur. *Dom.* XIV *post Pent.*, v. 28, lit. *a*.

Christus statum virginitatis sanctificavit. *Dom.* XIX *post Pent.*, v. 11, lit. *a*.

Admonita tantum, non jussa, sed ideo tantum admonita, quia nimis excelsa. *Ibid.*, lit. *b*.

Virtus puræ virginitatis suos in cœlo natales habet. *Ibid.*

Virtuosi. — Virtuosis et perfectis pericula fugienda sunt, neque de propriis viribus nimium prævidendum. *Dom.* IX *post Pent.*, v. 11, lit. *c*.

Virtus. — Dominus Jesus Christus scientiarum et virtutum omnium est origo. *Dom.* III *Adv.*, v. 20, lit. *a*.

Semper in virtutibus progredi oportet : nolle proficere deficere est. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 32, lit. *a*.

Virtus deridetur ab impiis, utpote spina in oculis eorum. *Dom. Sexag.*, v. 7, lit. *d*.

Ne deficiamus unquam ob improborum calumniam in via virtutis. *Dom. Quinq.*, v. 39, lit. *c*.

In re virtutis difficilius est minora et obvia facere quam majora, et quæ plus virium exigunt. *Dom.* IV *Quadr.*, v. 14, lit. *c*.

Omnes veræ virtutes ex charitate, sicut rami ex arbore procedunt. *Dom. Palm.*, v. 2, lit. *a*.

Perseverare proficereque in gratia et servitio Dei, quamvis ferveat ignis persecutionum, signum est veræ virtutis. *Dom.* III *post Pasch.*, v. 20, lit. *d*.

Quando virtus aliqua tendit in alia, tanto fortius repellit omne contrarium. *Dom.* IV *post Pasch.*, v. 7, lit. *e*.

Nulla virtus, nec ullum bonum opus remunerationem expectare debet, nisi fuerit perseverantiæ conjunctum. *Dom.* V *post Pasch.*, v. 23, lit. *c*.

Christianus semper in virtutibus progredi et proficere debet. *Ibid.*, v. 24, lit. *e*.

Infallibile veræ virtutis est indicium si quis in adversitatibus sit patiens. *Dom.* VII *post Pent.*, v. 16, lit. *m*.

Omnes virtutes quas in monte Dominus docuit, ipse eas in se adimplevit ac firmavit. *Dom.* IX *post Pent.*, v. 41, lit. *d*.

Magnorum virorum est non habere præ ceteris suas virtutes. *Dom.* XI *post Pent.*, v. 36, lit. *a*.

Nec locus, nec status sæcularis virtutis exercitio, aut sanctitatis lucro præjudicat. *Dom.* XII *post Pent.*, v. 34, lit. *d*.

Nulla sunt sine tentationum experimentis opera virtutum. *Dom.* XVI *post Pent.*, v. 2, lit. *f*.

Virtutum perfectio, strenua decertatione comparatur. *Dom.* XVII *post Pent.*, v. 35, lit. *a*.

Semper de die in diem in virtutibus ultra progrediendum est. *Dom.* XX *post Pent.*, v. 50, lit. *b*.

Virtutes cœlorum. — Qua ratione virtutes cœlorum in die judicii movebuntur. *Dom.* I *Adv.*, v. 26, lit. *f*.

Visio beatifica. — Hæc est plena beatitudo et tota glorificatio hominis, videre faciem Dei sui. *Dom.* III *post Pasch.*, v. 22, lit. *b*.

In Dei clara visione consistit tota gloria sempiterna beatorum. *Dom.* XII *post Pent.*, v. 23, lit. *c*.

Visiones. — Visiones, revelationes, consolationes aliaque gratiarum dona, solitudinis præmia sunt. *Dom. in Albis*, v. 19, lit. *a*.

Vita æterna. — Illa deberet esse prima nostra sollicitudo quomodo vitam æternam possidere possimus. *Dom.* XII *post Pent.*, v. 25, lit. *c*.

Vita Christiana. — In quo consistat. *Fer.* III *post Dom.* II *Quadr.*, v. 5, n. 4.

Summa et perfectio totius vitæ Christianæ animarumque salutis in bono consistit exemplo. *Dom.* XVI *post Pent.*, v. 1, lit. *a*.

Sacramentum Eucharistiæ vitam donat mundo. *Dom.* XX *post Pent.*, v. 46, lit. *c*.

Transitus a vita pia ad vitam religiosam et perfectam, tempore, consilio et oratione indiget. *Dom.* XV *post Pent.*, v. 15, lit. *a*.

Ad vitam spiritualem conservandam, cibi Eucharistici urget necessitas. *Dom.* XXIII *post Pent.*, v. 18, lit. *g*.

Vita humana. — Continua mors est. *Dom.* XV *post Pent.*, v. 12, n. 7, et *Dom.* XX *post Pent.*, v. 47, n. 18.

Cui innitatur, et in quo consistat. *Dom.* III *post Pasch.*, v. 16, n. 11.

Nemo potest esse securus, et intentatus hujus vitæ mare transire; continua enim pugna est vita humana. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 21, lit. *o*.

Non sufficeret vitæ bonitas sine dogmatum integritate. *Dom. Sexag.*, v. 6, lit. *b*.

Vita humana continua quædam pugna est propter diaboli tentationes. *Dom.* I *Quadr.*, v. 3, lit. *a*.

Vita nostra modicum quid appellatur; quod enim fine claudituir longum non est. *Dom.* III *post Pasch.*, v. 16, lit. *j*.

Vita hominis continua quædam tribulatio est. *Ibid.*, v. 21, lit. *b*.

Vita præsens quasi continuus ad mortem cursus est, qui tam bene de præsenti terminari potest quam de futuro. *Dom.* IV *post Pasch.*, v. 5, lit. *d*.

In vitæ fine majores sunt explicandi virtutum sumptus. *Dom.* II *post Pent.*, v. 16, lit. *i*.

Spes longioris vitæ sæpe multum fallit. *Dom.* XV *post Pent.*, v. 12, lit. *f*.

Præsentis vitæ prosperitates nos a Deo seducunt. *Dom.* XIX *post Pent.*, v. 9, lit. *a*.

Vitiosæ propensiones. — Utiliter in nobis Deus relinquit vitiosas propensiones. *Dom.* XVII *post Pent.*, v. 35, lit. *a*.

Vitium. — Virtutis larvam præferens, animarum est exterminium. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 26, n. 5.

Vitia quæ videmus in natura nostra non a Deo seminata sunt sed a manu dæmonis et nostra. *Ibid.*, v. 27, lit. *a*.

Radix vitii ab imo evellenda est, ut facilius possit superari vitium. *Dom.* I *post Pent.*, v. 41, lit. *a*.

Natura humana ad vitium prona est, et magna cum facilitate ab eodem attrahitur et imbuitur. *Dom.* XI *post Pent.*, v. 31, lit. *a*.

Vocatio Dei. — Fit variis modis. *Dom. Septuag.*, v. 8, n. 3.

Qui vult salvus esse, divina vocatione prompte, expedite et sine ulla dilatione respondeat. *Dom. Pass.*, v. 54, lit. *a*.

Ad fidem vocatio magnum beneficium est. *Dom.* XII *post Pent.*, v. 23, lit. *a*.

Actus qui propriæ vocationi non sunt conformes, nec virtuti conformes sunt. *Dom.* XIII *post Pent.*, v. 11, lit. *d*.

Deo ad pœnitentiam vocanti mox parendum est. *Dom.* XV *post Pent.*, lit. *a*.

Ad diversos differentesque status vocavit nos Deus, in iisque salutem nostram æternam lucrari possumus. *Dom.* XVII *post Pent.*, v. 37, lit. *c*.

Voluntas. — Voluntas propria est lepra animæ. *Dom.* III *post Epiph.*, v. 3, n. 7.

Est clavis qua cor Deo aperitur. *Ibid.*

Conformanda Deo. *Ibid.*, n. 8.

Voluntas propria condemnatur. *Fer.* IV *post Dom.* I *Quadr.*, v. 38, n. 4.

Obedientis conformanda præcipienti. *Dom.* III *Quadr.*, v. 23, n. 3.

In nostra voluntate positum est regnum cœlorum. *Dom. infra Octav. Nativ.*, v. 33, lit. *a*.

Bonum est cedere aliis et propriæ opinioni non adhærere, ut ita pax conservetur. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 49, lit. *b*.

Deus contentus est accipere quod habemus, etiam sotam bonam voluntatem. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 6, lit. *b*.

Cum homo vult aliquid per propriam voluntatem, Deo aufert suam coronam. *Dom.* IV *post Epiph.*, v. 27, lit. *d*.

Deus bonæ voluntati tribuit quod deest facultati. *Dom. Septuag.*, v. 2, lit. *b*.

Habe voluntatem sequi Jesum et non verearis difficultates occurrentes, de divino certus auxilio. *Dom.* IV *Quadr.*, v. 2, lit. *c*.

Quotiescumque homo voluntatem suam propriam facere arroganter præsumit, Dei jurisdictionem usurpat. *Dom. Palm.*, v. 2, lit. *j*.

Per superiores nostros voluntas Dei nobis manifestatur. *Dom.* II *post Pasch.*, v. 16, lit. *a*.

Deus indubitanter tribuit bonæ voluntati quod deficit facultati. *Dom.* XII *post Pent.*, v. 35, lit. *b*.

Quicumque Deo studet placere, contra propriam voluntatem reluctetur. *Dom.* XIX *post Pent.*, v. 3, lit. *b*.

Nullus hominum sperare potest quod ex propria voluntate, a peccato resurgere valeat, nisi Deus adjuvet. *Dom.* XXIV *post Pent.*, v. 19, lit. *a*.

Voluptates. — Voluptates carnales, earumque pœnæ. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 10, n. 1.

Sunt spinæ cor hominis pungentes. *Dom. Sexag.*, v. 15, n. 14.

Animarum majores incomparabiliter sunt quam corporis. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 10, n. 3.

Mundanæ in fine amaritudinem post se relinquunt. *Ibid.*, n. 1.

Sunt animarum punctæ. *Dom. Sexag.*, v. 15, n. 11, 12.

Voluptates mundi facile contemnuntur ab eo qui cœlestem gloriam considerat. *Dom.* II *post Epiph.*, v. 6, lit. *b*.

Voluptates et desideria carnis dissipant cogitationes hominis et perturbant vocem orationis ne Jesus veniat. *Dom. Quinq.*, v. 39, lit. *a*.

Omnia gaudia, deliciæ, voluptates quas dæmon nobis

affert, nihil sunt aliud quam lapides et saxa. *Dom.* I *Quadr.*, v. 3, lit. *e*.

Qui voluptatem sequuntur laborant vera afflictione et carent voluptate. *Dom.* IV *Quadr.*, v. 12, lit. *a*.

Voluptas habita libenter repetitur; repetita blanditur; consuetudo ligat; ratio consopitur. *Fest. Pasch.*, v. 4, lit. *a*.

Qui vult epulari cum divite, præparat se epulas vermibus gehennæ. *Dom.* II *post Pent.*, v. 16, lit. *j*.

Hujus sæculi voluptates et deliciæ vix capiuntur et degustantur. *Dom.* XV *post Pent.*, v. 11, lit. *a*.

Vox. — Nihil proficuum est sola ad Deum voce clamare. *Dom.* XXIII *post Pent.*, v. 21, lit. *a*.

Vulnera Christi. — Quonam fine Christus glorificatus vulnerum suorum cicatrices, servare voluerit. *Dom. in Albis*, v. 27, lit. *c*.

Z

Zachæus. — Ob humilitatem suam ad beatitudinem est evectus. *Dom.* X *post Pent.*, v. 13, n. 7.

Zelotypus. — Deus zelotypus est; non vult ut loco ejus ullum alium diligamus. *Dom.* XVII *post Pent.*, v. 40, lit. *a*.

Zelus. — Zelus ejusque definitio. *Fer.* II *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 17, n. 3.

Varii illius effectus. *Ibid.*, n. 4 et 6.

Indiscretus improperatur. *Dom.* I *post Pent.*, v. 41, n. 6.

Zelus quorumdam non est secundum scientiam. *Dom.* III *Adv.*, v. 19, lit. *e*.

Rectus et commendabilis zeli iste ordo, ut quisque prius se, deinde corripiat cæteros. *Ibid.*

Zelus lectus et palliatus Filium Dei in monte Calvariæ cruci affixit. *Ibid.*

Zelus quanti appretiatur a Deo. *Dom.* I *post Epiph.*, v. 45, lit. *c*.

Zelus mensuratur ab amore. *Dom.* II *Quadr.*, v. 1, lit. *b*.

Meretur pretiosissimos Dei favores. *Ibid.*

Non explicare licet quam gratus sit Deo zelus impensus in salutem animarum. *Dom.* II *post Pasch.*, v. 11, lit. *k*.

Variæ requiruntur conditiones ut zelus sit ordinatus et conformis regulis rationis et virtutis. *Dom.* IV *post Pasch.*, v. 7, lit. *e*.

Deo gratus et acceptus est, nobis vero utilis et proficuus zelus. *Dom.* V *post Pasch.*, v. 23, lit. *d*.

Zelus honoris Dei nullo timore frangitur sed semper valde firmus persistit. *Fest. Pent.*, v. 23, lit. *g*.

Nullum Deo tale est sacrificium quale est zelus animarum. *Dom.* IV *post Pent.*, v. 4, lit. *e*.

Homines magnum lucrum acquirunt, salutem animarum zelantes. *Dom.* XVI *post Pent.*, v. 3, lit. *b*.

Deus zelum qui in amore fundatur plurimi æstimat et appretiatur. *Dom.* XVII *post Pent.*, v. 37, lit. *d*.

Qui zelat salutem animæ proximi propriam pariter salvat animam. *Ibid.*, v. 39, lit. *b*.

Zelus est amor excandescens atque irascens contra ea quæ sunt contraria amato suo vel suo amori. *Ibid.*, v. 40, lit. *a*.

Zelus Christi. — Quantus fuerit pro animarum lucro. *Fer.* VI *post Dom.* III *Quadr.*, v. 9, n. 4, et *Fer.* II *post Dom.* IV *Quadr.*, v. 17, n. 2.

Neminem Filius Dei rejicit et sic summum zelum circa salutem animarum demonstrat. *Dom.* III *post Pent.*, v. 1, lit. *b*.

Zizania. — In Ecclesiam superseminantur zizania quæ sunt mali mores, vitia, persecutiones. *Dom.* V *post Epiph.*, v. 24, lit. *f*.

FINIS INDICIS RERUM NOTABILIUM

VESONTIONE, EX TYPIS J. BONVALOT.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

DICTIONNAIRE DE DROIT CANONIQUE

OU LE COURS DE DROIT CANON

de Mᵍʳ ANDRÉ (d'Avallon), Protonotaire apostolique, *ad instar participantium*

ENTIÈREMENT REVU, CORRIGÉ, AUGMENTÉ ET ACTUALISÉ

par **M. l'abbé CONDIS** (du diocèse d'Agen).

Ouvrage contenant : *la discipline générale de l'Eglise et la législation civile ecclésiastique de France, des explications sur les congrégations romaines et les usages du Saint-Siège, de nombreux articles de liturgie et sur les dévotions catholiques, l'histoire des ordres religieux, la situation religieuse de toutes les contrées du monde, avec le texte ou l'analyse des concordats conclus par diverses nations avec le Saint-Siège et, sur tous les sujets, les dernières décisions des congrégations romaines.*

3 forts volumes in-4° de plus de 800 pages chacun. — Prix : **45** fr.

« C'est un ouvrage, pour ainsi dire, nouveau, remanié dans un grand nombre d'articles, comme on pourra s'en apercevoir d'un coup d'œil en se référant aux mots : *Articles organiques, Chapelet, Chemin de Croix, Congrégations romaines, Droit canon*, etc. De nombreuses notes donnent *in extenso* les décrets du *Corpus juris canonici* et du concile de Trente visées dans le corps de l'ouvrage, et le commentaire s'appuie sur les meilleurs auteurs, notamment sur Schmalgrueber et Reiffenstuel, qui sont les grandes autorités en la matière. »

(*Bulletin littéraire* de l'*Univers*), juin 1888.

Le tome Iᵉʳ est précédé du *Syllabus*, de la Constitution *Apostolicæ Sedis*, des deux Constitutions promulguées par le Concile du Vatican et de l'Encyclique *Immortale Dei* sur la Constitution chrétienne des Etats. On trouve dans le cours de l'ouvrage les autres Actes de S. S. Léon XIII. C'est assez dire l'esprit qui a présidé au travail de M. l'abbé Condis. Ces documents, qui sont une lumière et auxquels il est important de recourir souvent, seront ainsi continuellement sous la main du prêtre.

TOBIÆ LOHNER S. J.

BIBLIOTHECA MANUALIS CONCIONATORIA

ORDINE ALPHABETICO DIGESTA

Novis Titulis adaucta ; Sententiis SS. Patrum et Doctorum illustrata ; Similitudinibus Motivis, Mediis et Doctrinis Asceticis locupletata

ingeniosis pro formanda concione in omnia themata conceptibus referta, ac indice concionatorio in Evangelia festorum et dominicarum, necnon indice generali adornata.

EDITIO NOVISSIMA ET ACCURATISSIME EMENDATA

CUI ULTIMO ACCEDIT OPUSCULUM :

INSTRUCTIO PRACTICA DE MUNERE CONCIONANDI, EXHORTANDI ET CATHECHIZANDI

CURA ET STUDIO

DD. Alphonsi CORDIER et Joannis-Baptistæ BAUD

Sacerdotum ac Theologorum

5 volumina in-4° — Pretium. . . . . **60** fr.

Lohner, *Bibliotheca Manualis concionatoria* unum ex excellentioribus quæ exstent ad usum concionatorum repertoriis profecto est. In eo forma sufficienter extenta, ordine methodoque investigationes expediente magna pretiosarum materiarum abundantia invenitur (*Revue des sciences ecclesiastiques*, nº 106).

Hoc opus non tantummodo compendium singularium textuum circa unum quoddam argumentum, sed potius serius est labor cujus summa et dispositione formetur tractatus completus in singulis relatis argumentis. Lohner enim tributum ex quinquagenis duo et quingentis auctoribus ad suam componendam bibliothecam exegit. Quot Patres, Doctoresve, Concilia et summi Theologi, necnon solemnes divinarum Scripturarum interpretes, et moralium ascleticarumque doctrinarum probatissimi Magistri, Philosophique et pollentiores denique ante 1680 annum scriptores, tot operarii qui suam lapidem ad hoc immensum ædificium sub sacram Scripturam afferentes processerint. Adde multas historicas ex certissimis fontibus petitas enarrationes quibus doceatur quo modo horum gravium auctorum decretis pareatur. Ideo hoc opus non solum ad prædicationem viris ecclesiasticis proficit, sed etiam iisdem tum ad colloquia, tum ad animas in pœnitentiæ tribunali dirigendas utile est. Jam amplius quam 15 editiones hujus libri videre est.

Tanta enim utilitate excellentiaque apparet cur tot gratulationes libro vix denunciato undique acceperimus. Quarum sat est unam referre ex eminentissimo præsule, Mermillod, Genevensi Episcopo, cujus auctoritas in his rebus perspicua est :

Gaspard Mermillod, Dei et Apostolicæ Sedis gratia, Episcopus Hebronensis, Auxiliarius Genevensis, etc.

Cum RR. DD. Alphonsus Cordier et Joannes-Baptista Baud, sacerdotes theologi, novam editionem operis cui

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

titulus : *Bibliotheca manualis concionatoria Tobiæ Lohner* caraverint; in eoque nedum alios titulos addiderint, sed et *instructionem practicam* de numero concionandi, exhortandi et catechizandi adjecerint; nos religiosis viris ex animo gratulantes, utilissimum hoc opus omnino probamus atque enixe commendamus, eximumque faustum felicem illi ominamur.

Datum Romæ, extra portam flaminiam, die 23 maii 1870.

† GASPARD, episc. Hebron., Adm. GERENN.

Deinde dabimus exemplum quo ordo huic libro adaptatus lectori benevolo pateat.

N. B. — Ad ampliorem claritatem brevitatemque obtinendam numerum totum relationum exemplorumque post majores divisiones indicabimus, semel admonendo eas in subdivisionibus quibus pertineant ab auctore dispartiri :

EUCHARISTIA

DIVISIONES	SUBDIVISIONES
QUOAD ESSENTIAM	Definitio, secundum tres auctores.
EX SACRA SCRIPTURA (20 textus).	Necessitas. — Utilitas. — Jucunditas. — Dignitas. — Præparatio.
EX SS PATRIBUS ET DOCTORIBUS (72 textus).	Substantia et qualitas. — Necessitas. — Utilitas. — Dignitas. — Jucunditas. — Veritas. — Tempus sumendi. — Modus sumendi.
EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI (18 textus).	Necessitas. — Utilitas. — Jucunditas. — Dignitas. — Frequentia sumptionis.
EXEMPLA (75 exempla in omni Ecclesia desumpta).	Cultus. — Jucunditas. — Veritas. — Eucharistia ministrata.
SIMILITUDINES (numero 97).	Qualitas. — Utilitas. — Veritas. — Necessitas. — Jucunditas. — Dispositio ad Eucharistiam sumendam.
MOTIVA (numero 23).	*Utilitas ad Ecclesiam stabiliendam. — Utilitas ad virtutes acquirendas. — Utilitas ad unitatem et concordiam procurandam. — Utilitas ad unionem cum Deo obtinendam. — Utilitas ad roborandam animam. — Utilitas ad vitam æternam promerendam. — Utilitas ad temporalia bona acquirenda. — Utilitas ad delicias animæ obtinendas. — Utilitas ad perseverantiam obtinendam. — Utilitas ad dæmones superandos. — Utilitas ad liberalitatem nostram provocandam.* — Alia motiva.
MEDIA (numero 15).	Ad amorem et cultum Eucharistiæ excitandum. — *Magna æstimatio. — Frequens visitatio et conversatio. — Crebra et digna realis sumptio. — Sæpius iterata spiritualis communio. — Frequens de hoc SS. Sacramento sermocinatio. — Festorum aut dierum ab Ecclesia huic cultui destinatorum peculiaris observatio. — Reverentia singularis Sacerdotibus exhibita.* — Ad eamdem digne sumendam. — *Ardens desiderium. — Evacuatio sui. — Generosa victoria. — Immaculatæ vitæ studium. — Imploratio Sanctorum ad supplendum per merita sua indignitatem suscipientis. — Effusionis post Communionem vitandæ studium. — Mortificatio et castigatio carnis.*
ASCETICA.	Ex 16 auctoribus variisque Scripturæ textibus. Ascetica pars Bibliothecæ Tobiæ Lohner extenta est et perutilis confessariis animarumque directoribus.
CONCEPTUS PRÆDICABILES (numero 40).	De Eucharistia secundum se. — De Eucharistiæ fructibus. — De dispositione ad Eucharistiam recipiendam. — De frequentia Communionis. — De cultu publico seu Processione ad honorem SS. Eucharistiæ instituta.
MISCELLANEA.	Varii conceptus in Eucharistia (30 numero).
AUCTORES.	Index auctorum qui de Eucharistia optime scripserunt.

Itaque in quatuor prioribus tomis 143 themata tractantur quidquid ad dogma, moralem, cultumque attineat, brevi varietatem rerum de quibus sacerdotes prædicare debeant complectentia.

In tomo V id peculiare mirandum est quod P. Lohner, post Appendicem in historica ejus Bibliothecæ parte, 129 paginas formis concionum pro omnibus anni dominicis festisque adhibeat, non tam ea intentione ut sermones secundum suum conceptum faciat, quam ut leviorem aliquo modo redderet laborem iis qui majorem in ejusmodi conceptibus digerendis difficultatem experiuntur. Regredienti deinde in quatuor prioribus voluminibus ad rem quamlibet tractandam, facile erit soliditate moventes instructiones conceptibus designatis facere. Hæc ita multæ sunt formæ concionum, ut ad duodecim pro singulis dominicis festisque plerumque producantur.

Ejusdem voluminis in 274 paginis adhuc invenitur *Instructio practica de munere concionandi, exhortandi, catechizandi, continens non tantum præcepta ad artem concionandi discendam accommodata, sed etiam ideas et conceptus practicos pro concionibus in festis Beatissimæ Virginis et SS. Dedicationis, Patrocinii, Novi Anni, Paschatis, Parasceves; item in Primitiis Sacerdotum, Peregrinationibus, Congregatione Rosarii, Funeribus et Sepulturis, et apud Rusticos instituendis.*

Denique 170 paginis continetur Index generalis analytico necnon alphabetico ordine omnes materias in quinque voluminibus refertas complectens.

Videre est opere Tobiæ Lohner vere titulo respondi et hoc dici bibliothecam manualem concionatoriam posse, faciliusque inde patebit cur tam sæpe sub prælo submissum fuerit. Nullus liber utilior est quibuslibet sacerdotibus peculiares et proprios sermones componere cupientibus.

GRAND CATÉCHISME

DE LA PERSÉVÉRANCE CHRÉTIENNE

OU EXPLICATION PHILOSOPHIQUE, APOLOGÉTIQUE, HISTORIQUE, DOGMATIQUE, MORALE, CANONIQUE, ASCÉTIQUE ET LITURGIQUE DE LA RELIGION.

Suivant les Constitutions déjà promulguées du saint Concile du Vatican

TIRÉE DES MEILLEURS AUTEURS ANCIENS ET MODERNES ET APPUYÉE DE TRÈS NOMBREUX TÉMOIGNAGES DE L'ÉCRITURE, DES PÈRES ET DES ÉCRIVAINS ECCLÉSIASTIQUES

Avec d'innombrables traits historiques puisés aux sources les plus pures

Par P. D'HAUTERIVE, Chevalier de l'Ordre de Pie IX

Auteur de la *Somme du Prédicateur*, traducteur des *Instructions familières* et des *Homélies* de Rainerl

OUVRAGE TERMINÉ PAR UNE TABLE GÉNÉRALE ANALYTIQUE

Neuvième édition. 14 forts volumes in-12, renfermant la matière d'au moins 16 volumes in-8° ordinaires.

Prix : 56 francs.

S'il est un fait pratique hors de contestation et sur lequel les sentiments soient unanimes, c'est que l'instruction catéchistique, qui a été de tout temps d'une grande importance dans l'Église, est devenue de nos jours le premier devoir du pasteur des âmes.

C'est ce besoin palpable qui a donné naissance à ces nombreuses *Explications du Catéchisme* que l'on a vu paraître depuis quelque temps, et dont plusieurs ne sont pas sans de grandes qualités.

Cependant, il faut l'avouer, aucune de ces *Explications*, prise à part, ne peut suffire au besoin du catéchiste, qui est ainsi obligé d'en avoir plusieurs sous la main, afin de suppléer par celles-ci à ce qui manque à celles-là. « Or, voilà précisément, dit notre auteur, dans sa Préface, ce qui nous a amené à penser qu'un catéchisme qui réunirait dans un ensemble harmonieux tout ce que chacun des autres a d'excellent, rendrait au clergé de sérieux et réels services. »

Pour réaliser cette idée, notre auteur n'a épargné ni son temps ni ses peines. Aussi n'y a-t-il pas un catéchisme français, italien, espagnol, allemand, qu'il n'ait étudié, compulsé, et dont il n'ait extrait la moelle et recueilli les meilleures réflexions. Ce n'est pas tout. « Non content, dit-il encore, de mettre à contribution les catéchistes, nous avons remonté aux sources, et les théologiens et les Pères nous ont fourni, sur la plupart des sujets, les plus sublimes considérations et les plus heureux développements. »

Nous disons que le Catéchisme ainsi obtenu avec tant de recherches et de travaux est plus complet qu'aucun autre et que tous réunis, et qu'il a l'avantage de remplacer tous les autres. Il suffit de lire les approbations dont il est revêtu pour en être convaincu.

BREF de N. S. P. le Pape Pie IX à l'auteur.

Très illustre et très honoré Monsieur,

Les malheurs de ce temps ayant fait grandir et le nombre et l'audace de ceux qui, par leurs discours et leurs écrits, s'acharnent à combattre la vérité catholique, rien ne paraît plus désirable à Notre très saint Seigneur Pie IX, sinon qu'il se lève un grand nombre de vengeurs de notre religion, pour la défendre énergiquement par leur talent et par leur science.

C'est pourquoi vous devez comprendre qu'il a été très agréable à Sa Sainteté d'apprendre le dessein que vous avez formé et le commencement d'exécution que vous y avez donné en composant l'ouvrage intitulé : *Grand Catéchisme de la Persévérance chrétienne*, dans lequel vous vous êtes efforcé, comme vous le dites dans votre lettre, de montrer la vérité et la dignité des dogmes chrétiens, et en même temps de réfuter les sophismes et les détestables doctrines de ceux qui aiment l'iniquité et parlent le mensonge.

Sa Sainteté est persuadée qu'en lisant cet ouvrage, si ses nombreuses occupations le lui permettent, Elle reconnaîtra qu'il a été écrit avec tout le soin qu'exige la fin très noble que vous vous êtes proposée. En attendant, elle vous envoie par mon ministère les félicitations que mérite votre zèle, vous remercie beaucoup de votre don et, en témoignage de sa dilection paternelle, vous accorde avec amour sa Bénédiction Apostolique.

Pour moi, je suis heureux de l'occasion qui m'est offerte de pouvoir vous exprimer la sincère considération avec laquelle je suis de cœur,

Très illustre et très honoré Monsieur,

Votre dévoué serviteur,

Charles Nocella,

Secrétaire de N. T.-S. P. le Pape pour les lettres latines.

Rome, 8 novembre 1870.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

APPROBATION
de S. Gr. Mgr. l'Evêque de Tarbes.

« D'après ce que nous en avons lu Nous-même, et sur le rapport favorable d'un prêtre dont la science théologique et le bon jugement Nous sont bien connus, Nous n'hésitons pas à *approuver* et à *recommander* le CATÉCHISME DE LA PERSÉVÉRANCE CHRÉTIENNE, par M. P. d'Hauterive. C'est un excellent répertoire, plus riche et plus complet que tout ce qui existe en ce genre. L'auteur, du reste, a sagement profité du travail de ses devanciers. Le plan de l'ouvrage est celui de tous les catéchismes; c'est le plus simple et le plus logique. Les matériaux sont variés, abondants; les citations bien choisies et puisées aux meilleures sources; le style clair, facile et naturel; les traits d'histoire souvent nouveaux et en grand nombre.

« De plus, ce livre a un cachet d'à-propos et d'actualité qui n'échappera à personne, et qui le met au niveau des circonstances et des besoins du temps. Les nouvelles définitions conciliaires, les découvertes scientifiques les plus récentes, y trouvent naturellement leur place; les objections du jour y sont réfutées avec soin. Nous désirerions que cette *véritable encyclopédie du christianisme* fût dans toutes les mains. Nous le bénissons de grand cœur, et nous le plaçons sous le patronage bien-aimé et tout-puissant de l'Immaculée Conception.

« De notre *chalet*, à la Grotte de Lourdes, le jour du pèlerinage de notre grand séminaire, 17 juin 1872.

✠ PIERRE ANASTASE,

« *Évêque de Tarbes (et de Lourdes).* »

LETTRE du R. P. Mousabré, des FF. Prêcheurs, prédicateur de Notre-Dame.

« Il y a longtemps que je désire vous remercier du plaisir que m'a procuré la lecture de votre *Catéchisme*... Votre doctrine est sûre, vos explications sont claires et complètes, vos notes pleines d'intérêt... Je trouve votre ouvrage excellent, c'est le véritable manuel des ecclésiastiques qui sont chargés du catéchisme de persévérance et auxquels des occupations trop nombreuses ne permettent pas de longues recherches. Je le conseille aux hommes *de bonne volonté* qui désirent s'instruire des vérités de la religion... J'admire en particulier le choix et la richesse des textes et des exemples qui complètent chaque leçon. »

LETTRE du R. P. Massé, missionnaire de la maison de Saint-Edme, à Pontigny.

« J'ai lu une partie de votre sérieux travail, qui mériterait un titre moins modeste que celui de *Catéchisme*. C'est un ouvrage exceptionnellement sérieux et savant, bien ordonné, bien écrit, et qui forme une riche mine pour les prêtres et les fidèles. »

LETTRE de M. Vivien, docteur en théologie, vicaire général de Chambéry.

« ... Votre livre, qui pourrait justement s'appeler la SOMME DU CATÉCHISTE, est une mine, un arsenal. Quel que soit le sujet que l'on traite, la vérité que l'on défende, l'erreur que l'on combatte, on y trouvera tous les traits hideux du mensonge mis en relief, toutes les preuves qui rendent la vérité victorieuse, tous les matériaux qui établissent une thèse solide... Vos citations patristiques, très nombreuses, serviront merveilleusement aux ecclésiastiques pour les sermons; les Pères sont si peu connus, que l'on est heureux de trouver d'eux des passages qui s'adaptent à une thèse de théologie... Vous avez parfois des arguments nouveaux, ou tout au moins peu connus, qui donnent un intérêt singulier à votre ouvrage; un fréquent et toujours juste usage de la sainte Ecriture. Vous avez dû travailler longtemps pour donner cette plénitude de preuves, d'autorités à vos leçons. Ce n'est pas un ouvrage qu'on puisse confondre avec ceux du même genre; c'est un monument. »

Ces témoignages autorisés, et beaucoup d'autres que nous pourrions citer, montrent que notre ouvrage est tout à fait hors ligne en son genre. Mais nous voulons que le lecteur en juge autant que possible par lui-même. C'est pourquoi nous mettons sous ses yeux les *Sommaires* des premières leçons. Qu'il lise et compare avec tout autre livre de même nature, il reconnaîtra aussitôt l'immense supériorité du nôtre.

Dans le *Grand Catéchisme de la Persévérance chrétienne*, qui est tout à la fois théorique et pratique, profond et simple, solide et familier, les questions sont partagées, présentées et traitées avec tant d'art que, sur le même sujet, le prêtre peut préparer avec une égale facilité, en quelques instants, un simple petit catéchisme ou un discours du genre le plus élevé, suivant son goût ou son besoin.

Pour les traits historiques qui suivent les leçons, ils ont été choisis avec discrétion dans les auteurs les plus recommandables; beaucoup même sont nouveaux. Leur nombre total s'élève à plus de 2,000.

DIVISION DE L'OUVRAGE :

Iʳᵉ Partie (4 volumes). — DOGME. — Leçons préliminaires. — **1ʳᵉ Section** : Préliminaires de la Foi. — **2ᵉ Section** : Explication du Symbole.

IIᵉ Partie (4 volumes). — MORALE. — **1ʳᵉ Section** : OBSERVER LA LOI : Commandements de Dieu. — Commandements de l'Eglise. — **2ᵉ Section** : PRATIQUER LE BIEN : Vertus théologales. — Vertus cardinales. — Conseils évangéliques. — Béatitudes. — **3ᵉ Section** : ÉVITER LE MAL : Péché en général. — Péchés capitaux et vertus qui leur sont opposées. — Péchés contre le Saint-Esprit.

IIIᵉ Partie (3 volumes). — CULTE. — **1ʳᵉ Section** : Grâce. — Sacrements. — **2ᵉ Section** : Prière. — Oraison dominicale. — Salutation angélique.

Les trois parties et les diverses *Sections* sont divisées par LEÇONS, et chaque leçon est un traité complet du sujet énoncé, comme on peut le voir par les *Sommaires*.

Le tome XIV est une *Table générale* alphabético-analytique très complète.

BESANÇON. — IMP. DE J. BONVALOT.

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

CAPILLA ALFONSINA
U. A. N. L.

Esta publicación deberá ser devuelta antes de la última fecha abajo indicada.

BV30
M3
v.2
1888 44576

AUTOR
MANSI, Josephi

TITULO
Aerarium evangelicum hoc est evangeliorum totius anni in ...

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

UAM
AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS